CLARISS. VIRI

HIERONYMI MERCVRIALIS,

FOROLIVIENSIS,

In Patauino Gymnasio Medicinam Practicam in suprema cathedra, deinde Bononiæ, ac denique Pisis in supraordinario loco multis annis cum celebritate, & Auditorum vtilitate profitentis,

Prælectiones Patauinæ,

DE COGNOSCENDIS, ET CVRANDIS HVMANI CORPORIS AFFECTIBVS:

In quibus prçter alia, quæ partim ad Praxim in re Medica exercendam, partim ad vberiorem eruditionem comparandam plurimum conferunt, grauissimæ quoque Theoriæ difficultates enodantur.

OLIM INSCIO, ET TANQVAM DEFVNCTO AVCTORE EDITAE,

Sed postea cum ex diuersis exemplaribus, eodem permittente ac annuente, tum ex ipsiusmet ore præmonstrante, atque dictante, recognitæ, emendatæ, & tertia parte auctæ,

OPERA, AC STVDIO

GVGLIELMI ATHENII BRVXELLENSIS:

Et hac postrema editione summa cum diligentia correctæ, & genuino nitori restitutæ.

Cum Priuilegijs Senatus Veneti, & aliorum Principum.



VENETIIS, Apud Iuntas. M DC XVII.

PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI, AC CLEMENTIS OCTAVI MAXIMI PONTIFICIS EX PATRE NEPOTI.

Hieronymus Mercurialis S. D.

HVnc plurimorum cogitationes suas dedicandi morem, viris vel potestate vel virtute, vel gloria magis, ea quæ ab antiquis scriptoribus relicta sunt nobis commentaria peruetustum esse satis docent. At id solenni epistolarum nuncupatione agere quemadmodum hodie ab omnibus fere vsurpatur haud ita antiquum reperio: vt propter hoc tecum potius more vetusto, quam recenti, agere deliberauerim. Etenim si potestas tua expendatur, cum Pontificis omnium maximi ac sapientissimi cunctas quasi functiones obeas, quis non videat, te nulli pene adæquandam potestatem habere. Ea vero tua est virtus, tum in rerum maximarum cognitione, tum in gubernandis prouincijs, ac regnis, prudentia, atque vigilantia, vt qui te vel à longe sequantur, pauci, qui antecedant, nulli inueniantur; ac ob id ore cunctorum nullum nomen frequentius ac magis celebratum, quam CARDINALIS ALDOBRANDINI, hodierna die audiatur. Quemadmodum etiam existimantibus gloriam ac laudes tuas singulares, vix vllum inter veteres aut recentiores exemplum offertur, quod in hac ætate, in tanta rerum mole, in temporibus vsque adeo iniquis, plus tuo laudari, atque extolli queat. Itaque in hac laborum multis annis à me exanthlatorum de-

dicatione, iure te mihi esse eligendum duxi, tum vt à laudatione, atque tuorum ingentium meritorum vbique prædicatorum enumeratione abstinere liceret, cum nemo sit etiam in extrema atque remotissima Thule positus, ad quem fama tui nominis non peruenerit; tum vt gratam aliquam singularium animi tui in me significationum memoriam publice testatam facerem. Ad tuam autem clementiam ac pietatem pertinebit, non doni paruitatem, sed propensissimum MERCVRIALIS tui animum spectare, & quicquid hoc mearum cogitationum ab hominibus forsan non neglectarum sit; hilari qua soles fronte, suscipere, vt ingenio huic meo senili animus ac robur ad maiora tibi offerenda addatur. Deus autem pro omnium gentium salute incolumem te diu seruare velit, enixe cum omnibus precor. Vale Pisis, Kalen: Aprilis 1603.

MEDICINÆ PRACTICÆ STVDIOSIS.

IVNTAE S. P. D.

QVemadmodum sapiens fuit Veterum inuentum, quod uniuersam philosophandi rationem, una cum Medicina, in duas ab inuicem segregatas partes distribuerunt, quarum alteram ab exercendo, & operando Practicam, alteram vero propter inuestigationem, & contemplationem Theoricam cognominarunt, nec non unicuique præcepta, institutaque peculiaria in principio, progressu, atque fine assignarunt: ita sapiens fuit ipsorum opinio, quod ad ipsam in humana societate εὐδαιμονίαν acquirendam, & ad exercitia in hominum utilitatem dirigenda, Philosophia & Medicina Actiua Contemplatiuam longe antecellat. Dum enim animaduerterunt, ex duabus diuersis partibus hominem in prima productione compositum fuisse, & quamlibet secundum suas inclinationes, ac proprietates in studia contraria potissimum rapi, trahique, non secus in ipsis erudiendis, expoliendis, & augendis fieri posse existimarunt, nisi modus, & ratio in promptu essent, quorum subsidio utraque ad suum perfectionis statum deferretur, in eoq; diutius conseruaretur. Ac ut ipsam Philosophiam missam faciamus, cum hæc abundanti, ac debito suorum cultorum, ac propugnatorum encomio non destituatur, & de Medicina tantummodo breuem instituamus sermonem, Practica pars Contemplatricem, ac Indagatricem adeo exsuperat, ac multis parasangis post se relinquit, ut Princeps Peripateticorum Aristoteles in 10. Ethic. ad Nicomachum lib. scripserit, Medicos ex libris nequaquam fieri: quasi significare, ac posteros instruere voluerit, Practicam Medicinæ partem unicam, & solam esse, quæ Medicos faciat, nec à proposito scopo, ac fine aberrare permittat, eisque, ut quibuscunque suborientibus necessitatibus pro salubri procuratæ sanitatis remedio immortalem nominis, famæque celebritatem comparent, magno adiumento sit. Eandem quoque sententiam tenuit, & suffragio suo comprobauit Tullius, Latinæ linguæ Romanæq; eloquentiæ Parens in 1. lib. Officior. dum dicit, quod neque Oratores, neque Medici, quamuis artium præcepta didicerint, aliquid laude dignum sine vsu, & exercitatione assequi valeant. Insuper cum omnes homines à natura ita sint comparati, ac dispositi, ut semper uniformem in huius vitæ curriculo, ac perpetuam, si fieri posset, bonam valetudinem, suique incolumitatem appetant, & quæ nocitura, destructionemue attractura videantur, summo studio, ac industria declinent, quo desiderio bruta etiam irrationalia teneri nemo est, qui inficias ire audeat: siquidem æque iucundum tempus à quolibet existimatur, quo res conseruatur, quam quo producitur: illud nullius artis, aut facultatis beneficio aliquis felicius adipisci potest, nisi Medicinæ Practicæ opera, & auxilio. Ea enim mirifice hac in parte munus suum obit, & potentibus medicinæ antidotis, & alexipharmacis, tam in propulsandis contrarijs humano corpori, quam conseruandis similibus conducentes subministrat confectiones, herbarumque abstrusas, & delitescentes radicum vires exprimere, ac in apertum proferre indigitat, & quomodo inuicem conuenienti mensura, iustoque pondere coniungi, ac commisceri debeant, per experientiam edocto modo commonstrat, ut miseri infirmi à periculosis, & diuturnis eripiantur morbis, tandemque à morte omnium terribilium terribilissima securi, ac liberi euadant. Etsi vero multi, tam ex antiquioribus, quam recentioribus Medicis,

incomparabili eruditione, & inenarrabili multiplicarum rerum experientia praecellentes Viri in illa docenda, illustranda, & ad posteritatem fideliter transmittenda pro concredito ingenij lumine & acumine diurnis ac nocturnis horis desudarunt: attamen inter recentiores (absit, quod pro meritam alicuius dignitatem imminuere, vel competenti eiusdem honori aliquid detrahere velimus,) vniuersos, ceu gemma in annulo, elucet clarissimus Vir D. HIERONYMVS MERCVRIALIS FOROLIVIENSIS, *qui in Gymnasio quondam Patauino Medicinam Practicam ex suprema cathedra indelebili celebritate, & multiplici auditorum emolumento publice docuit, postea vero eandem Bononiae, ac denique Pisis in supraordinario loco multos per annos non tantum professus est, verum etiam, prout in ore & memoria cunctorum adhuc viget, tam summi, quam infimi status homines prosperrime curauit, multorumque cum admiratione pristinae sanitati restituit. Cuius* PRAELECTIONES, *quas ipse* PATAVINAS, *ob iucundam fortasse dulcis Patauij recordationem, potius quam alia inscriptione insigniri malebat, licet superioribus annis Francofurti ad Moenum impressae fuerant: duplici tamen nota laborabant, quam exinde in tantum Virum redundare quilibet Bonus moleste ferebat. Videbatur enim quod ipso inscio fuissent editi, & quod* AVCTOREM *viuentem vigentemque adhuc, tanquam dudum defunctum repraesentabant, maxime cum titulo insertum esset post obitum Auctoris. Quapropter ipsum hac de re certiorem fecimus, etiam atque etiam rogantes, vt pro sua dignitate tuenda, & adiuuandis Studiosorum Medicinae Practicae conatibus, & progressibus, opus illud reuideret, & quae notabilem emendationem desiderarent, immutaret, erroresque in artis dogmatibus commissos, quorum fertilis erat seges, demeteret; quod quidem non sine honorato laboris praemio impetrauimus. Prodijt igitur omni mora posthabita nouum, & in multis correctum illud opus, quod omnibus, Momis exceptis, gratum, & iucundum fuit. Sed cum, vt dicitur in adagio, proba merx facile emptorem reperiat, nec puluere obruatur, carieue consumatur, praeter spem, & opinionem nostram accidit, quod omnia exemplaria quam citissime vendita & distracta fuerint, ideo propter varias vtilitates, quae in succurrendis aegrotis, & curandis quibuslibet humani corporis affectibus, ex hoc praeclaro opere dimanant, ad illius impressionem reiterandam permoti fuimus. Hanc fausto Numine, & omine ad finem perductam, & debito studio in expungendis erroribus Typographicis adhibito elaboratam, communis commodi gratia nunc publici iuris facimus, tibique Beneuole Lector de meliori nota commendamus, & si hac in parte rem non iniucundam nos tibi exhibuisse comperiemur, in alijs quamplurimis ab antiqua familiae nostrae consuetudine non recedentes, semper habebis promptos ac paratos, nostraque studia in quocunque officiorum genere tibi numquam defutura vltro deferimus. Optime valete.*

CATALOGVS
OMNIVM AVCTORVM,
qui in hoc opere allegati fuerunt.

A

Actusrius.
Aegineta.
Aelianus.
Aesculapius.
Aetius.
Agatarchides.
Agathinus.
Agathius.
Albertus Magnus.
Albucasis.
Albumasar.
Alcæus.
Alexander Trallianus.
Alsaharauius.
Altimarus.
Andernacus.
Andreas Vesalius.
Andromachus.
Antigenes Cleophantides.
Antyllus.
Appollonius.
Apuleius.
Archigenes.
Aretæus.
Argenterius.
Aristoteles.
Arnoldus Villsnoua.
Asclepiades.
Athenæus.
Auenzoar.
Auerroes.
Auicenna.

B

Basilius.
Bellocasus.
Botor.
Brasauolus.

C

Caluus.
Cassius.
Cælius Aurelianus.
Cælius Rhodiginus.
Chrysippus.
Clemens Alexandrinus.
Cleomenes.
Columella.
Constantinus Africanus.
Cornarus.
Cornelius Celsus.
Costan.
Crito.

D

Dares.
Demetrius.
Democritus.
Dinus Medicus.
Diocles.
Diogenes.
Dionysius.
Dioscorides.
Disarius Medicus.

E

Empedocles.
Ennius.
Epicurus.
Erasisthratus.
Erasosthenes.
Erotianus.
Erysimachus.
Euagrius.
Eupolis.
Euripides.

F

Feruelius.
Flores.
Franciscus Valesius.
Fuchsius.

G

Gaza.
Galenus.
Gariopontus.
Gellius.
Gentilis.
Gordonius.
Guido.

H

Haliabbas.
Heraclites Tarentinus.
Hermolaus Barbarus.
Hermodotus Septius.
Herodianus.
Herodotus.
Herophilus.
Hieronymus Cardanus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius Flaccus.
Hugo Senensis.

I

Iacobus de Partibus.
Iacobus Foroliuiensis.
Iemmius.
Ioannes Argenterius.
Isidorus.
Iulius Pollux.

L

Lælius.
Laertius.
Leonardus.
Leonicenus.
Lucianus.
Lucilius.
Lucretius.

M

Magnus.
Marcellus.
Marcellus Empyricus.
Marcus Varro.
Martialis.
Matthæus Curtius.
Matthæus de Gradibus.
Melampus.
Melampodes.
Meletius.
Mesues.

Michael Ephesius.
Mnesithæus.
Montanus.

N

Nemesius.
Nicander.
Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Leonicenus.
Nicolaus Peripateticus.

O

Olympiodorus.
Oribasius.

P

Paulus Aegineta.
Parmenides.
Paternianus.
Pausania.
Persius.
Petrus Aponensis.
Phauorinus.
Philisthiones.
Philostrathus.
Picus Mirandulanus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plotinus.
Plisthonicus.
Plutarchus.
Polemon.
Polybus.
Porphyrius.
Possidonius.
Praxagoras.
Ptolomaeus.

Q

Q. Serenus.

R

Rauns.
Raymundus.
Rabbi Moyses.
Rhases.
Ruellius.
Ruffus Ephesius.

S

Scribonius.
Seneca.
Serapion.
Serenus.
Sextus Empyricus.
Simeon Sethi.
Simonides.
Socrates.
Soranus.
Sosfanus.
Stephanus Atheniensis.
Strabo.
Suida.

T

Tertullianus.
Themison.
Theodorus Gaza.
Theodorus Medicus.
Theodorus Priscianus.
Theophrastus.
Thimon Philosophus.
Thucydides.
Titus.

V

Varro.
Vasæus.
Vegetius.
Villanouanus.
Vitruuius.

X

Xenophon.

Z

Zenon.
Zoroaster.

FINIS.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
QVÆ IN HOC VOLVMINE
CONTINENTVR.

Aptharum

INDEX.

B

Barba

INDEX.

Chirur-

I N D E X.

Dactyli

I N D E X.

dysaria,

I N D E X.

febres

I N D E X.

INDEX.

lumbri-

I N D E X.

I N D E X.

Q

R

Renum

INDEX.

signa

INDEX.

sudores

INDEX.

T

INDEX.

V

I N D E X.

X

F I N I S.

D. HIERONYMI MERCVRIALIS, FOROLIVIENSIS.

De Affectibus capitis, & partium huic annexarum.

Liber Primus.

CAPVT PRIMVM.

De quibus agendum in hoc libro.

AGEMVS hoc anno, Deo Opt. Max. annuente, de morborum curatione, qui ab Arabibus appropriati, a Græcis vero secundũ locos distincti nuncupantur. Appropriati quidẽ dicti, quia certis sedibus ita inhærent, vt in alijs nunquã consistant, vt exemp. gr. Apoplexia, Epilepsia, Vertigo, phrenitis, cerebro Ophthalmia, corneæ ruptura, dilatatio pupillæ, oculo: pleuritis, membranæ succingẽti costas. Atq; sic alij affectus ita insunt proprijs partibus, vt nunquã sint in alijs. Secundum locos autem distincti, quia locos appellant Græci partes organicas, siue paruæ, siue magnæ sint, vt lib. 1. de vsu par. scribit Gal. quamuis etiam ad similares nominis huius significationem extendi inscriptio libri Galeni de loc. aff. & Hippoc. de locis in homine manifestum faciat. Incipiam autem pro veteri consuetudine a Capite, tanquam parte corporis nostri magis principe, sicque gradatim vsque ad infimarum partium ægritudines progrediar.

Appropriati morbi & secundum locos distincti qui.

Cum itaq; a capite mihi sit inchoandum, & innumera morborum genera illud tenere soleãt tam extrinsecus, quã intrinsecus, de externis hic non agam, quandoquidem abunde, & diserte satis tractatũ fuit in 2. lib. de morbis cutaneis, iam sæpius impresso. Itaq; ad internos affectus sermo dirigetur, inter quos primum locum videtur habere dolor, a quo propter tres rationes initium sumo. Primo, quia locus hic postulat, vt Rhasem auctorem sequamur. Iam vero Rhases lib. suum 9. ad Almans. auspicatus est a dolore capitis, id quod etiam non solum fecit Gal. in lib. de medicamentis, secun. loc. vbi post cutis affectus statim sese contulit ad dolorem tractãdum: verum etiam idem fecit Auic. in 1. tertij. quos auctores quia nos maxima ex parte sequemur, vt ijs vos quoque diligenter studeatis, etiam atque etiam hortor. Secunda ratio fuit, quod dolor capitis frequentissime solet omnẽ sexum exercere; ita vt nihil fere magis in manibus Medicorũ versetur, quã huiusmodi dolor. Et ratio huius est, quia caput, vt docet Hip. 4. de morb. veluti cucurbita superposita est toti corpori, & maior pars hominum ob ingluuiem feracissima esse solet cruditatũ, & vaporũ, qui, vt audietis suo loco, caput maxime doloribus afficiunt. Tertia ratio est, qm̃, vt scribit Plin. lib. 25. cap. 3. inter omnes dolores grauissime omnium solẽt turbare homines dolores capitis, vt propterea Auer. 3. collc. 31. scripserit, dolores capitis manifestissimos esse.

Cur a dolore capitis initium faciãt practici

CAPVT II.

De dolore in genere.

De dolore in genere.

QVamobrem cũ de dolore capitis tractaturi simus, ne ingenia vestra errent, operæ pretium esse puto, vt prius, quid sit dolor, diligenter intueamur. Nam appellatus est a Græcis dolor multis nominibus, sed frequentissime omnium apud Medicos vsurpantur duo, πόνος, & ὀδύνη. Latini vno verbo doloris vsi comperiuntur. Sed quemadmodum de nomine doloris nulla est cõtrouersia, ita quoque de natura eius nulla est pene certitudo: siquidem quot ingenia hanc rẽ tractarunt, tot definitiones attulisse videntur: vt interdum valde sim miratus, qui fiat, vt cũ omnes homines quotidie dolorem experiantur, in eo tamen cognoscendo sint adeo incerti, & dubij.

Nomen.

Ego vero dimissa disputatione aliarum doloris definitionum, tradam vobis, quam puto esse magis apud omnes receptam. Est autem hæc: Dolor est alteratio corruptiua sensus tactus, subito facta ob solutionem continui, vel malam intemperiem, vel ob vtrumque. Et vt melius na-

De natura, & definitione doloris.

turam doloris consequi valeatis, faciam breuiter huius definitionis anatomen. Dixi primum, esse alterationem corruptiuam, tum quia veteres sic vocarunt, tum quia ratio, & rei natura ita persuadet. Hippocrates enim in libro de nat. hum. vnde Aristoteles hausit fere omnem suam philosophiam, non alia ratione probat, hominem constitutũ esse ex diuersis elementis, nisi quia dolet, nam si vnum esset, inquit, non doleret homo, quia non alteraretur, quasi sapientissimus senex nil aliud nos docere voluerit, nisi dolorem esse alterationem.

Dolor est alteratio corruptiua. Prob. authoris. Ratio.

Idem Hippocrates lib. de loc. in homine, quem locum etiã citauit Gal. sæpe lib. 7. de plac. Hippocratis manifeste dixit, dũ dolet homo, naturam ipsius alterari & corrumpi, & Plato Hippocratis sectator in Philebo dicebat dolorem nil aliud esse, nisi harmoniæ corporis corruptionẽ. Quare satis patet, veteres nominasse dolorem alterationem, & corruptionem. Ita quoque rem esse vna ratio persuadere potest, siquidem vt præclare definitum est a philosopho. 10. Eth. cap. 4. voluptas est perfectio: vnde si dolor est contrarium voluptatis, necessum esse videtur, vt consequenter sit corruptio. Sed hoc loco non est ignorandum, dum dixi corruptionem seu alterationem corruptiuam, non intelligendam esse nudam alterationem, eo, quia sic etiam corpora maximo possent dolore affici cum corrumpantur: Sed intelligendum est, esse alterationem perceptam & cognitam, nam testis est Aristoteles, 1. Rhet. cap. 4 & 5. dolorem fieri in parte cognoscente, & propterea non esse nudam alterationem, sed alterationem cognitam. Atque hoc sapienter admodum indicatum est ab Hippoc. quando lib. 2. aph. 6. dixit, si aliqua parte dolentes dolorem non sentiunt, ijs mentem ægrotare, quasi ad doloris efficientiam, necessario semper mens, seu intellectus, seu facultas cognoscitiua concurrat. Dictum est secundo loco, sensus tactus, propterea, quia etsi in reliquis etiam sensibus fiat dolor, dum causæ eius agunt, attamẽ expressior est, & maior in sensu tactus ob scil. eius crassitiem, vt scribit Gal. 1. de symp. causis, possimus quoque dicere dolorem in alijs effici, duntaxat ab obiectis proprijs, in tactu autem nõ modo ab externis obiectis, immo multo magis ab internis. Et hæc est ratio, quia inductus Gal. 3. cap. lib. de diff. sympt. dixit dolorem esse symptoma excellens, & proprium sensus tactus. Sed video dicturum aliquem vestrum, in quo genere affectuum præter naturam collocandus sit dolor. Nam affectus præter naturam sunt, vel causæ, vel morbi, vel symptoma, sed dolor non est causa, non morbus, ergo symptoma, vt Galenus ait 3. Meth. & hoc compluribus quidem rationibus, sed tribus potissimum probatur.

Dolorem esse alterationem corruptiuam cognitam

Quis sensus afficiatur dolore.

Qua ratione dolor dicatur a Galen. propriũ symptoma tact⁹. Ratio.

Vna est, quia tactus realiter, & vt sic dicam, materialiter a suo obiecto mouetur, vt propter hoc hæc alteratio, quæ materialis est, maxime omnium, & proprie fieri dicatur in tactu. Altera ratio fuit, quia omnium sensuum cognitio certitudine postponitur certitudini tactus. Vt cum volumus quidpiam tanquam certum demonstrare, dicamus illud tangi. Tertia ratio, quia sensorium tactus distributũ est per vniuersum corpus, vnde dolor, qui est alteratio corporis, maxime omniũ, & proprijssime videtur fieri circa illũ sensum, qui omnium communissimus est; nam cum vitæ nostræ essentia, atque salus posita sit in tactu, quippe quo viuentia distinguuntur a nõ viuentibus, iure factum est, vt huiusmodi sensus per vniuersum corpus propagaretur.

Verum ad pleniorem istorum cognitionem, ex re vestra multum futurum credo, si diligenter examinauerimus, ex quibus symptomatibus sit dolor. Cum igitur symptoma duplex sit, aliud, quod non est verum symptoma, sed etiam opus Naturæ, aliud autem verum. Dolorem non esse ex ijs symptomatibus, quæ sunt opera naturæ clarissimum est, quia teste Galen. lib. de differentijs symp. 4 hæc symptomata sunt propter aliquod commodum, dolor nullum commodum copulatum habet. Est itaque verum symptoma. Hoc autem adhuc duplex, aliud quod est proprium, & immediatum, vt est actio læsa, & dicitur proprium ac immediatum, quia cum de essentia symptomatis sit, vt sequatur morbum, actio læsa sola immediate sequitur, quia ex definitione morbi hoc patet: Alia vero sunt symptomata non propria neque immediata, eo quod non sequantur immediate morbum, sed sequuntur per actiones læsas: atque hæc duum sunt generum, alia. n. sunt mediata, & non propria secundum excrementorum mutationem, alia vero, quæ dicuntur affectus præternaturales sensibus. Cũ igitur tot sint symptomata, dolor est in genere eorum, quæ sunt propria & immediata, hoc est, quę læsę actiones appellantur, quia vero actiones plures sunt, dolor est actio læsa sensibilis, sensus scilicet tactus. Et hoc est, quod dicit Gal. lib. de sympt. sensum tactus habere symptoma separatum. Hactenus audiuistis dolorẽ esse symptoma in genere actionis sensus tactus læsę. Videndum nunc, quænam sit læsio, nã vel læduntur actiones, quia diminuuntur, vel abolentur, vel deprauantur. Clarum est, in dolore nõ aboleri actionem, clarum etiam non diminui, quia partes dolentes neque diminutum, neque amissum sensum habent; superest igitur vt deprauentur in dolore, sic enim Auicenna dicebat, dolorem esse actionem deprauatam: Modus autem, quo deprauantur, est, quia de natura sensationis sensus tactus, & omnium sensuum est, vt fiat cum moderantia, ita vt neque molestia, neque voluptas percipiatur, quare cum sensatio tactus fit sine hac commoderantia, procul dubio dicitur esse deprauata. Sed dicetis, quæ est ista incommoderantia? hęc est, quia alteratio est vehemens, adhuc, est cũ impetu facta, & subito, quę autẽ sensationes non fiunt deprauatæ, neq; sunt magnę, neque sunt subito, & statim effectæ. Vnũ volo vos hic notare, antequã ad reliquarũ huius definitionis partiũ examen me conferã, vt ad memoriã reuocetis ea, quæ scripta sunt a Gal. in initio lib. de symp. differentijs, scilicet alterationẽ duos terminos includere, alterantem & corpus alteratũ, si consideretur causa alterans appellatur motus, si autem consideretur corpus quod alteratur, appellatur passio, ita vt liceat nobis secundum diuersos respectus, appellare

Quale symptoma sit dolor.

dolorem

dolorem modo passionem, modo actionem. Et hoc est quod fefellit ingeniosissimum Argent. qui in lib. de symp. conatus est reprehendere Galen. & omnes Medicos, qui dixerint dolorem esse actionem, & propterea symptoma: nam voluit bonus hic vir, necesse esse dari quartũ symptomatum genus, in quo dolor collocetur, contra omnem rationem, & philosophiam.

Dictum est, in definitione, subito facta, eo, quia alterationes, etiam magnæ, quæ paulatim in corporibus nostris fiunt, minime nos mouent, quasi natura assuefacta minime passionem eam aut non cognoscat, aut penitus contemnat; vt proper hoc Plat. in Tim. atque in Phil quem secutus est Gal. 1. de causis symp. 6. & 12. meth. cap. 7. dixerit, dolorem esse subitum quendam recessum, a statu naturali ad statum præternaturalem. Sed dubitare posset aliquis, vtrum semper fiat dolor, vel voluptas, quemadmodum dixit Plato in subitaneo vel recessu, vel reditu; siquidem, vt proponebat Aetius lib. 5. cap. 100. fiunt interdum quidam subiti recessus a statu præternaturali ad naturalem, in quib. tamen dolor, non autem voluptas oritur. Exemplum est, quod si quispiam manus refrigeratas repente calori ingenti apponat, dolor incredibilis percipitur, & tamen hic motus subitus fit a præternaturali statu ad naturalem. Nodus hic, quem multi dissoluere conati sunt, ita solet a me definiri, quod in exemplo proposito non fit reditus ad statum naturalem, sed potius fit trãsitus a statu præternaturali ad alium statum præternaturalem. Nam illud verissimum est, vitam nostram, & naturæ statum conseruari mediocritate, mediocritati omnes excessus sunt contrarij. propterea æque contraria est naturæ nimia illa calefactio, atque nimia refrigeratio, vt propterea in proposito casu immanissimi dolores sentiantur, quia simul duo excessus fiunt, & nimia calefactio, & nimia frigefactio.

Dubium.

Solutio.

Dicitur a solutione continui, vel mala intemperie, vel vtroque. Quoniã vt sequenti lectione disputabo circa causas doloris, veræ doloris causæ non aliæ sunt, nisi hæ commemoratæ. Nam cur causas in definitione doloris apponendas esse iudicauerim nuperrime, fecit auctoritas Galeni qui lib. 4. de diff. puls. 9. dicebat, in definiẽdis rebus, quæ habent essentiam propriam in genere, necessum est, vt semper apponantur causæ efficientes, eo quia si per definitionem essentia rei traditur, & essentia doloris est dependentia a causis efficientibus, quis non videt ad declarandam hanc essentiam necessario semper apponendas esse causas effectrices?

Dolor fit a solutione cõtinui, vel mala intemperie, vel vtroque.

Neque valet huiusmodi definitionẽ vitiosam esse, quia tradatur per plures causas, & constitutum sit apud Philosophos, vnius rei vnam esse causam, & e conuerso. Nam id quidem verissimum est: veruntamen intelligere oportet varietates, quia vbi effectus videtur vnus, cum tamen sit specie diuersus, iure fit, vt possit plures causas habere, & ideo, quia dolor videtur quidem vnus, sed specie non est vnus, ea propter fit, vt habeat plures causas, quod dolor non sit vnus, docuit Galen. 2. de loc. aff. 5. vbi scribit, duas esse primas species doloris: scilicet eam quæ fit ab intemperie, & eam quæ fit a solutione continui.

Obiectio soluitur, quod sc. vnius rei una sit causa.

Itaque definitio, quam attulimus, Doloris, hunc in modum firma, & rata sit, quare concludentes dicimus, Dolorem esse symptoma in genere actionum læsarum depravate, eosque vehementer falli, qui putarunt dolorem quartum quoddam symptomatum genus esse, non aduertentes Galenum, aut alium vllum fide dignum auctorem nusquam meminisse nisi trium symptomatum generum, eaq; sola tria reperiri confirmasse vbique. Sed cum symptomata immediata oriantur a morbo immediate, atque morbi sese habeant, ad actiones læsas vt causæ, videndum nunc est, qui sint morbi illi, qui sunt causæ doloris. In hac re fuerunt variæ sententiæ.

Quos morbos sequatur dolor.

Non defuerunt, qui existimarent, morbum siue causam doloris esse putã, & vnicã continui solutionem. Huic sententiæ fauet ratio, sed fauent etiã multorũ Medicorum auctoritates, Ratio pro hac sententia est, quod dolor, vt heri intellexistis, fit subito, sed solutio continui fit subito, non autem mala intẽperies. Igitur rationi consonũ videtur continui solutione, non ab intemperie fieri dolorem. Quod autem intemperies subito non fiat, testem habetis Galenum in fine 2. de sympto. causis, vbi scribit, nullam intemperiem fieri subito, sed tantum in tempore.

Diff an a sola cõtinui solutione fiat dolor, vel etiã a mala intemperie.

Auctoritates quæ fauent huic sententiæ, complures quoque sunt. In primis est Arist. qui sexto Topicor. cap. 3. & 5. problemat. 26. explicatissimis verbis dicit dolorem fieri, quando continuum dissoluitur. Sed quod magis est, Galenus quoque videtur huius opinionis fautor extitisse. nam de inæq. intemperie 6. manifeste scribit ex sententia Hip. omnes morbos vlcera esse, & propterea dolorem etiam vlcus esse, & consequenter solutionem continui.

Pars affirmans fieri a sola cõtinui solutione. Prob. Rat. Auctorit.

Præterea quarto de simp. med. ait, Calidum & frigidum dolorem efficere, vel diuellendo, & distrahendo, vel condensando nimis, atque compingendo, continuitatem dissoluunt. Item 1. de sympt. causis cap. 6. ex Hipp. sententia videtur probare, dolorem fieri dum rumpuntur, & soluuntur corporis partes; 3. quoque de fracturis com. 34. volens probare, quomodo ab Hipp. vere dictum sit omnes morbos esse vlcera, videtur afferre quaslibet, vel repentinas mutationes intemperatura solutionem ipsam continui efficere.

Et hanc fuisse Galeni mentẽ clarissime scripsit Auer. 3. Collect. c. 31. & Auic. secunda primi doct. 2. cap. 19. necnon prima tertij, tract. 2. capite primo. His enim in locis & Auer. & Auicen. tribuerunt Galeno quasi senserit dolorem fieri a solutione continui.

Ex altera parte fuerunt, qui opinati sunt, non continui solutionem, sed malam intemperiem esse doloris effectricem. Huius opinionis princeps fuit Auer. loco citato, qui duabus rationibus aduersus Galenum, & Auicennam disputauit, dolorem non a continui solutione, sed ab intemperie subito inducta fieri. Prima ratio fuit, tactum, atque alios sensus moueri tantum a proprijs obiectis, sed proprium obiectum tactus sunt qualitates elementorum, igitur in-

Prob. rat. 1.

quit Auer. nõ potest tactus moueri immediate & proprie ab alio obiecto, quam ab his qualitatibus, & cõsequenter ab intẽperie: continuitas, inquit Auer. est quidẽ etiã obiectũ tactus, sed obiectũ cõmune, quod non mouet nisi virtute proprij obiecti. Alia ratio fuit, dolorẽ fieri eo pacto, quo fit voluptas. Sed voluptas nõ fit ab vnitate, igitur dolor non potest fieri a solutione vnitatis.

Auctorit. Hæc Auer. sententia non caruit quoque fautoribus. In primis videtur hanc sententiam laudasse Hippocrat. qui 1. de nat. hum. docet, dolorem fieri ob alterationem factam a calido, frigido, & reliquis qualitatibus.

Plato quoque Hippocratis sectator in Philebo manifestissime videtur tribuisse doloris generationem solis elementorum qualitatibus. Sed hanc opinionem nonnullis visus est etiam Gal. sequi, quippe in art. med. 80. 17. meth. 7. & alijs in locis dixit fieri dolorem propter frigus, propter calorem, & alias qualitates. In hac ingeniorum dissensione fuerunt alij viri, qui vt tollerẽt difficultates, dixerunt malam intemperiem posse capi dupliciter, vel seiunctam a continui solutione, vel non seiunctam. Si seiuncta, nunquam posse facere dolorem: Si autem capiatur coniuncta, dicunt rursus aut ipsam per se facere dolorem, aut facere per solutionem continui. Atq; *Auctoris iudicium.* hac distinctione putant se tollere omnes difficultates, & contradictiones. Ego puto alia ratione, & multo melius dirimi posse has discordias, si conuertamur ad naturam rei, nam, vt heri audiuistis, essentia doloris est, vt sit alteratio corruptiua, igitur quicquid potest corrumpere sensum tactus, consequenter potest inducere dolorem, corrumpere sensum tactus æque potest solutio continui, atque mala intemperies, quoniam si quis acutissimo ferro percutiatur, statim ab accepto ictu, dolore afficitur, & tamen dicere non possimus tunc adesse intemperiem.

Hoc arbitror intelligere voluisse Auicennam, quando loco citato scribit, dolorem fieri a re contraria sensus tactus, & iure dixit a re contraria, quia cum sensus tactus sit propagatus per omnes corporis partes, sicut partes corporis constituuntur per temperiem & per vnitates, pari pacto dissoluitur natura, tam per continui solutionem quam per malam intemperiem, & pro *Prob. auct.* pterea cum hoc vidisset magnus Auicen. nõ dubitauit asserere, dolorem fieri tum a solutione continui, tum etiam a mala temperie. Hanc opinionem libenter ego semper secutus sum, quoniam mihi persuadeo. Galenum aliter neque sensisse neque sentire potuisse. Et quod hæc fuerit Galen. sententia, videre illum in 1. Epid. Com. 2. tex. 10. vbi dicit. In ea tempestate morbos fuisse sine dolore, quia vacarent vtraque causa doloris affectrice, corporum solutione, & mala intemperie. secundo de loc. affec. cap. 5. scribit, vbi partes aliquæ inflammantur, dolere, nõ solum quia intemperie affectæ sunt inæquali, verum etiam quia partes inflammatæ diuelluntur. similiter 6. de loc. affec. cap. 1. ait in colico dolore spiritum flatuosum retentum duplici ratione dolorem inducere, ob intemperiem scilicet, & corporum tõsionem. 5. de loc. affec. cap. 7. inquit multas dispositiones comitari dolores, & propterea cogitandum, an inflammatio, an vlcus dolorem faciat; subiungit deinde, quod inæquales intemperies dolorẽ sæpenumero excitare solent, similiter & spiritus crudi, flatuosique copia, qui arctatus partes ipsum ambientes distendit 12. Meth. c. 7. postquam Asclep. opinionem refutauit, subiungit hoc pro confesso principio sumendum esse, quod affectus, qui dolorem excitet, vel diuisio, vel alteratio sit 2. de ratione vic. in acut. text. 1. ait se definiuisse, quod Dolor sit mutatio subito facta ad id, quod præter naturam in corporibus sensibilibus, quę mutatio duplex est, vel dum secundum qualitatem mutatur corpora, vel dum continuitas soluitur, nec valet, intemperiem facere solutionem & ob id esse causam doloris, quia nugaretur Gal. sic loquẽdo, vnde vt hoc obiter dicam, falsum est quod scribit Rabbi Moyses 25. Aphor. Gal. primo credidisse solam diuisionem facere dolorem, deinde pœnituisse. Præterea, lib. de oculis cap. 3. ait, Dolor duobus modis fit, subita qualitatis mutatione, & iunctutæ solutione. Libro de inæquali intemp. cap. 3. etiam manifestissime docet ex sententia Hipp. dolores fieri dum alteratur, & corrumpitur natura, eam vero alterari & corrumpi, cum vel nimis calefit, aut frigefit, aut siccatur, aut humefit, aut humiditas dissoluitur. Multos alios locos adducere possem, quibus Gal. clare monstrat se putasse dolorem effici ab vtraque causa. Ne sileam Aetium, qui cum omnia mutuetur a Gal. dixit lib. 5. cap. 100. esse subitam temperamenti mutationem συνεχείας λύσιν μελέτην. quid vero sit μελέτη apud Aetium potest conijci ex eo quod in cap. de incubo lib. 6. cap. 12 ait quod ἐφιάλτης οὐκ ἔστι δαίμων, ἀλλὰ μελέτη, καὶ προοίμιον τῆς ἐπιληψίας Et Rhasim, qui 25. Cont. cap. 6. hanc veluti Gal. opinionem amplectitur.

Refut. 1. opi. Sed, vt eo vnde digressi sumus, reuertatur oratio nostra, quid dicemus & ad Auer. & ad alios? Primum quod spectat ad priorem sententiam, fatcor verum esse, continui solutionem fieri subito: Sed non negandum est, intemperiem fieri posse subito. Quia duplex est intemperies apud Philosophos & Medicos, alia est in habitudine, alia est in habitu: intemperies in habitudine fieri potest cito, vt Seneca docet, sed intemperies in habitu minime fit subito, & Galenus, quando scripsit, nullam intemperiem fieri subito, loquutus est de ea, quæ in habitu.

Ad auctoritatem Hippocratis, & Auerrho. respondetur hos quidem loco citato confessos esse, fieri dolorem a solutione continuitatis, sed non ideo negasse, quin etiam fiat a mala temperie. Nec est quod aliquis obijciat malam temperiem facere quidem dolorem, sed inducendo continui solutionem, quoniam non est verum, omnem intemperiem facere continui solutionem, sed tantum quæ diu durat, atque hoc euidentissime propositum est a Galen. de inæq. intem. 6. & ab Auerrh lib. 1. tract. 9. cap. decimonono, vbi scribit intemperies, quæ faciunt continui solutiones illas esse, quæ durant, non sunt recentes.

Ad Auer. autem, qui felicissime semper disputauit aduersus Medicos, quid dicemus? Du-

pliciter

pliciter respondet: vno modo potest illud, quod alterat tactum, non esse simpliciter obiectum proprium, sed esse res contraria. Imo Aristot. 7. Ethic. manifestissime dicit, dolorem fieri ob alterationem tactus a re contraria, quare dum Auerr. dicit moueri tantum tactum a qualitatibus elementorum, decipitur secundum Medicos; quia læditur tactus a re contraria. Iam autem vt audiuistis, contrariatur tactui non minus continui solutio, quam mala intemperies. Alio modo respondeo, possunt scilicet obiectum ipsius tactus, vt docuit Aristot. 2. de anima, non esse tantum qualitates elementorum primæ, verumetiam durum, molle, asperum, tenue, leue, hæc enim sunt obiecta, quæ non minus mouent sensum tactus, quã calor, frigus, humiditas, & siccitas. Iam autem solutio continui, etsi non proprie reducatur ad primas qualitates, reducitur tamen ad durum, & ad asperum; quia illud quod continuum dissoluit, semper id facit propter aliquam resistentiam, quæ est inter agens, & patiens, resistentia præsupponit duritiem, itaque vbi adest aliqua continui solutio, intercedit semper eo aliqua durities, ita vt possim dicere aduersus Auer. solutionem continui numerari posse inter obiecta tactus propria.

Refut. 2. opin.

Tactus non mouetur ab obiecto tantũ proprio, sed & a contrario.

Constat igitur ex illis, quæ hactenus docuimus, veritatem hanc esse, quod dolor fiat ab intemperie, & a solutione vnitatis. Sed vt hæc tractatio absolutior reddatur, duo adhuc supersunt examinanda, priusquam dolorem capitis aggrediamur. Vnũ erit, an omnis intemperies faciat dolorem, alterum an præter intemperiem, vnitatisque dissolutionem, reperiatur aliquod aliud, quod efficiat dolorem? Circa primũ constituendum hoc est, intemperiem æqualem non facere dolorem, sed tñ inęqualem. Ratio, pp quam ab intemperie ęquali non fit dolor, hęc est, quia tametsi facultas cognoscitiua etiam in hac intemperie sit prompta; attamen non fit in corpore alteratio, sed facta est. Dicebat autem Gal. & prudenter 1. de symp. causis dolorem esse suum habere in generatione. Alia etiam est ratio, quoniam si debet fieri alteratio, debet adesse, & alterans, & patiens inęquali intemperie, non est quod patiatur; quia simile a simili nihil patitur, & Domini puto ego hanc esse veram causam, cur sit, quod ea quę pręcognoscuntur, & pręuidentur, minus doloris afferant, quam improuisa, siquidem vbi pręcognoscit animus causas doloris futuras, ita corpus disponitur, vt simile quodam pacto reddatur rebus dolorificis, siue intemperiebus; & propterea aut nihil, aut parum patiatur, sed hic est nonnihil dubitationis, quia non videtur verum, res pręuisas minus molestię afferre: quandoquidem Alex. 1. proble. 77. quęrens, cur res improuisę minus doloris afferant, inquit hoc ideo esse; quoniam animus in alijs rebus occupatus minus percipit, quę sibi insperato contingunt. Vt ex hoc scriptore manifeste appareat, rem habere secus, quam dixerim: sed soluere oportet hunc nodum ita, vt dicamus, res dolorificas considerari posse, vel secundum impressionem, quã faciunt in corporibus, vel considerari posse secundum cognitionem, & secundum animi circa ipsas operationem.

Diff. An omnis intemperies causet dolorem. Inæqua lem tãtum, nõ æqualem intemperiẽ causare dolorem.

1. Rat. 2.

Cur quæ præuidentur minus doloris afferant.

Si considerentur secundum alterationem, certe res præuisę minus doloris afferunt: & ratio est, quia huiusmodi præcognitio disponit corpora ita, vt minus patiantur. Vbi n. animus in alijs occupatus, vertitur circa res dolorificas, minus eas cognoscit, & ex hac minori cognitione, quãtum sit ex parte ipsius, minor videtur esse dolor. Contra autem interdum contingit, s. quod corpora minus ab animo gubernata magis afficiuntur a causis dolorificis, quæ etiam est ratio, propter quam noctu dolores magis exercent, quia interdiu animus in alijs occupatus minus versatur circa res dolorificas, sicut noctu e conuerso minus occupatus, magis versatur circa dolorem: propterea ratione cognitionis multo maior est noctu dolor quam die. Cum ergo inæqualis intemperies sit ea, quæ facit dolorem, de hac dubitatum inuenitur apud scriptores, vtrum omnis hæc intemperies faciat dolorem? Hippoc. lib. de nat. hum. & de loc. in homine disertissime dixit, fieri dolores, cum corpora calefiunt, frigescunt, siccantur, atque humectantur, adeo vt nullam reliquerit Hippoc. intemperiem, quam non agnouerit auctorem doloris.

Dubium. An improuisa, vel præuisa plus doloris inferãt: Cur noctu dolores magis exerceant quam interdiu.

Auicenna tamen secunda primi, doct. 2. cap. 19. voluit ab humida intemperie nunquam fieri dolorem, sed tantum a calida, a frigida, & sicca. Quam sententiam videtur quoque sectatus Aegineta lib. 3. Galenus autem in hac re decernenda videtur mihi satis dubius. Nam lib. secundo de med. loc. primo voluit dolorem fieri magnum a calido, & a frigido, moderatum a sicco, ab humido nullum. Ceterum in art. med. cap. 80. & 2. acut. 1. voluit dolorem fieri ab omni intemperie, etiam ab humida.

Primo autem de sympt. caus. 6. & 12. meth. 7. videtur voluisse dolorem fieri tantum a frigida, & a calida intemperie, adeo vt varius omnino hac in re videatur. Nonnulli, qui gustarunt hãc difficultatem, & præsertim Fuchsius in com. ad primum lib. de causis sympt. ingeniosissime excogitarunt rationem hanc veritatem conciliandi: dicentes, intemperiem vel solam esse, vel cõiunctam cum humorib. De coniuncta intemperie non loquendum est. Quoniam a nemine dubitatum est, quin omnis huiusmodi intemperies dolorem faciat: sed de simplici dicunt ita esse decernendum, quod calida, & frigida, per se, & immediate faciant dolorem: sicca dolorem faciat tantum per accidens, hoc est pp solutionem continui, quam inducit: de humida dicunt, eam neque per se, neque per accidens dolorem inducere. Sed quamquam hæc responsio speciosa sit, non tollit tamen oẽm dubitationem, primo, quia Gal. ubi scribit dolorem fieri etiam ex nimia humectatione p. d. loquitur de simplici intemperie, non de mixta cum humoribus.

Fuchsius.

Refutatur.

Ad hęc nihil iuuat, si peripatetice loquamur, facere huiusmodi distinctionem, quoniam apud Aristo. nulla inuenitur intemperies humida sine humore. Et quod ita senserit magnus Aristo. potestis facile comprehendere ex ijs, quæ scripsit 2. de anima 113. ubi scribit humidum non reperiri sine corpore.

Quam veritatem etiam nobis scriptam reliquit 25. problem. 4 10. & 12. in quibus quærens rationem admirabilis Philosophus, propter quam cetera corpora contactu aquæ humescunt, aer autem non humescit, respondet hoc euenire, quoniam reliqua corpora attrahunt in sese aquam, & sic humectantur: aer autem non attrahit aquam.

Auctoris iudicium.

Ex quibus verbis colligi debet, corpora ideo humida appellari, quia repleta sunt, aut saltem infecta aqua. Igitur multo melius dicetur, Galenum quandoque locutum esse secundum rationem, quandoque vero secundum sensum. Si loquamur secundum sensum, sane etiam humida intemperies facit dolorem, sin autem secundum rationem, non facit dolorem humida intemperies, quia non reperitur, & si reperiretur, non tamen ageret. Vnde non possum assentiri Auer. qui 3. coll. 31. dicebat, omnes qualitates agere, & pati, sed aliquas magis agere, aliquas magis pati, & in postremis esse humidam qualitatem, quasi vero secundum ipsius sententiam, & intemperies humida dolorem facere possit. Circa secundum sunt aliqui recentiores, qui putant aliqua esse dolorem efficientia, quæ non possunt reduci neq; ad intemperiem, neq; ad solutionem vnitatis, exemplum adferunt de neruo denudato, qui, si a pilo vel tantillum tangatur, dici nō potest, quam ingentem dolorem excitet. Pari pacto dicunt de partibus inflammatis.

An præter supra dicta duo inueniatur tertium, quod causet dolorem.

Et, quod magis est, addunt reperiri quædam, a quib. dolor inducitur sine intemperie, & sine continui solutione. Dicendum est huiusmodi dolores non fieri a noua, & arcana aliqua causa, sed fieri a solutione continui, quæ solutio reducitur, seu potius dependet a duritie, & asperitate, quæ sunt, vt heri audiuistis, obiecta tactus, nam contactus pili in parte inflammata, & neruo denudato, etiamsi minimus sit, tamen propter insignem partis sensibilitatem habet rationem magni agentis, adeo vt aliquam continui solutionem faciat, & propterea dolorem.

Differentiæ doloris. Archig. curiosæ nimis differentiæ.

In doloris differentijs tradendis Archig. vsque adeo curiosus, & superstitiosus extitit, vt non erubuerit etiam secundum sapores differentias dolorum producere, dum dixit alios dolores esse dulces, alios ăcidos, alios amaros, & huiusmodi nugas alias. Auic. quoque nimis diligens fuit in tradendis doloris differentijs.

Hinc Gal. 2. de loc. aff. conatus est confutare hanc diligentiam Archig. quia non est possibile neque ex parte ægrotantis, neque ex parte Medici tot doloris differentias proponere, non ex parte ægrotantis, tum quia mollities animorum ægrotantium hoc non permittit, tum quia ægri non habent vocabula accommodata huiusmodi differentijs, tum maxime, quia dolores quidem indicibiles, & inenarrabiles contingunt: ex parte etiam Medici inquit Galen. fieri non posse, vt tot differentię doloris inueniantur, quia necessum esset, vt Medicus omnes dolores experiretur, quemadmodum dicebat Plato 1. de legibus, optimum esse, vt Medicus omnes morbos experiretur, quia sic posset certiorem cunctorum cognitionem habere. Quare, inquit Gale. multo melius est, differentias omnes doloris reducere ad pauca quædam capita; quæ sunt quatuor: dolor pungitiuus, dolor grauatiuus, dolor tensiuus, & dolor pulsatorius. Nam pungitiuus ille dicitur, qui sensum affert veluti rei alicuius pungentis, siue corrodentis. Grauatiuus autem ille appellatur, qui patientibus infert sensum veluti oneris alicuius grauantis, cuiusmodi dolor reperitur in omnibus corporibus, siue corporis partibus repletis. Tensiuus, in quo sensus percipitur veluti rei cuiusdam extendentis, cuiusmodi dolores fiunt in tormento colicorum, vel a flatu, vel ab humoribus modo intestina, modo stomachum distendentibus, quem dolorem dicebat Auerr. esse maximum omnium dolorum.

Quatuor dolorum capita ex Gal.

Pungitiuus, Grauatiuus. Tensiuus.

Pulsatorius.

Postremo est dolor pulsatorius, qui est sensus veluti rei cuiusdam pulsantis, quod genus doloris efficitur in partibus inflammatis.

Cum omnia, quæ faciunt intemperiem, aut continui solutionem, sint causæ doloris, non est opus, vt de causis vniuersaliter, quæ faciunt dolorem, verba faciamus: & ideo me confero ad capitis dolorem.

CAPVT III.

De dolore capitis.

Nomen.

VT capitis dolor exacte cognoscatur, scire oportet, dolorem omnem capitis aut esse recentem, aut vetustum. Dolor recēs a Græcis communiter appellatur Cephalalgia, Arabes appellant modo nomine Græco, modo sodam. Nos Latini semper vocamus capitis dolorem. Ceterum, si hic dolor occupet vnam tantū capitis partem, vocatur Græce Hemicrania. Aretæus Medicus antiquissimus lib. 5. de mot. chronicis vocat sua lingua Heterocraniam.

Si morbus sit vetustus, & vnam capitis partem occupet, vocatur & ipse Hemicrania. Sed si totum caput occupat, nuncupatur Cephalea: nam hoc voluit significare Aretæus, quando dicit Cephaleam esse inueteratum capitis dolorem. Celsus lib. 4. c. 2. scripsit nomine Cephaleæ significari quemlibet dolorem capitis pestiferum, & prauum. Auic. & omnes Arabes huiusmodi vetustum dolorem varijs nominibus appellarunt, scilicet vocarunt clauum, modo Nucem, modo Galeam, quo spiritu hęc nomina inuenerint, ipsi norint, Illud certiss. est, tum dolorem recentem, tum vetustum, vel fieri essentialiter in capite, vel per consensum ab alijs membris. Et qui fit per consensum, aut fit a ventriculo, aut ab intestinis, aut a liene, aut a iecore, aut ab vtero.

Locus affectus.

Locus affectus, aut est intra cranium, aut extra cranium.

Locus affectus intra cranium, vel est membrana, vel arteria, vel vena. Extra cranium vel est pericranium, vel cutis, vel musculi, vel nerui, vel arteriæ. Nam Auicenna prima tertij tract. 2. in fine cap. 1. scribit, dolorem capitis, vt plurimũ fieri, quia arteriæ ad ipsum mittunt vapores fraudulentos. Sed, priusquam vlterius progrediamur, eximendus est ex animis vestris quidam scrupulus, scilicet, vtrum dolor capitis fiat etiam in substantia cerebri, nam si videatis, quæ scribit Gal. lib. 2. de medicamentis loc. 1. manifestissime docere videtur, etiam in cerebri substantia fieri sensum, & consequenter dolorem.

Ex altera parte est auctoritas Arist. 2. de part. animal. 7. est etiam auctoritas Gal. passim in lib. de vs. part. de plac. Hipp. & Plato. ac. 1. de causis symptomatum vltimo: qui omnes disertissime scribunt cerebri substantiam expertem esse sensus tactus, & propterea expertem doloris. Dicendum est in hac difficultate cerebrum vel capi posse pro pura, & nuda eius substantia, vel pro ipsius substantia membranis amicta.

Resolutio.

Si primo modo capiatur cerebrum caret dolore: q̃m omnino caret sensu tactus. Ceterum si capiatur secundo modo, particeps est cerebrum doloris, quia particeps est sensus tactus. Igitur q̃n Gal. tribuit sensum, & dolorem cerebro, loquitur de ipsius substantia mẽbranis coniuncta.

Sed quid dicemus ad locum de comp. med. sec. loc. Domini. Si videbitis Gal. recenter excusum, ad marginem est notata correctio illius loci secundum antiquum interpretem: nam vbi vulgatus codex habet cutis, & cerebrum, legere oportet cutis cerebri.

Morbi, a quibus dependet hoc symptoma, vt audiuistis, sunt modo intemperies, modo continui solutio, modo vtraque simul.

Causæ vero horum morborum aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Et internarum aliæ sunt immediatæ, aliæ sunt mediatæ naturales, aliæ vero mediatæ præternaturales.

Causæ.

Causæ internæ immediatæ vel sunt vapores, vel sunt humores. Auic. loco nuper citato ca. 3. præter humores, & vapores inter causas internas immediatas reposuit quoque vermes, quasi ex sententia Indorum possint in capite humido produci vermes, qui dolorem capitis faciãt. Est & ratio, quæ huic sententiæ fauere videtur, quia in Capite potest pituita putrefieri, vt in lethargo, & ex illa gigni vermes. Præterea etiã gignuntur in pulmone secundum Alzaranium de tussi, generantur in dente, gignuntur in renib. in vasis seminarijs, vt narrat Plutar. in sympr. de quodã Ephebo Atheniensi, ergo etiam possunt in capite gigni: adest quoq; experientia: q̃n scribit Cõciliator in capitibus arietum se vidisse. Est, & Oraculum datum Democriti Atheniensi, de quo scribit Alexander Trallianus capite de Epilepsia circa finem. Ex altera parte est Rhasis, qui hoc videtur negare, est & Ratio: quia si non fiunt in ventriculo, vt scribit Arist. 4. Meteor. ca. 3. tanto minus in cerebro. Domini, vt dicam meam sententiam, vix possum credere fieri vermes in Capite, quod si fiant, locus erit prope colatoria nasi: nam quod in pulmone, & iecore nascantur, non est difficile creditu, quando putrefieri pulmones, & homines viuere videmus, at id de cerebro dicere non possumus: pituita putrefit in capite, sed alio genere putrefactionis. Humores, qui faciunt hos morbos, sunt omnes: nempe sanguis, pituita, & vtraque bilis, qui partim sola quantitate, partim sola qualitate, partim quantitate, & qualitate dolores faciunt. Causæ internæ mediatæ, & naturales sunt complexiones, scilicet nimium calida, & nimium sicca dispositio ipsius cerebri, & capitis. Scribit enim Auic. eos, qui habent caput nimium sensibile, & debile, doloribus facile tentari, & Rhasis ex sententia Iodæi inquit eos doloribus capitis esse obnoxios, qui pollent odoratu, & qui membra coctioni destinata habent debilia. Causæ mediatæ præternaturales sunt inflationes viscerum, obstructiones, retentiones mẽsium, hæmorrhoidum. Causæ externæ sunt omnes res non naturales vocatæ, in primis est aer nimium calidus, nimium frigidus, & nimium siccus, vnde ignis, sol, & venti facile dolorem capitis inducunt. Sic quoque dicebat Hipp. 3. aph. 23. Hyeme dolores capitis fieri. Scribit idem Hippoc. 3. aph. 13. si æstas sicca fuerit, & aquilonia, autumnus vero humidus, & austrinus, dolores capitis fieri.

Internæ immediatæ.

Vermes possunt causare dolorem capitis.

Causa interna mediata eaque naturales.

Preternaturales.

Causæ externæ.

Cur, si æstas sicca, & aquilonia, aut ũnus humidus & austrinus, dolores capitis fiant.

Et huius rei causam reddens Aristo. 1. probl. 10. dicebat, hoc in casu cerebrum repleri multa humiditate, quam cum non possit conuertere in pituitam, partim demittit in pectus, vbi facit tussim, & anhelitus difficultatem, partim autem retinet in capite, & dolorem inducit. Somnus nimius, nimiæ vigiliæ similiter hunc dolorem faciunt, nimij labores corporis, nimia quies, immodica studia, & immodicæ curæ animi sunt quoque causæ doloris capitis, sunt percussiones, casus, & nimia integumenta capitis. Auicenna etiam inter causas numerat coitum, quia & nimia abstinentia, & nimius vsus confert ad dolores capitis faciendos; Sic repletiones, crapulæ, vsus vini meracioris. Et Auicenna scribit, ieiunium quoque, cum nimium existit. Sunt etiam aliqua, quæ Scriptores narrãt proprietate quadam hunc dolorẽ facere; veluti Gal. 2. med. secun. loc. narrat de dactylis, quos scribit proprietate quadam facere; Cephalalgiã Hippo. 5. aph. 28. tribuit hoc quoque aromatibus, & inter aromata præcipuũ hoc vitiũ est in croco, & myrrha. Aetius oliuas nigras et damnat tãquam dolorem capitis efficientes. Multa quoq; a Rhase memorantur, vt grana sabinæ, grana vocata paradisi. Hæc enim omnia referuntur proprietate quadã capitis dolorem inducere. Qui dolor, vt cognoscatur, non est opus signis, quia per se notiss. est. Vnde mirari soleo, vt hoc obiter dicam, quod Plutar. in lib. de morbis animi, & corporis, inter morbos, qui non sentiuntur, dolorem capitis connumeret; nisi dicere placeat, quemadmodũ ego puto, locum illum esse mendosum, & non Cephalalgiam, sed Paraplegiam esse legendum.

Dactyli proprietate causant capitis dolorem.

Crocus, myrrha, oliuæ nigræ.

Grana sabinæ.

Grana paradisi.

Locus Plut. emendatus.

Sed cum non opus sit signis pro cognoscendo hoc symptomate, ea sunt perquirenda tantum, vt cognoscatur locus affectus, & cognoscantur causæ. Dicebat enim Galen. 2. de Comp.

Signa. Signa loci affecti capitis per essentiam. Cranij. Pericranij. Cutis. Arteriarũ. Venarum.

med. secund. loc. quod difficilimũ est intelligere an vna vel plures partes laborent, & quæ sint illæ, quæ afficiuntur, immo & dispositionem ipsam qualis sit: atque hæc egere viro exercitato tum in Ratione, tum in historia, tum in assidua ægrorum consuetudine: si quidem aliquas est inuenire ægrorum indicibiles proprietates, aliquas quæ difficiliter dici queunt, nec ab vllo noscuntur, quam ab illis qui sæpissime ægrotantem viderint. Quare si dolor fiat intra cranium, cognoscetis, quia quicũque sit, pertingit semper ad radices oculorum; & si fiat in membranis, dolor est veluti alicuius rei pungentis; si fiat in venis, & arterijs, dolor est veluti alicuius rei extendentis. Si dolor efficiatur extra cranium, non pertingit ad radices oculorum. Et si fiat in pericranio, dolor profundus est, ita, vt a manu contrectante dolor nõ exacerbetur: sed si fiat in cute, cognoscitur, quia minima manuum contrectatione dolor augetur. Quod si fiat dolor in arterijs, pulsatorius est, & percipitur circa caput, & præsertim circa tẽpora veluti pulsatio; quemadmodum si fiat dolor in venis, extensionis imaginem quandam repræsentat.

Signa causarum externarum. A caliditate. A frigiditate. A siccitate. Ab humoribus. A sanguine. Cur ex Hip. sanguis si in caput efferatur, visũ hebetet.

Causæ externæ cognoscuntur relatione ipsorum ægrotantium, & adstantium. Ceterum causa calida cognoscitur, quia vbi dolor ab hac intemperie efficitur, semper acerbissimus est, in capite sensus caloris percipitur: præcesserunt semper causæ calefacientes, aut insolatio, aut victus, & vsus rerum calefacientium.

Adhæc semper frigidorum administratio iuuat: contra, si fiat a causa frigida, dolor cognoscitur, quoniam etiam ab hac intemperie fit dolor magnus, percipitur in capite frigiditatis sensus. Si oriatur a siccitate dolor, qui moderatus esse solet cognoscitur tum squalore totius corporis, tum siti, tum maxime, quoniam aliqua causa exsiccans præcessit, vt coitus, aut vigiliæ, quamquam Rhasis ex sentẽtia Aristotelis in prob. putat vigilias facere Zodam, quia cibus non coquitur, & vapores in caput feruntur, quod etiam Cassius videtur innuisse prob. 24. vbi ait vigilias facere dolorem capitis, & somnum, quia hic replet caput inhibita transpiratione, illæ vero subtiliant humores, & corrumpunt cibos, vnde plures, & acriores fumi in caput feruntur. Ceterum si fiat non a pura intemperie, sed ab humoribus, dolor cõtinuus est, & magis firmus, potiusque grauatiuus quam alterius generis. Sed in his doloribus non parum est discriminis, quandoquidem si nascatur a sanguine, per vultus ruborem, & per indicia dominãtis sanguinis percipitur, in capite calor, & veluti intolerabilis quædam plenitudo est. Hipp. a pror. scribebat sanguinem, vbi effertur in caput, id quoque habere, vt visum hebetet. Cuius rei rationem reddens Cassius 71. problem. dicit, hoc ideo contingere, quoniam huiusmodi corpora confertissimis vaporibus abundant, qui spiritus visorios mirum in modum violant, & conturbant.

A bile.

Si fiat dolor a bilioso humore, vigiliæ adsunt, amaror in ore, dolor quoque acerbissimus, & veluti acus pungentis. Ad hęc ætas iuuenilis est, temperamentum biliosum, & victus præcessit bilis ferax. Si fiat ab humore melancholico, dolor grauatiuus est, & pertinax propter humoris crassitiẽ, & mœrores, & tetræ cogitationes adsunt, habitus corporis, & temperies melancholica.

A materia. A pituita.

Notãt aliqui ex Arabibus, & bene, plerumque hunc dolorem exercere partem sinistram capitis, & iure, quoniam humor melancholicus, qui recipitur in liene magis multiplicatur in sinistro latere. Ceterum, si fiat dolor a pituita, vt plerumque contingere solet, dolor quoque grauatiuus est, mucus copiosissimus effluit e naribus, dolor torpidus est, non vsque adeo acer, temperamẽtum frigidum & humidum, & quod magis est, præcessit semper generatio pituitæ. Quod

A vaporibus.

si dolor oriatur a vaporibus, vbique duo potissimum indicia habentur, vnum est hũc dolorem vagum esse, quippe qui modo vnam, modo alteram partem turbet. Alterum est, quod si remedia discutientia adhibeantur, semper iuuamentum afferunt. Hic animaduertendum, quæ hactenus posui signa, ea esse quæ dolorem indicant per essentiam in capite factum: fit, vt diximus etiam sæpe ex consensu aliarum partium, quare necessum etiam signa quędam habere, quibus hoc valeamus cognoscere. Sunt enim secundum Auic. p. 3. trac. 2. c. 6. octo membra, quæ capiti dolorem communicant, Vterus, myrac, siue pãniculus ventris exterior, iecur, lien, renes, diaphragma, dorsum, extremitates omnes, vt pedes, & manus podagra laborãtes, vel alioquin dolentes, illud commune fere est omnibus doloribus per consensum effectis, vt non iuges & continui existant, sed intermissi, præterea in capite nulla sit causa efficiens, & prout locus, a quo fit dolor magis vel minus afficitur, sic caput magis minusue dolat, adiungit etiam Rhasis, quod primo dolet locus affectus, deinde caput. Itaque si in ventriculo sit causa, cognoscemus ex ipso ventriculo male affecto, in quo si humores adfuerint in caput vapores mittentes, ieiuni magis laborabunt, & vt ait Aetius, similia suffusis patientur, nisi cibentur. Sin debilitas concoctricis, magis saturi, sed hic notandum, quod monuit Auic. sæpe etiam, capite per essentiam dolente, ventriculum male affici, vnde maxime studendum cognoscere, quis prior fuerit dolor. Sed dicetis, quomodo hoc cognoscemus? Quatuor modis inquit Auic. vnus est diuersitas dispositionis capitis in stomachi digestione, vel indigestione. Secundo, diuersitas doloris stomachi, & doloris capitis in vacuitate, & repletione. Tertio est qui vomitu egreditur, quo exeunte si cesset dolor capitis, a ventre est. Quarto est diuersificatio dispositionis in dolore, prout ad stomachũ ab alijs membris fluunt humores. Quare in his casibus diligenter debetis percunctari, quæ pars in corpore ante hunc dolorem aliquid passa sit; Quoniam vbi aliqua pars huiusmodi reperitur semper solent morbidi humores in hanc partem terminari, atque ibi morbũ figere. E.g. si mulier vobis contingat laborans capite, & percunctata dicat sese antea doluisse secundum stomachum, debetis potius suspicari, dolorem proficisci a ventriculo, quam ab vtero, etiam si plerũque dolores mulieribus solent oboriri vitio vteri. Et quod dixi vobis de vna parte, debetis existimare

stimate, dictum esse de omnibus partibus. Si fiat dolor a causis externis, cognoscemus semper ex relatione ipsiusmet ægrotantis, nec non assistentium. Et in hac re debetis esse valde solertes & diligentes, scilicet vt interrogetis ægros vestros de omnibus externis causis, quæ sunt sex illæ res non naturales.

A causis externis.

PROGN. Omnis dolor capitis valde metuendus est, præsertim si perduret, quoniam vt Hipp. d. in lib. de aff. solet huiusmodi dolor aut in cæcitatem, aut in melancholiam finiri. Et propter hoc dicere solebat Auerr. 3. coll. 31. illud genus capitis doloris, quod appellatur Ouum, esse difficile curatu, & maxime longum. Gal. 3. de sympto. 9. pulcherrimam nobis reliquit methodum curandi omnes dolores.

PROGN.

CVRATIO Dolores curãtur aut ipsismet sublatis, aut sublatione causarum, siue, vt ait ipse, sublatione affectus. Qui curantur sui sublatione, vel extinguuntur vera ratione vel falsa.

CVRATIO

Qui primo modo curantur, dicit Gal. tractari medicamentis vere anodynis, hoc est, calidis in primo gradu. Qui autem tolluntur falsa ratione, tolli medicamentis sensum stupefaciẽtibus.

Addatis vos huic discursui Gal. quod vbi dolor inducias trahit, nec perpetuus est, tunc pugnandum esse aduersus affectum. Vbi autem dolor continuus est, debet Medicus etiam remedia adhibere vere curatiua. Quod si dolor importabilis est, vt sine detrimento tolerari nequeat, tunc ceteris non conferentibus Medici confugiunt ad falsam curationem, id est, ad sensum doloris adimendum. Idem Gal. 2. de com. sl. totum hoc negotium curationis doloris capitis in tres partes distribuere visus est, scilicet in tractationem Cephalalgiæ, Hemicraniæ, & Cephalæ.

Nos quoque hunc ordinem sectantes incipiemus curationem a Cephalalgia, id est, dolore recenti. Nam vt scribit Aretæus primo Therap. diutur. pass. cap. 2. Caput quantum ad vitam necessarium est, tantum etiam cuiusuis morbus in ipso æstimandus est, quoniam & si principio mitis videatur, si tamen augeatur, finem lethalem acquirit, ex quo fit, vt paruos dolores summa diligentia curare debeamus, quippe qui leuibus medicamentis tolluntur, sed neglecti fiunt grauiores. Huius igitur doloris communis quidam victus sit, quem oportet ante cetera ægris præscribere. Igitur in quolibet capitis dolore fugere oportet omnem aerem tum immodice frigidum, tum immoderate calidum. Ventos, & præsertim austrum, cui Hippo. 3. aph. tribuit hoc velut peculiare, quod caput grauat, omnis strepitus aeris est inimicus docentibus caput; somnus in omni dolore conuenit, Sed qui fit post cibum, maxime fugiendus est. Tranquillitas animi & corporis in cunctis doloribus necessaria est. Et si quicquam procurari debet in hoc genere, est, vt aluus semper fluat, propter quod Archigenes 2. de compos. l. apud Gal. nil magis videtur commendasse in his casibus, quam clysteres. Parcitas cibi & potus, vt optime monuit Aretæus, vtilissima est in omni dolore. Neque negligendum est illud consilium Cœlij Aurel. qui præcipiebat, vt in dolore capitis cibi semper essent sorbiles, quia masticatio iure caput affectum magis offendit. Hæc sunt communia precepta in quocunque dolore capitis. Verum si fiat a calida causa in primis prospicere oportet, vt vniuersus victus refrigeratorius sit, propterea aer parandus est frigidus; fugienda sunt loca calida omnia, & præsertim fugienda hominum frequentia, quiescere oportet animo & corpore, abstinendum a vino, & pro cibo succus hordei, iura alterata cum lactuca, & endiuia, panis lotus secundum modum Auicennæ, & Oribasij.

Curatio cephalalgiæ.

Diæta.

Posthæc si dolor pergat, perueniendum est ad externa remedia refrigeratoria: quæ vt facilius applicentur, radendum est caput, aut vsque ad cutem tondendum, hoc enim fuit Cælij Aurel. prudens consilium. Hoc facto vtendum est perfusionibus & linimentis, quæ vim habent refrigerandi, e. g.

Perfusio refrigerans.

℞ Ol. rosat. omphac. ℥. ij.
decocti hederæ, lactucæ, semperuiui an. ℥ iiij. M.

Modus vtendi est, vt vel pannus lineus imbuatur hoc liquore, & capiti superponatur, vel accipienda est spongia, atque hoc eodem liquore imbuta exprimenda est super caput, & præsertim super suturam coronalem. Hæc perfusiones iuuant quidem, sed cum non ita diu det iuuamentum, solent vsurpari inunctiones toti capiti, vt hæc.

Linimentum refrigerans.

℞ Ol. rosat. omph. ℥. j.
Nenuph. ℥. ß.
Succi hederæ.
Lactucæ an. ʒ iij.
Ceræ q. s. Misce ad ignem, & f. linimentum.

Sed solet interdum causa effectrix huius doloris esse adeo potens & valida, vt necesse sit deuenire etiam ad frigidiora auxilia. Et memini me legisse in vita Auicennæ facta quondam a Sossano quodam, illum dum laboraret dolore capitis ex causa calida etiam niuem super caput suum apposuisse, & curatum esse. Quod tamen facile concedi posset in patria ipsius, quæ calidissima erat.

Curatio doloris capitis ab intemperie frigida.

Sed si fiat dolor ab intemperie frigida, contrarium facere oportet, scilicet victum instituere, qui calefaciendi potestatem habeat. Vnde in his casibus non solum aerem calidum procurare debemus, verumetiam conceduntur intus ea, quæ calefaciendi vim habent. Sed aduertere etiã oportet, in intemperie frigida non esse temere vtendum vel aromatibus, vel vino. Quia etsi hæc calefaciunt, tamen dicit Hipp. proprietate quadam semper dolorem capitis faciunt, vinum extrinsecus commendatur. Integumenta, & præsertim facta ex lana, quæ sint imbuta ol. aneth.

& cham. conueniuntur, nam tegumenta capitis facta ex huiusmodi lana, & capiti imposita in frigida causa magnum iuuamentum præstare solent. Et licet etiam quandoque addere his oleis, vel castoreum, vel piper, aut quidpiam aliud simile. Cornelius Celsus li.4.c.2. vult, vt caput perfundatur aqua marina, vel salsa, aut in qua laurus decocta sit, deinde iubet caput vehementer fricare, & veste velare.

A causa sicca. Si fiat dolor a causa sicca, conuertendum est studium ad remedia humectantia: & proinde victus debet humidus esse. Auenzoar laudat vt amygdalę dulces sumantur cum pane, & sine pane. Et in hoc casu dubitari posses, an lac conueniat, quia ex vna parte conuenire videtur, cum saluberrime & potentissime humectet: ex altera parte habemus Hipp. qui dicit, lac dare caput dolentibus, malum.

Ego dicerem hoc in casu aliquod lac posse concedi, & præsertim illud, quod tenuius est, vt lac capræ, asinæ, &c. Sed illud certissimum est, omne lac extrinsecus administratum maxime prodesse aduersus dolorem capitis a causa calida, quemadmodum etiam in his casibus iuuat irrigare caput succo maluę, iure castrati, aut similibus alijs, quæ vim habent humectandi, cuius modi inter cetera esse solet oleum dulcissimum siue sit amygd. siue oliuarum.

Ab humoribus. *A sanguine.* Si dolor capitis ab humoribus fiat, in primis videre oportet, quinam sint humores, nam si a sanguine instituenda est victus ratio, quæ sanguinem corrigere, & imminuere possit, & post cetera vsus lentis in victu, granatorum, atque etiam prunorum acidorum maxime commendentur in affectibus sanguineis, nam lentes sua crassitie & frigiditate bilis acrimoniam retundunt.

Vena sectio. Hinc venę sectio est fere vnicum & præsentaneũ remediũ, & adeo vt nemo dubitet, quin statim confugiendum sit ad venæ sectionem, vel ad cucurbitularũ scarificatarũ vsum. Rhasis videtur voluisse debere mitti sanguinẽ ad animi deliquiũ. Et Rhasi fauet Gal. qui 1.aph.23. scripsit in omnibus dolorib sedandis nil præstãtius esse, quam sanguinis missionem ad animi deliquium.

Ceterum & Auerrh. & plerique alij damnarunt hoc auxilium tanquam nimis periculosum. Et non defuerunt qui Galenum improbarent, quod non verum sit in quolibet dolore vtilem esse hanc sanguinis missionem, siquidem in dolore colico, & eo, qui fit ab humoribus crudis, quis non videt hoc esse hominem iugulare, si sanguis mittatur ad animi defectum? In hac difficultate dicendum est, si rei natura spectetur, certe in dolore a sanguine, vbi maximus est, conuenire hanc sanguinis missionem, & forsan de hoc vno vel simili locutum esse Galenum. Sed si spectetur consuetudo, quam tanti semper fecit Hipp. certe, Domini, periculosum est hoc auxilium: cum nostri homines non sint assueti ferre tantam sanguinis missionem; hæc itaque sit veritas, in dolore sanguineo sanguinem mittendum esse in magna copia, sed citra animi defectum à vena cephalica, quo misso, si malum non cedat, etiam a fronte mittendus est, aut a naribus, quoniam experientia probatum est, naturam sępe finire huiusmodi dolores per sanguinis fluxum a naribus. Posthęc extrinsecis auxilijs occurrendum est dolori, & inter alia in sanguineis capitibus & doloribus, deraso capiti laudo, vt perfusio hunc in modum fiat.

> *℞. Sem. psylij. ℥. j.*
> *Fol. nymphęæ,*
> *Portul.*
> *End. an. M. ij. f. decoct. s. a. & cum modico aceti fiat perfusio capiti deraso.*

A cholera. Succus etiam extractus seminis psylij miram facultatem habet aduersus hunc dolorem. Si oriatur dolor a flaua bile, similiter victus frig. & humidus præscribendus est, abstinendum a vino, vtendum quiete & animi, & corporis. De sanguinis missione nullus locutus est, quandoquidem a bile nulla capitur sanguinis mittendi indicatio. est.n. regula apud Gal. 4 de tuenda valet. quod si humores non recedant a natura sanguinis, mittendus, si recedant sed parum, mittendus in pauca quantitate, si multum recedant, nullo pacto mittendus, & ideo statim Rhases noster descendit ad euacuationem bilis. Sed dubitabit aliquis & merito, vtrum prius sit præparanda bilis.

Præparans bilem. Et ne vos in hac lite detineam, quam alias peregi, hæc sit resolutio, vt diligenter spectetur an biliosus humor sit in primis, & magnis cauitatibus, an vero sit in profundis partibus. Si sit in profundis partibus, certe primum oportet vias aperire, ac deinde bilem ducere. Ceterum, si sit in primis & magnis cauitatibus, statim bilis ducenda est. Itaque vbi opus erit, sic bilem præparabitis, & vias aperietis.

> *℞. Fol. agrimonia.*
> *Hepat.*
> *Endiu. an. M. j. sem. portulacæ ʒ. iij. f. infusio, & decoctio s. a.*

Deinde *℞. d. d. ℥ v.*
> *Oxysacchara.*
> *Syr. de end. an. ʒ. vj. M.*

Purgans bi. Loco huius præparationis solemus, & pręsertim ęstiuo tempore vti sero vel caprillo, vel bubulo. Postquam apertæ sunt viæ, purganda est bilis. Alex Trall. statuit descendendum ad vsum scammonij, quod potentissime bilem euacuat. Sed maxime cauendum est scammonium, quippe potentissimum cum sit, facile exasperat caput alioquin male affectum. Quare vos purgare poteritis sic.

> *℞. Fl. Cassię ʒ ix.*
> *Pulpæ Tamarind. ʒ. iij.*
> *Pulu. rhab electi ʒ. j.*
> *Caryoph. gr. iij. & f. bolus.*

Qui

Qui capiendus erit quatuor, vel 5. horis ante prandium. Quod si æger magis optabit potum, hic instituendus erit.

Potio cholagoga.

℞. Decoct. myrob. & Tamar. ℥. iiij.
Rhab. electi ʒ. iiij.
Squinanthi gr. iiij.

Infundantur omnia, s. a. deinde facta diligenti expressione adde syr. viol. sol. ℥. j. & M.

Peracta hunc in modum purgatione deueniendum est, si dolor pergat, ad medicamenta exteriora, vt sunt perfusiones capitis ex succo hederæ, & semperuiui, decoctio capitum papauer. maxime etiam auxiliatur his doloribus Celius, quem secutus est Scribonius Larguca. de dolore capitis, commendauit torpedinem piscem affricatum capiti, & ita commendauit vt ambo dixerint efficere hoc auxilium, ne in posterum dolor redeat. Et quia huiusmodi remedium iuuat ob stuporem, quem inducit, dubitandum est, num in hoc dolore liceat vti opiatis, & ipso opio, nam interdum vsque adeo acerbus est hic dolor, vt tolerari nequeat. Dicendum est intrinsecus ab opio abstinendum esse, nisi extrema vrgeat virium necessitas. Ceterum extrinsecus vti licet hoc remedio, eo, quia non solum dolorem quemcunque placat, verumetiam nihil aut parum omnino incommodat. Igitur poteritis vti hoc linimento temporibus, & fronti.

Linimētum ex opio sine periculo.

℞. Olei nenuph.
olei rosa. completi an. ℥. iij.
opij puluerīz. tenuiter ℈. j.

Cum modico vini propter penetrationem. M. ad ignem. Solemus etiam loco huius administrare Philonium Romanum vel Persicum extrinsecus. Si fiat dolor ab humore melancholico simili ratione incedere oportet, vt scilicet præparetur melancholia accommodatis remedijs, deinde expurgetur. Pro cuius expurgatione conueniunt pilulæ de fum. pilulæ cochiæ cum helleb.

Curatio dol. capitis a materia.

Et aduertite, cum hic humor sit maxime contumax, & in loco remoto, melius esse, vt pilulæ administrentur, quàm alia purgantia; nempe quæ factæ sunt, & excogitatæ, vt possint a longinquis partibus, & præsertim a capite euacuare. Si fiat dolor ab homore pituitoso, instituendus est victus, qui calefacere, & exsiccare possit, atque etiam extenuare. De vsu vini controuersia est inter Medicos. Rhazes non tantum commendat vinum, sed etiam generosum. Alex. autem Trall. improbat vinum, & præsertim in initio.

A pituita.

Vos autem ita statuere debetis, vt nunquam in doloribus capitis, quicunque sint, initio vinū exhibeatis. Neque valet, quod concedi possit oligophoron, quoniam. Gal. 2. de alimentorum fac. cap. de lora, inquit, secundam loram minus ferire caput quam primam. Lora autem nihil aliud est, nisi aqua pura super vuam extracto vino effusa, & igne feruefacta. Quod si apud Gal. huiusmodi lora offendit caput, multo magis timendum est vinum oligophorum offendere. Sed quid dicemus de Rhaze nostro? Si volumus ipsum tueri, possumus dicere, ipsum esse locutum de dolore in declinatione, & eo qui fit a pituita crassa & terrestri. Nam Gal. 6. aph. 31. declarans quomodo Hipp. doloribus oculorum dixerit conferre meri potionem, dixit non omnibus conferre, sed duntaxat illis, qui fiunt a sanguine crasso, & potius frigido, quam calido. Vnde pari ratione possumus nos dicere, hunc consummatissimū Medicū laudasse vinum generosum in doloribus capitis, quando scilicet opus est extenuare, & consumere crassam pituitā.

De sanguine controuersia aliqua est inter scriptores. Hippoc. in libro de loc. affect. commendauit in hoc genere doloris, vt sanguis mittatur a fronte & a naribus. Reliqui Medici silentio præterierunt hoc auxilium. Ego autem censeo perspiciendum esse, vtrum humor, qui facit dolorem, sit pura pituita a sanguine sequestrata, an potius sit vel sanguis pituitosus, vel pituita sanguini coniuncta. Si primo modo sit pituita, dico abstinendum esse a sanguinis missione: sin autem secundo modo, parum mittendum. Posthæc, præparandi sunt humores, quos præparabitis hoc pacto.

Num venæ sectio conueniat.

℞. Fol. stœch.
Betonic.
Maior.
Sonchi an. M. j. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. dictæ decoct. ℥. iiij.
Syr. de beton.
rosa. recentis an. ʒ. vj. M.

Præparātia pituitam.

Postquam præparati erunt pituitosi humores, sic purgabuntur.

℞. Pil. de agar. Mesuæ,
Cochiarum an. ℈. ij ß.
Cum melle ros. formentur pil. v. & capiantur hora vna, aut altera ante lucem.

Potio.

Quod si placebit magis vti potione, poteritis hunc in modum ordinare.

℞. Myrob. Indorum.
emblicorum an ʒ. j.
fol. senæ ʒ. j. ß.
Passularum ℥ iij.
Fl. cordial. P. j. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. d. d. ℥. iiij. Agar. trochiscati ℈. iiij. infundantur omnia s. a.

Facta

Facta expressione adde mell. ros. sol. ℥. iij.
Elect. de psyllio ℥. iij. M. & f. potus.

Pilulę cocchię quid sint.

Verum cum occasio nunc sese offerat, & vobis polliciti simus de pilulis Cocchijs, adeo apud omnes celebratis nonnulla tractare, pauca, sed scitu dignissima circa hæc medicamenta vobis explanabo. Primum erit de nomine huius medicamenti. Secundum, quis fuerit scopus, & quæ ratio pilulas istas componendi. Tertium, qualia sint, & quanta medicamenta ingredientia. Quartum, quæ sit dosis. Quintum quod tempus idoneum. Sextum, quis modus exhibendi, addam postremo, numquid pilulæ cocchiæ Rhasis sint pręferendæ pilulis descriptis a Galeno quinto Meth.

Quod ad nomen spectat, certum est pilulas cocchias, siue hoc nomen cocchiarum nil aliud significare nisi pilulas, & est quædam veluti repetitio, ac si dicamus pilulæ pilulæ. Nam vt sententiam, quam forsan ab alijs nunquam audiuistis, explicem, debetis scire formam hanc medicamentorum videlicet pilulas fuisse Arabum Medicorum inuentum, quia duabus præcipue rationibus impulsi sunt ad excogitandum hoc medicamenti genus. Prima ratio fuit, vt medicamenta valida, & insuauia in ea forma darent, quę & purgare posset, & minus ægrotantibus molesta esset. nam pilulæ ob formam rotundam facile degluttiuntur, & quia in pauca quantitate capiuntur, hac etiam ratione non displicent ęgrotis. itaque vt medicamentum minus molestum pararunt, Arabes excogitarunt has pilulas. Altera fuit ratio, vt medicamentum aliquod pararent, quod posset in ventriculo diu morari, & ita ab vniuerso corpore humores attrahere. Tales enim sunt pilulæ, quod forma eadura diu permanent in ventriculo, & ratione vehementiæ medicamentorum trahunt facile ab vniuerso corpore. Sed dicetis quomodo hoc sit proprium Arabum inuentum, cum primum liceat legere apud Medicos hæc omnia nomine catapotia, vt apud Galenum Alex. & alios sphærulas siue orbiculos, vt apud Dioscoridem lib. 1. cap. 94. & apud Paulum lib. 7. Cap. 17. Inuenietis etiam & aliud nomen, globulos, vt apud Scribonium Largum, & apud Marcellum: habetur etiam mentio pilularum apud Plinium. quin & apud Græcos, & apud Latinos veteres licet inuenire quædam nomina, quæ pilulas significant. Dico quod vobis prędixi verissimum esse, & si videbitis omnes hos Medicos, quos recitaui, facile intelligetis, neque catapotia, neque sphęrulas, neque globulos eiusmodi, cuiusmodi sunt pilulæ. nam catapotia erant medicamenta, quæ deglutiebantur, sed instar eorum medicamentorum, quæ nos vocamus bolos. globuli etiam, & sphęrulæ erant medicamenta, quę conseruabantur, & postea liquata aliquo humore bibebantur, atque hoc præter Gal. auctoritatem licet etiam intelligere a Cornelio Celso lib. 1. Cap. 25. Imo Scribonius Largus cap. 87. & Marcellus non haud clare dixerunt, scribentes Catapotium esse medicamentum, quod non diluitur, sed ita vt est, deuoratur, Sed redeamus ad nostras pilulas cocchias, quarum inuentor primus, & effector fuit Rhases in hoc cap. cuius scopus & studium fuit, vt hoc medicamentum purgaret pituitam, & quia semper pituita deducitur ad partes affectas biliosis humoribus, & tenacibus, hinc est quod etiam huic medicamento addidit ea, quæ expurgant bilem, Nam, Domini, hoc notate nunquam vobis posse feliciter succedere, vt solam pituitam expurgetis ab vniuerso corpore, nisi etiam bilem, quæ est eius vehiculum, expurgetis, & hoc licebit obseruare apud Medicos, qui vbi in podagris pituitam ducere volunt, semper etiam biliosos humores expurgant. Quod ad ingredientia spectat, prima res est, Hiera picra, hæc vero hiera composita est a Gal. vt descriptio habetur quarto de Tuend. Val. viij. de med. secundum loc. & vij. meth. Constat autem medicamentum ex cinnamomo, Asaro, croco, mastice, xylobalsamo ana ʒ. vj. Ex aloes vero dr. centum. Vnde si annumerabitis pondera, videbitis in hiera esse tres quartas aloes, & vnam quartam specierum consolantium, Secunda pars est coloquintidis, ea vero est medicamentum vehementissimum, quod purgat pituitam, & magnas molestias infert ventriculo, ac omnibus visceribus, & medicamentum hoc vocatum est felicitas, quoniam omnes herbas sibi proximas enecat. Tertia res est scammoneum. hoc quod purget bilem omnes Medici fatentur, ita tamen expurgat, vt vim inferat ori ventriculi, repertum est a Medicis vt incoquāt scammonium citonio pomo, quo eius vis ventriculo inimica auferatur. Gale. a. acut. 11. loquens de hiera coloquintidos, inquit eam esse meliorem, quæ non scammonium, sed helleborum recipit, vbi videtur Gal. in bonitate præferre helleborū scammonio. Quarta res est, Turbith, quod est etiam medicamentum, quod pituitam expurgare dicitur, sed cum corporis turbatione, Vnde volunt isti vocatum esse turbith, quia corpus humanum turbat. Est deinceps stæchas, quod est herba nascens in insulis stęchadibus, prope Marsiliam, & ea desiccat, purgat, & corroborat omnia viscera. Mesues & sequaces dicerunt hanc herbam vim peculiarem sortitam esse, qua capiti valde prodest. Et hæc sunt medicamenta, quæ ingrediuntur pilulas cocchias Rhasis. Videamus modo quantitatem horum. Primum vt accipiantur dr. x. hieræ picræ, Coloquin. dr. iij. & tertia pars, scammonij dr. ij. Turbith, & stæchadis an. dr. v. Circa pondera huius medicamenti multa Clar. Montanus imaginatus est de proportionibus, quæ mihi videntur potius Musico, quam Medico conuenire. Vobis satis erit, si diligenter obseruaueritis, vt medicamenta vehementer purgantia non prætereant summam, siue quantitatem dr. x. alia vero medicamenta, quæ posita sunt, vt corrigant vitia medicamentorum soluentium sint ʒ xv. Aliud etiam notare debetis, Rhasim, qui in animo habebat præcipue expurgare pituitam, & deinde flauam bilem, maiorem portionem posuisse purgantium pituitam, quam purgantium bilem. id quod etiam debet vobis esse exemplum, vt quando componere vultis medicamenta,

camenta, semper ante oculos habeatis, quemnam humorem magis ducere debeatis. Sed dicetis, quomodo dixerim in hoc medicamento esse debere ʒ.xv. rerum corrigentium, nonne sunt ʒ.x. pulueris hieræ? Hiera vero inter medicamenta purgantia reponitur. Dico Hieram ipsam vere expurgare humores, sed si animaduertamus, id quod Galen. viij. de med. secun. loc. nos docet, Hieram scilicet expurgare solum viscidos humores, qui inhærent ventriculo, inueniemus illam magis posse ad ventriculum corroborandum, quam ad soluendum. Vnde putandum est Rhasem in animo habuisse, vt species hieræ corrigerent alia medicamenta. Adsunt præterea dr. v. stœchad. quod cum confirmet viscera, & prosit capiti, hac ratione, si quod ab alijs medicamentis detrimenti infertur corpori, hoc medicamento magna ex parte castigatur. Ex quibus colligite, hoc medicamentum a Rhase summo artificio esse factum, & esse has pilulas optime correctas, non male, vt dicunt alij, cum medicamenta corrigentia excedant soluentia dimidia parte.

Sequitur quartum caput de dosi. Facit Rhases, vt dixi, hoc medicamentum ex ʒ. xxv. paulo minus, & inquit doses huius medicamenti esse x. ac si diceret, debere hanc totam massam medicamenti partiri in x. partes, & vnam partem pro vice sumi, quod si verum sit, sequetur harum pilularum quamlibet dosim pendere ʒ ij. cum dimidia, quę quãtitas multos exercuit Medicos, qui forsan rem non intelligentes, aut errasse hunc auctorem, aut textum corruptum esse dixerunt. Qui putarunt auctorem errasse, dicebant, ægrotis non expedire, vt tantam huius medicamenti quantitatem sumant, quoniam si recte examinentur pondera medicamentorum soluentium, semper quisque sumet vna vice ʒ.j. Iam vero non est Medicus vllus, qui si ʒ j. coloquint. aut scammonij det, non timeat sese iugulaturum ægrotantem, immo nullus est, qui pertranseat sextam partem ʒ. Brasauolus, vt tueretur hunc auctorem, dixit ita esse intelligendum, quod dosis harum pilularum, sit numerus x. pilularum; pilulæ vero, (inquit ille) debent esse ad formam erui, siue orobi: quod autem ita debeat esse, inquit vir iste, veteres omnes pilulas suas effecisse ad magnitudinem erui. Sed, Domini, cum dixerim pilulas esse inuentum Arabum, non possum huic viro concedere, quod pilulæ fierent ea magnitudine: quandoquidem, quando veteres dicunt fieri ad formam erui, loquuntur non de pilulis Arabum, sed de medicamentis deglutorijs; quæ iam dixi. Itaque fui semper huius sententiæ, quod dosis pilularum cocchiarum Rhasis debeat intelligi secũdum tempora huius auctoris, nam veteres omnes fuerunt audaciores in exhibendis medicamentis, quam nos simus, nam Diosc. præter coloquint. ℈.iiij. quod pondus est ℈.j. maius dragma, dat & duos ℈. scãmonij, quæ quantitas si secundum tempora nostra æstimetur, valde maior est, quam vt exhibeatur. Vnde vt vidimus alios Medicos fuisse audaciores in exhibendis medicamentis, ita nos debemus mirari, quod Rhasis fuerit audacior in pilulis suis exhibendis. Sed quæret aliquis a me, quæ hodierno die possit esse dosis harum pilularum, ego consueui non excedere ℈.iiij. & raro attigi ℈.v. & nunquam vidi rem infeliciter mihi successisse: nam hoc pondere purgant quidem cum molestia, sed ea facile sedatur, non durat per diem, & purgant exquisitissime. De tempore autem exhibendi, cum hoc medicamentum sit vehemens, & ab vniuerso corpore pituitam deducat; debet eo tempore sumi, quo ventriculus magis vacuus est, sic non ita perturbat, quia cum cibus ibi non adsit, calor naturalis non habet aliud, in quod agat præter medicamentum. Accedit etiam quod ventriculo vacuo facilius medicamentum ducit humores a capite, & ab alijs partibus in ventriculum. Erit itaque tempus opportunum exhibendi septem, aut octo horis a cibo vespertino. Modus exhibendi duplex est, vel vt exhibeantur solæ, vel vt exhibeantur cum aliquo alio medicamento diluto, & liquido, vt scilicet statim, vel post duas, aut tres horas exhibeatur aliquod aliud liquidum, si vobis placet, vt cito operentur hæ pilulæ, neque timeatis vomitum, pręstabit post vnam horam, vel alteram exhibere, aut ius cum manna, aut ius pulli cum syrupo vel ros. sol. vel viol. sol. Quod si nihil intererit, an medicamentum cito purget, & etiam timeatis ne vomitus superueniat, abstinendum erit ab omni alio medicamento liquido, quia huiusmodi si exhibeatur, facile facit medicamentum prius assumptum supernatare, & promptitudinem vomitus auget. Hæc de pilulis Rhasis. Gal. autem. V. meth. curaturus destillationem pituitæ salsæ a capite ad pectus, ad pulmones, aliud medicamentum excogitauit, priori tamen, de quo modo sumus locuti: non omnino dissimile. Est vero medicamentum huiusmodi, quod constat ex aloe, agarico; scammonio, coloquint. bdellio, & gummate arabico. Sed quoniam quantitatem medicamentorum Gal. non apposuit, Clariss. Montanus conatus est ad formam redigere hoc medicamentum hoc pacto ℞. aloes ʒ. vj. agarici ʒ.ij. scammonij ℈.ij. coloquint. ʒ.j. bdellij ʒ.xv. gũmatis Arabici ʒ v. Hæc fuit forma compositionis huius medicamenti, quam excogitauit Montanus. Sed dicam libere sententiam meam, mihi videtur duos grauissimos errores vir hic commisisse. Vnus est, quod fecit medicamentorum bilem purgantium quantitatem maiorem, quam eorum, quæ pituitam purgant, quod est contra sententiam Gal. qui in animo habuit, vt eo medicamento pituitam expurgarent. Rem ita se habere declaro, apposuit nu ʒ.vj. Aloes, scammonij, agarici vero ʒ.ij. & coloquint. ʒ.j. quarum quæ purgant pituitam sunt ʒ.iij. quæ vero bilem sunt ʒ.vij. paulo minus, quod enim Aloes sit inter medicamenta purgantia bilem docuit nos Galen. 5. de Tuend. val 8. & 9. de med. secun. loc. ij. vbi dicebat Galenus, Aloem vitandam esse ijs, in quibus abundant humores pituitosi, quoniam expurgat solum humores biliosos. Alius error est, quia fecit valde paucam corrigentium quãtitatem, & alias tamen docuit semper maiorem debere esse quantitatem corrigentium, quam aliorum. Hæc de pilulis obiter dicta sint;

Nunc

Nunc ad reliqua auxilia pro leniendo dolore transeamus. Placent extrinsecus odoramenta facta ex castorio. serpyllo, maioran. Et præ ceteris soleo ego vti hoc collyrio intra nares.

Collyrium in naribus.

℞. Piperis albi ℈.ß.
Castorei gr. vij. Cum melle f. collyrium, & in naribus detineatur.

Infusio in aures.

Huc etiam pertinet fronti applicatum, & in aures instillatum, linimentum tantopere a Rhase laudatum ex castoreo, euphorbio, pipere, sinapi, styrace, ruta, marrubio, quæ siccata, & puluerisata ex vino in pastillos format, deinde tempore vsus oleo costino, vel chamomelino dissoluta applicat, vel auribus infundit. Sed hoc scire debetis, medicamenta hæc a Rhase non adhiberi nisi post euacuationem. Etenim Hippocrates 3 de morbis, vbi curat dolorem capitis ex humorum repletione, prius vult purgandum aluum per inferna, vel superna, postea capiti vniuerso per aures, & nares (quia sic per totam cerebri substantiam facilius permeant) adhibenda fomenta odorata, quo cerebrum citius purgetur. Valent quoque frictiones asperæ, si sustineri possint. Sed a masticatorijs abstinendum est, quia, vt alias audiuistis, masticatio, caput dolens multo magis exasperat. Inter alia remedia, quæ dolori a pituita conueniunt, connumeratur in lib. de Ther. ipsa Theriaca semel in hebdomada sumpta, qua ratione commendari etiam potest Mithridatica confectio. Sed potissimum laudatur vsus Castorei, quod Gal. videtur statuisse omnium efficacissimum; capite tamen ac vniuerso corpore, vt iam dixi, bene purgato, alioquin periculum imminet, ne calida magis attrahant, & pituitam in capite fundant, pituita autem fusa eum magis distendat membranas, & pericranium, necessario dolor augetur. Cel lib. 4. c. 2. & post ipsum Rabbi Moyses, in aph. ex sententia Gal. scribunt, ad hunc dolorem cōferre quoque, vt caput diligenter ligetur, imo commendant, vt arcte frons, & caput vinciatur. Nam hodie quoque vulgus rusticorum edoctum a natura, vbi dolet caput, solet vincire frontem fascia, id, quod reperio veteres quoque factitasse, cum referat Athenæus lib. 15. in hunc vsum fascias sæpe fuisse adhibitas. Si dolor perficiatur a flatu, hic aut in ipso capite gignitur, ex materia, quæ in flatus conuertitur, aut a corpore in ipsum caput mittuntur. Vtcunque sit, victus erit primo instituendus, qui flatus non gignat. A vino abstinendum, vtpote quod facilime vapores ad caput emittit. Si igitur flatus isti fiant a partibus inferioribus, Gal. & Aetius docent vtendum repercutientibus vapores, atque caput corroborantibus; quo minus in posterum non adeo prompte vapores irruentes admittat: posthæc mitigatoria apponantur, sicque paulatim addantur ea, quæ concoquere, & dissoluere possint, & imminuantur ea, quæ repercutiunt, & adstringunt.

Masticatoria prohibentur.

Ligatio stricta capitis dolorem leuat.

Nam dicit Oribasius, quod sæpe fit in meatibus constipatio spiritus flatuosi, vel etiam crassorum, atque glutinosorum succorum, eaq; tanta est, vt vix longo temporis spacio ille obex soluatur. Inter repellentia, & adstringentia, est oleum rosaceum cum aceto, cydoniorum, & reliqua quæ refrigerandi, corroborandique vim habent. Quod si ij flatus in ipso capite propter imbecillitatem, vt ait Galen. 2. de comp. med. fiunt, secus est agendum, quia si repercutiuntur duo mala necessario sequuntur, vnum est, quia augetur fomes flatuum, quoniam coarctatur magis pituita in caput, ac per consequens magis flatus facit. Aliud incommodum est, quod vapores coacti ingeminant dolores, quia & intra, & extra caluariam dolores fiunt, quare in hoc casu statim adhibenda sunt ea, quæ possitnt concoquere pituitam, & flatus discutiunt, vt sunt embrochæ factæ ex decocto Chamomeli, Calamen. anet. serpyl. anisorum; sic etiam olea conueniunt, vt est anethinum, rutaceum. Odoramenta quoque forinsecus adhibita, dico, forinsecus, cum intus sumpta parum iuuamenti adferre queant, vtpote remota ab humore gignente flatus.

Ab ebrietate.

Nunc sequitur curatio eorum dolorum, qui fiunt ab externis causis; qui cum plures sint, sat erit, si duas tetigerimus, quæ poterunt esse exemplo in reliquis. Frequentissimus omnium dolorum, qui fiunt a causa externa, est, qui fit a nimio cibo, vel potu, id est, a crapulis, & ebrietatib. De hoc dolore sermonem habens Apollonius apud Gal. 2. de comp. sec. loc. dicebat eum curari somno, quiete, frictionibus, melicrato, aqua calida, & euacuatione. Ceterum Hippoc. in fine 2. epid. docuit nos eum dolorem, qui fit a crapula, sedari potu vini meri. Sed quia hæc præcepta nimis vniuersalia, & incerta sunt, propterea multo satius est huiusmodi curationem ita determinare, vt in primis, quando occurrit huiusmodi casus, diligenter spectetur, an cibus, vel vinum, quæ dolorem pepererunt, adhuc sint in corpore, an vero exierint. Si enim adhuc sint in corpore, in primis incumbere oportet, vt vel vomitu, vel clysteribus exeant. His enim in corpore adhuc extantibus alia remedia locum non habent. Quod si exierit cibus, & vinum, vel per aluum, vel per os, & tamen adhuc dolor perduret, si crudus succus, & pituitosus conseruat dolorem, tunc calorifica remedia conueniunt, quæ demonstrauimus in dolore a pituita: & hoc pacto intelligenda est magni Hippocr. auctoritas, quando scribit, dolorem a crapula curari potu vini meri. Si autem dolor conseruetur a calidis, & feruidis vaporibus, isti vapores repellantur, & contemperentur. Et his conuenit ol. ros. completum, succus hederæ, brassicæ, quinimo iuuat etiam anethum, & brassicam, & hederam capiti circundare Nam Plut. in sympos. narrat, veteres sæpius in conuiuijs vsos fuisse coronis ex hedera, vt auerterent grauitatem capitis, quæ oritur, ex nimio potu. & Gal. hæc folia capiti circumposita ebrietati aduersari quadam naturali facultate ait. 2. de cōp. me. Percussio, & casus numerantur a Gal. inter causas externas doloris capitis. Et Apollo. apud Gal. dicit, huiusmodi dolorem bene curari recto vsu omnium rerum non naturalium; sed mancum, & inutile esset hoc consilium, nisi alia adijciantur, nempe, cum ex casu, & percussione immineat periculum inflammationis, vt omni solertia ea inflammatio vel vitetur, vel si facta sit, curetur. Propterea in huiusmodi dolore ante omnia alia, nisi

A casu & percussione.

quid

quid prohibeat,cogitandum est de venæ sectione,de cucurbitulis,de hirudinibus. Post cogitationem sanguinis missionis,localia debent adhiberi, quæ si fit inflammatio,aut periculum inflammationis,necesse est,vt styptica,& repellētia sint, Propterea aqua rosacea,ol. rosarum, ol. myr. accommodata sunt. Quod si pura adsit contusio,vtendum est ijs, quæ dolorem leniant, & contusas partes,vel suppurent,vel resoluant. Ol. vitellorum oui in his casibus commodissimum est. Et ego,vbi adsunt contusiones capitis, quæ faciunt dolorem, ademptis prius capillis, iubeo apponi tale linimentum.

Linimentū cōueniēs in hoc casu.

℞. *Succi maior.*
Saluiæ an. ℥.ß.
Vini optimi ℥ iij.
Vitellum oui vnum. Misceatur ad ignem, & partibus applicetur.

Hi sunt dolores curandi per essentiam, secundum quorum regulam poteris curare eos, quos nos tacuimus. Si autem fiat dolor per consensum, scribit Auic. & recte curationem huius doloris esse partis affectæ, & morbum communicantis. In omnibus conuenit fricare, ligare partes infernas,applicare cucurbitulas scarificatas,& siccas peculiariter: si fiat vitio ventriculi,& intestinorum,clysteres etiam acres mittere: si ob retentas hæmorrhoides, aut suppressos menses, vnica curatio est etiam mittere sanguinem a pede, vel in hæmorrhoidibus applicare hirudines; aut in mensibus suppressis applicare cucurb. inguinibus ex Galen. 13. meth. 10. Laudantur in huiusmodi doloribus a cibo, ea omnia, quæ vapores discutiunt, & resoluunt, aut que excludunt ventriculum, ne vapores ascendant, vt sunt Cydonia, mespila, sorba. item Coriādrum, de quo gloriatur Arnaldus Villanouanus, se primum in curia Romana eius vsum innouasse. Hic est vnus scopus propositus ab Auic. in curandis doloribus per consensum ab infernis partibus. Alter scopus est, vt caput preparetur, ne facile suscipiat vapores ascēdentes a partibus internis, qui quoniam ascendunt per venas, & arterias temporum, mandat Auic. & prudenter, vt si necesse sit, deueniatur etiam ad incisionem, seu scarificationem harum venarum: ita vt cicatrice deinceps obducta prohibeantur ascensus vaporum. Solent quoque Medici temporibus adhibere remedia, siue cerata adstringentia, & soleo ego vti hoc.

Curatio doloris capitis p consensum.

Ceratum arcens vapores ascendētes.

℞. *Mastychis ℥.ß.*
Gummi Arab. ʒ. vi.
Boli Arm.
Corall. rub. an. ʒ. iij. puluerizentur puluerizanda, & cum cera, & resina extensa super corium applicetur temporibus.

CAPVT IIII.

De Cephalea.

Post dolorem capitis recentem tractat Galenus de Cephalea, qui dolor immanis esse solet, cum vetustus, & contumax sit.

Causæ huius doloris sunt intemperies, cum materia, præsertim cum materia terrestri, & viscida. Gal. 2. de loc. aff. pen. fere tribuit primas causarum huius doloris duobus, nempe debilitati, & sensibilitati cerebri. Cælius Aurel. auctor non contemnendus scribit, hoc dolore magis tentari mulieres, quam viros, & hoc scribit contingere propter capillorum copiam, & culturam, quod magis dixisset Cælius, si cognouisset mulieres has Venetas.

Causa.

Cognoscitur hic dolor, quia ægri non possunt ferre splendorem, neque solis, neq; ignis; auersantur clamores, & voces omnes, & sermones Immo Cassius Medicus 22. prob. scribit, nonnullos capite dolentes minime audire, quia ijs mens quoque læditur, mens autem est, quæ audit, & videt. Adduntur his quædam alia signa, & inter cetera mæror, delirium, quæ omnia tunc magis apparent, quando dolor valde infestus est. Dicebat Celsus curari hunc dolorem sternutamentis, gargarismatibus, frictionibus cucurbit. detractione sanguinis, abstinentia cibi, & potus, sed hæc præcepta sunt nimium vniuersalia. Vnde pro recte restituenda curatione operę pretium est, quod alias dixi, cognoscere, quę intemperies, & quis succus faciat hunc dolorem, qua re cognita deinceps prouidendum est, vt contrariis presidiis debelletur causa effectrix doloris. Sed circa vsum auxiliorum sunt nonnulla obseruanda ex Hippoc. & Gal. nam Hipp. in lib. de loc. in hom. dicit, hunc dolorem esse eius naturę, vt quanto magis medicamentis purgantibus tractatur, tanto acerbior euadat. Vnde blandissimis medicamentis purgatoriis agere oportet. Et quia sunt aliqui, vt dicebat Rhases, quibus ante cibum hic dolor est magis infestus, post cibum vero remissior, in his debet animaduerti, vt nunquam ineduam patiantur, sed semper antequam inualescat dolor, aliquid cibi offeratur, vt est panis maceratus succo granatorum, aut omphacio. Aliud aduertendum in hoc casu est, vt semper a lenioribus medicamentis inchoetur; vel, si non licet inchoare a lenioribus, vt saltem fortioribus medicamentis, semper leniora commisceatis. Quod si medicamenta lenia, aut mista grauibus medicamentis dolorem non finiunt, Arabes Medici commendant, vt venę temporum scarificentur, & scarificatę extrudantur. Celsus laudat, vt etiam ipsa pars affecta exulceretur. Et ipse quoque in hisce casibus magnopere soleo commendare, vel vstionem earum venarum ab Hipp. propositam, vel cauterium super coronalem

Signa.

Curatio.

futuram

futuram inustum. Medicamenta, quæ pro cephalea conueniũt, debent quidem similia esse medicamentis dolori capitis simpliciter conuenientibus, sed cum hic affectus sit pertinacissimus, debent consequenter remedia esse efficaciora. Propterea solemus, alijs non conferentibus, etiam confugere ad decocta magna, vt salsæ, guaiaci, & tandem ad remedia efficacissima.

CAPVT V.

De Hemicrania.

Nomen.

POst Cephaleam sequitur hemicrania, quæ est dolor dimidij capitis. Et Auic. 1. tertij. lib. 2. c. pen. scribit, hunc dolorem vocatum esse a Gal. ambulatorem mediũ. Habet hic dolor, vt docet Gale. 2. de comp. sec. loc. & Aui. loco citato duas conditiones. Prima est, quod hemicrania raro continua est, sed interpolata, & quãdoque periodos habet. Refert etiam Cardan. de quodam, qui singulo mane sole oriente capiebatur hemicrania, & occidente liberabatur.

Ego quoque cognosco, qui singula decima die, aut septima tentantur hoc cruciatu.

Signa.

Alia conditio est, quod hic dolor fit semper cum affluxu materiæ, aut vaporosæ, aut humoralis, a sola intemperie aut nunquam fit, aut non diu durat. Et hoc est, quod voluit significare Auic. quando dicit hemicraniam a pura intemperie non habere quantitatem. Humores autem, & vapores vt docuit nos Gale. 2. de med. loca. aut feruntur a toto corpore in caput, aut ab aliqua parte: & vel feruntur per arterias, vel per venas, vel per vtrasque, adeo vt hemicrania sit maxima ex parte dolor per consensum, non autem per essentiam. Cognoscitur causa huius doloris, locus affectus, & alia, non aliter, quam eo modo, quem indicauimus in tra. simp. doloris capitis.

Curatio.
Diæta.

Curatio posita est in recta victus ratione, tum in Chirurgicis præsidijs, tum maxime in aliorum medicamentorum vsu. In diæta de nullo alio commonendi estis, nisi maximopere conferre, vt omnia illa caueantur, siue poculenta siue esculenta, quæ maxime in caput tolluntur eo, quia vt docuit Gal. 3. de loc. aff. 9. ea corpora facilime vexantur hoc dolore, in quibus fiunt euaporationes copiosæ.

Venæ sectio.
Cauteria.

De remedijs Chirurgicis scribit Auic. in curatione huius doloris magnopere valere sanguinis detractionem a cubito, a fronte, & a naribus. Vbi etiam pertinax est hic dolor solemus ad cauteria confugere, quæ in partibus infernis vsta maxime arcent ac reuocant vapores, & humores a capite; Imo Auic. loco citato laudat, vt in extremis casibus etiam ad vesicantia confugiamus.

De alijs medicamentis ita constituendum est, vt alia ante accessionem, alia in ipsa accessione, alia post accessionem administrentur. ante accessionem conuenit euacuare corpus. Et modus euacuandi non alius est, nisi qui iam præscriptus est, secundum naturam vniuscuiusque humoris, Et inter cetera clysteres adhibiti paulo ante accessionem, aut auertunt dolorem, aut minorem reddunt. Prętcrea, si affectus frigidus sit, commendabat Galenus, vt ante accessionem fricetur pars doitura cum pannis asperioribus, donec rubea fiat, nam merito frictionis euacuantur & dissipantur humores pręsentes, prohibentur etiam ne congregentur, quia cum pori sunt aperti, facile transpirant & vapores, & humores.

In ipsa accessione studendum est, dolorem demulcere. In causa calida laudabat Auic. stupefacientia. Sed, vt alias monui, non debet Medicus temere hęc vsurpare. In causa frigida sunt vsurpanda calorifica, vt euph. piper, nasturtium. Sed in vsu euphorbij, quod maxime commendatur in dolore omni antiquo, debetis semper meminisse, vt eligatur euphorbium recens, quẽadmodum pręcipiebat Galenus. cognoscitur autem, quia albicat euphorbium recens, sicuti vetustum flauescit.

Lũbrici qd.
Ol lumbrica et conficien di ratio.

In accessione laudatur vsus ol. lumbricorum, quod & in calida, & in frigida causa conuenit. Fit vero hoc ol. hunc in modum. Accipiuntur lumbrici (sunt autem lumbrici animalia illa, quæ sub hydrijs generantur, & appellantur centipedes) & submerguntur ol. dulcissimo, deinde per tres dies & noctes sepeliuntur in fimo, aut, si libeat citius parare, ponuntur ad ignem in duplici vase, & vbi percocti sunt, exprimuntur, & ol. expressum appellatur ol. lumbricatum, quod valet in omnibus doloribus leniendis.

Post accessionem solemus vsurpare medicamenta hemicranica vocata, quę plura inuenietis apud Marcellum, & Scribon. Largum. Multa etiam commemorat Auicen. & inter alia laudat atramentum scriptorium. Sed in atramento Auic. ponebatur hoc, quod est genus metalli. Laudat similiter Auic. aliud medicamentum, & est istud:

Perfusio capitis conueniens in hoc affectu.

℞. Ol communis & aq. communis an. lib. 1.
fol. absynthii M. 1. ß.
Rad. cuc asin. ℥. ij. Bulliant omnia simul, & facta expressione cum decocto perfundatur pars dolens.

Cum herba autem & radice fit emplastrum, quod superponitur parti dolenti; hoc medicamentum maxime commendatum est, quia corroborat, desiccat, & leuiter adstringit. Et Auic. testatur efficacissimum esse. Habetis etiam apud Rhasen maxime laudatam maioranam. Et narrat ol. ipsius vsque adeo esse efficax, vt prohibeat ne dolor in posterum reuertatur. Aetius.

laudat

laudat carnes cochlearum: Et Democritus, quem habeo manu scriptum de hemicrania, narrat de gagate lapide, qui si gestetur ad collum mirifice tollit hemicraniam, & addit, quod huiusmodi lapis gestatus semper magis ponderat, quam antequam gestaretur, quasi proprietate quadã attrahat in sese humorem efficientem hunc dolorem. Et hactenus de dolore capitis.

Gagatis lapidis vis in hoc affectu.

CAPVT VI.

De principibus animæ facultatibus.

Sequitur, vt postquam de hac communi operatione capitis læsa tractauimus, nunc de læsis operationibus cerebri particularibus tractemus: quæ quoniam partim actiones motoriæ sunt, partim vero principes, ratio dignitatis postulare videtur, vt primo tractemus de actionibus principibus, quæ cum sint tres, imaginatio, discursus, & memoria, inchoabimus ab imaginatione læsa. Sed quia doctrina omnis confusa est, nisi prius notitia habeatur eius rei, de qua tractatur, ante cetera hæc duo docebo, scilicet, quid sit vnaquæque operatio princeps, & quæ sint sedes, siue quæ sint organa, in quibus huiusmodi operationes eduntur. Imaginatio igitur nihil aliud est, nisi operatio quædam animi, qua phantasmata rerum sensibilium recipiuntur. Appello operationem huiusmodi receptionem, quoniam Aristoteles 2. de anima f. 161. scribit imaginationem non fieri sine motu, & sensus, vt hæc operatio nihil aliud sit, nisi quidam motus, qui fit in animo nostro a sensu per phantasmata.

Ordo.

Imaginatio quid.

Discursus, qui a Græcis vocatur διάνοια, nihil aliud est, nisi operatio, qua animus noster hæc phantasmata, vel componit, sistit diuita, vel diuidit, si sint composita, vel eligit, si sint bona, vel refugit, si sint mala, vel affirmat, si sint vera, vel negat, si sint falsa. Sed duo debetis de hac potentia siue operatione scire: vnum est, iudicium rerum omnium fieri penes hanc facultatem, & propterea vocari partem iudicatricem: alterum, quod debetis scire, est, Auerrhoem 2 coll. 20. eiusmodi facultates abstulisse a brutis, & loco ipsius posuisse æstimatiuam ab ipso vocatam.

Discursus quid.

Sed ego semper dubitaui, in belluis reperiri etiam hanc operationem, sed multo minorem, & imperfectiorem, quam in hominibus, atque hanc fuisse quoque Aristot. opinionem conatus est probare Porph. lib. 3. de abstin. ab esu carnium, nec non etiam alij plerique philosophi, & Medici antiqui.

Memoria postremo est operatio, qua animus conseruat etiam operationes discursus, & operationes imaginationis. Vnde Plato in Philebo, & alibi solebat dicere, memoriam esse conseruationem notionis, intelligentiæ, & sensus.

Memoria quid.

Sed hoc etiam in loco scire debetis, memoriam interdum immediate famulari ipsi imaginationi, ita vt plerisque sit putatum, etiam imaginationem recordari. Et hoc est, quod voluit nos docere Galen. quando lib. 2. de motu musc. 6. scripsit, imaginationem quandoque recordari. Quod etiam habetis præ ceteris traditum a Plotino lib. 1. de dubijs animi. ca. 29. 30. & 31. Vtrum autem hæ operationes fiant ab animo, medio temperamenti cerebri, vt videtur censuisse Hipp. & Gal. an opera spirituum animalium, an aliqua alia potentia, non exigit præsens locus, vt disputemus.

Cum ad instituendam curationem operationum animi maxime referat intelligere, quæ sint sedes singularum operationum; ea propter id, quod secundo propositum fuit, superest, vt diligenter exsequamur: scilicet, vt videamus, in qua sede fiat omnis operatio, quæ a nobis tradenda est. Gal. lib. 5. de plac. cap. 6. & lib. 6 cap. 2. ait, tres fuisse illustres opiniones de animi natura, & compositione. Prima fuit Arist. & Posidonij, & Stoicorum, qui existimarunt, vnam tantum esse animam in corde collocatam, atque eam plures facultates habere, sed minime natura differentes. Alia fuit sententia Chrysippi, qui opinatus est, vnam esse animam in corpore, & vnam ipsius facultatem. Tertia opinio fuit Platonis, quam etiam videtur secutus Galen. nempe tres esse animas, & tres facultates, natura, & loco distinctas.

Quæst. quæ sint sedes singularum operationum.

Prima opinio Arist.

Et sicuti variæ fuerunt sententiæ de animæ natura, non minus diuersę fuerunt sententię de sede animæ rationalis. Siquidem alij existimarunt, eam esse in corde, alij in pectore, alij vero in cerebro. Qui putarunt animam rationalem esse in toto pectore, duo fuerunt, Parmenides, & Epicurus. Qui autem existimarunt eam esse in corde, adhuc diuersi extiterunt. Quidã enim posuerunt eam in sanguine, qualis fuit Emped. alij posuerunt eam in arterijs cordis, qualis fuit Diogenes, alij posuerunt eã in toto corde, quẽadmodum censuit Arist. & inter Medicos Auic.

Medicorum opiniones variæ.

Ceterũ, qui animam rõnalem in cerebro locarunt, cum omnes fere Medici fuerint, in diuersas quoq; sectas sunt partiti. Primus omnium Hippocrates, & post eum Plato videntur statuisse, animã rationalem in toto cerebro. Strabo Lampsacenus, Philosophus magnus, putauit eã positam esse in syncipite. Erasistratus, Arist. ex sorore nepos, putauit, ipsam positam esse in ea membrana, quæ ambit totum cerebrum. Herophilus autem magnus Medicus, quem etiam secuti sunt Arabes, putauit animam rationalem in ventriculis cerebri tanquã in propria sede operari.

Hæ fuerunt sententiæ fere omnes antiquorum de sede animæ rationalis, vt videre potestis apud Gal in lib. de historia philosophica, & apud Theod. in lib. 4. affect. Græcan. & apud Tertul. in lib. de anima. Sed post tot veterum sententias fuerunt adhuc alij, qui magis particulatiter de sedibus animæ rationalis videntur locuti. Nam fuerunt, atque etiamnum sunt, qui putant,

varias animæ rationalis operationes in varijs cerebri sedibus fieri, qui quoniam diuerso modo hoc existimarunt, dicam primo, quæ sit mea sententia: & deinde ipsam tum rationibus, tum authoritatibus confirmare conabor.

Authoris iudicium.

Mea itaque est opinio, propterea naturam fabricasse cerebri substantiam variam, & diuersam, vt secũdum hanc varietatem varias operationes in ipso cerebro perficere posset, ita, vt imaginatio, quæ eadem est cum sensu communi perficiatur in anteriori parte cerebri; discursus fiat in media parte: memoria autem efficiatur in parte postrema. Dico autem in his partibus fieri has operationes, quoniam sum huius sententiæ, non solum in ventriculis cerebri fieri huiusmodi operationes, verumetiam in vniuerso corpore ipsius cerebri; atque vt quando anteriorem partem dico, intelligam eam omnem partem, quæ amplectitur simul, & anteriores vẽtriculos, & reliquam cerebri substantiã; Atq; sic intelligenda est mea sententia de alijs cerebri partibus.

Rationes demonstrantes, has operationes fieri in diuersis locis indifferenter.

Iam vero hanc esse veritatem, vt credam in primis nonnullæ graues rationes efficiunt, quarum aliæ demonstrant operationes animæ indifferenter fieri in varijs cerebri partibus, aliæ vero demonstrant peculiariter fieri in partibus quas a me iam intellexistis. Rationes, demonstrantes fieri has operationes in diuersis locis indifferenter, hæ sunt. Prima est ea lege, quam tulit Galenus vbique, & præsertim, in libro de potentijs naturalibus, & de temperamentis, scilicet animã operari cum temperamentis partium, atque illis vti tanquam organis, & instrumentis suarum operationum; & sicuti variæ sunt operationes, sic quoque necesse est, vt varia sint instrumenta.

Cum igitur hoc verum sit, & a Galeno vbique constitutum, necessario videtur colligendum esse: cum sint diuersæ animi operationes, diuersa quoque debere esse instrumenta, & consequenter diuersa temperamenta. Sed vnius partis vnum est temperamentum, diuersarum partium diuersã sunt temperamenta, Quare vt ab vltimo ad primum deueniamus, vbi sunt actiones diuersæ, debent esse diuersa instrumenta, diuersa temperamenta, & tandem, diuersæ partes.

Secunda ratio est, quod nobilium formarum semper sunt plures actiones, & consequenter plura instrumenta. Hoc enim licet vobis cognoscere, quia corpora animata, cum sint nobiliora corporibus inanimis, habent plures actiones, & plura instrumenta: Sic eadem ratione corpora sensibilia pluribus instrumentis sunt donata, quam insensibilia: & hac ratione homo, cum sit nobilior, plura instrumenta adeptus est, quam bruta, & plantæ. Quo sic constituto, cum anima rationalis nobilissima sit aliarum formarum, iure debet, sicut habet plures actiones, ita quoque habere plura instrumenta, & consequenter plures, & diuersas partes, quibus operetur.

Tertia ratio est, quod si anima rationalis omnes suas operationes ederet vnico instrumento, hoc est vna parte tantum, sequeretur vna operatione ipsius læsa reliquas etiã simul semper læsum iri. Sed contrarium habetur vsu, & experientia: quandoquidem non raro in actu practico videbitis aliquos lædi secundum imaginationem, & tamen valere memoria, & discursu, alios quoque videre licet offendi secũdum memoriam, & habere imaginationem, ac discursum incolumes: cuiusmodi exempla facile videre potestis a Galeno proposita lib. de diff. sympt. c. 3.

Altimari obiectio.

Altimarus, qui libello proprio hanc sententiam impugnauit, cum videret magnam huius rationis vim, dixit non esse inconueniens, quod actiones variæ fiant ab vna parte, & tamen non omnes simul lædantur: quandoquidem videmus in ventriculo lædi interdum retentrices, alijs saluis interdum lædi coctionem, retentrice incolumi; atque sic de alijs exemplis constare, non solum in ventriculo, verumetiam in iecore.

Responsio.

Sed Altimaro respondendum est, minime verum esse, quod in ventriculo lædatur vna operatio ibi, vt aliæ omnes nullam læsionem patiantur, quoniam etiamsi interdum videtur vna plus lædi, quam alia, tamen non ita fit semper, imo vero etiamsi vna videatur sola lædi, tamen reuera aliæ etiam simul compatiuntur. Sed demus Altimaro rem ita sese habere, at nihil concludere potest hac ratione, imo vero hæc ratio expresse contra ipsum est: quoniam vt de ventriculo loquamur, certum est, has operationes ventriculi, hoc est, attractricem, retentricem, expultricem, & concoctricem minime fieri vna, & eadem re, sed a diuersis partibus fiunt, & diuersis in locis. Nam vt de concoctrice prius loquamur, hæc perficitur in ventriculi fundo, sicut appetitio in ore, quæ sunt duæ operationes ventriculi præcipuæ; attractio fit a villis longis, qui sunt disseminati per substantiam ventriculi expulsio fit a fibris latis, seu transuersalibus, & retentio ab obliquis, adeo vt certissimum sit apud Medicos, neque etiam in ventriculo ab vna, & eadem parte fieri tot operationes, sed a diuersis partibus. Itaque respondebo Altimaro, quod sicut istæ operationes, quæ eiusdem sunt membri, fiunt in diuersis partibus, sic debent operationes animæ fieri in diuersis partibus.

Quarta, & vltima est, quod illæ potentiæ, quæ habent vnam operationem, habent vnum instrumentum, quæ habent plures operationes, habent plura instrumenta. Irascibilis facultas habuit vnam sedem Cor, quia est vna secundum speciem operatio, Concupiscibilis eadem ratione habuit vnum instrumentum. Sensitoria facultas, quia habuit plures operationes, necessario habuit plura instrumenta, & plures sedes, si hoc videtur in potentijs ignobilioribus, idem etiam statuendum est in potentijs nobilioribus, in ratione scilicet, quæ cum habeat plures operationes, debet habere plures sedes.

Hæ sunt rationes, quę vniuersaliter probant, huiusmodi operationes fieri in diuersis locis. Rationes vero, quę probant eos fieri in locis quibusdam particularibus, sunt istę. Vna est, quod sicuti se habent in ordine operationes animę rationalis, ita quoque debent ordinata esse instrumenta huiusmodi operationum, sed sic est, quod ratio sensum antecedit, deinde

Rationes demonstrantes

imagi-

operationes animæ rationalis fieri in diuersis locis signatis.

imaginatio, post discursus, postremo memoria. Ergo sicuti primum instrumēta sensus sunt posita in anteriori parte externa capitis, sic debet secūdo loco posita esse, in interna parte anteriori cerebri imaginatio, post instrumentum discursus, & vltimo instrumentū memoriæ: Secunda ratio, qua probatur sedes animi diuersas esse in cerebro, desumpta est a natura imaginationis, discursus, & memoriæ, siquidem imaginatio est pura receptio, memoria pura retentio, discursus autem est veluti motus quidam medius inter memoriam, & imaginationem. Igitur cum ad recipiendum corpora mollia sint aptiora, & ad retinendum dura, videtur rationi consonum, vt imaginatio fiat a parte mollior cerebri, & memoria a duriori, vnde cum pars anterior cerebri sit mollior, & pars posterior durior, facile est intelligere, debere fieri imaginationē in parte anteriori, & memoriam in posteriori, quemadmodum discursus, quia in operatione eget, & receptione, aut retētione, iure videtur collocādus in media cerebri parte. Quod ad memoriam cōferat siccitas, & durities, sicut ad receptionem mollities, præter testimonium Plat. in Theęteto, habetis etiam auctoritatem Gal. in arte medicinali. Tertia, & postrema ratio est, quod tametsi anima rationalis res incorporea sit, attamen vtitur corporeis instrumentis, quæ instrumenta sunt ipsissimi spiritus animales. Cum itaq; spiritus sint instrumenta animę, videtur rationi consonum, vt perfectiores operationes animi efficiantur perfectiorib. spiritib. & imperfectiores imperfectiorib. Iam vero imperfectiores spiritus fiunt, & habitant in anteriori parte cerebri, perfectiores in media, perfectissimi in postrema: igitur imaginatio cum sit imperfectior operatio, debet fieri imperfectioribus spiritibus, & consequētur in anteriore cerebri parte. Discursus cū sit perfectior phantasia, eadem rōne debet fieri perfectiorib. spiritibus cuiusmodi cum sint spiritus mediæ partis cerebri, in hac parte summo iure dēt fieri discursus: in postrema autem parte cum sint perfectissimi spiritus, debet in hac fieri operatio maxime spiritalis: cuiusmodi est memoria. Nam scribit Auer. 2. collect. 20. inter animæ operationes, & potētias maxime omnium spiritalem esse memoriam. Quod autē spiritus dispēsatio in cerebro ita fiat, auctorē habetis Gal. qui 8. de vsu par. 11. & 3. de loc. aff. 7. disertissime dixit, id ꝙ a me audiuistis.

Altim. obiectio.

Neque valet, quod obijcit Altimarus hoc in loco, scilicet in postrema parte capitis non esse cerebrum, sed cerebellum: quoniam apud veteres Medicos, & philosophos nomen cerebri, vt denotat vox græca ἐγκέφαλος, comprehendit quicquid ab osse complectitur, propter quod putaui semper cerebrum a Platone in Timæo appellatum esse medullam.

Auctoritatibus idem conficitur.

Et quoniam rationes omnes eo firmiores putantur, quando a grauissimis scriptoribus confirmantur, superest, vt postremo loco videamus, qui authores hāc sentētiam fuerint amplexi, scilicet, quod imaginatio fiat in anteriori cerebri parte, discursus in media, & memoria in postrema. Atque a Græcis incipiam, Possido. apud Aet. lib. 6. c. 2. expressissimis verbis eādem sententiam proposuit de sedibus animæ, quam a me audiuistis. Nemes. in lib. de hominis opifice ca. 13. Melet. in lib. de nat. homin. & Actuar. in initio suæ meth. eandem prorsus sententiam habuerunt: vt minime dubitare oporteat, quin hæc sententia illustres fautores Græcos habuerit. Inter Arabes princeps huius sententiæ fuit Auic. qui in fine lib. de anima, nec nō prima, primi doct. 6. c. 5. & prima tertij doct. 1. c. 2. etsi voluerit differētem esse sensum communem a phantasia, nihilominus manifestissimis verbis demonstrare conatus est, hanc sententiā verissimam esse, præter Auic. Aharunius, & Haliabbas, & magnus Auer. hanc sectati sunt. Nam Auer. in principio Cantic. de potent. animæ, & in com. ad lib. de memor. c. 2. non solū habuit hanc sententiam, verumetiam eam tueri conatus est. Sed luculentius multo hāc rem tractauit Auer. 2. collect. 20. vbi non solum demonstrare conatus est animam rationalem in corde habitare, verumetiam in corde operari, sed operationes eius manifestari in cameris cerebri, ita scilicet, vt imaginatio fiat in priori, discursus in media, memoria in postrema. Et quia compertissimum est Auer. nunquam decessisse a magno magistro Aristotele. Ego semper ita existimaui, idcirco eum in hanc sententiam deuenisse, quia putauit sic quoque existimasse Arist.

Gal. opinio.

Sed cum certum sit, Arabes hunc in modum censuisse, quid dicendū est de Galeno nostro? Galenus certe hac de re nihil nobis explicatum reliquit, quapropter fecit ipse quemadmodum narrat Nicolaus Peripateticus fecisse Arist. scilicet quod in rebus dubijs, vel taciturnitatē, vel obscuritatem amauerit. Veruntamē etsi a Galeno nihil certi, & definiti habuerimus, attamen non defuerunt aliqui posteriores, qui illum modo in hanc, modo in illam sententiam trahere sunt conati, Iacobus de partibus in com. ad Auic. & Nic. Florentinus in tract. de potent. animi conati sunt demonstrare, Galenum non aliam habuisse sententiam, quam quod diuersæ animi operationes fiant in diuersis cerebri locis. Alb. magnus habuit aliam sententiam. Inter recentiores Fuchs. vj. instit. c. 3. & Fern. 6. physiol. ca. 15. non solum Arabes damnare conati sunt, verumetiam magnopere studuerunt, vt ostenderent, Galen. nunquam habuisse similem sententiam. Sed de Fuchsio, quid dicam ignoro, quandoquidē ipsemet in sua practica c. de phren. dixit imaginationem fieri in anteriori parte cerebri, discursum in media, & memoriam in postrema: ac propterea diuersis locis remedia applicanda esse; vt hic vir videatur inconstantissimus extitisse. Altimarus, qui inter recentiores non posteriorem locum obtinet, libro de hac re edito demonstrare quoque conatus est, hanc sententiam repugnare, & philosophiæ, & medicinæ Galenicæ.

Gal. distin.

Ego vero, cum hoc pro certo, & comperto habeam, Galenum ex proposito hac de re nihil explicare voluisse, nihilominus puto, si in vllam sententiam trahendus est, debere trahi in sententiam Arabum. Ad hoc autem existimandū impellunt me nōnullæ auctoritates, cū primis

Gal. tract. 2. de oculis, satis manifeste videtur docuisse, huiusmodi operationes fieri in diuersis cerebri locis. Sed Altimarus, qui vidit locum, negauit esse librum Gal. Et licet in eo lib. sint pręclarissima dogmata totius medicinæ, attamen de eo libro disputare mihi nunc non est animus, quare transeo ad alios locos.

Libro 4. de loc. aff. 2. scribit Gal. quod si prior pars anterioris partis cerebri lædatur, statim lædi imaginationem: si autem lædatur posterior pars, statim compati mediam partem cerebri, & consequenter discursum protinus offendi. Quæso, si Gal. scribit, non lædi discursum, nisi quando læditur media pars cerebri, nonne manifestissime docere videtur, in hac media parte fieri discursum? nam si fieret in toto cerebro, vt voluit Altimarus, æquum esset, vbi offenditur discursus, offendi quoque totum cerebrum. Et tamen inquit manifestissime Gal. lædi discursum statim, ac læsa est media pars cerebri.

Præterea eodem in loco Gal. scribit, in caro, & catalepsi magis lædi anteriorem partem cerebri. Iam vero idem Gal. lib. de diff. sympt. scribit, in caro resolutam esse ex toto imaginationē. Si igitur Gal. scribit in caro lædi imaginationem, & lædi anteriorem partem cerebri, quis non videt necessario asserendum esse, Galen. voluisse imaginationem fieri in parte cerebri anteriori. Vbi discursus offenditur, passim Gal. videtur commendare, vt remedia adhibeantur mediæ cerebri parti. Et quanquam, vt dicit Altimarus, hoc Gal. faciat propter commissuram coronalem, quæ est in media cerebri parte, nihilominus facit etiam, quia existimauit, veram sedem læsionis discursus esse ipsam mediam partem.

Grauissimũ Galeni testimonium.

Postremo est alia luculentissima sententia Gal. 1. prorrhet. 27. quam auctoritatem, sæpe summiratus, quomodo ab Altimaro, aut non sit visa, aut omissa: nisi forte, quia grauissimum putanit esse illud testimonium. Nam Hippoc. eo in loco scribit in phrenitide permutationes indicare conuulsiones: & Gal. dum exponeret eum locum, inquit, permutationes fieri in phrenitide, quando modo imaginatio, modo discursus, modo memoria læduntur: & declarans adhuc Galen. quomodo lædatur modo imaginatio, modo memoria, modo discursus, inquit, hoc fieri, quia humores modo in vnam, modo in alteram partem cerebri mouentur. Si ergo motus materiæ morbificæ in diuersas cerebri partes violat nunc vnam, nunc alteram, nunc tertiam animi operationem, quis negare potest, Galen. non aperte dixisse, huiusmodi operationes fieri in varijs locis cerebri. Sed dicet aliquis, cur igitur Galen. non absolute locos harum operationum discreuit quemadmodum alij? Gentilis respondet, quia non habuit signa sensata, quæ inuenerunt posteriores Medici.

Neque valet, quod videtur demonstrare Altimarus huiusmodi varietates fieri non posse in solis cerebri ventriculis, quoniam, vt heri dicebam, non sum huius sententiæ, neque etiam fuit Gal. fieri tantum has operationes in ipsis ventriculis, vt Herophilus, & alij, verumetiam in vniuersa cerebri substantia, eo, quia cum spiritus animales sint propagati, & fusi per vniuersam cerebri substantiam, nisi vbique ipsi animo inseruirent, certe necesse esset fateri, huiusmodi spiritus in aliqua parte superuacaneos, & otiosos esse, quod asserere est contra medicinæ præcepta.

Concludamus igitur, ob curationem rectam instituendam affectionum cerebri, necessariũ esse, vt sciamus, non confuse in toto cerebro fieri animi operationes, sed partim in vna, partim in alia parte. Sequitur, vt incipiamus de actionibus particularibus.

CAPVT VII.

De Caro.

De ordine tractandorum.

CVm ergo constitutum sit, sedes animæ rationalis in cerebro diuersas esse, vt aliquo ordine tradantur, sumiam initium ab actionibus imaginatricis facultatis, sicuti enim omnes corporis actiones lęduntur, vel ablatę, vel diminutę, vel deprauatę; sic actiones facultatis imaginatricis lędi certissimum est. Nam vt habemus apud Auer. 3. coll. 41. cerebrum cum sit frigidum, & humidum, multo facilius lędi solet, quam cetera viscera.

Dicebat autem Galen. lib. de diff. symp. c. 3. imaginationem aboleri in caro, & in catalepsi, diminui vero in Lethargo, & in Comate, deprauari in delirio, quod genus est melancholię, sicut & in vertigine. Tractabo autem prius de abolita, seu deperdita, & diminuta imaginatione: quoniam sicuti communicant in causa læsionis, ita quoque communicant in curatione. Quod communicent in causa, testem habetis Auic. qui 2. primi doct. 3. c. 3. & 1. tertij tract. 1. cap. 5. & 6. scribit, actiones aboleri, & diminui a frigido, & humido, deprauari autem a calido. Vt autem initium sumamus ab imaginatione deperdita, siue abolita, primo capiam illum affectum, qui Græce vocatur κάρος ἀπὸ τοῦ καρεῦσθαι, hoc est, a grauari, nam sic appellatur a Græcis, quoniam in hoc affectu non solum grauatur caput, verum etiam vniuersum corpus, propter quod fortan Theod. Gaza apud Aristot. 3. problem. 14. carum transtulit grauitatem. Possidonius apud Aetium lib. 6. c. 5. vocat hunc affectum animæ percussionem. Celsus lib. 3. c. 20. vocat marcorem. Cęl. Aurel. lib. 2. de acutis cap. 2. appellat pressuram. Latini omnes vocant hunc affectũ soporem, & antiquus interpres apud Galen. carum semper transfert stuporem, sed male Arabes,

De nomine cari.

omnes

omnes vocant hanc passionem subeth. quanquam sub hoc noĩe subeth intelligunt oẽs affectus somnolentos, & Rases, quem profitemur, tractat de huiusmodi affectu sub graui dormitatione. Gal.5.aph.5. describens hanc affectionem dixit esse subitaneam sensus, & motus priuationem. Ceterum lib. de sym.diff.ca.3. dixit, carum esse veluti resolutionem imaginationis, & dixit veluti, quoniã non est vera resolutio, sed quodammodo assimilatur paralysi, & resolutioni: quo in loco dubitatione dignum est, cur Gal. videatur dicere esse paralysim imaginatiuæ, & non aliarum animæ functionum ratiocinatricis. Altmarus dicit in caro lædi omnes facultates principes motrices, & sensibiles, excepta respiratione, sed præsertim lædi imaginationem. Sed hoc falsum est, quia potissimum læditur discursus, sensus, motus, & memoria. Dicendum igitur vocasse Galenum veluti resolutionem imaginatricis, quia sicuti membra resoluta non operantur, ita etiam vis imaginatoria, quæ alioquin in alijs somnis operari solet, in hoc nunquam operatur, memoriæ, & discursus non meminit, quia in quolibet somno semper otiantur.

Ego autem dico Carum nihil aliud esse, quam somnum longum, profundum, & ægre excitabilem, cum læsione facultatum principum, & præsertim Imaginationis, sine respirationis detrimento. Dicitur enim somnus longus, profundus, & ægre excitabilis, quoniam ad hoc, vt somnus sit morbosus necessarium est, vt habeat has tres conditiones, siquidem reperiuntur, qui sani sunt, & tamen profunde, & diu dormiunt: sed vbi etiam difficulter excitantur a somno, fieri non potest, vt sani sint. Dicitur etiam cum læsione facultatum principum, quoniam sicuti in somno etiam naturali feriantur, & veluti ligatæ sunt facultates ratiocinatrices: ita multo magis in somno præternaturali, & profundo. Postremo dicitur sine læsione anhelitus: quoniam in reliquis fere carus est similis apoplexiæ, sed in hoc differt, quoniam in ipso Caro nulla est anhelitus difficultas. Sed dicet aliquis, cur ergo Rasis ait, quod subethicus mouetur, & sentit? Dico intelligendum esse dum acriter, ac vehementer stimulantur, seu punguntur. Nam si nil sentirent, aut mouerentur, essent apoplectici.

Vtrum in caro lædatur respiratio.

Sed priusquam vlterius progrediamur, oritur & alia non contemnenda difficultas, scilicet vtrũ in caro lædatur respiratio, primo, quia facultas motrix valde offensa est, sed absque illa non potest fieri respiratio, ergo. præterea Gal.5. de loc.aff. scribit, in parua Apoplexia, & in caro læsã esse respirationem, qm̃ thorax veluti ligatus est quodam vinculo 4. autem de loc.aff.2. manifestissimis verbis scribit, in caro non lædi respirationem: inquiens, quod si tota anterior cerebri pars patiatur, necessarium est medium ventriculum compati, & propterea discursiuas lędi operationes, quo tempore sic affectus æger absque sensu, & motu manet, nil vero impeditur respiratio, & Carus vocatur ea affectio. Vt hanc manifestam atq; difficilem Gal. contradictionem tolleret Altimarus dixit duplicem esse carum, vnum magnum, alterum paruum: In magno lædĩ respirationem, & de hoc loqui Gal.5.de loc.aff. In paruo non lædi, & de hoc verba facere Gal.4. de loc.aff. sed hæc responsio mihi placere non potest, primo, quia non facile reperietis apud Galenum hanc distinctionem de paruo, & magno caro. Sed dato etiam quod reperiatur, minime accommodari potest Galeno, quia verus carus debet potius esse magnus quã paruus. Sed Gal. 4.de loc.affec. loquens de vero caro, dicit in illo non lædi respirationem, igitur neque etiam in magno: quare dicendum est, secundum eundem Gal. lib.2. prorrhet.f.29. carum duplicem esse, aut proprium, aut improprium: & improprium adhuc duplicem esse, vel morbosum, hoc est, qui sequitur alios morbos, vel non morbosum. In caro proprio minime læditur respiratio, & de hoc loquitur Gal.4.de loc.aff. in caro autem improprio læditur respiratio, siue sit morbosus, siue non morbosus, sed factus ab aliqua causa procatarctica, vt audietis.

Cur in vero caro respiratio non lædatur.

Igitur hoc sit constitutum, in proprio caro non lædi respirationem, de causa autem propter quam non lædatur respiratio, aliquam controuersiam reperio. Auer.3. collect.45. dixit in hoc affectu non lædi respirationem, quoniam obstructæ sunt arteriæ, & non nerui. Sed huiusmodi responsio mihi non probatur, nam si per obstructionem Auer. intelligit læsionem in vniuersũ, falsum est, quod ait, quoniam cum in caro afficiatur totum caput, præcipue tamen pars anterior, sequitur, vt etiam principium neruorum offendatur, & consequenter nerui: sed si pro obstructionibus intelligit veras obstructiones, nihil concludit, quoniam obstructio arteriarum nõ est causa contentiua difficultatis anhelitus, nam redditur difficilis respiratio, & propter alias causas, quã propter huiusmodi obstructiones, Auic.fen.prima tertij doct.4.c.1. dixit in caro, seu subeth, non offendi respirationem, quoniam ventriculi cerebri non sunt ex toto repleti. Sed neq; hæc responsio mihi ex toto satisfacit primo, quia Gal.t.de instrumentis odor.c.6. manifeste dicit, carum fieri ob ventriculos cerebri ex toto repletos. Præterea sunt etiam aliæ affectiones, in quibus offenditur respiratio, vt in epilepsia, & tamen non replentur ex toto ventriculi cerebri.

Causa igitur, propter quam in caro nõ lęditur respiratio, est, quia cor refrigeratum est, ac per consequens ipsius calor admodum debilis, nam quanquam vis motrix sit impedita, quia tamẽ non adest necessitas euentationis, & thorax mouetur secundum motum pulmonum, cum pulmones non moueantur, quia cor non eget motu suo nisi paruo, hinc fit, vt thorax parum omnino moueatur, & nulla appareat respirationis difficultas. Rem ita se habere, voluit nos docere, Aetius, quando loco citato dixit febrem in caro, aut nullam esse, aut admodum hebetem, & exiguam. Refrigeratur autem cor in hoc affectu propter cerebrum, nã in caro, vt audietis mox, refrigeratum, & humectatum est cerebrum: tantum autem potest cerebrum, in refrigerando corde, vt dixerit Arist. non ob aliud factum esse cerebrum, nisi vt cor refrigeret. Ex his igitur colligi potest, carum esse symptoma in genere actionum abolitarum, cum sit abolita imaginatio.

In quo genere symptomatum reponendus hic affectus.

Locus affectus est cerebrum, & præcipue secundum partem anteriorem. Morbus est intemperies frigida, & humida, vel nuda, vel potius cum materia frigida, & humida. Id quod etiam clarissime nos docuit Auenzoar, lib. 1. tract. 9. cap. 1. cum doceret vitia imaginationis læsæ, dicebat, quod vbi læditur imaginatio a frigido, & humido, fiunt somni profundi, & morbosi.

Causæ immediatæ, & internæ sunt succi pituitosi, crudi, frigidi, & humidi. Causæ vero mediatæ sunt intemperies, seu temperamentum corporis frigidum, & humidum, ætas puerilis, & senilis, Cælius Aur. loco citato inter has causas reponit naturas saliuosas, hoc est, eos, qui a natura copiose exspuunt, nam, vt docet Gal. 1. prorrhet. 12. illi, qui multum exspuunt, habent os ventriculi, & præsertim cerebrum maxime humidum: qui autem sunt humido cerebro, certum est, eos propensos esse ad hanc affectionem suscipiendam.

De causis mediatis præternaturalibus scribit Gal. 4. de loc. aff. 2. morbos acutos producere earum, sic præfocationes vteri, vermes in stomacho existentes inter huiusmodi causas commemorati possunt. Aer humidus, & frigidus potissimum locum habet inter causas externas huius mali, vnde hyems, regioque septentrionalis iure feraces sunt huius ægritudinis. Gal. in libro de instrumentis odoratus cap. 6. numerat inter causas externas compressionem cerebri, factam a Chirurgo, dum perforat cranium, perforationem membranæ cerebrum ambientis.

Et ego quãdoque vidi ex importuna perforatione cranij facta a Chirurgo vulneratum quẽdam statim factum esse caroticum. Strabo lib. 16. narrat Sabæos populos incidere in hunc morbum ex odore, & fragrantia fructuum, & florum apud ipsos productorum, & curari suffitu bituminis, & barbæ hirci. Adhæc Gal. de temperamentis cap. 2. & Aristoteles 3. problem. 17. scribunt etiam a crapula, & potu vini fieri hunc affectum.

Neque mirum est a re calida fieri affectum frigidum, sicuti fit hydrops a potu vini, quoniam calor minor extinguitur in iecore a maiori: sic non est dubitandum in caro ex crapula calorem cerebri veluti extingui ab immodico calore vini. Hyoscyamus, mandrag. papauer, hac eadem ratione inducunt carum: Et Nicander narrat, morsum phalangiorum, & potum cerussæ ex ijs esse, quæ inducunt carum, siue torporem. Plutarchus in vita Antonij etiam Aspidis morsum, efficere carum inquit.

Itaque licet vobis ex numeratione harum causarum colligere, verum carum illum esse, qui fit ab intemperie frigida, & humida cum materia frigida, & humida, atque cum læsione omnium actionum, excepta respiratione; eum autem esse non verum, & improprium carum, qui efficitur a causa externa, & procatarctica, quæcũq; sit illa. Sed nũc opus est notas, & signa aliqua habere, quib. sciatis non solũ cognoscere ipsũ carũ, verũetiã distinguere ab alijs similib. affectib.

Signa.

Carus, vt differat a Lethargo.

Quoniam igitur carus, quem Latini soporem vocant, similis est pluribus alijs affectibus, ante cetera docebo vos signa, quibus possitis hunc affectum a similibus distinguere. Igitur sopor distinguitur primum a Lethargo, quoniam Lethargus semper antecedit febrem, & qui sopore tenentur, id habent, vt vel non febricitent, vel febris antecedat soporem. Præterea Lethargici si stimulentur, a somno excitantur, excitati respondent: contra autem Carotici, quantumuis pungantur, aut stimulentur, aut non excitantur a somno, aut excitati nihil respondent.

Ab Apoplexia.

Distinguitur ab Apoplexia, quia in apopl. valde læditur respiratio, & cerebrum totum affectum est æqualiter, in sopore nihil plane læditur respiratio. Et licet afficiatur totum cerebrum, magis tamen afficitur anterior pars eius. Præterea ait Gal. 4. de loc. affec. 2. quod Apoplexia, vt plurimum in paralysim desinit, qui a caro liberantur sani ex toto euadunt.

Ab epilepsia.

Distinguitur ab epilepsia, siquidem epileptici mouentur, spumam habent in ore, qui autem sopore laborant, nihil mouentur, neque vnquam spuma fit in ore.

A syncope.

Distinguitur a syncope, eo, quod qui syncope tenentur, pulsus habent admodum obscuros, & languidos, atque facies ipsorum cadauerosa est; at caroticis pulsus magnus, & validus est, atque color faciei potius floridus, quam cadauerosus est.

A præfocatione vteri.

A præfocatione vteri distinguitur, quod præfocatæ mulieres intelligunt, recordantur, & fere, sine omni respiratione sunt, in caro, neq; intelligunt ægri, neque recordantur, & manifestam respirationem habent.

Signa diagnostica.

Ex his omnibus signis distinctiuis colligere potestis, quæ sint vera signa diagnostica. Nam qui sopore corripiuntur, sine motu, & sine sensu iacent, oculos semper clausos habẽt, aut, vt Rasis inquit, si aperiunt statim claudunt secus, quam in catalepsi, in qua, vt scribit Gal. 2. prorreth. 56. fere semper oculi aperti sunt. Adhæc, respirationem quidem magnam habent, sed non impeditam multum; febris aut nulla est, aut maxime lenta, vt ex Possidonio scribit Aetius, in vultu, & pulsu mutatio pauca. Sed nihil intelligunt, & nihil audiunt. Quanquam Gal. loc. nuper citato secus videatur sentire in historia illius pueri de catalepsi. Hæc sunt signa, quibus cognoscitur carus. Quod si fiat a causis procatarcticis, vel a febre, vel a vermibus, cognoscitur proprijs illius affectus signis a quo fit.

Prognost.

Prognost. scribit Hipp. 2. aph. 3. somnũ, & vigiliã, si modum excedant, semper malum esse. Igitur dicet aliquis, cur fit, vt Hip. 2. prorrhet. 29. dubitet, vtrũ carus sit malus, nam videtur hæc dubitatio inconueniens, cũ in aphorismis dictũ sit, somnum immoderatum semper esse malum. Responsio est, Hippoc. loco illo prorrheticorum non loqui de vero caro, sed de affectione simili caro. Et hoc patet ex verbis Hippoc. quia non dicit carum, sed τὸ καρῶδες, quasi dicat affectionem caroticam. Præterea, cum somni profundi in Coacis prænotionibus interdum significent firmam crisin non sunt semper mali, & propterea rite dubitat Hippoc. de hac affectione,

an sit

an sit mala. Idem Hippoc. 5. aph. 5. scribit, quod si ebrius repente obmutuerit, strangulatur, nisi eadem hora liberetur, qua consueuit ebrietas solui. Quo in loco Galen. interpretans Hippoc. inquit, apud ipsum aphoniam nihil aliud esse, nisi hanc affectionem, scilicet carum. In prænot. coacis habetur etiam dolores soporosos capitis, hoc est, caro coniunctos conuulsionem significare.

Curatio huius affectus duplex est. Alia respicit accessionem, alia adhibetur post accessionem. In accessione, cum, vt dicit Auic. somnus fiat ob impedimentum spirituum, necesse est, vt reuocemus spiritus in ambitum corporis, & tollamus omne impedimentum. Et quia periculum imminet, ne affectus hic conuertatur in apoplexiam, propterea sollicitare oportet in adhibendis remedijs. Vnde statim atque occurret vobis hic affectus, vbicunque sitis, debebitis primum frictiones graues adhibere, ligaturas, perunctiones, vellicationes, & tandem omnem artem admouere, vt excitetis, ne suffocetur æger, quod monuit Gal. 2. apho. 5. Si hæc non conferant, deueniendum ad clysteres, atque ad suppositoria, & vt habeatis exempla. *Curatio.*

Suppositorium acre.

℞. *Helleb. albi* ʒ ß.
Salis gemmæ an. ʒ. ʒ.
Trochis. Allandal gr. vij.
Mellis q. s. Misce & f. suppositorium.

Quod si non iuuat, deueniendum ad clysteres acres, vt *Chrysteres acres.*

℞. *fol. centaurij M. j.*
Fol. senæ ʒ ß.
Colocynth. ʒ ß.
Fol. Maluæ M. j. ß f. decoct. s. a.

Deinde ℞. *d. d lib. j ß.*
Hieræ Archig. ʒ ß.
Ol. rutacei ʒ. iij.
Salis ʒ. j. Misc. & f. clyster.

Auic. laudat vomitum factum cum penna, & sinapi. Sed frustra mihi videtur hoc præcipere, quoniam qui caro detinentur, vsque adeo somno sunt sepulti, vt impossibile sit, eos ad vomitum prouocare. Vnde forsan melius est illud consilium, quod tradit idem Auic. vt si quando carotici excitentur a somno, & oculos aperiant, concitentur ad iram aspectu rerum sibi displicentium, exempli gratia: si æger sit auarus, ostendendæ sunt ei pecuniæ, & surripiendæ. Sic etiã, si sit zelotypus, fingendum est, ante ipsius oculos amasiam calcari. Post hæc deueniendum est ad suffumigia. *Vomitoria.*

Intellexistis apud Strabonem Sabæos populos excitari a sopore suffitu bituminis, & barbæ hirci. Et notate per barbam hirci intelligi quidem posse herbam illam. Sed forsan satius esse, vt intelligantur pili hircini, quippe, qui combusti proprio fœtore a somno excitant. Soleo ego vti simili suffumigio. *Suffumigiũ.*

℞. *Fol. rutæ.*
Serpylli.
Maior. an. M. ß.
Castorei ∋. ß.
Aq. communis lib. j.
Aceti acerrimi ʒ ij.
Bulliant simul, & inter bulliendum fumus adbibeatur naribus ægri.

Nam præterquam quod hic fumus excitat a somno, habet etiam vim disiccandi, & attenuandi. Sic valent ad excitandum irrigationes factæ faciei, & oculis, cum posca, siue aceto, & aqua. Auicen. laudat etiam sternutationes, sed in vero caro sunt periculosæ, præsertim, quando cerebrum plenum est humore frigido, & crasso. Post ipsi capiti adhibentur irrigationes, scilicet ad commissuram derasam. *Irrigationes.*

Et notare oportet hoc in casu, oxyrrhodinum debere componi ex maiori portione aceti, quicquid dicat Serapio, vt si vultis parare oxyrrhodinum accommodatum. *Oxyrrhodona.*

℞. *Decocti serpylli.*
Stæch.
Maior. an. ʒ. iiij.
Aceti acerrimi ʒ. vj.
Ol ros. ʒ. j misce & f. oxyrrhodinum.

Simili pacto componuntur pulueres calefacientes, & exsiccantes, qui commissuræ coronali insperguntur, vt: *Puluis.*

℞. *Stæch.*
Maior.
Serpylli.
Origani an. ʒ. iij.
Castorei ∋. ij.
Flor. ros. rubear.
Caryoph. an. ∋. j pulverizentur omnia. & commissuræ inspergantur.

Notat Auer. lib. 1. tract. 5 cap. 5. in administrandis calef. & exsiccantibus medicamentis semper commiscenda esse corroborantia, vnde nos miscuimus flores rosarum. Et hac sententia Auer. soleo corrigere locũ Aetij, lib. 6. in fine, c. 5. vbi laudat in caro medicamẽta corroborãtia

stomacho adhibeantur. Nam in affectu capitis videtur absurdum remedia ventriculo applicare; propterea puto, loco stomachi legendum esse capitis: nisi dicere vobis placeat, Aetium eo in loco verba facere de illo sopore, qui fit per consensum a ventriculo.

Vbi cetera non excitant a somno solemus deuenire ad ignem, & ferrum candens applicare varijs capitis partibus, sicque succurritur in accessione.

Extra paroxysmum curatio. *Diæta.*

Accessio autem vbi finita est, deinceps, vt præseruentur ægri a noua accessione, videndum est, vtrum fiat a causis externis, a vermibus, aut ab humoribus extantibus in capite. Si enim fiat a causis externis, vnicum hoc debet esse studium, vt recta victus ratione omnes causæ externæ e medio tollantur; quæ victus ratio etiam vtilis, & necessaria est in caro, facto per essentiam.

Victus ratio in præsentatione a caro vsque adeo necessaria est, vt fere hac sola liceat homines tueri ab hoc malo; ea propter in primis prospicere oportet, vt aer sit calidus, & siccus, vel parandus est igne, & alijs quæ possunt calefacere, & exsiccare aerem; potius vigilare oportet, quam dormire. Exercitationes corporis semper vtilissimæ sunt. Et de motibus animi dicunt omnes, iram maxime prodesse, eo, quod calefiunt, & exsiccantur corpora. Si aluus non respondeat, optimum est eam excitare, vel clysteribus, vel cibis emollientibus. Repletio omnis est vitanda; quemadmodum ieiunare, aut parce nutriri optimum est; fere omnes laudant abstinentiam a vino. Et sum etiam huius sententiæ, initio saltem orationis optimum esse a vino abstinere; & vbi vtendum est, melius esse vinum vetus, & generosum, quam secus, quia tale vinum solet vigilias excitare, vt habetis apud Gal. de illo Grammatico, qui ex potu vini meracioris incidit in vigilias. Vbi abstinendum est a vino, aqua mulsa optima est; & potest similis aqua parari pro potu.

Potus conueniens in caro.

℞. Fol. maior.
Serpylli.
Saluiæ an. M. j. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. dec. lib. ij.*
Mellis communis ℥. iij.
Despumetur ad ignem, & seruetur pro potu.

Ex cibis conuenit panis optime fermentatus cum aniso, vel cum coriandro sicco, & a lolio perfectissime expurgatus: solet namque hoc genus frumenti sponte morbum facere; vnde infelix lolium a Poeta vocatur. Plautus in milite. Mirum est in lolio victitare te, tam vili tritico: quod prouerbium factum est de his, qui lusciosi sunt. Addidi coriandrum siccum, quia vitide induere soporem. Carnes auicularum conueniunt, & potius assæ, quam elixæ. Salsamenta etiã moderate vsurpata conferunt.

A piscibus in totum abstinendum est; similiter a lacte, a caseo, & inter fructus humidi omnes sunt fugiendi, præsertim amygdalæ, & ex herbis lactuca, endiuia, & similes, quæ frigefaciunt, & humectant, sunt vitandæ.

Instituto victu, cogitari forsan posset de sanguine mittendo, & eo maxime, quod Auicennas videtur voluisse, hunc affectum interdum posse fieri, si non a sanguine pituitoso, saltem cum sanguine. Sed puto fieri nequaquam posse, vt verus carus vnquam fiat vel a sanguine, vel cum sanguine. Possunt quidem affectus comatosi similes huic fieri a sanguine, vt habemus a Galeno in art. med. cap. de signis calidi, & humidi cerebri: sed verus carus fieri non potest a sanguine, & ratio est, quia in caro semper est refrigeratum cerebrum, vbi sanguis est multus, multum abest, vt possit, & cerebrum ita refrigerari. Cum igitur non sit sanguis mittendus, restat vt humores præparentur lenita aluo, hoc modo.

Lenit.

℞. Elect. lenit. ℥. j.
Specierum hiera ʒ. ij. M. & f. bolus.

Præparantia.

Post præparandi sunt humores hoc modo.

℞. Fol. beton.
Stæc.
Maior. an. M. ß. f. decoctio.

Deinde *℞. d. d. ℥. v.*
Syr. de beton.
De stæch an. ℥. j. M.

Præparati humores purgabuntur, & aduertite satius esse purgare pilulis, quam potione, vt sunt hæ.

Pilulæ purgantes.

℞. Pil. cochiarum,
de hiera Pachy, an. ℈. ij. ß.

Postquam purgatum est corpus, studendum est corroborare, & calefacere caput. Nic. Flor. laudat, præsertim in senibus, vsum aquæ vitæ. Et neque ipse damno, præsertim in assuetis. Sed multo melius est, vti vel theriaca antiqua, vel mithrid. confectione. Odoramenta capitis, vt moschus, ambra, & similia maxime conueniunt post purgationem capitis. Et hoc pacto intelligendus est Auic. quando in hac affectione commendat moschum. Non enim commendat in accessione, quia tunc potius res fœtidæ, quam bene olentes sunt administrandæ. Soleo ego etiam ad præseruandum vti huiusmodi mixtura.

Conserua præseruãs a caro.

℞. Conf. betonicæ.
Saluiæ an. ℥. ij.
Pulu. anisorum.
Pulu. coriandri an. ʒ. j.

Cinnamomi

Cinnamomi subtiliter pul. ℈.j.
Mosch. gr. iij. f. mistura. Cuius sumitur singulo mane ʒ.ß.

Sic etiam solemus vti lotionibus capitis, quæ vim habent calefac. & exsiccãdi, exempli gratia,

Lotio capitis conueniẽs in hoc affectu.

℞. Liscuij cum cinere ficus facti lib. X.
Fol. stæch.
Rorism.
Saluiæ an. M. ij.
Colocynt. ʒ.ß bulliant s. a.
Deinde facta expressione adde vini albi arom. lib. ij. f. lotio capiti. Quæ fieri poterit cum sapone Constantini vocato, aut loco saponis cum amygd. amaris contusis.

Si his remedijs propensio ad hunc morbum ex toto non tollatur, possumus deuenire ad vsum decocti ligni, aut ad stillicidia naturalia, & inter hæc stillicidium nostrum Aponitanum accommodatissimum est.

CAPVT VIII.

De Catalepsi.

Nomen.

INter vitia imaginationis Galen. vt audiuistis alias, lib. de differ. sympt. 3. connumerat Catalepsin; de qua cum nunc sim tractaturus, optimum erit, nonnulla vos docere circa hoc nomen, nam scribit Gal. 4. de vsu part. 16. & 3. de loc. aff. 4 & 5. Veteres vocasse hunc affectum Catochum; recentiores autem appellasse Catochum, & Catalepsin. Latini modo vocant oppressionem, modo apprehensionem, modo detentionem, alij ecstasin, sed maior pars tum Latinorum, tum Arabum nominãt congelationem. Rases vocare voluit stupiditatem. Auer. 3. coll. 41. scripsit hunc affectum vocatum esse Alcasian, & Nabu. Cæl. Aurel. lib. 2. de morb. acutis 10. duo circa hoc nomen memoria digna proponit. 1. est, Hippoc. 5. aph. 5. & 4. de acutis, necnon Dioclem Medicum vocasse hunc affectum *ἀφωνίαν*, sed Praxag. vocasse Comatoden. Et Antigenem Cleophantidem vocasse Anaudian.

Aliud quod docet Cæl. Aurel. est, quod veteres nunquam distinxerint hunc affectum a Lethargo, sed primo distinxisse Archigenem, Agathinum, & Magnum, quod quoque dixisse videtur Paulus lib. 3. cap. 6. & Galen. 3. Epid. com. 2. tex. penult. ex quo vltimo loco Cęlij colligo ego non verum esse, quod Hipp. sub nomine Aphoniæ intellexerit hunc affectum, quia si ante Archigenem, & Agat. nemo discreuit a Lethargo, ergo neque Hipp. qui fuit longe ante, propterea notate apud Hipp. Celsum, & antiquos illos non inueniri hunc affectum discretum.

Est autem Cathocus affectus quidam, in quo homines repẽte priuantur sensu, & motu, & ita priuantur, vt statim in eadem figura maneant, in qua capiuntur hoc affectu, siue sint erecti, siue sedeant, siue etiam studeant. Præterea, qui capiuntur hoc affectu illud habent, vt interdum ita duri maneant, quasi sint rigida corpora, & gelu concreta; & tametsi interdum maneant oculis apertis, manent tamen interdum etiam oculis clausis, sed plerumque apertis.

Vtrum autem intelligant, & recordentur, variæ sunt scriptorum sententiæ, nam Galenus 2. prorrhet. 56. narrans casum illius iuuenis, qui tentatus fuit hoc affectu, videtur asserere, illum intellexisse, atque etiam recordatum fuisse. Sed si verum est, vt alibi dixit Galenus esse paralysin imaginationis, & priuationem sensus, vix intelligi potest, quomodo in hoc affectu possint ægri intelligere, cum ex toto careant imaginatione, sine qua, vt dicit Arist. intelligentia fieri non potest, & ideo dicendum est, in vera, & consummata Catalepsi minime ægros intelligere, aut recordari, sed solum in imperfecta, & inchoata; cuiusmodi puto fuisse iuuenẽ a Galeno relatũ; quẽ etiam scribit Galenus fuisse hilari vultu. Et hoc pacto forsan possumus etiam tueri Aetium, qui lib. 6. cap. 4. loquens de hoc affectu, scribit etiam interdum Catalepticos manus mouere, quod tamen non conuenit naturæ Catalepsis, si ipsa sit priuatio sensus, & motus.

Genus symptomatis.

Vtcunque sit, Catalepsis omnis est symptoma in genere actionum imaginationis læsarum. Et Gal. lib. 4 de loc. aff. cap. 2. loquens de loco affecto in Catalepsi, dixit totum cerebrum affici, sed potissimum posteriorem partem.

Locus affectus.

Duo circa locum affectum oriuntur dubia; vnum est, quomodo possint haberi signa loci affecti in Catalepsi, cum sit dictum a Galeno 3. de loc. aff. 4 neque Catalepsis, neque Lethargi, neque similium affectionum vlla haberi signa. Alterum dubium est, quod Gal. dixerit in Catalepsi posteriora cerebri offendi, siquidem in Catalepsi penitus abolita est imaginatio, quæ si efficitur in anteriori parte cerebri, videtur rationi consentaneum, vt potius anteriores partes, quam posteriores offendantur.

Dubitatio soluitur.

Ad primam dubitationem respondendum est, signa loci affecti, aut esse incerta, aut certa, & sensata. In Lethargo, & Catalepsi habentur quidem signa quædam incerta, sed non habentur signa sensata, & certa. Et hoc clarissime videre potestis apud Gal. 13. meth. 21. vbi scribit, Catalepsis non haberi signa, neque per tactum, neque per visum.

Alia difficultas soluitur.

Ad secundam dubitationem dicendum est. Galenum, quando scribit, posteriora magis affici in Catalepsi, non negare tamen, quin etiam anteriora lędantur. Sed quanquam semper lędatur imaginatio

imaginatio in Catalepsi, semper tamen magis apparet læsus motus. Vnde iure Gal. dixit, in Catalepsi magis offendi posteriora: siquidem, si apparentia æstimemus, cum magis videatur læsus motus, rationi, & sensui consentit, vt posteriora cerebri magis lædantur, quanquam, vt dicebã, semper quoque lædatur imaginatio.

Morbus.
Fern. notatur.

Morbus, a quo pendet hæc affectio, est intemperies frigida, & sicca cum humore frigido, & sicco, hoc est melancholico. Quare, non possum satis mirari Fern. qui dixit Catalepsin fieri cum bile, & pituita; nisi dicamus bonum Fern. deceptum esse ab auctore definit. nomine Gal. editarum, atque a Paulo lib. 3. ca. 6. Isti enim has species Catalepsis fecerunt. 1. quam appellant Catochen Archig. & Philipp. 2. quæ fit ab humore melancholico, & est vera Catalepsis. 3. quæ fit a pituita, & bilæ: quæ non est vera Catalepsis, sed potius, vt audietis, Coma vigil. Bonus igitur Fer. in hoc deceptus est: Quoniam putauit hanc tertiam speciem veram esse Catalepsin, cum tamen non sit.

Problema.

Sequitur pulcherrima speculatio, scilicet quomodo fiat, vt qui laborant Catalepsi, statim ita obrigeant, vt videantur congelati. Maior pars Medicorum vsque ad hæc tempora, existimauit hoc fieri, quoniam humor melancholicus suo frigore congelat, & indurat principium neruorum. Vnde consequenter omnes nerui, tendines, & vniuersum corpus veluti congelatur. Sed quantum ego puto, puræ fabulæ sunt, quoniam in extremis partibus si debet quippiam congelari, & indurari, hoc necesse est, vt fiat a summo gelu. Ergo tanto magis in partibus internis, quæ calidæ sunt, si quippiam congelari debet, fieri non potest, nisi a re summe frigida. Iam vero, quis audet in corpore viuente gelu, & frigus vsque adeo summum imaginari.

Præterea Gale. 6 epid. com 3. tex. 26. narrans, quando Hippoc. dixerit ea, quæ sunt in ventre, durari a frigore, irridet quosdam interpretes, qui dicebant hoc fieri ob frigus aeris ambientis, irridet inquam Galenus, quoniam in corpore viuente etiam intestina, quæ suapte natura frigida sunt, non possunt ita refrigerari ab aere ambiente, vt indurent fæces. Sunt igitur nugæ hæ interpretationes. Audite modo, quæ sit mea sententia.

Auctoris iudicium.

Iam vobis dixi, nonnullos vocasse hanc affectionem ecstasin. Et ego puto prudenter hos esse locutos eo quia, nisi me ingenium fallit, modus generationis huius mali est modus Ecstasis, fiunt enim omnes Ecstatici, quando intellectus, & imaginatio vsque adeo abducuntur a corpore, vt corpus veluti desertum anima remaneat, atque tunc fit, vt corpora ecstaticorum iaceant eo situ, quo reperiuntur sine vllo sensu, ita, vt etiam puncti non sentiant: & relatum est de quamplurimis, qui in contemplatione raptis non moueantur, neque sentiant: quomodo fit hoc? Fit quia homines tametsi oculis spectant res ipsas, nisi sensus cõmunis accedat, sensus operari non videtur; ratio omnium est, quia animalia mouentur propter imaginationem, vbi imaginatio cessat, cessat & motus: est videre sæpe, quod homines inter ambulandum quiescant, eo quod imaginatio auertitur, & ab intellectu alio vocatur. Hoc ita demonstrato, non aliunde hoc proficiscitur in hoc morbo, nisi quia sensus communis, imaginatio, & aliæ operationes statim gignuntur, nam vbi cessat sensus communis, statim cessat sensuum operatio, vbi tollitur imaginatio, statim tollitur, & motus. In hoc morbo statim istæ operationes de medio tollitur, & propterea in ea figura, in qua inuenitur homo eo tempore, in eadem ẽt durante morbo, remanet.

Causa propter quam statim priuentur imaginatione, & memoria, est, quoniam humor melancholicus statim præcipitatur in anteriores, & posteriores cerebri partes, quæ subitanea præcipitatio idem facit, quod fit a pituita in apoplexia, quæ pituita, vbi repente præcipitatur in ventriculos Cerebri, statim homo remanet sine motu, & sensu, & hæc quoque est causa, cur non fiat hoc in Caro, scilicet, quia in sopore non subito, & repente, sed paulatim colligitur pituita, & paulatim refunditur in poros, & meatus cerebri. Hic igitur, quantum puto, est verus modus generationis Catalepsis.

Causæ.
Altmarus notatur.

Causæ non aliæ sunt immediatæ, & internæ, quam ipsi humores frigidi, & sicci, hoc est melancholici. Aetius lib. 2. cap. 4. manifestissime voluit, fieri Catalepsin etiam a sanguine. Et Altimarus, qui vidit hanc diuersitatem Aetij ab alijs scriptoribus, conatus est conciliare, quasi Aetius non de sanguine simpliciter sit locutus, sed de sanguine melancholico. Ego vero sum alterius sententiæ: quoniam si diligenter expendantur verba Aetij, vult fieri a plenitudine sanguinis, nam dat exemplum iuuenis sanguinei, & inquit curatum fuisse sanguinis missione, adeo, vt manifestissime Aetius loquatur non de plenitudine vitiosa, cuiusmodi est, quæ fit a sanguine melancholico, sed de vera, & germana plenitudine. Ego puto dici oportere, Aetium eam habuisse sententiam, vt fiat quandoque Catalepsis a sanguine, sed μᾶλλον hoc est, magis, ab humore melancholico. Nisi dicere placet, Catalepsin factam a sanguine non esse veram Catalepsin.

Causa mediata.

Causa mediata est, intemperies melancholica frigida, & sicca; ætas, de qua sermonem habens Cæl. Aurel. dixit ætatem puerilem obnoxiam esse huic morbo. Sed, vt ego puto, deceptus est Cœl. quoniam si vera Catalepsis efficitur a succo melancholico, hic non in ætate puerili abundat, sed potius in ætate consistentiæ. Neque valet, quod Galenus, & Aetius narrant, sese vidisse hanc affectionem in iuuenibus, quoniam, vt alias dixi, non fuerunt veræ Catalepses.

Causæ præter naturales internæ & externæ.

Causæ præternaturales internæ sunt morbi diuturni, & præsertim morbi melancholici, vt quartanæ. Inter causas externas primũ locum hẽt aer frigidus, & siccus, tempus anni, veluti autumnus. Regio etiam inter has causas numeratur. Nam, vt testatur Asclepiades apud Cæliũ, regio vrbis Romæ maxime obiecta erat huic ægritudini. Motus animi vehementes præsertim curæ, & mærores hoc faciunt. Et narrantur, qui, dum essent inter libros, hoc morbo fuisse correpti.

Præ-

Præ cæteris vim insignem producendi hunc morbum habet victus; cum referat Gal. sese vidisse aliquos solo potu aquæ refrigeratæ niue incidisse in hunc morbum. Soranus quoque princeps Methodicorum refert se vidisse, vsu Persicorum nonnullis hanc affectionem contigisse.

Signa. *Lethargus, vt a Catalepsi differat.*

Signa. Dignoscitur hic affectus primũ a Lethargo, quia, vt docet Gal. lib. de puls. ad tyrones, & 4. de causis pul. 16. pulsus Lethargicorum sunt debiles, molles, & inæquales; Catalepticorum autem sunt magis æquales, maiores, & minus molles, vt ait Galenus quarto, de causis pul. 16. Deinde Lethargici semper habent oculos clausos; Cataleptici plerumque apertos.

Apoplexia, vt a Catalepsi distinguatur.

Distinguitur ab Apoplexia, quoniam Apoplectici pulsus habent paruos, & celeres, sed sine febre; Cataleptici habent maiores pulsus, & non sine aliqua febricula.

Sincope, vt a Catalepsi differat.

Præterea distinguitur ab omni defectu animi; quoniam in deliquijs animi corpora ægrotantiũ frigida sunt, & color cadauerosus est. In Catalepsi corpora sunt calida, & color floridus est.

Propria signa Catalepsis.

Ex his iam colligitur, quæ sint propria signa Catalepsis; quoniam Cataleptici sunt sine sensu, sine imaginatione, sine motu; non audiunt, non vident: imo vero scribit Aetius, si quis Catalepticis manum ante oculos ponat, non nictant; quod certissimum signum est, eos penitus nihil intueri, & huius rei rationem dicebat Aetius 3. [illegible] 45. quoniam a frigido veluti inducatur somnus, & [illegible], a sicco inducatur illa oculorum apertio, & rigiditas. Pulsus Catalepticorum est, vt nuper dicebam, Respiratio, modo rara, modo densa est, Fæces, & vrinæ, plerumque in ipsis retinentur, vel ob insensibilitatem, vt dicebat Aetius, vel potius, quia imaginatio, quæ est causa mouens corpora nostra, est penitus ablata. Sudant interdum Cataleptici, vt dicit Cælius, lachrymãtur, & circa thoracem apparent papulæ rotundæ.

Quod ad accidentia mutata pertinet, dicit Galenus, illa esse media inter Phrenitidem, & Lethargum. Quare neque delirant, nec vere dormiunt, sed status eorum veluti medius est inter somnum, & vigiliam. Singultum habent sæpe. Color vultus floridus est, corpus calidum.

Prognost.

Prognost. Et cum sit morbus acutus, periculosus est. Neque valet, quod Cæl. Aurel. tractet de Catalepsi inter morbos diuturnos. Quoniam hæc fuit methodicorum sententia, Catalepsin esse partim morbum acutum, partim vero diuturnum. Et Aetius lib. 5 dicebat non solum Catalepsin esse periculosam, verumetiam esse magis periculosam Lethargo. Vnde Rasis dixit, si Catalepsis fiat interdum post Lethargum, eam esse exitialem. Et ratio est, quia cum Lethargus sit morbus acutus, & propterea vires admodum atterat; certe, si transeat in alium affectum grauem, necesse est, vt vires iam pristino morbo detritæ penitus sub nouo collabantur. Habet tamen hic morbus id peculiare, vt cum sit medius inter phrenitidem, & Lethargum, modo cõuertatur in phrenitidem, modo in Lethargum. Et vbi conuertitur in phrenitidem, cognoscitur, quia ægri incipiunt moueri motu quodam inordinato, iactant brachia, ponunt manus ad caput, obloquuntur, & vana quædam semper dicunt: sicut si in Lethargum conuertitur, æger stertit, clausos oculos tenere incipit, & color floridus, vel amittitur, vel permutatur in pallidum, & cadauerosum; sicuti si Catalepsis soluitur, & finitur, & cognoscitur, quoniam iam ægri incipiunt emittere crepitus, iam sapere incipiunt, recordantur aliquorum, &, quod caput est salutis, ipsimet fatentur sese melius habere.

Curatio. *In paroxysmo.*

Curatio alia conuenit in paroxysmo, alia post paroxysmum. In paroxysmo vnicũ debet esse studium, vt ægri reuocentur a somno, seu ab ea oppressione, id quod fit omnibus illis ingenijs, quæ [illegible] conuenire in recessione [illegible]. Illud singulariter considerandum est in Catalepsis curatione, quomodo scilicet possint nutriri; siquidem solent interdum totum triduum, ita iacere, quod nequeant cibum capere. Themison Medicus celeberrimus apud Cæl. Aur. dicit in hac extrema necessitate cuneis aperiendum esse os ægrotantis, & vt immittendum esse cibum. Sed hoc consilium non placuit Cælio, & iure. Quoniam cum in Catalepsi cerebrum maxime læsum sit, certe administratione cunei multo magis percutitur, & offenditur. Quamobrem multo satius est ol. amygd. dulc. genas perungere, atque ita digitis paulatim os diducere. Quod si neque ita succedat ægrotantem nutriri, clysteres nutritorij in hoc cõmodissimi sunt, vt fiant ex iure, ptisana, ex carne contusa. Sic enim clysteres maxime nutrire valeant.

Curatio extra paroxysmum.

Extra paroxysmum in primis victus ratio instituenda est, quæ calefaciat, & moderate humectet, vnde laudo cibos sorbiles, seu bibiles, vt ait Cælius, succum ptisanæ, brodia, panem tritum, cerebella, olera, quæ non sint virtutis acrioris; pro potu, mulsam, aquam coctam. Aer quoque talis parandus est. Somnus moderatus esse debet; motus animi præ ceteris debent placari; & aduertite, Domini, instituendis remedijs, nunquam negligendas esse has animi passiones, quoniam, vt scribit Hippocrates 2. de epid. sect. 4. circa finem; Medicus debet curare, vt in ægrotantibus secundum opportunitatem introducatur modo lætitia, modo timor, modo ira.

Græci, & Altimarus vinũ tenue indulgent. *Abhorret Auenzoar.*

Et in hoc casu vitanda sunt aromata, quia exsiccant, & nimis petunt caput. Græci omnes, videntur vinum tenue concedere, quemadmodum, & Altimarus, qui aquæ præfert vinum albũ, aquosum, tenue, subadstringens: sed magnus ille Auenzoar abhorret vinum; ego vero, sum omnino eius sententiæ, & in hoc affectu, ac in alijs capitis affectibus, quantum fieri potest abstinendum esse a vino, eo magis in affectu sicco, quia vinum desiccat, quod si aliquando concedendum est, concedendum [illegible] modo in manifesta declinatione, eo enim tempore, conuenit vinum, quia extenuat, & exsiccat humores. Sed dicetis vinum tenue potest concedi, nam non petit caput? Domini nugæ sunt, quia vinum tenue etiam petit caput; quæro, quid est tenuius, quã illud vini genus, quod apud Romanos vocabatur lora? Verũtamen Gal. 2. de alimentorum facul. scribit huiusmodi loram ferire caput; quare prudentissime factum est ab ipso, vt primo, de

Omne vinũ caput petit etiam tenuissimum.

loc.

loc.affect.semper negarit vinum in affectibus capitis. Habetis etiam testimonium Arnaldi, qui in probl.dicebat, vinum, & aquam castigatum inebriare, & refert Plutar.6.sympos.8.ex sententia Aristot.quod maculæ, quæ proueniunt a vino tenui, & lymphato difficilius auferuntur, adfert rationem, quia huiusmodi vinum magis penetrat; itaque satius esse puto a vino abstinere.

Post institutum victum cogitandum erit de sanguine mittendo. Actius præcipit, vt si plenitudo adsit, quamprimum vena secetur: sin minus, vt cucurbitulæ affigantur ceruici. De venæ sectione vbi adest plenitudo, minime dubitatur. Sed dubium est, de cucurbitulis primum, quia Galenus, 3. de loc. aff.4. damnat in affectu sicco vsum cucurbitularum, eo quia attrahendo humiditates augent siccitatem. Præterea idem Gal.13.meth.21.vel 19.scribit, nunquam applicandas esse cucurbitulas ceruici, nisi prius sit missus sanguis, & diminuta plenitudo, quia ex vsu cucurbitularum importuno maior copia humorum trahitur in affectam partem.

Dicendum est, affectum siccum, vel esse purum, vel esse coniunctum humoribus. In affectu puro minime conueniunt cucurbitulæ: Et sic loquebatur Galenus. Vbi autem sunt copulati humores, secus est, quoniam tum cucurbitulæ exhauriunt quidem superuacaneos humores, neque affectum augent. Atque sic intelligere oportet Actium loquentem de Catalepsi.

Ad alterum locum Gal.dicere oportet, verum esse ipsius præceptum: quoniam vbi adest plenitudo, soluenda est plenitudo ante vsum cucurbitularum. Sed Actius minime loquitur de corporibus repletis, & idcirco licet in his statim cucurbitulas adhibere.

Expedito negotio sanguinis missionis, superest ad purgationem corporis accedere. Itaque primum aluus his erit lenienda.

Lenitiuum.

℞. Fl cassiæ.
Elect.lenit.an.ʒ.vi.M.& cum sacchato f.bolus.

Præparans.

Mox præparandi hunc in modum.

℞. fol. cuscutæ.
Fum.
Borrag.
Buglosf an.M.j.f.decoct.f.a.

Deinde *℞.d.d.℥ iiij.*
Syr. de fum.
de succo borrag.an.℥.j.M.

Purgans.

Præparati humores deinceps sunt purgandi, vt

℞. epithymi.
Fol. senæ an.ʒ.j.ß.
Myrobal nigrorum.ʒ.ij.
Passularum .℥ ß.
Fl cord.P.j f decoct.f.a.

Deinde *℞.d.d.℥.iiij.ß.*
Confect Hamech.ʒ.ij.
Syr. de pomis cõ.℥.j.ß.M.

Postquam purgatum erit corpus deueniendum est ad ea, quæ tollunt intemperiem capitis, hoc est, quę moderate humectant, & calefaciunt, vt sunt perfusiones factę super tempora ex ol. viol.ol.amygd.dul cum lacte. Quibus poterunt etiam in progressu addi, quę discutiunt leniter, veluti si oleum cham. vel anethinum addatur prędictis. Chrysippus Medicus laudabat etiam in hoc casu acria medicamenta, cuiusmodi est castoreum, sinapi. Sed cum hæc medicamenta nimium exsiccent, opus est humectantibus ea castigare, ex. gr.

Linimentũ.

℞. Ol. vulpini.
Ol. amyg.dulc. an.℥.j.
Castorei,
Sinapis an.℈.j.
Ceræ par.an.M.& f. linimentum.

Quo licet quoque vti quotiescunque post Catalepsin relinquitur tremor, quemadmodum interdum contingere solet.

Quod si etiam vrina aliquo pacto impediatur, necesse est, vt Medicus maxime sit sollicitus, & in huiusmodi casu pecten diligenter fricandus est digitus perunctis oleo, vel rutaceo, vel scorpionum. Paratur etiam in hunc vsum tale emplasma.

Cataplasma pro vrina cienda.

℞. Ol. Scorpionum.
Ol. rutacei an.℥.j.ß.
Vini aromatici.℥.iiij.
Fol. vrticæ.
Pariet.
Rutæ an.M.j.bulliant omnia simul, & deinde contusa ac in formam emplastri redacta applicentur.

CA-

CAPVT IX.

De Cataphora, seu Comate.

Similes affectus prædictis sunt illi, qui vitiant diminute imaginationem, adeo, vt, cum hactenus tractauerimus de ablata imaginatione, sequatur tractatio imaginationis diminutæ; quæ apud Medicos appellatur modo Cataphora, modo Coma: quæ nomina, vt docet Gal. 2 meth. accepta sunt ab ipso symptomate. Sed priusquam vlterius progrediamur, scire vos oportet, huiusmodi nomina dupliciter apud Medicos vsurpari consueuisse: vno modo communiter, alio modo proprie. Communiter Coma, & Cataphora significant quoscunque affectus in quibus vel somnus fit, vel passio similis somno.

Nomen. Communis acceptio.

Atque si Gal. 11. de simp. med. fac. sed potissimum 13. meth. 21. complexus est sub Cataphora, & Comate, Lethargum, Apoplexiam, Carum, & similes affectus. Proprie autem Coma, & Cataphora significant delationem quandam, siue demersionem in profundum somnum, quæ delatio, siue demersio, aut vere desinit in somnum, aut non desinit in somnum. Si desinat in somnum, appellatur Coma somnolētum, Auic. appellat Subeth asarim: Latini vocant proprie hunc affectum veternum, & interdum soporem. Si hæc delatio minime desinat in somnum, sed in vigiliam, appellatur Græce κῶμα ἀγρυπνῶδες. Auicenna, vocat Subeth Sarach.

Propria significatio.

Paulus Aegineta lib. 2 dixit hunc affectum postremum a veteribus vocatum fuisse catochū, sed valde deceptus est, quoniam, vt optime docuit Gal. 3. de loc. affec. 1. veteres Catochon ipsam Catalepsin, non autem Coma vigil nominarunt. Galenus 3. in 3. epid. 39. loquens de hoc affectu, hoc est, de Comate vigili, dixit esse medium inter phrenitidem, & Lethargum, & inter somnum, & vigiliam. Sed scire debetis, quemadmodum apud philosophos, ita quoque apud medicos duplex medium inueniri: aliud per negationem extremorum, aliud per commistionem extremorum. Vtroque hoc modo, quantum ego puto, Coma vigil dicitur a Galeno medium. Siquidem huiusmodi affectus interdum ita fit, vt ægri neque dormiant, neque vigilent, sed videantur modo vigilare modo dormire.

Et simili pacto videtur locutus Arist. quādo in 5. de ge. anim. 1. dixit, eos, qui loquuntur, & ambulant inter dormiendum, neque vere dormire, neque vere vigilare, quasi sicut in affectu morboso, ita quoque in sanitate detur huiusmodi medium per negationem extremorum.

Alio modo fit Coma, & Cataphora, scilicet per admixtionem extremorū, & hic modus fit, quotiescunque ægri partim vere dormiunt, partim vere vigilant, vt iure Gal. 1 prorrhet. 1. dixerit, huiusmodi affectum esse mixtum ex phrenitide, & Lethargo; propter quod veteres appellauerunt etiam hunc affectum τυφομανίαν. Vbi debetis annotare, in lib. de defin. male legi τυφωνίαν cum legi debeat τυφομανίαν, neque miremini, quod hic affectus dictus sit a Medicis compositus ex vigilijs, & somno, quia tametsi somnus, & vigilia sint contraria, tamen contraria imperfecta possunt simul esse, & præsertim diuersis temporibus: quomodo autem fieri possit, vt in eodem affectu ægri modo dormiant, modo vigilent, explicare conatus est Galenus, lib. de Comate cap. secundo, vbi scribit, huiusmodi ægrotantes sua natura propensos esse in somnum. Sed cum interdum a varijs imaginationibus tententur, fit, vt vigilent tantisper, donec durant huiusmodi phantasiæ. Sed de hac Gal. sententia vehementer dubito. Primo, quia liber ille de Comate mirum in modum defædatus est, & in Græco codice hæc sententia non habetur. Sed est, & alia ratio, cur mihi non placeat hæc sententia, eo quod, si in Comate, & Cataphora diminuta est imaginatio, fieri non potest, vt imaginationes adeo abundent, quod somnum turbent.

Τυφομανία quid.

De Gal. sententia dubitatur.

Itaque nulla alia est ratio, quod vigilent, & dormiant, quam quia hic affectus fit ab humore pituiroso, & bilioso, quorum vnus somnum, alter vigiliam facit.

Hic affectus est symptoma & est in genere diminutarū actionum, scilicet diminutæ phantasiæ. Sed duo scrupuli hic oriuntur. 1 an semper Cataphora sit symptoma, & propterea res præternaturalis. 2. est, vtrum etiam possit dici actio corrupta, seu deprauata: quandoquidem dixit Gal. componi ex Phrenitide, & Lethargo. Est autem phrenitis actio deprauata. Circa primum si videatis Gal. in lib. de Comate, innumeros Hippocratis locos producit, in quibus manifeste intelligitur, hunc affectum semper esse rem præternaturalem.

Genus symptomatis.

Ex altera parte Galenus quarto, de Tuend. val. 4. scribit, somnum factum a balneo esse rem optimam, & ex huiusmodi somno cognosci succos corporis, quoniā a succis frigidis fiunt Comata, Gal. eo in loco certe loquitur de corporibus sanis in toto illo libro. Igitur in corporibus sanis fiunt etiam Comata, & sic non est semper res præternaturalis. Præterea idem Gal. in lib. de arte med. loquens de signis calidi, & humidi cerebri, inquit eos, qui sunt præditi simili cerebro, fieri Comatolos. Sed Gal. eo in loco sermonem habet de corporibus positis in latitudine sanitatis. Igitur in corporibus sanis fiunt Comata.

An semper Coma symptoma sit, & res præternaturalis.

Pro huius rei solutione dicendum est, Coma, & Cataphoram semper esse res præternaturales: Vnde, quando Gal. 4. de Tuend. val. ponit Comata in corporibus sanis, non loquitur de vero Comate, sed abusiue loquitur ea voce pro somno profundo, sed naturali. Et hoc intelligere potestis, quia vtitur voce plurali, hoc est Comara, quod quidem non solet facere, quando proprie loquitur. Ad secundam auctoritatem dicit Fuchsius eo in capite, iure Galenum vsurpasse

Fuchsius notatur.

vocem

vocem Comatis, quoniam ibi sermonem habet de morboso capitis habitu. Sed longe fallitur bonus hic vir, quoniam etsi Galenus, ibi scribit huiusmodi caput esse morbosum, non tamen vult dicere, quod ægrotet; sed quod νοσώδης, hoc est morbis capiendis facile expositum. Leonicenus, & Iac. Foroliuiensis conciuis meus, extimarunt, eo in loco Gal. huiusmodi voce Comatis vti pro somno, sed profundo, non autem pro comate.

Vox comatodes quid significat.

Et forsan Leonic. legendum esse voluit ὑπνώδης non κωματώδης. Sed, quantum ego puto, dicere oportet, Gal. hac voce κωματώδης non intellexisse eos, qui actu Comate premuntur, sed qui accedente quauis occasione facile in coma labuntur. Et certe quicunque habent caput valde calidum, & humidum, seu quacunque occasione in morbos facile Comata, & Cataphoras incurrunt, vt videbitis in actu practico.

An Coma possit dici actio deprauata.

Circa secundum dubitatur, vt dicebam, an Cataphora, & Coma possint dici actiones deprauatæ. Audiuistis Galenum facere Coma vigil ex phrenitide, vt hac ratione debeat dici deprauata actio. Sed contra est, quoniam idem Galenus tertio, prorrhet. 6. scribit ecstasin esse contrariã Comati, sed ecstasis apud Galenum, & veteres est species insaniæ. Si ergo est contraria Comati non debet Coma esse delirium, & consequenter non actio deprauata. Respondendum est dupliciter: vno modo, quando Galenus opponit Coma ecstasi, non loqui de Comate vigili, sed de Comate somnolento, quod quidem actio deprauata non est, nec delirium.

Locus affectus.

Alio modo responderi potest, duplicem esse ecstasin, alteram morbosam, alteram non morbosam; quando Galenus opponit ecstasin comati, loquitur non de ecstasi non morbosa, sed de ecstasi morbosa.

Morbus.

Differentia inter coma, & carum.

Cum ergo Coma & Cataphora sint symptoma, hoc est actio læsa, loca affectus est cerebrũ & præsertim anterior pars. Morbus intemperies, & frigida, & humida, cum humoribus frigidis, & humidis, vt dicit Galenus, libro de humoribus cap. vlt. Paulus Aegineta libro tertio, capite secũdo, rem annotatione dignam nobis reliquit, scilicet hac in re differre Coma a Caro, quia carus magis dependet a frigido, coma magis dependet ab humido.

Causæ.

Causæ immediatæ comatis vigilis sunt humore pituitosi, & biliosi, Somnolenti vero comatis sunt humores frigidi, & humidi. Causæ externæ huius affectus, vt docet Galenus 3. de temp. sunt crapulæ, ebrietates, venti frigidi, & humidi, cibi frigidi, & humidi, vt lactuca, medicamenta etiam similia, vt mandragora, cicuta; inter alias causas reponuntur a quibusdam lassitudines, sed Domini sententia mea est, non posse facere coma morbosum, fit quidem ea propensio ad somnum, sed minime morbosi somni. Modus generationis vigilis est, dũ simul in cerebro putrescunt bilis, & pituita. Sed differentia, quoniam interdum putrescit magis pituita, interdum bilis, interdum æqualiter. Si putrescat magis pituita, ægri potius dormiunt quam vigilãt: & hic affectus vocatur a Galeno, ληθαργοφρενῖτις. Sin autem magis putrescat bilis, ægri fiunt propensiores in vigilias, & appellatus hic affectus a Gal. φρενιτιλήθαργος. Sin autem æqualiter, fit affectus in quo æqualiter dormiunt, & vigilant ægrotantes.

ληθαργοφρενῖτις.
φρενιτιλήθαργος.

Aetius loquens de hoc affectu, scribit etiam a succis calidis interdum fieri coma. Vnde dubitare licet, quomodo a causa calida fiat affectus somnolentus, & hoc est, quod dicit Gal. fieri Lethargophreniticos, & phrenitilethargicos.

Est dubium quomodo Aetius ex Possidonio dixerit in febribus Coma fieri ex vaporibus humidis, & calidis, quia a partib. inferiorib. ad caput feruntur, quippe cũ somnus sit soboles frigoris. Præterea, an, quemadmodum coma vigil a pituita, & bile, sic fieri possit a sanguine, & a bile.

An a causa calida affectus somnolentus fiat.

Ad primum dicendum est, tribus modis somnum fieri posse, etiam a causa calida. Vnus est, quando a nimio calore natiuus calor cerebri hebetatur, & consequẽter refrigeratur; quo pacto ex potu vini generosi interdum inducuntur profundi somni. Alter modus est, quando vapores feruidi ingrediuntur meatus cerebri, qui depellunt spiritus, & consequenter cum spiritibus exit calor, & introducitur frigus. Tertius modus, & forsitan ceteris frequentior est, quando caput, siue cerebrum vndequaque diffusum est pituita crassa, & fere congelata, quæ a vaporibus feruidis dissoluta, & per totum cerebrũ effusa, illud irrigat, atque ita ex irrigatione inducit somnũ.

An coma vigil fieri possit e sanguine, & bile.

Ad secundum dicendum est, coma ex sanguine puro, cum bile fieri nequaquam posse, sed tantum fieri posse ex sanguine pituitoso, & bile, hoc scilicet pacto, quod sanguis paulatim quidem caliditatem dimittat, propter pituitæ humiditatem, atque ita imminuta ipsius caliditate induat naturam puræ pituitæ. Ssd quid dicemus ad Galenum? qui 1. prorrhet. 1. videtur asserere, copiam sanguinis acris ob mixtionem bilis posse primis diebus, facere coma vigil, copia sanguinis cerebri facultatem grauante, & acrimonia bilem irritante, quo minus fiat somnus. Dico vel loqui de sanguine pituitoso, vt dixi, vel de Comate non fixo, & terminato, sed momentaneo, ait enim id genus morbi non posse alteram diem pertransire.

Signa.

Coma a caro distinguitur.

Signa porro Comatis somniculosi sunt apud Galenum, somnus grauis, expergefactio difficilis, stertor, pulsus mollis. Distinguitur autẽ Cataphora a caro tribus signis, 1. stertore, quoniã in caro nullus est stertor, sed in comate. 2. distinguitur anhelitus difficultate, quippe quæ in Cataphora inuenitur, nõ in caro. Distinguitur 3. pulsus mollitie, siquidẽ Gal. 4. de præsag. ex puls. 8 in Cataphora pulsum esse dixit maxime mollẽ. Atq; hæc sunt signa propria comatis sõnolenti.

Signa comatis vigilis.

Ceterum coma vigil agnoscitur, quoniam ægri modo dormiunt, modo vigilant, & modo palpebras clausas habent, modo aperiunt modice, interdum mouent manus, furiunt, obloquũtur, modo delirant, modo sapiunt, & quiescunt, fitque quædam alia affectio, quę videtur æmulari coma vigil, & appellatur a Medicis impotentia vigilandi, quæ affectio cognoscitur, quoniã

fit

fit post febres exitiales, & fere semper in fine. Præterea in hac affectione pulsus sunt maxime obscuri & minimi.

Est vero omnibus comatosis hoc commune, quod quasi semper oculos clausos habent, & ratio est, quia in quocunque comate est magna humiditatis copia, quare humiditate grauati nequeunt palpebras sursum tollere.

Prognost. Progn. Est huiusmodi affectio semper periculosa, quoniam cõuerti solet aut in Lethargum, aut in phrenitidem. Exitialis maxime est, quæ fit in febribus magnis, vt ait Galen 4. epid. com. 1. tex. 7 quoniam cum non possit ab igne extingui humor, iudicium est, maximum, & potentissimum esse morbum; maxime autem lethalis omnium est impotentia vigilandi, & quoniam hęc affectio solet semper comitari moribundos, & iam morientes.

Curatio. Curatio alia est comatis somnolenti, alia autem comatis vigilis. Coma somnolentum, cum efficiatur ab intemperie frigida, & humida cum simili humore, nullam aliam curationem exigit, quam carus: & idcirco de hac curatione nihil amplius dicendum est. Ceterum, Coma vigil cum efficiatur ab humore tum biliosa, tum pituitoso, curatio eius necesse est, vt respiciat vtrũque humorem, Itaque victu instituto, præparandi sunt humores: & primum lenienda erit aluus hunc in modum.

Lenitiuum.

℞. Fl. cassiæ.
Diacathol. an. ℥. v. M cum saccharo. f. bolus.

Præparans. Post præparandi sunt humores sic.

℞. fol beton.
Stœch.
Endiu.
Acetosæ an. M. ß. f. de coct. s. a.

Deinde *℞ d. d. ℥. v.*
Syr. de beton.
De endiuia.
ros. recentis. an. ℥. ß. M.

Purgans. Postquam præparati fuerint humores purgabuntur sic.

℞. Decoct. cordialis facta cum ʒ. ij. fol. sena. ʒ. iiij. ß.
Rab. electi,
Agar. trochisc. an ℈. iiij.
Squinanthi gr. iij.
Infundantur omnia s. a.
Deinde facta expressione adde elect. de psyllio. ʒ. ij.
Mell. ros solut. ℥. ij. ß. M.

Linimentũ. Purgatis humoribus veniendum ad localia, quæ mixta esse debent ex medicamentis partim calorificis, partim frigorificis, & vt habeatis exemplum linimenti applicandi commissuræ coronali, & temporibus.

℞. Ol. ros. simpl. ℥. j.
Ol chamom. ℥. j. ß.
Aq. chamom.
End an. ℥. j.
Aceti ℥. j. ß. M.

Hoc enim medicamentum ita temperatas habet facultates, vt possit, & materiæ frigidæ, & materiæ calidæ occurrere, quam methodum in alijs quoque remedijs componendis obseruare licebit.

Magnus Auenzoar lib. 1. tract. 9. cap. a. documẽtum memoria dignum proponit, & est; medicamenta, quæ adhibentur commissuræ coronali minime valentia, & pręsertim frigida esse debere, eo, quia ibi medius cerebri ventriculus collocatus est, quem vereri oportet. Et præterea cerebri substantia vsque adeo proxima est illi parti propter ossis tenuitatem, vt facile, medicamenta penetrent: quæ si nimis fortia sint, certe cerebrum non modice offendunt.

CAPVT X.

De Melancholia.

SEquitur modo, vt de vitijs corruptę imaginationis tractemus, inter quę Galenus lib. de differentijs symp. 3. videtur solum recensere delirium, seu paraphrosynen. Circa quod necessarium est vobis hoc animaduertere, quod vox hęc παραφροσύνη apud Hippoc. & Medicos dupliciter accipitur, vel communiter, vel proprie. Communiter comprehendit omne deliriũ, quod sequitur, vel febres, vel alios morbos: proprie autem significat, vel discursum deprauatum, vel imaginationem deprauatam, vel vtrumque.

Discursus deprauati exemplum habetis propositum a Gal. loc. cit. illius, qui vasa proijcere volebat, nã recte imaginabatur in fenestra esse vasa: sed male discurrebat ea esse proijcienda. Exemplum imaginationis corruptę habetis etiam ibidem in casu illius Telephi, qui male imaginabatur.

batur, adesse in cubiculo tibicines. Sed bene discurrebat, illos, si adfuissent, expellendos esse.

Discursus simul, & imaginationis corruptæ innumera exempla habetis apud Hippocratem, in lib. epid. & quotidie etiam obseruare licet. Auicenna prima, 3. tract. 4 ca. 4 proprium fecit caput de corrupta imaginatione, quo in loco animaduertere debetis apud Auicennam sub nomine deprauatæ imaginationis, etiam comprehendi diminutam, & ablatam: imaginatio deprauatur duobus modis, vel quando æger imaginatur absurda, & non existentia phantasmata, cuius exemplum potest vobis esse ille Antipheron recitatus ab Arist. 2. meteororum. c. de Iride, de quo cum loqueretur idem Arist. in lib. de mem. & reminisc. dixit illum fuisse ecstaticum, siue insanum. Alius modus deprauationis imaginationis est, quando æger imaginatur phantasmata existentia, sed diuerso, & turpiori modo, quam deberet. Et hic affectus, seu hæc imaginatio deprauata nulla alia est, nisi ipsi melancholia.

De nomine. Quo ad nomen, vt scribit Gal. 2. met. acceptum est a causa efficiente ipsius morbi. Vnde male sensit Cæl. Aur. qui dixit melancholiam propterea sic appellatum esse, quoniam in eo affectu vomitur humor niger.

Definitio. Paulus Aegin. lib. 3. c. 14 definiuit melancholiam esse delirium sine febre, factum ab humore melancholico in cerebro existente. Sed hæc definitio nequaquam complectitur integram, & propriam huius morbi naturam, siquidem, vt habetis apud Galen. 3. de sym. caus. vlt. & 3. de loc. aff. 7. etiam mania est delirium sine febre, & fit ab humore melancholico in cerebro. Veruntamen longe differt, vt videbitis suo loco, mania a melancholia, de qua tractamus. Quanquam Aretæus lib. 3. c. 5. dicat melancholiam esse veluti principium quoddam, & partem ipsius maniæ. Igitur multo accommodatius est dicere, melācholiam esse delirium sine febre cum timore, & mestitia. Nam iure dicitur esse delirium, ad differentiam alterius melancholiæ, quę potius prudentia, & sapientia est. Nam Arist. 3. probl. 1. multis verbis demonstrat, esse quandā melancholiam, quæ propria, & peculiaris est sapientum. Igitur hęc nostra differt ab illa, quia delirium est.

Delirium autem in tribus consistere solet, scilicet, vel quando aliquis imaginatur diuerso modo, & diuersa, quam deberet: vel quando non solum sic imaginatur, sed etiam loquitur. Tertio modo, quando non solum praue imaginatur, & praue loquitur, verumetiam praue operatur. Nam Abderitani, qui volebant Hipp. describere melancholiam, & insaniam Democriti, dixerunt Democritum imaginari absurda, præter communem hominum sensum loqui, & operari diuerso modo, quam ceteri omnes faciant. Sed melancholia, de qua loquimur in præsentia, potissimum posita est in imaginatione rerum absurdarum, & absurdo modo. Non autem necesse est, vt huiusmodi melancholici etiam praue loquantur, aut etiam praue operentur.

Quāquam ēt interdum cōtingit, vt in oīb. his trib. melācholicus aberret. Igitur sine febre est, nō solū quia sic locutus est Gal. & Paulus: verumetiā vt distinguatur ab eo genere delirij, quod intellexistis solere comitari febrē, atque alios morbos; & eo maxime, qñ cōiungitur huic delirio timor, & mestitia: Siquidem, vt scribit Hipp 7. aph. 42. proprius character melancholiæ est, vt perpetuo adsit timor, atq; mestitia. Id quod ēt voluit significare vobis vetustissimus scriptor Aretæus, qñ dixit melancholiā esse *ἀθυμίαν*, siue angorē animi in vna phātasia defixū sine febre.

Quale symptoma sit melancholia. Est melancholia symptoma in genere actionum principum deprauatarū, vt testatum habetis apud Gal. 3. de loc. affec. & 2. de causis symp. 7. Sed quoniam huiusmodi actiones complures sunt, speculatione dignum est, quænam potissimum actio princeps deprauetur in melancholia. Auic. prima terij tract. 4 cap. 18 statim in principio manifeste scribit, in melancholia deprauari cogitatiuam, & existimatiuam: nomine existimatiuæ, vt ego puto, intelligens imaginationem ab alijs appellatam. Fern. dixit melancholiam esse mentis alienationem: in qua re clarissime pecauit: nisi dicamus nomine mentis Fernelium, vt Latine loqueretur, intellexisse imaginationē. Altimarus multis auctoritatibus, & Gal. & Græcorum, conatus est demonstrare in melancholia solam imaginationem esse deprauatam.

Fern. notatur.

An sola imaginatio in melancholia lędatur.

Sed est hęc sententia mea, in melācholia lędi semper, & principaliter imaginationem; secundario aūt cū imaginatione lędi discursum, ita, vt perdurante melancholia rarissime contingat, quin cū imaginatione simul ēt lædatur discursus. Et huius sententiæ auctorem certissimum, ni fallor habemus Gal. q 4 de loc. aff 2. scribit anteriorē partē cerebri, vbi offensa diu durat, simul offendere discursū, co qđ affecta pars anterior afficit ēt partem mediā cerebri, vbi est discursus.

Quare quod scribit Altimarus ex auctoritate Grecorū, id ita est semper intelligendū, initio semper imaginationē lęsam esse, [illegible] progressu aūt simul cū imaginatione lędi discursum. Sed quandoque fit melancholia, inter [illegible] alios errores, quos habet, imaginationis hic [illegible] us est, vt sem per melancholici implicentur, & vt ita dicam, defigantur in vna falsa imaginatione; adeo vt aliqui solum metuant mortem, aliqui solū timeant quendam peculiarem hominem, atque sic de plerisque alijs. Et huius rei locupletissimum auctorem habetis Aretæum lib. 3 de melancholia.

Cur autem imaginatio potissimum in melancholia offendatur, a paucis definitum animaduerto. Sunt tamen huius sententiæ, veram rationem huius rei hanc esse, quod humores, & vapores melancholici maxime sunt infesti omnibus corporis partibus, vt scribit Galen. in initio lib. de atra bile, quod cum ita sit, omnes partes hunc inimicissimum humorem conantur a se depellere. quo fit, vt cum humor hic sit depulsus in aliquam partem ignobiliorem, ibi facile conquiescat, atque secundum sui naturam operetur. Vnde, cum pars anterior cerebri sit cunctis alijs partibus debilior, & ignobilior, fit vt humores melancholici eo detrusi sistantur: ac propterea imaginationem, quæ ibi collocata est, offendant.

Acce-

Accedit & illud, in parte cerebri anteriore habitare spiritus crassiores, q similitudine humoris melancholici magis detur pati, & promptiores ad patiendum, consequenter imaginationem, cui famulantur, lædunt. Est ergo locus affectus in melancholia cerebrum, & potissimum anterior ipsius pars, siquidem, vt alias probatum est a nobis, in hac parte efficitur imaginatio.

Sed hoc loco alia pulcherrima cōtemplatio sese offert, scilicet vtrum in melancholia solum cerebrum afficiatur, tanquam locus proprius, an potius vna cum cerebro afficiatur etiam cor, Hip. in lib. de morbis virginum scribit, retentis mensibus melancholiam illam in cor restagnare, atque ibi stuporem quendam inducere. Vnde postmodū, & melancholia, & terrores, & insania suboriuntur. Ex quo loco elicitur secundum Hipp. in melancholia etiam cor afflici. Galenus in art. med. cap. de signis frigidi cordis, inter alia signa proponit timorem. Sed dicit Hip. 7. aph. 42. timorem, & mœrorem esse proprios melancholiæ characteres. Si hoc verum est, & timor fit in corde, vt scribit Gal. igitur rationi consentaneum videtur, melancholiā fieri in corde. Neque hoc de timore tantū scripsit Gal. loco citato, verum etiam manifeste 3. de plac. 4. & alibi. Hanc opinionem secutus est Auic. loco nuper citato, vbi præclarum de melancholia tractatum habens, tria ad hanc rem pertinentia scripta reliquit. Primum est, melancholiam fieri a cerebri intemperie: & hanc cerebri intemperiem fieri ab intemperie cordis, quæ cum spiritus vitales producat silvestres, & obscuros, huiusmodi spiritus in caput, & cerebrum rapti illud inquinant, & consequenter melancholiā producunt. Secundum est, cor non solum nuda intemperie cerebrum lædere: verumetiam, & humoribus, & vaporibus melancholicis. Tertiū, & postremum est, in omni melancholia aut cor primum affici, aut saltem compati, adeo vt ex his omnibus liceat colligere in melancholia cor etiam esse locum affectum.

An etiā cor afficiatur in affectu melanch.

Ex altera parte neque ab Hip. neque a Galeno hac de re quicquam, ita explicatū habemus, vt liceat certam ipsorum sententiam colligere: imo vero Auer. 3. Collect. cap. 40. cum recenseret varias opiniones de melancholia, quod fiat a corde, nullā fecit prorsus mentionē; sed sunt euidentissimæ rationes contrariæ, nam certum est, imaginationē fieri in cerebro, secundum Medicos loquor. Sed timor, & mæstitia sunt affectus imaginationis; & timor est character melancholiæ, ergo de primo ad vltimum, melancholia fit in cerebro. Esse timorem affectum imaginationis, luculentissime docuit magnus Arist. 2. rhet. 5. vbi definiēs timorem dicit, nihil aliud esse, nisi perturbationem animi ex imaginatione futuri mali corruptiui. Ex quo loco non est dubitandum, quin Aristot. decreuerit timorem esse opus imaginationis. Præterea humor melancholicus cum fit, vt audiuistis, inimicissimus omnib. corporis partibus, maxime inimicus est cordi, vt optimo iure dixerit Arist. 4. de part. animal. 2. naturam sagacem voluisse vt cordi, quod est vitæ principium, nulla bilis approximaret, quare Auic. dignus aliqua culpa videtur, quando scripsit intemperiem cordis cum humore melancholico affectionem hanc inducere. Accedit postremo quod Auer. inquit. 3. Collec. 21. cor nō posse vllam affectionem pati, quin communicet alteri membro, mouetur Auer. ad hoc asserendum, quia, si pateretur cor huiusmodi affectionem, vtique deberet affectio illa magna esse, cor autem nullam affectionem magnam patitur, quia antequam figatur hæc affectio in corde, animal interit. patet igitur, quod cor non possit affectum hunc melancholicum cerebro communicare.

Timor quid.

Vt autem in hac dubitatione resoluti sitis, dicendum puto, locum affectum duplici modo apud Medicos accipi solere: vel enim accipitur pro sede ipsius affectus, vel pro sede causarum ipsius affectus. Si loquamur primo modo dico, cerebrum esse semper vere affectum locum. Et ratio est, quia melācholia, vt affectus semper est in cerebro. Si loquamur secundo modo, dico, quod causa morbi interdum est in cerebro, interdum in corde; siquidem vbi cor aliqua intemperie frigida, & sicca laborat, fieri non potest, quin cerebrum coafficiat; scilicet eo pacto, quo propositum est ab Auic. Verumtamen illud quoque contingit interdum, vt vbi melancholia diu durat, etiam si affectus, & causa sint in cerebro; tamen cōmunicatur affectus etiam cordi. Et hoc est, quod voluit docere Auic. quando scripsit, semper coafficí cor in melancholia, scilicet quando iam cōsummata est. Nam etsi huiusmodi affectus in corde semper pusillus fit. quia non patitur viciniam melancholiæ tamen fit, vt huiusmodi affectus magnus redūdet in toto corpore, eo quod, vt scribit Arist. de motu animal. & 5. de gen. animal. 2. quilibet paruus motus in corde, seu in principio semper magnus fit in toto.

Resolutio.

Sed quid dicemus ad locos & Hip. & Galeni? Breuiter ad Hippocratem dicendum est, librū illum minime germanum esse Hip. siquidem in ipso multa sunt Hippocratis indigna ingenio. Sed etiamsi placet illum librum Hippocraticum facere, dicimus sententiam Hippocratis intelligendam esse, quod in corde sistatur causa, non affectus ipsius melancholiæ.

Ad Galenum dicimus, duplicem esse timorem; alium naturalem, alium vero morbosum. Timor naturalis dicitur, qui a principio generationis sequitur homines, & affectus naturalis vocatur: timor morbosus est ille, qui non ab initio generationis, sed post ob morbosas occasiones contingit: timor naturalis certe fit vitio, & culpa cordis, & de hoc loquebatur Galenus, quando inter signa frigidi cordis recensebat timorem.

Timor an in corde an in cerebro.

Ceterum timor morbosus non solum fit in cerebro; imo vero fit etiam in ventriculo, Atque de hoc timore intelligendæ sunt auctorum medicinæ sententiæ, quādo scribunt timorem fieri in cerebro. Nam Hipp. in lib. de sacro morbo manifestissimis verbis docuit, timorem, & mærorem fieri vitio ipsius cerebri. Ad hæc Nemesius lib. de natura hominis cap. 20. citat Galenum, quasi in lib. 3. de demonstra. dixerit, instrumentum mæroris esse os ventriculi. Et Galen.

non solum hanc sententiam habuit 3. illo de demonst. verumetiam clarissime hoc dixit 2 de plac. 8 nec non 3. comm. in lib. de morbis acut. text. 45. in quibus omnibus locis clarissime docuit Galen. timorem, & mœrorem fieri, quotiescunque os ventriculi violatur ab acribus, & prauis humoribus. Vt minime dubitare oporteat, quin Gal. his in locis loquatur non de timore naturali, sed de timore morboso.

Postremo ad Arist. auctoritatem 4 de part. animal. dicendum est, philosophum nomine bilis intelligere vel bilem flauam, vel eam bilem nigram, quæ fit ex combustione aliorum humorum, non autem de bile nigra, quæ naturalis est, quippe cum certissimum sit, huiusmodi bilem naturalem approximare ipsi cordi interdum. Cur igitur, dicetis, neque Gal. neque Græci meminerunt? dico eos non meminisse, quia melancholia, quæ ortum ducit a corde, non ita frequenter contingit; & quando contingit, videtur magis esse propria cerebro quam cordi, vel dicere possimus non meminisse, quoniam curatio pene tota dirigitur ad cerebrum, iam vero Medici omnia dogmata proponunt ob curationem.

Causa melãcholiæ. Morbus, quem sequitur melancholia, est intemperies frigida, & sicca, raro nuda, plerumque coniuncta cum materia; est autẽ materia interdum vaporosa, interdũ aũt humorosa. Et materia humorosa nulla alia est, nisi humor melancholicus. Sed quia diuersæ sunt species melancholiæ, operepretium est examinare, quęnam species humoris melancholici faciat hunc affectum.

Est humor melancholicus, vt summatim dicam, duplex, naturalis, & præternaturalis. Naturalis melancholia est fæx illa, quæ subsidet in generatione sanguinis, qui humor interdum appellatur sanguis melancholicus, interdum atra bilis. Melancholia præternaturalis est humor ille, qui gñatur ex adustione vel bilis flauæ, vel melancholiæ naturalis, vel sanguinis melãcholici. Melancholia, de qua sumus tractari, nõ fit a melancholia præternaturali, sed naturali, siue a sanguine melancholico: quæ melãcholia, & q sanguis aut est in capite, aut est extra caput. Qui est in cerebro, vel in venis, & arterijs, vel fusus in tota cerebri substãtia latet, vt docet Auenzoar lib. 1. tr. 9. c 8. sed qui est extra cerebrum, vel est in toto corpore, vel iecinore, vel liene, vel ventriculo.

Vtrum humor melancholicus, qui est in cerebro, ibi generari possit, longa esset quæstio, & forsan non facilis. Verumtamen quod pertinet ad præsens negotium, sum huius sententiæ, bilem nigram præternaturalem non posse generari in cerebro: imo vero, neque etiam melancholiam naturalem, hoc est sanguinis fęcem.

An a nuda intemperie cerebri. Sed si quis melancholicus humor in cerebro generatur, generatur ea species proposita ab Auic. scilicet cum ex pituita, & ex sanguine crasso partes tenuiores absumuntur, & duntaxat crassiores remanent, quæ melancholiam æmulantur. Igitur hoc sit constitutum, humores, qui sunt causæ internæ, & continentes melancholiæ, nullos alios esse, nisi vel melancholiam naturalem, vel sanguinem melancholicum, vel partes crassiores relictas aut pituitæ, aut sanguinis.

Sed circa morbum magna quæstio est, an melancholia possit fieri immediate ab intemperie frigida, & sicca cerebri. Non desunt multi, qui opinantur nunquam melancholiam fieri posse ab huiusmodi nuda intemperie, sed fieri tantum vel a vaporib. vel ab humoribus, vel ab vtrisque melancholicis: quasi huiusmodi materia solum sit efficax ad reddendos spiritus animales obscuros. Et inter alia argumenta, quib. vtuntur, illud præcipuum est, a frigida causa diminui aut aboleri actiones, non autem deprauari. Vnde cum melancholia sit actio deprauata, nõ videtur posse fieri a frigida causa. Quod autem non deprauentur actiones a frigida causa, locupletissimus testis est Auic. 1. tertij tr. 1. cap. 5. & 6. id quod etiam putant sensisse Galen. 3. de loc. aff. 7.

Auctoris opinio. Sed sum ego alterius opinionis: nempe melancholiam fieri quidem frequenter ab humoribus, & vaporibus; veruntamen fieri etiam interdum ab intemperie. Et in hanc opinionẽ pertractus sum, non solum auctoritate Gal. & Auic. verumetiam rationib. Hipp. in fi. 6. epid. hanc sententiã nobis reliquit, epilepticos fieri melancholicos, & viceuersa melancholicos fieri epilepticos. Subiungit Hip. fieri epilepticos, qñ humor melãcholicus labitur in corpus cerebri, fieri aũt melancholicos, qñ labitur in mentem. Hanc Hip. sententiam cum interpretaretur Gal. 3. de loc. aff. 7. dixit humorem melancholicum pręcipitari in corpus cerebri, quando eius vẽtriculos ingreditur, labi vero in mentem, quando intemperies efficitur in cerebro ab hoc humore, ita, vt manifestissime Galen. dicat, fieri melancholiam, quando cerebrum intemperatum redditur.

Auicen. etiam 1. tertij tr. 4. cap. 8. quasi interpretans sententiam, & Hipp. & Galeni, dixit melancholiam fieri quandoque a nuda intemperie cerebri, scilicet quando spiritus animales redditi siluestres, & obscuri inficiunt cerebrum, & deducunt ad intemperiem.

Neque valet, quod aliqui dicunt, Galen. & Auicen. non dixisse melancholiam fieri ab intemperie, tanquam a causa, sed fieri cum intemperie, quoniã ipsemet Gal. in postremo cap. de loc. aff. epid. lib. 3. scribit, lethargum, phrenitidem, melancholiam, & huiusmodi alias ægritudines fieri propter cerebri intemperiem, adeo vt minime dubitandum sit, quin secundum Galen. fiat melancholia ẽt ab intemperie. Huic opitulatur Alexander a prob. 26 qui quęrens rõnem, propter quam melancholici munera naturæ recte obeant, cum coquant cibos, & sanguinẽ vertãt, animi vero functiones læsas habeant; respondent non ob aliud esse, nisi quia sedes cerebri occupatur ab affectu, & intemperie: quasi intemperies possit esse immediata causa læsionis operationum animi in melancholia, dum spiritus facit obscuros. Sed sunt etiam aliquæ rationes. 1. est, quod sicut imaginatio recte fit ab optima cerebri temperie, pari pacto consentaneum est rationi, a mala temperatura cerebri non fieri rectas imaginationes. Præterea Galen. 7. meth. 11. dicebat, humores, quotiescunque aliquam partem diu afficiunt, eam semper ad intemperiem

deduce-

deducere. Vnde si humores melancholici diu cerebrum turbent, & melancholiam inducant, necesse est per regulam Galen. vt intemperiem faciant. Intemperies morbosa semper lędit operationes, & cum in melancholia nulla actio sit læsa, nisi imaginatio, necesse est colligere, hanc intemperiem imaginationem lædere. Postremo, si intemperies cerebri non faceret interdum melancholiam, sequeretur, quod ab hac intemperie nunquam hauriretur indicatio curatiua, siquidem indicationes capiuntur ab affectu lædente. Et si in melancholia non læderet intemperies, certe ab hac non colligeretur indicatio curandi. Contrarium autem est: quoniam frequentissime videbitis apud omnes Medicos in curanda melancholia hunc scopũ haberi, vt calefiat, & humectetur cerebrum. Id quod absurdũ esset, nisi intemperies frigida, & sicca læderet.

Responsio ad argumenta contraria.

Sed quid dicemus ad auctoritatem Auicen. Gentilis interpres ingeniosissimus dixit, eam Auicennæ auctoritatem esse quidem frequenter veram, sed non semper, siquidem multi sunt affectus, qui sunt actiones deprauatæ, & tamen efficiuntur a causa frigida, vt tremor, appetitus deprauatus in prægnantibus, atque huiusmodi complures affectus, qui cũ deprauatæ sint actiones; tamen a frigida causa proficiscuntur. Igitur ita decernendum est, fieri interdum melancholiam a nuda intemperie frigida & sicca. Veruntamen eiusmodi intemperiem exiguo tempore durare, eo, quod statim sibi coniungantur humores melancholici.

Causa interna mediata.

Præter humores prædictos sunt aliæ causæ internæ, sed mediatæ: at ex omnibus prima est temperatura frigida, & sicca. Auic. scribit eos, qui habent calidum cor, & cerebrum humidum, facile tentari melancholia: & reddens rationem, inquit, cor humores deurere, & vapores in cerebrum mittere: quod cum humidum sit, aptissimum est ad sustinendos huiusmodi vapores. Et Rases scribit, hanc sententiam fuisse quoque Hippocrat. 2. epid. Sed quicquid sit, ratio proposita ab Auicen. mihi plene non satisfacit: siquidem deberet potius cerebrum humidum reprimere, & castigare vapores a corde sublatos: vnde si hoc verum esset, potius fit, quoniam humores calidi elati in cerebrum pituitam & sanguinem melancholicum crassefaciunt, consumptis partibus tenuioribus, ita vt humores crassiores relicti æmulentur naturam melancholiæ.

Tēperamentum.

Habitus.

Post temperamentum inter causas internas est corporis habitus, de quo loquens Gal. 3. de loc. aff 7. eos, qui sunt hirsuti, graciles, sicci, & nigri, facile melãcholicos fieri. Hip. quoq; 2. epid. sec. 1. dicebat balbum, caluum, hæsitantem lingua, & hirsutum vehementer exerceri morbis atrabilarijs. De hæsitantia linguæ habetis quoque auctorem Arist. qui 11. probl. 18. dicebat, melancholicos hæsitare lingua, quoniam tanta est copia imaginationum, vt cum cupiant melancholici imaginationes sequi lingua, non possint, & consequenter lingua hæreat.

Cur melancholici hæsitent lingua.

De balbo autem quomodo fiat melancholicus, est res digna speculatione. Siquidem Hip. 6. aph. 32. dicit balbos tentari profluuio alui, & Gal. adferens rationem huius rei, dicebat, ideo hoc contingere, quoniam balbi maxime humida pituita abundant, vt non videatur rationi consentaneum, balbos fieri melancholicos, vt dixit Hip. Neque valet, quod Alex. Tral. dicat etiam interdum fieri relaxationes ab humore melancholico, quoniam etsi hoc contingat interdum, non contingit tamen ob humorem melancholicum, sed quia humori melancholico coniungitur pituita, quæ facit relaxationem, vt vsu compertum est in quartanarijs corporibus sæpe euomi pituitam, scilicet quia vna cum humore melancholico colligitur quoque pituita: Sententiam Hip. interpretandam esse hoc pacto asserimus, quod quotiescunque balbi afficiuntur melancholia, semper afficiuntur vehementer. Et ratio est, tum quia copiosa in ipsis est humiditas, tum quia sæpe ob hoc vitium vehementer anguntur balbi, ita vt melancholici euadãt. Est inter has causas etiam dispositio paterna: siquidem auctor est Hipp. & Plut. in lib. de sera numinis vindicta, quod filij melancholicorum quasi necessario ipsi quoque melancholici euadant. Ad hæc est ætas, de qua sermonem habens Cælius Aurel. & Auic. dicebant senes, & ætate consistentes maxime omnium affici.

Dispositio paterna.

Aetas.

Sexus.

Est pariter sexus inter has causas, quoniam, vt scribunt Aretæus, & Auic. viri frequentius quidem euadunt melancholici, sed mulieres, vbi melancholicæ euadunt, multo peius tractantur quam viri: Vt ob hoc exempla quotidiana doceant, multo sępius sese interimere mulieres quã viros. Causa autem, propter quam mulieres deterius tractentur a melancholia quam viri, triplex est. Prima est frigiditas corporum mulierum. Nam Aristo. 3. probl. 1. vbi copiosissimum de melancholia tractatum habet, inquit diuersitates affectuum, qui conspiciuntur in melancholicis, oriri ex diuersitate habitus corporum, ita, vt quando habitus valde frigidus est, accedente humore melancholico, fiant molestię, & anxietates, propter quas deinde inquit Aristoteles homines sese interimunt. Secunda causa est impuritas, & prauitas sanguinis menstrui, adeo enim fędus, & infensus est hic sanguis, vt quotiescunque coniungitur humori melancholico, horribiles, & incredibiles effectus producat. Postrema ratio est, quoniam hic sexus vsqueadeo parui animi est, vt vbi semel capitur ab hoc humore, sese totum tradat in potestatem ipsius.

Cur mulieres peius a melancholia tractentur quam viri.

Causæ internę prętername naturales sunt morbi acuti, & diuturni. Nam raro fit, vt cum quis diuturno morbo tentatur, non euadat melancholicus.

Causæ internæ præternaturales.

Externæ.

Externę causę cõplures, & ipsę sunt aer frigidus, & siccus, calidus, & siccus, vt in Aethiopia, vbi tradunt gentem illam esse mirum in modum melancholicam. Aer paludosus, & crassus. Inter tempora anni autumnus est maxime fera melancholię; propter quod hoc tẽpus vocatum est θηριώδης, seu ferinum. Et quanquam Hip. dicit 3. aph. vere fieri melancholias; tamen id ita intelligendũ est, quod eo tempore humor melancholicus genitus, & autumno, & hyeme propagatus per corpus, veluti florescit. Nimius somnus, nimię exercitationes, nimium otium, valde

conferunt ad generationem melancholiæ. Præterea studia, curæ, solicitudines hoc faciunt. Et inter alias causas est amor. Nam habetis apud Aretæum historiam illius, qui cum ob amorem euasisset melancholicus, postquam potitus fuit amasia, statim curatus est. Nimia abstinētia, coitus, nimia repletio ciborum melancholiam faciunt, sicuti etiam vina crassa, rubra, aquæ crassæ & lutulentæ. Inter cibos melancholiam maxime faciunt carnes omnes venaticæ, bubulæ, salitæ. Auenzoar scribit, sese vidisse quendam factum melancholicum ex vsu carnium putridarum. Sic carnes cochlearum, testudinum melancholicæ sunt.

Auerrh. 5. collect. nec non & Rases, voluerunt omnes herbas fugiendas esse melancholicis, quasi hunc humorem generent. Sed contra est sententia Galeni qui lib. 3. de loc. aff. c. 7. dixit, inter herbas solam brassicam facere humorem melancholicum. Pro qua contradictione tollēda dicendum est oēs herbas facere humorem melancholicum communi ratione, scilicet qm̄ ex ipsis multa excrementa gignuntur, quæ facile commutantur in succum melancholicum. Ceterum si non communem rationem, sed propriam naturam spectemus, sola brassica videtur a proprietate facere humorem melancholicum. Atq; hæc de causis communibus melancholiæ.

De melanc. hypochōdriaca. Est quædam peculiaris species melancholiæ frequentissima, de cuius origine, & causis non exigua dubia reperiuntur, siquidem melancholia hypochondriaca est frequentissime tractabilis in actu practico. Dubium est apud scriptores, vndenam oriatur. Quod enim fiat vitio hypochondriorum, facile significat ipsum nomen, sed quia in hypochondrijs complura sunt viscera, dubitatur, quodnam præcipue viscus afficiatur, & quo affectu afficiatur, nam aliqui, voluerunt hunc affectum oriri ab inflammatione, contra alij existimarunt fieri absque inflammatione. Et eorum, qui tribuerunt hoc vitium inflammationi, alij tribuerunt inflammationi ventriculi, alij autem inflammationi meseræi. *Prima opinio.*

Diocles. Secunda opinio. Qui tribuerunt hoc ventriculi inflammationi, ducti sunt duabus rationibus, scilicet quia hypochondriaci euomunt frequenter cibum, quod non fieret, nisi ventriculus esset affectus. Alia rō fuit, qđ circa ventriculū percipiatur æstus ingens. Qui putarūt fieri ab inflāmatione mesenterij, illi quoque duabus potissimū rationibus impulsi sunt. Vna est, quod circa illā partem æstus magnus percipiatur: altera, quod curetur sæpe huiusmodi affectus vsu remediorū frigidorum.

Tertia opinio. Qui autem opinati sunt fieri melancholiam hypochondriacam sine inflammatione, perducti sunt in hanc sententiam duabus rationibus, quarū prior est, quod hypochondriaci fere semper ructus acidos habent, qui ructus cum fiant a causa frigida, non possunt sequi inflammationem. Alia causa fuit, quod huiusmodi melancholici fere semper sint sine febri, & sine siti. Sed hisce rationibus respondet Auer. & recte, non esse absurdum, quod a causa calida affectus frigidi veniant, eo quod calor extraneus corrumpens formam ipsius caloris naturalis consequenter inducit frigiditatem, vnde laudat Alexandrum Tral. qui lib. 7. & 12. capit. 1. dixerit ructum acetosum fieri ab intemperie stomachi calidiore. Ad secundam rationem de febre, respondet difficile esse, quod absit inflammatio in ijs locis, atque febris absit, veruntamen posse contingere, vt inflammatione declinante fiat hic morbus, quasi velit dicere, Melancholiam non fieri neque in principio, neque in statu, neque in augmento inflammationis eatum partium, sed in sola declinatione, quando scilicet, tantum extranei caloris remansit, vt sufficiens sit lædere stomachum, atque cerebrum, & passionem hanc inducere, non sit autem sufficiens febrem inducere.

Modus generationis. At ad postremam rationem videtur melius respondisse Auicenna, qui cum vidisset has difficultates dixit melancholiam hypochondriacam fieri quidem ab apostemate, sed nō a quocunque, sed ab apostemate frigido. Id quod forsan etiam voluit significare Galenus loco citato, quando dixit, quod non quælibet inflammatio, sed quædam inflammatio faciat hunc affectum: & bene verum est hoc, quoniam multum abest, vt vera inflammatio sit causa huius affectus, sed dūtaxat accensio, siue, vt Græce loquitur Galenus φλόγωσις. Nec mirum vobis videri debet, in hac

Signa. causa pene frigida effici accensionem, etenim multitudo excrementorum crudorum copiosas producit obstructiones in hypochondrijs, propter quas calor viscerum magis coactus excremēta incrassat, & quodammodo vrit. Vnde vapores eleuati partim in cor, partim in cerebrum spiritus vitales, & animales non solum incrassant; verum etiam obscuros, & funestos reddunt. Vnde postmodum animus veluti circumductus spiritibus vsque adeo tetris atque obscuris, nō est mirum, si expallescant, si mœreant, si timeant, & consequenter melancholici efficiantur, quæ melancholia veram generationem habet, vt dixi, non solum a vaporibus, & humoribus, qui spiritus inquinant, verum etiam ab intemperie ipsius cerebri frigida, & sicca.

Concludentes igitur dicimus, Melancholiā hypochondriacam, seu myrachialem, vt vocant Arabes, fieri ex inflammatione seu tumore modo oris inferioris stomachi, modo lienis, iecorisue feruore, & tumore; modo ipsarum venarum meseraicarum inflammatione, seu obstructione, ob quam cum cibus non distribuatur per corpus, sed retineatur ibi, corrumpitur, & melancholicū succū producit, ac similes plurimos vapores in caput mandat; modo etiam, vt nos docet Auicenna ratione vteri. Iam signa perpendamus, & primo communia, deinde particularia. Nam dicit Hipp. 7. aph. 42. & Galen. 3. de loc. affec. 7. signum cuiuslibet melancholiæ esse timorem, & mœstitiam. Sed vt ijs locis habetur, opus est, vt hic timor, & mæror duas habeant conditiones; scilicet, vt perdurent diu, & vt sint absque causa manifesta; siquidem, qui timent inimicos, & mœrent propter res aduersas, non sunt appellandi melancholici, quoniam habent causas manifestas, & euidentes. Sed non sat est cognoscere hæc communia signa, nisi quoque cognoscantur peculiaria signa vniuscuiusque generis. Itaque illius melancholiæ, quæ fit per essen-

Signa melācholiæ per essentiam.

essentiam in capite, signa sunt, 1. continuitas mæroris & timoris, vigiliæ, seu insomnia frequentia, & turbata, vt inquit Celsus lib. 2. capit. 7. Quinimo Aretæus scriptor grauissimus scribit, insomnia melancholicorum esse prophetica. Atque huius rei addens rationem Aristot. in lib. de diuinat. per insomnia, scribit, melancholicos in somnis diuinarę propter copiam commotionum, & imaginationum animi. Sicut enim, inquit Aristot. iaculatores, quotiescunque frequenter iaculantur, tandem scopum attingunt ex frequenti iaculatione: sic melancholici propter frequentissimas imaginationes aliquando veritatem rerum futurarum imaginantur. Præterea huiusmodi melancholicorum capilli, & vultus nigri sunt, oculi profundi, & solēt aspectum, & oculum defixum habere in aliqua parte. Præterea scribit Hip. lib. 7. aph. 40. quod si aliquis repente fiat linguæ incontinens, melancholicum esse, quasi inter signa subita linguæ incontinentia reponenda. Sed dubitare posset ingeniosus, quæ sit incōtinentia linguæ, de qua loquitur Hippocrates. Card. existimauit. Hippocratem non aliud intellexisse, quam dicacitatem siue impotentiam quandam tacendi. Sed mera infantia est huius viri. Siquidem Hippoc. in aph. non loquitur de morbis animi, sed de vitijs corporis. Gale. autem in comm. illius aphor. duo dicit memoria digna. Vnum est, se nescire veram causam, propter quam incontinentia linguæ sit signū melancholiæ. Aliud, quod dicit Galen. est, si vlla causa huius rei assignari debet, nō aliam posse assignari, nisi ꝓprietatē humoris melancholici; quæ sicuti facit periodos quartanarias; ita quoque facit incontinentiam linguæ. Sed aliquantisper hac in re videtur mihi dormitasse Galen. siquidem Arist. multo ante ipsum tempore 11. probl. 18. satis clare explicuerat hunc nodum, vbi scribit, melancholicos propterea hæsitare lingua, & fieri incōtinentes, quoniam tanta est copia imaginationum, vt lingua non possit sua celeritate eas assequi, & propterea firmetur.

Signa melāncholiæ a toto.

Signa melancholiæ a toto præter signa melancholiæ essentialis hæc sunt; in primis vigiliæ & Arist. lib. de somno & vigilia, reddens causam, ob quam melancholici multum vigilant, inquit etiam quoniam ob frigiditatem non possunt recte concoquere, quo fit, vt careant illo humido alimentali, quod est causa immediata ipsius somni. Sed vt libere dicam, Aristoteles in hoc mihi non placet, eo quia sæpe videbitis melancholicos optime cibos conficere, coloratos esse, & tamen vigilare: igitur multo satius est dicere, vigilias melancholicorum oriri ex copia sempiterna, vt ita dicam, imaginationum: vt cum nunquam sint sine imaginationibus, necessario semper vigilent, nec fieri potest, vt somnus ipsis obrepat.

Ad hęc scribit Hippocr. in lib. de affect. intern. melāncholicos delectari odore extinctę lucernę.

Præterea melancholici a toto vt plurimum habent corpora sicca, nigra, hirsuta. Dico vt plurimum, qm̄ interdum etiam sunt optime colorati. Et ratio est qm̄ omnes corporis nostri partes nutriuntur a similibus; ꝙ cum ita sit, fieri potest propter naturæ benignitatem, vt aliquis habeat corporis partes externas optime constitutas: quæ quia nutriuntur simili, attrahunt ad se partem sanguinis puriorem, fæculentam vero & crassam relinquant in venis, vnde fit vt bonus seruetur in copore habitus, & in venis remaneat sanguis ille impurus, ac melancholicus.

Signa melāncholiæ hyp. inchoantis.

Ceterum in cognoscenda melancholia hypochondriaca paulo plus loborandum est. Nam alia sunt signa hypoch. inchoantis, alia consummatæ. Vbi hypochondriaca incidit, pręter timorem & mæstitiam, post cibum adsunt dolores ventriculi, adsunt continui flatus, ob quos huiusmodi affectio vocatur a veteribus flatuosa. Adsunt etiam continuæ, & frequentes expuitiones a cibo, vt testatur Galenus ex sentētia Dioclis. Preterea murmurant, & strepitum edunt intestina, scilicet ob humorem aquosum collectum in omento. Sunt libidinosi propter flatus, vt scribit Aristoteles trigesimo problemate 1. Sunt inconstantes ac mutabiles, modo etiam auari modo liberales, neque vt putat Aretæus hoc fit propter rationem aliquam, sed vt dicebat Aristoteles 7. eth. 7. contingit propter varia, & diuersa phantasmata.

Causa palpitationis.

Circa hypochondria percipiunt æstum, & sæpe etiam percipiūt palpitationem, siue pulsum. Id quod proditū habetis ab Hippocrate, tum in Coacis prænot. lib. 3. sect. 2. tum etiam primo ꝓgnostic. vigesimo octauo, vbi Galenus vult, huiusmodi pulsum oriri posse vel ex flatibus, vel ab arteria magna, quæ perreptat per dorsum in interna parte; & quæ interdum vsque adeo vehementer pulsat, vt percipiantur ab ipsismet ægris.

Signa consummatæ.

Signa hypochondriacæ consummatæ præter antedicta sunt, alui adstrictio, fęcum durities, corporum extenuatio.

Præterea huiusmodi melancholici sæpe sine causa lugent, odio habent vitam, amant solitudines, fugiunt homines; & vt scribit philosophus in lib. de mem. & reminis. neq; recordātur, neque recordari possunt, eo, quod in ꝑpetuo motu habent aīum, & reminiscentia indiget quiete.

Probl. cur melāncholici timeant, & mæsti sint.

Hæc igitur sunt signa præcipua, & essentialia cuiusque melāchoicæ, circa quæ breuiter duo occurrunt contemplatione digna. Vnum est, vnde fiat, quod melancholici vsque adeo timent, & mæsti viuunt. Alterum, vndanam melancholici faciant tot mira opera, quot quotidie vidētur, nam sæpe fit, vt qui melancholia laborant, etiamsi ignari sint omnium litararum, & disciplinarum: videantur tamen & Gręce, & Latine loqui, & sapere.

Circa primum Galen. 2. de causis symptomat. in fine, nec non 3. de loc. affect. 7. professus est timorem & mærorem melancholicorum non aliunde proficisci, nisi a nigredine humoris, aut vaporis melancholici, qui quotiescunque circumfusus est substantiæ cerebri, sua nigredine animam rationalem perturbat, & consequentér timere ac mærere facit. Et adfert Galen. exemplum puerorum, & indoctorum hominum, qui in tenebris perterrentur, & metuunt. Ex quibus locis Galen. potestis clarissime intelligere id, quod alias docui vos, verissimum esse ex

sententia Galeni, s. morbosum timorem, cuiusmodi est melancholicorum, fieri proprie in ipso cerebro, quicquid sentiant viri clarissimi, quos semper veneratus sum. Nam si dicit Gal. fieri timorem, cum anima rationalis, quæ est in cerebro, perturbatur a nigredine humoris melancholici, & essentia timoris, vt dicit Philosophus, est hæc perturbatio, quis non videt, necessario colligendum esse ex Gal. timorem melancholicorum fieri in ipso cerebro, vt explicatissime nos docuit Hip. in lib. de sacro morbo, Galen. hac in re sectati sunt non solum Græci scriptores Medici, sed etiam Arabes, & omnes pene Latini.

Vnus Auerr. inuentus est, qui studiosissimus contradicendi Galeno, conatus est hanc sententiam confutare. Nam lib. 3. coll. vltimo, primo contumelias multas effudit contra Galenum appellans ipsum philosophiæ ignarum, & omnes Medicos nugatores. Deinde post calumnias conatus est hic philosophus multis rationibus euertere hanc Gal. opinionem, quarum prima est,

Auer. argumēta.

1. quod color, cum sit obiectum visus, non potest agere in potentiam rationalem, quia si huius potentiæ operationes læderet, morbus esset; cum autem color minime sit morbus, sequitur, inquit Auerrho. nigredinem humoris melancholici haudquaquam posse imaginationem perturbare, & consequenter timorem facere.
2. Secunda ratio Auer. est nullum alium morbum, neque vllam aliam operationem lædi a colore, quicunque sit: Ergo neque imaginationē posse lædi a colore humoris melāncholici.
3. Tertia ratio est, quod nigredo, & obscuritas est pura priuatio; quemadmodum etiam tenebræ nihil aliud sunt, nisi priuatio lucis. Sed priuatio nihil operatur. Itaque inquit Auerrho nigredo, & obscuritas humoris melancholici nihil operari potest.
4. Quarta ratio capitur ex lib. 3. comm. ipsius super Cantica Auicennæ, vbi scribit, quod si humor melancholicus sua nigredine induceret timorem, sequeretur, sanguinem lætitiæ datorem eam afferrē propter albedinem: quoniam contrarij effectus producuntur a contrarijs causis.
5. Postrema ratio, quæ posset afferri pro Auerrho. contra Galenum est: Si propter nigredinem humor melancholicus faceret timorem, semper, vbi reperitur in cerebro, deberet inducere huiusmodi timorem quod cum non inueniatur esse, sequitur etiam minime timoris veram causam esse nigredinē. Et quod hoc non inueniatur, apparet ex maniacis: qui cum habeant humorem atrum perpetuo in cerebro, tantum abest eos quicquam timere, vt potius quidlibet audeant.

Auer. propra sententia.

Postquam Auer. satis Galenum confutauit propriam opinionem proposuit, & obscuritate quæstionis coactus, se contulit ad commune confugium, scilicet humoris melancholici proprietatem, quasi vero non aliunde oriatur timor in melancholia, nisi a proprietate ipsius humoris. Id quod etiam quandoque dicit Galenus 7. aphorism. 40. vbi coactus est proponere hanc humoris melancholici proprietatem. Auerrhoem qui sequerentur non defuerunt, atque etiam Galenum desererent. Sed fuerunt alii, qui putarunt, causam timoris in melancholia potius frigidæ & siccæ intemperiei esse tribuendam. Fuerunt alii, qui putarunt, posse cōciliari Auer. cum Galeno, quasi Gal. non dixerit a negredine fieri timorem, sed potius nigredinem esse signum causæ efficientis timorem. Sed hæc omnia, quantum ego puto, minime Gal. dictis accommodari possunt. Et propterea tentandum est, alio pacto huiusmodi quæstionem dissoluere.

Auctoris rē solutio.

Proqua duo sunt stabilienda: vnum, quod scribit Aristoteles 3 de anima, f. 162. vbi scribit, phantasiam, cum sequatur, ἀπὸ τοῦ φάους, hoc est, a luce. Aliud stabiliendum est, quod idem scribit secundo rhetor. cap. secundo, timorem esse perturbationem animi ex imaginatione futuri mali corruptiui, ita vt ad timorem efficiendum tria concurrant; perturbatio; imaginatio; & futurum malum corruptiuum.

His constitutis iam patere potest via & ratio, propter quam dixerit Galenus, animam rationalem timere ob humorem merum; quemadmodum timent pueri in tenebris. Siquidē pueri & indocti perturbantur in tenebris, eo, quod imaginantur aliquod malum corruptiuum futurum. Pari pacto anima rationalis circumfusa caligine humoris melancholici perturbatur, & consequenter timet, non quod hæc nigredo siue caligo humoris melāncholici ipsum immediate moueat: sed spiritus animales, qui alioqui deberent esse lucidi, hoc humore veluti quadam nocte obscurantur, ita vt phantasia priuata lumine spirituū, seu spiritibus luminosis, perturbetur: Et ex hac perturbatione oritur timor. Atque hoc ipsum est, quod dicit etiam Auicen. scilicet melancholiam seu timorem melancholiæ fieri ob spiritus syluestres, & tenebricosos.

Vnde oriantur miracula melancholicorum.

Succedit secundum problema, quod Serapion dicere solebat, esse incomprehēsibile, scilicet, vnde oriantur ea miracula, quæ referuntur de melancholia. Princeps Astrologorum Ptolom. in centiloquio, & in quadrip. tribuit omnia opera melancholicorum siderum influentijs, quæ gubernant melācholicos. Sed quia satis cōfutati Astrologi a'sunt Pico Mirand. nō est opus amplius contendere aduersus hos. Christiani, & alij etiam legibus inseruientes putarunt a Dæmonibus id fieri, sed quanquam sententia hæc omnium sit verissima tamen quia Medicum hic ago, dico cum Auicenna Dæmones non posse quicquam in nobis operari nisi medio causarū naturalium, hoc est, medio complexionis. Aretæus totum hoc tribuendum putauit, promptitudini naturæ melancholicorum, quasi quod sicut reperiuntur aliqui a natura propensi ad diuersas artes; sic melancholici natura quadam propensi sunt ad res miras efficiendas. Aristoteles tertio problemat. primo, comparans simul vinum, & humorem melācholicum, inquit, huiusmodi humores si temperati sint, & temperate corporibus adhibeantur optime homines disponere Vinum autem si intemperate adhibeatur, ad furorem & ad alia mala homines perducere, perinde atque humor melancholicus, qui siue calidus, siue frigidus nimium sit, homines vario, & diuerso modo disponit.

Huius-

Auctoris iudicium.

Huiusmodi discursus Aristotelis rationem quidem aliquorum morum prodit, sed minime disputationem nostram dissoluit. Quare sum ego huius sententientiæ, si vera sunt, quę referunt de melancholicis, tota esse tribuẽda & efficaciæ imaginationis, & credulitatis vulgarium audientium.

Nam Auicẽna 4. de anima 5. longa disputatione probat, Animam imperare corpori, nec solum corpus suum cuique animæ obedire, verum etiam externa, quod in fascinationibus, atque magis in incantationibus proditur. Cum igitur hoc ita sit, melancholici, qui varijs & innumeris imaginationibus continuo agitantur, fit, vt linguas vario modo fingãt, & moueant, quę diuersæ figuræ, & motiones, cum ab auditoribus non comprehendãtur, propter ignorationem fit vt putentur modo Latine, modo Gręce loqui. Et in hanc sententiam eo maxime impellor, quod nunquam audietis, quemquam virum cordatum, & intelligentem narrare huiusmodi miracula melancholicorum.

Prognostica.

Signa Prognost. Huius affectionis hæc sunt. Nam Hip. 1. de morbis. cõnumerat melancholiam inter morbos minime lethales, & iure, qm̃, quantũ fit ex sese, hęc affectio neminem producit ad interitum. Adducit tñ Hippocrates hãc particulam, nisi quid aliud acciderit: quasi vero melancholiæ possint alia mala copulari, quæ ipsam faciant exitialẽ. Nã Aretęus scribit melancholiam hoc peculiare habere, quod vbi coniungitur alteri ægritudini, eã semper faciat lethalem, id quod maxime conspicitur in sexu muliebri, quippe cum mulieres, vt alias dicebam multo atrocius exercecantur a melancholia quã viri. Idem Hippocr. 6. aph 56. & 6. epid. circa finẽ scribit, melancholiam solere conuerti in epilepsiam, conuulsionem, apopl. & in cæcitatẽ, & propterea Arist. 30. partic. prob. 1. scribit Herculem melancholicum fuisse, & simul epilepticũ.

Cur varices liberẽt a melancholia.

Ceterũ 6. aph. 11. & 21. scribit, si hæmorrhoides, aut varices superueniant melãcholicis, eos liberari a malo. Et Arist 4. problem. 21. quærens rõnem, propter quam varices liberent a melancholia, eam inquit esse, quoniam flatus & vapores, qui melancholiã efficiunt in ipsis varicibus detenti, sedem cerebri illæsam relinquũt, sed vt ait Gal. melior est ratio, quia per has partes educitur humor morbificus. Celsus lib. 2. c. 8. addebat, hoc quoq; facere tormina; quam sententiã accepit ab Hipp. lib. 7. aph 5. vbi scribit, insanientib. si dysenteriæ superueniant, bonum esse, eo, quia p fluxum alui dysentericum humor melancholicus transmutatur a cerebro ad intestina.

Curatio Melancholię.

Iam ad curationem descendo, quam docet Alex. & Rases hoc in loco esse statim adhibendam quoniã a principio nõ est difficilis curatio, sed si morbus inueterauerit, altioresque fixerit radices, vix vnquam curari põt immo dicit Arist. 7. Ethicorum. c. vltimo, melãcholicos cõtinua egere medicatione, propterea quod eorum corpus perpetuo mordetur, & semper in appetitione sunt vehemẽti. Summa autem curationis erit, vt mala intemperies cerebri, & aliarum partium auferatur, quæ quoniam fomentũ suscipit, & continuo augetur ab humoribus ipsis, quibus non ablatis, nec ea auferri potest, idcirco humores erunt euacuandi, & præparandi. Sed quia humores g gnuntur continuo ex cibis atque potibus, ideo ante alia victum instituere necessum, qui omnib. speciebus melancholiæ accommodari possit, deinde singulis propria medicamenta erunt applicanda.

Victus ratio

Itaque primo incumbendum victus rationi quam Gal. vtilissimam esse testatur, & quidem ita vtilem, vt glorietur se hac vna melancholicos interdum persanasse.

Propterea oportet in primis præparare aerem calidum & humidum, procurare, vt ægri viuant in luce, ac tenebras fugiant simulque vt aer odoratus potius sit q̃ fœtidus, somnus quam longior fieri potest, modo naturalis sit, procurandus erit, & quanquam Rases videtur vigilias præferre, tamen cum humectatio melancholicis sit necessaria, melius dictum ab Auicenna est somnum conuenientiorem esse. Exercere debent melancholici corpus, sed moderate, prouidendum est, vt sine curis, sine studijs viuant, & lęto animo, & iucundis sodalibus vtantur.

Num venus Melancholicis cõueniat

De vsu veneris contrarietas est in verbis Auicen. Nam 1. tertij tr. 4. cap. de cura melancholiæ damnat vsum veneris in melancholicis, & sudorem vehementem quasi exsiccent nimis. Et eodem lib. fen 20. cap. de iuuamentis coitus, scribit vsum veneris maxime omnium melancholicos iuuare. Quam sententiam videtur etiam ante Auicen. habuisse Paulus li. 1. in cap. de rebus Venereis, adeo vt manifesta sit contradictio in ipsis Auicennæ verbis: Quam facile tollere possumus, si diligenter expendamus ea, quæ scripsit Galenus 6. epid. commentario. 5 tex. 25. quo in loco cũ Hipp. dixisset, mixtionem coercere morbos increscentes, inquit Galenus, Hipp. nomine mixtionis nihil aliud intelligere voluisse, nisi ipsum coitum. Inter morbos autem increscentes connumerat melancholiam: & addit moderatum coitum melancholicos iuuare, qui fiunt propter vapores ex combustis humoribus natos. Qua sententia Galen. facile possumus soluere hanc contradictionem; quoniam si Auicẽna & Paulus loquuntur de ijs, in quibus ob atros & exustos vapores fit huiusmodi morbus, certe Venus moderata hos non parum iuuat. Sed si accipiamus pro melancholicis eos, qui fiunt ab humore melancholico naturali, profecto tales melancholici cum frigidi sint & flatuosi, excitãtur quidem ad libidinem, sed veneris vsus ipsis aduersissimus est. Atque de his locutus est Auicen. 1. tertij cap. de cura melancholiæ. Balnea summopere conueniunt, immo Galenus refert, se interdũ melancholicos solo aquæ dulcis balneo curasse.

Aluus quoque in melancholia perpetuo mollis seruari debet, & eo maxime, quia consueuerunt melancholici maxima ex parte habere aluos adstrictas, & propter hanc adstrictionẽ multo acerbius tractantur. Erit autem aluus mollienda vel clysteribus, vel aliquibus conseruis, vt, exempli gratia, si uolumus vti clysteribus.

Clyster aluũ molliens.

℞. *fol. senæ ℥.ß.*
Fol brassicæ.
Maluæ.
Violar. an. M.ß f. decoct. s.a.

Deinde ℞. *d.d. libram i.ß.*
Diaphenici ʒ.iij.
Ol viol. ℥.v.
Salis. ʒ.M.

Nam in melancholicis opus est clysteribus paulo vehementioribus, quoniam, vt intellexistis, habent fere semper astrictam aluum.

Quod si aut ægri non ament clysteres, aut non possint sustinere acres, quemadmodum Oribasius tribuit Italis; operæ pretium est adinuenire aliquid aliud, quod aluum lubricam faciat. Et in hoc casu possumus vti vel iure brassicæ & maluæ, vel passulis aut prunis præparatis cũ sena.

Circa cibum & potum, conueniunt ea ciborum genera, quæ humectant modice, & calefaciunt, quæ sunt optimi succi, & coctu facilia, non flatulenta, aut humorem melancholicum generantia, ea propter iure ab Auicenna fabæ, carnes salitæ, lentes, caules, vinum crassum, & nouum, omne salsum, acre, acutum, atque acetosum damnatur. Carnes autem pullorum, perdicum, phasianorum, caponum, oua gallinarum tremula & sorbilia, pisces petræi, & fluuiatiles maxime conueniunt. Rases, & Rabbi Moyses 2a. par. aphor. laudarunt carnes pullorum accipitris & noctuæ, tanquam mira quadam facultate Melancholicos iuuent. Aetius commendauit carnem hædinam, Rases vero arietinam. esu pulpæ leporinæ putatum est ab antiquis authore Plinio, lib. xxviij. NATVR. HIST. cap. xix. conciliari in septem dies corpori gratiam ac formam, quod ipsum Martialis lib. v. epigr. dixisse etiam videtur his versibus.

Si quando leporem mittis mihi Gellia, dicis.
Formosus septem Marce diebus eris.

Medici tamen in melancholicis affectibus damnant, sicut & carnem damnarunt capreolorum, aprorum, vnde Aretæi codicem mendosum esse puto, vbi huiusmodi carnes in melancholiæ curatione approbare visus est. An melancholicis liceat vti aceto, iure dubitari potest, primo, quia Hippo. 3. de acut. 39. manifeste dixit, acetum generare humorem melancholicum. est & ratio, quoniam acetum frigidum & siccum est, quemadmodum humor melancholicus: ex altera parte Aetius, & Paulus laudant aceti quam acerrimi modicam sorbitionem post omnẽ cibum, dum itur dormitum. Auicenna, modo videtur laudare, modo damnare. Respondeo dupliciter, primo, quod Aetij textus græcus non ita habet, sed corruptus est.

Aceti vsus an concedendus.

Paulus vero velle videtur, quod detur acetum bibendum post assumptionem succi absynthij, deinde dormiatur, quia absynthium, quod est remedium melancholiæ accommodatissimum, vt magis penetret, attenuet, & euacuet, opus habet vehiculo, cuiusmodi est acetum 2. dico, acetum posse concedi in melancholia ex adustione, non in naturali, quo in casu etiam laudat Auicenna; vel, vbi causa morbi fit lienis vitium, est enim sententia in Auerrois. 7. col. 31. acetum in Liene maxime conuenire, quoniam morbi lienis a crassis humoribus oriuntur, vnde opus habent extenuatione, accedit etiam, quod vt dicit Auerroes eodem loco, viscus hoc proprietate quadam naturæ delectatur aceto, propter saporem acidum, similem melancholiæ, qua nutritur.

Num lacticinia conueniant melãcholicis.

De lacticinijs an conueniant, est dubitatio non parua. Rabbi Moyses in aph. damnauit lac, eo quod facile permutetur in quemlibet humorem. Præterea Hippocrates quinto aphorism. sexagesimoquarto, damnat lac in illis, quorum hypochondria murmurant; cuiusmodi sunt melancholici. Ex altera parte lac videtur conuenire, quoniam est humidum, & moderate calidum: ac propterea humori melancholico aduersum. Dicendum est, in melancholia hypochondriaca certe non conuenire lac, neque lacticinia; in alijs melancholiæ speciebus potest conuenire; & præsertim si vel aqua, vel vino commisceatur, quemadmodum faciebant veteres, & præsertim Hippocrates, vt habetur secunda epid. & alibi. Inter reliqua, quæ melancholicis conueniunt, sunt herbæ, vt melissa, borrago, buglossum, acetosa, cichorium, eupatorium.

Brassica ex Galeno 3. de loc. affect. est maxime fugienda. Aromata omnia parce gustanda. Inter fructus conueniunt amygdalæ, pistacia, poma apia, pyra dulcia; præsertim autem persica. Nam scribit mirabilis ille Auenzoar, sese curasse melancholicos quartanarios solo vsu persicorum. In potu conuenit vinum album, subdulce, lene, non admodum generosum, atque etiam aqua castigatum.

Instituto victu, deinceps cogitandum est, vtrum melancholia fiat per essentiam in capite, vel a toto, aut ab hypochondrijs. Si fiat a toto corpore, Aretæus & Auicennas statuunt, curationem inchoandam esse a missione sanguinis; imo dicit Aretæus, in quocunque corpore etiam gracili conuenire hoc auxilium. Galenus quoque libr. de sanguin. miss. c. 10. vsque adeo laudat missionem sanguinis in melancholicis, vt dixerit etiam, quando recte valent, conuenire hoc auxilium; quia cum sanguis melancholicus crassus sit, neque inedia, neque frictionibus, neque balneo consumi potest. Vnde vel venæ sectione, vel medicamento purgante oportet ipsum eua cuare. Neque valet, quod melancholici corpora habeant cacochyma, quoniam in melancholia a toto, quicquid vitiatum est, in sanguine reperitur; vt ob hoc sanguinis euacuatio maxime vtilis, & necessaria sit.

Vena sectio.

Quantitas sanguinis.

De quantitate decernendum est, vt metiatur quantitas mensura copiæ exsuperantis: Dabat regulam

regulam Galenus in cura melancholiæ primo ad Glauconem, atque etiam Auicennas, vt dum secta est vena, animaduertatur, an sanguis fluens sit crassus, aut tenuis. Si tenuis, supprimendus est, & modice euacuandus, sin autem crassus sit, largiter & copiose euacuandus. Locus, vnde mitti debet sanguis, est vena cubiti dextri interna. Vel, si pars sinistra magis affecta sit, vena sinistri cubiti incidatur.

Modus euacuandi.

Circa modum euacuandi nonnulla sunt animaduertenda. Primum, vt caueatis a barbitonsore incidente venam magnum fieri foramen, quod voluit significare Auicenna, quando dixit, amplificandam esse venæ sectionem. Nam cum sanguis melancholicus sit crassus, nisi amplum foramen efficiatur, vix potest exire. Alterum obseruandum est, quod monet Auicenna, vt in hoc casu brachium in aqua calida detineatur. Sic enim foramē magis dilatatur, & sanguis subtilior & fluxibilior redditur. Igitur vbi erit sanguis mittendus, primum videre oportet, an aluus fluat. Si minime sponte fluat, statim lenienda erit aluus hunc in modum.

Lenitiuum in forma boli.

℞. Elect. lenit.
Flor. cassiæ.
Mannæ electæ an. ʒ. iiij. M. & f. bolus.

Potio.

Quod si magis amabunt ægri potum, poteritis hunc in modum lenire aluum.

℞. Decoct. fl. & fruct. ℥. iiij.
Syr. de polypodio ℥ iiij. ß. M.

Præparans.

Post præparandi sunt humores hunc in modum.

℞. Fol. fumariæ.
Borrag.
Melissæ.
Agrimoniæ an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. de succo borrag.
Syr. de pomis an. ℥. j. M.

Purgans potio.

Postquam sex vel septem syrupis erunt præparati humores, debent expurgari hoc pacto.

℞. Myrobal. nigror. ʒ. j. ß.
Fol. senæ.
Epithymi an. ʒ. ij.
Passular. ʒ. ß.
Fl. cordialium P. j. f. dec. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij. ß.*
Cort. hellebori nigri.
Agar. trochis. an. ℈. iiij.
Squinanthi gr. iij infundantur omnia s. a.

Deinde facta expressione adde *Mellis rof. solut.*
Syr. de pomis comp. an. ℥. j. ß. M.

Bolus.

Quod si placebit magis vti bolo, ita facere poteritis.

℞. Confect. hamech. ʒ. iij.
Diacathol. ℥. j.
Agar. trochisc. ʒ. j.
Cynnam. ℈ ß. M. & f. bolus.

Præceptū 1.

Circa quam purgationem duo necessaria sunt documenta. Vnum est, in affectu melancholico medicamenta debere esse paulo vehementiora, quia huiusmodi humor crassus, & terrestris est. Vnde nisi magno impulsore tractetur, vix potest depelli. Alterum documentum est, in affectu melancholico, & præsertim a toto, necessarium esse, etiam pituitam euacuare, non tantum humorem melancholicum. Ratio est, quoniam humor melancholicus vsque adeo inimicus est calori natiuo, vt semper melancholici hunc calorem debilem habeant. Vnde fit, vt crudos succos, pituitam, & ichores copiosissimos gignant.

Ex quo potestis intelligere, quod voluerit dicere Hippocrates, quando libro quarto, de morbis melancholiam appellauit aquam; & Arist. 9. Problem. 4. dixit sanguinem lienosorum esse sanguinem aquosum & dilutum: siquidem propter rationem, quam audiuistis, semper sanguis melancholicus habet secum commistam copiosam pituitam, & commistos complures ichores. Atque hoc est etiam, quod voluit dicere Hipp. 6. epid. 2. tex. 28. quando dixit, ichorosum sanguinem esse in pauidis. Nam appellat sapientissimus senex melancholicos pauidos, quoniam, vt alias intellexistis, proprium est melancholicorum timere.

Cur in quartanis copiosissimi fiāt sudores.

Vnde potestis etiam soluere dubium, cur fit, quod in quartanis copiosissimi sudores fiāt; cur etiam Hippocrates secundo, epid. dixerit Hypostratum illum quartanarium per sudorem fuisse iudicatum, scilicet, quoniam semper sanguini melancholico commixtus est copiosissimus ichor, commixta est pituita, commixti sunt crudi humores; quoniam sc. ob qualitatem humoris melancholici in ipsis vsque adeo hebetatus calor natiuus, vt cibos non possint conficere, sed gignant pituitosos, & ichorosos succos, qui deinde sanguini commisti, illum & ichorosum, vt dicit Hipp. & dilutum, vt dicit Arist. faciunt.

Tāta est humoris melancholici contumacia, vt non sit sperandū, vnica purgatione debellari posse, quinimo, nō defuerunt, qui existimarūt, melāncholicos affectus esse pene immedicabiles.

Propterea

Propterea solebat dicere Plato in Timęo, huiusmodi morbos minime pharmacis irritandos Ergo cum non vnica sufficiat purgatio, repetere illam oportet. Atque sic præparandi sunt humores.

Secunda præparatio melãcholici humoris.

℞.Rad.bugl.
Borrag.an.℥.ß.
Fol.lupuli.
Scolop.
Agrim.an.M.ß.f.decoct.s.a.

Deinde. *℞.d.d.℥.iiij.*
Syr.de fum comp.
De cichor.comp.
Oxym.scillit.an.℥.ß.M.

Postquam præparati erunt humores, purgati poterunt vel medicamẽto iam præscripto, vel pilulis, vt sunt pil.de fumar.pil.cochiæ cum hellebor, pil.de lapide lazuli, Rabbi Moyses habet suspectas, quod sint nimis vehementes, vnde poteritis ita instituere purgationem.

Pilulæ.

℞.Pilul.fum terræ.
De agar.Mesua.an ℈.ij.ß.
Trochisc.viol cum sam.gran.8.M.& f.pilul.num.v.

Sed quia a multis potiones pilulis præferuntur, duas hic proponam, quarum vsum in hoc affectu, præstantissimum esse comperi. Tales sunt, Serum præparatum, & brodium galli antiqui præparatum.

Serum accommodato hoc modo componitur.

Serum præparatum.

℞.Seri caprini libram j.
Elleb.nig.ʒ.j.
Epithymi. }
Polypody. } *an.ʒ.j.*
Succi borrag.℥.j.s.

Infundantur omnia per noctem in sero prædicto, deinde facta colatura capiatur mane calidum, idque non semel sed sæpius. Adeo enim commendatus est a Possidonio seri vsus, vt scripserit hoc solo præsidio multos fuisse liberatos.

Ius galli antiqui.

Modus faciendi ius galli in hoc casu est iste. Recipe Gallum antiquum exenteratum, atque eius ventre ponantur.

Cortic.elleb.nigri ℥.j.s.
Lapid.lazuli.ʒ.ij.
Epith. }
Polipod. } *ana.ʒ.i.*
Florum borrag. }
Buglos. } *ana.p.j*
Cinnamomi }
Cyperi. }
Macis } *ana.℈.xv.*
Gariophyl. }

Diligenter consuatur gallus, deinde in sufficienti aquę quantitate bulliat, vsque quo caro ipsis galli sit semicocta. post coletur, & conseruetur ius. Huius colaturæ capiuntur altera die mane ℥ v.vel vj.prout vires sustinere videbuntur.

Si purgationibus morb. nõ cedat qd agendum.

Sed quia sæpe fit, vt continuis etiam purgationibus, morbus non cedat, tunc studendum est, vt viscera corroborentur, & tueantur a prauitate huius humoris, in quem vsum conueniunt aliquæ confectiones, odoramenta, & inunctiones. inter confectiones Galen. de Ther. ad Pisonem mirifice commendat, theriacam, commendatur etiam cons. borrag. Buglossi, lętificans Almans.regis. Et ego pro melancholicis soleo componere huiusmodi confectionem non minus vtilem quam iucundam.

Cõserua pro melanchol.

℞.Pomorum apior.libras.ij.
Succi borrag.
Buglosi an.℥.j.
Vini odorati ℥ v.
Sacch.fini depurati libras.ij.Bulliant.s.a.

Deinde adde *specierum lætificantis Almans.ʒ.j.*
Galliæ mosch.℈.ß.Misceantur, & f.conserua. Cuius vsus est, vt æger singulo mane hora vna vel altera ante cibum sumat ʒ.iij.vel iiij. nam vsus frequens huius confect. valde exhilarat animum melancholici

Spiritus recreãdi per odores.

Ad spiritus animales recreandos, (hi.n.maxime in hoc casu læduntur) non soleo improbare gestationem pilæ cuiusdam odoriferæ, quæ hoc pacto parari potest.

Pila odorata.

℞.Camphoræ ℈.j.
Musci
Ambra, ana ℈.v.
Ligni aloes ʒ.j.

Linimentũ.

Laudani [illegible]
Stiracis an.ʒ.iij.

Pulue-

Puluerisanda puluerisentur, & cum oleo citri, vel aranciorum fiat pasta, quæ in forma pilæ deiineatur in manu. Solet etiam caput illiniri, & præsertim pars anterior, in quem vsum multa a Medicis excogitata sunt. Ego vero maxime laudo huiusmodi linimentum.

℞ Olei florum Citri,
Liliorum,
Olei nucis, Myrist. an. ℥. iij.
Musci,
Ambræ, ana gran. ij.
Olei nenuph ℥. j.
Ceræ parum, & fiat linimentum.

Proprietate conferentia melanch.

Sunt præter hæc nonnulla, quæ proprietate existimantur conducere melancholicis, vt smaragdus gestatus, cor lupi gestatum, aut comestū. Et Aretæus magnopere probat vsum succi absynthij, nec ipse damno. Siquidem succus absynthij conuenit ventriculo, & iecori: quæ viscera in melancholicis semper violata sunt. Omnium maxime prodest, vt Galen. testatur, balneum aquæ dulcis.

Succi absynthij vsus.

Sed notare debetis, errorem esse in codice Aretæi tam Græco, quā Latino. Nam scribit Aretæus, quicunque vult vti succo absynthij, debere incipere a pauca quantitate, & ascendere vsq; ad mensuram fabæ. Sed quis non videt fabam, siue fabæ mensuram esse minimam quantitatē, vt non habeatur ex mensura, quod intendit Aretæus. Præterea, vna literula corrigendus est textus Aretæi, ita, vt loco vocis Græcæ κυάμου legatur κυάθου, hoc est loco fabæ legatur cyathi. Est enim mensura rerum humidarum, quæ pendit ℥. j ß. Atque hic est modus curandi melancholiam a toto, de qua loquebatur Aristoteles in fine 7. eth. quando scripsit melancholicos semper esse curandos, nam vsque adeo melancholici sunt importuni, & remediorum cupidi, vt Medicus cogatur perpetuo medicamenta aliqua adhibere.

Curatio melācholiæ per essentiam.

Si melancholia fiat a capite tantum dicit Auenz. lib. 1. tra 9. c. de melancholia, in primis cognoscendum esse, vtrum melancholia siue succus melancholicus sit tantū in venis, & arterijs, an sit etiam in toto cerebri corpore: Id quod cognoscitur vehementia vel remissione symptomatum, quoniam si symptomata sint exigua, signum est, melancholiam tantum contineri in vasis; sicuti si accidentia sint magna, signum est contineri in vasis & in corpore cerebri. Si sit solum in vasis, dicit Auenzoar facilem esse curationem; & sufficere solam viuendi rationem, & remedia quædam exteriora.

Stillicidium lactis super caput.

Et pro victus ratione laudat præ ceteris magnus hic experimētator, tū cibos factos ex amygdalis, tum gallorum testes: & extrinsecus quoque ol. amygdal. dulc. conueniunt profusiones factæ ex lacte, nam auferuntur capilli, & postea animal emulgetur supra suturam coronalem, vel statim lac emulctum superfunditur capiti deraso. Confert etiam decoctum ex pedibus vituli, ex pedibus castrati: soleo ego vti decocto capitis castrati, quia huiusmodi decoctum humectat substantifice cerebrum ipsum.

Ceterum si humor melancholicus non solum contineatur in vase, verumetiam in reliquo cerebri corpore, primum instituenda est ea victus ratio, quam proposui in melancholia a toto.

Venæ sectio.

Deinceps cogitandum est de sanguinis missione, nam si aliquæ notæ sanguinis exsuperantis adsint, aut si nihil adsit, quod prohibeat, sanguis omnino mittendus est; & quidem a vena vel basilica, si sit insignis copia sanguinis in vniuerso corpore, vel a caphalica, si tantū sanguis abundat in capite, & ab ea parte mittendus est sanguis, quæ magis affecta videtur, aut si vtraque sit æqualiter affecta a dextero latere.

Et hoc in casu ad reuellendum a capite soleo quoque laudare appositionem hirudinū hæmorrhoidibus. Sed in mittendo sanguine est semper memoria conseruandum illud Galeni documentum 1. ad Glauc. vbi præcipit, vt semper secta vena animaduertatur sanguis, qui fluit, an sit crassus & ater, an floridus, & tenuis; quoniam vbi crassus, & niger est, copiosus est emittendus; vbi autem secus, parce mittere oportet. Post sanguinis missionem præparandi, & purgandi sunt humores, eo pacto, quo docui in melancholia a toto.

Purgatio.

Illud vnum peculiariter obseruandum est in hac melancholia, vt potius pilulis vtamini, quoniam cum humor peccans sit in capite, hæc forma medicamentorum efficacissima est omniū ob diuturnam in ventriculo moram ad educendos humores a capite.

Masticatoria.

Purgato corpore deinceps deueniendum est ad purgandū magis immediate caput, cui operationi inseruiunt masticatoria potissimum, & errhina medicamenta. Pro masticatorijs ita ordinare poteritis.

℞. Myrobal. nigr. tenuissime tritor.
Coriandr. pulueris. an. ℥. j. ß.
Mastichis ℥. j.
Ceræ q. s. Misc. & f. masticat.

Errhinon.

Pro medicamento errhino.

℞. Fl. melanthij.
Borrag.
Maior. an. M. j.
Myrob. nigror. ℥. ij.
Cort. helleb. nigri. ℥ j. ß.
Aq. borrag.

Bu-

Buglossi q. s. Misce, & bulliant ad consumptionem quartæ partis. Deinde fiat cola.

Et diligenti expressione, attrahatur singulo mane dictæ colaturæ portio quædam tepida per nares, atq; paulisper detenta, deinceps emungatur, dictu mirum quantam materiæ copiã a capite educet: neque existimare debetis, non conferre patienti remedium hoc, quia materia, quæ educitur, sit pituitosa; nam ea sola ratione summopere prodest, eo quod pituita, vt intellexistis, est veluti minera, ex qua fit continuo humor melancholicus. De balneis capiti applicandis, quæ maxime ad humectandum cerebrũ valent, & odoramentis hic nil dicã, quia de illis supra. Commendatur vomitus in hoc casu teste Auicenna, & in casu prædicto Melancholiæ a toto, quia ventriculi humiditates, quæ sunt veluti fomites ipsius, aufert. Excitari vero solet, aut succo raphani, vel, postulante necessitate, helleboro. Quod si Melancholia fiat ab vtero, præcipuus scopus est, vt ipsi vtero prospiciatur, & simul etiam cerebro atque cordi potissimum. Dico potissimum, quoniam Auicenna, voluit in omni melancholia maximam curam esse habendam ipsius cordis, quasi cor aliquid conferat ad generationẽ hujus humoris, & huius morbi. Sed ego addo, hoc Auicennæ consilium potissimum debere seruari in melancholia ab vtero: siquidem & ratione, & experientia compertum est, vitia vteri semper communicari ipsi cordi. Est autem cordi adhibendum huiusmodi epithema:

Curatio melancholiæ ab vtero.

Epithema pro regione cordis.

℞. Succi borrag.
Succi bugloss. an. ℥. j. ß.
Aqu. rosarum.
Aq. melissæ an. ℥. iij.
Specierum cordial. temperatarum.
Specierum lætificantis Almans. an. ʒ. ß.
Vini aromat. ʒ. iij. M. & cum panno vel lineo, vel sericeo f. perfusio cordi.

Sic etiam possumus linimenta post refusionem ipsi cordi adhibere, veluti esset istud.

℞. Vnguenti cordialis Guaynerij ℥. ß.
Succi citri ℥. j.
Succi borrag.
Melissæ an. ℥. ß. M. & post perfusionem illinatur cordi.

Curatio melancholiæ hypochondriacæ.

Diximus inter alia melancholiæ genera vnam esse, quæ nominatur hypochondriaca. Gale. in fine 2. de symptomat. causis, dixit, hanc quoque appellatam esse flatuosam affectionem. Barbari appellarunt passionem myrachialem. Sed istud satis est intelligere, hanc affectionem esse temporibus nostris frequentissimam, vt propter hoc pertineat ad culturam ingeniorum vestrorum diligenter curationem hanc intelligere.

Indicationes. Dieta.

In qua instituenda tres scopi debent esse propositi. Primus vt humor melancholicus euacuetur: secundus vt viscera deobstruantur, & attemperentur. Postremus, vt cerebrum, & secundũ Auicennam, etiã cor confirmentur, & defendantur. Pro scopis implendis primum ea victus ratio proposita esse debet, quam antea intellexistis, tria tantummodo peculiariter sunt notanda: vnum est, vt quantum fieri potest, cruditates in ægritudine fugiantur. Et propter hoc dicit Rases laborantes melancholia hypochondriaca neque debere multum impleri, neque etiam ieiunare, eo, quod vterque hic excessus admodum infensus est melancholicis. Alterum obseruandum est, vt non tantum fugiantur cibi flatuosi, verumetiam vt semper cum cibis misceãtur ea, quæ flatus discutiant, quia, vt intellexistis, vocata fuit hæc affectio flatuosa, quia semper hi melancholici abũdant flatibus. Tertium, & postremum est, vt aluus lubrica seruetur, siquidem nihil est, quod melancholicos magis molestet, quam perpetua alui adstrictio. Et debent Medici pro aluo lenienda dilectos semper habere clysteres.

Clysteriorũ commendatio.

Et volo vos obiter vnum docere memoria dignum, Hippoc. in epid. cum referat plurimas historias ægrotantium, vix vnquam alterius remedij mentionem facit, quam clysteris & suppositorij. Et puto ego hanc esse causam, quia Hipp. maxime diligebat hæc remedia, vt etiam dilexit Auicen.

Auenzoar laudat in hoc morbo duo, succum granatorum dulc. & aqu. rosaceam: in qua etiã laudat, vt condiantur omnia fercula. Atque hęc de ratione victus.

De remedijs chirurgicis in hac curatione constitutum est apud omnes, nisi quid impediat, omnino mittendum esse sanguinem, siue vena secta cubiti dextri, siue per hirudines hæmorrhoidibus adhibitas.

Cauteriorum crurum.

Solemus quoque in hac melancholia parare cauteria cruribus, quæ expertus sum nobile auxilium attulisse frequenter. Nam Arabes adhibẽt hypochondrijs etiam caustica, scilicet ad extrahendum fomitem illum melancholicum. Et propter hoc puto Aetæum commendare cucurb. hypochondrijs adhibitas. Et nos quoque, vbi flatus magnopere torquent, solemus adhibere cucurb. magnas, & ignitas vmbilico.

Clyster leniens.

De alijs remedijs certum est, primum leniendam esse aluum huiusmodi clystere.

℞. fol. senę. ℥. ß.
Anisorum. P. j.
Fl. chamom. P. ij.
Fol. maluę M. j. ß. decoquantur s. a.

Deinde *℞. d. d. libram j. ß.*
Mellis despumati. ℥. ij.

Ol. aneth. ℥. vj.
Salis ʒ. j. Misce.

Post præparandi sunt humores. Et in præparandis istis debet magna haberi ratio flatuum exempli gratia. *Præparans.*

℞. Fol. cetrach.
Lupulorum.
Borrag. an. M. j.
Sem. citri.
Fœnic. an. ℥. ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d d ℥. iiij.*
Syr. Sabor. regis.
Syr. de lupulis an. ʒ. vj. M.

Præparati humores sunt expurgandi. Magnus Auenz. documentum memoria dignum proponit, scil. vt cum viscera sint incensa in hoc morbo, & præsertim meseraicæ atque iecur, a validis atque admodum calidis medic. abstineremus. Et de vsu hieræ dubitatum est: quia Rases damnauit. Rufus autem Ephesius, Aretæus, & Auicennas commendarunt. *Hiera vsus num conueniat.*

Sed dicere oportet, vbi iecur magnopere feruet, omnino esse fugiendum vsum hieræ, secus autem vti ea tutissimum & vtilissimum erit. Sed præsertim conuenit in hoc casu vsus syr. de polyp. syr. de pomis comp. Laudant etiam plerique vomitum, precipue si ęgri sint propensi ad ipsum. & quanquam Hippocrates dicat bilem per superiora, melācholiam per inferiora duci debere, attamen nos contrarium minime dicimus, propterea quod vomitus in hac affectione nō laudatur ad educendam melancholiam, sed potius ad expellendos crudos humores, qui in ventriculo quotidie multiplicantur, quiue, si in stomacho retineantur, solent facile in melancholicos humores conuerti.

Solemus vti sero vel caprino, vel vaccino. Sed de sero dubitari possit, vtrum conueniat in curatione hypochondriaca, siquidem serum est flatuosum, vnde non videtur conuenire in hac flatuosa ęgritudine. Dicendum est breuiter, serum purum, & in exigua quantitate non conuenire, sed vel serum medicatum, vel copiosum. Nam Galenus quinto aphorism. sexagesimo quarto testatur, se in flatuosis hypochondr. felicissime vsum esse sero cum melle & sale. Hippocrates autem in fi. 2. epid. vbi hypochondria flatibus distenta sunt, laudat serum ad quantitatem 8. cotylarum, id est lib. j ß. vnde miror aliquos, qui dicunt, veteres nunquam dedisse serum in copia, qua nos offerimus. Et hæc pro primo scopo. *Num serum conueniant.*

Erat secundus scopus, vt viscera deobstruerentur & attemperarentur, quoniam frequentissime viuuenit vt meseraicæ, atque iecur ferueant, lien tumeat, ventriculus autem frigidior sit, atque ex hac contrarietate plurimi flatus, iique crudi, & turbulenti gignantur, idcirco, primo prouidendum linimentis, & fotibus accommodatis, vt iecoris feruor remittatur. *Viscera deobstruenda.*

℞. Vng. rosf. Mes. ℥. j.
Pul. trias. ʒ. j. s.
Succi absynth.
Succi cichorei ana ℥. ij.
commisceantur omnia ad ignem, & addatur modicum aceti, ad penetrandum.

Et quia ventriculus primum quasi patitur in hac ægritudine, huic strenue medendum est. linimentum pro ventriculo tale erit. *Linimentum pro ventriculo.*

℞. Succi absynthij.
Succi menthæ an. ʒ. ij.
Ol. mastich. ʒ. iij.
Vini maluat. ʒ. j. ß.
Bulliant in vase duplici ad consumpt. vini. Deinde adde.
Calamiarom.
Squinanthi.
Caryoph.
Cinnamomi an. gr. vj.
Moschi gr. iij.
Cum cera f. linimentum.

Postremo lien quoque magnopere curandus est, qui obstructus, & repletus esse solet melancholia. Et ideo postulante vsu solemus lienis regionem simili remedio illinire. *Linimentum pro liene.*

℞. Ol. capparorum ℥. j.
Ol. amyg. amar. ℥. ß.
Pulu. scolop.
Tamaricis an. ʒ. ij.
Helleb. nigri. ʒ. j.
Ceræ q. s. Misce.

Ad hęc solemus vti pro deobstruendis visceribus medicamentis diureticis, sed circa vsum diureticorum est pulcherrima & vtilissima contemplatio, scilicet vtrum in affectu hoc melancholico, & pręsertim, quando lien est affectus, sit vtendum medicamentis diureticis. Nam Gal. 13. meth. 17. scribit nullam esse viam a liene ad vesicam, qua possimus humorem melancholicum

cum

[illegible] expurgare per vesicam, vt videatur superuacaneum, [illegible] melancholicæ per [illegible]. Sed [illegible] hæc res [illegible] diffi[illegible] [illegible] etiam [illegible] melancholia expurganda, propter duas [illegible] rationes. [illegible] magnus Hippocrates [illegible] de alimento, & 6. epid. dicere solebat naturam cōflu[illegible], nam esse & [illegible] si secretas vias parare, & [illegible]. Alios quoque [illegible], & præter [illegible] omnia corpora nostri conspirabilia esse. Vnde etsi Galenus [illegible], non esse vias manifestas a liene ad vesicam: attamen sunt secretæ viæ, & soli naturæ cognitæ. Altera ratio est, quoniam, vt [illegible] superioribus [illegible], humor melancholicus est [illegible], quemadmodum [illegible] Hipp. 6. epid. comm. [illegible] 21. Vnde fit [illegible] maxime iuuant, quoniam expurgant [illegible], & humorem serosum.

Et hinc est, Domini, quod Galenus primo ad Glauc. de cura quartanæ commendat vsum diureticorum. Imo vero Hippocrates secunda epid. part. secunda, in caso [illegible], monstrat [illegible] tumorem lienis profluuio vrinæ esse sublatum. Adde etiam hoc [illegible] Hippocr. sect. 3. 2. epid. manifestissime dixisse tumorem lienis intercipi profluuio vrinæ, adeo, vt licet non sint manifestæ viæ a liene ad vesicam, sint tamen secretæ, per quas natura [illegible] humores melancholici frequenter expurgat; & nonnunquam etiam ipsum humorem. Poteritis igitur in curatione melancholiæ hypochondriacæ tuto semper vti medicamentis diureticis: & [illegible] parandum erit [illegible] antiqui, quod nuper proposui, præcipuus scopus semper esse debebit, vt egregie prouocetur vrina.

Postremo est in hoc morbo prospiciēdum, ne cerebrum & cor lædantur, quoniam hæc sunt loca, quæ potissimum petit hic humor deterrimus. Sed quia superius [illegible] sermonem habui de [illegible] ac lauacris capiti adhibendis, quæ depellant vapores ascendentes spirituum crassitiem, & tenebrositatem tollant, similiter de corroborantibus, libenter ab illis recensendis hic supersedebo.

Præter hanc curationem regularem Medici solertes & diligentes solent considerare, quidnā sit potissimum, in quo melancholici errent. Et cum arte nequeant falsas imaginationes adimere, conantur & astutijs, & solertia id facere. Nam exemplum habetis Alex. Trall. qui cum curandam suscepisset virginem quandam, laborantem melancholia, & putantem sese vorasse serpentem, postquam remedijs alijs multiter vsus est, iussit serpentem clam in vase poni, atque super eum fæces excernere: quo factum est, vt mulier cum putaret sese serpentem illum cum fæcibus deiecisse, a falsa imaginatione liberata sit. Sic etiam Democritus Medicus curauit alium melancholicum, putantem esse sine capite, imposito illi pileo plumbeo. Quæ volui vobis significare, vt si quando opus erit, possitis vos etiam ægros vestros similibus artibus liberare.

CAPVT XI.

De Vertigine.

Nomen.

INter vitia deprauatæ imaginationis est & aliud, quod apud Græcos diuersos sortitum est nomina. Nam interdum vocatur ἴλιγγος, interdum δῖνος, interdum σκοτόδινος, nonnunquam σκότωμα, vel σκοτωσία. Latini autem appellarunt vertiginem, & vertiginem tenebricosam, Arabes & Barbari fere omnes vocant Scotomiam. Sed circa hæc nunc scire oportet, aliqua esse communia, aliqua vero peculiaria. Commune nomen, vt habetur ex Theoph. in libro de vertigine, & Aristotele 6. prob. 4. est ἴλιγγος, peculiare autem est & δῖνος, & alia. Nam, vt docuit Galenus 4. acut. 42. & quarta aphor. 17 δῖνος, nihil aliud est, nisi affectus quidam, quo quicunque tenentur, putant omnia in gyrum verti. σκοτόδινος autem, σκότωμα, & σκοτωσία, est affectus, in quo non solum ægris videntur omnia verti in gyrum, sed etiam tenebræ ita oculis offunduntur, vt nisi cōtineantur aliqua ratione, statim in terram cadant. Quanquam Galenus loco citato aphorism. scribit etiam hunc affectum vocatum esse ἴλιγγον ab Hippocrate.

Dinos & scotodinos vt differūt.

Sed vtcunque sit, certum est, vertiginem simpliciter appellatam, & σκότωμα, siue tenebricosam vertiginem inter sese differre, non alia ratione, nisi qua differt imperfectum & inchoatum a perfecto: quasi δῖνος, siue vertigo sit quid imperfectum, σκότωμα, quid perfectum. & hoc licet colligere ex verbis Archigenis apud Aetium libro sexto, dum dicit, vbi quis scotomia tentatur, vertigo præcedit. Atque hanc puto fuisse causam, propter quam Græci scriptores, atque etiam Arabes, vno excepto Rase, curationem solius scotomiæ attulerint: siquidem non differt curatio harum affectionum, nisi secundum magis, & minus.

Genus symptomatis.

Est autem omnis vertigo symptoma in genere actionum deprauatarum. Sed dubitari potest, quænam actio potissimum deprauata sit in vertigine. Nam sunt, qui putant, deprauatam esse imaginationem, Alij vero sensum visus. Fern. putauit lædi & motum & sensum. Ego autem puto ita esse statuendum, in vertigine principaliter læsam esse imaginationem; secundario autem lædi motum, & sensum.

Nam quod lædatur imaginatio principaliter, illud certissimum est argumentum, quod vertiginosi imaginantur omnia in orbem verti. Et hic est primus & principalis error, qui apparet in vertigine. Quoniam autem ab imaginatione regulatur incessus animalium, vt scribit Arist.

lib.

lib de animal. incessu, hinc fit, vt grauiter læsa imaginatione consequenter lædatur motus.

Haud secus cogitãdum est de sensu. Nam sensus communis cum sit germanus, vt ita dicam, imaginationis, & in eodem loco fiat, necessum videtur, deprauata imaginatione, simul etiam contaminari, & violari sensum. Et cũ sensũ communi violari & auditum, & visum. veram enim scotomiam sequi tinnitus aurium scripsit Archigenes, atque etiam Gal 3. de loco. affectis. 8.

Quod autem neque ratio, neque memoria in vertigine lædantur, ex eo scire licet, quod vertiginosi in ipso paroxysmo cognoscunt sese errare, & post paroxysmum recordantur suorum errorum. Locus affectus igitur in vertigine est pars anterior ipsius cerebri.

Locus affectus.

De morbo, quem sequitur hoc symptoma, dubitari potest, quandoquidem non solum Galenus loco citato, & Auerrh. 3. collect. 41. verum etiam & alij videntur existimasse, morbum hunc non alium esse, quam inæqualem cerebri intemperiem. Sed puto ego aliter esse decernendum, nempe morbum non alium esse, quam morbum in situ & in via, siquidem, vt paulo post dilerte demonstrabo, hic affectus fit, eo, quod ventriculi cerebri replentur peregrina materia;

Obiectio.

Sed quid dicemus ad Galenum? qui videtur voluisse, inæqualem intemperiem facere hoc symptoma. Respondeo, verum esse, quod dicit Galenus, quia intemperies inæqualis est quidem causa huius symptomatis, sed non immediate. Nam ex inæquali intemperie fit obstructio, & situs mutatus spirituum, qui inæqualiter, & inordinate mouentur, ita, vt intemperies sit causa mediata vertiginis, & sic locutus sit Galenus, & alij.

Causæ.

Causæ horum morborum aliæ sunt internæ, aliæ externæ. De causis internis vertiginis inuenio non ignobiles controuersias inter medicinæ scriptores. Nam Theophrastus in libro, de vertigine, & Auicenna, prima tertij tract. 5. c. secundo, voluerunt immediatas causas vertiginis esse vel humores, vel vapores. Galenus quarto, de rat. vict. acut. text. 42. & Aetius lib. 6 cap. 7. ex Posidonij sententia videntur voluisse, vapores, atque eosdem calidos, & acres esse causas internas vertiginis. Theophrastum secutus videtur Constantinus Africanus primo de morborũ cognit. & curat. vbi dixit causam vertiginis esse nimiam humorum abundantiã cum ventositate mixtam, quando, scilicet humores mouentur a flatibus, vel fumo ab aliquo membro sursum ascendente. Idem attestati sunt Alsaharauius Tract. 10. sect. 2. cap. 6 Haliabbas. 9. Theor. cap. 5. Ceterum Paul. Aegineta lib. 3. cap. 12. alienam sententiam secutus dixit vertiginem fieri ab humoribus frigidis, & crassis. Montanus, qui vidit contradictionem inter Aetium, & Paul. vt eos conciliaret, dixit duplicem esse vertiginem, aliam per essentiam in capite, aliam per consensum. Essentialem dixit fieri ex humoribus frigidis, & de hac locutum esse Paulum. Per consensum autem dixit fieri a vaporibus, & de hac locutum esse Aetium. Sed hæc Montani responsio quãquam ex parte vera sit, non tollit tamen contradictionem; siquidem Galenus loco citato libro de acutis, dicit vapores efficientes vertiginem vel fieri in ipso cerebro, vel in cerebrum tolli a partibus infimis. Ex quibus verbis facile licet colligere, secundum Galen. etiam ex vaporibus fieri essentialem vertiginem, vt propter hoc Montani distinctio, alias bona, nihil valeat. Vt igitur huius rei veritas penitus a vobis habeatur, confugiendum est ad modum & naturam generationis vertiginis. Atque hanc non alibi perquirere debemus, nisi apud nobilissimum philosophum Theoph. quem etiam hoc in casu secutus Gal. 3. de loc. aff 8.

Generatio vertiginis ex Theoph.

Scribit igitur Theoph. lib. citat. in capite nostro semper repetiri humores, qui quamdiu manent immoti, & firmi in vno loco, nullam actionibus animi inferunt noxam. Sed si forte moueantur, varia detrimenta inferunt, & si quando a vaporibus mouentur, eum vapores moueantur inordinate, & plerumque orbiculariter, fit vt humores etiam simili pacto moueantur, & propterea animus imaginetur, omnia eo pacto moueri.

Exẽplũ mulierum circa oua.

Atque idem scribit Theoph. contingere hoc in casu, quod contingit, vbi aliquis mouet alterius caput in gyrũ. Eo namque motu fit, vt humores ipsius cerebri inordinate huc atque illuc agitentur, & consequenter videantur omnia in gyrũ verti. Affert etiam huius rei Teoph. exemplum luculentissimum, quod etiam habetur apud Aristotelem 6. problem. 4 Nam Aristoteles eo in loco, atque etiam Theoph. quærentes, quam obrem homines, dum quiescunt, non tentẽtur vertigine, sed tantum inter surgendum, inquit id contingere, quod contingit ouis. Nam mulieres dum volunt videre, vtrum oua sint cruda vel cocta, vertunt ea in gyrum, quia si sint cruda, non possunt facile verti, sed vertuntur vbi sunt cocta. Et ratio est, quoniam in crudis ouis humor eum nondum sit per totum distributus, fit vt qua parte copiosior est, eam in partem decidat, & non vertatur. Vbi autem coctum est, cum humor sit æqualiter diffusus beneficio caloris, fit vt iure verti possit.

Sic dicunt Arist. interpretes contingere in vertigine: quia cum humores capitis in vnum locum collecti sunt, non faciunt vertiginem: sed vbi ijdem humores per motum huc atque illuc æquabiliter mouentur, fit, vt motum vertiginosum induant, adeo vt ex hoc discursu possitis facile colligere, causas immediatas vertiginis esse vel humores, vel vapores, vel humores, & vapores simul, ita, vt humores sint, qui impulsi, & moti spiritus moueant; vapores autem sint tanquam impulsores, qui simul, & humores, & spiritus moueant.

Vnde iam patet ratio, qua licet conciliare hos scriptores; quoniam causæ veræ, & internæ vertiginis sunt, cum humores tum vapores; sed diuersis modis, humores tanquam impulsi vel tanquam materia, ex qua fiunt vapores, sed vapores causæ sunt tanquam impellẽtes. Quod si Gal. & Aetius videntur vertiginem tribuisse vaporibus solis, locuti sunt, quantum ego puto, tãtum de illis vertiginibus, quæ fiunt in febribus, aut saltem de illis, quæ fiunt a calida causa, nempe

qua

qua humores resoluũtur in vapores,& vapores deinde in caput sublati,dum spiritus in orbem agitant,huiusmodi affectum,& symptoma pariunt.

Circa ea,quæ diximus,tria occurrunt diligenti explicatione digna. Primum est, vtrum causa immediata vertiginis sit solus humor,aut vapor. Secundum, vtrum verum sit, sedentes nunquam vertigine tentari. Postremo,quomodo in vertigine videantur omnia verti in gyrum: cum tamen obiecta externa ipsius visus sint immota.

Vtrum causa immediata vertiginis sit solus humor, aut vapor.

Circa primum Auic.prima tertij cap.1.tract.v.manifestissime scribit,intemperiem solam calidam,sine humore,& sine flatu interdum facere vertiginem. Et exemplum affert. Auic.aquæ bullientis,quæ mouetur tamen in gyrum a calore ipsius ignis. Præterea Auenzoar lib.1.tra.9.c.18.scribit,timorem, & profundas cogitationes inducere nonnunquam vertigenes, non alia ratione,nisi quia spiritus accẽduntur,accensi dilatantur,& in orbem mouentur.

Ex quibus satis patet,voluisse hos præclarissimos scriptores,vertiginem fieri posse a nuda intemperie,sine flatu,& sine humore.

Pro hac dubitatione nihil aliud dicere oportet, nisi illud, qđ intellexistis ex Gal. ex Theoph. & probatis auctoribus. Cum primis autem dicendum, aut hos viros dormitasse, aut ipsorum exempla ita intelligenda esse,quod tametsi intemperies calida faciat vertiginem,eam tamen faciat non immediate,sed mediantibus flatibus: nam & aqua ipsa proposita ab Auicenn.non alia ratione mouetur in orbem,nisi quia calor ignis excitat flatus,qui dum quærũt exitum,aquam ipsam huc atque illuc mouent. Quod cognoscitur,quoniam non solum ab aqua feruente fiunt circuli,verumetiam aqua feruẽs consumitur,quod fieri non posset,nisi in flatus cõuerteretur. Ea propter Auic.exemplum nihil ipsi suffragatur.

Vtrum sedentes nunquam vertigine tententur.

Circa secundum Hip 5.epid.narrat casum cuiusdam Eumeni,qui cum sederet vertigine tentatus est: vt hoc manifesto Hip. exemplo facile intelligere possimus, etiam sedentes vertigine tentari dicendum est id,quod dicit Gal.1.prorrh.31.scilicet magnum Hipp.vbi narrat aliquem casum,& nomen ægri apponit,semper casum illum,& rarum,& memoria dignum esse. Ergo casus Eumeni,tanquã rarus,ab Hipp.proponitur, & qui rei naturæ aduersetur. Imo vero ipsemet Arist.6.probl 4 non dicit simpliciter sedentes non tentari vertigine, sed inquit, quod surgentes vertigine magis corripiuntur, quam sedentes: vt non sit præter rationem, nec præter visum,si quandoque etiam homines,dum sedent,a vertigine capiuntur.

Quomodo in vertigine videantur omnia verti in gyrum.

Circa tertium Auer.3.collect.41.duo de vertigine notatu digna scribit. Primum est, naturaliter visum,& alios sensus affici ab obiectis externis; non esse tamen impossibile, quin etiam quandoque moueatur sensus ab internis obiectis. Alterum,quod dicit Auer.est,homines vertigine tentatos propterea in terram cedere, quoniam ex perseuerantia vaporum fit multum mala intemperies in cerebro,propter quam in terram cadunt.

Primum,quod dicit Auer.est quidem verissimum,sed parum docet. Secundum autem duplici ratione veritatem non habet: vna,quia intemperies fit longo tempore, vt alias docui vos; casus ad terram in vertigine fit repente: ea propter non potest hoc symptoma ab intemperie proficisci. Alia ratione falsa est Auer.sententia, quoniam si ab intemperie cerebri fieret casus, non ita cito solueretur, quoniam intemperies longo tempore contracta non statim soluitur, sed longo tempore.

Auer. notatur.

Cur vertiginosi cadant.

Quamobrem multo satius est,dicere vertigine tentatos cadere in terram, quoniam ex confusione spirituum facultas motrix penitus impeditur,quo minus possit distribui per vniuersum corpus,siquidem,vt dicit Gal.3.de loc.aff.7.spiritus sunt instrumenta deferentia in corpus motum, & sensum. Cur autem videantur omnia verti in gyrum, ratio proposita est ab Alex.2.problem.67.& a Cassio in probl.med.probl.27.quibus in locis scribunt, spiritus visorios in orbem rotatos in cerebro transmitti ita motos vsque ad pupillam,vbi enim seruent motum illum,quẽ adepti sunt in cerebro,indicat facultas omnia externa eodem pacto moueri. Atque hæc de causis internis immediatis.

Causæ mediatæ.

Causæ mediatæ vertiginis sunt inprimis intemperamenta,& ætas. Dicebat enim Auenzoar, eos,qui calido sunt cerebro,maxime vertiginibus tentari. Et de ætate scriptum est ab Hippoc 3.aph.31.senes maxime omnium ob ætatem tentari vertigine, quemadmodum etiam exemplis comprobatur.

Causæ internæ præternaturales.

Causę vero internæ præternaturales sunt febres aliquæ,vt habetur apud Hipp.4 de acutis 42. Sunt etiam varij affectus corporis,vt ventriculi imbecillitas,& cruditas,iecinoris immensus feruor,vteri variæ affectiones. Ad hæc hæmorrhoides vel nimium suppressæ, vel nimium fluẽtes. Sic quoque menstrua immoderata,aut imminuta faciunt vertigines,& tandem omnes euacuationes siue sint naturales, & euacuationes criticę siue artificiales, vt quæ fiunt per pharmaca, causæ sunt vertiginis. Nam Theoph.in lib.de vertigine,& Alex.2 problem.33. docentes, quomodo a pharmacis vertigines inducantur,dicebant inter alia, eos, qui purgantur, vertigine, & confusione mentis,ita tentari, vt non possint numerare trabes, nisi postquam perfecta est, & consummata purgatio.

Causę externę.

Inter causas externas a Cælio Aurel.lib.1.de diut.pass.cap.2. reponitur tempus veris, & hyemis. Hipp.quoque lib.3.aph.17.inter causas externas vertiginis cõnumerat austrinas tempestates. Somnus,& vigilia,si immoderata sint,vertigines inducunt, id quod etiam præ ceteris facere potest otium consummatum.

Præterea percussio capitis hoc facit. Nam exemplum habetis apud Hipp.5.epid. vbi narrat virgi-

virginem Nerei percussam in capite ab amica, manu expansa statim incidisse in vertiginem tenebricosam. Huc etiam pertinet motus capitis, atque etiam corporis in circulum factus vel ab alio, vel a seipso. Cuius rei dum causam afferre vellet Cassius probl. cit. dixit hoc cõtingere, quoniam humores oculorũ in orbem mouentur. Sed pace huius Medici, hæc nõ est vera ratio, cur per hunc motum vertigo oriatur: eo quia si causa vertiginis esset humor motus in oculo, sequeretur hunc morbum esse symptoma visionis, nõ autem imaginationis, vt docuimus: præterea vt vidistis, in anatomia vsq; adeo arcte ambiũtur a proprijs tunicis, vt minime loco moueri possint, & ppea multo melius dixit Auic. & alij, fieri vertiginem in his, quoniam moto capite mouentur humores, & spiritus inordinate, ita, vt in gyrum circumlati vertiginem producant.

Cassius notatur.

Deinde aspectus rerum in gyrum motarum, aspectus locorum profundorũ, & aspectus iotẽtus cuiuslibet rei, vertiginem inducunt. Quorum omnium ratio luculentissime explicata est a Theoph. lib. cit. Nam res in orbem motæ propterea vertiginem faciunt, quoniam spiritus visorij ab hoc obiecto similiter mouentur; qui per partem post partem communicantes hunc motum spiritibus, & humoribus cerebri, vertiginem faciunt. Et ob hoc scribit Theoph. nautas, vbi sciunt aliquem tentari faciliter vertigine, obuelare ipsi oculos, ne aut astra, dum mouentur, aut fluctus maris intueantur. Id quod faciunt etiam illi in iumentis, quæ rotas in orbem ducunt.

Cur autem aspectus rerum profundarum vertiginem pariat, adfert causam idem Theophr. quod spiritus visorij, vbi res profundissimæ spectantur, in immensum protenduntur, vnde cum non possint firmi perseuerare, in tanta spacij longitudine, fit vt titubẽt, & quasi tremant: ac propterea huiusmodi tremor radiorum communicatus per partem spiritibus cerebri eos similiter mouet. Et huius euentus causa explicata mirum in modum facit pro illis, qui putarunt visionẽ fieri per extramissionem radiorum. sed obijciet hic aliquis, cur si ex motu spirituum fit vertigo, etiam fit ex quiete? nam si aliquis aliquam rem, & diu inspiciat, vertiginem incurrit. Respondet Theophr. quod sicuti quæ mouentur, disiunguntur, & distant inter se, ita & fixio visionis est veluti vnius partis spirituum disiunctio, distantiaue ab alijs, quę sunt in cerebro, vnde distantes partes cum graues sint, caput similiter grauant, ac vertiginem faciunt.

Aspectus rerum profundarum.

Præterea nimia venus maxime omniũ vertigines facit, & præsertim in senibus. Sic nimia adstrictio, nimia corporis repletio, crapulæ, vini meracioris vsus, inter has causas iure a Medicis recensentur. Inter cibos legumina omnia, pistaciorum genera, præsertim vero vsus lolij vertiginem manifeste, & vehementer inducunt.

Sunt quoq; aliqua venena, quæ a Nicandro dicuntur vertiginẽ inducere, cuiusmodi est morsus viperæ, aconitum, cicuta; opium etiam maxime vertiginem facere potest. Nec dubitare de hoc debetis, quod dictũ sit a calore potissimum fieri vertigines, cum tamen hæ venena frigida sint; q̃m etiamsi efficienter, & primario non faciant vertiginem, faciunt tamen tum, quia materiam generationi vaporum subministrant, tum maxime, quia facultates omnes, & præsertim cerebri, ita hebetant, & tardant, vt non possint deinde flatib. & humoribus vllo pacto resistere.

Scribit Gal. 3. aph. 17. & in lib. qui inscribitur Introd. vertiginem proxime accedere ad epilepsiam, & apoplexiam, Scribit etiam Aretæus 1. de chronicis 3. vertiginem sæpe coniungi cũ cephalea, ita, vt necessarium sit, habere signa aliqua, quibus vertigo distingui possit a similibus affectibus. Et propterea Cæl. Aurelianus, & Auicen. nonnulla signa proposuerunt, quibus fit hęc distinctio. Primum enim vertigo illud habet, vt fiat sine strepitu, sine clamore, sine vlla conuulsione, & sine perfecta priuatione motus, & sensus. Contra autem apoplexia, & epilepsia: Nam apoplexia adimit ex toto sensum, & motum: epilepsia fit cum strepitu, cum clamore, cum conuulsione; & semper ægri in terram cadunt.

Signa. Distinctiua.

Scribit Auicen. vertiginem esse affectum temporaneum. Sed nisi pro temporaneo intelligat momentaneam affectionem, certe falsum est quod scribit. Siquidem vertigo repente, & subito fit, ac minus durat quam epilepsia.

Distinguitur etiam vertigo a Cephalea, quoniã in Cephalea tametsi adsit interdum quædam confusio, & oculorũ obtenebratio, adest tamen semper dolor, qui non reperitur in vertigine, vt propter hoc iure Cæl. Aurel. damnauerit eos, qui definiebant vertiginem dolorem esse.

Signa diagnostica vertiginis fere a nullo Medico sunt proposita, & ratio est, vt puto, quoniã hic affectus satis perspicuus est; siquidẽ id præcipue habet, vt videantur omnia verti in gyrum, vt obscurentur oculi, & vel cadant in terrã, vel proxime accedant vt cadant. Ceterũ, quia, vt intellexistis, alia vertigo fit per consensũ, alia fit per essentiã: quæ fit per consensum id habet, vt fit absque vlla capitis insigni affectione. Præterea neq; continua est, neque etiã admodũ frequens.

Signa.

Quod si fiat ventriculi vitio, cognoscitur nausea, vomitu, inappetẽtia, amarore oris, & magis læduntur stomacho repleto, quam stomacho inanito. Si fiat pp vitium vteri, cognoscitur, quia mulieres præter vertiginẽ, vt docet Auic. laborant, aut præfocatione matricis, vel retẽtione spermatis, & menstruorũ, aut etiã apostemate aliquo. Et vno verbo dicam, quæcunque pars cõmunicet vertiginem, cognoscitur semper proprijs, & peculiaribus signis. Ea, quæ fit per essentiam in capite, si fiat a causis externis, cognoscitur potissimum relatione vel ægrotantium, vel adstantium. Si fiat a causa interna, cognoscitur, quia sensus omnes obtusi sunt, grauitas perpetua est in capite, & semper ante oculos aliquid obuersatur, & frequentissime accedunt vertigines.

Ventriculi. Vteri.

Paulus Aegin. lib. 3. cap. 12. inter alia signa huius generis affectus nominat soporem. Sed cũ a nullo alio scriptore hoc signum proponatur, semper suspicatus sum, Pauli contextũ esse mendosum; & vbi legitur in codice Græco κάρος, id est sopor, legendum esse βάρος, id est grauitas.

nam facilis fuit error mutatione vnius litterulæ. Nam Gal.3 de loc.aff.8. & omnes alij ponūt inter signa vertiginis essentialis grauitatem capitis: imo vero, Aretæus loco cit. scribit, grauitatem capitis esse veluti ideam vertiginis.

Ceterum, quia vertigo essentialis a pluribus causis proficisci solet, si fit a pituita, cognoscetis, quia grauitas adest, inappetentia, carentia sitis, hebetudo memoriæ, & sensuum, nec non, quæ obuersantur ante oculos, alba sunt. Si fiat a flaua bile, cognoscetis capitis colore, & flauitie, siti, oris amarore, & quæ videntur ante oculos flaua apparebunt.

A melāncholia.

A sāguine.

Si fiat a melancholia cognoscitur grauitate, timore, mærore, insomnijs funestis, & quæ apparent ante oculos nigra sunt. Si efficiatur a sanguine, cognoscetur grauitate, lassitudine, propensione ad somnum, vultus rubore, & rubore eorum, quæ apparēt ante oculos. Nam scribit Hip. 2. de morbis non longe a fine, vertiginem fieri tenebricosam, quotiescunque sanguis impetu quodam rapitur in faciem.

Prognostica.

Progn. Omnis vertigo si frequenter contingat potissimum in decrepitis minari solet, futurā esse, aut apoplexiam, aut epilepsiam: vt scribunt Auic. & Cæl. Aurel. quia signum est, cum virtute iam debili, copiam humorum adesse. Sic etiam vertigo minatur apoplexiam, quoties fit cum stupore antecedente alicuius partis. Et Hip. in Coacis prænotionibus solebat dicere vertiginem in hæmorrhoide parum apparente modicam sideratione significare. 2. prorrhet. etiam scribit idem Hipp. quod si vertigo contingat, cum capitis doloribus, malum difficile, curatu, & furiosum existere.

Habet tamen vertigo illud, quod si post ipsam succedat dolor capitis, signum bonum est, eo, quod vapores, & humores, qui ventriculos cerebri obsidebant, eos dereliquerūt, & detrusi sunt ad membranas.

Cæl. Aurel. 1. de diut. pass. 2. scribit, vertiginem minime saluti noxiam esse, neque vertiginosos perire, nisi forte fortuna cadant, vel in præcipitia, vel in puteos, quasi velit significare, vertiginem suapte natura non esse exitialem.

Ceterum videtur colligi contrarium ex Gale. qui 3. aph. 17. cum scribat, vertiginem proximā esse apoplexiæ, & epilepsiæ: videtur docere voluisse, periculosam esse, cum & apoplexiæ, & epilepsiæ sint periculosissimæ.

Idem Galen 4 de acutis 42. scribit vertiginem mediam esse inter affectus salutares, & lethales. Ex quo colligitur, vertiginem non ita salutarem esse, quemadmodum dicit Cælius. Respondeo, vertiginem, vt habetur apud Aretæum, duplicem esse, aliam recentem, aliam vetustam.

Recens, quantum sit ex sese, caret periculo: vertigo vetusta non caret prorsus periculo: non quidem quod ipsa lethalis sit, sed quia vertigo perseuerans semper conuertitur in aliquem morbum exitialem.

Nam quæ fit a pituita, conuertitur in epilepsiam, & apoplexiam; quæ fit a bile, conuertitur in phrenitidem, quæ fit a melancholia, conuertitur in furores, & in maniacas affectiones, adeo, vt vertigo pertinax semper in aliquem affectum conuertatur. Et ad hoc respiciens Gal. docuit vertiginem ex toto non esse periculi expertem.

Curatio.

Curatio. Dicebat Cæl. Aurel. 2. cap. 1. lib. de chro. in fine. curationem vertiginis, & specie, & genere eandem esse cum curatione Cephaleę. Sed multo melius senserunt alij, qui & cephaleę, & vertiginis diuersas curationes instituendas putarunt. Itaque curatio vertiginis duplex est, alia in ipso paroxysmo, alia vero extra paroxysmum.

In paroxysmo.

In paroxysmo duo scopi debent esse propositi: vnus, vt vapores, vel humores, vel vtrique a capite diligenter, & cito reuellantur. Alter scopus est, vt ijdem vapores, & humores dissipentur. Pro primo scopo vtilissimæ sunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ siccæ, quę semper partibus inferioribus, hoc est, coxis, & cruribus adhibendæ sunt. Præ ceteris cōueniunt suppositoria, & in clysteres acres.

Pro discutiendis vaporibus, & humoribus in accessione ipsa quotiescunque vertigo diutius perseuerat solent fieri varij suffitus. Et ipse soleo frequenter hoc vti.

Suffitus vapores, & humores dissipans.

℞. Aq. betonica vel communis lib. j.
Aceti, ℥ iij.
Anisorum. P. j.
Verbenaca P. j. ß.
Bulliant simul, & fumus attrahatur per nares a patiente.

Qui solet efficacissime, & citissime a vertigine liberare. Huc valet masticatio acori.

Emplasma temporū præstantissimū.

Marcellus etiam proponit quoddam remedium, quod ego expertus sum prodesse. Nam accipitur misy, & teritur diligenter, deinde aceto maceratur, atque ita maceratum apponitur instar emplasmatis temporibus, fronti, nec non post aures, habet vim insignem hoc medicamentum dissipandi vapores, vertiginis auctores.

De vena sectione.

Dubitatum est, utrum in accessione uertiginis liceat sanguinē mittere. Nam Oribas. & Paulus omnino negant; & opitulari his videtur Galen. qui 2. prorrhet. 38. dixit vertiginem maxime hebetare vires, vt uideatur perniciosum sanguinis missione adhuc magis vires debilitare.

Contra Rases laudat, ut sanguis mittatur ab auribus, hoc est a loco, qui est circa aures; quia per eas partes, vapores in caput feruntur. Dicendum est, in uertigine recenti, & quę parum, ut plerumque contingit, duret, omnino abstinendum esse a sanguinis missione, & satius esse expectare exitum paroxysmi. Si autem extat a sanguinis copia, & præsertim in capite, & multum

duret,

duret, tum Rasis consilium amplectendum erit.

Curatio extra paroxysmum. Diæta.

Cęterum, extra paroxysmum scopus propositus esse debet, vt prospiciatur, ne paroxysmus rodeat, quod opus cum sit præseruatorium, omne studium eo est conferendũ, vt causæ omnes efficatrices vertiginis remoueantur. Pro quo obtinendo in primis necessaria est diligens victus ratio. Nam debet in primis eligi aer purus, temperatus, potius siccus, quam humidus, fugiendus autem est omnis aer nebulosus, australinus, fœtidus, vitandus est aspectus rerum, quæ vertuntur in gyrum, præcipitiorum, & nil intente videndum. Et quod monebat Gal. 5. de tuend. val. 3. magnopere fugiendus est motus ille omnis, qui fit capite ad terram inclinato. Vnde Aretæus iure damnauit pro vertiginosis ludum paruæ pilæ. Fugiendæ sunt immodicæ curæ, immodica studia, immodica venus: fugiendę quoque repletiones omnes, & cibi, & potus. Si que aluus adstricta sit, procurandum est, vt fiat lubrica, vel leni aliquo medicamento, vel, quod vtilius est, acri clystere. Somnus mediocris erit; immoderatus enim homines torpidos reddit, atque difflationem vaporum prohibens, vertigini pabulum suppeditat.

A vino abstinere oportet vertiginosos, & pręsertim a vino crasso, & generoso. Loco vini optima est aqua cocta cum coriandro, vel aniso, aq. mulsa,. Ex cibis fugiendi sunt omnes illi, qui crassi sunt, difficiles coctu, qui flatus gignunt, & pręsertim, qui caput ipsum male afficiunt. Vnde non possum laudare Aretæum, qui scribebat, vertiginosis maxime cõuenire dactylos, siquidem, vt habetis apud Galen. de comp. sec. loca. dactyli proprietate quadam caput maxime lædunt, vt propter hoc nullo pacto videantur conuenire vertigini.

Vena sectio.

Instituto victu, deinceps cogitandum est, vtrum vertigo sit essentialis, an per consensum. Et si essentialis, considerandum est, a quonam humore efficiatur. Et quia pręter victum in omni vertigine duo alia remedia in vsum veniunt, & Chirurgia, & pharmacia; primum videre oportet, vtrum in curatione vertiginosorum conueniat sanguinis missio. Nam ex vna parte non videtur conuenire: quoniam, vt dicit Galen. loco citato in vertigine vires semper infirmæ sunt, & propterea non videtur conuenire hoc remedium, quod requirit vires validas.

Pręterea inquit Rases, quod vbi morbus vertiginem faciens existit in capite, & frigidus sit, nunquam venæ, aut arterię post aures incidendę, sed caput solummodo purgandum. Ex altera parte scribit Gal. 6. de tuenda val. 12. vertiginem esse affectum magnum, sicut & epilepsia. In affectu magno cõuenit magnum remedium, quale est venę sectio. Pręterea idem Gal. lib. de ven. sect. cap. 10. scribit, sese in vertiginosis etiam sanorum actiones obeuntibus, consueuisse semper mittere sanguinem. Et Aetius lib. 6. cap. 7. ex Archig. sententia, non solum dicit simpliciter conuenire sanguinis missionem, verum etiam conuenire omni tempore, si vires permittant, & nihil aliud prohibeat.

In hac controuersia definiendum est, in vertigine, quæ fit a sanguine, sanguinis missionem conuenire, in alijs autem, si humores multum recedant a sanguinis natura abstinendum est, quemadmodum iuuat mittere sanguinem, si non multum recedant a sanguinis natura.

Locus mittẽdi sanguinis.

De loco mittendi sanguinis Galen. lib. de ven. sect. cap. 12. laudat mittere sanguinem per scarificatas arterias post aures. Idem etiam 3. de loc. affectis 8. & in lib. de cur. per sanguinis missio. c. 19. laudat sanguinem mittere in epilepsia, & in vertigine a cruribus. Auic. 1. tertij, tr. 5. cap. de scotomia laudat, vt sanguis mittatur a basilica, & vt etiam arteriæ post aures incidantur. In hac difficultate, si corpus sit valde plethoricum, dico vt prius mittatur sanguis a basilica: &, si sanguis maxime abundet in capite, etiam mittatur a cephalica: secus autem magnopere laudo, vt sanguis mittatur a venis crurum, & præsertim hoc faciendum est, quando vertigo non est pure essentialis, sed etiam fit per consensum in cerebro.

De arteriotomia.

De arterijs autem incidendis post aures scire debetis, veteres Medicos in operationibus chirurgicis maxime valuisse; & omnes nostros longe antecessisse, vt cum callerent artem incidẽdi arterias, facile fuit ipsis huiusmodi auxilium proponere. Nostris temporibus hæc disciplina, & pręsertim incidendi arterias, valde desideratur; ea propter non audeo huiusmodi consilium ita facile laudare.

Illud certe puto, venas vel arterias post aures, aut scarificatas, aut incisas, maximũ adiumentum adferre; & præsertim, si, quemadmodum monebat Aetius, huiusmodi remedium adhibeatur post alias euacuationes, & post alia remedia tentata. Sic Flores vir admodum sagax, vt testatur Rases primo cont. cap. 2. censuit huiusmodi sectionem adhibendam non conferentibus alijs remedijs in omni Scotomia, quam ipse ab humore frigido, ac melancholico tantum fieri putabat. Imo & Celsus lib. 3. cap. 2 & 9. ait, quod vbi remedia non respondent, alia atque alia sunt mutanda, & quod veteres in malis non cedentibus Medicinæ, interdum etiam ad contraria sese conuertebant.

Vnum memoria dignum proponit Aetius, vt in mittendo sanguine spectetur, vtrum vertiginosi facile capiantur hoc symptomate, necne. Quia si facile teneantur, omnino sanguis mittendus est pluribus vicibus, eo, quia sanguis confertim missus facile obnoxios vertigini facit cadere in ipsam.

Post sanguinem missum diligenter videndum est, vtrum sit sangnis auctor vertiginis: quoniam vbi fit a sanguine, consilium est Pauli, & aliorum, vt diligenter incumbatur compescẽdo sanguini, & refrigerationi capitis, quod quidem fit Oxyrrhodinis capiti admotis. Odore etiam sandalorum & rosarum. Marcellus laudabat, vt capiti circumponãtur folia vlmi, folia hederæ. Vsus etiam psylli vtilissimus est. Et soleo ego ex psyllio componere tale medicamentum.

Medicamentum ex psyllio.

℞. Sem psyllij. ℥ ß.
Aq. rosarum.
Aq. endiuiæ an. ℥. ij.
Conquassentur diligenter, & abiectis seminibus cum modico sacch. exhibeatur singulo mane horis 4. ante cibum.

Si fiat vertigo, vel a bile, vel a pituita, vel a melancholia, debent primo præparari humores: deinde præparati, debent purgari.

Et quia dixerunt Aretæus, & Cælius eandem esse curationem doloris capitis, & vertiginis; eapropter, ne vos inutiliter retardem, ea, quæ proposui in vnoquoque dolore capitis, tum præparantia, tum purgantia, illa eadem poteritis exhibere in hoc casu.

Vtrum purgantia exhiberi debeat.

Illud vnum discussione dignum est, vtrum medicamenta purgantia debeant in vertigine vsurpari. Nam Hipp. 2 prorrhet. 38. manifestissime docuit, in vertigine non conuenire medicamenta purgantia, & propterea Rases non pertransit decoctum myrobolanorum citrinorum, quotiescunque eos purgare necesse est: Attamen ex altera parte in vertigine a ventriculo ipse exhibet cocchias, & Aetius scammonium præbet; quæ sunt medicamenta validissima.

Dicendum igitur, id quod colligitur ab Aetio loco citato, scilicet aliam esse vertiginem vehementem, aliam mitem. Et vehemens alia est contumax, & antiqua, alia vero est recentior. In vehementi vertigine abstinendum est omnino medicamentis grauibus, vt etiam mitibus. Et ratio est, quia in hac vertigine semper vires ita sunt fractæ, vt nequeant ferre medicamentorum agitationes. Sed loco medicamentorum in hac vertiginis specie vtendum est clysteribus grauioribus, & acribus. In vertigine non vehementi, nec contumace vtendum est medicamentis mitioribus; & in vertigine pituitosa non est transeundum vltra agaricum; in melancholica epithymum solum sufficit, sicut in biliosa Rhab.

Ceterum in ea vertigine, quæ contumax est, possumus vti medicamentis grauibus, vt sunt pilulæ cocchiæ in pituitosa, pilulæ de fumo terræ in melancholica, & aureæ in biliosa.

Præter hæc medicamenta deinde in vertigine essentiali, deueniendum est ad ea, quæ immediate caput ipsum euacuare, & corroborare possunt, vt sunt pulueres, errhina medicamenta, Apophlegmatismi, & Masticatoria. Pulueres, quemadmodum habetur apud Aetium, inspergguntur supra coronalem commissuram derasam, exempli gratia.

Puluis commissis inspergendus.

℞. Lapidis lazuli.
Pulegij.
Origani an. ℥. ß.
Caryoph.
Squinanthi. an. ʒ. ij.
Terantur omnia in puluerem diligenter, & supra commissuram coronalem inspergantur.

Qui puluis potissimum conuenit, vbi vertigo fiat a materia viscida, & crassa.

Pro errhino multa laudantur; succus anagallidis, succus radicis betæ, elaterium cum lacte; Hæc enim omnia, vel per seipsa, vel simul commista trahuntur, aut infunduntur per nares.

Errhinon.

℞. Elaterij gr. iij.
Nitri gr. v.
Melanthij. ℈. ij.
Cum ol. veteri, & modico cera f. collyrium, & immittatur per nares.

Apophlegmatismus.

Apophlegmatismi fiunt huiusmodi.

℞ Fol pulegij.
Mentæ.
Stœchados an. P j ß.
Anisorum P. ß. f decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. lib ß.*
Oxym. simpl. ℥. ij. M. & sæpe cum hoc gargariſetur.

Pro masticatorio autem hoc potest esse in vsu.

Masticatorium.

℞. Mastiches. ℥ ij.
Pul. Caryoph.
Squinanthi.
Puleg.
Orig an. ʒ ß.
Ceræ parum. Pulueriz anda puluerizentur. f. masticatio.

Sed aduertere debetis interdum accidere, vt & sternutamenta, & masticationes prouocent ipsas vertigines, quare caute inuestigandum, an vertiginosi facile, aut difficulter capiantur hoc symptomate, quoniam vbi faciliter capiuntur, semper debetis euitare omnia illa, quæ facile prouocant vertiginem, etiamsi alioqui videantur vtilia esse, pro expugnandis causis. Hæc de vertigine facta per essentiam in capite. Fit porro sæpissime ex alijs partibus vapores ad caput mandantibus, quarum omnium curandarum communis indicatio est, membra lædentia curare, quod fiet, si intemperies ipsorum corrigatur, simulque ij humores purgentur, ex quibus eleuati vapores ad caput mittuntur. Sed quia præ ceteris fons, ac origo huius mali solet esse ventriculus, ipsi summa cura, ac studio prouidendum erit.

Rases, & plerique practicantes magnopere commendant vomitum. Et quia magna huius curationis vis posita videtur in vomitus procuratione, tria breuiter de hoc expendenda sunt.

Primum

Primum vtrum in vertigine vomitus conuenire possit. Nam Hipp. lib. de loc. in homine scribit, vbi oculi sunt affecti, minime vomitum conuenire. Sed in vertigine oculi maxime afficiuntur. Itaque non videtur, vomitum vllo pacto vtilem esse.

Præterea Gal. 13. meth. 11. vbi affectus est ventriculus, perniciosum esse ait vomitum: ergo in vertigine a ventriculo non videtur vomitus conuenire. Quibus rationibus adducti forsan Paulus, Auic. & Auerr. z. de vomitu in hac curatione nusquam sunt locuti.

Ex altera parte est auctoritas Hipp. qui 4 aph. 17. scribebat, in tenebricosa vertigine cum oris amarore optimum esse, per superiora purgare. Ex quo loco facile colligitur, a prudentissimo sene vomitum in vertigine, immo in vertigine a ventriculo, (quia dicit, oris amarore) commendatum esse. Vt non immerito, & Rases 1, Cont. 2. & alij plerique omnibus remedijs in hoc casu anteposuerint vomitum.

Pro resolutione dicendum est, cogitandum esse, vtrum æger pronus sit ad vomitum, an potius auersus a vomitu. Si enim sit propensus, certe nullum remedium vomitu efficacius reperitur. Sed si æger a vomitu abhorreat, potius purgationibus, quam vomitu agendum est.

Sed quid dicemus ad Hipp. & Galenum. De Hipp. dicere oportet, affectus oculorum, aut pendere a ventriculo, aut a cerebro. Si a ventriculo, vomitus confert: sed si a cerebro, plane inimicus est. Et Hipp. quando in loco citato damnat vomitum in oculorum affectibus, loquitur de ijs, qui cerebro essentiales sunt, non autem de his qui per consensum fiunt. Ad Gal. dico, verum esse, quod laborante substantia ventriculi phlegmone, nocuus est vomitus; sed si malum sit in cauitate, & a materia pendeat, non solum non obest, immo maxime iuuat.

Recta administratio vomitus.

Quod si Paulus, & Auic. non meminerũt vomitus, id fecerunt, vel quia supposuere, vel quia breuitatis studij sit, vt Paulus, omnia præsidia minime enumerarunt. Itaque hoc constitutum sit, in vertigine a ventriculo, si propensio sit ad vomitum, ante cetera vomitu esse vtendum.

Sed in ipso recte administrando duo potissimum obseruanda sunt. Primum est, vt vomitus prouocetur ijs remedijs, quæ faciliora sunt, vt ol. cum iure, penna oleo intincta, oxym. simp. aut iure cũ decocto genistæ, decocto anethi, vel cum aceto, & aqua calida. Et si pituita vertiginem faciat, præter oxym. vti quoque possumus, vel succo, vel decocto raphani. Alterum est, vt vbi vomendum est, oculi velo aliquo arctissime vinciantur. Nam sicut nauigantes ad fugiendam vertiginem obuelant oculos, & iumenta etiam, quæ vertunt rotas oculis obuelantur, ne vertigines incurrant: sic vomituri bonum est, vt oculos tueantur, ne a vertigine tententur.

Ad hæc vtile est, priusquam vomitus incipiatur, quia caput alioqui imbecillum eo magnopere lædi solet, vt secundum commissuram coronalem, aliqua remedia adhibeantur, quæ vt constrictoria tueantur cerebrum a vaporibus, qui sursum feruntur, ac ipsum corroborent. ex. gra.

℞. Myrtillorum ʒ ij.
Fl rosarum ʒ iij.
Fol. rub ʒ j.
Caryoph. ʒ ß.
Puluerizentur omnia cum aceto, & modico cera. f. pasta, ac commissuræ derasæ apponatur.

Præparãs in causa frigida.

Si vomitus administrari aliquo impedimẽto nequit, vel hoc etiam remedio non sumus voti adhuc facti compotes, tempus est, vt humores, qui in ventriculo sunt, & vertigines faciunt, purgentur. Sed tamen prius præparandi. & quia nuper dixi humores posse esse frigidos, & calidos; vbi frigidi erunt, sic eos præparabitis.

℞. Fol orig.
Mentæ.
Poly.
Beton an M. j. f. de coct. s a.
℞. d. d ℥ iiij.
Oxym. simpl.
Syr. de beton.
De menta an. ℥ ß. M.

Num pilulæ cocchiæ conueniant.

Præparati humores sunt purgandi. Rases pro purgatione laudat pilulas cocchias, non alia, vt credo, ratione inductus, nisi quia operæpretium videbatur humores blandioribus medicamentis prius exagitatos, & tamen nondum eductos, potentiori aliquo pharmaco elicere. Præter pilulas cocchias, placent quoque Pil. de hiera cum Agarico, hiera simp. Gal. Possimus etiam vti infrascripto medicamento.

Purgans.

℞. Agar. trochisc. ℈. iiij.
Decocti cordialis cum sena ℥. iiij.
Infundantur s. a deinde facta diligenti expressione adde:
Elect. Indi maioris. ʒ. iij.
Mellis ros solut. ℥. iij.
M. & f potus.

Præparans in causa calida.

Si humores calidi, & biliosi fuerint, hunc in modum præparandi sunt.

℞. Fl cichor.
Bugloss.
Portul. an. M. j.
Fo. absynthii M. S. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. d. d. ℥ iiij.
Syr. acetosi simpl.
Rosarum recentis an. ʒ. j. Mis.

Purgantia.

Post præparationē purgandi sunt pilulis de aloe, pil. de hiera cum agar. pil. de Rhab. pil. Alephangin. accommodatæ sunt in hoc casu. Sed potestis etiā huiusmodi medicamentū ordinare.

℞. *Myrobal. citrin. ʒ. j. ß.*
Sebesten num. xij.
Sem. citri. ʒ. j.
Fl. cordial. P. i. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. *d. d. ℥ iiij.*
Rhab. el. ℈ iiij.
Cinnam. gr. iij.
Infundantur omnia s. a.

Deinde *Facta expres. adde Syr. ros. solu. ℥. ij.*
Diaphenici ʒ. ij. M. & fiat potio.

Postquam euacuati sunt humores, ventriculus, vnde malum oritur, omni diligentia corroboretur cum internis, tum externis remedijs. In causa frigida intus conueniet Ther. antiqua, Diaspol. Arom. ros. externa autem accommodata est hæc inunctio.

℞. *Ol. mastichini.*
Caryoph.
Nucis mosch. an. ʒ. ij.
Ol. de absinthio ℥. ß.
M. omnia, & cum modico cera f. linimentum.

Inunctio.

In humoribus calidis intus conuenit sacch. rosar. antiquum, confect. diarrh. abbatis. Foris sequens inunctio:

℞. *Ol. ros. omphac.*
Mastich. an. ℥ ß.
Pulu. coriandrorum.
Corall. rub. an. ʒ. j.
Cera parum. M. fiat linimentum.

Cauteriorū vsus efficacissimus.

In vertigine omni præter cetera auxilia obseruaui magnopere conferre cauteria cruribus infixa. Et licet proprie conueniant, vbi vertigo fit, aut a liene, aut a iecore, aut ab vtero: obseruaui tamen etiam in ea, quæ fit a ventriculo, cauteria, vel ambobus cruribus, vel vni saltem inusta admodum salutaria.

CAPVT XII.

De Lycanthropia.

IN hoc genere symptomatum ad corruptam imaginationem pertinentium, est postremo loco alter affectus, qui tribus nominibus a Græcis nuncupatur.

Nomina.

Vocatur modo λυκάων, modo λυκανθρωπία, modo κυνανθρωπία. Arabes vocabulis multo asperioribus vtuntur. Nam appellant modo coturub, modo coutoutoub. Rases appellauit hunc affectum hereos. Sed nescio quo spiritu, nisi hæc vox sit male ad nos translata.

Descriptio.

Est autē hic affectus deprauatæ cuiusdam imaginationis species, qua homines putāt, & imaginātur, sese vel lupos, vel canes esse: ac propterea latrant, discurrunt, nocte vagantur, sepulchra perquirūt: &, quod magis horrendū est, etiā cadauera corrodūt. Vnde intelligere potestis, quid significare voluerit Plin. lib. 8. ca. 22. ꝙ forsan de Neuris Scythiæ populis intellexit, quos narrat Herodotos in Melpomene quotannis aliquot dies lupos fieri, & deinde in homines redire.

Et quanquam fabulæ sint, homines fieri lupos: semper tamen ego putaui, & alios, qui hac de re testati sunt, non ex toto falsum dixisse: quandoquidem fieri potest, vt variæ gentes simili morbo sint tentatæ: adeo vt occasionem dederint, fingendi transmutationem in lupos. Et sic quoque intelligendum esse Pausaniam, cum lib. 6. Ilia. scribit, Demarchum quendam pugilem 10. annis fuisse lupum, & deinde pristinam formam recepisse. Nam verisimile est, virum illum laborasse quotannis hac ægritudine, ita, vt fuerit existimatus lupus. Et forsan nō est a ratione alienum, existimare mutationem illam Nabuchodonosor in bouem, & in feram, non aliud fuisse, quam huiusmodi ægritudinem.

Est hic affectus symptoma in genere actionū imaginatricis deprauatarum. Locus affectus est cerebrū, secundū anteriores partes, & morbus nullus alius est, q̃ intemperies cal. & sicca. Causa autem immediata huius intemperiei est humor melancholicus cōbustus, & fædus, vnde intelligere potestis, cur tam varia symptomata, & mōstrosa in hoc morbo cōspiciantur, quandoquidē, vt scribit Arist. problem. 30. humor melancholicus cōbustus, secundum varios sui gradus, & secundū diuersitatem dispositionis corporū, varios, & mirificos effectus proferre solet.

Causa mediata. Interna. Externa.

Causa mediata huius mali interna, est intemperies naturalis, calida, & sicca; ætas virilis, suppressæ hæmorrhoides. Et inter causas externas Aetius lib. 6. cap. 11. commemorat tempus anni, vbi scribit, huiusmodi morbum maxime grassari mense Febr. Sed cur potissimum hoc tempore fiant Lycanthropiæ, non ita apud omnes certo est constitutum. Aliqui sunt, qui putant, siderum concursus eo tempore hoc malum inducere.

Sed

Sed cum habeamus Hipp. 3. aph. 20. hyeme, & potissimum vere melancholiam dominari, & melancholicos morbos fieri, puto hanc verisimiliorem esse rationem, quod scilicet humores melãcholici autumno geniti, quasique ab hyeme congelati quiescunt, mitescente vero, fere naque hyeme eliquantur, ac agitantur, ac propterea eiusmodi symptomata faciant, vnde, & feles, & complura alia animalia eo mense immani libidine efferantur.

Cur mense Febr potissimũ hic morbus grassetur.

Signa.

Signa complura sunt. Nam qui laborant hoc morbo, interdiu latent domi; vbi tenebræ apparent, statim exeunt, & hac, atque illuc discursantes clamant, latrant, fugiunt obuios, frequentant sepulturas, oculos habent cauos, colorẽ vultus fœdũ, & nigrum, linguam aridã, & siticulosam. Postremo habẽt crura vlceribus plena, quæ difficiliter cõsolidãtur, cuius triplex causa, 1. impuritas, & grauitas humoris. 2. multitudo motuũ pedũ. 3. offẽsio pedũ, & tibiarum ad lapides, aliasue res duras, similiter morsus canũ, quos interdũ sustinẽt cũ nocte, sine lumine ambulant.

Est certe hic morbus horrendus, veruntamen non est exitiosus; immo vero, etsi pluribus mensibus duret; attamen legimus etiam post annos fuisse persanatum.

Curatio eadem est, quę maniæ, & propterea de curatione tractabimus, in curatione maniæ. Nũc satis est, scite, peculiariter in hoc morbo ab Arabibus, & Aetio laudari sanguinis missionem, vsque ad animi defectum, eo, quod maxime in hoc morbo formidetur magna aliqua inflammatio, aduersus quam efficacissimum est remedium venæ sectio, vsque ad animi defectũ, sicut & in magnis doloribus, vt docuit Gal. 1. aph. in fine 23. Præterea laudant Arabes verbera, & fustes. Reliqua in curatione maniæ.

CAPVT XIII.

De vitijs ratiocinationis læsæ.

Retactis vitijs læsæ imaginationis, transeundum est ad vitia læsæ ratiocinationis, quæ ex Gal. 2. de sympt. caus. 2. trium sunt generũ, quoniam rationis operatio, per quam homo est homo, vel diminuitur, vel aufertur, vel deprauatur. Quæ omnia vitia complexus fuit elegantiss. Celsus lib. 3. cap. 18 sub nomine insaniæ. Vbi ratiocinatio, seu discursus diminuitur, vocatur a Grecis μώρωσις, & μωρία. Latini appellant fatuitatem, & dementiam. Vbi vero penitus aufertur discursus, vocatur ἄνοια; Latini dicunt modo amentiam, modo stoliditatem, sed notandum est vocari amentiã, nõ propterea quod homo in hoc effectu sit penitus sine mente, quia esset bellua sed sic appellatur, quemadmodũ ab Arist. dicitur quadam aues ἄποδες, non quod penitus sint sine pedibus, sed quia habent breuissimos pedes. Sic amenta, qui habent parũ omnino mentis. Gal. cap. 3. lib. de diff. symp. cap. 3. inquit hũc affectum esse quasi paralysin rationis. Et, vt puto, Gal. accepit hoc ex epistolis Hipp. in quarum vna Abderitæ vocabant fatuitatem Democriti Apoplexiam τῆς διανοίας. Tertul. lib. de anima vocat prodigalitatem mentis.

Ceterũ quando ratiocinatio deprauatur, fit affectus nũcupatus a Græcis modo παραφροσύνη, modo φρενῖτις. Hæc postrema vitia videntur Arabes complexi sub vno nomine, videlicet permixtione rationis.

Verũ, vt tota hæc tractatio à me ordine tradatur, primũ sermonẽ faciam de diminuta, & ablata ratiocinatione, quãdoquidẽ hi sunt cõgemini, & differũt tantũ secundũ magis, & minus.

CAPVT XIIII.

De fatuitate, & amentia.

Diminutio discursus, vt dictum, est fatuitas. Videtur tamen controuersum, quid proprie sit. Nam Galenus secundo, prorrhe. comm. vlt. manifestissime monstrat fatuitatem esse affectum præter naturam carentem delirio. Cõtra autem Paulus Aegin. lib. 3. cap. 11. tradit esse affectum, in quo læditur ratiocinatio, & memoria, vt non videatur hic affectus prorsus esse absque delirio.

Fatuitas quid.

Genera fatuitatis.

Vt tollatur hic nodus, confugere oportet ad Aetium, qui lib. 6. cap. 22. scribit duo esse genera fatuitatis: aliud, in quo ægri debiliter quidem discurrunt, sed consequentia, & ordinata dicunt, & faciunt, atque hanc esse μώρωσιν proprie; aliud esse dicit, in quo ægri non solum debiliter discurrunt, verumetiam neque dicunt, neque faciunt consequentia, & ordinata; sed confuse, & absque vllo proposito loquuntur, & operantur. Atque hunc affectum dicit Paulus vocari a Græcis λῆρον. Vnde, quando Gal. scribit, fatuitatem esse sine delirio, loquitur de prima specie, sicut Paulus loquitur, vel de ambobus generibus, vel de postremo.

Amentia quid.

Genus symptomatis.

Amentia vero est affectus, in quo homines vsque adeo carent discursu, & mente, vt videantur puræ pecudes. Atque huiusmodi affectus interdum morbosus est, interdum non. Reperiri dementiam non morbosam, præ ceteris docuit Hippocrates quarto epid. in casu cuiusdam, quem scribit fuisse fatuum non morbosum; huius generis apud veteres habẽtur populi Thraces, quos dicit Arist. 75. probl. 3. nesciuisse numerare, nisi vsque ad quatuor. Et huiusmodi etiã fuit nescio quis stupidus, & bardus, quem scribit Athenæus ignorasse, quot pedes deberet. Fatuitas igitur, & amentia sunt symptomata in genere actionis discursiuæ diminutæ, & ablatæ.

Locus affectus.

Locus affectus est, cerebrum, secundum se totum. Nam scribit Gal. 3. de plac. 3. necnon 1. de loc. aff. 4. eos, qui parum mentis, & discursus habent, a populo vocari excerebratos. Et hodie etiam a vulgo dicuntur esse sine cerebro.

Morbus à quo dependet.

Morbus est intemperies frigida; cui, vt dicunt Arabes, interdum coniungitur siccitas, interdum humiditas, interdum vero vapores, seu flatus. Nam esse intemperiem frigidam, præter alia loca habetis locupletissimum testem Gal. qui 4. de præsag. ex pul. 8. scribit, frigiditatis cerebri symptoma inseparabile esse fatuitatem; non quod frigiditas cerebri semper inducat fatuitatem; sed quod, vbi est fatuitas, semper necessario cerebrum frigidum est. & hoc est, quod dicebat Gal. operationes diminui, aut aboleri a frigido.

Sed dicet aliquis ingeniosus, nonne Arist. 2. de part. animal. 4. scribit sanguinem calidum, & crassum facere ad robur corporis, sanguinem autē frigidum, & tenuem conferre ad ingeniū, & perspicacitatem? Ergo, si verum est hoc, non est verum, frigiditatem cerebri afferre semper fatuitatem. Dicendum, frigiditatem dupliciter posse cerebro contingere, vel moderatam, & siccitate coniunctam, vel immoderatam. Si moderata, & siccitati coniuncta est. bonitatem ingenij facere solet; atq; ita locutus est Arist. ceterū immoderatū frigus, secus facit, eo, quia torporē quendā animo humano obducit; merito cuius efficitur tardus, & impotēs ad operandū.

Philosophi putarunt, fatuitatem quoque posse induci a sicco, & a nimio calore spiritus consumente: Sed puræ nugæ sunt. Nam, etsi Auenzoar lib. primo, tract. 9. cap. 16. afferat, interdum siccitatem immoderatam officere mentis operationibus; attamen non propter hoc asserendum est, læsionem factam a siccitate esse fatuitatem, sed aliquam læsionem. Pari pacto falsum est, a calore spiritus consumente posse induci fatuitatem, quia huiusmodi calor prius inflammaret cerebrum, & membranas ipsas, quam fatuitatem induceret.

Causa interna.

Causæ internæ fatuitatis, & amentię sunt frigidi humores, siue sint pituitosi, siue melancholici. Post humores sunt causę harum affectionū, in primis temperies corporis, quippe cū exploratissimum sit, facile euadere fatuos, & desipientes eos, qui frigido sunt temperamento.

Aetas quoque inter has causas recensetur; siquidē, vt scribit Aetius in loco citato, senes capiuntur ea fatuitate, quæ vocatur λῆρος, iuuenes autem ea, quæ vocatur μώρωσις. Sexus quoque aliquid facit ad generationem huius mali. eo, quod mulieres magis, quam viri, tentantur hac ægritudine. Ex causis internis, præter naturam nominatur ab Auenzoar. lib. 1. tract. 9. cap. 16. euacuatio nimia sanguinis, siue sit spontanea, siue artificiosa. Idem etiam lib. 2. tract. 3. cap. 1. scribit, priuationem testiculorum maxime conducere ad inducendam desipientiam.

Num hic affectus sit hereditarius.

Sed hoc in loco dubitari potest, vtrum hic morbus hæreditate contrahi possit, & vtrum fieri posset per consensum. Quo ad primum, ego statuo, hanc ægritudinem necessario, aut frequenter non fieri per hæreditatem, siquidem, quemadmodum quotidie obseruatur, ex parentibus generosis, & prudentibus nasci filios insipientes, & fatuos videmus, vt relatū est antiquitus de filijs Hippoc. Sic quotidie exēplis probatur, ex parentibus ignaris, & stupidis oriri solertissimos & ingeniosissimos filios, vt parū omnino conferre videatur paterna, & hæreditaria dispositio.

Quo ad secundū, habemus apud Hippo. in fine lib. 5. epid. quendā hydropicum euasisse fatuum, ita vt colligere liceat, posse interdum fatuitatem oriri per consensum a toto corpore.

Sed veritas est, huiusmodi affectum per essentiam, & nequaquam per cōsensum fieri posse. Et ratio est, quia fatuitas non fit, nisi ab insigni intemperie frigida cerebri. Iam vero huiusmodi intemperies in habitu est, & consequenter longo tempore acquiritur. vt non possit esse per consensum, sed necessario essentialis sit in cerebro.

Externa.

Causæ externæ complures sunt. In primis est aer frigidus, & vt dicit Aetius, ventosus, & pluuiosus. Aer etiam crassus, vnde qui sunt stupidi, & tardi, dicuntur nati sub crasso aere. Nimium otium, nimius somnus, nimia venus, continuæ crapulæ, & cruditates hanc fatuitatem facile inducunt: pręsertim vero id faciunt cibi, & medicamenta admodum refrigerantia, vt est hyoscyamus, quem scribit Serenus Medicus vocatam esse herbam insanam, eo quia mādueata homines reddat fatuos, qua ratione etiam vocatur Altercum a Plinio, quoniam, valde alteret mentem humanam.

Signa.

Signa harum affectionū vsque adeo manifesta sunt, vt non sit opus perquirere, siquidem, & operationibus, & gestibus, & loquela manifeste patet aliquem carere discursu, & ratione.

Progn.

Est autem omnis fatuitas antiqua, & naturalis incurabilis, non tamen exitiosa. Scribit Hippocrates in coacis prænot. fatuitatem contingētem in febribus significare futuram phrenitidem. Quæ sententia omnino falsa videtur: quoniam si fatuitas oritur ex immensa cerebri frigiditate, qui fieri potest, vt commutetur in phrenitidem, quæ est calidissima passio? propterea locus ille intelligendus est, non de vera fatuitate, sed potius desipientia, quæ interdum etiam fieri solet a causa calida. Idem Hippocrates primo, prorrhet. tex. 31. scribit, fatuitatem coniunctam morbo regio, malam esse. Quem locum interpretans Gal. dixit, pro fatuitate intelligendum esse veternum. Sed vtcūque intelligatur, multum absunt a sese, fatuitas vera, & morbus regius, ac propterea placet mihi, vt etiam hoc loco non vera intelligatur fatuitas.

Curatio.

Curatio fatuitatis, & amentiæ communissimum scopum habet, vt cerebrum calefiat: &, si humidum sit, vt exsiccetur. Et quia frigiditas vetusta, & grauis est, strenue pugnandum est aduersus ipsam. Vnde necessaria est in primis exquisita victus ratio.

Dieta.

quoniam nihil est quod corpora nostra felicius possit alterare, vel ad bonū, vel ad malum, quam continua vitæ ratio, vt iure dixerit magnus ille Hippo. lib. de internis passionibus, eos qui parce edunt, & parce bibunt,

nunquam

nunquam morbis humoralibus tentari. Aer igitur eligendus est calidus, tenuis, odoratus; imo vero odores maxime conducunt in hac ægritudine, musci odor & ambræ, myrrhæ, & omniũ aromatum. Vigilare oportet, moderate, & corpus exercere moderate.

Abstinendum est, quantum fieri potest, à venere; fugiendæ cruditates, & crapulæ. Vinum generosum, tenue, odoratũ conuenit; aromata item conueniunt, vt habetis libro Actuarij de spiritibus, in cuius secundo volumine diligentissime auctor, ille proposuit syluam omnium ciborũ, qui ad bonitatem ingenij, & prudentiam producendam sufficiant.

Instituto victu diligenter considerandum, vtrum intemperies cerebri sit coniuncta cum humoribus, an seiuncta. Si enim sit seiuncta, oportet studere medicamentis internis, & externis, vt cerebrum calefiat. Quare conueniunt extrinsecus capiti lotiones ex vino, lixiuio & vino, ex lixiuio cum aromatibus. Conueniunt & inunctiones temporibus, & suturæ coronali, vt est ista.

Linimẽtum. pro capite.

℞. Ol. nucis myristicæ,
Caryoph an. ʒ. iij.
Ladani. ʒ. ß.
Galliæ musch. gr. vj.
Cum modico vini f. linimentum, administrandum, vt dictum est.

Potest etiam ex simili materia fieri pila, & gestari intra nares die & nocte, & præsertim nocte. Intus vtilis est Theriaca antiqua, Mithrid. confectio, confectio Alkermes, confectio anacardina. Soleo ego vti etiam simili confectione:

Mistura vtilissima.

℞. Pulu. cerebri gallinacei assati ℥. j. ß.
Specierum diamusci dulcis ʒ. ij.
Diamarg.
Diatrionpiper an. ʒ. ß.
Cum sacch. diligenter depurato q. s. fiat mixtura; cuius sumitur singula vice ʒ. j. vel ʒ. ij.

Si intemperies copulata sit cum humoribus, primum videre oportet, an vacuatio vlla sanguinis conueniat. Et quia diximus, huiusmodi ægritudinem oriri ab insigni frigida intemperie cerebri, non videtur vlla sanguinis missio vtilis esse posse; & ideo, nisi aliqua consueta sanguinis euacuatio sit suppressa, omnino abstinendum est à quacunque sanguinis detractione.

Venæ sectio.

De cauterijs in re quæri posset, vtrum conueniant. Et quia certissimum est, vbi abundant humores frigidi expedire, vt ij continuo euacuentur, propterea laudare soleo vsum ipsorum, præsertim in brachijs.

Cauteria.

Quod reliquum est, humores quam primum præparare opus est hunc in modum.

Præparans. humores.

℞. Fol. maior.
Saluia.
Stæch an. M. j. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. de cort. citri.
Syr. de Stæch. an. ℥. j. M.

Et aduertere oportet vnum hoc loco, quod memoriæ mandatum est ab Auer. 3. collect. scilicet in hac affectione etiam cordi succurrendum esse. Quanquam autem hoc videatur placitum purum Peripateticum, cum Peripatetici posuerint intellectũ in corde: id tamen, quod dicit Auicen. in melancholia esse etiam habendam curam cordis, in proposito quoq; casu dici potest.

Vbi præparati sunt humores, eos expurgare conuenit. Et in hoc ceteris medicamentis anteponendus est pilularum vsus. conueniunt igitur istæ pilulę.

Purgans.

℞. Pil. aurearum.
De hiera Pachij an. ℈. ij. ß.
Oxym. scyllit. q. s. M. & f. pilulæ. v.

Ceterum, quoniam dixi, hunc affectum pertinacissimum esse, minime sufficere solent simplices purgationes, nisi repetantur; ideo possunt iterum præparari sic humores.

Præparatio altera.

℞. Rad. pæoniæ.
Angelicæ an. ʒ. ij.
Fol Stæch.
Maior. an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Oxym. scyllit.
Syr. debeton. compos.
De Stæchade an. ℥. ß. M.

Post iterum purgabuntur his pilulis.

Purgatio altera.

℞. Pil imperialium.
Coch præpar. an. ℈. ij.
Trochis albandal gr. vij.
Cum melle ros. solut. f. pilulę v.

Post hanc purgationem veniendum est ad expurgandum caput per errhina. Et inter cetera soleo ego vti elaterio cum cera, & Terebinthina hunc in modum:

℞. Elaterij ℈. j.
Terebinthi. cypriæ. ʒ. ij.

Errhinum. *Cera modicum. M. & f. collyrium pro naribus.*

Præter hæc conueniunt omnia ea, & intrinsecus, & extrinsecus, quæ nuper proposui, cum traderem medicamenta aduersus fatuitatem ex sola intemperie frigida.

A proprietate conferentia. Sunt multa, quæ à proprietate dicuntur conferre ad restituendum intellectum & rationem; vt sunt pulueres omnium pene cerebellorum animalium. Sic etiam smaragdus, & sapphyrus ad collum gestatus dicuntur conferre ad intellectus perspicaciam; & multa alia, quæ non opus est referre. Atque hic sit finis vitiorum læsæ ratiocinationis diminutæ, & ablatæ.

CAPVT XV.

De Phrenitide.

Sequuntur vitia disensus deprauati; quæ omnia, vt scribit Galenus secundo de sympt. caus. cap. vltim. & 3. in 3. epid. comprehenduntur sub vno nomine Paraphrosynis, siue delirij: Sed quia delirium huiusmodi duplex est, vel cum febre, vel sine febre; prius de delirio cum febre, quod vocatur phrenitis, secundo loco de delirio sine febre, quod vocatur Mania, tractabimus. Nã, vt scribit Alex. lib. 1. c. 13. omnes in hoc conuenerunt, phrenitidem esse morbum acutissimum periculosissimum. Veruntamen magna fuit dissensio inter veteres circa naturam, causas, & curationem ipsius.

Nomen. Phrenitis enim, vt colligitur ex Galeno primo prorrh. text. 4. dupliciter apud Medicos capitur. quandoque communiter pro quocunque delirio cum febre, id quod sæpissime inuenietis apud Hippocratem in libro præsertim epid. & vulgus consueuisse nomine phrenitidis intelligere delirium, quasi phrenitis nihil aliud significaret, nisi mentis delirium, imo Aristoteles 3. de par. animal. cap. 10. scribit, diaphragma esse vocatum phrenas; quod fuit vocabulum Platonis in Timeo, eo quia cum humores calidi colliguntur in ea parte, mens, & ratio offenditur, quasi phrenitis esset passio diaphragmatis. Sed hæc Arist. condonanda, quia Medicus non erat. vnde Hippocrates, in fine libri de sacro morbo negat diaphragma quicquam conferre ad prudentiã, vel intelligentiam. Alio modo capitur proprie. Et proprie accepta, vt colligitur ex Gal. tum 2. de symp. caus. tum 1. epid. commen. 2. textu. 3. est inflammatio cerebri, & membranarum eius, quę inflammatio lædit insigniter operationes ipsius cerebri. Sed quia hæc delineatio phrenitidis satis rudis est, oportet vt eam diligentius tractemus. Et propterea quatuor de phrenitide breuiter & perspicue tractabo, scilicet quæ inflãmatio sit, quæ pars cerebri inflammetur, quomodo hæc inflammatio lædat operationes; demum, quæ operationes in phrenitide lædantur.

Inflãmationis triplex acceptio. Inflammatio apud Medicos tripliciter accipi solet 1. accipitur pro qualibet ingenti alicuius partis accensione, quæ alio nomine vocatur φλόγωσις siue accensio. Secundo modo accipitur pro apostemate ex calidis succis orto. Tertio capitur proprijssime pro eo tumore, qui fit à sanguine. In proposito casu, cum dicitur phrenitidem proprie acceptam esse inflammationem, minime accipitur primo modo, neque etiam tertio modo. Quoniam, vt audietis, phrenitis non fit ex puro sanguine, sed ex alio humore, & propterea relinquitur, vt accipiatur secundo modo, si quidem est apostema cerebri factum ex succo calido.

Quæ pars cerebri inflãmet in phrenitide. De parte cerebri, quæ inflammatur, diuersas reperio Medicorum sententias. Galenus, vt audiuistis, videtur existimasse, in phrenitide, inflammari & membranas, & corpus cerebri. Neque valet, quod scribit Altim. in contextu Græco apud Galenum scribi, quod phrenitis fiat secundum cerebrũ. Quoniam apud Græcos proinde est, fieri aliquid & in ipso, & secundum ipsum. Imo vero idem Galenus quarto de præsag. ex puls. 9. manifestissime scribit, cerebri corpus non posse inflammari, nisi inflammetur tenuis membrana, & e conuerso: adeo, vt perspicuum fit Galenum voluisse in phrenitide inflammari, & membranas cerebri, & eius substantiã. Alex. Trall. loco citato dixit in phrenitide inflammari vel membrana, vel cerebrum. Vt, quod dixit Galenus coniunctim, dixerit Alex. disiunctim. Aegineta lib. 3. cap. 6. & Aetius lib. 6. cap. 2. videntur putasse, phrenitidem fieri ex inflammatis membranis. Paulus tamen, qui vidit rei difficultatẽ, aliquando fieri etiam dixit ex inflammato cerebro.

Hoc secuti sunt omnes fere Arabes, & præsertim Serapion; cui illud tribuit Auicen. quod voluerit, neque cerebrum, neque ossa posse inflammationem sustinere, de qua re alius locus postulat, vt loquamur.

Inflammatio quomodo fiat. In hac sententiarum diuersitate confugiendum est ad rei naturam, id est, ad modum generationis ipsius inflammationis, qui huiusmodi est, vt sanguis vel copia, vel potius qualitate molestius naturæ eam ad sui expulsionem concitet, quæ concitata per partem & post partem mittit sanguinem onerosum ad oscula, & fines venarum, vnde exiens huiusmodi sanguis, fertur per alias partes, donec inueniat aliquid solidum, cui adhærens firmetur; vnde postmodum eo firmato, & alio sanguine subsequente, fit tandem tumor, qui inflammatio videtur. Ex quo videre potestis, sanguinem in corporibus cauernosis minime facere tumorem, quia facile elabitur; sed tãtum circa partes solidas, quibus inhærens firmatur.

Et hoc est, quod volebat docere Gal. 14. meth. j. vbi scribit, erysipelata minime fieri in partibus intimis, sed tantum in cute; quia scilicet sanguis tenuis, & biliosus elabitur facile, donec circa cutim firmetur.

Idem

Idem etiam voluit Gal. docere 1. epid. 2.73. vbi scribit, fieri deliria, quando bilis per venas cerebri excurrit; fieri autem veram phrenitidem, quando eadem bilis firmata est circa membranas. Itaque & rei natura, & Gal. satis aperte docent, inflammationem hanc, quæ est phrenitis, fieri circa cerebri membranas.

Sed quid dicemus ad Galeni loca, in quibus constituisse videtur, phrenitidem fieri inflammato cerebro, & membranis? Dico hoc verissimũ esse, quia vt alias docui ex Galeno, 4. de præsag. ex puls. minime potest inflammari membrana, nisi compatiatur quoque substantia cerebri, & præsertim ea pars, quæ proxima est inflammatæ membranæ. Cur autem hoc potius tribuatur membranis, est quia vere locus inflammationis est membrana, & substantia cerebri compatitur. Vnde Galenus quarto de causis puls. 14 comparans inter se Lethargum & phrenitidem, dicit in lethargo magis inflammatum esse, seu pati cerebrum, quam membranas, in phrenitide contra magis inflammari membranas quam cerebrum.

Hoc pariter videtur significare voluisse Gal. 1. prorrh. 33. vbi scribit tumultuosas, & graues phrenitides fieri, quando bilis firmata est circa membranas; fieri autem quietas, atque hecticas phrenitides, quando bilis diffusa est per vniuersam cerebri substantiam, ita vt cerebrum instar lanæ cuiusdam totum sit bile infectum, & imbutum.

Sic igitur statuendum, quod in phrenitide bilis seu humor morbificus firmatur circa membranas, & paulatim putrescens, & incalescens, incendium communicat substantiæ cerebri, & propinquæ præsertim. Cum autem afficiatur in phrenitide cerebrum triplici morbo, nẽpe intemperie, morbo in magnitudine, & solutione continui, quæsitum est a nonnullis, quis in phrenitide sit ille morbus, qui potissimum lædit? Domini ne inutilibus vos hic detineam disceptaticulis, scire debetis, præcipuum morbum esse intemperiem, quandoquidem intemperies calida & sicca ea est potissimum, quæ operationes principes lædit. Et vt alia loca Galeni omittam, illustrissimus est locus 8. de vsu part. 13. vbi disputans Galenus aduersus Erasistratum, qui dicit, propterea cerebrum humanum nobilissimas operationes edere, quoniam summo artificio factum est: inquit Galenus hoc minime verum esse, quoniam etiam cerebrũ asini artificiose factum est, veruntamen ignobilissimas operationes edit. Itaque, dicit Galenus cerebrum humanum propterea nobilissimas operationes edit, quoniam nobilissimo temperamento donatum est. Si igitur temperies cerebri ea est, quæ facit diuinissimas operationes, sequitur, vt quoties huiusmodi operationes deprauantur, id fiat, quoniam temperamentum cerebri corruptum est. Vt hinc facile vnusquisque colligere possit, præcipuum morbum in phrenitide, & primario lædentem esse intemperiem. Ceterum, quoniam diuersa sunt genera operationum cerebri, sequitur postremo loco, vt videamus, quæ potissimum operationes lædantur in phrenitide. Gal 4 de loc. aff. cap. secundo & cum Galeno fere omnes Græci videntur in ea fuisse sententia, vt quandoque solum lædatur imaginatio, quandoque solum discursus, quandoque vero imaginatio & discursus. Sed puto ego in phrenitide vera semper necessario & primario lædi discursum, quia est affectus mediæ partis cerebri. Et ideo in omni vera phrenitide potissimum apparet error in discursu & iudicio. Illud tamen verum est, fere semper simul cum ratione, & discursu offendi quoque imaginationem, sicuti contingit interdum, vt inchoante vera phrenitide appareat tantum læsa imaginatio, quod forsan voluit intelligere Galenus auctor ceteris Græcis eius opinionis, scilicet quod in rudi & inchoante phrenitide lædatur discursus & imaginatio, ita tamen, vt quandoque læsio discursus sit vsque adeo eximia, vt errorẽ imaginationis obscuret. Causa immediata phrenitidis est, vt audiuistis ex Galeno quarto, de causis puls. 14. & 1. epid. 2.73. bilis, siue potius sanguis biliosus. Sed circa hanc causam est nonnihil difficultatis, quandoquidẽ Paulus loco cita. videtur voluisse phrenitidem fieri etiam a sanguine flagrante in cerebro, & putrescente. Præterea Hippocrates secundo, de morbis mentionem facit cuiusdam affectus cerebri, in quo scribit ipsum cerebrum χολᾶν id est, bilescere, & addit, huiusmodi morbum non esse lethalem. Circa primũ aliqui fuerunt, qui existimarunt, posse Paulum cum alijs conciliari, quod dicere voluerit, non sanguinem purum facere phrenitidem, sed sanguinem bili commistũ. Verum hic modus non satisfacit, quandoquidem Gal 1. prorrh. scribit, vbi in cerebro peccat bilis & sanguis, fieri non veram phrenitidem, sed potius phrenitidem quandam veluti comatosam. Vnde multo satius est, dicere, Paulum nomine sanguinis intellexisse non purum sanguinẽ sed biliosum, & tenuem, aut, si dicere volumus fieri ex sanguine & bile, dicendum est, fieri bile multum superante sanguinem. quod igitur non fiat a sanguine, quia sua crassitie detinetur in substantia cerebri, nec peruenit ad membranas, monstrat etiam idem contingere de pituita, atque melancholia, quæ sunt humores crassi.

Quæ potissimum operationes lædãtur in phrenitide.

Causæ.

Causa immediata phrenitidis.

Quare, cum Hippocrates primo, de morbis inquit phrenitidem permutari in peripneumoniã, quam tamen Galenus libro, de vsu partium ait fieri ab humore crasso, dicendum Hippocratem non loqui de vera phrenitide. Circa secundum, id est, ad locum illum Hippocratis est dicendum, eum affectum longe diuersum esse a phrenitide, quam tractamus, siquidem eo in morbo cerebrũ non inflammatur, sed tantũ propter bilem incalescit, nisi placeat appellare huiusmodi incalescentiam inflammationem, quemadmodum existimo fecisse Paulum, qui præter phrenitidem fecit quoque duo alia capita de inflãmatione, & de Erysip. cerebri, quasi apud Paulum clarissime distinguatur & phrenitis, & inflammatio cerebri. Causæ internæ sed mediatæ phrenitidis, sunt cõplexio calida, & sicca, ætas, vt dicit Cœl. Aurel. iuuenilis. Nam Hippocrates 3. aph. 30. inter morbos illius ætatis recẽset phrenitidem. & 7. aph. 8. scribit phrenitidem post

Causæ interna mediata.

qua-

quadragesimum annum esse incurabilem; quia propria non est eius ætatis. Præterea inter has causas, sed præternaturales, retentio est importuna sanguinis vitiosi, & præsertim, fluentis a naribus. Inter causas externas est aer calidus & siccus, tempus æstiuũ. Scrib. enim Alexan. probl. 76. in æstate canes rabie tentari, quæ rabies est veluti phrenitis. Et Plut. lib. quod bruta rationem habent, probat, canes non esse prorsus experies rationis, quia tentãtur rabie, quę est veluti phrenitis hominis: quasi canes tententur affectu rationalis facultatis, sicut & homines. Adhæc nimię vigiliæ, nimiæ exercitationes corporis. Et Auenzoar dicebat, ambulationes sub sole maxime facere phrenitides. Nimia ira, nimia solicitudo in stodijs, vsus vini generosi, & meracioris, nec nõ vsus aqu. vitæ vocatæ, maxime producũt phrenitides. Vnde apud gentes, quæ potant aquã vitæ, vt sunt Moscouitę, complures videntur phrenitici, propter vsum huius vitę aquę, & aromatũ.

Tærtiæ.

Similiter nimius esus cęparum, alliorum, &c, vt tandem dicam, omnium eorum, quę calida sunt, & caput petunt, inter has causas cõnumerantur, quemadmodum vsus mandragorę, hyoscyami, & inter confectiones anacardina confectio solet hunc affectum inducere, vt ego quandoque obseruaui, cum in Sicilia essem.

Differentię.

Sequuntur differentię, quę apud varios scriptores varię, & diuersę sunt propositæ. Methodici duas tantum fecerunt, secundũ laxum, & secundum strictum, quidam distinxerunt, quia alia phrenitis fiat in interiori cerebri parte, alia in posteriore, & alia in media, quam sententiam habuit Possidonius, apud Aetium, Nemesius cap. 13. de natura hominis, Omnes Arabes, & quam habuisse volunt Galenum primo prorrh. 27. Sed omnes hę distinctiones leues & vanę sunt.

Duę autem verę, & essentiales sunt, vt possumus colligere ex Galeno tertio de locis affect. 7. vna secundum diuersitatem bilis, ex qua efficitur, quoniam interdum fit a bile simplici, interdum a bile deusta, & propterea alia phrenitis mitior est, alia immanior.

Altera distinctio quę ab eodem sumitur quarto, de loc. affec. cap. secundo, est ex varietate lęsionis operationum. Interdum. n. ęgrotantes recte de rebus visui subiectis iudicant, at male circa illas ratiocinantur. Aliqui male imaginantur, & rite discurrunt, sunt postremo, quibus imaginatio corrupta vna cum discursu, vt patet in puero lanifico, loco iam citato, & lib. de differẽtijs symp. cap. 3.

Signa distinctiua.

Iam signa videamus, quorum tres classes a nobis faciendę, vna erit eorum, quibus vera phrenitis ab alijs similibus passionibus dignoscitur; altera eorum, quibus ipsam tum futuram, tum pręsentem intelligimus, Postrema vero, eorum, quibus salutem aut mortem prędicere valeamus: De prima classe, illud ante cetera vobis animaduertendum, Rasem in hoc capite, & non in superioribus, signa pro cognoscenda phrenitide futura tradidisse; propterea quod in morbis diuturnis id non adeo refert, at in morbis acutis, atque periculosis, qui cum illico iugulent vt phrenesis, nisi pręcognoscantur, antequam fiant, vix quicquam iuuat, dum facti sunt, ipsos cognoscere. phrenesis. n. & si non sit perpetuo lethalis, inter eos tamen ab Hipp. 2o de morbis reponitur, qui ancipites inter lethales, & salubres dicuntur. Imo Demetrius Herophili sectator, vt est apud Cœlium Aurelianum definiens phrenitim, dicebat esse delirationem vehementem cum febre desinentem in interfectionem celerem, aliquando & in sanitatem, signa Distinctiua, vt recte percipere possitis, primo necessum est vobis scire, quę sunt illę affectiones, quę huic assimilantur. Cęlius Aur. quinque facit, Insaniam Melancholiam, pleuritin, peripneumoniam, alienationem mentis eorum, qui altercum, aut mandragoram potarunt, addere possumus & septi transuersi, Signa distinguendi phrenitidem ab insania; & melancholia, cui valde similem esse phrenitidem 10 de morb. acut. circa finem ait Hipp. sunt, vt docet nos Galenus 3. in 3 epid. 45. quia insania & melancholia non habẽt febrem coniunctam, & tardissime finiunt, phrenitis cõtra. Pręterea phrenitici floccos carpunt, melancholici autem minime. Rursus signa distinctiua a pleuritide atque a peripneumonia sunt, quod in illis dolore augescente crescit alienatio, decrescente decrescit, in phrenitide hoc non contingit. Quę vero distinguunt ab alienatione facta ex epoto malo medicamine, essent signa accepta ex interrogatione vel ipsorum ęgrotantium, vel assistẽtium; sed quoniam ęgri nequeunt referre, astantes vero interdum quę precesserint, ignorant, ideo signum erit, quia qui potarunt mandragoram, altercum, aut cicutam, maxime rixantur, obloquuntur, & altercantur. Quod vero potantes cicutam desipiant, fatetur Galenus libro. Quod animi mores corp. temp. seq. c. 3. & causam propter quam mentem obtenebrat, se dicit ignorare. Accedit quod qui huiusmodi pharmaca sumpserunt, sunt sine febre, pulsus habent raros, quę omnia contrario modo sese habent in phreniticis.

Vt phren. a melancholia & mania distinguatur.

Quo phren. differat a delirio.

Dignoscitur a delirio, quod fit ex inflammatione septi transuersi, propterea quod in septo transuerso dolor est circa eam partem, vt docuit Hipp. de morbis. calor minor, spiratio inęqualis, modo scilicet exigua, & frequens, modo magna & angustiosa, vt videre licet 4. de loc. affect. cap. secundo, Habemus apud Hippocratẽ primo prorrhet, ex comatosis phreniticos, & ex phreniticis comatosos fieri, quoniam vero phrenitici, & circa declinationem dormiunt, ea propter magni refert posse cognoscere, quando phrenitis vertitur in coma, & quando vere dormiunt: vt autem sciatis, hoc recte distinguere, septem sunt signa, quę memorię debetis mandare. primum, Color, qui dormentibus floridus, & viuidus est, comatosis pallidus, & plumbeus, 2. est, hilaritas quędam, quę in vultu phrenitici dormientis apparet, vbi vero phreniticus fit comatosus, totus tristis cernitur, 3. spiratio, quę in dormientibus ordinata, in comatosis tarda, & inęqualis. 4. est pulsus, qui in letharg. inanis, in dormientibus plenus, 5. durities, ac tensio pręcordiorum in comatosis persentitur, in dormientibus autem minime 6. forma decubitus, quia

Comatosi

Comatosi labuntur ad pedes, & iacent incompositi, dormientes contra. 7. magnitudo febris, quæ minor & leuior in dormientibus. Atque hæc est series signorum distinctiuorum.

Sequuntur signa diagnostica: quorum alia indicant futuram phrenitidem, alia præsentem. Futuram præcognoscere, maxime facit ad præseruationem, & curationem. Inter hæc primum illud est, quod vbi proxima est phrenitis, imaginationes contingent turbatæ, vigiliæ, aut somni perturbati, obliuiones, grauitates capitis, spiratio paulatim fit magna & tarda. Addunt Alex. & Rases interdum vrinam, ex toto supprimi, interdum vero aluum fluere. Præterea vbi futura est phrenitis, antecedere solet rubor vultus, rubor oculorum, horror luminis, imagines solent apparere ante oculos: quod dicit Galenus contingere ob fuligines deustas, quę in caput, & in cerebrum, atque oculos feruntur. Postremo solent isti, qui corripiēdi sunt phrenitide, festucas colligere, ex lectis, & pannis. Quinimo scribit Galen. 4. de loc. affec. sese prædixisse euasurum phreniticum, quia in affectu quodam colligebat festucas.

Signa phrenitidis futuræ.

Et hæc sunt signa, quibus Galenus, & Arabes putarunt prędici posse phrenitidem: quanquā apud Cæl. Aurel. in tract. de phren. inueniatur hoc disputatum, an habeti possint signa futuræ phrenitidis.

Porto, quæ significant præsentem phrenitidem, a Galeno 5. de loc. affec. 2. primo prorrh. 10. libro de Comate & alibi proponuntur, similiterque a Rase & Auicenna confirmantur, lecto exiliunt, vociferantur, percutiunt se pugnis. Vnde venustissimus ille Flaccus, secundo Satyr. 3. appellabat quendam phreniticum pugilem. Habent quoque linguam asperam, & siccam, sed sine siti, propter mentis errorem; habent respirationem magnam & tardam. Et quærens huius rei rationem Alex. secundo, probl. 1. dicebat, fieri respirationem tardā, quia læsa est facultas animalis, quæ mouet thoracem, ob quam læsionem velut obliuiscitur eum mouere, vnde fit respiratio tarda, donec facultas vitalis excitata, & coacta excitat animalem, quæ postmodum tarditatem respirationis magnitudine compensat. Præclara certe Alexan. explicatio.

Signa phrenitis præsentis.

Pulsus phreniticorum parui sunt, & celerrimi. Aluum perpetuo adstrictam habent; vrinæ albæ sunt & aquosæ, quæ interdum turpissimas, & deterrimas nebulas habent. Lachrymantur oculi, sanguis interdum fluit e naribus: Præterea, vt audiuistis, febris perpetua est. Vultus & caput totum maxime calet: vigilant, festucas perpetuo colligunt. Nam imagines illæ, quę voluuntur ante ipsorum oculos ob vapores adustos, putantur esse in stragulis & vestimentis, & propterea eas conantur euellere & auferre, scilicet errore mentis compulsi.

Cur festucas colligant phrenitici.

Cassius lib. problem. med. 61. dicebat, phreniticos robustissimos esse, & longe robur ipsorum maius esse in ægritudine quam in sanitate. Et certe; Domini, videbitis in actu practice phreniticos ea facere, quæ non facerent tres robustiss. homines. Cur autem hoc contingat, Cassius tanquam Medicus methodicus inquit, quia corpus eo tēpore magis adstrictum est, minime, quoad perspiratum dispositum. Galenus, vero 3. de S.C. 3. videtur totum hoc tribuisse caliditati, & siccitati membrorum, Dicebat enim siccitatem corporis maxime facere robur.

Sed tametsi a Gal. proposita, fit causa optima, ex parte corporis, est tñ afferēda causa agens, q̃ est vehementissimus imaginationis motus. Nam, cum phrenitici habeant maximos animi impetus, & attus siccos & calidos, sequitur, vt optimo iure robur vsque adeo ingens præ se ferant.

Postremo sunt signa, quæ indicant vetustam phrenitidem, & vt dicit Gal hecticam. Nam isti colligunt quidem floccos & festocas, verumtamen non vsque adeo vociferantur, non feriunt, imo vix manus attollunt, propter imbecillitatem.

Vetusta phrenit. signa.

Præterea, vt scribit Cęl. Aur. faciē cadauerosam, & Hippocraticam habent, id est oculos cauos, nares acutas, tempora depressa, singultiunt. Nam, cum ijs vētriculus quoq; fit magnopere exsiccatus, conuellitur, & consequenter fit singultus, qui est veluti quędam conuulsio ventriculi: Pulsus submersi deficientes instar luminis ex inopia olei. Et licet interdum ęger videatur sic constitutus se habere meliuscule, cum non ita insaniat, nihilominus iam proximus est morti.

Causa singultus ī phren.

Hippo. primo, prognost. 23. scribit phrenitidem consummatam, in qua ęgri festucas capiunt, esse omnino exitialem. Et nonnulli existimarunt ab hac neminem euadere. Veruntamen experientia comprobauit, interdum aliquos fuisse seruatos, qui festucas colligebant. Et nos vidimus hoc anno phreniticum in hospitio stellæ Germanum, qui pluribus diebus floccos carpsit, & seruatus est. Imo Hippo. primo, de morb. vt alias dixi, inter morbos dubios recenset phrenitidem, ita, vt habeantur signa prognostica phrenitidis non solum lethalia, sed etiam salutaria. Salutare est phreniticum risu abundare; quemadmodum accepimus ab Hipp. 6. aph. 53. contra autem phrenitici, qui modo rident, modo plorant, omnes intereunt. Et Galen. primo, prorrh. 7. afferebat rationem, quoniam signum est huiusmodi phreniticos conuelli. Et Hippoc. quoque dicit, huiusmodi mutationes ex ploratu in risum, & ex rixa in quietem, esse malas. Hipp. primo, prorrhet. 8 habet hęc verba; In phren. insomnia euidentia: quę oratio cum fatis obscura fit, magnum laborem attulit & antiquis interpretibus, & Galen. qui reiectis aliorum expositionibus, tandem, in hanc sententiam venit, his verbis voluisse nos docere Hippo. quod in illis, qui ęgrotant, si insomnia fiant conspicua, signum esse futurę phrenitidis. Ego autem nunquam potui hac in re Galen. adherere primo, quia hęc vox phrenitici, apud Gręcos semper significat eos, qui actu phrenitide capti sunt, vt si sunt phrenitici, vanum videatur dicere, insomnia conspicua portendere phrenitidem. Pręterea si hęc esset illius sententia, plerumque falsissima esset, quoniam videbitis frequentissime ęgros habere insomnia conspicua, & nihilominus non euadere phreniticos.

Prognostic.

Locus Hippo. difficilis exponitur.

Pręter

Præter experientiam hoc etiam inde cognoscitur, quia & Hipp. & Gal. commentaria ediderunt, in quibus docent, ex insomnijs ægrorum cognoscendi, & præcognoscendi modum, quod quidem certissimum argumentum est, sæpissime ægros habere somnia perspicua, & nihilominus non euadere phreniticos.

Sed scio respondere Gal. Hippo. minime loqui de omnibus ægrotantibus, sed de illis tantum, qui iam sunt in initio phrenitidis, seu in præuia dispositione ad phrenitidem. Verum concedamus, Hippo. loqui de his; primo non erit artificium Hippocrate dignum, docere scilicet modū præcognoscendi phrenitidem iam inchoatam. Præterea dico, huiusmodi inchoatam phrenitidem minime habere posse insomnia conspicua. Et ratio est, quoniam inter signa indicantia futuram phrenitidem, illud est potissimum, vt habeant somnos maxime perturbatos, imaginationem perturbatam, & vt obliuiscātur; quoniam dum inchoat phrenitis, vt alias docui ex Gal. bilis excurrit per cerebrum, necdum fixa est. In qua excursione quis nō videt necessarium esse, vt cerebri status sit maxime conturbatus? & consequenter non possint fieri insomnia perspicua. Nam nonne Galenus in eodem comm. fatetur, insomnia perspicua fieri in ieiunantibus, in ijs, qui vtuntur recta victus ratione, in ebrijs autem non fieri perspicua? Quod si verum est rogo, vtrum, quando bilis excurrit per cerebrum, & vult inchoare phrenitis, an simile sit ipsorum cerebrum ebrijs, an potius ieiunantibus? Certe, nemo est, qui non videat, tunc cerebrum ægrotum debere esse maxime confusum, & conturbatum: ac propterea insomnia in ipsis esse non posse conspicua.

Auctoris positio. Igitur, quod alias docui, repeto, Hipp. siue alium auctorem illius libri nihil aliud velle docere, nisi id, quod scriptum est in coacis prænotionibus, vbi habetur, insomnia in phrenitide perspicua, bonum. Nam primum quantum ego puto, fuit vnus & idem auctor & prorrhet. & præsagiorum coacorum. Præterea est consuetudo Hippoc. vbi eadem repetit in diuersis locis, fere semper aliqua addere, vel demere. Et polliceor me hoc vobis in innumeris locis demonstraturum, vt non sit mirandum, si in coacis prænot. vna vox mutata, & vna addita sit. ad hæc, si dicamus in phreniticis insomnia perspicua esse bona, non solum signum prædictionum erit, verum etiam magnam rationem habet. Siquidem vbi phrenitici incipiunt insomnia cognoscere, & eorum recordari, signum est tumultum cerebri iam desinere, iam inclinare malum, & propterea bonum esse, id quod apud Rasin confirmauit Rufus Ephesius, dicens in phreniticis recordari signum esse salutare. Itaque puto ego, sic etiam intelligendam esse sententiam Hippo. in coacis, scilicet in phren. insomnia perspicua bonum portendere.

Ceterum, si phrenitide mulieres prægnantes laborent, mortale est. Et Galenus 4. aph. 2. testatus est, se neminem phreniticum vidisse seruatum ex ijs, qui vrinas albas, & aquosas reddebant. Veruntamen, vt scribit Cęl. Aur. mulieres semper minus grauiter & periculose ęgrotant, quam viri, idque non alia, vt credo ratione accidit, nisi quia magis ipsarum naturę familiare est desipere, quam virorum.

Tremores in phrenitide mortales sunt: & quicunque pereunt phrenitici, semper suffocati pereunt. Et nota, quod interdum phrenitici, dum clamant, dum percutiunt, dum currunt, statim mortui concidunt. Et Auic. reddens rationem, cur phrenitici moriantur strangulati, inquit esse, quoniam facultas animalis fracta & corrupta a morbo, statim concidit, adeo vt nequeat mouere thoracem, & consequenter impedito, & ablato thoracis motu aufertur & respiratio, & cum respiratione vita.

Cur phrenitici moriantur strangulati.

Est contradictio quędam inter Cęl. Aurel. & Galen. Cęl. Aurel. lib. 1. acut. pass. vbi tractat de phren. inquit, multo periculosius eos ęgrotare, qui post tertium diem fiunt phrenitici, quam qui statim a principio. Gal. autem 3. epid. 75. scribit, maiori cum periculo ęgrotare, qui initio incipiunt esse phrenitici.

Modus tollendi hanc contradictionem est, quod grauitas phrenitidis potest duplex considerari, vel secundum sui essentiam, vel secundum facilitatē, aut difficultatem curandi. Si phrenitis essentialis consideretur, certe, quę fit initio, grauior & periculosior est; si autem secundo modo consideretur, grauior est, quę fit post tertium, aut quartum diem. Et ratio est, quia eum iam natura ab antecedente morbo sit fracta & imminuta; non potest ferre ea remedia, quę oportebat, & prępertim sanguinis missionem; ad quem modum locutus est Cęlius, & alio modo Galenus.

Vtrum autem necessario septima die pereant phrenitici, disputatum est. Sed modus tollendi omnes dubitationes, & respondendi ad omnia loca, & exempla Hippocratis est, si dixerimus phreniticum dupliciter considerari posse, vel vt est vera, & consummata, vel non vera. Si primo modo, vera & propria phrenitis nunquam transit septimam diem; sin secundo modo, potest etiam pertransire vigesimam. Et sic intelligendus Hipp. quando narrat, aliquos perdurasse phreniticos vsque ad vigesimam diem, & vltra.

Curatio. Curatio. Sequitur vltimo loco curatio, quę tota sita est in expurgatione morbi iam facti, qui cum sit duplex, mala scilicet intemperies calida, atque sicca in cerebri membranis, nec nō magnitudo aucta, quę est tumor, duę surgunt indicationes precipuę, vna est intemperiem corrigendi refrigerantibus, & humectantibus, altera tollendi magnitudinem auctam extenuantibus, deprimentibus, ac exinanientibus. Itaque ad exequenda omnia sumendum est principiū ab ea indicatione, quę magis vrget, altera non neglecta, & est inflammatio ipsa, cuius potissimū præsidium in regimine ipsius victus est propositum. Quare in eo instituendo, primum habenda est ratio aeris, ex Auerr. tertia, collect. cap. secundo. Aer qui contrarius est morbo, nimirum

rum

rum frigidus,& humidus non solum vtilis est, verum etiam talis procurandus.

Vtrum autem debeat esse obscurus aut lucidus, diuersitas fuit inter veteres. Sed semper mihi placuit sententia Celsi,& Cælij Aurel. qui dixerunt, in parando aere phreniticorum obseruandum maxime, an phrenitici magis alterentur a lucido, an ab obscuro. Et prout maior, vel minor obseruatur alteratio, sic magis vel minus aerem lucidum vel obscurum esse faciẽdum. Certe, cubilia phren. debent esse libera ab omnibus picturis, quippe quæ maiorem præbent occasionem insaniendi, solent phrenitici magnis motibus corporis agitari, a quibus insigniter lædantur, propterea debet curare Medicus, vt blande, si fieri potest, in quiete detineantur, id si fieri nõ potest, debent omnino ligari. Et ne offendantur a ligamentis, studendum, vt fasciæ obuoluantur lana: Sic enim minus multo lædi solent.

De somno scribit Cels. eum non solum vtilem, verumetiã maxime necessarium esse. Et propterea satagendum est, vt vel cibis, vel lotura pedum somnus pronocetur, fotu, deuenientdum, & ad opiata. Et hoc est quod dicit Galenus in lib. de ther. ad Pison. cap. 15. aliquos vsu theriacæ recentis seruatos. Aretęus vult magnopere studendum esse, vt culcitrę,& strata,& super quibus dormiunt sint mollia, dicens duritiem phreniticis noxiam esse, quorum nerui laborant. Aluus facilis,& lubrica seruanda est. Vnde cum non liceat alio ingenio hoc præstare, solemus singula quaque die clysteres infundere, cuiusmodi est hic. *Clysteris formula.*

℞. Hordei P.j.
Fol. nymphææ.
Maluæ an. M.j.ß. f. decoct.
℞. d d lib.j.ß.
Ol. viol. ℥.v.
Sacc. rubei. ℥.iij.
Salis ʒ j. M. & f. clyster.

In febribus biliosis,& vehementibus Oribasius libr. 8. collect. commendabat clysteres etiam ex aqua pura.

Cibus. De cibo præcipit Celsus,& prudenter, ne phrenitici, vel nimium saturentur, vel nimium ieiunent. Siquidem, vt scribit Aristoteles in lib. phys. quęstion. citatus apud Athenęum, illi, qui nimium ieiunãt, solent faciliter excãdescere. Cibus autem debet esse succus, vel cremor hordei, cremor auenę. Alex. Trall. loco succi auenę proponit succum citri. Sed nulla est similitudo: & vsus succi citri valde importunus est in hoc casu. Ac propterea semper existimaui, locũ illum Alex. corruptum esse: & pro voce κιτρίου legendum esse χόνδρου. Nam χόνδρος est far nostrum. Sic enim Aegineta in phren. laudauit χόνδρον.

Ex herbis conuenit acetosa, lactuca, endiuia. Fructus omnes damnantur a Cęlio Aurel. & iure, quoniam in phreniticorum stomacho acescunt. Post cibum conuenit vsus sacchari rosacei, vel vsus lactucę conditę.

Potus. De potu phreniticorum fuit aliqua diuersitas inter veteres. Aliqui ausi sunt vinum concedere: quos Celsus iure damnauit. Nam vt scribit Hippocrates lib. de aff. int. in nulla mentis perturbatione vinum conuenit. Trall. videtur vinum cõcessisse, vbi vires sint infirmæ, vbi stomachus frigidus,& debilis est, vbi adsunt vigillæ, vbi apparet aliqua coctio,& tandem vbi febris non est vehemens.

Sed notate hoc etiam in loco errorem subesse in codice Alex. quia οὐκέτι, male transfertur, nondum, cum transferendum sit, non amplius, quasi dicat tum posse vinum concedi, quando febris non amplius vehemens est.

Ego autem sum huius sententiæ, quemadmodum etiam est maior pars Medicorum, nempe in phrenitide nunquam esse concedendum vinum, nisi ex toto febris sit deleta: siquidem vt dicit Hippocrates 5.& 3. de morbis, nihil minus conuenit phreniticis, quam vinum,& acetum: vt propterea dixerit Cælius Aurelius,& Theodorus Prisc. dare vinum phreniticis esse perinde, ac dare venenum.

Num potus frigida conueniat. De potu frigidæ est quoque lis: quoniam & Paulus,& Alex.& pleríque alij magnopere improbarunt eius vsum maxime si ex septo transuerso factus sit morbus vsum frigidæ in phrenitide alij vero damnarunt, eo, quod magis exasperentur phrenitici in vsu frigidæ, sed hac in re sequenda est consuetudo, magnitudo febris,& aptitudo corporis. Quoniam etsi phrenitis ratione febris videatur postulare vsum frigidæ, attamen non semper natura ægri illam sustinet.

Securissimus potus phreniticorum est, vel aqua pura cocta, vel aqua extracta a lactuca, endiuia, vel aqua hordei. Auenzoar libro primo tract. 9. ca. 14. commendat aquam rosae. cum aqua citruli,& quarta parte aceti.

Vena sectio. Asclepiades contradictor. Post victum institutum fere omnes Medici statim sese conuertunt ad sanguinis missionem: quod negotium, quoniam maximi momenti est, de ipso quatuor breuibus tractabo.

An conueniat sanguinis missio, quando, quantum,& a quo loco sit sanguis mittẽdus. Asclepiades, qui studiosissimus fuit ceteris Medicis contradicendi,& vt dicit Gal. habebat habitum contradictorium, fuit eius sententię, in phrenitide minime sanguinem esse detrahendum, primo, quia phrenitici dolore carent; secundo, quia facile in syncopen labũtur; tertio, quia habitus ipsorum sanguine misso nimium refrigeratur; & consequenter humores, qui remanent, crassescunt, Postremo, quia phrenitici nullam habent remissionem. Vnde, cum mittendus sit sanguis in remissione morbi, non videtur, vt dicit Asclep. posse mitti, vbi nulla est remissio.

Sed

Sed meræ nugæ sunt, quia, cum phrenitici magnopere angantur, cũ mordeant, & irati semper admodum sint, æquum est existimare, eos non solum dolere, verũetiam acerbissimos dolores pati. Præterea, si prudenter, vt decet, venæ sectio administretur, non solum syncope præcauetur, verumetiam neque refrigerantur admodum corpora, neque periculũ est, succos crassescere. Quanquam autem phrenitis, & eius febris non habeat euidentes remissiones, attamen est aliquod tempus, in quo Medici, & hoc remedio vtuntur, & alia tuto administrant, id quod etiam factitamus quotidie in febribus continuis curandis.

Phrenitis duplex.

Aretæus distinctionem quãdam attulit, id quod videtur fecisse Mesues, & Rases, scilicet duplicem esse phrenitidem, altam a sanguine, aliam a bile. In sanguinea dicunt melius esse sanguinem detrahere. In biliosa vero melius esse purgare. Sed neque hoc etiam ita firmũ est, quoniã vt docet Gal. 13. meth. at. & cum Galeno omnes Greci, in phrenitide vera optimum auxilium est, sanguinem detrahere. Iã vero vera phrenitis efficitur a bile vel sanguine bilioso, propterea etiam in phretide, quę fit a bile conuenit sanguinis missio. Itaque multo melius consilium est, in omni phrenitide legitima, & vera, nisi aliquid impediat, mittere sanguinẽ, primo, quia Hip. 4. de acutis 19 scribit, in omni morbo acuto necessariam esse sanguinis missionem, si adsint sæua symptomata. Vnde cum phrenitis sit morbus acutus, atque ipsi semper sint coniuncta sęua symptomata, iure videtur in ipsa curãda sanguinis missio requiri. Immo Auenzoar mirabilis, scribit solam phlebotomiam oportune factam posse phreniticos a morte liberare.

Præterea Gal. 13. meth. vbi tractat de inflammatione cerebri, vult, vt in apostematibus, q̃ fiũt a frigido humore, mittat̃ sanguinis. Ergo multo magis cõueniet in iis, q̃ fiũt ab humore calido.

Tempus venæ secandæ.

De tempore missionis sanguinis diuersæ quoque opiniones extiterunt. Diocles Medicus antiquissimus voluit, mittendum esse sanguinem quinta vel sexta die. Sed malum consilium est, quandoquidem, si phrenitis est morbus acutus, qui septima die terminatur adeo tardum auxilium inutile prorsus est. Aretæus distinctionem quandam attulit: scilicet vt, si prima, vel secunda die morbi cœperit phrenitis, statim sanguis mittatur. Si quarta, vel quinta, vt mittat̃ sanguis intra primum circuitũ dierum decretoriorũ: sin autem incipiat sexta, vel septima die, omnino abstinendum esse ab hoc auxilio. Sed multo melius est, ita hãc rem decerni, vt quamprimũ fieri licet, lenita prius aluo, ad sanguinis missionem deueniatur; modo antea nõ sit missus sanguis, ratione febris antecedentis.

De quantitate Haliabbas Medicus inter Arabes nobilissimus existimabat sanguinẽ esse detrahendum vsque ad animi defectum. Sed Auicẽnas ipsum iure damnauit, quia cum phrenitici propter continuas agitationes assidue debilitentur, & veluti prosternantur, certissimum est omnem syncopen in ipsis esse valde perniciosam, ꝓpterea multo satius est, dicere, in mittendo sanguine esse habendam rationem nõ solum virium pręsentium, verum etiam futurarũ. Vnde consideranda est ætas, temperamentum, antecacta ęgritudo: & prout vires, & hęc omnia ferunt, sic quoque vel plus vel minus demẽdum est; ita tamen, vt semper potius infra, quam supra debitum mittatur.

Locus v. s.

Postremo de loco non leuis quoque diuersitas sentẽtiarũ reperitur inter Medicos Diocles ex brachio, & ex lingua detrahendum putauit, in quo a Cælio damnat̃, quia talis sectio caput implet, & fluxus cohiberi non potest, alij volunt a pede esse detrahẽdum, vt fuit Actuarius Medicus Gręcus. Alex. commendauit venę sectionem a fronte, alij a cephalica, alii a basilica. Sed omnibus alijs, vt ego puto, anteponenda est hęc ratio mittẽdi sanguinem, scilicet vt diligẽter consideretur, vtrum in vniuerso corpore abundet sanguis, an vero non. Si sanguinis copia est in corpore, primo mittendus est e vena cubiti dextri: si non adsit copia sanguinis, primo oportet mittere a vena caphalica. Post venam cephalicam perdurante morbo deueniẽdum est ad missionem sanguinis a vena frontis. Et modus mittendi sanguinem ab hac parte, vt docet Oribasius 7. Collect. c. 9. est, vt vel manus ægri, vbi alterius cuiuspiam, apponatur, supra guttur, at que ita tota gula circumdetur linteamine, & ligetur ita, vt venæ frontis intumescant, q̃, vbi intumuerunt cultello sunt pertundendæ, & sanguis detrahẽdus est in ea copia, quæ optat̃. Alij meruunt incisionem cultro factam, & loco ipsius venis tumentibus apponunt hirudines. Sed multo melius est incidere.

Vena frontis quomodo secanda.

Vbi nõ licet venã frontis incidere, solemus aut adhibere hirudines naribus, aut stimulare nares setis equinis, scilicet vt venæ aperiantur. Solemus ẽt adhibere hirudines hæmorrhoidibus, qñquidẽ Hip. plerisq; in locis præsertim 6 Apho. 11. docuit, & maniacis, & melãcholicis sanguinẽ per hirudines seu sine hirudinib. a venis hęmorrhoidalib. exeuntem maxime conferre. Sunt qui laudãt ẽt cucurbitulas collo adhibitas atque scarificatas inter quos fuit Auic. Sed quemadmodum habemus a Galeno 13. met. c. 19. cucurbitulæ in affectibus capitis nõ conueniunt nisi diligẽter sit purgatum totum corpus, quia plus attrahunt ad locum affectum, quam euacuãt.

Frictiones. Vesicatoria.

Præter sanguinis missionẽ in phrenitide veniũt in vsum frictiones, extremarũ partium ligaturæ. Sed de vesicantibus non ita tutum consilium habetur quandoquidem, etsi vesicantia cõueniant, quoniam valenter reuellunt: attamen phrenitici ꝓpter insaniam facile loca vulnerata tangunt, & magis exulcerant, vnde ex morbo inciditur in morbum: propterea soleo tũc vesicantia tantũ adhibere, qñ ligati tenentur, quo tempore nõ possunt loca vesicata exasperare.

Sequitur postremum genus auxiliorum, scilicet pharmacorũ, quæ cum sint purgantia, & alterantia, de purgantibus dubium est an in phrenitide cõueniant. Nam ex vna parte neque Galenus, neq; Græci meminerunt purgationis; ex altera parte Rases, & alij Arabes cõsuluerunt,

vt

vt in biliosa phrenitide adhibeantur lenia purgatoria. Et ego sum huius sententiæ, nisi quid impediat, &, si fieri possit, purgationem per leuia medicamenta phreniticis vtilem esse, propter duas caussas, 1. quia omnis purgatio corpora refrigerat. In phrenitide autem certum est, refrigerare esse vtilissimum. 2. quoniam purgationes magnopere reuellunt a capite. Nam si, vt scribit Galenus secundo de med. loc. clysteres acriores intestina exinanientes, a capite reuellunt, multo magis id facere possumus per medicamenta aluum mouentia. Itaque vbi licebit, optimum erit euacuare in phrenitide. Sed dubitabit forsan aliquis, vtrum humores non sint præparandi ac concoquendi, priusquam educantur, dico, si morbus hic inducias dederit non solum vtile sed plane necessarium esse, ipsos syrupo aliquo præparare, exempli gratia.

℞. succi endiuiæ.
Lactucæ,
Scariolę.
Nymp. an. lib. 5.
Depurentur secundum artem, deinde ponantur ad ignem, & adde
Sandalorum omnium an. ʒ. ij.
Florum. Borrag.
Viol. rosar an. ʒ. iij.
Semi. papa.
Anethi an. ʒ. v.
Bulliant cum hordei p. ʃ. ad consumptionem medietatis, deinde facta colatura addatur media quantitas saccbari ad succos, & cum Campbora aromatizetur; & syrupum hunc soleo exhibere cum aquis, aut violarum, aut nenuph. ad ℥ j. ß ad ℥. ij.

Purgatio.

Verum quia materia turget, & furiosa est, ac proinde moram vllam non patitur, ad purgans medicamentum statim deueniendum; quod huiusmodi esse potest.

℞. Myrobal. chebulorum ʒ. j. ß.
Sebesten n. xij.
Passul ℥. ß.
Fl. cord. P. j. fiat decoct. s. a.
Deinde *℞. d. d. ℥ iiij.*
Rhabarb. ℈. iiij.
Spicæ gr. iij.
Infundantur s. a.
Deinde adde facta expressione.
Syr. ros. sol. ℥ iij. ß. M.

Pilulę ad fallẽdos phreniticos.

Sed debetis scire, phreniticos vsque adeo mente alienari, vt sæpe non tantum medicamenta, verum etiam cibos respuant. Qua propter hoc in casu necesse est, fallere ægros. Et quia in multo falli non possunt, in pauco decipiendi sunt. Vnde soleo ego in hoc casu vnam pilulam paruam efficacissimam exhibere. Hisce diebus, cum eram Venetijs, curaui nobilissimam, & pulcherrimam feminam, quę insaniebat mirum in modum, sola pilula ipsi exhibita, vt est:

℞. Trochis. alhandal. ℈. ß.
Diagridij gr. ij.
Pulu. caryoph. gr. iij.
Cum succo rosarum f. pil.

Est quidem hæc pilula ex medicamentis grauissimis, verumtamen in summa necessitate, & in corporibus robustissimis Medicus solers potest hęc faciliter audere.

Serum.

Alterantia raro possunt phreniticis exhiberi, quia non obediunt, veruntamen, si quandoque liceret possumus tuto exhibere serum caprinum depuratum, & quo plus potant, eo melius.

Paramus etiam iura ex nymphęa, oxalide, endiuia, lactuca. Et quia non possunt tempora seruari, quolibet tempore præbentur.

Externa.

Externa ea sunt, quę capiti extrinsecus adhibentur. Sunt vero duum generum: alia, quę administrantur in principio: alia, quę in progressu. In principio exhibentur oxyrrhodina pura, refrigerantia, & repercutientia.

Num acetũ conueniat.

Sed dubitatur, an acetum conueniat: siquidem preceptum: est vulgatum apud Medicos affectibus neruosis, & presertim in inflãmationib. fugiendum esse acetum, vt quod neruis aduersatur: Ceterum, phrenitis est inflammatio membranarum: igitur non videtur conuenire. Ex altera parte est communis vsus practicantium, & preceptum Galen. 13. met. qui omnes in inflammationibus cerebri vtuntur oxyrrhodino.

Dicendum est, medicamenta contraria affectib. posse qñq; tuto exhiberi, qñ exhibentur cã penetrationis, & in exigua quantitate. Vnde cũ in oxyrrh. propter inflãmationem adhibeatur acetũ in exigua copia. & tm̃ ad penetrationẽ, tuto ẽt possumus ipso vti. Et hoc scriptũ est apud Gal. 2. de med. loc. c. de dol. cap. ex percussione. Sed video vos optare, vt edoceam, quę debet esse mensura aceti. Alex. Tral. mihi vr̃ accommodare, & prudenter hanc nobis pscripsisse; qñ loquẽs hac de re, in phrenitide dixit, quintã partẽ aceti alijs reb. esse adijciendã. Et addo ego, in huiusmodi oxyrhodinis cõponẽdis ab oleo, quantum fieri põt, abstinendum, aut moderatissime vtendum: qm̃ in inflammato cerebro facile est, vt medicamenta oleosa, & pinguia magis flagrent, & consequenter cerebri incendium augeant. Potestis igitur hũc in modum cõponere;

Oxyrrhodini formula.

℞ *Ol. ros. ℥. j. ß.*
Aq. ros. ℥. ij.
Decoc. nymphea & lactu-
cę, & plantag. ℥. iiij. ß.
Aceti ℥ ij. M.
Cuius vsus est, vt cum pannis lineis suturę coronali applicetur, vel eidem ex alto spongia, vel gossypio superinfundatur.

Nũ actu frigida admouenda.

Sed dubitatur, an hæc medicamenta debeãt actu frigida, an potius tepida administrari. Fuerunt, qui opinati sunt, non solum frigida actu esse administranda, verumetiam mire esse refrigeranda. Alij vero damnarunt eiusmodi frigida, eo, quod ægri vsu ipsorum ex phrenitide incidant in coma, in soporem, atque ita intereimantur.

Discutiẽtia.

Dicendum igitur, tempore æstatis, & in corporibus non ita calidis, potius vtendum esse his oxyrrhodinis repentibus procedente morbo, ac feruore seu impetu humorum aliquantisper cessante, repercutientib. discutientia esse admiscenda, exempli gratia: prædicto decocto potest addi serpyllum, origanum, anethum, quæ mista cum alijs vim habent aliquam discutiendi. Et memoria semper teneatis præceptum illud Gal. 13. meth. cap. 21. scilicet in inflammatione partium nobilium nunquam deferenda esse medicamenta repercutientia; siquidem oportet semper tueri partes illas, & robur ipsarum, ab humoribus, & vaporibus ingruentibus.

Animalium exenteratorum vsus.

Solemus in hac curatione exenterare animalia, vt columbas, & gallos, atque ita per medium secta, & calentia apponere capiti; ita tamen, vt semper prius caput sit derasum, tam in vsu horum, quam in vsu oxyrrhodini. Sed fuerunt aliqui recentiores, qui damnarunt hoc auxilium, quod apud veteres non ita comperiatur. Ego tamen sum huius sententiæ, conuenire maxime in status ipsius fine; quia hęc animalia, etsi calida sint, sunt calida calore natiuo, qui blandissimus est, & visceribus nostris valide amicus: propter quod non solum ille calor natiuus blanditur cerebro, verumetiam placidissime admodum discutit, & materiam putrescentem dissipat; vt propterea hac ratione conueniat hoc auxilium, præsertim si pulusculus superspergatur: vt ego facere soleo, ex rosa, nymphæa, & huiusmodi alijs refrigerabilibus, quales sunt etiam sandali rubei.

Neque valet, quod veteres non meminerint huius, quoniam non debemus ætatem nostram ita contemnere, vt etiam ingenia hominum non possint noua, & optima remedia inuenire. Imo vero Serenus Medicus antiquissimus, simile in curatione phrenitidis proposuit, scilicet pulmonem pecoris calentem.

CAPVT XVI.

De mania.

Nomen.

DIxi in symptomatibus rationis deprauatæ præter phrenitidem esse quoque aliud vitium, quod Græci appellant μανίαν. Latini vocant modo nomine Græco maniam, modo furorem, modo insaniam: quanquam, vt alias dixi, Celsus nomine insaniæ complectatur plura genera delirij. Et notate hoc obiter, magnopere errasse Latinæ linguæ parentẽ 3. Tusculan. quæstion. vbi scribit, eum affectũ, quẽ Græci vocãt melancholiam, Latinos appellasse furorẽ: cum id hoc fallissimum sit, siquidem longe diuersus est furor a melancholia, cũ furor proprie sit mania, de qua tractamus.

Cicero notatur

Definitio.

Aretæus definiens maniam, dixit esse Ecstasin mentis sine febre: quæ definitio potest etiam colligi a Galeno in lib. introd. atque secũdo de symptomat. causis, capit. vltimo. Stephanus Atheniensis lib 6. aphor. 21. definiebat maniam esse ecstasin mentis, factam a bile, Sed multo melius definiuit eam Galenus 2. epid. vt testatur Rabbi Moyses 22. aphorism. vbi dixit, maniã esse mentis alienationem, siue ecstasin continuam, sine febre, & inflammatione, siue apostemate.

Nam, quod pertinet ad primam particulam, scilicet ecstasin, Gale. 3. in 3. epid. & 1. prorrheticorum 6. & vltimo dixit, hoc nomen significare vehementes animi perturbationes, & mentis. Vnde medicamenta vocantur ecstatica, quæ deturbant mentẽ insigniter, vt narrat Theophrast. lib 9 de hist. plant. 13. de quibusdam radicib. dulcibus.

Dictum est mentis, ad differentiam melancholiæ, in qua alienatur imaginatio, non autem mens. Et postremo additum est, sine febre, & inflammatione, ad differentiam phrenitidis, quæ, vt audiuistis, coniunctam habet febrem cum inflammatione.

Ex qua descriptione facile patet, hunc morbosum furorem longe diuersum esse ab eo furore de quo sermonem habet Plato in Timæo.

Genera maniæ.

Cælius Aurel. lib. 1 de acutis 5 docet duo esse genera maniæ, aliud quod fit partim cum risu, partim cum ira, & strepitu, aliud vero esse, quod fit tm̃ cum strepitu, clamore, & percussionibus. De his duobus locutus est quoque Auicen. 1. tertij tr. 4. c. 15. vbi scribit, eam insaniam, quæ fit cũ risu, & cum ira, vocari furorem caninum: alteram vero, quæ fit solum cum ira, & streipitu, nuncupari maniam supinam, seu furorem supinum: de quo cum loqueretur Aretęus dixit, aliquos esse, qui ob religionem capti huiusmodi insania, proprias carnes dilaniabant. Et puto Aretæum intelligere sacerdotes Deæ Cybeles, qui in sacrificijs eius Deæ seipsos dilacerarunt quo in loco narrat quoque Aretæus, fuisse quendam, qui domi sapiens erat, foris autem semper furebat.

Est.

Est mania symptoma in genere actionis animalis læsæ. Sed quæ actio animæ in mania potissimum lædatur, haud certe constitutum reperitur inter Medicos. *Genus symptomatis.*

Peripatetici putarunt, in mania lædi oēs actiones principales, Aretæus principaliter iudiciū. Actius l.b.6.c.8.ex sn̄ia Archigenis, & Possidonij imaginationem & lædi est arbitratus. Ceterū in tanta facultatum animalium ruina puto necessarium, omnes principes animæ actiones lædi.

Sed discrimen est, quoniam primo læditur discursus, secundo imaginatio, tertio memoria. Atque hæc videtur fuisse sententia Galeni in introductorio. Imo Stephanus Atheniensis lib. sexto, aphoris. vigesimoprimo, quem librum habeo manu scriptum, hanc eandem sententiā amplexus est: ratio quoque adstipulari videtur: quoniam, vt dixi, fieri non potest, vt insigniter, & tenaciter offensa aliqua facultate animæ, simul etiam aliæ non offendantur.

Sed quid dicemus ad Aetium, qui loco citato scribit, in mania seruari memoriam. Respondeo, duplici modo posse intelligi, vel quod seruetur penitus illæsa, vel quod seruetur quidem, sed cum aliqua læsione.

In mania fabulæ sunt, quod possit memoria penitus illæsa conseruari: siquidem in tanto animi tumultu quis credat phantasmata posse integra conseruari, & repræsentari? Ceterum quod possit aliquo modo seruari offensa, illud quidem verum est: atque hoc pacto intelligendus Aetius, quando scripsit in mania conseruari memoriam.

De loco affecto est quoque aliqua controuersia: siquidem Peripatetici, & Medici hoc sectantes existimarunt, cor affectum locum esse; alij cerebrum simpliciter. Aretæus caput, & præcordia. Galenus autem tertio de loc. affect. cap 4. dixit, in mania loci affecti nullum esse certum argumentum, vel signum. *Locus affectus.*

Res autem, quantum puto, hunc in modum se habet, sedem affectam esse in mania vniuersum cerebrum: maxime vero omnium mediā eius partem. Afficitur autem cerebrum vt docet Galenus libro decimoseptimo, de vsu part. cap. vlt. dupliciter vel per essentiā, vel per cōsensum ab aliqua parte. Sed sciendum est, veram, & cōfirmatam maniā semper fieri per essentiā. Vnde Auic. tract. cit. c. 16 dicebat maniā caninam fieri per consensum a ventriculo, & vomitu curari.

Morbus, quo afficitur cerebrum, est intemperies calida, & sicca vna cum fluxu materiæ similiter calidæ, ac siccæ, & hinc colligere licet morbum hunc differentem esse a melancholia, quia vt illa ab intemperie fit frigida, & sicca, ita insania ab alia intemperie, & melancholia facta per adustionem, quæ sicuti vbi putrescit, sæuissima vlcera, & multo deteriora quam melancholia non facta per adustionem gignit, ita quoque in cerebro abundans symptomata admodum prava inducit, quemadmodum a Medicis cum Græcis, tum Arabibus memoriæ proditum inuenitur, vt appositissime dixerit Alexander Trallianus lib. 3. cap. 7. nihil aliud esse maniam seu furorem nisi intensionem ad maiorem feritatem. Et si autem certum sit, similem materiam coniungi cum intemperie calida, & sicca in mania, non est tamen ita compertum, & certum, quinam potissimū humores debeant dici causa immediata maniæ. Siquidē Galenus 6. aphoris. 86. scribit, maniam fieri semper ab humore calido, acri, & mordaci; nunquam autem fieri a pituita, nunquam etiam a melancholia, nisi ea sit combusta, & putrefacta. *Causa.*

Ceterum Aetius loco citato ex sententia Archigenis, & Possidonij scribit, maniam fieri etiā a sanguine puro, & copioso. Imo similem sententiam videtur quoque habuisse Galen. 5. aphor. 40. quo in loco scribit, sanguinem excurrentem per corpus incensum, & in caput sublatum, facere maniam, vt ex his omnibus videatur contradictio esse inter verba Galen. ac inter Galenum ipsum, & Aetium.

Pro resolutione dicendum, non fieri posse, vt mania vnquam efficiatur a sanguine, prout sanguis est; siquidem quoties sanguis intra proprios terminos manet, semper blandus, & naturæ amicus humor est, vt, etiamsi paulisper incalescat, & copia exuberet, nunquam tamen possit tantam ruinam cerebro inducere, quantam videmus in mania. Et propterea magnopere errarunt, & Possid. & Archig. qui existimarunt maniam etiam fieri a sanguine puro, & copioso.

Sed quid dicemus ad locum citatum Gal. 5. aph. Dicendum est, sanguinem, dum fertur per vniuersum corpus, & in mammis colligitur, vel tantum modo incensum ferri, vel etiam corruptum, & putrefactum. Si tantum incensus feratur, minime maniam facit, sed futuram esse significat. Si non solum incensus feratur, sed etiam putrefactus, & corruptus, insaniam certe facere potest. Vnde Auicen. loco citato dicebat, sanguinem corruptum aliqua specie corruptionis, facere furorem: atque sic intelligendus est Aetius, Galenus, & alij omnes, qui senserunt a sanguine, scilicet crasso nimis fermefacto fieri maniam. *Obiectio soluitur.*

Causæ internæ furoris aliæ sunt naturales, aliæ præternaturales. Mediatæ naturales sunt natiua intemperies calida, & sicca, ætas, de qua Cælius Aurelianus dicebat, iuuenes magis tentari mania quam senes. Est habitus corporis, vt sint corpora hispida, nigra, & sicca, truculenta. *Causa interna.*

De paterna hæreditate dubitari potest, vtrum aliquid conferat ad generationem maniæ, & eo maxime, quod Aristoteles secundo Rhetoricorum scribit, interdum generosa ingenia degenerare, & ex sapientibus oriri filios furiosos, quemadmodum relatum est de Alcibiade, vt ob Aristotelis auctoritatem non videatur necesse, paternam dispositionem quicquam facere ad maniacos. Sed veritas est, non raro contingere, vt insani parentes producant insanos filios: verumtamen interdum quoque aliter contingit. *Num hereditarium sit hoc malum.*

Causæ internæ pręter naturam sunt multę, presertim hęmorrhoides retentę, varices sublati, nam referunt, Marium euasisse immanissimum, postquam varices a cruribus ei fuerint exēpti.

Præ ceteris autem inter has causas menstruæ purgationes retentæ sunt, præsertim vero, si eo tempore supprimantur, quo virilem congressum appetere incipiunt. Nam scribit Hippocrates primo priorrhe. non longe a fine, melancholicas passiones producere insaniam modicam: sed si fiant ob menstruas purgationes retentas in furorem delicere.

Causæ externæ. Causæ externæ sunt quoque complures, in primis autem est aer calidus, & siccus, propterea, inhabitatores plagarum calidarum, & siccarum, vt sunt Aethiopes, & Nigritæ populi sunt ferocissimi, crudelissimi, & pene feri: quod maxima ex parte tribuendum est cæli illius qualitati. Sic tempore æstatis multo magis abundat hic morbus, quam vlla alia tempestate. Hippocrates, & tertio aphor. & in libro de aere, aquis, & locis scribit, si æstas fuerit sicca, & aquilonia, similiter & autumnus, inter alios morbos fieri melancholias. Et Aristoteles prima sect. problem. 12 eadē fere Hippoc. verba repetens, addebat, sub hac tempestate fieri maniam, vt, etsi videatur Aristoteles aliquid addidisse sententiæ Hippocratis, illud tamen non fit præter rationem, quia Hippocrates secundo epid. non longe a principio, & alibi dixit autumnum sua pte natura ferinum esse, quod crudeles, & ferini morbi in ipso gignantur.

Nimiæ vigiliæ, cursus, & inambulationes frequentes sub sole, recensentur inter causas externas, quæ producunt insaniam. Præterea, nimia iracundia, nimia studia. Nā Athenienses appellabant Paulum prędicantem maniacum, ob multa studia. Potus vini generosi, & copiosus pręceteris hanc ęgritudinem facere potest. Vnde id, inter tot diuinas virtutes vitio Alex. magno fuit tributum, quod pre nimio potu in furorem raperetur. Sic nimius vsus aromatum, philtra, & pocula amatoria, vt relatum est de Lucretio, qui in furorem raptus est ex poculo amatorio.

Dicunt etiam a proprietate cerebrum mustellę manducatum perducere homines in furorē. Nicander de phalangiorum morsibus, & toxico, scribit, quę idem prestare valent.

Democritus interrogatus ab Hippocrate, quid ageret cum cadauera secaret, respondit: sese peruestigare causam insaniæ, & furoris hominum; quasi sapientissimus ille philosophus intelligeret, non ita facile esse, causas insaniæ reperire, & propterea optimum esse, vt signis peruestigemus, & ipsam maniam, & eius causas. Sunt autem signa alia, quę indicant futuram maniam, alia vero quę præsentem. *Signa futuræ maniæ.* Futurę signa hęc sunt, quod vigilant: & si dormiunt, perturbati, atque leues somni sunt, horrendas imaginationes habent, terrentur quouis spectro, anxij sunt, oculis toruis intuentur, sese iactant.

De his signis duo scribit Hippoc. memoratu digna. Vnum 2. epid. sect. 5. vbi scribit, pulsum cubiti furorem futurum indicare. Aliud est 5. aphor. 40. vbi scribit, si sanguis colligitur in mammis, indicare futuram maniam. Circa quas Hippoc. sententias vtile est breuiter nonnulla speculari. Et primum circa priorem sententiam Galen. duo scribit: Vnum est, quod cum Hippoc. scribit 2. illo epid. pulsum cubiti indicare furorem, intelligendum esse non de quauis pulsatione arteriarum, sed tantum de illa, quæ ita vehemens est, vt absque manus contrectatione sit conspicua oculis. Atque hoc sapienter quidem dictum est a Galeno 6 de plac. Aliud autem quod dicit, est, Hippoc. sententiam intelligendam esse de cubito sinistro. *Galen. notatur.* Ceterum in hoc postremo mihi non placet Galeni interpretatio, quoniam in cubito dextro, vt apparet ex anatome, arteria est magis ampla, & vasta, quam in sinistra. Imo vero ipse Hippoc. lib. de morbo sacro manifestissime scribit in parte dextra esse vasa multo ampliora, quam in sinistra. Quare vbi sanguis intensius ita feruet, vt motum oculis conspicuum edat, iure debet potius huiusmodi motus apparere in dextro cubito, quam in sinistro.

Circa secundam sententiam duo quoque dicit Galen. consideratione digna. Primum est, sese minime expertum fuisse, quod sanguis collectus in mammis furorem indicet; sed fieri potuisse, vt Hippoc. Medicus consummatissimus illud sit expertus. Alterum quod dicit Galen. si istius euentus vlla ratio potest assignari, hanc esse, quod vbi sanguis incensus ex toto corpore fertur in cerebrum, aliquam ipsius partem retineri in mammis. *Galen. notatur.* Sed pace Galen. multo melior ratio assignari potest veritatis sententiæ Hippocraticæ; siquidem, vbi sanguis colligitur in mammis, aut conuertitur in lac, aut conuerti non potest; si conuertatur, certe nihil omnino infert detrimenti. Sed si non conuertatur in lac, necessarium est, vt putrescat, eo quod accensus, & ineptus sit lacti generando. Vnde, quemadmodum, vbi fit putrefactio, vel in pulmone, vel in latere, cerebrum patitur, & fiunt deliria: Sic rationi consentaneum est, ex accenso, putrefacto, & combusto sanguine in mammis vapores tetros communicari cerebro, & consequenter furorem induci.

Signa præsentis maniæ. Signa præsentis furoris manifestissima sunt, quandoquidem clamant, modo mærent, modo irascuntur ferocissime, percutiunt sese, & alios oculis toruis aspiciūt, vt docet Arist. 2 1 probl 7. Præterea pulsus habent vehementes, & crebertimos, cum vigilijs perpetuis, venarum extensione, genarum rubore, corporis duritie, atque aliena fortitudine, quemadmodum eleganter, & festiue vos docet Medicus quidam apud Plautum in Menechmo, qui cum ductus esset ad maniacum quendam, quatuor percontatus est, si oculos haberet duros, si potaret album vinum, & nigrum, si ederet crepitus, & si perdormisceret. Et certe bonus iste Medicus multum salem habet. Siquidem non solum maniaci habent oculos duros, verumetiam tota corpora dura. Atque hoc indicatum habetis a Galeno in lib. quod animi mores, &c. Vinum etiam maxime facere ad inducendam maniam in hesterna lectione vos docui. Quodque maniaci, & melancholici omnes crepitus creberrimos faciant, docuit Arist. 6. probl. 1. omnes, qui laborant ægritudinib. melancholicis flatuosos esse. Postremo audiuistis nuper, inter signa esse vigilias. Quare summa

cum

cum prudentia ab eo Medico, de veris, ac propriis maniæ signis inquisitum fuit porro in facta a sanguine feruente, ac combusto, sunt complexio sanguinea, ætas iuuenilis, & propterea, qui sic ægrotant, habent permistum risum cum ira, rixa, & ferocitare.

Signa maniæ a sanguine.

Si fiat furor a bile cognoscetis temperamenta biliosa victu anteacto, qui bilē produxerit, & præsertim, quoniam huiusmodi valde insaniunt, percutiunt, inquieti sunt.

Sed si efficiatur a melācholia combusta, habitus corporis siccus, niger, & squalidus est, aspectus truculentus, & tristis, & quicunque insaniunt, potius mærorem, & tristitiam, quam risum aut lætitiam redolent.

Prognostica.

Omnis mania, quantum sit ex sese, expers periculi est: siquidem, nisi copuletur morbis grauioribus, aut nisi maniaci se ipsos interimant, vix vnquam propter hunc affectum intereunt. Illud tamen verum est, quod, vt scribit Hippocr. in coacis prænot. lethalis est conuulsio, & raucedo in furore. Sed optabit quis intelligere, quæ sit causa, cur mania nō sit exitialis, & præsertim, cum sit affectio cerebri grauissima, quod vt scribit Hippo. in epist. ad Pętum, solet pati grauissimos, & lethalissimos morbos. Triplex causa assignari potest. Prima est, quod a natura cōparatum est, vt facultates viscerum, & præsertim nobilium, a se depellēt humores hos deterrimos, ita, vt etiamsi cerebrū infestet prauus succus melancholicus, tamē non diu permanet, verum facultas expultrix valida, eum a se continuo reiicit. Secūda causa est, quoniam non solū a cerebro strenue depellitur huiusmodi impurus humor, verumetiam minime in vllo viscere præcipuo colligitur. Et vt hoc feliciter obtineri possit, tria machinata est natura 1. enim fabricauit amplissimas venas, quæ ducūt hunc sanguinem melancholicum a iecore ad lienem 2. natura fabricauit lienem vastissimum spongiosum, vt posset esse capax cuiuslibet copiæ huius humoris, postremo machinata est natura germen illud venarum hæmorrhoidarum, vt si interdum exuberaret hic humor posset per eas exportari e corpore. Tertia causa est, quod tametsi aliquā portio huius humoris colligatur, & retineatur in cerebro, tot tamen sunt motus maniacorū, tot vigiliæ, tot iactationes, vt satis esse possint ad consumendum humorem illum atrum, vt nō violet cerebrum ad interitum.

Prima ratio

Secunda ratio.

Tertia ratio

Et quanquam mania ex se lethalis non sit, est tamen difficilis admodum curatu. Ratio est, quoniam non solum cerebrum magnopere occupatum est a prauo succo, verumetiā omnes maniaci sunt, & inobedientes, & Medicis ipsis inimici: vt propterea Gal. 2. de diff. resp. cap. 10. dixerit, maniacos a Medico non esse prope inuisendos: id quod non ita pridem expertus est Medicus Rhodiginus, qui a maniaco interfectus est.

Est autem hic præcipuus scopus curationis maniacorum, vt humectentur, & refrigerentur, & vt studiosissime praui succi euacuētur. Id quod intelligēs Arist. in libro physiogn. dixit, Medicos curare furiosos, & maniacos tum purgationibus, tum etiam recta victus ratione: quę victus ratio in eo potissimū esse posita debet, vt quantum fieri potest, & intrinsecus, & extrinsecus corpora refrigerentur, & humectentur. Vnde aer debet esse frigidus, atque humidus, secus quā dixit Cælius Aurelius, qui nescio quo spiritu, aerē calidum videtur prætulisse, debet tamē aer lucidus esse, & cubilia, vbi iacent, debent esse absque vllis picturis, sine fenestris, si fieri potest, aut eum altissimis, sine vllis armis, sine funibus, ne scilicet sibi ipsis vim afferre possint.

Indicationes.

Victus ratio

Plato libro vndecimo de legibus, fecit legem, qua prohibebat, ne maniaci permitterētur per vrbes ambulare, quę lex etiā Medicis seruanda est: scilicet ne permittant ambulare maniacos, sed vel ligati seruentur, vel cū amicis, ac viris grauibus contineantur, qui ipsos modo increpare, modo monere, modo consolari possint. Quod C. Celsus dixit insanientes frictione continua esse tractandos non improbo, damno autē, quod voluerit illos multū exerceri, nā motus corporis calefacit magis, mentemque plurimū agitat, quare quantum fieri potest in summa detinendi quiete; hæc enim, vt nostis torpida, humida, ac frigida corpora reddit, quæ maxime in hac curatione desiderantur.

Somnus maniacis omnibus necessarius est, & propterea solent Medici in curatione huius affectus multa machinari: lectos mollissimos, & pensiles, & odoramenta ex decocto papaueris, mandrag. & similiū rerū, quæ somniferæ sunt. Non defuerunt, qui putarunt optimū esse, furiosis amorē incitare: sed fabulæ sunt: nam non solum hoc difficilimum est in mente captis, verumetiā perniciosum, siquidem, vt optime dixit Arist. circa initium 7. Eth. & ira, & cupiditates venereæ homines furiosos reddunt.

Somnus maniacis conciliandus.

Aluū mollire optimū est. Sed hoc quoque difficile est, & præsertim clysteribus, ideo soleo quotidianis cibis immiscere modo senā, modo polypodium, modo mannā ita, vt decepti furiosi hac arte aluū solutam seruent. A vino prorsus abstinendū est, de quo loquens Aristoteles 3. probl. 17. dicebat vinū alios facere furiosos, alios vero τετυφωμένους; id est tardos, & stupidos. Loco vini aqua hordei conuenit, decoctū prunorum, succus pomorum cum aqua. Ab omni potu, qui recipiat mel, vel saccharum, abstinendum est.

Inter cibos ij sunt eligendi, qui humectant, & refrigerant, ac sint facilis concoctionis. Vnū tamen vos hic monitū volo, summopere scilicet in hoc casu inediam esse vitandam, quam Aristoteles dicebat homines facere amarulentos: & quanquā aliqui dixerint, quod sicuti feræ mansuescūt ex subtractione cibi, & homines ieiuni magis sapiunt, ita insanientes mansuefieri, id tamen falsū, cum etiā feris contrarium sæpe eueniat, vt priuatæ cibo magis efferentur.

Instituto victu, diligenter considerare oportet, a quo humore efficiatur furor. Nam si fiat a sanguine combusto, primum de sanguine mittendo cogitandum. Et enim varia sint loca, a

Curatio maniæ sanguineæ.

quibus solemus eum detrahere, si sint mulieres, detrahendus est sanguis ab infernis partibus, & præsertim, si menstruæ purgationes sint, vel suppressæ, vel imminutæ.

Vena sectio. In viris mittendus est a vena cubiti tum dextri, tum sinistri, placet quoque appositio hirudinum: vel si magna sanguinis copia in capite apparuerit, laudo vt vena frontis pertundatur. Et notate, totam vim curationis positam esse in celeritate remediorum, & præsertim missionis sanguinis.

Post sanguinis missionem conuertendum est studium ad cerebri refrigerationem, & humectationem. Quocirca deraso capite r. perfusiones sunt adhibendæ, quæ adhibentur spongijs ex alto supra commissuram coronalem expressis. Fiunt perfusiones varijs modis. Sed forma hæc admodum vtilis est.

Perfusio capitis.

℞. Fol. lactucæ.
Semperuiui.
Solatri an M. j. ß.
Fol. Nymphęæ M. j.
Cap. papau. N. x.
F. decoctio, & ex decoctione f. perfusio.

Post hanc perfusionem adhibemus etiam inunctiones, vt est.

Inunctio.

℞. Ol. de nymphæa ℥. j.
Succi semperuiui.
Maluæ.
Lactucæ an ℥. ß.
Ol. rof. omphac. ℥. j. ß.
Vini optimi ʒ. iij. cum modico cera f. linimentum.

Curatio maniæ a bile. Intus pro attemperando sanguine, silicet, possunt vsurpati iura, in quibus prædictæ herbæ sint incoctæ. Si etiam patiuntur, sumere serum caprinum optimum est, & facile solent recipere huiusmodi remedium. Sed si mania fiat a bile, præparandi sunt humores; præparati purgandi eo pacto, quo diximus in curatione phrenitidis. Et quia sæpe insanientes cogi nequeunt ad assumenda medicamenta, idcirco solers Medicus secundum Tralliani præceptum, aliqua arte vti debebit, vt medicamenta, non tamen admodum vehementia, nam talia magis excitant furorem, catapotijs, vel ouis, aut alijs cibis commisceantur. Quare pilulas hunc in modum parare poteritis.

Pilulæ.

℞. Rhab. elect. ℈. ij.
Elleb. nigri ʒ. ß.
Diagr. gr. vij.
Cinnamom.
Schænanthi.
Caryoph. an gr. iij.
Cum succo borrag. formentur pil. nu. 5.

Hic etiam conuenit vsus seri caprini optime depurati, cui etiam immacerare Elleborum nigrum possumus. Conueniunt quoque balnea aquę dulcis. Et, quia solent multa in aquis facere, insani sunt mergendi in ijs ligati, ita tamen, vt semper custodiantur, ne forte seipsos suffocent.

Postremo, si mania fiat ab humore melancholico putrefacto, & combusto primo pręparandi sunt humores huiusmodi decocto.

Curatio maniæ melancholicæ. Præparans.

℞. Fol. nymphęæ.
Bugloss.
Borrag.
Fumar. an M. j. f. decoct.

Deinde *℞. dicta decoct. ℥. v.*
Syr. Sabor regis.
De succo borrag. an. ℥. j. M.

Quod si respuant maniaci accipere huiusmodi potiones, potestis curare, vt fiant in iuribus, & loco syruporum adijciatur sacc. Pręparati humores purgandi sunt, & pro purgatorio adhibendę sunt pilulę, quę varię sunt: vt pil. de lapide lazuli, pil. dę fumaria, cocchię prępar. Potestis etiam ita parare.

Pilulæ.

℞. Pil. de fum.
Coc. præpar. an. ℈. iij.
Turbith. ℈. ß.
Cinnamom gr. iiij.
Cum syr. de succo borrag. f. pilulæ nu. 5.

Hellebori vsus. Pręceteris solemus vsurpare helleborismum, eo pacto, quo pręcepit Hipp. in fragmento illo de helleb. vsu: & distinctissime omnium Oribas. in collect. lib. 7. ni fallor. Et cum varia sint genera hellebori, ijs omnibus anteponitur helleb. melampodium, quo narrant Melampum inuentorem curasse filias Proeti furore correptas.

Antimonium. Sed quid de Antimonio, quod hodie vsque adeo celebre est, & quod scribunt Paracelsistę Medici miros effectus producere, & pręsertim in insanientibus? Domini huiusmodi remedium semper periculosum esse putaui, quia purum venenum est. Scio tamen a multis ita diligenter pręparari, vt si non penitus innocuum euadit, saltem minimum detrimentum affert: ea propter, cum soleat exhiberi in minima quantitate, facile concedo, vt in huiusmodi difficilibus casibus exhibeatur.

Quini-

Been Arabum.

Quinimo habetur quoddam granum, quod ex Constantinop. afferunt, Been Arabum, hoc granum decorticatum deuorandum præbetur. Nam calidum est, absque sapore, vt facile latere possit, & tamen efficacissimum est ad mouendum vomitum, & aluum, vt sæpissime sum expertus. Quare commendo, vt ei hoc granum exhibeatur: quod vt facilius possit capi, sic preparetur.

℞ *Grana been decorticata.ij.*
Sacc. fini. ℥. ij.
Amyd. dulc. decort. iiij. Contundantur omnia simul, & cum aq. rosarum f. morsellus, qui si non iucundus, saltem non ingratus est, ita, vt facile vel possit exhiberi, vel commisceri cum cibis, atque ita fallere furentes.

Sunt multa alia, quæ a proprietate putantur conferre, veluti est radix, & semen agni casti, semen fœnicul. sylu. Reperiuntur etiam quædam aquæ thermales, veluti sunt aquæ Sinuessanæ, quæ, & potu acceptæ, & extrinsecus administratæ, probatæ sunt furentes, & maniacos sanare.

Cauteria.

Sed quod expertus sum maximopere contulisse, est cauteriorum genus. Nam si fiat cauterium, & apertum detineatur, vel in nucha, vel supra commissuram coronalem, certe vtile est, quia non tantum vapores atri, & feruidi, per ea foramina dissipantur, & educuntur, verumetiam cerebrum refrigerat, & consequenter succus ille ater, & adustus exinanitur. Sed non solum cauterium vnum, vel alterum in capite iuuat, sed si fiat etiam in ambobus, & brachijs, & cruribus, mirificum adiumentum afferunt. Et ego scio quandoque hic Patauij nobilissimum iuuenem furentem, post infinita remedia tandem redijsse ad mentem vsu quatuor cauteriorum in brachijs, & in cruribus.

Historia.

Atque hic est finis actionum læsarum facultatis ratiocinatricis.

CAPVT XVII.

De vitijs ad memoriam pertinentibus, & primum de Lethargo.

De vitiis ad memoriā pertinentibus. Ratio ordinis.

SEquuntur vitia facultatis memoratiuę, siue memoriæ, quam Plato in Theæteto, dicit esse matrem Musarum. Habet autem memoratiua facultas duas operationes; alteram, qua recipit, & conseruat phantasmata a sensibus suscepta: atque hæc proprie nuncupata est memoria: alteram, qua phantasmata suscepta, si forte interdum obliterentur, recuperat propria industria, & sine ope sensuū. Vocatur autem huiusmodi operatio Reminiscentia, vt est apud Platonem in Philebo. Igitur memoratiua facultas cum frustratur ab his operationibus, tria vitiorum genera pati consueuit. Vel enim suscepta phantasmata neque diu, neque facile conseruat; aut conseruata per aliquod tempus obliterantur; & vocatur memoria diminuta; vel phantasmata, quæ erant in memoria destruuntur, vel noua recepta statim abolentur, & dicitur memoria amissa; vel non recordatur eo pacto, quo deberet, & vocari potest hoc vitium memoria deprauata. Huius, quantum puto, exemplum habemus apud Aristotelem in libro de memor. & reminisc. vbi scribit, quendam Antipherontem vocatum, id vitij passum esse in memoria, vt quoties videret aliquem sibi non visum, putarit, sese illius recordari tanquam alias visi.

Memoria & deprauatur.

Nec obstat, quod nullus Medicus mentionem fecerit deprauatæ memoriæ; quoniam deprauata memoria est fere eadem cum imaginatione deprauata: vt propterea dixerit Aristot. illum Antipherontem insanum fuisse. Hinc est, quod Medici non curarunt peculiariter tractare de mem. deprauata, cum tractarunt de imaginatione deprauata.

Nomen.

Ceterum, de alijs vitijs memoriæ sub duobus tantum generibus tractarunt sub Lethargo, & sub memoria deperdita. Nos igitur tractaturi de ambobus, ordiemur a Lethargo, qui a Græcis vocatur λήθαργος, a Latinis nuncupatur modo Lethargus, modo veternus. Arabes nuncuparunt modo congelationem, modo Sirsen frigidum. Vnde licet intelligere, quid significare Gal. voluerit 13. meth. cap. 10. quando scripsit, Lethargum esse contrarium phrenitidi, scilicet, quia phrenitis affectus calidus est, Lethargus autem affectus frigidus.

Definitio.

Est autem Lethargus memoriæ deperditio, cum inexpugnabili dormiendi necessitate, & cū febre cōtinua, & lēta. Dicitur memoriæ diminutio, quia memoria principaliter lęditur, tametsi offendantur simul, & ratio, & imaginatio, vt scriptū est a Gal. 3. de loc. aff. c. 5. & lib. de diff. sym. c. 3. Additur, fieri cū inexpugnabili dormiendi necessitate, quemadmodum dicebat Celsus lib. 3. c. 9. quia proprius character huius vitij est profundus, & inexcitabilis somnus. Dicitur postremo, cum febre continua, &c. ad differentiam cari, comatis, catalepsis, qui omnes affectus, vel sunt sine febre, vel sequuntur febrem, cum Lethargus sit, qui sibi habet febrem comitem.

Genus symptomatis.

Et hic affectus vere symptoma in genere actionum principum lęsarum. Quanquam Gal. 13. meth videtur interdum appellare morbum, interdum πάθος, nam sic loquitur appellando morbum omnem rem præter naturam, vt sæpe facere consueuit, & Hippocrates, & ipsemet,

Locus affectus. *Morbus a quo depēdet.*

Locus affectus cerebrum est secundum partes posteriores. Afficitur vero non modo vt pars similaris, verumetiam vt pars instrumentalis. Vnde fit, vt huiusmodi symptoma sequatur duos morbos, nempe intemperiem frigidam, & humidam cum materia, nec non morbum in via. Siquidem, etsi in Lethargo ventriculi cerebri non sint occupati, ac oppressi, repletæ tamē sunt porositates, vt sic dicam, & cauernæ substantiæ ipsius cerebri. Atque hoc est, quod dicit Hippocr. lib. de struct. hominis, Lethargum fieri, quoties cerebrum repletur frigidis humoribus.

Causæ.

Ceterum, videre oportet, ad cognoscendam huius affectus naturam, quænam sit hæc materia frigida, a qua efficitur lethargus. Deinde vtrum hæc materia, dum facit lethargum, mutetur. Tertio, quam mutationem subeat. Postremo, vtrum hæc materia faciat tumorem, nec ne.

Qualis materia efficiat lethargum.

Galenus quarto de præsag. ex puls. capite octauo scribit materiam, quæ colligitur in membranis cerebri, semper esse materiam crassam, & viscidam, eo, quod ex rara substantia cerebri facile labuntur humores, vt minime possint colligi. Ideo cum dictum sit, materiam lethargum efficientem in cauernulis cerebri colligi, iure cõstituendum est, hanc materiam non esse subtilem, sed viscidam, crassam, & frigidam; cuiusmodi est pituita, quæ in cerebro colligitur, vel quia paulatim ibi congeritur, vel quia aliunde in eam partem affluit.

De hac materia loquens Gal. 1. prorrh. 1. nec non 13. meth. cap. 21. nihil aliud dixit, nisi eam, dum inducit lethargum, irrigare, & humectare cerebrum. Ex quibus locis coniectati sunt nonnulli, Gal. noluisse quicquam in lethargo efficiendo pituitam commutari, sed duntaxat exuberare copia. Veruntamen cum Gal. ibi minime neget hanc commutationem: inducor ad credẽdum, necessario pituitam, dum facit lethargum mutationem aliquam pati: & eo maxime, quod Hipp. lib. de principijs dixerit, cerebrum esse metropolin frigidi, humidi, & viscidi: vt cum sit humor pituitosus valde cerebro familiaris, minime possit ipsum lædere, nisi a natura sua mutetur.

Quam vero mutationem patiatur pituita, differentes fuerunt sententiæ. Alij existimarunt solum pituitam frigidiorem, & humidiorem reddi; alij vero inducti auctoritate Gal. 4. de præsag. ex puls. c. 8. vbi inquit, quod affectioni comatosæ si associetur febris, lethargus dicitur: si etiam putrescat pituita in cerebro, lethargus appellatur, putarunt pituitam putrescere, & putrescendo lethargum inducere. Ego autem sum huius sententiæ, pituitam efficientem lethargum incalescere, & consequenter putrescere, sed leuem admodum putrefactionem hanc esse, ac propterea Medicos Græcos fere omnes de putredine nihil meminisse, quod leuem hanc putredinẽ, quantum sit ex sese, nihili faciendam existimarunt.

Obiectio.

Sed video dubitaturum esse aliquem, quomodo, si in lethargo pituita incalescit, & putrescit, possit cerebrum ita refrigerari, vt memoria violetur, quam a solo frigido vitiari audietis suo loco. Scite igitur debetis pituitam, vbi immota permanet in cerebro veluti congelatam, & concretam esse, ac propterea non adeo intense refrigerare posse. Verum, vbi colliquatur, & colliquata per cerebrum funditur, fit, vt quemadmodum dicit Gal. irriget, ac magis penetret, & propterea refrigeret.

Solutio.

Iam vero eliquari, & fundi pituitam a calore, & consequenter a putredine, nemo est, qui dubitet.

An tumor cerebri sit in lethargo.

At vero an pituita putrescens in tumorem attollatur, vt inflammatio in cerebro fiat, dubium est. Nam Auic. primo tertij tract. 3. c. 7 manifestissime dixit Sirsen frigidum esse apostema. Sic etiam Auer. lib. 3. coll. c. 40 dicebat lethargum esse complexionem materialem apostemosam, vt minime dubium sit, quin hi præclarissimi scriptores putarint lethargum esse apostema, siue tumorẽ. Econtra neque Gal. neque quisquam alius Græcus mentionem fecisse videtur tumoris in lethargo. Imo vero Serapio manifeste probauit interdum, aduersus Auicennã, neque cerebrum, neque etiam ossa pati apostema, vel tumorem. Ratio etiam huic adstipulatur, siquidẽ vt œdemata, quæ fiunt a pituita, & tumores sunt, minime putredinem concipiunt, nisi calidi alij humores ipsis coniungãtur: sic si in cerebro fieret tumor pituitosus, minime putrescere posset, cum tamen constitutum sit, lethargum fieri a pituita calefacta, & putrescente. Itaque in hac sententiarum varietate dicendum, in lethargo colligi quidem pituitam in cerebro, sed minime

Resolutio auctoris.

tumorem facere. Et Auicennam si tueri velimus, dicendum est, apud ipsum sæpe apostema vocari, quamlibet repletionem alicuius partis factam, vel ab humore, vel a vapore. Id quod etiam videtur significare voluisse Auerr. quando in loco citato dixit, Sirsen frigidum produci ab humore apostematoso. Igitur, vt audiuistis, frigidus humor, id est, pituita calefacta, & putrescens absque tumore est causa efficatrix immediata lethargi.

Causæ internæ mediatæ. Differ.

Quæ ætas magis obnoxia lethargo

Ex causis internis, sed mediatis, prima est temperamentum frigidum, & humidum: secunda est capitis strictura, & densitas, tertia est ætas, de qua contradictionem aliquam video, siquidem Hippoc. 3. aph. 30. scribit in ætate consistente positos maxime exerceri lethargo. Contra autem Soranus apud Cæl. Aurel. lib. 2. de acutis vult, senes magis expositos esse lethargo. Sed solui potest hæc contradictio, quia illi, qui sunt ætatis consistentis, & præsertim in fine, parum differunt a senibus, vt iure dicere liceat, vtrosque lethargo expositos esse.

Causæ præter naturales.

Dissensum lethargus fiat per cõsensum.

Inter causas præternaturales sunt morbi diuturni, acuti, in quibus postquam dissipati sunt tenues humores, illi, qui remanent crassiores, & frigidiores, si cerebrum occupent, lethargum inducere possunt. Aet. lib. 6. c. 3. ex sententia Archigenis docet, lethargum fieri quandoque ob consensum a visceribus, & præcordijs. Auerr. etiam loco nuper citato, inquit, aliquando accidit hæc ægritudo cerebro mediante ore stomachi. Imo Gal. 17. de vsu par. cap. 2. videtur in ea fuisse sententia, vt crediderit lethargum fieri per consensum, dum ait: Ita, qui nouit facultatem animæ ratiocinatricem esse in cerebro, deliria, phrenitidas, lethargos, melancholias intelliget accidere, cum cerebrum, aut prima ratione, aut per consensum afficitur.

Dico Domini, lethargum semper fieri, quia cerebrum essentialiter patitur; vt minime dicere liceat, verum lethargũ fieri vnquam per consensum. Sed quid ad auctoritates prædictas? Dupliciter respondeo, primo modo lethargi generationi præstari quandoque initium ab alijs partibus, sed vbi lethargus integram constitutionem nactus est, semper fit essentialis in cerebro. Vnde quando Galenus, & Aet. & Auerr. dixerunt, fieri per consensum, intellexerunt de occasione, &

ne & initio, non autem de integra constitutione lethargi. Secundo modo, veteres & præsertim Galen. 13. meth. 21. nec non secundo prognost. nomine lethargi complexos esse omnes somniferas affectiones, vt quando dixerunt, lethargum fieri per consensum, intellexerint non verum lethargum, sed lethargicas affectiones, vt sæpe loquitur Galenus. Inter causas externas, est aer frigid. & humidus. Tempus anni, vt est hyems; & secundum Cæl. Aurel. autumnus. Præterea regio, vt septentrionalis, quæ feracissima est lethargi. Ad hęc inter has causas reponitur nimius somnus, nimium otium, nimia Venus, crapulæ, esus immoderatus ciborum, & pręsertim eorum, qui nimium refrigerant, vt lactuca, endiuia. Sic etiam medicamenta refrigerantia idem faciunt, vt papauer, cicuta, Diosc. & Auic. dixerunt, cæpas, & huiusmodi alia edulia acria lethargi generationi occasionem prębere. Et hęc de causis.

Signa. Distinctiua. Lethargus vt a memoria deperdita differat. Ab alijs affectibus somnolentis.

Signa triplicia sunt; distinctiua, diagnostica, & prognostica. Distinguitur lethargus a memoria deperdita, quoniam in lethargo non solum memoria læditur, verum etiam alię principes facultates; in memoria deperdita ipsa sola læditur. Præterea obliuio fit ab humore melancholico, & pituitoso, verus lethargus a sola pituita. Ad hæc obliuio, & aliæ soporosæ affectiones, quæ huic valde similes existunt, fiunt sine febre, lethargus semper cum febre. Distinguitur lethargus secundum Cęlium libro 2. cap. 3. a defectionibus animi, quia in illis pulsus densus, coacervatus, ac intermittens. A potu mādragorę, & alterci, quia in eo pulsus rarus, & plenus, in lethargo inanis, ac inflatus. Ab his qui vexantur lumbricis, in quibus pulsus densus, velox, paruus, ac deficiens, adhęc in remissione febris magis affligunt, cum in augmento non inferant damnum, e conuerso in lethargo.

Signa diagnostica lethargi. Futuri.

Signa diagnostica vel indicant futurum lethargum, vel pręsentem. Futurum significant capitis grauitas, dolor, tremor, vt addit Auicenna, tinnitus aurium, somnus absque insomnijs, & oscitatio frequens, figura corporis insueta inter dormiendum, pulsus inęqualis, febris continua, & lenta. Hęc enim vbi apparent, semper metuere oportet, ne fiat lethargus.

Pręsentis.

Signa quę indicant pręsentem lethargum copiosissime proponuntur a Cęlio Aurel. & a Galen. lib. 3. de loc. affect. cap. 5. Sunt autē hęc memorię diminutio insignis, lęsio rationis, & imaginationis, auditus infirmus, ita, vt etiam si alta voce inclamentur, nō respondeant, oculos semper conniuentes habent, creberrime oscitant, & inter oscitandum sępe obliuiscuntur os claudere. Respiratio tarda est, & debilis, pulsus magni, languidi, rari, fæces semper male olent: sudant interdum copiosissime, vrinam reddere obliuiscuntur: imo vero, si ijs porrigatur matula, aut non accipiunt, aut si accipiunt, obliuiscuntur mingere: aut si mingunt, obliuiscuntur matulam reddere. Sępe etiam difficilime vrinam reddunt; vt Cęl. Aurel. scribat, interdum lethargicos interire propter mingendi difficultatem. Vultus luteus est, aut liuidus, lingua alba, & saliuosa. Dicit enim Hippoc. 3. de morb. vsque adeo interdum abundare saliuam in lethargicis, vt nequeāt eam ab ore depellere. Pręterea febre laborant perpetua, & lenta; ac tandem vsque adeo somno sepulti iacent, vt sola respiratione viuere intelligantur, quę respiratio sępe fit cum stertore quodam. Vnde Cęl. Aurel. in ea sententia ad illud Plautinum alludens Mil. sorbet dormiens, vocauit somnum lethargicorum sorbilem, quasi sorbere videantur.

Prognostic.

De lethargo scribit Celsus lib. 3. cap. 9. eum cito iugulare, nisi statim succurratur. Et Hippoc. libro secundo de morbis, scribebat lethargicos in septem diebus mori, quos si pręterieant, seruari. Cęl. Aurel. comparās phrenitidem & lethargum, dicebat, lethargum haud secus esse grauiorem affectum phrenitide, atque grauior est cæcitas diminuto visu. Gal. autem lib. 4. de caus. puls. c. 15. dicit, lethargum esse grauiorem affectum peripneumonia. Et lib. de inęq. intemperie, cap. 3. scribit, collectionem humorum, quę fit in posteriori parte cerebri, esse minus bonam illa, quę fit in anteriore parte.

Septimo Aphor. 21. Si lethargo, inquit Hippoc. superuenerit tremor, malum, quia vt Gal. in Comm. ait, signum est materiam multam principium neruorum male afficere. Vel si accesserit fluxus alui, Salus quoque prorsus desperata est: quemadmodum docet libro 3. de morb. Ceterum eodem libro, & in coacis prænoti. vnum dixit Hippoc. memoria dignum: nempe lethargicos suppuratos seruari. Quid autem intelligit Hipp. per suppurationem, non est facile comprehendere, 1. quia intelligi non potest de materia in cerebro existente; siquidem, vt audiuistis, putrescit quidem hęc materia, sed minime in tumorem eleuatur, vt liceat dicere, eiusmodi tumorem suppurari. Qui etiam pro suppuratis intelligunt eos, quibus intra thoracem pus colligitur, a ratione videtur alienum; siquidem vix fieri potest, vt materia, quę in cerebro lethargum facit, in pectus transmittatur, ac ibi in pus vertatur. Quarę dicendum puto, forsan Hippoc. intellexisse pro suppuratis eo in loco, eos, quibus materia putrefacta per aures vel per nares euacuatur. Nā solet Hippoc. huiusmodi vniuersalibus locutionibus vti, quemadmodum quando abscessus appellat quaslibet permutationes materię a loco ad locum.

Indicationes.

Cum ergo ita sit constituta lethargi natura, in eo curando duo scopi ante oculos sunt habendi, primo, vt intemperies frigida & humida auferatur, secundo, vt materię putrefactæ euacuandę incūbatur, simulque vt quę fluit, reuellatur, & quę nōdum putruit, a putredine defendatur.

Curatio.

Curatio. Pro quibus scopis comparandis primo eligere oportet vel parare aerem calidum & siccum. Prospiciendum est, vt, quantum fieri potest, a somno excitentur, quod quia difficillimū est, ideo frictiones, ligaturę, clamores, vellicationes, odoramēta aliaque id genus excitatoria, adhibenda erunt. Cælius Aurelianus maxime damnabat iuges illas titillationes, & puncturas, quę circa lethargicos fiunt, eo quod cerebrum magis exacerbetur, & lędatur ab his. Sed pace Cælij

Cæl. Aurel. notatur.

Aure-

Aureliani res secus se habet. Cum enim substantia cerebri, non autem membranæ afficiantur, minime verum est ab his operationibus illud exasperari. Sed etiamsi aliquantisper exasperetur, maius tamen est beneficium, quod comparatur propter excitationem a somno, quam sit detrimentum, quod infertur ab inclamatione & vellicationibus.

In curatione lethargi præ ceteris prouidere oportet, vt aluus lubrica sit. Et quia facultas totius corporis sepulta, & pigra est, oportet vti & clysteribus, & suppositorijs, quæ vi acerrima polleant, &c, vt facultas stimulata remedijs obediat. Clyster igitur erit.

Clyster acris.

℞. *Centaurij M.ß.*
Fol ruta.
Malua an.M.j.
Colocynth.ʒ.iij.f.decoct f.a.

Deinde ℞. *d.d.lib.j.ß.*
Hiera Logodionis.ʒ.ß.
Ol.rutacei.ʒ.v.
Salis.ʒ.iij. M. & f.clyster.

Suppositoriũ acre.

Addo magnam copiam salis, quoniam, vt dicebam, opus est magno stimulo in hoc morbo. Suppositorium autem acre ita parabitur.

℞. *Salis gemmæ gr.v.*
Nitri gr.iij.
Trochiscor. alandal ℈ ß.
Mellis.q.s.fiat suppositorium.

Cibus.

Hæc enim sunt, quæ conueniunt in lethargicis pro aluo mollienda. Cibi lethargicorum debent esse & tenues, & attenuantes. Alex. Trall. & Mesues laudabant porrum & allia. Sed minime possum probare, quia cuncta hęc febrem augent. Neque etiam probo vsum amygdalarum ab aliquibus commendatum, quia nimium repleant cerebrum, nisi forsan earum succo, mellis portio adiungatur.

Igitur panatella cum sem. melon. commoda erit: iura in quibus bullierint serpyllum, maior. hyssopus, puleg. Et ex carnibus conueniunt carnes omnes auicularum. Sed quia letharg ci mandere nequeunt, red gendæ sunt carnes in contusum. Laudabat Auic. decoctum cicerum, & lupinorum, sed potius in vsum medicamenti quam cibi.

Potus.

De potu fuit Asclep. sententia, vinum conuenire lethargicis. Et vtebatur hac ratione, quod in lethargicis cerebrum sit vsque adeo offensum, vt nullum sit periculum, quod amplius offendatur. Idem scripsit Celsus Asclepiadis sectator, lib. 3. cap. 20. Sed vterque malum consilium attulit, primo, quia Hipp. libr. 3. de morbis, qui fuit aliquin vini in morbis indulgentissimus, maxime prohibet, ne lethargici vtantur vino. Præterea etsi cerebrum grauiter sit offensum, ex vino tamen periculum imminet, ne spasmus superueniat, & ne febres augeantur. Vnde omnino abstinendum est a vino, & loco vini vti oportet aqua cocta cum fœnic. vel mulsa facta cum coriandro, vel decocto maioranæ cum iulep. declinante autem febre potest subaquosum, tenue, albũ subastringens vinum concedi. Atque sic intelligendus est Hippoc. quando 2. de morbis concedebat vinum vinosum in lethargo, sc. in declinatione.

Reuulsoria remedia. Venæ sectionum conueniat.

Post victum conuertendum est studium ad reuellendum & repellendum humorem a cerebro. Inter remedia reuulsoria, sunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ siccæ. Sed potentissima est venæ sectio, de qua tamen iure dubitari potest, vtrum cõueniat in vero lethargo. Gal. 13. meth. cap. 21. videtur venæ sectionem antepos uisse omnibus alijs remedijs; & Galen. sectati sunt fere omnes Græci. Sed ex altera parte non videtur conuenire venæ sectio, siquidem regula est Gal. 4. de tuend. val. 4. & in lib. de cura. per sang. miss. cap. 6 & 10. vbi abundant humores frigidi, minime conuenire sanguinis missionem. Quod etiam confirmatum habetur ab Aetio lib. 6. ca. 5. Præterea si sanguis in lethargo mittatur, formidandum est, ne cerebrum magis refrigeretur, & consequenter pituita crassior, & contumacior euadat. Pro hac difficultate sciendum est, humores frig. interdum dominati solos, interdum vero permistos sanguini. Si soli dominentur, certe sanguis nullo pacto mittendus est; & propterea forsan Mesues non meminit venæ sectionis in lethargo, quoniam putauit a puris frigidis succis fieri. Sed si cum pituita & frigidis succis sanguis quoque aliquo modo abũdet, sanguis parce mittendus est, propter tres causas. primo, quia missione sanguinis egregia fit reuulsio a capite, secundo, quia semper cum sanguine aliquid pituitæ educitur, 3. quia natura nonnihil leuata, robustius deinceps pugnat aduersus morbificam materiam. Sed quid ad Galenum, & rationes? Ad Galenum dico, loqui de humoribus frigidis & crudis existentibus in vniuerso corporis ambitu. Ad rationes dicendum, si prudenter & moderate fiat sanguinis m ssio, haudquaquam refrigerari cerebrum, aut pituitam crassiorem reddi. Itaque lenita aluo, vel clystere, vel alio pacto, statim deueniendum ad sanguinem mittendũ, & ei g nda vena cephalica. Sed si a vena sanguinem mittere non liceat, si consuetum sit profundere sanguinem ab hæmorrhoidibus, ab eo loco detrahendus est, modo tamen lethargus non succedat al js morbis, in quo casu Aretæus omnino damnat sanguinis missionem, laudantur quoque cucurbitulæ cruribus, & natibus appositæ, imo & spatulis, dummodo alia præcesserit euacuatio, alioquin, vt testatur Gal. 13. meth. 19 periculosæ sunt.

Cucurbitula.

M sso sanguine, & facta vniuersali euacuatione, statim ad localia remedia accedendum erit, vt simul symptomati occurramus, & morbo. Et interea temporis humores præparandi erunt,

cum

cum aperientibus, attenuantibus, siccantibus, & calefacientibus, deinde postquam humores fuerint præparati, simulque viæ apertæ, tum medicamento aliquo purgante erunt educendi. Pro localibus, ex præcepto Gal. 13. meth. adhibenda repellentia, & inter alia oxyrrhodinum fere ab omnibus comprobatur. Sed est dubitatio vtilis, nec contemnenda, an solum oxyrrhodinum conueniat. Maior pars Græcorũ, quos deinceps Arabes secuti sunt, solo oxyrrhodino in principio vtendum voluerunt, vt materia repellatur, post principium dissecantia, atque dissoluentia, adiungenda censuerunt. Sed Alexander Trallianus lib. 1. c. 14. voluit, vt statim repercutientibus addantur dissecantia, attenuantia, & dissoluentia, quoniam materia frigida est, vnde vult admisceãtur, & incoquantur oxyrrhodino peucedanum, castoreum, pulegium, calamentum. Adest præterea ratio; quia ea repellenda, quæ possunt faciliter loco moueri, sed pituita in lethargo non est talis, ergo non est repercutienda, alioqui a frigidis magis frigesit, atque crassatur. Alexandri auctoritate, atque ratione hac moti nõnulli, & inter Arabes, Mesues, Serapion, atque Rases primo Cont. cap. 8. putarunt omnino non esse solis repercussorijs, atque solo oxyrrhodino vnquã in lethargo vtendum. Aliqui, vt Alexandrum, & alios conciliarent, dixerunt in principio principiante, vtendum esse solo oxyrrhodino, in principio autem late accepto, minime esse vtendũ, atque hoc principium esse, vt ait Auicenna, post primos duos dies. Sed horum ratio nulla est, quia lethargus, vel fit per paulatinam pituitæ collectionem, vel per affluxum aliunde, quocunque fiat, etiam in principio principiante morbi semper materia fixa est, vnde per repercussiua non potest euelli. Sed dicetis quamuis aliqua pars sit fixa, tamen etiam aliquid adhuc affluit, cuius merito, conueniunt repercutientia. Dico Domini, verum esse repercutientia conuenire ratione partis, quæ influit, sed quia si sola adhibeantur, valde obsunt materiæ iam fluxæ, & firmatæ, quæ frigida, & crassa est, ea propter melius est repercussiuis in principio admiscere etiam dissoluentia, neque attenuantia. Vnde Hippoc. 3. de morbis in principio dicebat, in lethargo curandum esse, vt æger multum expuat, calefiat, & a vino abstineat. Immo Galenus secundo de Compos. phar. secun. loc. vbi examinat Apollonij medicamenta ad dolorem capitis ex plaga, aut ictu, inquit, quoticscunque medicamenti facultatem ad intimas partes per syncipurt perducere velimus, tunc semper aliquid tenuium partium admiscemus, habita diligenti consideratione affectus, qui curationi subiacet, qui si calidus, frigida miscemus, si frigidus calida. Igitur mea sententia, erit oxyrrhodino admiscendum aliquod discussorium in principio, sed debile, ac minus validum. Exemplum sit tale.

Oxyrrhodinum.

Formula oxyrrhodini.

℞. Aceti ℥ ij.
Fol. serpylli.
Orig.
Pulegij an. M. ß.
Aq. rosacea ℥. ß.
Bulliant simul, deinde colentur.
Et dictæ colaturę adde ol. ros. completi ℥. iiij. M.

Si placebit magis discutere in progressu morbi potestis addere prędictę decoctioni vel peucedanum, vel castoreum. Nam scribit Galenus 11. de simpl. medicamentis, castoreum maxime vtile esse in affectibus lethargicis, non solum ob calorem, & ob fœtorem, verumetiam ob propriam quandam efficaciam, quia maxime valet in affectionibus capitis. Pręter oxyrrhodinum solemus fronti quędam illinire, vt castoreum, pilos humanos crematos, quos scribit Alex. multum valere in hoc affectu proprietatę quadam arcana. Et vos ita potestis componere remedium,

Castoreum.

Puluis.

℞. Castorei ℈. j.
Pilorum humanorum combustorum ʒ ß.
Puluerizentur diligenter, & cum aceto læuigentur, deinde ipsi fronti puluis illinatur.

Sic etiam valent odoramenta, quę vim habent attenuandi, & dissecandi pituitosos humores ex. gra.

Odoramentum.

℞. Aceti acris ℥. iiij.
Fol. serpylli.
Puleg.
Maior.
Rutę an M. ſs.
Bulliant, & dum feruent, aut fumus apponatur naribus, aut spongia immaceretur aceto feruenti, atque naribus apponatur.

Solemus quoque transacto iam morbi principio naribus sternutamenta adhibere, quę apud Cęl. Aurel. reprobata inueniuntur, quia cerebrum concutiant. Sed hęc ratio parum valet, quoniam, & si motus ille caput concutiat, tamen ex illa concussione humores magis a partibus obsessis remouentur, atque vel in halitus difflantur, vel per aliquas vias exinaniuntur. Quare laudo, vt fiat sternutamentum hoc pacto.

℞ Piperis albi ʒ. ſs.
Hellebori albi gr. viij.
Castorei gr. v.
Nigellę ℈. j. puluerizentur omnia simul, deinde apponantur naribus, ita, vt intra nares integer puluis immittatur.

Hoc

Hoc tempore solemus etiam aliqua palato illinire, quæ ibi detenta in cerebrum vapores attenuantes, & dissecantes mittant, & vi propria spiritus animales conseruent: cuiusmodi est cōfect. anacardina, Ther. antiqua, mithridat. antiquum, diamoschus. Hæc enim omnia sua vi calorifica non solum lethargicos excitare valent, verumetiam operantur ita, vt pituita per os effluat, atque cerebrum calefiat.

Huc etiā pertinet ruta, vt Aretæus, & Celsus testantur, vel per se, vel cum alijs in vsum tracta.

Hæc omnia agi debēt ad tollendum symptoma, & ægros excitandos, quæ si non suffecerint, ad cucurbitulas occipiti appositas recurritur, atque etiam ad sinapismos, interim humores hoc syrupo præparandi.

Præparans.

℞. Fol. serpylli.
Maior.
Stœchadis.
Cichorij an. M ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d ℥. iiij.*
Syr. rosſ. recentis.
Syr. de beton.
De cichor. an. ℥. ß. M.

Præparati expurgandi sunt. Sed quia difficile est, demersis in somnum medicamenta, præsertim potabilia offerre: hoc in casu solemus pilulas parare, quæ in exigua mole magnam vim habent, vt sunt pilulæ factæ ex Troch. alhandal. ℈. ß. pil. de agarico ℈. j ſs. cum melle f. pil. num. 5. Alexand. Tral. & plerique alij laudant scammon. & castoreum: quibus si placebit vti, poteſtis hunc in modum componere.

Pilula efficacissima.

℞. Diagridij gr. iiij.
Castorei gr. iij.
Cum melle f. pil.

Sic etiam possumus exhibere pil. quæ appellantur ex colocynth. siue ex hiera colocynth. Sed circa hæc medicamenta oriuntur quidam scrupuli. Et primo circa vsum scammonij: si quidem scribit Mesues, scammonium solam bilem expurgare; in lethargo peccat pituita: ergo non videtur conuenire scammonium. Idem dubium oritur de hiera; siquidem basis hieræ cuiusque est aloe, aloe autem non videtur conuenire in hoc casu, propter tres causas, prima, quia Rases primo, cont. 8. scribit, aloen inducere soporem: id quod scripsit etiam Gal. 7. de simpl. med. Præterea scribit Mes. & Auerroes 3. collect. c. 14. aloen expurgare solam bilem, & melancholiam. Soranus etiam apud Cælium inquit, non conuenire aloen in curatione lethargi, quia medicamentum lene est, vt moueat humores ad ventriculum, nec tamen depellat. Sed ij retenti in vētriculo postmodum in caput vapores mittunt. Igitur si, vt dicit Rases, & Mesues, aloe somnifera est, & solam bilem ducit, non videtur posse auxiliari in lethargo, vbi altissimus somnus semper est, & vbi sola exsuperat pituita. Ad vtraque hæc dubia respondeo, aliud esse administrare scāmon. & aloen sola, aliud commista. Scammonium purum certe non competit in curando lethargo, sed commistum castoreo maxime conuenit: siquidem castoreum frangit facultatem illam scāmonij bilis eductricem, & dissecando pituitam facit, vt facilius obediat scammonio; præterquam quod scammonium proprietate quadam efficacissime agit aduersus lethargicam affectionem. Sic etiam dicendum est de aloe, scilicet illam solam non conuenire in curando lethargo, sed commistam alijs, vt fit in componenda Hiera, quæ efficiunt, ne moretur in ventriculo.

Vomitus.

Præter purgationem laudant aliqui vomitum, vt & Mesues, sed arduum opus est, cogere lethargicos, vt vomant. Laudat etiam Auicenna, declinante morbo balneum aquę dulcis. Sed nisi ex toto adempta sit omnis ad somnum propensio, balneum probāre nō possum: cum Gal. 4. de tuend. valet. simile balneum profundos somnos inducere scribat: id quod facit, & balneum totius corporis, & præsertim pedum. Quanquam in 5. & 7. epid. habeamus apud Hippocratem lotiones pedum aqua valente factus, oculis nocere, & consequenter cerebro.

Balneum.

Huius tamen rationem non video, nisi maximam calefactionem vapores plures, quam par sit, ad caput mittere dicamus, vt etiam annotauimus in varijs lectionibus.

CAPVT XVIII.

De memoria deperdita.

Descriptio.

Hic affectus est passio quædam preternaturalis, in qua homines nec recipiunt, quę audiunt, neque recepta retinent, & eorum, quæ iam pridem receperant non recordantur. Dixi in hac passione huiusmodi mala contingere præter naturam, quoniam si qui sunt, qui naturaliter sint penitus immemores, & obliuiosi, ij nequaquam a Medico tractantur. Fieri enim non potest, vt hanc memoriæ iacturam vlla arte recuperemus. Dixi reliqua; quia hæc potentia memoratiua, vt docui tres operationes habet, recipere phantasmata, conseruare, & reminisci. Vnde, quoties memoria deperditur, vt mereatur dici memoria amissa, omnes hæ operationes abolentur.

Difficultas.

Sed priusquam progrediamus, est quidam scrupulus eximendus; quomodo Galenus secundo de motu muscu. sexto, circa principium scribit videri imaginationem quoque recordari

Quod

Quod si verum est, aut potentia memoratiua est eadem cum imaginatione, aut læsa memoratiua potest adhuc imaginatio recordari. Respondeo Galenum eo in loco minime voluisse, potentiam imaginatiuam recordari, sed cum antea dixisset, actiones quasdam esse, quarum non recordamur, ob læsionem imaginationis, vt sunt, quæ fiunt vel in crapula, vel in motu; subiungit imaginationem quoque videri recordari; quasi dicat, ea facile memoria teneri, quæ maxime in imaginatione imprimuntur, vt imaginatio quidem conferat ad memoriam, sed non, quod ipsamet potentia recordetur. Nam hæc est Germana illius loci explanatio.

Genus symptoma. Hic affectus symptoma est, in genere actionum læsarum principum. Et locus affectus principaliter non alius est, nisi cerebri postrema pars. Nam Galenus, de plac. Hippocratis, disputans aduersus eos, qui collocabant memoriam in corde, hac demonstratione conuincebat, quod procurandis memoriæ vitijs, remedia non cordi, sed cerebro adhibebant, tanquam sedi morbi.

Num ab humida vel frigida intemperie fiat hic affectus. Morbus, quem sequitur hæc actio læsa, certe aliqua intemperies est; quoniam si, vt scribit Galen. 8. de plac. Hippoc. cap. 10. operationes omnes animi perficiuntur ab optima cerebri temperie, est certum, easdem operationes corrumpi ab aliqua intemperie. Sed quæ sit huiusmodi intemperies, valde apud omnes dubitatum inuenio. Plato in Theæteto videtur hanc sententiam habuisse, quod humiditas sit causa destructionis memoriæ. Quam etiam opinionem videtur secutus Auicenna, & Auerrho, in comm. ad lib. Aristo. de mem. & remin. sc. Imo, & Galen. qui lib. art. med cum edoceret signa cerebri humidioris, inter alia obliuionem adnumerat. Est præterea ratio, quia si siccitas cerebri facit memoriam, vt omnes attestantur, ergo humiditas obliuionem. Contra autem Hippoc. lib. de sacro morbo, & lib. de insania, nec non etiam Galen. secundo, de loc. affect. cap. vltim. & 3. de loc. affect. 5. videntur hanc sententiam secuti, vt memoria minuatur, & aboleatur a calida intemperie. Quam etiam sententiam comprobauit Rases primo Contin. & Auicenna prima, 3. tract. 4. cap. 12. Sunt quoque experientiæ, quæ monstrant ipsam lædi, & destrui a calido, quandoquidem amittitur sæpe memoria in phrenitide, in ebrietatibus etiam.

Ad hanc dubitationem, quæ pulcherrima est, aliqui vt conciliarent hos grauissimos auctores, dixerunt, causam alicuius esse ita intelligendum, vel immediate, vel mediate. Si de causa immediata loquamur, dicunt humiditatem esse causam memoriæ amissæ, vel vitiatæ. Si loquamur de mediata, dicendum est, huiusmodi causam esse frigiditatem, quia sicut caliditas propter siccitatem confert ad memoriæ perfectionem, sic inquiunt frigiditatem conuenire ad delendam memoriam propter humiditatem; vt frigiditas sit causa mediata, humiditas autem immediata obliuionis.

Sed hic modus conciliandi mihi non placet. 1. quia Hipp. & Gal. loco cit. dum proponunt causas ablatæ memoriæ, commemorant tantum frigus; de humiditate nihil loquuntur. Præterea inter omnes qualitates elementorum, vt sæpe audiuistis, humiditas est omnium minime actiua, vt pleríque spoliarint humiditatem omni potentia agendi. Hoc igitur si verum est, quomodo volumus humiditatem posse abolere memoriam? Ad actiones etiam omnes principaliter maxime omnium conuenit calor. Igitur ad destruendas principaliter, & immediate videtur facere frigiditas.

Alij, vt hunc nodum dissoluerent, dixerunt, tres esse memoriæ operationes; receptionem simulachrorum, conseruationem eorum, & recuperationem phantasmatum abolitorum, quam appellabat Plato in Philebo reminiscentiam, quæ fit, cum memoria quasi in se reflectitur. Dicunt primam, & secundam operationem vitiari ab humido, tertiam autem a frigido: vt quicunque dixerunt, causam amittendi memoriam esse humiditatem, locuti fuerint de prima, & secunda operatione; eos vero, qui dixerunt esse frigidam intemperiem, dixisse de tertia operatione.

Sed neque hæc opinio mihi placet, primo, quia reminiscentia est vere minima pars totius memoriæ, & ea, qua forsan non ita vtimur frequenter. Vnde si Hippocrates, Galenus, & Aristotel. locuti essent de ea sola, quando dixerunt memoriam violari a frigida intemperie, certe parum dixissent, & reliquissent maiorem, & meliorem memoriæ naturam. Vnde non est existimandum, eos ita fuisse intellectus inopes, vt non sint locuti de omni memoriæ operatione.

Auctoris iudicium. Igitur vera huius quæstionis resolutio est, læsionem memoriæ aut magnam esse, aut paruam; & rursum vel esse solam, vel coniunctam cum læsione aliarum animi actionum. Si læsio memoriæ magna sit, atque seiuncta a læsione alterius actionis, certe huiusmodi læsio fit a frigida intemperie. Atque sic locutus est Galen. 3. de loc. affect. cap. 5. læsio magna, non sola, sed cum alijs quibusdam operationibus, potest fieri a calido exuberante, vt in phrenit. atque in ebrietatibus. Læsio parua similiter fieri potest a calido simpliciter, atque etiam ab humido. Igitur memoria deperdita, quæ est læsio magna, & sola, fit ab intemperie frigida, quæ tamen, vt Galenus quoque docet, interdum humiditati, interdum siccitati copulatur.

Causa interna mediata. Causæ internæ huius sunt frigidi humores. Et hoc dicit Hippoc. libro de sacro morbo, & libro de insania: sc. lædi memoriam, quoties cerebrum refrigeratur a pituita. Causæ mediatæ complures sunt, ætas, temperamenta, & sexus. Scribit enim Aristot. de mem. & reminisc. pueros, senes, & qui habent frigidam tēperaturam corporis, & consequenter cerebri, minime memoria valere: & in fine dicebat, Nanos, id est, qui habent grande, & vastum caput, immemores, & obliuiosos esse, quasi huiusmodi corporis constitutio causa sit obliuionis, & memoriæ læsionis.

Internæ præternaturales. Causæ internæ præternaturales sunt morbi varij, vt apoplexia, paralysis. Nam videbitis paraly-

ralyticos immemores prorsus fieri. Recitat Gal. lib. de diff. symp. ca. 3. & 3. de causis sympt. cap. vlt. in ea celeberrima pestilentia, quæ descripta est a Thucydide, & post hunc a Lucretio, ægros amisisse memoriam omnium rerum, vi illius pestilentiæ. Et dum his diebus essem Venetijs venit ad me petitum consilium quidam Gallus, ligator librorum apud Iuntas bibliopolas, qui coram etiam meo quodam auditore dixit, se ex epilepsia amisisse memoriam omnium ita, vt literas etiam ignoraret. Et addidit rem admiratione dignam, quod scribit, sed quæ scribit, legere nescit. Atque totum hoc vitij genus retulit sese acquisiuisse ex eo morbo, cum antea optime legeret, & etiam aliquid intelligeret.

Historia.

Causæ externæ.

Inter causas externas primas partes obtinet aer, de quo sermonem faciens Aristo. 14. problem. 1. dixit, omnem excessum aeris siue frigidum siue calidum, incommodare menti, & intelligentiæ. Vnde colligi potest, aerem tum nimium frigidum, tum nimium calidum, memoriam lædere, Sic etiam aer paludosus, crassus, lacustris. Et audiuistis alias, aerem Thraciæ producere ingenia admodũ tarda, & memorias valde imminutas. Somnus nimius. Et Gal. loc. cit. 3. de loc. aff. scribit, nimias vigilias, & labores memoriam perdere, vt ipse confirmat historijs quibusdam. Sic nimium exercere animum, & cogitationes, hebetat ingenium, & memoriam. Sicut enim nimia cessatio a studijs, & a meditationibus nocet memoriæ; sic contra nimium exercitium obest, nimia venus. Et lib. 2. de motu musc. ca 6. dicebat Gal. crapulas memoriam valde hebetare: cibi nimiũ frigidi, lactucæ, endiuiæ, & similium creberrimus vsus eã quoq; destruunt.

Narrat Arist. libro de mirab. ausc. & Vitruuius libro 8. esse quasdam aquas, quas si aliqui potent, immemores, & dementes fiunt. Sunt & medicamenta, quæ potata memoriam delent, vt cicuta, mandrag. papauer, & Simpl. in com. ad prædicamenta Arist. ca. de quantitate, narrat, milites Antonini Imperatoris dum Parthos oppugnarent amisisse memoriam omnium, ob vsum cuiusdam herbæ, quam deinde recuperarunt vsu poculi cuiusdam facti ex vino atque oleo commixti. Et hæ sunt causæ.

Nũ pueris, vel senibus magis memoria deficiat.

Circa quas est nonnihil difficultatis. Quia, vt audiuistis, Arist. scribit pueros, & senes minime memoria valere. Sed contra est Platonis sententia, qui in Timæo scribit, pueros maxime valere memoria. Et interpretes Platonis reddentes causam, dicunt pueros, quæcunque audiunt, magna voluptate, & magna cum admiratione suscipere, & propterea, cum tenaciter animis ipsorum insigantur, fit, vt illa teneant memoria.

Præterea magnus Auenz. lib. 1. tr. 9. c. 16. scribit, senes magis offendi cogitatione, & discursu, quam memoria: quia pars anterior cerebri in senibus magis exsiccatur, ob fissuras ossium; & quia per nares aer attractus eam partem magis exsiccat. Cui Auenz. sententiæ videtur adstipulari Aris. qui 2. Polit. c. 7. dicebat, senum discursum senescere, quemadmodum corpus; adeo vt videatur contradictio inter Arist. Auenz. & Plat.

Pro cuius resolutione dicendum, pueritiam, & senectutem dupliciter considerari posse; Pueritia enim accipitur pro infantia aut proxima ætate adolescentiæ: Senectus vel pro viridi inchoante senectute, vel pro consummata, & decrepita ætate. Si pueritiam accipiamus pro adolescentia, vel ætate proxima adolescentiæ, certe hunc in modum pueri valde memoria valent; & de his loquebatur Plato. Si autem accipiatur pro ætate proxima infantiæ, sic pueri sunt obliuiosi; & de his loquebatur Arist.

Notandum est autem, locum illum Arist. male translatum fuisse ab Alcyoneo, qui vbi philosophus dicit, valde pueros, omisit particulam valde, & transtulit tantum pueros. Pariter dicendum est de senibus: Siquidem viridis senectus valet memoria: decrepiti autem, vt dicit Arist. sunt immemores: Quemadmodum pueri ob incrementum maximos motus in corpore, habent: sic decrepiti, ob ætatis decrementum, segnes motus habent, ita, vt memoria ipsorum fugacissima sit.

Signa memoriæ deperditæ.

Signa memoriæ deperditæ habentur tum a relatione ægri, tum ex obseruatione eorum, quæ ipsimet ægri dicunt: siquidem ex eorum sermone sagax Medicus potest facile colligere memoriæ iacturam, vel ob causas externas; vel propter quempiam alium morbum antecedentem.

Cognoscitur tum relatione ægri, & adstantium, tum maxime signis eorum morborum, qui memoriæ detrimentum pepererunt. Si fiat a pituita, cognoscetis copiosissimo, & frequenti sputo, temperatura, ętate, ratione victus anteacta: veluti si victitarint ęgri ijs cibis, qui pituitã producunt. Si fiat a melancholia cognoscens similiter ex ętate, complexione, vita anteacta, colore corporis nigro, vel subnigro. Pręterea cognoscetis timore, & mestitia.

Memoria, vt scribit Plin. lib. 7. c. 24. est bonum maxime necessarium vitę, sed est & res fragilissima, vt ruinas ingẽtes patiatur a varijs, & diuersis casibus, quę aũt accidit memorię iactura, vel a natiuitate, vel propter ętatẽ senilem, omnino incurabilis est. Et quanquã antiquo tẽpore Simonides Medicus, & Hermodorus Septius, Raymundus Lullius, & Arnoldus Villanouanus nostris temporibus, artem fecerint memoriam recuperandi, & acquirendi: nihilominus merę nugę sunt. Quoniam, qui hanc artem docebant, prę supposuerunt optimam memoriam.

Prognostica.

Hipp. 1. prorrhet. scribit, id quod verissimum est: nempe in omni morbo obliuionem perniciosissimam esse. Scribunt Auic. Rases ex sententia Rufi, & etiam Aetius obliuionem repente incolumi existente corpore contingentem significare futuram Epilepsiam, id quod etiam aliquo pacto significatum habetis in lib. de Coacis, prę not. vbi scribit, si contingat capitis grauitas, tinnitus aurium, tenebricola vertigo, vocis tarditas, & manuum stupor, expectandam esse vel apoplexiam, vel epilepsiam, vel memorię amissionem.

Vt au-

Curatio.

Vt autem recte instituatur curatio, primum omnium videre oportet, vtrum fiat tantum a frigiditate, an ab humiditate, an ab vtraque. Si a frigiditate, calefaciendum est: si ab humiditate, exsiccandum caput; si ab vtraque simul, calefaciendum, & exsiccandum, id quod faciebat Archig. in omni memorię lęsione, vt docuit Galen. 3. de loc. aff. 5.

Diæta.

Ceterum, quodcunque agendum sit, recta victus ratio maxime necessaria est, siquidē, vt dicebat Plato in Timæo, & Galen. in lib. de cibis boni, & mali succi; tria sunt, quę non tātum ad corporis tutelam necessaria sunt: verumetiam ad conformanda, & componenda hominum ingenia, scilicet disciplina, consuetudo, & educatio. Itaque primū eligēdus est aer temperatus. quoniam, vt scribit Philosophus 14 problē. & Hip. cap. 2. lib. de aere, aquis, & locis, aer temperatus est auctor intellectus, & memoriæ, quare Athenæ fuerunt feracissimæ ingeniorum, propter illius aeris temperaturam.

Quod si aer in curanda memoria excedere debet, potius calidus sit, necesse est Et hoc est, qđ dicit Arist. 6. problem. penul. habitationes plagarum calidarū magis valere intelligentia & sapientia quam septentrionales. Moderate dormiendum, & vigilandum, moderate exercēdum corpus. Et quia dicit Arist. lib. de mem. & rem. meditationes conseruare memoriā, semper aliquid meditari oportet; quoniam vsus est memoriæ magister, vt ille dicit. Abstinendum a Venere, & crapula, & omni satietate. Nam dicit Aristoteles loca citato homines mane magis recordari, quam alio tempore, quoniam tunc corpora magis exinanita sunt.

Vini vtilitas.

Cibi debent esse exsiccantes, & calefacientes, vina potius odorata, suauia, ac tenuia conueniunt, his enim inquit Rufus apud Aetium anima mansuefit, lętatur, &, vt dicebat Zenon, dulcescit, perinde ac lupinus aqua, & summatim ea victus ratio seruanda est, quā proponit Actuarius lib. illo vtilissimo de spiritibus animalibus, vbi nihil reliquit, quod pertineat ad institutionem victus pro memoria, & ingenio.

Instituto victu, cogitandum est, vtrum intemperies, quæ lædit memoriam, sit cōiuncta cū humiditate, an seiuncta qa si sit, siue sint humores melancholici, siue pituitosi, eos præparare oportet, & deinde pręparatos expurgare. Et quoniam sæpe docui vos, quomodo sint præparādi, & expurgandi, inutile esset, eadem repetere.

A purgātibus violētis cauendum.

Illud scire debetis, in huiusmodi casibus semper eligenda esse medicamenta leuia, & quæ neque cerebrum, neque spiritus perturbent; Vnde a scammoniatis, colocynth. a peplio, & similibus abstinendum est.

Postea purgādum est caput errhinis, sternutatorijs, masticat. Quorum frequenti vsui potius quam magnitudini, aut efficaciæ incumbendum est, siquidē spiritus animæ princip. functionibus inseruientes, ij sunt, qui minime asperitate, aut vi, sed leniter, atq; blande tractari volunt.

Iuuat quoque in his casibus vsus cauteriorum. Quia vbi abūdāt humores in cerebro, necessum est eos euacuare paulatim, & deflectere a cerebro. Sed aduertite, sicut laudo cauteriū in brachijs, sic me illud damnare in occipite, q2 ille locus est sedes memoriæ, & perniciosum est, euacuare totum caput per partem affectam.

Si intemperies sit ab humoribus separata, pugnādum est aduersus eam remedijs externis, & internis. Inter externa est capitis lotio, quæ fieri potest hoc modo.

Lotio capitis.

℞. Vini odorati lib. xx.
Fol. Stœch.
Beton.
Maior.
Saluiæ an. M. ij.
Calami aromatici ℥. iij.
Agar. electi ℥. ß.
Cinnamom.
Cyperi.
Caryoph. an. ℥. ß. Bulliant simul ad consumptionem quintæ partis, & deinde colatura facta abluatur caput.

Inunctiones.

Sed notandum, vt huiusmodi lauacrum possit efficacius esse, oportet prius lauare caput lixiuio communi, scilicet vt antea omnis, sordities eluatur. Post lauacrum ex vino laudantur inunctiones, veluti est inūctio temporū, ex succo expresso a nuce myristica, quod ol. nucis moschatæ appellant. Simeon Sethi auctor Græcus in lib. de diæta, laudat pro memoria, vt fel perdicis illinatur temporibus, semel in mense.

Intrinsecus complura proponūtur a Medicis, quæ tum manifesta, tum arcana qualitate cōferunt memoriæ. Auicen. & Arabes omnes, imo vero plerique Græci recentiores commēdāt confect. anacardinam, quā ignorarunt Gal. & Diosc. apud quos Anacardus arbor ignota fuit. Notate hic, non in omni memoriæ labe huiusmodi confectionem esse exhibendam, sed in illis tantummodo, quorum caput maxime repletum est frigidis, ac crassis humoribus; cum enim valenter exsiccet, atque calefaciat, nisi in capite humores inueniat, in quos facultatē suam exercere possit, sane cerebri substantiam destruit.

Laudatur etiam Ther. Mithridatium, confectio diambra, diamoschus dulcis, & summatim omnes illæ confectiones, quę vim habent calefaciendi, & exsiccandi. Acorus melle cōditus putatur conseruare memoriam a proprietate, sic etiam cerebrum gallinæ comestum, Semen ormini, eboris limaturæ. Atque hæc de memoria amissa.

Sequuntur

Sequutur vitia pertinentia ad facultatem motricem, quæ preclar ssimã con emplationem habent, tum in parte theorica, tum in parte practica. Act ones huius facultatis tripliciter lædũtur, quemadmodum omnes aliæ actiones. Vel enim abolētur, vel deprauantur, vel imminuũtur. Agam autem prius de abolita motione, cuius vitia etsi plura sunt, præcipuum tamen est apoplexia.

CAPVT XIX.

De Apoplexia.

IN qua tametsi aliæ cunctæ operationes animę fiunt sublatę: attamen modus est, qui prius aufertur, & qui posterius recuperatur: et præterea Gal. persæpe in locis, & præsertim lib. de diff. sympt. ca. 5. atque A ist. 11. sect. proble. 30. reponitur inter motus abolitos.

Nomen. Dicitur itaque apoplexia: Latini sæpe vtuntur vocabulo Græco. Aliqui siderationem, alij percussionem. Celsus l b. 3. ca. 27 vocat morbum attonitum, & apoplecticos attonitos. Est itaque hic affectus, vt docet Gal. 2 aphor. 42. & post Gal. alij Græci, est inquam, in quo homines statim iacent sine sensu, & motu, tanquam mortui. Auicen. autem prima tert. j tract. 5. ca. 12. definiebat apoplexiam esse otiositatem membrorũ a sensu, & a motu, ex obstructione in vētriculis cerebri, & cursibus spiritus animalis, & sensibilis. Nam si essẽtiã huius spectemus, certe est subita priuatio sensus, & motus, in quo differt ab Epilepsia. Quia, tametsi vterque hic affectus fiat in eod. loco, & ab ead. materie: attamen, vt colligere licet ex Gal. 2 aph. 45. in epilepsia nõ ex toto ablatus est motus, sed dumtaxat vitiatus: et vberius disputabo de Epilepsia. Dixit Auic. ex obstructione cerebri atque etiam viarum spirituum, quoniã omnes hæ particulæ pertinent ad explicationem causarum efficientium apoplexiam. Nã scribit Gal. 4. de diff. puls. cap. 9. in definiendis rebus, quarum essentia est in fieri, semper debere apponi causas efficientes, quoniam essentia ipsarum dependet ab his. Ex hac itaque descriptione vniuscuiusque perspectum esse potest, esse apoplexiam symptoma in genere actionum principũ cerebri perditarum. Locus affectus secundum Arist. 1. probl. 6. est cor, nam secundum contextum antiquum, quem secutus est Petrus Apoonensis, Arist. voluit, fieri apoplexiam, quãdo humor frigore concrescit in corde. Quod forsan vulgus intell git quando dicit eccidisse guttam: quasi vi dicit Arist. delabatur humor in cor, & ibi cõcrescat. Gal. autem, Hipp. & omnes Medici dixerunt, locum affectum esse cerebrum, atque illud non solum secundum cauitates maiores, vt secundum ventriculos, verum etiam secundum poros, & cauernas substantiæ cerebri minores: quas intellexit Auic qñ dixit, fieri obstructiones in cursibus spirituum animalium.

Definitio.

Genus symptomatis.

Locus affectus.

Cerebrum autem est locus affectus in apoplexia, nõ solum, vt pars instrumentalis, verũ et tanquam pars similaris: siquidem intemperies frigida, & humida est, præsertim ille morbus similaris, à quo afficitur cerebrum, quæ intemperies potissimũ fit ab humoribus, qui sunt pituitosi, melancholici, viscidi, & crassi. Vnde non possum satis mirari eruditissimum Fernelium, qui nulla pene ratione adductus negauit apoplexiam fieri ab humore melanchol co: cũ tamẽ nõ solum H ppoc. & Gale. verumetiam Arist. quem ipse sectatus est, 30. sect. probl. 1. manifeste prodiderit apoplexiam fieri etiam ab humore melancholico naturali.

Etsi dixerim morbũ quo in apoplexia afficitur cerebrum, esse intemperiem: attamen non est ita res accipienda, quasi immediate fiat apoplexia ab vna intemperie, quandoquidem Gal. 3. de sympt. cau. s. vlt. circa finẽ, probat apoplexiam non fieri ab intemperie quoniam sub ito fit cum intemperies tempore cõtrahatur. Quare morbus, a quo immediate fit apoplexia, est in otibus in via, nempe occlusio ventriculorum, & cauernarum cerebri, quæ interdum et fit ob cõpressionem, & cõpressio vel ab aliquo apostemate, vel praua aliqua qualitate: aut fit a materia peregrina opplente, & cauernas, & ventriculos cerebri. Hæc autem materia potest quidem interdum esse flatuosa, sed in apoplexia semper est humorosa, & corpulenta.

A quo morbo depẽdeat hic affectus.

A quo humore.

Cum vero hu ores sint diuersi, qui possunt expellere spiritus à vētriculis cerebri, & meatus opplere, Gal. & Galenum fere omnes sectati, determinarunt hanc rem hũc in modum, sc. licet quod frequentissime materia replens cerebri cauitates sit pituita frigida, & crassa; quod habetis a G l. 3. de loc, aff 7. de sympt cau. s. vlt. & 6. aphor. 56. nec non et am 3. aph. 42. Hanc autem pituitam puto eam esse, quam Hipoc. in lib. de intern. passionibus vocauit Epidemicam, siue Epidemiam.

Post pituitam secundo loco apoplexiam facit sanguis, sed rarius: vt est apud Gale. lib. de cu rat. per sang. miss. cap. 15. Tertio melancholia, sed rarissime omnium humorum, atque hoc ex plicat Gal. 6. aphor. 57 quo in loco scribit Hipp. apoplexiam fieri a 40. vsque ad 60. annũ. Auic. prima tertij tr. 5. cap 12. voluit apoplexiã fieri posse quoque a bile. Sed si bilem putant intelligat, certe longe fallitur, quoniã in cerebro frigidissimo nõ potest colligi tanta bilis, vt oppleat cauernas et us, quippe bilis, vt alias audiuistis, facile a corporibus foraminulentis, & spongiosis e halitur. Sed si pro bile intelligat sanguinem aut pituitam bili commistos, eius sententia tue r p ssumus.

Num a bile possit fieri apoplexia.

Cardanus notatur.

In hac tractatione humorum facientium apoplexiam dixi, Fern. errasse, cum credit melancholia fieri non posse apoplexiam. Sed multo maius peccatum commisit Cardanus ferocis, & impo-

impotentis ingenij vir, qui in com. ad aph. 47. sect. 6. immanis. debacchatus est aduersus Gal. & eius sectatores. Nam cum Gal. asseruisset ex Hipp. sententia, apoplexiam raro fieri a melancholia, ipse contra probare conatus est, omnes hactenus errasse, & praesertim Gal. & eius sectatores, quasi apoplexia onnquam fiat a pituita, nec ab alio humore, quam a melancholico. Et videte, queso, ingeniorum varietatem. Fern. negat vnquam fieri apoplexiam a melancholia; Cardanus probat a sola melancholia fieri. Et quia hic vir pluribus argumentis vsus est aduersus Gal. nonnulla potiora seligam, inter quae primum est illud, apoplexiam esse morbum sæuissimũ, & ideo fieri etiã debere ab humore deterrimo, vt est melancholia. Secundũ est pueros abundare pituita, & tamen tentari epilepsia, quæ fit a pituita, non autem apoplexia, quæ si produceretur a pituita, æquum esset, pueros ab ea tentari. Tertium, decrepitos, id est, post 60. annum non tentari apoplexia: & tamen maxime abundare pituita. Quartum est, quod si apoplexia fieret a pituita, necesse esset, vt semper apoplexiam præcederet grauedo, quod minime vsu compertum est. Quintum sumitur ex auctoritate Pauli, qui lib. 3. c. 18. tradens signa apoplexiæ, fere cuncta ea signa potius melancholiam, & pituitam indicare videntur. Sextum, si apoplexia fieret a pituita, supervacaneum esset, sanguinem mittere, tum, quia pituita est humor frigidus, tum, quia est extra venas. Vnde cum Medici passim adhibeant in curatione apoplexiæ sanguinis missionem, videtur ea non fieri a pituita. Septimum, si fieret apoplexia a pituita, deberent alleuari ægri, quoties pituita per palatum vel nares in paroxysmis egreditur, quod cum comperiatur non euenire, videtur colligendum esse, nequaquam fieri a pituita. His & alijs rationibus vtitur, vt hanc vetustissimam, & receptissimam de materia apoplexiæ opinionem destruat.

Card. argu. primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Sed, præterquam quod, & ab Hippo & ab omnibus pene hoc dogma confirmatum habetur, est & ratio: quia humor melancholicus in nostro corpore, vt alias docui, semper minime omnium aliorum humorum exuberat, & tanto minus in capite. Vnde propter sui contrarietatem ad omnes facultates facile a natura depellitur, vt non possit copiosius congregari. Sed quia cerebrum, vt dicit Hip. lib. de glandulis, est metropolis pituitæ, rationi consentaneum est, hãc vnam materiam posse ita copiosam coaceruari in ipso, vt omnes illius cauernas oppleat. Nec Cardani rationes multi faciendæ sunt. Quia tametsi referant aliquam ingenij imaginem, tamen, si expẽdantur, infirmissimæ sunt. Nam prima ratio nihil valet, quia vehementissimus, & deterrimus morbus non solum fit ob melancholiæ prauitatem, sed, vt est 4. & 6. meth. fit etiam morbus magnus ob præstantiam affectæ partis; vt verum quidem sit, apoplexiam esse morbum deterrimũ; sed propter partis excellentiam, non propter humorum prauitatem.

Refutatio argumentorum Cardani.

Cur autem pueri non tententur apoplexia, duplex est ratio. 1. quoniam facultatem expultricem robustissimam habent, adeo vt nõ permittat facultas cerebri puerorum eam copiose coaceruari. 2. quoniam multa emissaria habent pueri, per quæ cerebrum euacuetur; scilicet aures, oculos, nares, palatum, atque ipsam capitis cutem. Sic etiam dicendum est de ætate prouecta. Nam, vt scribit Hip. senes iunioribus ægrotant minus, eo, quia, vt dicit Gal. sunt prudentiores in victu. Vnde facile effugiunt hunc morbum; præterquam quod pituita, quæ colligitur in ipsis, salsa est, & ob salsedinem continuo stimulat naturam ad sui expulsionem.

Neque necessarium est grauedinem siue Coryzam antecedere, nugæ sunt, quemadmodum etiam insomnium est de Paulo Aegineta, quippe qui signa promiscua proponit, non minus pituitam, quam melancholiam attestantia. Quod si mittitur sanguis, non est ratione humoris peccantis, quia tantum mitteretur in apoplexia sanguinea, sed est gratia reuulsionis, quia sicut cucurbi. & frictiones adhibentur ad reuellendum, sic sanguinis missio propter reuulsionem in apoplexia adhibetur.

Quod postremo loco scribit Card. debere apoplexiam alleuari exitu pituitæ per nares, & palatum, nihil omnino cogit, siquidem tanta est copia pituitæ collectæ in cerebro, vt tota non possit contineri ab ipsius ventriculi, vnde effunditur in nares, & palatum. Igitur videre potestis, quã iniuste Card. criminatus fuerit Gal. & alios.

Causæ mediatæ sunt intemperamenta cerebri frigida, & humida, ætas senilis, nempe a 40. ad 60. annum. & Galenus in commen. aph. 5. lib. 3. dicit nullum morbum vsque adeo familiarem ætati senili existere, atque Apoplexiam. Est & habitus corporis, nimirum caput magnum, ceruix gracilis, & angusta. Ad hæc propẽsio ad somnum, pigrities sensuum. Porro, morbi & causæ omnes externæ, quas antea diximus perdere memoriam, eædem possunt reponi inter causas apoplexiæ externas. Cuius apoplexiæ Auerrh. 3. coll. vlt. duas fecit differentias: Vnam, quando ascensus spirituum animalium a corde ad cerebrum impeditur, arteriarum inter cerebrum, & cor obstructione: Aliam vero, in quo impeditur descensus spirituũ animalium a cerebro ad cor. Et sicut hæc differentia postrema est vere medica: ita prior differentia sapit potius peripateticam scholam: Cuius princeps Aristot. vt audiuistis, problem. section. 9. dixit, corde affecto oriri apoplexiam.

Causæ mediatæ apoplexiæ.

Externæ.

Differentiæ.

Ceterum Hip. lib. 2. aph. 42. duas, & ipse attulit apoplexiæ differentias, scilicet alteram fortem, alteram debilem. Galen. in illius explanatione 3. de loc. affect. cap. 7. apoplexiæ fortis tres gradus memoratu dignos nobis proposuit. 1. quando apoplectici ita priuati sunt respiratione: & addit Auicen. sine spuma, vt non videantur respirare.

Sed hunc locum aduertere debetis, fefellisse Fernelium, qui dixit in hoc primo gradu penitus auferri respirationem. Nam hæc pura infantia est, credere posse hominem contra philosophiã, & rationem, sine respiratione, viuere. Neque valet, quod mulieres vtero præfocatæ interdum

Fern. notatur.

videantur prorsus carere respiratione, quem affectum Heraclides apud Gal. 6. de loc. aff. & Empedocles appellarunt ἄπνουν, siue ἄπνοιαν, id est, abolitam respirationem; siquidem hoc minime verum est, sed dicuntur carere respiratione, & apoplectici, & præfocatæ, quia secundum sensum non respirant, sed secundum rei naturam, & rationem. Secundus gradus est, in quo fit quidem sensibilis respiratio, sed cum difficultate, & cum stertore. Addit Auicen. in hoc gradu etiam fieri spumam circa os. Tertius gradus est, quando fit respiratio sine difficultate, sine spuma, sed inæqualis. Et notat Auicen. nempe in hoc tertio gradu minime reijci per nares, quemadmodum reijcitur in secundo gradu.

Debilis apoplexia apud Hipp. vt explicat Gal. 2. aph. 42. est illa, in qua respiratio non solum facilis est, verumetiam æqualis. Sed quæri potest, qua de causa Gal. distinxerit gradus apoplexię, secundum mensuram, & conditionem respirationis.

Huius rei duplex afferri potest ratio: prima, morbos, & præsertim acutos, mensurari secundum mensuram periculi vitæ. Sed quia maxima vis periculi est in respiratione, hinc fit, vt iure Galen. secundum respirationis gradus apoplexiam proposuerit. Secunda ratio est significata ab Auerrho. 3. col. vltim. vbi scribit, in apoplexia solam respirationem inter corporis actiones conseruari, vt ob hoc Galen. non aliam actionem habuerit, qua potuerit gradus ipsius apoplexiæ discriminare.

Cur sola respiratio in apoplexia seruetur.

Ceterum, quæ sit ratio propter quã sola respiratio in apoplexia seruetur, locupletissime propositum est a Gal. eodem lib. aphor. vbi scribit, in apoplexia omnes alios musculos otiari, & solos musculos thoracis operari; atque huiusmodi musculos in duobus casibus omnes operari; scilicet in magnis corporis exercitationibus, nec non etiam in apoplexia. In magnis exercitationibus operantur omnes thoracis musculi, quoniam maxima adest necessitas attrahendi aerẽ frigidum, propter insignem æstum. In apoplexia vero operantur omnes musculi propter facultatem debilitatam, quia cum facultas motrix exigua mittatur in apoplexia ad musculos, necesse est, vt suppleat multitudo musculorum mouentium thoracem.

Obiectio.

Sed quomodo fieri potest, vt facultas vllo pacto mittatur in musculos thoracis, quãdoquidẽ facultas motrix, & sensibilis mittitur a cerebro per spiritus vsque ad spinalẽ medullam, & a spinali medulla propagatur in vniuersum corpus instar lucis, siue radiorum, si obstructæ sunt omnes viæ spirituum in apoplexia, vt alias docui, non videtur vllo pacto spiritus posse transire ad spinalem medullam; & consequenter nulla facultas communicatur.

Dicendum, naturam in huiusmodi necessitatibus vias arcanas, & expeditas sibi reperire, per quas transmittitur aliquid facultatis. Vel, dicendum est, respirationem esse actionem partim voluntariam, partim naturalem: in apoplexia seruatur respiratio, quatenus est actio naturalis, id est, actio facta a motu cordis, quem sequitur thorax: vnde nõ est necesse, vt facultas animalis semper mittatur. Nam animalia in somno respirant, & valde respirant, attamen in somno imaginatio, & voluntaria motrix facultas maxime feriantur, vt in hoc casu ad respirationem edendam multo magis concurrat facultas cordis naturalis, quam facultas cerebri animalis.

Signa.

Signa apoplexię alia sunt distinctiua, alia diagnostica, alia prognostica. Distinctiua necessaria sunt cognitu: quandoquidem complures affectiones præternaturales assimilantur apoplexiæ.

Apoplexia quomodo differat a lethargo.

Itaque primo distinguitur apoplexia a Lethargo: quoniam lethargici febricitant, respondent interdum vocati, non amiserunt prorsus sensum, & motum, & vel dormiunt, vel proni sunt ad dormiendum: apoplectici vero sine febre sunt, etsi acutissime, vel vt sic dicam, peracute; quoniam humor nullus in ipsis putrescit. Præterea quantumcunque vocentur, non respondẽt, prorsus sine motu, & sine sensu sunt, neque dormiunt.

Ab epilepsia.

Distinguitur ab epilepsia; quoniam, vt docuit Galen. 2. aph 45. etsi materia, & locus affectus sit idem: attamen in epilepsia est motus deprauatus, nempe conuulsio; in apoplexia aut nullus est motus, aut quam rarissima est conuulsio rarissima: quia non solum Arabes, sed etiam Gal. existimarunt, quandoque apoplexiam fieri cum aliqua conuulsione. Ad hæc epileptici euadũt a morbo integri: apoplectici nunquam fere liberantur ab accessione absque alia resolutione, siue paralysi. Vnde non solum Diocles, & Praxagoras, vt testatur Cel. Aurel. verum etiam Gal. lib. de diff. sympt. c. 3. & lib. 2. de caus. sympt. c. 1. dixerunt, apoplexiam esse paralysin totius corporis, vel capitis.

A præfocatione vteri.

Distinguitur a præfocatione vteri, quoniam præfocatæ ante accessionem semper habent aliquas vteri querelas, & dum sunt in accessione, audiunt, intelligunt, & recordantur: apoplectici vero nihil intelligunt, nihil audiunt, nullius recordantur.

A caro, & catalepsi.

Distinguitur a caro, & catalepsi, quia in his affectibus nulla adest respirationis difficultas, nulla hypochondriorum tensio, sequuntur febres, & alios morbos, vt plurimum, nec desinunt in paralysin: contra autem apoplectici difficulter respirant, euadunt paralytici.

Signa diagnostica.

Ex his itaque distinctiuis signis, iam colligere licet, aliud signorum genus, quæ passionem ipsam præsentem demonstrant, quorũ alia demonstrant genus, alia species. Signa genus demonstrantia ponit Rasis, dum ait. Cum aliquis quasi dormiens, &c. Qui enim hac affectione laborant, vt Galenus, Auicennas, & omnes communi ore fatentur, omni motu, omni sensu carent, tanquam mortui viuunt, & oculis clausis instar dormientium decumbunt, læditur quoq; spiratio. Hipp. 4. de acut. 25 posuit multa alia signa, sed quoniam partim a nobis iam supra sunt exposita, partim non pertinent ad veram apoplexiam, dimitto. Signa autem species demonstrantia, vel demonstrant eã, quæ fit ex coarctatione, siue clausione, & sunt causæ omnes primitiuæ,

quas

quas latius nunc exposui, vel eam quæ fit ex oppilatione. Rursum quæ monstrant factam ex oppilatione, vel factam ostendunt ex apostemate, vel sine apostemate. Signa factæ ab apostemate sunt signa, quæ indicant inflammationem, & apostema, vt dolor præcedens magnus, pulsus durus, & tensus, faciei tumor, arteriarũ capitis pulsatio. Sed dicet aliquis, cur in hac apoplexiæ specie non fiunt febres, quæ solent esse comites perpetuæ omnium inflammationum? respondent nonnulli, idcirco non fieri, quia cũ in venis, & arterijs capitis sint oppilationes, non permittunt, vt vapores putridi ab inflammata parte eleuati cor petant, ac eius calorem augentes febrem inducant. Sed isti falluntur, quoniã non potest tanta fieri obstructio in venis, atque arterijs, quod protius impediatur transitus vaporum putridorum. Ratio igitur, cur non fiat est, quia morbus, vel interimit, priusquam possit cor accendi, ita vt faciat febrem, vel soluitur in paralysin, aut alio modo, ita quod humores noxij deponuntur priusquam possint putrescere, & febrem parere. Signa factæ absque apostemate, vel sunt facta a sanguine, & erunt color rubeus in facie, ac alijs corporis partibus, quandoque etiam viridis, atque niger. Est vero nigredinis huiusmodi causa quadruplex, vna mortificatio, & congelatio 2. adustio 3. spirituum resolutio, quibus sanguis orbatus niger fit 4. suffocatio, nam cum spiritus in cerebro nequeant ob oppilationem euentari, suffocantur, & ita sanguis niger euadit. Signa factæ a pituitosa materia, sunt color liuidus, sputorum copia, obtusio sensuum, oculorum humiditas lachrymosa. Signa melancholicæ, sunt ea, quæ de dolore capitis ex melancholia sunt dicta.

Et quia tanta est similitudo inter apoplecticos, & mortuos, vt interdum apoplectici sint elati ad sepulturam tanquam mortui, & cogniti a Medicis viuere, ingentem gloriam ipsis attulerint; quemadmodum de Asclepiade mandatum est memoriæ; propterea laborarunt Medici, vt docerent modos, quibus liceat apoplecticos a defunctis discernere. Sunt autem hi tres. Vnus est, vt tenuissimum gossipium accipiatur, & ori apoplectici apponatur, quod si moueri conspiciatur, signum est, ægrum viuere: si non moueatur, actum est de ipso. Secundus modus est, vt capiatur cyathus plenus aqua, & superponatur pectori apoplecticorum, qui cyathus si effundit, & spargit aquam, habetur pro argumento viuentis corporis; si autem non effunditur, signum est, ipsum interijsse. Tertius modus est, vt speculum apponatur ori ipsius, quod si inficitur, & madefit, signum est viuere apoplecticum; si non, interijsse.

Sed vtcunque sit, verissimum est illud Hipp. 2. aph. 42. scilicet fortem apoplexiam soluere esse impossibile; debilem vero non facile, quod Hippo. in sequenti aph. dixit, strangulatis, si circa os spuma fiat, amplius eos ad vitam non redire. Circa quod Hipp. scitu dignum est, qua ratione in apoplexia fiat spuma; & vtrum verum sit, apoplecticos nunquam viuere, si spuma circa os ipsorum fiat. Et quod pertinet ad generationem spumæ, sciendum est, spumam nihil aliud esse, nisi humiditatem multo spiritu plenam, & distentam: vnde cum in apoplexia impedita sit emissio fuliginum, & spiritus, fit, vt collectio magnam vim facultati expultrici pulmonum, & thoracis afferat, qua vi coacta facultas expultrix, magno nixu propellit, & spiritum, & vaporem circa os; vbi cum humiditate, & saliua commisti, eam extendentes ad formam spumæ deducunt, vt spumam fieri circa os sit indicium euidentissimum magni impedimenti circa partes spiritales, & consequenter magnæ violentiæ, quam patitur facultas expultrix tum pulmonum, tum maxime cordis. Vnde, cum cor nequeat vllam ingentem violentiam longo tempore sustinere, fit, vt iure merito spuma circa os in apoplexia sit exitialissimum signum.

Prognostica.

Quo in apoplexia fiat spuma.

Sed hac de re non leuis est dubitatio, quoniam, vt audiuistis, Hipp. vult semper strangulatos cum spuma interire. Contra autem Galen. in com. narrat, interdũ contingere, vt etiam illi, quibus fit spuma circa os, seruentur, id quod narrant fere omnes Arabes verũ esse. Et Rasis ex sententia cuiusdam Iudęi scribit, sancitum esse legibus, vt qui intereunt apoplexia, nunquam sepulturæ mandentur, nisi post septuaginta duas horas, id est, post tres dies, & tres noctes. Concil. different. 185. reddens causam, propter quam decretum esset, vt nõ sepeliantur, nisi post tres dies, inquit, hoc ideo factum esse, quoniam hoc tempore quilibet humor perficit suum motum, siue sit sanguis, siue bilis, siue pituita, siue melancholia. Et addit bonus hic auctor, Christum voluisse resuscitare Lazarũ post quartum diem, vt scilicet expectato fine cuiuslibet humoris, adimeret occasionem omnibus, & Philosophis, & Mathematicis, & Medicis, quo minus causam resurrectionis Lazari tribuerent aut vlli humorum motui, aut vlli alteri causæ naturali.

Difficultas.

Præter ea, quæ audiuistis scripta a Concil. differentia 182. Gentilis, & Arnoldus testati sunt, se vidisse, quod apoplectici cum spuma seruati sunt, id quoque cõfirmatum habetis ab Auicenna 3. tertij, tr. 5 cap. 12. Pro solutione huius contrarietatis quidam grauissimi Medici dixerunt, aliud esse puram spumam, aliud esse corpus spumosum. Quoties spuma apparet, dicunt isti, nunquam seruari apoplecticos, & de his loqui Hipp. quando vero non pura spuma, sed corpus spumosum apparet, tunc seruantur interdum apoplectici: & de his sermonem fecisse ceteros.

Concil. quorundam.

Sed hæc responsio etsi speciosa videatur: minime tamen firma est, quia Auic. non scribit, seruatos esse, quibus apparuerit corpus spumosum, sed quibus facta est spuma circa os, Igitur satius est, dicere sententiam Hipp. veram esse, vt in pluribus.

Resolutio auctoris.

Sed dicat aliquis, quomodo igitur Hippo. scribit, impossibile esse seruari eos, quibus apparet spuma; vera sententiæ Hippo. intelligentia est, seruari posse apoplecticos dupliciter intelligendũ, vel ita, vt redeant ad integram sanitatem, vel vt redeant ad sanitatem; quamuis si primo modo intelligatur, impossibile est, vt quibus apparet spuma circa os, redeant ad perfectam sanitatẽ: & ratio est, quoniam semper apoplectici huiusmodi si seruantur, remanent paralytici, vel secundũ

Obiectio.

F 2 mentem,

mentem, vel secundum corpus, vel secundum vtrumque. Et sic intelligendus est Hippoc. Nam vbi seruantur cum paralysi alicuius partis, non dicuntur ab Hippo. redire; quia non redeunt ad antiquam sanitatem.

Secundus gradus apoplexiæ difficilis admodum solutu est: Et duplex huius rei causa affertur a Galeno, tum lib. 2. de motu musc. tum 6. aph 51. quibus in locis duas affert causas, propter quas secūdus gradus apoplexiæ, qui fit cum spuma, & cum stertore, difficilis curatu est. Vnam, quia signum est, facultatem neruorum admodum imbecillam esse. Alteram, quia stertor est argumentum maximi impedimenti circa fauces, nares, & membra spiritalia, ita vt multus spiritus, qui expiratur, non nisi difficultate, & impetu queat exire.

Stertor cur malū signū.

Prognostica salutaria.

Prognostica salutaria apoplexiæ tria sunt. Vnum est, in apoplexia seruari eos, quibus incipit apparere aliqua paralysis. Vtrum autem appareat frequentius in brachio sinistro, an in dextro, disputatum habetis apud Concil. diff. 183 apud quem nonnulli leguntur, qui arbitrati sunt, magis paralysin apparere circa dextras partes, duabus de causis, primo, quia partes sinistræ semper magis obstructæ sunt dextris, Vnde fit, vt materia propellatur facilius in dextras, tanquam magis vacuas. 2. quia partes dextræ magis mouentur, & consequenter humores peccantes in se trahunt. Sed nugæ sunt; quoniam paralysis post apoplexiam efficitur modo in hac, modo in illa parte, prout vna vel altera magis disposita est ad recipiendam materiam.

Alterum prognosticum salutare est, eos seruari, qui in apoplexia incipiunt deglutire. Et hoc signum proprium est, & confirmatum ab Auic.

Tertium signum sanitatis est, quando e naribus exit sanguis, vel sanies, vel mucus.

Sed aduertere debetis, huiusmodi prognostica non esse necessario vera; quoniam sæpe apoplectici etiam cum huiusmodi signis extinguuntur; verumtamen hoc sciunt hæc signa, quod ostendunt spem aliquam esse salutis. Cæl. Aurel. lib. 3. acut. c. 5. notat Fortium hominum faciles esse curationes (sic. n. legendum esse apud Cælium omnis ratio suadet) debiles siquidem oppressionibus magis superantur, atque maiora adiutoria minime ferre possunt, & propterea senes, mulieres, & tabidi fere omnes intereunt.

Curatio.

Curatio. De curatione diligentissime disputatum est a Conciliatore diff. 182. nempe, vtrum Medicus debeat statim aggredi curationem apoplexiæ, an expectare per 72. horas: in quo spacio audiuistis apoplecticos reuiuiscere posse. Sed quantum ego puto, huiusmodi disputatio superuacanea est, quia si morbus hic acutiss. est, dicit Hipp. in huiusmodi morbis, si quid mouendum est, initio debere moueri. Vnde puto ego curationem esse aggrediendam statim, quoniam in celeritate medicationis tota vis salutis est posita.

Curatio autem tota suscipienda est a natura morbi intellecta. Nam cum apoplexia fiat ob cauernarum cerebri obstructionem, ratio contrariorum postulat, vt huiusmodi cauernæ liberentur ab obstructione. Et cum obstructio fiat vel a compressione, vel a repletione, si compressio facta sit ob aliquod apostema comprimens ventriculos cerebri, tota curatio dirigi debet ad illud apostema. Si a causa externa, vel a praua qualitate, omnis huiusmodi causa est adimenda.

Ceterum, si fiat obstructio a materia replēte, oportet vt ea materia inde tollatur. Hoc autem fit, vel si moueatur ab eo loco materia, vel si in eodem loco dissipetur. Quæ mouentur de loco ad locum, vt audiuistis apud Arist. 7. phys. mouentur vel tractione, vel impulsione. Itaque in curatione apoplexiæ opus est trahere a cerebro, impellere, & dissipare.

Modus procedendi in praxi.

Materia auxiliorum & trahentium, impellentium, & dissipantium copiosa est, & varia. Sed vt artem practicandi in hac ægritudine expeditam, & ordinatam possideatis, quamprimum vobis offeretur apoplecticus curandus, statim debetis materiam trahere, quod huiusmodi opus sit minus difficile. Vnde statim erunt adhibendæ frictiones validissimæ, & asperrimæ: ligaturæ robustissimæ, nec non cucurbitulæ magnæ ignitæ, & non scarificatæ, tum dorso, tum lumbis, tum naribus. Post adhibendi sunt clysteres, & glandes acerrimæ, quæ cum opus habeant aliquo tempore, interim licebit adhibere præscripta remedia. Clysteres sunt huiusmodi.

Clysteris formula.

℞. Carthami.
Fol. sennæ an. ℥. ß.
Colocynth. ʒ. iij.
Fol. cent. M. j.
Rutæ M. j. ß. f. decoctio.

Deinde *℞. d. dec. lib. j. ß.*
Hieræ Archigenis ℥. ß.
Ol. rutacei. ℥ ß.
Salis gemmæ.
Nitri. an. ʒ ß. M. & f. clyster.

Glans autem accommodata est huiusmodi.

Suppositorium.

℞. Specierum Hieræ Pachij. ʒ. ij.
Helleb. vtriusque an. ℈. j.
Nitri. gr. vij.
Mellis. q. s. Misce, & f. suppositorium.

Sūt, quibus placet, in huiusmodi casibus immittere in anum pilulas graues, veluti Cocchias, aut de hiera Pachij, & in ano detinere. Facultas expultrix in apoplexia vsque adeo sopita est, vt indigeat ingentibus, & assiduis stimulis.

Præter

Venę sectio

Præter hæc inter auxilia trahentia est sanguinis missio. Nam hæc propterea trahere dicitur, quoniam vbi vasa aliqua sunt exinanita, natura ad replenda ea mittit materiam ab his locis, vbi est maior plenitudo. Sed de hoc auxilio variæ sunt sententiæ. Cels. lib. 3. cap. 26. vbi pauca de hac curatione locutus est dixit maximum omnium auxilium esse sanguinis missionem, quippe quæ vel statim seruet, vel statim iugulet: Gal. quoque 13. meth. 25. clariss. videtur commendasse in apoplexia sang. missionem, id quod etiam facere Aetius, Paul. & Mesus. Ceterum Aretæus scribit, sang. missionem in apoplexia esse auxilium valde anceps, quoniam si sanguis plusculum euacuetur, statim sequitur mors: Sin autem minus euacuetur quam conueniat, inutile & superuacaneum est hoc auxilium. Rases voluit sanguinem mittendum, ex duabus venis colli, vel ex duabus cephalicis, modo adsint sanguinis exuberantis notæ. Auicen. loc. cit. dixit in apoplexia sanguinea semper sanguinem esse mittendum: in pituitosa vero tantum mitti debere, quando apparent signa sanguinis. Ego vero in hac sentētiarū varietate puto id, quod video præceptum esse a Gal. loc. cit. nempe omnino in apoplexia mittendum esse sanguinem, modo ætas, vires, tempus, & regio permittant.

Tempus mittendi sanguinem.

Ceterum de tempore mittendi sanguinem non constat inter medicinæ professores. Cæl. Aurel. 3. de acut. 5. scribit mittendum esse sanguinem vel in remissione paroxysmi, vel in ortu primæ lucis: & adducit pro hac sententia duę rationes. 1. est, quia si mittatur sanguis, non in remissione, sed in vigore accessionis, periculum est, ne æger intereat in manibus Chirurgi, quod dedecus esset Medico. 2. quod in accessione sanguis veluti congelatus est, vnde etiamsi aperiatur vena, & aliquis sanguis exeat, tamen ab affecta parte non facile materia mittitur.

Sed pace Cælij, huiusmodi consilium inutile est, quia, vt audiuistis, hic morbus acutissimus est, & omnis spes salutis in celeritate sita est. Neque valet vlla ratio Cælij. Siquidem vbi prudēs, & occulatus est Medicus, minime periclitatur æger, vt moriatur in manibus Chirurgi. Et nugæ sunt, sanguinem in vigore congelatum esse: Est quidem illud verum, facultatem expulsiuam veluti dormitare; verumtamen non adeo sopita est, quin stimulata etiam expellat. Itaque statim deueniendum est ad huiusmodi auxilium.

Quę vena secanda.

Omnes fatentur, mittendum esse sanguinem a brachijs, vno excepto Rase; qui consuluit, vt mittatur a pede. Sed debet illius consummatissimi Medici sententia fideliter interpretari, scilicet, vt mittatur sanguis a pede, postquam fit minus a brachijs. De quibus Aretæus dicit, cogitandum esse, in quodnam brachium magis inclinet paralysis, & vbi hoc fit compertum, mittendum esse sanguinem a parte aduersa illi, quæ susceptura est paralysin. Sed huiusmodi consilium incertissimum est.

Cum igitur sanguis cito mittendus sit, neque possit initio cognosci, in qua parte sit futura paralysis, aliqui existimarunt indifferenter secandā esse venam sinistri cubiti, quasi in ea parte sanguis sit fluxibilior. Sed placet potius mihi vt semper sanguis mittatur a brachio dextro: & præsertim a vena cephalica, quia ex hac parte multo magis euacuatur totum corpus, quam ex vlla alia. Ad quantitatem quod spectat, Rases, & Auic. eum liberaliter extrahendum esse iudicant; Mesues quoque siue in sanguinea, siue in pituitosa, cōsulit, vt tantum sanguinis mittatur, quantum potest. Et certe hoc consilium probo. quoniam si per vacuum debet fieri humoris oppilantis attractio, quanto maius erit vacui spacium, tanto maior fiet attractio. Si non liceat aliqua ratione mittere sanguinem per venæ sectionem, confugiendum est ad cucurbitulas scarificatas, quæ applicātur prius natibus, & lumbis, deinde dorso, postremo etiam applicare solemus ceruici, siquidem ex ea parte fit magna attractio a cerebro.

Cucurbitulę scarificatę.

Pro attractione valent quoque medicamenta euacuātia. Sed quia difficulter apoplectici medicamenta sumere possunt, ideo solemus pilul. fortissimas componere, & in pauca quantitate exhibere, & in gulam violentia intrudere; cuiusmodi sunt hæ pilulæ.

Pil. fortis. in apoplex.

℞. Trochis. alhandal. gr. viij.
Trochis. Violarum cum scam. gr. vij.
Castorei gr. iiij.
Cum melle ros. sol. fiat pilula, & in os & gulam violenter mittatur.

Purgantia externa.

Vbi hoc fieri non potest, solemus tentare purgationem per medicamenta purgantia externa. Veteres, vt testatur Oribas. 7. collect. solebant præparare helleborum, vt purgaret adhibitus vmbilico, & pedibus. Sed nos priuati sumus hac felicitate, quia hanc pręparationem ignoramus. Fit vnguentum quoddam, quod vocatur de Arthanita, quod adhibitum vmbilico in aliquibus mouet aluum potentissime, in aliquibus est inefficax. Verumtamen & hoc, & helleborum album vmbilico exterius addere possumus, præter clysteres, & glandes iam ordinatas.

Vnguentum de Arthanita.

Vbi attractio non iuuat, deueniendum est ad impulsionem, hoc est, ad pellendam materiam e cauernis cerebri. Sternutatoria in hoc genere ponuntur: quæ motu illo & cōcussu humores auferunt a cerebro: Pro sternutatorio laudat Auicenna condysum, vos potestis vti hoc:

Sternutatorium.

℞. Helleb. albi ℈. j.
Sinapis ℈ ß.
Piperis albi gr. xij.
Castores gr. vij. Puluerizentur omnia, & misceantur.

Vsus est, vt hic puluis insuffletur in nates. Odoramēta ex musco, ex Gallia moschata sunt optima. Præterea ad pellēdam materiam solemus similiter vti capillorū euulsionibus. Nam ui illa, qua capilli manibus euelluntur, fit quoque depulsio humorū replentium cauernas cerebri,

valerer etiam in hoc genere vomitus. Sed fere impossibile est, apoplecticum ad vomitum cogere, nisi inclinata iam accessione.

Postremo deueniendum est ad dissipationem. Pro dissipatione fient inunctiones, cerata exēpli gratia, pro inunctione:

Linimentū.

℞. Ol. de euphorbio.
Ol. de piperibus an. ℥. iij.
Sinapis.
Euphorbij
Sulphuris viui an. ℈. ß.
Ceræ modicum. M. & f. linimentum, quod adhibetur commissuræ coronali derasæ.

Fiunt & cerata, vt est:

Ceratum.

℞. Cerati sacri, ℥. iiij.
Sinapis,
Euphorbij, an. ℥. iij. M. ad ignem, & extensum super corium apponatur commissuræ derasæ.

Vt magis violenter euellantur capilli, accipitur pix, & apponitur capiti, atque ita euulsa pice euelluntur pili. Neque miremini, quia veteres in balneis solebant euellere hoc modo pilos cum pice. Et hac de re sum locutus in 1. gymnasticæ.

Sartago ignita.

Rases, & plerique Arabes inter alia remedia, quæ adhibentur ad dissipandam materiam, solent vti sartagine ignita, nā accipitur huiusmodi sartago, & superponitur capillis, qui dum comburuntur, vim habent dissipandi, & consumendi humores cerebri. Sic etiam solemus vti cucurbitula magna ignita super coronalem commissuram. Incenduntur quoque, siue vruntur partes diuersæ capitis igne actuali. Et ad dissipandum afficamus quoque palato theriacam antiquam confect. anacardinam, Mithridaticam confectionem.

Antidoti magnę vsus

Neque Domini, ex vsu horum remediorū adeo calidorum timere debetis febrē, vt faciunt viles Medici, quoniam etsi ab his remedijs excitaretur febris: attamen maxime vtilis esset, quoniam febris hoc in casu est tanquam causa salubris. Hæc agenda sunt in accessione apoplexiæ.

Postquam autem accessio sedata est, quoniam solent paralytici fieri, non alio pacto curandi sunt, nisi quo pacto curantur paralytici. Et propterea congruum est, hoc loco de paralysi loqui, eo maxime, quoniam, vt scribit Aretæus & Galen. 3. prorrhet. 60. paralysis est eiusdem generis cum apoplexia.

CAPVT XX.

De Paralysi.

Nomen.

Habet hęc affectio diuersa nomina. Apud Græcos dicitur, παράλυσις, & παραπληξία, vt quarto, de acut. dicitur Paresis ab ipso symptomate, vt testatur Galenus secūdo, meth. Inuenio etiam apud veteres Medicos vocatam esse hanc affectionem Paraplexiam. Quanquam Galenus primo prorrh. 50. asserat Paraplexiam vsurpatam esse a plerisque Medicis pró apoplexia. Latini modo vocant Paralysim, modo resolutionem, modo resolutionem neruorum vt Celsus. Barbari vocant Paralysiam.

Definitio.

Est autem paralysis priuatio motus & sensus in aliqua parte, vel aliquibus partibus corporis.

Dicitur priuatio, quoniam vbi motus deprauatur, fit epilepsia; vbi diminnitur, fit torpor: vbi aufertur, fit paralysis. Et dicitur motus & sensus, quoniam sic locutus est Galen. 3. de loc. affe. 10. & primo, de sympt. cau. 5. Neque valet, quod Galenus alibi videatur solum meminisse vel motus, vel sensus: si quidem vera paralysis est illa, in qua amittitur sensus & motus. Quod si alter ex his tantum perdatur, minime vera paralysis est. Dixi primo motus: quia vere in paralysi primus est motus, qui amittitur. Additur sensus, quia vt testatur Auerrh. 3. coll. 31. sensus tactus patitur tria vitia: diminuitur, vt in stupore, deprauatur, vt in dolore, aufertur, vt in paralysi.

In paralysi & motū & sensum non fert.

Et cum dicitur sensus, intelligi semper debet tactus: quia hic per excellentiam appellatur sensus, eo, quod est character proprius animalis: cum animal per sensum tactus dicatur animal. Dicitur postremo in parte, vel partibus, ad differentiā apoplexiæ: quæ, vt audiuistis, est paralysis, siue resolutio totius corporis. Sed aduertere debetis circa sensus amissionem differentiam esse inter apoplexiam, & paralysin; quoniam in paralysi sensus tactus amittitur totus, vel saltem potest amitti totus & perfecte, in apoplexia non potest amitti perfecte. Et ratio est quia cū in apoplexia amittatur totus sensus corporis, si amitteretur perfecte, amitteretur vita, semper mortui essent apoplectici, quia tactus est character animalis viuentis. In paralysi secus est, quia cum sit resolutio non totius, sed partis, vel partium, potest homo viuere, etsi perfecte perdatur tactus alicuius partis. Est hic affectus in genere symptomatum actionis, scilicet motoriæ, & sensitoriæ læsæ. Et locus affectus nequaquam vnus est, sed modo cerebrum, modo spinalis medulla, modo regio ossis sacri, modo nerui partium resolutarum, aut ipsæ partes resolutæ. Est locus affectus cerebrum, quando tota dextra vel sinistra pars a vertice vsque ad pedem resoluta est. Est locus affectus spinalis medulla, quando pars dextra vel sinistra a capite vsque ad pedes resoluitur. Est os sacrum, vel eius regio, quādo ab ea regione ad pedem resoluta est aut dextra, aut sinistra

Genus symptomatis.
Locus affectus.

ſtra pars. Sunt & nerui partium, vel partes ipſæ locus affectus, quando ſolum illa pars, vel illæ partes ſunt reſolutæ. Exempli gratia dicit Hipp. in epid. cuidam reſolutum eſſe genu ſolum; interdum reſoluuntur modo ſola manus, modo ſolus pes, & ſic de reliquis; ſicut reſolutio fit tam in dextra, quam in ſiniſtra parte; ita nulla eſt pars externa particeps motus & ſenſus, quæ non ſit obnoxia paralyſi.

Sed de partibus internis dubitari poteſt, vtrum huiuſmodi partes ſint paralyſi ſubiectæ. Cæl. Aurel. libro ſecundo, de paſ. diutur. cap. primo, ſcribit nullum eſſe viſcus, quod non patiatur paralyſin. Et Herophilus dicere ſolebat, eos, qui ſubito moriuntur, perire, quoniam cor paralyſi capitur. Sed illud ſcire operæpretium eſt, partes, quæ occupantur paralyſi, non omnes eodem pacto affici, ſiquidem aliæ patiuntur relaxationem, in qua ſcilicet membra paralytica elongantur; alia vero patiuntur contractionem, quando ſcilicet propter paralyſin membra fiunt breuiora. Eraſiſtratus apud Cælium loco nuper citato mentionem facit cuiuſdam ſpeciei paralyſeos, in qua ambulantes repente ſiſtuntur; ita vt ambulare non poſſint, ſed paulisper retardati deinde ambulant, quod ſane a flatibus neruos diſtendentibus, & motum impedientibus efficitur.

Morbus a quo dependeat.

Veterinarij appellant hunc morbum in equis, il malo del tyro. Sunt porro, & ab vnaquaque parte læſa aliæ velut ſpecies, quas ſeriatim enumerare nimis longum eſſet (Morbus) quem ſequitur hoc ſymptoma, eſt tum intemperies, tum morbus in via. Intemperies in cerebro, frigida ſcilicet, & humida, facit paralyſin, quoniam producit ſuccos pituitoſos, & craſſos, qui deinde replent cauernas cerebri, & prohibent exitum facultatis ad membra. In ſpinali medulla morbus eſt in via, & intemperie. Sed ſicut morbus in via prohibet tranſitum facultatis ad infimas partes: ſic morbus in intemperie eſt in cauſa, vt non recipiatur illuſtratio facultatis, quemadmodũ recipi deberet. Idem dicendum eſt de partibus, quæ vel ipſæ, vel nerui ipſarum, vbi ſunt nimiũ refrigerati, aut etiam repleti, & craſſiores redditi, non recipiunt neque facultatem, neque vſum facultatis, vt decet. Sed hic dubitatio oritur, vtrum etiam intemperies calida poſſit facere ad generationem paralyſis. Nam Auenz. libro primo, tract. 10. cap. ſecundo, & Auerrho. 3. coll c. 21. manifeſte docent, etiam ab intemperie calida fieri paralyſin. Et Auerrh. vtitur hac ratione; quoniam quemadmodũ ſenſus perficitur a calore moderato: ſic ab omni immoderato calore corrumpitur. Sed longe errat Auerrh. ſiquidem proprium eſt calidi mouere; frigidi quietem inducere. Vnde cum in paralyſi ſit amiſſio motus, exigit ratio, vt nõ a calido, ſed a frigido fiat. Neque valet Auerrho. ratio, quia verum eſt, deſtrui ſiue corrumpi motum & ſenſum a calore immoderato: ſed alio genere corruptionis, quam in paralyſi. Nam in paralyſi aufertur, a calida intemperie deprauatur ſenſus, & motus potius. Quare ſi dicendum eſt, paralyſin fieri a calida cauſa, id dicere oportet, quod ſcribit Trall. libro primo, cap. 16. ſc. calidam cauſam facere paralyſin, quoniam comburit, & craſſefacit humores, qui deinde replent neruos, & principia neruorum, vnde efficitur paralyſis. Cauſæ internæ immediatæ paralyſis, vt ex his colligitur, ſunt humores, frigidi, craſſi, & viſcidi: vt ſunt pituitoſi. Alex. Trall. addit etiam humores melancholicos facere paralyſin; id quod neque ipſe nego. Verumtamen hoc rariſſime contingit, ſicut frequẽtiſ. fit ab humoribus frigidis, & pituitoſis. Fer. nouarum opinionum ſtudioſiſſimus putauit etiam ab humore bilioſo fieri paralyſin. Et in hanc opinionem deductus eſt ex eo, quod viderit interdum ex tertianis febribus factos eſſe ægros paralyticos, vt cum tertianæ fiant a bile, rationi cõſentaneum videtur, ſimiliter paralyſin in tertianis fieri. Sed deceptus eſt magnopere: quoniã bilis cum ſit humor calidus, acris, tenuis, & mobilis, neque ipſe facile ſiſtitur in aliqua parte, neque inducere poteſt quietem. Quod ſi in tertianis quãdoque efficitur paralyſis, ideo eſt, quia bilis tertianæ colliquat pituitam exuperantem in corpore, & eam colliquatam tempore rigoris depellit ad neruos, & paralyſin inducit, quemadmodũ ſcimus ex morbis acutis, qui fiunt a bile, interdum oboriri, & articulares morbos, & paralyſes, ſicut habetis apud Auicennam ſecũda tertij tract. primo, cap. ſecundo, & primo quarti, tract. ſecundo, cap. ſecũdo. Imo Auerrh. 7. col. cap. 31. narrat ſeſe ex morbo acuto tranſiuiſſe in morbũ articularẽ. Igitur, qua ratione ex morbis acutis fiũt reſolutiones, eadem quoque fiunt ex tertianis, vt propterea non debuerit Fernelius in hanc ſententiam deſcendere, quod paralyſis etiam fiat a bile, contra veterum Medicorum placitum. Cauſæ internæ, ſed mediatæ ſunt temperies corporis natiua, humida, & frigida ætas omnis, ſed maxime ſenilis, habitus corporis, quandoquidem, vbi corpus craſſum eſt, pigrum, & hebes, facile in paralyſin incidit. Morbi varij numerantur inter has cauſas, vt nuper dixi de morbis acutis: imo etiam colica paſſio ſolet producere paralyſes, vt habetis apud Paulam libro 3. cap. 43. & Auicenna 2. tertij, tract. de paralyſi. Apoſtemata etiam inter has cauſas numerantur, vulnera quoque. Inter cauſas externas primum numeratur aer frigidus, & humidus: regiones ſimiles, tempora anni. Vnde hyems, autumnus, & ver ſolent eſſe tempora admodũ feracia huius ægritudinis. Nimius ſomnus, nimium otium, exercitatio, ſiue conditio vitæ valde confert ad generationem huius mali: vnde fullones, & qui exercent artes in aquis; & metallis præſertim argenti viui, ſolent facile tentari neruorum reſolutione. Raſes ex ſententia Rufi inter has cauſas numerat quoque gaudium nimium. Et Auicenna addit, omnes affectus animi inopinatos poſſe neruorum reſolutionem inducere. Nimius coitus idem facit. Ebrietates quoque, vſus vinorum generoſorum. Galen. libro de cibis boni, & mali ſucci ſcribit, eos, qui vtuntur potibus frigidis, & niue aut glacie medicatis, tentari tum morbis articularibus, tum etiam conſequenter neruorum reſolutione. Circa has cauſas tria occurrunt pulcherrima probl.

Vtrum intẽperies calida faciat ad generationẽ paralyſis.

Cauſæ internæ immediatæ.

Fernelij error.

Mediatæ.

Cauſæ externæ.

manentia igitur musculus illius partis non potest partem ad se trahere, relinquit totam illam partem trahēdam musculo aduerso. Et hinc fit, vt pars sana tota in se trahatur, ac rugetur, & in ipsa affectus esse videatur, cum tamen sit in parte aduersa.

Signa.

Quod etiam euenire cōspicitur oculis; nam si pupilla in angulum vergat ampliorem, minoris anguli facta est resolutio, sin ad minorem e contrario. Et hæc responsio videtur eadem illi, quam adfert Gal. 4. de loc. affect. 2. vbi scribit, quod partes resolutæ, cum sint priuatæ animali facultate relaxantur, Oppositæ vero, quæ sanæ sunt, ac animali facultate præditæ, proprium munus perficiunt, & præsertim musculi, qui cum operantur ad suum principium seipsos contrahunt, & propterea oppositum ad se trahunt.

Futura.

Cognoscitur futura paralysis, eo pacto, quo dixi cognosci apoplexiam. Nā, vbi aliqua pars resoluenda est, percipitur grauis, stupida, frigida; pulsus arteriarum in illa pusillus est, emaciatus pars illa. Adhæc docet Gal. quandoque paralysin pręcognosci ex insomnis; qui scribit lib. de præcogn. ex insomnijs, quendam somniasse, se habere genu lapideum, & paulo post illi paralyticum euasisse illud genu.

Præsentis.

Vbi autem facta est paralysis, cognoscitur similiter; quia est, prius sine motu, sensu, frigida est, emaciata tota. Nam, habemus ex 6. epid. & 2. de fract. quod partes resolutæ, cum non moueantur, refrigescunt, ex quo calor non probe coquit, ad hæc, nō fit etiā nutrimenti attractio.

Si malum oriatur a cerebro, cognoscitur, quia etiā pars vultus siue sit dextra, siue sinistra, vna cum alijs partibus inferioribus paralysi tentatur.

Si origo sit in initio spinalis medullæ, partis capitis immunes sunt a paralysi, & aliæ inferiores sunt resolutæ.

Si sit principium paralysis in medio spinæ, tota pars superior illæsa est, pars inferior resoluta. Si sit in regione ossis sacri, & coxæ, & cura, & pedes afficiūt, partes supernæ incolumes existūt.

Quod si aliqua pars priuatim sensum, aut motum, aut vtrumque amiserit, signum est, originem mali positam esse in illa ipsa parte affecta.

Prognostic.

Celsus lib. 3. cap. 25. scribit, resolutionem totius corporis minime necessario vitam auferre. Verūtamen & vitam miseram reddere, & mentem sæpe deturbare. Ceterum resolutionem partium esse interdum acutam ægritudinem, sæpe longam, fere incurabilem. Nam incurabilis est ea, quæ fit ex vulnere, quæ fit ex siccatione alicuius partis, ex contusione. Scribit autem Aretæus. & Cæl. Aurel. resolutiones neruorum in debilibus, in senibus antiquas esse difficilimas curatu: facilius autem curari in robusto, in adolescente, ac puero; & præsertim, quando recentes sunt, sed quomodocunque, statim aggrediendam esse curationem omnis partis patientis paralysim, quæ in eo potissimum sita est, vt in quocunque loco sit neruorum oppletio, & crassefactio, omnino tollatur per medicamenta incidentia, attenuantia, & dissipantia. Hoc quoque studendum est, vt intemperies, quæcunque facit mediate, vel immediate resolutionem, tollatur.

Curatio.

Aer.

Et ideo ante omnia alia prouidendum est, vt paralytici perpetuo viuant, sub aere calido, & sicco, Vnde Paulus Aegin. lib. 3. cap. de paralysi, magnopere commendat, vt ægri inhabitent loca maritima; & vt mare ipsum inhabitarent; quoniam vt habemus apud philosophum 23. problem a mari exhalat vapor quidā calidus, & siccus, qui corpora mirum in modum euacuat, & a superuacaneis humiditatibus liberat; vt videre liceat corpora naugārium esse exsiccata magis & rugosa; scil. quia ab huiusmodi habitu euacuanī & exsiccātur.

Hippoc. lib. de loc. in homine, laudat, vt in curanda paralysi semper ignis, habeatur in cubiculis ægrorum. Sic maxime confert paralyticis vigilare. Exercitatio corporis solum vtilis est, quando corpus iam perpurgatum est. Clamare loqui, imo & irasci in paralysi vtile est. Ab omni mœrere, & cogitatione abstinendum. Hic venus noxia est, & præsertim omnis repletio.

Num vinum conueniat.

De potu est controuersia. Nam Haliabbas damnat aquam in potu. Auicenna autē laudat aquam, & damnat vinum, tum quia est vehiculum humorum ad neruos, tū quia sæpe acescit & acidum factum aduersatur neruis. Sed ita definiendum est, aquam minime puram cōuenire in hoc affectu, sed medicatā vel melle, vel aliquo alio. De vino ita statuendum, in principio non conuenire, sed quando morbus iam diuturnus factus est. Victus in principio dēt esse tenuis, eo, quia initio paralysis est sæpe morbus acutus, vt minetur apoplexiam; procedente tempore fit affectus chronicus, & tunc conuenit victus plenior. Quare omnis vis ciborū debet esse attenuans, siccans. Auenz. laudat carnem columbarum syluestrium, tanquam a proprietate huic morbo conueniat. Sic nuclei pinei commendantur: quia neruis sunt amici.

Sed illud vnum, debetis perpetuo obseruare, vt in proponendis cibis ægrorum nō sitis superstitiosi, & præsertim in imitatione veterum: quia veteres pposuerunt eos cibos, qui sibi & suis regionibus erant vsitati, & familiares; vnde non semper conueniūt temporibus nostris; imo vero sæpe multo melius est, eos cibos vsurpare, qui familiares, & vsitati sunt.

Venę sectio.

Post victum institutum cogitandum est de sanguinis missione. Archigenes apud Aetium vult statim mittendum esse sanguinem, quod consiliū secuti sunt Celsus, & Cæl. Aurelianus. Ceterum Rasis sang. missionis nihil meminit. Et Auicen. tantum cucurbitularum scarificatarum facit mentionem. Sed, vt ego puto, res definienda est, vt definiuit Alexan. Trall. nempe in paralysi curanda nunquam mittendum esse sanguinem, nisi manifesta sanguinis abundantis indicia appareat, quia hic affectus frigidus est, & semper viribus debilibus coniungitur. Vnde in mittendo sangine magnopere considerandum est; & si hoc faciendum est, parce omnino facere oportet. Post sanguinis missionem, vel saltem post eius cogitationem, debet

Medicus

Lenitiua.

Medicus conuertere se ad humorem expurgandum. Et ideo primum lenienda aluus, in qua tamen lenienda abstinere debetis ab vsu ipsius Cassiæ, q̃a putatur lædere neruos, vt notat Matthæus de Gradib. Itaque medicamentum leniens hoc modo parare poteritis.

℞. Elect. lenit. ℥. j.
Specierum hieræ. ʒ. iij. M. & f. bolus.

Præparãtia.

Post præparandi sunt humores hoc pacto.

℞. Fol. satureiæ.
Saluiæ.
Iuæ arthreticæ.
Betonicæ an. M. ß. f. decoctio s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iij.*
Mellis ros. simpl.
Syr. byzantini.
De beton. an. ℥. ß. M.

Purgantia.

Præparati humores hunc in modum purgabuntur.

℞. Myrobal. chebul.
Fol. sennæ an. ʒ. ij.
Passularum ℥. ß.
Liquiritiæ. ʒ. j.
Fl. cordial. P. ß. f. decoctio. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Agar. trosch. ℈. iiij.
Infundantur s. a.

Deinde *f. expressio. Adde diapr. solut. ʒ. ij. ß.*
Mell. ros. solut. ℥. ij. ß. M.

Facta hac priore euacuatione consulit Rases, vt paulisper cessetur ab omni medicamento, donec 3. vel 4. dies transeant, & prudenter quia in hoc morbo, vt dicebam nuper, vires satis labefactatæ sunt, vnde permittendum est, vt paulisper recreentur: quo facto iterum præparandi sunt humores hunc in modum.

Præparãtia.

℞. Fol. Iuæ.
Stœchados.
Maior.
Puleg. an. M. ß.
Rad. fænic. ℥. ß. f. decoctio.

Deinde *℞. d. d. ℥. v.*
Syr. de beton. compositi.
De Iua an. ℥. ß. M.

Et Aduertite, syr. de Iua efficacissimum esse, sed non inuenitur apud omnes pharmacopolas. Vnde bonum est, scire compositionem huius syrupi inueniri apud Nic. Florentinũ in tract. de paralysi, & Ischiade. Præparati humores expurgandi sunt paulo validius, quam antea. Solemus vti pil. de Colocynth. Hiera Archigenis, pilulis arthreticis vocatis, pil. de hermodactylis. Et vt habeatis aliquod exemplum.

Pilulæ.

℞. Pil. fœtidarum.
Arthriticarum an. ℈. ij.
Trochisc. viol. cum scammonio gr. vij. M. & formentur pilulæ n. v.

Post exquisitam totius purgationem, deueniendum est ad purgationem capitis, & ad vsum medicamentorum localium. In purgando capite conueniunt sternutamẽta, odoramenta iam proposita in apoplexia. Masticatoria etiam vt hoc seq.

Masticatorium.

℞. Staphis agriæ ʒ. j.
Pyrethri ʒ ß.
Mastichis. ℥. ij.
Ceræ q. s. Misce & fiat masticatorium.

Topicorum vsus.

In vsu localium debetis semper ante cetera inuenire, quæ sit vera mali origo. Nam Galen. primo, de loc. aff. & 4. in historia Pausaniæ Syri sophistæ deridet Medicos, q̃ in paralysi digitorum applicabant medicamenta ipsis digitis, & non nuchæ, seu spinali medullæ, vbi erat mali origo. Et ideo, ne vos derideamini, debetis semper cognoscere originem mali, & illi remedia applicare. Ideo, si principiũ morbi sit in cerebro, ipsi capiti medicamẽta sũt applicanda. Sic vnctionis omnes efficacissimæ, quas commendauimus in apoplexia, cõuenirẽt etiã in paralysi.

Stillicidia aquarum thermalium.

Præter hæc habemus stillicidia aquarum thermalium, quæ opportune cerebro adhibita mirum in modum valent. Et notate. Cæl. Aur. Medicum antiquissimum laudare in hoc morbo Aquas Pantherinas: Sed codex mendosus est, & legere oportet Patauinas. Nam aquæ nostræ Patauinæ sunt antiquissimæ, & mirum in modum valent aduersus hos morbos, tum per stillicidium adhibitæ, tum etiam per lauacrum. Et si hæ aquę non auferant morbum, sciemus venire ad vsum sinapismi, vel cauterii igniti, circa quod notandum veteres Medicos in huiusce contumacibus, atque difficilimis morbis, haudquaquam cauterio vno fuisse contentos, sed plures capitis partes vrere consueuisse, ut undequaque materia morbifica exhauriretur.

Si affe-

Si affectus origo sit in principio spinalis medullæ, hic quoque conueniunt stillicidia aquarum nostrarum, aut similium; conuenit & vsus luti, & post adhibita huiusmodi remedia, fiunt inunctiones illi parti, quæ vim habent dissecandi, & consumendi humores illos imbibitos; vt est hæc inunctio.

Inunctio.

℞. Ol. de euphorbio.
Vulpini.
Costini an. ℥. iij.
Pulu. castor.
Sinapis an ℈. ß.
Vini optimi. ℥. ij.
Bulliant in duplici vase ad consumptionem vini.

Et si hæc remedia non auferant morbum, solemus quoque in hoc casu tandem deuenire, ad rubificantia; vt est fricatio partis affectæ cum euphorbio, nitro, sulphure, & cũ Thapsia. Nam huiusmodi pulueres diligentissime conteruntur, & contriti diligenter affricantur parti, in qua est origo mali, vt apud Cælium pagina 324.

Rubificantia.

Et quod dico de spinali medulla, siue de ipsius initio, idem quoque existimandum est de media spina, & de fine spinæ: quoniã si origo mali sit in aliqua parte ex his, non solum conueniunt præscripta remedia, verumetiam solemus in his adhibere foueas thermarum. Nam & in agro Neapolitano, & his nostris thermis Patauinis, sunt aliquæ foueę, aliqua parua cubicula, in quibus ponimus paralyticos, & ibi cũ copiosissimi sudores excitentur, solet morbus elidi ex neruis.

Sudorifera.

Sed in vsu huius remedij debent Medici esse maxime solertes, quoniam vsque adeo potens est hoc remedium, vt interdum præcipitet ægros in animi deliquia, & in grauissima pericula, quo in casu necesse est, vt explorentur naturę ęgrotantium, & vt primis vicibus pauco tempore detineantur ægrotantes in his locis; deinde pro facultate ipsorũ in sustinendo remedio ita quoque tempus protrahatur. Et quod dixi de origine mali, scil. esse adhibenda remedia ipsi, idem intelligendum est de parte affecta; quando mali principiũ est in ipsis partibus affectis, sc. quod vel nerui, vel musculi sint aut humoribus impleti, aut aliqua intemperie affecti, quo in casu ipsis tunc conueniunt inunctiones prædictę, dropacismi, sinapismi, luta, foueæ, vstiones. Et vt habeatis exemplum inunctionis.

Exemplum alterum inunctionis.

℞. Ol. liliorum alborum.
Ol. vulpini an. ℥. j.
Pulu. thapsiæ.
Euphorbij.
Iuæ an. ℥. ß.
Pulu lumbricorum combustorum. ℥. ij.
Vini albi optimi ℥. iij. Bulliant simul in duplici vase ad consumptionem vini, deinde ipsi parti diligenter oleum illinatur; & pars affecta tergore vulpino coperiatur, & modo huc, modo illuc agitetur, donec incalescat quam maxime. Si quidem veteres, & tergora vulpina, & ipsas pelles vulpinas magnopere laudabant in curatione membrorum paralyticorum. Arena etiam vi solis ignita partes resolutas obruebant.

Atque horum omnium vnus erat finis, vt partes incalescerent, atq; ad eas spiritus motum, & sensum præstantes traherentur, quod enim fierent ad euacuandos humores, falsum est, quãdoquidem iam dictum a nobis humores morbum facientes, non in parte resoluta, sed in ea, vnde nerui oriuntur, positos esse.

Quod si non humores, sed sola intemperies frigida resolutionem faciat, iam medicamentorum purgantium, aut sectionis venæ, nullus amplius vsus erit, sed duntaxat medicamenta extrinseca conuenient, quæ parti affectæ adhibita possint malam temperiem auferre. Similiter, si vel ex tumore, vel laqueo, aut ex fractura, seu luxatione aliqua paralysis oriatur, manifestum est curationem esse per sublationem illius impedimenti (qualecunque sit) quod prohibet, quo minus spiritus per suos naturales canales deferantur.

Inter genera Paralysis Gal. 4. de loc. affect. 2. connumerat affectum quendam, qui a Græcis nuncupatur σπασμὸς κυνικός.

CAPVT XXI.

De tortura oris.

LAtine vocatur conuulsio canina. Celsus lib. 4 ca. 2. vocat distensionem oris. Cur autem sit paralysis, & tamen vocetur conuulsio, intelligetis quando explicabo quomodo fit resolutio, & conuulsio. Gal. 2. de diff. puls. cap. 3. scribit quendam morbum oriri in facie, qui vocatur canis, & eiusdem morbi mentionem faciũt Phanorinus. & Hesiginus, puto, secuti Gal. sed cum apud nullum scriptorem inueniatur mentio huius morbi, in eam venio sententiam, Canem vocatum a Galeno esse eundem morbum, qui alibi vocatur ab ipso conuulsio.

Nomen.

Aetius lib. 6. 30. docet, hunc affectũ nihil aliud esse, quã resolutionem musculorum maxillarum, propter quã resolutionẽ os, nasus, oculus, & interdũ tota altera pars faciei distorquetur.

Descriptio.
Genus morbi.

Ceterum

Ceterum quis affectus ſit tortura oris, diſputatum eſt a pleriſque. Fuit Auicenna ſecunda, tertij tract. 1. cap. 15. qui dixit hunc affectum eſſe morbum officialem, ſeu morbum inſtrumentalem. Ceterum quis morbus inſtrumentalis ſit, interpretes Auicennæ diſſenſerunt. Alij enim putarunt eſſe morbum in figura, alij in ſitu. Sed aut ego fallor, aut ipſi ſunt decepti. Siquidem, ſi res diligenter perpẽdatur, tortura oris eſt purum ſymptoma in genere motus, & ſenſus faciei deperditorum. Sed quia interdum contingit, vt vnum, & idem ſymptoma ſit, & cauſa morbi, & effectus morbi: id contingit in propoſito affectu: quoniam tortura oris efficit morbum in figura, quod amiſſo motu partis faciei, os diſtorqueatur, & amittat figuræ rectitudinem. Hoc idem ſymptoma eſt effectus morbi, propterea quod, ſicuti paralyſis fit ab obſtructione, vt intellexiſtis: ita oris tortura, quæ eſt ſpecies paralyſis efficitur ab obſtructione neruorum.

Locus affectus. Locus affectus mediate eſt cerebrum: immediate vero, vt ſcribit Gal. in princ. lib. de diſſect. muſculorum, eſt idem muſculus, qui ab anatomicis vocatur latus muſculus.

An latus muſculus affectę, vel ſanæ partis afficiatur. Sed magna lis fuit inter medicinæ ſcriptores, quinam latus muſculus afficiatur in oris tortura, ſcilicet an ille, qui eſt in parte ſana, an potius, qui in parte affecta. Paulus, Auicenna, & Aetius diuerſas aliquibus videntur habuiſſe ſententias; ſed modus componendi diſſidia ſcriptorum hic eſt, in conuulſione canina ad ſenſum duos effectus apparere: nempe relaxationem, ſeu reſolutionem, & contractionem. Si inſpiciatur reſolutio, certe, videtur eſſe in parte ſana, ſed eſt in parte ægra: ſin autem inſpiciatur contracta ipſa, eſt in parte vere ſana. Nam, vt alias intellexiſtis, in vtraque parte faciei, muſculus eſt, qui ſemper trahit, vt rectitudo partis conſeruetur. Vbi aliquis ex his duobus muſculis amittit facultatem, vt non poſſit trahere, dimittit partem contrario muſculo trahenti. Et hinc fit, vt pars, quæ nihil paſſa eſt, attrahat in ſeſe partem affectam, & contracta videatur. Nam etiamſi ab aliquibus dicatur hæc pars nihil trahere, veruntamen poſſumus dicere, & ipſam partem ſanam trahere, & non trahere. Trahit quidem ea tractione, quæ continua eſt in ipſis partibus, vt audiuiſtis: ſed non trahit vlla noua, & adſcititia contractione; & propterea poſſum dicere, partem ſanam attrahere partẽ ægram, & partem ægram relaxari, eo, quod amiſſa potentia mouendi, & trahendi totam eſſe permittit trahendam muſculo aduerſo.

Differentia. Huius affectionis complures ſunt differentiæ, ſiquidem tortura oris interdum fit ſubito, interdum paulatim, interdum ſponte oritur, interdum ſequitur alios morbos, veluti apoplexiam, paralyſin, epilepſiam, ſpaſmum, febres acutas. Nam Hipp. initio, 3. epid. narrat, Pythioni illi ſeptima die in febre acuta torturam oris accidiſſe.

Eſt etiam alia differentia, quoniam interdum fit tortura oris ſolum ipſarum buccarum, interdum naris, ſeu narium, interdum ſolius oculi, interdum plurium, aut omnium dimidiæ faciei partium.

Cauſa. Cauſæ tum internæ, tum externæ huius affectionis ſunt omnes illæ, quas diximus facere apoplexiam.

Signa. Præcognoſcitur futura oris peruerſio ex palpitatione, quæ percipitur in aliqua parte faciei: quæ videtur quodam veluti ſaltu, & titillatu moleſtare. Adhæc, vbi in aliqua parte faciei apparet intimus quidam dolor circa oſſa, & veluti contractio, & deligatio, timendum eſt de futura conuulſione.

Vbi facta eſt, facile ab omnibus cognoſcitur, quia partes faciei videntur contortæ. Dicit quoque Raſes, quod tria ſunt ſigna torturæ faciei, os contortum, oculi vnius clauſio denegata, & ſimiliter ab vna narium parte denegata efflatio.

Præterea in parte affecta nullus eſt motus; ſæpe etiam, aut ex toto ademptus eſt ſenſus, aut valde imminutus. Celſus libro quarto, cap. 2. proponit quædam alia ſigna, quæ potius videntur eſſe fientis, quam iam factæ diſpoſitionis indicia, veluti eſt febris acuta, mutatio coloris aſſidua in faciem, & toto corpore ſomnus promptus. Si fiat hæc affectio ab alio morbo antecedente, cognoſcetis ex præcedentibus illis morbis, vt non ſit opus vlla ſpeculatione ad cognoſcendum. Si origo mali ſit in cerebro, cognoſcetis hoc argumento certiſſimo, quod tota vna pars faciei ſit contorta, quemadmodum, ſi non tota, ſed aliqua pars torturam patiatur, ſignum eſt, fieri non vitio cerebri, ſed vitio neruorum particularium eam partem mouentiũ. Raſes dicit in tor-

Prognoſt. tura faciei, frequentem expuitionem malam eſſe; & ſi magna ſit tortura, aut interimere ſpacio quatuor dierum, aut in paralyſin finiri. Illud quoque certiſſimum eſt, torturam faciei poſt ſextum menſem ex toto incurabilem eſſe; verum etiam eſt, in ſenibus hunc affectum, non ita exitialem eſſe, ſed diu perdurare, vt narrent aliqui Arabes, interdum perdurаſſe 40. annis.

Curatio. Curatio, vt ſcribit Aureli. lib. 2. de diut. paſſ. cap. 2. non eſt alia, quam curatio paralyſis. Et propterea eadem victus ratio conuenit; in qua peculiare eſſe videtur, vt ægri in principio ſe ſemper detineantur in loco obſcuro. Cur autem hoc ſit neceſſe, multiplex eſt ratio. primo, quoniam in luce dum ægri intuentur picturas, vel alias res, mouent & oculos, & ora; ac propterea augent affectum. Adhæc ventus, & aer inimicus eſt, & maxime pernicioſum in hoc affectu, quando ægri ſeſe in ſpeculis intuentur, quoniam ex deturpata facie vſque adeo anguntur, vt præ mærore augeant morbum. Quare ad auferendam huiuſmodi occaſionem, optimum eſt, detinere ægros in obſcuro; addo & aliam rationem, quæ iam dictis forſan eſt probabilior, vt ſcilicet ſpiritus imminuti corroborentur. Purgatio corporis eadem facienda, quam monſtrauimus in curatione paralyſis. Id tanquam particulare annotauit Auicenna vſum turbith, pro curatione in

Vſus turbith hic commẽdatur. hoc affectu admodum valere.

Poſt

Post purgationem, vt cerebrum, & pars affecta diligentius euacuetur, solemus vti sternutamentis, errhinis medicamentis, & masticatorijs. Illud peculiare est, pulu. condysi castorei, nigellæ an. partes æquales infusum in nares magnopere prodesse. Valet etiam huiusmodi liquor infusus in nares.

> *℞. Succi illius herbæ, quæ vocatur muris auricula, ℥.j.*
> *Opopanacis ʒ.j.*
> *Condysi ℈.j. M. & iniiciatur in nares.*

Nucis myristicæ manducatio.

Masticatoria ead. ratione conueniunt, vt sunt, quæ fiunt ex pyrethro, nuce mosch. cum mastiche. Et pro peculiari remedio habetur in hoc morbo, nucem myristicam diligenter mandere; & quantum fieri potest, sputum prouocare. Extrinsecus, si principium morbi sit in cerebro, in origine neruorum, illi parti debent applicari inunctiones iam traditæ paralysi. Et si non iuuant, deuenire solemus ad cucurbitulas valde ignitas, & scarificatas, ad sinapismos, & tandē ad ipsum ignem. Si mali origo sit in parte affecta, illi parti adhibentur auxilia, inter quæ commendatur continua ablutio faciei, cum aqua marina, vel sola, vel aceto commista. Fit etiam decoctum, quo pars illa affecta perfunditur, ex gratia,

Decoctū pro parte affecta.

> *℞. Iuæ.*
> *Stœchadis.*
> *Satureiæ.*
> *Orig.*
> *Saluiæ an. M.j. f. decoctio.*

Deinde *℞. d. d. lib. ij.*
> *Aceti optimi ℥.v. M. & pannis maceratis in hoc decocto foueatur pars affecta.*

Auicenna ex sententia Medicorum Indorum laudat carnem syluestrem elixatam, & supra faciem positam. Quæ autem sit hæc caro syluestris explicatur ab ipso, vt est caro leporum, damarum, aprorum. Sic etiam solemus ad dirigendam partem contractam, & deformatam prius illinire ol. amygd. dulc. vnà cum ol. nuc. moschatæ, & postquam sit emollita, fascia arctè ligetur, & ad situm suum reducatur. Sed notate, quod dicunt Arabes, pergendum esse in medendo, tantum per vnum mensem; quoniam post mensem, si remedia fuerint vana, non est speranda amplius salus.

CAPVT XXII.

De Incubo.

SEquitur vt de vitijs motricis facultatis diminutę, agamus, inter quæ primus erit ille affectus, qui a Græcis ἐφιάλτης, a Latinis incubus dicitur a mentis, atque sensuum incubone, vt docet Gariopontus. Themison Medicus celeberrimus, quem imitatus Auic. vocauit strangulationem. Auctor insignis Latinæ linguę Plinius vocat interdum suppressiones nocturnas, interdum ludibria Faunorum in quiete.

Nomen.

Est hic affectus quædam præternaturalis dispositio, propter quam homines noctu imaginantur sese onere quodam premi, ita vt neque clamare, neque surgere, neque respirare, neque sese mouere possint. Antiquitas, vt testatur Hippocrat. in libro de morbis diu. existimat hunc affectum esse Dæmonem quendam, vel potius cupidinem hominibus incubandi. Sed Possidonius apud Aetium refutauit amplissime hanc opinionem, dicens fieri hunc affectum noctu, quia plerique homines capiuntur hoc affectu fere semper primo somno. Et ratio, propter quā nocte, non autem die tentantur, est, quoniam cum fiat, vt intelligetis, hic morbus a vaporibus, de die, vel ex toto, vel magna ex parte vapores dissoluuntur, vt non possint sufficere ad generandum hunc morbum, nocte vero secus est, quia scilicet vapores copiosiores fiunt, nec dissoluuntur, quemadmodum die.

Descriptio.

Est hic affectus symptoma in genere actionis animalis læsæ. Læditur autem imaginatrix, sed potissimum læditur motrix, quandoquidem vix, immo nec vix, sese mouere possunt, qui patiuntur incubum.

Genus symp.

Locus affectus cerebrum est, & præsertim secundum partem anteriorem. Dico secundum partem anteriorem, quia non solum ventriculi anteriores, verumetiam reliqui meatus cerebri anteriores, in hac dispositione læduntur.

Locus affectus.

De morbo, quem sequitur hoc symptoma, censuit Auerrh. lib. 3. coll. capit. vlt. esse intemperiem materialem, id est, cum humoribus. Sed licet concedamus, in incubo aliquam reperiri intemperiem, est tamen certum, non ab illa intempetie lædi immediatę actiones, sed a morbo in via, siquidem viæ oppletæ flatibus cum impediant transitum facultatis animalis, consequenter motum impediunt.

Morbus quē sequitur.

Causæ huius morbi, aliæ sunt internæ, aliæ externæ. De internis video aliquā controuersiam. Fernelius Medicus ingeniosissimus forsan Possidonij auctoritate ductus, putauit causam incubonis esse humores crudos, & pituitosos, qui circa præcordia collecti pulmones, & septum transuersum velut comprimant, ac vapores in caput mittentes hoc malum efficiant.

Causæ internæ.

Fernelij opinio.

Sed hæc sententia Fernelij ex toto mihi probari non potest. Primum, quia videtur velle, solummodo

solummodo

lummodo fieri incubum ex crapulis, & indigestionibus: cum tamen plures aliæ sint causæ, vt suo loco videbitis. Accedit, quod si difficultas respirationis, & illa cõpressio, seu suppressio fieret ab humoribus crassis, & crudis, nequaquam fieri posset, vt morbus ita cito solueretur.

Alij crediderunt causam immediatam huius mali esse sanguinem, sed nisi pro sanguine intelligamus pituitosum, & crudum, minime verisimile, a sanguine hoc malum fieri, quia corpora sanguinea, & athletica maxime caperentur incubo, quod tamen non est compertum fieri. Quamobrem vera, & immediata causa huius mali nulla alia est, nisi vapor multus, crassus, & grauis, qui opplet magna ex parte, & ventriculos cerebri, & illius cauernas: qui vapor generatur ex crudis succis, ex prauis cibis contentis, vel in ventriculo, vel in primis vijs, vel in hypochondrijs, ita, vt hic vapor nõ solũ qualitate lędat, quemadmodũ voluit Auer. sed qualitate, & copia.

Vera, & immediata causa.

Verum video dubitari, cur si fit hoc pacto incubus, nõ potius fiat apoplexia. Praeterea iã docui vos, epilepsiam fieri etiam a flatibus, sicut & intra paucos dies clarius docebo: cur igitur est, quod cũ in eodem loco, & ab eadem materia fiat epilepsia, potius fiat incubus, quam epilepsia.

Dubium soluitur.

Ad primũ respondendum est non fieri apoplexiam, quia cum materia in incubo sit flatulẽta, citius dissoluitur, quã vt possit inducere apoplexiam. Nam etiamsi apoplexia possit aliquã originẽ habere a flatu, consũmatur tamen ab humoribus. Vt ob hoc explodendus sit auctor lib. de flatibus, sub nomine Hipp. qui existimauit, & inchoari, & consummari apoplexiam a flatibus.

Aliud dubium explicatur.

Incubus vt ab epilepsia differat.

Circa secundum altior est inquisitio, & pulcherrima. Nam cum Arist. in lib. de som. & vigil. dixerit, etiam epilepsiam fieri in somno noctu, & Possidonius apud Aetium dicat, eadem homines pati in incubo, quæ patiuntur in epilepsia, videntur existimasse, parum differre incubum ab epilepsia. Verumtamen res secus est, quia tametsi in vtroque affectu oppleantur ventriculi cerebri, & a flatu fiat: est tamen maximum discrimen, quia in epilepsia flatus tenuiores sunt, agiles, & cum moueantur, excitant facultatem expulsiuam, & motus illos faciunt. Ex altera parte in incubo flatus molles sunt, graues, & torpidi, ita vt oppleant quidem imperfecte ventriculos cerebri, sed cum maneant immoti, & pigri non stimulant facultatem expulsiuam, & consequenter incubum, non epilepsiam inducunt.

Causæ externæ.

Somni supini incommoda.

Causæ externæ incubi multæ sunt, in primis est aer frigidus, & crassus. Narrat quidam apud Cæl. Aurel. Romæ, quandoque hunc morbum publice grassatum esse, & multos iugulasse, quasi pestis quædam fuerit. Somnus post cibum factus, & post nimiam repletionem, causa huius mali esse solet, & præsertim, si dormiatur supra dorsum. Nam Auic. 3. primi. dicere solebat, huiusmodi somnum factum supra dorsum disponere dormientes ad apoplexiam, epilepsiam, incubum, & similes affectus. Ratio est, quoniam ex huiusmodi somno fit veluti quædam prouocatio materiæ ad nucham, & ad partes cerebri posteriores, vt ob hoc occasio præbeatur his malis. Ad hæc Venus statim post cibum: aluus adstricta, crapulæ frequentes, cruditates, vsus leguminum, tuberum, laganorum, & huiusmodi ciborum crassorum, maxime faciunt ad generationem huius mali. Distinguitur ab epilepsia, quod in hac offendatur magis deprauate motus, spuma adsit: in incubo, diminute lædatur motus, & nulla adsit spuma. Post paroxysmi recessum in epilepticis remanet intimus quidam dolor, & grauitas in fronte, aut circa frontem, ob materiæ, a qua causatur, prauitatem: post incubi recessum nihil talium apparet.

Dignoscitur ab apoplexia, quoniam in hac ex toto sensus, & motus amittitur, nulla est imaginatio: in incubo diminuitur tantum motus, adest imaginatio, licet praua.

Signa incubi præsentis.

Sunt autem incubi hęc signa vbi præsens est, quod homines videntur quasi onere quodam grauissimo premi, conantur clamare, & vix possunt, impeditur respiratio. interdum clamant, vt dicit Lucretius 4. de natura. Videntur interdũ veluti fugere, imaginantur aliquem sese amplecti, & nonnunquam existimant sese ab aliquo ad libidinem comprimi, vt deinde forsan nata sit opinionis occasio, de dæmonibus incubis, & succubis, quos sicuti esse, & reperiri catholici Theologi pene omnes existimant, ita quoque non est, vt negemus. Nam dicit Auic. fateamur dæmones etiam hoc morbo vti tanquam instrumento ad homines affligendos.

Vbi recessit paroxysmus, quemadmodum habetis apud Cæl. Aurel. omnia foramina oris inueniuntur humiditate oppleta; grauitas adest ceruicis, tussis, & si frequenter accidat, solet immutari color corporis, & induci pallor.

Prognost.

Est autem Domini incubus suapte natura facilis affectus, quia, vt dicit Cæl. Aurel. si raro cõtingat, est veluti quædam pollutio nocturna: sed si frequentius vexet, malus est, quia, vt dicit Possid. apud Aetium, est veluti proximũ quiddã maniæ, epilepsiæ, apoplexiæ, vel, vt dicit Auic. antesignanus quidam triũ horum affectuum. Scribonius largus cap. centesimo, scribit incubonem esse vitium non contemnendũ, & aliquos interdum, ita vexare, vt vitæ periculum adeant.

Curatio.

Itaque si raro contingat, ad eum superandum sufficit sola victus ratio, scilicet, vt viuat in aere calido, & sicco, somnus a cibo fugiatur. Aluus fluxa conseruetur, parce bibat, parce edat, pręsertim vesperi, vt abstineat a leguminibus, a laganis, a tuberibus, & tandem ab omni genere ciborum crudorum, & crassorum, fugiendæ indignationes, & vt monet Cælius, abijciendi sunt timores; plerique enim ait, sibi fingentes futura, voluntarios pene causarum motus faciunt. Soleo ego illis, qui patiuntur nocturnos incubos, commendare, vt a cæna cochleare vnum, vel alterum capiant huius pulueris.

℞. Aniforum ℥. ß.
Coriandrorum ℥. j.
Caryoph.

Macis.

Macis.
Cinnamon an. ʒ ß.
Sacch. fini ℥. ij. Puluerizentur omnia diligenter, & simul. M.

Sed si frequenter exerceat hoc malum, non alia curatio est instituenda, quam ea, quam docui in paralypsi, vt scilicet, si adest plenitudo in corpore, primum sanguis mittatur: deinde leniatur aluus; præparentur humores, purgentur agarico potissimum, & hellebor. nigro, si pituitæ coniungatur melancholicus succus. Purgato corpore est prouidendum, & capiti, & ventriculo. Iuuabit abluere sæpe caput hoc lixiuio.

Lixiuium.

℞ Lixiuij ex cinere quercus. lib. x.
Fol Stœch.
Betonicæ an. M. j.
Cyperi.
Agarici.
Macis.
Caryoph. omnium in petia ligatorum an. ʒ. j. Bulliant s. a. & facta colatura abluatur caput, & diligenter exsiccetur.

Pro ventriculo, & pro capite corroborando iuuabit vsus Tryphere, Theriac. Mithridat. diagalanga, diaspoliticon, diatrionpipereon. Et poteritis parare confectionem hunc in modum.

Confectio.

℞. Conf. Saluiæ.
Arom. rof. an ℥. j.
Theriacę antiq ʒ. j. ß.
Specierum diaspolitici ʒ. j. M. Capiatur singulo mane huius confect. an. ʒ. ij. vsque ad ℥. ß.

Laudant omnes vsum seminum pœoniæ, cuius singulo mane gran. x. vel paulo plura capiantur. Ideo putatur radix pœoniæ vocata ephialthion, eo quod curet hunc morbum, laudant etiam lupinam pellem pro integumento, dum dormitur, quæ licet proprietate iuuet, laudatur tamen, quia etiam siccat, & calefacit ventriculum. Dicunt etiam anisum puluinari suppositum iuuare.

CAPVT XXIII.

De Stupore.

Nomen.

INter motus diminutos Gal. 1. de sympt. cau s. a. adnumerat etiam alium affectũ, qui a Græcis dicitur *ναρκη*, Latini appellant modo torporem, modo stuporem. Putarem apud Celsum attonitum hunc morbum vocari, nisi ille 26 cap. lib. 3. adijceret, etiam mentem in hoc morbo stupere.

Num stupor sit motus deprauatus.

Sed statim dubitatio oritur nõ leuis, an stupor debeat recenseri inter motus diminutos, an vero inter motus deprauatos. Audiuistis Gal. reposuisse inter motus diminutos, Sed est, & alia auctoritas Galen. 2. de symptom. caus. 1. vbi recẽsens vitia motus deprauati, inquit, alia esse, quæ fiunt a natura, alia quæ fiunt a morbo, alia quæ fiunt a natura, & morbo Inter ea, quæ fiunt a natura, & morbo, inquit Gal. esse motus torpidos. Deinde Auerrh. 3. collect. cap. 31. scribit, stuporem esse actionem deprauatam sensus tactus. Responderi potest, Gal. eo in loco nomine deprauatæ, & vitiosæ motionis intelligere, non solum vere deprauatos motus, verumetiam diminutos: quemadmodũ idem Gal. docuit lib. de diff. sympt. 4. cap. 5. Ad Auer. dicendum est, etsi scribat stuporem esse deprauatam actionem sensus, nomine deprauatæ actionis intelligere, & ipsum diminutas quoque. Et licet ponat hunc affectum in sensu tactus: minime tamen negat etiam in stuporem ad motum pertinere diminutum.

Descriptio.

Est itaque stupor motus, & sensus tactus diminutus, siue simul, siue separatim: & modo in vna, modo in altera corporis parte. Dicitur diminutus motus, vel sensus, ad differentiam tum paralysis, tum apoplexiæ, in quibus auferuntur, non diminuuntur sensus, & motus. Dicitur vel simul, vel separatim: quoniam in stupore diminuuntur modo motus, & sensus simul, modo alter solummodo imminuitur, vt fides sit habenda doctissimo Fernelio, qui testatus est sese vidisse quendam, cuius cutis sensus erat diminutus, saluo tamen, & incolumi motu. Dicitur postremo, in vna, vel plurimis partibus, eo, quia, vt in actu practico videtis, modo vna pars corporis, modo plures, modo corpus vniuersum stupore tentatur.

Genus symptomatis.

Est stupor symptoma in genere actionum motricum, & sensitricum diminute læsarum.

Morbus a quo dependeat.

Morbus quem sequitur hoc symptoma, est morbus in via. Continens vero causa stuporis, vt habetis apud Gal. 1. de sympt. caus. nulla est præter dispositionem illam præter naturã, quæ lędit neruos, quo minus deferant spiritus. Dixit iure Gal. esse dispositionem lædentem neruos, quia vt etiam Aristo. ait, 3. de hist. animal. cap. v. nulla pars stupore capitur, quæ sit neruis orbata. Cũ igitur causa immediata sit dispositio lædens neruos, videamus, quomodo impediatur facultas ita, vt per neruos non possit deferri. Impeditur autem, vel quia nerui sunt male affecti, vel quia spiritus. Nam ad deferendam facultatem cõcurrunt, solummodo nerui, & spiritus: nerui autem afficiuntur primo, quia patiuntur intemperiem frigidam, & humidam.

Difficultas.

Sed dubitatio statim est hoc loco, an in stupore sola intemperies frigida, & humida concurrat ad eius generationem. Ex vna parte est auctoritas Gale. qui 2. de loc. aff. 2. clarissime censuit solum fieri stuporem ab intemperie frigida, & humida. Ex altera parte est Auerr. auctoritas, qui

qui 3. coll. 31. scribit fieri quidem, vt plurimum stuporem a causa frigida, & humida, verum impossibile non esse, quin etiam fiat ab intemperie calida, & ab intemperie sicca: quanquam inquit, intemperies sicca fiat longo tempore. Ad hoc adstruendum vtitur Auer. duobus argumentis, 1. quia omnis motus fit a tempore: igitur ab omni intemperie viriari potest. Igitur etiam a calida, & sicca, 2. quod decrepiti semper laborant stupore: immo vero solent plerumque decrepiti aures perpetuo stupore affectas gerere. Sed decrepiti sunt summe sicci: igitur videtur etiã, quod a summa siccitate possit fieri torpor.

Sed sum ego cum Galeno alterius sententiæ, scilicet, non posse torporem vllo modo fieri a calido. Ratio est, quia tametsi temperies sit causa effectrix motus: veruntamen vtitur mensura caloris, quæ si deficiat, deficit etiam motus: si abundet, abundat etiam motus; quæ abundantia debet appellari deprauatio motus. Quare hac ineuitabili ratione demonstratur, fieri non posse, vt ab abundantia caloris diminuatur motus, & fiat torpor.

Ad aliud de decrepitis dico, verum esse, quod decrepiti sæpe torpeant: Sed alia est ratio, scilicet, frigiditas: quia corpora senũ sunt valde frigida. Præterea est debilitas facultatis, relaxatio toni virtutis, vnde fit, vt dicit Plutarchus 1. symp. septimo, quod senes gaudent saporibus mordacibus, quia cum habeant virtutes omnes hebetes, torpent, & proinde opus habent aliquo, quod escitet vehementer sopitam facultatem. Sic etiam fit, quod senes vulnera sibi illata non sentiãt, scilicet propter toni virtutis imbecillitatem. Ita vt clarissimũ esse possit, neruos primo lædi propter malam intemperiem frigidam, & humidam. Læduntur etiam vel quia obstruũtur, vel quia comprimuntur: & hoc, si nerui sint perforati dicit Gal. Sin autem nerui non sint perforati, læditur, vel quia constipantur, vel quia crassefiunt, vel quia comprimuntur. Nam dicit Gal. 1. de sym pto. caus. cap. 5. quod sicuti per aquam non transeunt radij solares, si aqua sit turbida, vel crassa, vel congelata: similiter facultas motrix, & sensatrix non transit per neruos, si vel sint crassefacti, vel indurati, vel aliquo modo turbidiores, & impuri redditi. Crassefiunt autem nerui ab humoribus crassis, & viscidis, quibus nutriuntur, dicit Gal. Auerr. etiam vult, crassefieri neruos ab humiditate, non solum per nutrimẽtum illata, verumetiam ab humiditate circumposita, id quod etiam existimo contingere, vt scilicet per destillationes, uel per alias occasiones humores neruis circumfusi eos crassefaciant, ita, ut facultatem non deferant.

Obstructio causa stuporis.

Nerui quoque compressi non admittunt etiã, ut intellexistis, facultatem: at comprimuntur multis de causis, ut relatum est a Gal. inter quas sunt uincula manus, pondera, apostemata. Nã uidemus, quod si quis supra cubitum dormiat, vel crus ita detineat, vt comprimatur ab altero crure, vel pondere aliquo, pars ea torpore tentatur.

Atque hæ sunt causæ externæ, inter quas adnumeratur vita otiosa, victus frigidus, & humidus, ætas senilis, vt dicit Gal. 2. de temp.

Causæ internæ.

Ratione vero spirituum impeditur facultas, quando vel sunt nimis pauci, vt in obstructione principij neruorum, in febribus ardentibus consumentibus eos, secundum Auicen. & in syncope, vel quando sunt densiores, & crassiores, vt dicit facere scorpionem marinum Auic. vel quãdo sunt veneniati quodammodo: quod quidem contingit, quando ab eo pisce, qui appellatur Torpedo, stupescit manus, quando dormientes sub narcisso arbore stupefiunt, quia scilicet spiritus veneniantur quodam pacto, & a pisce, & ab arbore: vnde postmodum, cum facultas refugiat venenum, dimittit spiritus, atque ita stupor, seu torpor inducitur.

Probl. 1.

Circa stuporis tractationẽ, quatuor problemata occurrunt, scitu digna, 1. est, cur inter ceteras corporis partes potissimum extremæ stupore tententur, 2. Cur mẽbra stupore tentata adeo grauia, & ponderosa videãtur, 3. Vnde in stupore oriatur illa formidulatio, quæ apparet, 4. Cur existente in renibus lapide, crura stupore capiantur. Ad primũ video tres esse causas, cur partes extremæ stupore exerceantur. Prima est, quia hæ partes, & potissimum pedes sunt maxime remotæ a corde, & cerebro, quo fit, vt facile deserantur a spiritibus, desertæ a spiritibus, facile etiam hanc passionem incurrant, quæ oritur a frigiditate. Secunda causa est, quia humores crassi, & graues suo pondere ad pedes præcipitantur, vbi neruos crassefaciunt, & contaminant, contaminati nerui non admittunt spiritus, & tunc est quod stupore vrgentur. Tertia causa est, quia natura cum fecisset, dicit Galenus, pedes ad ambulandum, debebant corpora dura, & aspera sæpe inuenire, vbi offenderent, quod vt euitaret, fecit neruos pedis, & musculos valde duros, ratione cuius duritiei efficitur, vt ideo quolibet negotio a spiritibus deserãtur, vel, vt dicit Auic. eo non penetrent.

Probl. 2.

Ad 2. problema respondeo, quod sicuti pueri sustinere nequeunt pondus corporis, propter imbecillitatem virũ, atq; quodlibet pondus ipsis videtur graue, sic, cum facultas partiũ stupidarum sit imbecillis, corpus videtur admodũ graue, & ponderosum. Gal. enim secũdo de caus. sympt. 2. declarans modum generationis stuporis, dicit fieri a morbo, & a natura simul agentibus, quia si natura superaret morbũ, non accederet impedimentum, Si morbus superaret naturam, non fieret vllo modo motus: quia vero neque morbus, neq; natura vincit, dicit Galenus, fit motus diminutus: motus, in quo mobile admodum graue videtur. Ad tertium respondendum iudico, ideo apparere eam formiculationem, quia in partibus stupore correptis loco spirituum succedunt vapores: vbi autem spiritus redire conantur ad loca stupefacta, inter ipsos, & vapores fit veluti quidam conflictus, qui formiculationem istam inducit. Dixerunt aliqui huiusmodi formiculationem apparere magis in temporibus, dum stupore tentantur ob arterias, sed nugæ sunt, quia magis apparent in partibus inferioribus, quam superioribus.

Probl. 3.

Ad po-

Probl 4.

Ad postremum respondendum est, id quod habetur in libro illo de renibus Gal. adscripto, cap. 10. vbi lapides sunt in renibus, comprimi venam, quæ pertingit ad crura, qua vena compressa intumescunt venæ crurum; venæ tumefactæ comprimunt neruos, quibus astoc antur, atque ita stupor inducitur. Cuius stuporis tot differentiæ sunt; quot paralysis, quoniam stupor, vt dicit Gal. nihil aliud est, nisi imperfecta paralysis.

Diff. Signa.

Signa stuporis clarissima sunt, quia statim percipitur motus impeditus, pars stupefacta, veluti quoddam pondus est toti corpori, interdum etiam frigida est. Quod si fiat stupor a causa procatarctica, signa clarissima sunt: quemadmodum etiam, dum fit ab humore frigido, quia & temperies corporis, & ratio victus anteacta, semper indicant dominium pituitosi humoris. Quod si fiat ab oppilatione, indicium est perseuerantia mali.

Prognostica.

De signis prognosticis illud vnum est notãdum, quod dicit Gal. 2. de loc. aff. 2. stuporem medium quendam affectum esse inter paralysin, & sanitatem: vt iure dixerit Rases, stuporem, si perduret, conuerti tandem in paralysin. Id quod etiam notatum habetis apud Auic. Non est etiam prætereundum, id quod scribit Galen. ex sententia Hipp. 6. epid. com. 2. tex. 5. moderatum stuporem soluere dolores.

Curatio.

Stupores, qui fiunt a causis procatarcticis curantur leui negotio, quia quam primum sublatæ sunt huiusmodi causæ; illico finitur stupor. Vbi non fit stupor a causa procatarctica, opus est auxilio medicinæ. Imo dicit Rases, & Auicen. huiusmodi stuporis curationem non esse tardandam. Itaque cum a nobis dictum sit, stuporem esse veluti quandam imperfectam paralysin, rationi consentaneum est, curationem eandem deberi stupori, quæ debetur paralysi. Non igitur longus ero in repetenda huiusmodi curatione. Id sat erit, vos monuisse, rationem medendi in stupore debere in cunctis esse remissiorem curatione paralysis.

CAPVT XXIV.

De Tremore.

Ratio ordinis. Diff. Nũ tremor motus deprauatus vel diminutus.

INter motus diminutos Gal. in lib. de Tremore, cap. 4. in fine, Tremorem annumerat. Et alijs in locis videtur nominasse tremorem, qui a Græcis dicitur τρόμος, quapropter, & nos eum secuti hac in re, de tremore nunc tractabimus. Sed video interrogaturum esse aliquem, cur igitur Gal. in 1. c. lib. 2 de sympt. caus. adnumerauit tremorem inter motus deprauatos? Dico, motum dupliciter considerari posse: vel secundum seipsum, vel secundum facultatem, a qua fit. Si consideretur secundum seipsum, vtique est motus deprauatus, quia non fit eo pacto, quo deberet: sed si consideretur secundum facultatem, a qua fit, est motus diminutus, eo, quia fit a facultate imbecilli, quæ fortes motus facere non potest.

Est tremor motus inuoluntarius, & preternaturalis, quo mouetur corpus modo sursum, modo deorsum. Dicitur motus inuoluntarius, & præternaturalis, quoniam etsi tremor nunquam fiat, vt dicit Gal. nisi quando homo sese mouere vult: attamen voluntas nõ ita imperat, quemadmodum imperare deberet; siquidem cum tota deberet, & sola sui imperio corpus mouere, fit, vt interdum pondere corporis voluntati inferatur violentia; vt iure dicatur motus inuoluntarius, & præternaturalis.

Dicitur postremo sursum, & deorsum ad differentiam stuporis, quia stupor est motus præternaturalis, & fit, vt dicit Gal. lib. 2. de sympt. caus. cap. 1. tum a facultate imbecilla, tum a morbo, quemadmodum fit tremor. Sed in stupore non mouetur corpus sursum, & deorsum, quemadmodum mouetur in tremore, in quo cum modo corpus suo pondere ad terram vergat, modo a facultate attollatur, fit motus ille quem, & Auic. & Auenz. dixerũt esse veluti pugnam inter morbum, & facultatem. Sed est dubium, si tremor compositus est ex motu voluntario, & motu naturali membri.

Quomodo potest dici affectus preter naturam, imo deberet dici maxime secundũ naturam, eo, quod non solum fiat a natura, verumetiam ab anima. Dico appellari affectum preter naturam, quia a natura comparatum est, vt anima nostra sit tanquam imperatrix corporis nostri, ita vt possit corpus regere, & sustinere, secundum imperium suum. Vnde cum in tremore hoc non fiat, dicitur esse preter naturam, non fit vero, quia virtus motrix est debilior, quam vt pondus corporis, vel membri sustineri possit, vnde iure à Galen. lib. de trem. & palpit. cap. 3. dicitur esse accidẽs virtutis motiuæ debilitatæ. Sed maior ex hoc loco oritur difficultas, scilicet. An tremor sit motus simplex, an potius sit motus compositus ex motu corporis, & ex motu animæ? In hac re Auer. 3. collect. c. 31. videtur fuisse obscurus, & dubius, quia facit eum modo compositũ, modo simplicẽ. Gentilis multis argumentis conatus est contra Gal. demonstrare, quod tremor nõ sit motus compositus, Sed quia lõga esset hæc disputatio, omissis argumentis Gentilis, solũ statuam ante oculos vestros, quæ sit vera, & germana Gal. sententia. Gal. igitur 2. de sym caus. 2 & lib. de tremore, & rigore c 4. & 5. tria ad tremoris essentiã pertinentia statuisse videtur. Vnũ est, tremorem differre a palpitatione, quia est affectus facultatis, cum palpitatio sit potius affectus mẽbri, Differre vero a rigore, quia tremor nõ fit, nisi homo, aut corpus voluntarie moueatur: rigor efficitur, etiamsi homo non cupiat sese mouere: Quomodo vero in tremore reperiatur

An tremor sit motus simplex.

Tremor vt a palpitatione & rigore differat.

G sempet

semper illa voluntas,& impetus ad mouendum, declarat Gal. luculentissimis exemplis 2. de sympt.caus.a. Alterũ est, tremorem fieri ob facultatis, quæ mouet, & vehit corpus, imbecillitatem, siquidem membra, quæ suapte natura grauia sunt, & deorsum ferri nata, haudquaquam ex sepsis per omnem locum moueri possunt, sed facultas a principio per neruos musculis immissa, veluti vehiculum quoddam atque ala motus ipsis est, quæ si amiserint (vt in resolutis cõtingit) instar auis, cui sint alæ ademptæ in terram ruunt, quod siquidem non amittant, at illa causa pauca sit, atq; infirma, ita vt partes corporis, perinde ac onus quoddam gestare nequeat, necesse est, membrum ita dispositum tremere.

Tertium propositum est a Galeno, quod sicuti brachium extensum, vt demonstrat in lib. de motu muscul. detinetur duobus motibus contrariis insensibilib. scil. motu naturæ, & motu animæ: sic etiam membrum tremens tremit propter hos duos motus: qui tametsi sint insensibiles tamen cum sint æquales, efficiunt, vt neque grauitas corporis vincat, neque etiam facultas motrix. Et propterea sequitur, vt huiusmodi motus, qui tremor est, dicatur esse motus quidã compositus ex motu animæ, & ex inclinatione corporis.

Est tamen vnum aduertendum, hos duos motus imperfectos esse, & duos illos motores facultatem scilicet, & corporis naturam nequaquam secundum sui totam potentiam agere: Ex quibus facile erit vobis, si videatis argumenta Gentilis colligere, Galenũ vera dixisse, & ipsum recedere a veritate.

Dicitur vero affectus facultatis motricis voluntariæ, non autem membri, quoniam ex natura corporis animalis est, vt virtus motrix ducat, & vehat corpus; vnde si virtus non vehat, ipsam contra naturam constitui intelligitur, corpus vero cum deorsum tendit, nil cõtra naturã suam patitur, vnde in tremore vr̃ corpus non affici præter naturam suam, sed solum virtus motrix.

Dubiũ. Dubium est, quod dicat Gal. a. de sympt. caus. cap. 1. scilicet ad tremorem concurrere virtutem, & membrum: cum idem in lib. de trem. solam imbecillitatem facultatis ponat, vt in timore, & plerisque alijs fiat tremor sine membro. Dicendum, alium esse tremorem morbosum alium non morbosum: hunc a sola facultate imbecilla fieri: illum etiam a membro. Vel, dicendum, principaliter fieri a facultate, subsequenter, & per accidens a membro.

Sequitur hoc symptoma morbum, & instrumentalem, & similarem, vt audietis. Locus affectus non vnus est, sed tot, quot demonstraui in paralysi.

Tremoris. causa duplices. Causæ tremoris, vt habetis apud Gal. de sympt. caus. a. 3 epid. com. 1. tex. 4 lib. de trem. rigore, &c. c. 15. reducuntur ad duo summa genera: vel enim hæ causæ pertinent ad facultatem, vel pertinent ad instrumenta. Quæ pertinent ad facultatem, sunt ea, quę imbecillam reddunt facultatem. Nam, sępe dixit Galen. in lib. de tremore, semper tremor sequitur facultatis imbecillitatem.

Iam vero facultas, vt alias copiosissime docui, tota posita est in calore natiuo, seu in temperamento. Siue enim temperamentum, & calorem dicamus esse ipsam facultatem, vt falso aliqui existimarunt, siue dicamus primum facultatis instrumentum, nihil refert. In pręsentia sat est debilitatem ipsius facultatis nullam aliam esse, nisi debilitatem caloris natiui.

Calor autem, dum debilitat, virtutem in tremore, aut hoc facit, quia corrumpitur, aut quia alio auocatur: vitiatur calor vel extinctione, vel marcore, vel suffocatione. Tot sunt causa, quibus calor lædi potest. Læditur primo extinctione, quando offenditur a suo contrario, scilicet a contrario frigore. Et hinc est, quod, vt dicit Galen. 2. de symp. caus a. hyeme, & summo gelu ex potu aquæ frigidæ nascatur tremor, eo, quod a frigore fere extinguitur calor. Sed dicit. Auic. fieri tremorem a scorpione aquatico, si mordeat, propter immensum frigus, quod inducit in corpus. Marcore corrumpitur calor duobus modis: vel quando sponte sibi deficit alimentum, vel quando a maiore igne sibi eripitur alimentum. Primo modo marcescit calor, non aliter ac videmus marcescere lumen lucernæ paulatim deficiente oleo. Sic dicit Galen. fieri tremorẽ in magnis fluxibus alui, in copiosis sanguinis euacuationibus, in nimio coitu, in nimio ieiunio, in senio, Secundo modo marcescit calor in magnis febribus, præsertim in ebrietatibus, ex Philosopho. probl. sect. 6.

Corrumpitur tandem calor suffocatione. Cum enim, vt nostis, calor noster opus habeat perpetua euentatione, vbi prohibetur hæc euentatio, fuligines retentæ vsque adeo aggregantur, vt calorem suffocent. Et hoc modo etiam interdum tremunt ebriosi. De hac etiam causa locutus est Hippoc. a. epid. 4. vbi dicit, ancillam eam tremuisse, eo, quod propter purgationes retentas calor a copia sanguinis pene suffocabatur. Hæ igitur sunt causæ, a quibus debilitatur virtus, propter destructionem caloris.

Debilitatur etiam propter auocationem caloris, quando scilicet calor, qui deberet famulari facultati, non ipsi seruit, sed alio defertur. Exemplum est in animi affectibus, in timore, quando enim, vt dicit Gal. quis obambulat prope præcipitia, aut quando fugit persequentes, quando loquitur coram principibus, tremit; non ob aliud, quam quod, vt dicit Auic. calor qui deberet famulari virtuti motrici, alio auocatur ad cor.

Causæ ex parte instrumenti videntur a Gal. a. de sympt. caus. tantum redactæ ad oppilationẽ factam ab humoribus viscidis, & crassis, in neruis, etenim facultas motrix interdum tentans permeare, vim facit, atque mouet sursum, sed impedita prosequi membrum; iterum deorsum mouetur, cumque ita pluries fiat tremor suboritur.

Dubitatur an pręter obstructionem possit aliquid aliud in neruis contingere, quod sit

causa

causa tremoris. Auic. voluit intemperiem frigidam, & siccam posse in neruis esse causam tremoris. D. frigiditate, & humiditate facile est cōcedere Auicennæ, eo, quod etiam Gal. loc. cit. 2. epid. dicit manifeste, tremorem esse affectum frigidum. Sed de siccitate sane anceps sum, quoniam si siccitas sit insignis, non ita potest offendere, vt fiat tremor. Quando enim nerui nimis exsiccantur, contrahuntur, & vertuntur versus originem, qui affectus multum diu ... est a tremore. Itaque pace Auicennæ non possum intelligere, quomodo a siccitate possit fieri tremor; idque eo magis, quod si hoc verum esset, hectici, & marasmatici deberent tremere, quanquam, licet vim motricem habeant debilem, nunquam videantur tremere.

An præter obstructionē possit quid aliud in neruis causare tremorem. Contra Auicennam.

Idem mihi dicendum videtur ad Fernelium, qui sicuti putauit, paralysin fieri posse a bile, simpliciter opinatus est, tremorem fieri posse a bile: adductus eo exemplo, quod sub finem febrium acutarum tremunt ægri. Sed hoc exemplum Fern. non probat, quia, vt dixi de paralysi, in fine febrium acutarum tremores contingunt, propter caloris læsionem, & consequenter propter facultatis debilitatem.

Contra Fernelium.

Video vos statim dicturos, si tremor sequitur semper facultatis debilitatem, videtur debere dici, semper virtutis affectus, non autem instrumenti. Qua itaque ratione dicitur a Gal. quandoque contingere ratione instrumenti? dico semper tremorem habere comitem facultatis imbecillitatem. Sed hæc imbecillitas quandoque ex calore diminuto, aut viciato oritur, quandoque ex instrumento. Et vbi debilitas cōsequitur ex intemperie, aut ex læsione facta in calore ab affectu nerui, dicitur a Gal. & a Medicis esse affectus instrumenti, non autem virtutis. Et hoc est, quod dicit G. 1. 3. epid. com. 1. tr. 4. vires quandoque infirmas esse per se, quandoque ob animi accidentia; quandoque non per se, sed propter onus: vt si robustissimus oneretur pondere grauissimo, sane tremit. Igitur virtus debilis est, non quidem per se, sed ratione ponderis; adeo quod in tremore virtus semper debilis est, aut per se, aut per accidens. Dubitatur etiam, quomodo verum sit, tremorem semper comitari virtutis imbecillitatem, quoniam videmus homines interdum, ita tremere, vt a tribus contineri hominib. non possint, resistere ... tribus hominibus, non est debilitatis argumentum, sed potius summi roboris. Hoc exemplum tantum potuit apud multos, vt dixerint Gal. errasse, cum scripsit tremorem semper fieri a debili virtute.

Dubium soluitur.

Sed multum abest, vt ego damnandum existimem Galenum. Quia huiusmodi motus nequaquam debet appellari tremor, sed potius conuulsio, & concussio quædam. Et ratio est, quia tremor inquit Gal. nunquam fit sine motu voluntario, nisi homo eligat se mouere, nunquam fit tremor. Sed illi, qui ita mouentur, non eligunt se mouere, sed contra voluntatem, & propter impetum, ita mouentur, & concutiuntur.

Tremorem autem fieri ex parte virtutis, & instrumenti, quamuis expresse a Gal. non explicatum nō habeamus, attamen fieri posse cum Auic. puto, siquidem virtus modice debilitata, & membrum humiditate grauatum possunt tremorem facere, qui non fieret, si vis debilis parum existens illæsum moueret, aut facultate illæsa existente membrum affectū, & graue esset; quod sane ebriosis, & repletis contingere posse fateor, quanquam Arist. vt audiuistis, ad solam caloris natiui extinctionem reducat.

Dubitat Auic. cur sic, quod sæpe videmus tremere manus, & non pedes, cum tamen contrarium deberet euenire, siquidem pedes sunt debiliores. Et cum tremor oriatur a virtutis debilitate, deberent pedes magis tremere. Affert tres causas huius euentus Auic. quia vbi tremunt manus, & non pedes, origo mali non est in nucha, sed in tramitibus neruorum ad manus pertinentium. 2. quod tametsi causa sit in nucha, potest tamen depelli a natura in partem, scilicet in manum, vnde necessario sequitur tremor. 3. ratio est, quia spiritus gubernātes pedes, sunt crassiores, & proinde firmiores, quam spiritus manus: quo ita existente sequitur facilius tremere manus quam pedes. Potest, & addi quarta causa, quia ad efficiendum motum tremulum concurrit, vt audiuistis, grauitas partis. Iam vero magis manus ponderant, quam pedes, duabus rationibus, tum quia manus sunt longiores, & remotiores a centro, ad quod grauia inclinant, tum quia pedes semper sunt in terra fixi, & sunt proximiores centro.

Cur manus potius tremant, quam pedes.

Signa, quæ indicant tremorē, manifesta sunt sensibus; quia nemo est, qui statim aspectu non agnoscat tremorem. Causæ efficientes cognoscuntur etiā suis signis. Quia si fiat tremor a causis procatarcticis ex relatione, & aspectu cognoscitur. Si fiat a plenitudine, cognoscitur ex totius corporis dispositione. Si vero fiat ab humoribus imbibitis neruis, & obstruentibus cognoscitur, quia malum difficulter eliditur, atque etiam post purgationes, & post remedia perdurat.

Signa. Causarū efficientium signa.

Progn. Hipp. in coacis prænot. dicit tremores, qui fiunt ab atra bile, & qui fiunt in plenitudine malos esse. Vbi etiam dicit in senibus interdum, ita fieri tremores, vt depellant lapides a renibus. Idem quoque Hipp. 6 aph 26 dicit, quod, vbi in febribus contingit tremor, si superueniat delirium, soluitur. Quem locum dum exponeret Gal. quasi damnat Hipp. quod dixerit tremorem solui delirio: quia, vbi ex minore malo fit maius, non dicitur vere solui.

Auic. autem lib. 4 fen. prima, cap. de Causone, conatus est defendere Hipp. a Gal. sed mihi videtur superuacanea dixisse: nec puto esse vllam potiorem rationem defendendi, quam quod mos est Hipp. vocibus Græcorum abuti. Et hoc manifestum est, quia Gal. & Erotianus fecerunt librum de vocibus, quibus videtur vsus Hipp. extra communem cōsuetudinem. Imo etiam hoc videtur innuere Gal. non autem Hippocratem damnare.

Progn.

Tremor in apoplexia, & epilepsia malus est, eo, quia signum est non solum offensum esse cerebrum secundum cauernas, & substantiam: sed & secundū originem neruorū. Similiter dicit

Gal. & Auic. tremores, qui fiunt in senibus, fere incurabiles esse, eo, quod cum oriantur propter caloris paupertatem, vix fieri potest, vt ope vlla senibus restituatur pristinus calor.

An tremor partis dextræ vel sinistræ difficilior.

Sed an tremor partis dextræ aut sinistræ sit difficilior? Auic. videtur dixisse, esse difficiliorem illum, qui sit in sinistra parte.

Sed ratio videtur contraria, quia tremor in parte sinistra fit a debiliori causa, eo quod, cum facultas illius partis sit debilior, facile a quolibet extrinseco læditur; facultas autem partis dextræ cum sit robustior, non læditur a quaslibet, sed tantum a potentissima causa; ideo videtur rationi consonum, tremorem in dextra parte esse difficiliorem. Vt autem tueamur Auic. dicendum est, difficiliorem ab ipso dici tremorem sinistræ partis: quia difficilius curatur, quia ad omnem curationem concurrit partis robur, si remedijs copuletur robur partis, facilius succedit. E conuerso, si remedijs iungatur imbecillitas partium, difficilius omnino succedit curatio.

Curatio.

A proprietate conferentia.

Curatio. Rases dicit, si hæc affectio oriatur ab humoribus obstruentibus, nullam esse curationem aliam, quam paralysis, adeo vt, & medicamenta, & eadem victus ratio vtrique conueniat, nisi quod in paralysi omnia debent esse vehementiora; in tremore remissiora. Sunt quæ a proprietate dicuntur conuenire, vt est apud Auenz. caput leporis ol. aqua, & aceto coctum, atque pluribus diebus in vsu habitum. Sunt alia plurima, quæ inuenietis apud scriptores.

Si fiat a causis procatarcticis dicit Galenus 2. de sym. pt. caus. nullam aliam esse rationem medendi, nisi vt contrarijs tollantur, ex. gratia, si a timore fiat, timor tollatur; si a frigore externo, calefiat corpus, detineatur in loco calido, in balneo. Sin ex immodica vacuatione siue per aluum, siue per sanguinem, siue aliqua alia ratione, ratio victus resumptiua, & restauratiua est remedium accommodatissimum. Quod si fiat a repletione, quæ secuta sit aliquam enacuationem retentam, præsentaneum remedium est sanguinis missio. Gal. enim dicebat 2. epid. tract. 4. Hippocratem in casu illius ancillæ, cum vidisset tremorem oriri ex plenitudine, misisse sanguinem, quod inquit Galen. fortasse non fecissent alij Medici: quia tremor est affectus frigidus. Vnde vt testatur Rabbi Moyses 25. part. aph. ex sententia Gal. in com. supra secundum epid. in tremore nunquam est mittendus sanguis, etiamsi adsit plenitudo. Ratio est, quia licet adsit indicans, adest tamen, & prohibens, scilicet virtutis imbecillitas; nisi tremor oriatur immediate ex plenitudine.

CAPVT XXV.

De conuulsione.

Nomen.

SEquuntur vitia deprauatæ functionis motricis facultatis, inter quæ secundo loco sese offert is affectus, qui a Græcis dicitur σπασμός. Latini dicunt conuulsionem. Celsus appellauit distensionem. Hæc omnia nomina tam Græca quam Latina, capta sunt ab ipso symptomate, vt de nomine Græco testatur Galenus 2. meth. Sed vt exacte hanc rem intelligatis, debetis scire, tria esse nomina apud Græcos, & apud Galenum.

Vnum est, pathos spasmodes, Latini interpretes vertunt affectum conuulsorium: qui nil aliud est, quam affectus quidam, qui in sui principio, aut paulo post inducit conuulsionem, vt testatur Galen. 3. in 1. prorhet. 70. & 1. de præsag. ex puls. 9. Secundum nomen est spasma, quod vertunt Galen. interpretes conuulsionem: Et nil aliud est, vt docet Galenus, quam solutio continui in membris neruosis citra vulnerationem. Habetis hanc vocem apud Galen. 4. meth. libr. de diff. morb. & de diff. symptomat. cap. 11. Tertium nomen est spasmos, qui etiam ab interpretibus vertitur conuulsio. Barbari solent appellare spasimum. De duobus prioribus non est nunc institutum sermonem habere, sed de tertio, qui dicitur spasmos, & conuulsio.

Hæc conuulsio quandoque distinguitur a Tetano, vt distinxit Cal. Aurel. 3. acut. Auicen. & multi alij, vt etiam videtur accepisse Hippoc. 4. aphor. 57. quandoque vero accipitur conuulsio pro nomine generico, & ad Tetanum, & ad alios. Quanquam Aretæus etiam hoc nomen Tetanos facit genericum. Loquemur nos de conuulsione, vt est nomen genericum ad Tetanum, & ad alias species.

Definitio.

Est vero huiusmodi affectio, vt docet Galenus 6. aphoris. 39. passio inuoluntaria in neruis.

Sed hæc descriptio nimis ieiuna est. Itaque melius idem Galenus tertio de loc. aff. 6. dicit, conuulsionem nil aliud esse, nisi inuoluntariam contractionem neruorum ad suum principium: in qua contractione similiter, & alia membra contrahuntur. Dicitur a Galen. inuoluntaria contractio, propterea quod hic affectus, vt idem docuit 2. de sympt. caus. est symptoma motricis facultatis inuoluntarie mouentis. Dico inuoluntarie: quia vbi homines sani sunt, nerui contrahuntur ad sua principia, sed voluntate libera conspirante; in conuulsione contrahuntur nerui, & contrahuntur a virtute motiua, sed non voluntate libera, vt audiuistis.

Num conuulsio sit motus animalis.

Hic nobilissima oritur quæstio, vtrum conuulsio sit motus factus ab anima, seu a facultate motrice. Ex vna parte videtur nequaquam fieri a facultate. Siquidem Gal. 2. de sympt. caus. 1. scribit, esse opus solius membri, non facultatis. Præterea in epilepsia, quæ est conuulsio vehemens, homines cadunt in terram, habent amissum sensum, ergo, & motum: non recordantur, nec quicquam intelligunt, aut aduertunt, vt omnino anima feriari videatur. Ex altera parte est irrefutabilis

futabilis demonstratio. Siquidem, vt copiosissime disputat Gal. 1. de motu muscul. conuulsio est contractio, & potissimum epilepsia; contractio est propria actio musculorum. Quare necessarium est, fateamur fieri ope musculorum. Atque explicatissimis verbis monstrat Gal. musculos esse instrumenta ipsius animæ, non autem naturæ. Imo vero primo illo de motu muscul. scribit, musculorum motum nunquam fieri posse citra voluntatem. Appellat autem voluntatem vtrumq; animæ appetitum, rationalem scilicet, homini proprium, & irrationalem brutis communem. Vnde Auer. 3. coll. 33. dicit esse pugnam inter motum virtutis motiuæ, & motum contractionis. Quid igitur dicendum? Sum huius sententiæ, ob demonstrationem allatam, epilepsiæ motum omnino fieri ab anima, quæ cum ventriculorum cerebri læsionem ab humoribus, & vaporibus factam percipit, cupiens eam noxam depellere, quasi ebria, atque errans huiusmodi malos, vt ait Auer. motus edit.

Ad rationes autem contrarias, & primo ad Gal. dicendum est, vel ipsum fefellisse, vel illam auctoritatem intelligendam esse, quod, sicuti habet 2. de motu musc. cap. 5. & 6. aliquæ actiones sunt mere liberæ, aliquæ sequuntur affectus corporis, inter has postrema est conuulsio, quæ fit ab anima ob læsionem cerebri, sicuti fit mictio, & egestio ab eadem anima, ob læsionem factam vel a copia, vel a qualitate, vel ab vtrisque. Nec valet quicquam, quod homines cadant, & sensum amittant, quia etiam dormientes profunde cadunt, vt ebrij, & sensum amittunt, vt passim in eod. lib. Gal. cap. 4. attamen cum loquantur, & sese moueant, quis negabit in ipsis huiusmodi motus fieri ab anima, & proinde a facultate. Nec quicquam valet, quod non intelligant, nec recordentur, quoniam vt præclarissime Gal. docet eod. lib. cap. 7. compiures actiones voluntariæ inueniuntur, quas ignoramus nos agere, nec ipsarum meminimus, vt respirationis in somno, motus, & sermonum, quinimo etiam vigilantibus oculi mouentur, quod alioqui fit voluntaria facultate, cum ignoratione, & obliuione, eo quod, vt ait Galenus, in imaginatione, in qua fit memoria, exiguas, & obscuras impressiones faciunt.

Genus symptomatis.

Conuulsio igitur est symptoma in genere actionis motricis deprauatæ. Et quanquam Auicen. vocet spasmum ægritudinem (ita appellat, quia, vt alias docui, consueuerunt sæpenumero abuti voce morbi pro omni affectu præter naturam) vel alia forsan ratione vocat conuulsionē morbum, quia reducitur ad morbum, vt alia symptomata, scilicet ad morbum, qui fit in via: nec non interdum ad vnitatis solutionem, quandoquidem sæpissime videntur partes in spasmo valde intense dissolui, vnde dolores acerbissimi nascuntur. Dico interdum ad vnitatis solutionem, quia non semper in conuulsione adest vnitatis solutio: quoniam si hoc esset, spasmus, & spasma essent idem, quod est falsum.

Cur non semper copulentur dolores conuulsioni.

Sed dicens, cur non semper copulantur dolores conuulsioni, cum sit affectus adeo vehemēs. Propter tres rationes contingere potest, vt conuulsio sit sine dolore. 1. quoniam conuulsio fit paulatim. Scitis enim ex sententia Plat. in Timæo, & ex Galeno dolorem esse subitum recessum a statu naturali ad præternaturalem, adeo quod quando hic recessus fit paulatim, dolor nō adest. 2. causa esse potest, quia conuulsio seu contractio, non transgreditur mensuras naturales. 3. quia materia infixa in neruis, fit adeo dura, & scirrhosa, vt insensibiles pene reddat neruos.

Differentia.

Differentiæ conuulsionis sunt præcipue quatuor, quoniam conuulsio, vt habet H.pp. 6. aphor. 39. fit a repletione, aut inanitione. Præterea est conuulsio primarius affectus, aut per consensum.

Adhęc conuulsio aut fit paulatim, aut subito. Postremo, conuulsio aut est totius corporis, aut est partium: Conuulsio partium, de qua in præsenti nobis est sermo, tres species sub se complectitur, eo quod tres solū sunt figuræ, ob quas corpus nostrum motum facere solet. Corpus enim dum mouetur, aut rectum mouetur, aut curuatum. Si moueatur curuatum, aut mouetur antrorsum, aut retrorsum, ita quod, cum tot sint motus, & figuræ motus naturalis, totidem esse debent motus deprauati secundum has figuras. Quia aut mouetur in conuulsione secundum rectam figuram, & dicitur Tetanos, aut mouetur antrorsum, & dicitur emprosthotonos: aut retrorsum, & dicitur opisthotonos. Tetanum appellant Latini, & præsertim Celsus, rigorē corporis: nec immerito, quia veluti corpora rigida, & gelu concreta, ita manent erecta, vt in nullam partem flectantur: sic miseri ægri, qui capiuntur hoc symptomate, manent inflexibiles.

Obiectioni occurritur.

Sed dubitabit aliquis, si possunt fieri tot motus deprauati, quot sunt motus naturales: Videmus quod corpus naturale mouetur in latera, tum dextrorsum, tum sinistrorsum: deberet ergo corpus in conuulsione interdum contrahi dextrorsum, interdum sinistrorsum, quod tamen nequaquam videtur. Nunquam enim videbitis conuulsos in alias partes contrahi, & in alias figuras, quam in tres enumeratas.

Dico non fieri has figuras contractionis, propterea, quod pauci sunt musculi, vt ex anatome obseruatum est, qui flectant corpus in latera, plures sunt qui flectunt vel antrorsum, vel retrorsum. Cum igitur in hoc tormento omnes musculi corporis operentur, illi, qui flectunt ad latera, nunquam possunt vincere, sed qui flectunt corpus, vel antrorsum, vel retrorsum, cum sint plures, vincunt modo hi, modo illi.

Vnde etiam pulcherrimum potestis soluere problema, cur in paralysi potius afficiatur dextra vel sinistra pars, in spasmo anterior, vel posterior.

Problema not. soluitur.

Nam conuulsio incipit a musculis, & tendit in cerebrum, quia est contractio neruorum ad suum principium, cum igitur incipiat a musculis, necessario quando musculi vel anteriores vel posteriores superant, fit motus horsum vel illorsum: paralysis incipit a cerebro, & desinit in

neruos; & propterea facile fieri potest, vt materia a facultate cerebri detrudatur ad dextram vel sinistram partem.

Causa. Externa. Causæ conuulsionis aliæ sunt primitiuæ, aliæ contentiuæ. Primitiuarum aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Inter externas Aretæus multa enumerat, aerem immodice calidum, & immodice frigidum.

Vnde dicit Auicen. septentrionales, & meridionales plagas maxime obnoxias esse huic ęgritudini. Similiter alia quæuis magna refrigeratio inter externas causas enumeranda est. Vnde inde dicitur, quod hyeme magis fiunt conuulsiunes, deinde æstate, postremo autumne. Vulnera, percussiones inter has causas quoque locum habent. Addidit. Cæl. Aurelian. & recte, quod si pondus graue diu maneat superpositum partibus neruosis, efficere posse conuulsionem.

Sic nimij labores, nimij coitus conuulsionem efficiunt. Inter has causas possumus recensere qualitates venenosas, quæ siue aliũde, siue ab animalibus eiaculẽtur in corpus, solent facere cõuulsionẽ. Recitat Nicãder scorpiones nigros, & virides suis puncturis conuulsionem inducere.

Primitiua. Causæ primitiuæ internæ secundum Auicen. sunt animi accidentia, nimius timor, vehemẽs gaudium, immoderatus risus. Hæc omnia conuulsionem facere possunt. Nimius potus, præsertim vini meracioris, nimius cibus.

Interna. Habetis auctoritatem huius rei apud Aristotel. 7. cap. vlt. de hist. animal. in fine, vbi scribit pueros lacte, & præsertim crasso, nimis repletos, facile tentari conuulsionibus. Vermes, puncturæ extremorum, vt puncturæ digiti, manus, vel pedis, sunt causæ conuulsionis. Adnumerat Galen. cum his 4. de præsag. ex puls. & lib. de puls. ad tyrones, etiam inflammationem septi transuersi.

Sexus quoque magnam partem sibi vendicat, siquidem dicit Aretæus, mulieres tentari facilius cõuulsione quam viros. Aetas quoque, de qua Hipp. 3. aph. 25. & 3. progn. 34. pueros & præsertim, cum dentire incipiunt, facile corripi dicebat conuulsionibus, quem locum exponens Gal. addit, sicut & Aretæus, quod sicuti pueri facile tentantur conuulsionibus, sic etiam facile euadunt.

Cur autem facile, & tententur, & euadant, reddunt rationem Gal. & Aui. quia facultatem motricem, & neruos habent valde imbecilles; facultatem autem naturalem, & vitalem valde robustas, ita vt facile tententur, sed facile etiam superstites euadant.

Causæ continentes et immediatæ. Causas continentes, & immediatas reduxit Hippo. 6. aph. ad duo, scilicet ad repletionem, & ad inanitionem. Dicit enim, quod vt singultus fit ex inanitione, & repletione: ita, & conuulsio. Nec moueat vos, quod Gal. 5. de med. lo. videatur alias causas proferre conuulsionis, quia illæ non sunt causæ immediatæ, sed remotiores, nam veræ aut sunt ex parte repletionis, aut ex parte inanitionis.

Probatur hoc exemplo chordarum: quia sicuti chordæ contrahuntur vel franguntur, aut quia nimis humiditate replentur, veluti sub tempore frigido, & humido, aut quia nimis exsiccantur, veluti sub tempore calido, & sicco: Idem etiam contingit in neruis, vt scilicet hunc affectum subeant, vel quia nimis replentur, vel quia nimis inaniuntur. Nam, & Auerrho. 3. col. 33. dixit, duas esse causas conuulsionis; aut malam complexionem calidam, vt in æstu, quæ exsiccando, & consumendo humiditatem, ad statum præternaturalem deducit neruos; aut esse malam complexionem humidam, quæ cum impleat neruos, facit vt crescant secundum latitudinem, decrescant vero secundum longitudinem, propter quam abbreuiationem cõtrahuntur versus suum principium, & fit conuulsio.

Dubitatione dignum est, an spasmus fiat ab vlla alia causa quam a repletione, aut ab inanitione. Ratio dubitationis est, quia Auicenna, præter iam dictos conuulsionis modus, proponit & alium, quem vocat spasmum proportionatum ad materiam: quando scilicet nerui ab aliqua re mordente puncti contrahuntur: Auicennam secuti sunt omnes Arabes, Galenus, qui vidit hanc difficultatem 5. aphoris. primo, vt saluaret Hippocratem; dicit, reduci ad inanitionem, & siccitatem, ita quod spasmus, qui fit a re pungente, fiat quodammodo a siccitate.

Sed pace Gal. hæc res mihi videtur valde dura, quia licet cum re mordente iungatur quandoque siccitas; fit etiam quandoque sine siccitate, vt non possit semper reduci ad siccitatem. Deinde siccitas, quæ facit conuulsionem, longo tempore introducitur. conuulsio facta ex re pungente fit subito. Auerrh. 3. coll. 33. videns, & ipse hanc difficultatem, dixit, hanc conuulsionem factam propter rem pungentem, non esse veram conuulsionem, sed potius quandam expandidationem, ita enim loquitur.

Ego autem puto, si hoc genus conuulsionis reducendum est ad aliquid nominatum ab Hippocrate, debet reduci ad repletionem; quia vbi expunguntur nerui, facultas expultrix sæpe mittit humores ad locum punctum, propter quem subitum confluxum replentur nerui, atque efficitur inflammatio; ab inflammatione deinde tanquam a causa replente, fit conuulsio.

Hoc genus spasmi videtur Altimarus appellasse spasmum per consensum. Sed in ea sententia nequaquam debet dici per consensum, eo, quia, vt intellexistis, verus, & primarius spasmus incipit a neruis, & musculis, & desinit in cerebrum, vt e conuerso in paralysi: Iam vero conuulsio, quæ fit a re expungente, incipit a neruis, & desinit in cerebrum: Quare rationi consonum est, vt appelletur per essentiam.

Sit itaque constitutum, secundum Hippo. duplicem esse spasmum, alterum a repletione, alterum ab inanitione. Vel melius respondendum est, duplicem esse conuulsionem, veram, & non veram. Vera, de qua loquitur Hippoc. solum a duobus; nõ vera, vt epilepsia, & singultus, etiam

ab

ab alijs causis fiunt, Singultum non esse veram conuulsionem dicit Galen. 6. aph. 39. epilepsiam non esse, probatur, quia Galen. secundo, de symp. caus. primo, dicebat, spasmum a nulla fieri facultate, sed a solo morbo. Sed pulcherrima moueri solet dubitatio. quomodo Galenus hic dixerit conuulsionem esse opus solius morbi, cum 5. de loc. affect. 7. & secundo. de caus. symp. 2. dicat, fieri concutiente sese cerebro ad expellendam materiam lædentem. Respondeo ex Galen. 9. de placit. cap. primo, actionem naturalem dupliciter intelligi posse, vel quod sit motio simpliciter effectiua ipsius naturæ, vel quod sit motio facta ab ipsa natura ex prima ratione, non ex cõsecutione, exempli causa, pulsus moderatus dicitur actio naturæ secundo modo, palpitatio, & pulsus turbatus non dicuntur secundo modo, sed solum primo modo. Sic igitur, & conuulsio dicitur actio morbi, quia non est actio secundo modo naturæ, sed primo; natura enim coacta facit illum motum.

Vnde venustissime Auicenna secunda primi, doct. 3. cap. 2. vocauit conuulsionem naturam accidentalem.

Nec valet, quod Gal. vocet epilepsiam conuulsionem totius, quia loquitur improprie; & in epilepsia est tam conuulsio vera, quam non vera.

Quinque dicta Auerr. not. circa cõuulsionẽ ex repletione.

Sed non parua occurrit difficultas circa causam ex parte repletionis. Auerrho. 3. coll. 3. quinque dicit magna contemplatione digna. Primum est, quod quando a repletione fit conuulsio, ideo fit, quia humiditas in aeream materiam conuertitur. Materia, inquit, aerea, cum requirat locum ampliorem, distendit musculos, & neruos secundum latum, qui aucti secundum latitudinem, secundum longitudinem abbreuiantur; atque ita fit conuulsio. Dat exemplum de vtre repleto vino bulliente, quod vinum cum conuertatur in flatus, & hi requirant locum capaciorem, disrumpunt vtrem. Fieri autem a flatu conuulsiones, accepit forsan Auer. ab Arist. 2. meteor. c. de terræ motu. 42.

Alterum, quod dicit Auerrho. est, neruos contrahi, quando humiditates exinaniuntur; augeri autem quando in humiditatem aeream conuertuntur humores. Et quia videbat ea, quæ augentur, augeri in latitudinem, & longitudinem, inquit se ignorare, quomodo nerui in conuulsionem augeantur secundum latitudinem, & non secundum longitudinem. Quod si vlla ratio, inquit, est afferenda pro hac re, potest dici, non augeri secundum longitudinem, quia actio, quę fit secundum latitudinem, eam superat, quæ fit secundum longitudinem.

Tertium Auerrheo. dictum est, Galenũ in conuulsione non cognouisse, nisi cõtractionem, alios autem Medicos distinxisse contractionem, & distensionem. Cuius sententiæ fuit Auicenna, 2. 3. cap. de tetano, vbi dicit tetanum esse contrarium spasmo, quod quidem improbat Auerrho. quoniam si Tetanus esset contrarius conuulsioni, sequeretur, quod sicuti corpus in conuulsione augetur secundum latitudinem, ita in Tetano augeretur secundum longitudinem.

Quartum Auerrho. dictum est, doctrinam Medicorum in tractando spasmo esse potius cantilenas Musicorum, quam demonstrationes, & pollicetur se facturum tractatum, vbi demonstret hanc rem: qui tractatus ab ipso non fuit compositus, aut amissus est.

Quintum Auerrho. dictum est, fieri quandoque aliam speciem conuulsionis, quæ neque a repletione, neque ab inanitione proficiscatur, sed solum propter fortitudinem expulsiuæ virtutis nerui ad restituendum rei lædentis, quæ colligit neruum in seipsum, vt magis corroboretur ad expellendum nocumm, veluti faciunt animalia, quæ, vt vehementius currant, aut saltent, aut aduersarium impellant, se retrahunt, deinde saltant, vel impellunt, atque hanc contractionem velociter curari, & non esse ægritudinem, sed dici expandidationem.

Examinatur Auerr.

Videamus an, quæ dixit Auer. vera sint. Quod ad primum attinet, fateor sane verum esse, quod contractio etiam fieri possit a materia flatulenta. Sed quod omnis conuulsio facta a repletione fiat a flatu, vt videtur existimasse Auer. est contra rationem, & experientiã, & contra Hippoc. & Galen. sententiam. Est primo contra rationem, quia sic sequeretur, quod omnis huiusmodi conuulsio facile curaretur, nam vt nostis, quæ fiunt a flatu, parum durant. Sed videmus sæpe fieri conuulsiones, quę diu durant; ideo non est verum; quod omnis conuulsio fiat a flatu.

Repugnat etiam experientiæ, primo, quia videmus chordas contrahi humiditate repletas, non flatu. Deinde videmus spasmum sæpe curari remedijs, quæ desiccant humores; quod indicium est fieri ab humoribus, non a flatibus. Repugnat etiam Hippocra. & Galen. qui 6. aph. 39. & 56. scribit, non solum fieri conuulsionem a pituita, verumetiam a melancholia, adeo quod clarissimum est auctoritate, exemplo, & ratione, fieri spasmum ex repletione ab humoribus.

Sed video statim dubitaturum aliquem, si fiat spasmus ab humoribus replentibus, ergo non videtur differentia inter spasmum, & Paralysin. Probatur, quia paralysis fit etiam repletis neruis humoribus.

Præterea videtur difficile creditu, quomodo possit statim repleri neruus, & fieri conuulsio; quia humores pituitosi, & viscidi tarde mouentur.

Differẽtia inter spasmũ & paralysin.

Dicendũ pro dubitationis huius resolutione, neruos posse duobus modis repleri, vel secundum cauitates, vel secundum substantiam. Si repleantur secundum cauitates, fiunt necessario breuiores. Ratio est, quia latera dum dilatantur, dum discedunt a se inuicem necessario versus principium contrahuntur.

Sin autem repleantur secundum substantiam, dico, quod nerui distendũtur potius, atq; mollescunt: atque sic efficitur resolutió. Atque hoc est, quod prudentissime sed obscure nos docuit Auic. qui dixit contractionem fieri a materia crassa, & viscida, quæ impacta est; in paralysi vero

fundit materiam, atque neruos ipsos humectat, adeo quod paralysis fiat ab humoribus subtilibus, qui neruos humectant, atque molles faciunt.

Instantia. Responsio.

Sed instabitis adhuc, nonne fit etiam paralysis, in qua partes paralyticæ contrahuntur? Ergo videtur etiã, quod in hoc genere fiat repletæ cauitates. Respondeo, quod vbi in paralysi fit contractio, fit, quia malum originem ducit a principio neruorum. Ad secundum autẽ respondeo, non esse mirum, quod in hac conuulsione materia subito præcipitetur ad cauitates, quia videmus & in apoplexia materiam crassam, & crassam statim præcipitari, vt dicit Galen. circa hæc cerebri.

Examinatur secundum dictũ Auerrh.

Circa secundum Auerrh. dictum, non mihi videtur adeo difficile esse, intelligere, cur in conuulsione nerui secundum latum augeantur, & non secundum longitudinem, propterea quod hæc non est vera auctio, & vt dicebam, vbi latera neruorum a se inuicem discedunt, necessario versus suum principium trahuntur.

Quod tertio loco dicit Auerrho. Galenum confudisse distentionem, & contractionem, dico verum sane esse, quia nulla est conuulsionis species, quæ non fiat cum contractione. Sed quid dicemus de Tetano? dico etiam in Tetano fieri contractionem. Vidi autem in Tetano membra frigida, & erecta, quia ex vtraque parte fit æqualis contractio. Nã musculi anteriores, & posteriores contrahunt sese, & æqualis est contractio, ita vt posterior pars non vincat anteriorem, & anterior posteriorem, ea propter rigida manent membra, & recta.

Quod quarto loco dicit Auerrhoes, tractationes Medicorum de spasmo esse cantilenas, profecto id totum nascitur ex peculiari odio, quo persequebatur Medicos sui temporis.

Ad quintum, & vltimum dico, conuulsionem, quæ fit per puncturam rei mordentis posse dici veram conuulsionem, & non veram. Dicetur vera conuulsio, si respiciamus ad repletionem, id est, si propter puncturam sequatur inflammatio. Et repletio dicetur etiam non vera quando fit solum contractio momentanea, neque sequitur repletio, aut inflammatio.

Dubia circa inanitionẽ.

Circa secundam causam, scilicet siccitatem, est etiam non parua controuersia, quia Aue. videtur tantum siccitatem reducere ad vnum genus, scilicet ad caliditatem, quæ consumens humiditates efficiat spasmum ex inanitione.

Sed pace Auerrho. hæc causa à caliditate vera quidem est, sed multa alia etiam sunt, quæ exsiccant citra calefactionem, vt dictum est de coitu, de vigilijs immodicis, de euacuationibus immodicis, de labore, quæ omnia inducunt conuulsionem, citra tamen calefactionem.

Præterea calida intemperies non necessario semper exsiccat, quia vt videmus lutum congelatum emolliri calore, ita quoque neruea substantia, quæ vt dicit Hippocrat. est veluti humiditas congelata, potest potius emolliri, quam exsiccari à calido, propter quod, vt dicit Galenus sexto, aphorism. 49 podagræ non inducunt conuulsionem, quia ex inflammatione mollescunt partes, nec exsiccantur; & propterea non conuelluntur: si igitur conuulsio ex inanitione, eo quod meatus neruorum, & substantia priuati humido, cum aer ingredi nequeat, & replere, conniuent, cõniuentes concidunt. Vnde necessario longitudo eorum diminuitur.

Cur hectici non conuelluntur.

Sed qui fit, quod corpora hecticorum, & corpora marasmata non conuelluntur? nam si fit conuulsio ex siccitate, in his corporibus nerui sunt exsiccati, igitur debent contrahi.

Fuerunt aliqui, qui existimarunt, ideo huiusmodi corpora non conuelli, quia siccitas hecticorum non est difformis, sed æqualis. Sed hæc ratio nihil valet, quia chordæ, quæ, vt exemplo Galeni vtar, exsiccantur vniformiter, quando sub sole exsiccantur, tamen contrahuntur, & rũpuntur. Deinde si siccitas facit conuulsionem, igitur vbi maior erit siccitas, eo magis deberet fieri. In corporibus marasmitis maior est siccitas. Igitur deberet magis fieri conuulsio.

Dicerem ego corpora hecticorum non spasmari, quia nerui secundum totam substantiam, & secundum cauitates non exsiccantur, propter duas causas. Prima est, quia hæc membra perpetuo a cibo irrorantur, & eo magis, quia hectici vtuntur cibis valde humectantibus. Alia ratio est, quia in corporibus hecticorum continua fit colliquatio carnis, & pinguedinis: ab huiusmodi colliquatione nerui humectantur: humectati ita conseruantur, vt non siccescant.

Signa distinctiua. A paralysi.

Signa alia sunt distinctiua, alia indicantia. Distinctiua sunt, quæ distinguunt a paralysi; quæ est sine dolore, sine motu, non fit vnquam ab inanitione, & nerui in ipsa elongantur; contra conuulsio est cum dolore, cum motu, fit sæpe ab inanitione, & nerui sæpe secundum longitudinem imminuuntur.

A tremore & saltu, seu palpitatione.

Distinguitur conuulsio à tremore, & saltu, secundum Demetrium Herophili sectatorem, eo quod in tremore membra mouentur, & agitantur, neque contrahuntur vt in conuulsis. Spasmus etiam, vt dicit Asclep. est morb. acutus, tremor morbus longus.

In palpitatione est motus pulsatilis sine contractione, fit in venis, & arterijs, in corde secundum Hippocratem. Conuulsio vero est cum contractione, sine pulsu, & fit in ligamentis, atque neruis.

Signa indicantia futuram conuulsionem.

Signa, quæ indicant conuulsionem futuram, aliqua recensentur ab Hippoc. Quarto enim de acutis tex. 60. scribit, quod si pinnæ nasi frequenter moueantur, indicatur conuulsionem futuram. Ratio huius est, quia hic motus significat cerebrum maxime calefieri. Maxima cerebri caliditas est affectus conuulsiuus; id est, ex his affectibus, qui solent inducere spasmum. In prorrhet. & coacis prænot. scriptum est, dolorem colli, cubitorum, ac dorsi conuulsionem prædicere, item tumores post aures in tremore, & anxiosis, nec non dolores acutos capitis, esse ex illis signis, quæ portendunt futuram conuulsionem. In 5. & 7. epid. in casu illius magnæ nauis gubernatoris, scriptum est, quod cum is significaret, se ob linguam omnia non posse loqui, prædictum

dictum esse, opisthotonum aduentare, atque ita eum tertia die conuulsum, sexta autem, a prędictione mortuum esse.

Præsentem.

Signa, quæ indicant præsentem conuulsionem, multa sunt: & inter cetera Hippoc. 3. de mor. multa proponit signa Tetani & opisthotoni: sed iste morbus ex se ita clarus, & manifestus, vt non opus sit multis signis. Inter cetera autem notandum est signum, quod proponit Gal. in lib. de pulsi. ad Tyrones, scilicet pulsum spasmatosum extensum esse diuersum in situ ascendentem, & descendentem instar sagittæ.

Signa indicantia genera causarũ.

Quæ indicant genera causarum signa sunt multa: nam dicit Gal. 2. aph. 26. quod si repętina fiat conuulsio, signum est oriri a repletione, sicuti si oriatur ab inanitione, semper præcessit aliqua euacuatio, vel aliquis affectus, qui exsiccarit, & euacuarit.

Quod si fiat per consensum, cognoscitur facile ex cognitione affectus partis cõmunicantis.

Prognostica.

Prognost. Omnis cõuulsio, quæ fit vel a vulnere, vel a timore, est difficilis curatu, sicuti etiã difficilis & pene impossibilis est curatu, vt dicit Hippoc. 5. aphor. primo, conuulsio facta a siccitate, vt facta ab helleboro. Hipp. quarto, aphor. 57. & libro de locis in homine ait, quod si febris superuenerit conuulsioni ex repletione, vel statim liberatur æger, a febre, id est propter febrẽ, vel secundo, aut tertio die. Dicebat idem Hippocrates sexto, aphorism. quod Tetanus iugulat ægros quarta die, quã si effugerint, liberantur. De Tetano quoque refert Rabbi Moyses ex sententia Galeni de signis mortis, quod si sit cum risu statim moritur. Nõ est etiam prętereũdum id quod scribit Rufus in spasmo ventris inflationem esse lethalem. De pueris notandum est id, quod scribit Auicẽna, eos a spasmo sicco raro tentari, & facilius euadere. Ratio est, quia cũ humida sit eorum temperies, facile emẽdatur beneficio naturæ illa siccitas. Aretæus lib. de acutis cap. 9. dicit, minus periculi impendere ex conuulsione quę fit frigido & humido, puto hanc esse rationem: quia huiusmodi qualitates facile superari possunt, quia contrariæ ipsarum qualitates sunt potentissimæ.

Curatio spasmi ab inanitione.

Curatio. Primo videamus curationẽ eius, quæ fit ab inanitione, cuius maior pars posita est in victus ratione, quoniam cum necessarium sit humectare, humectatio magis pręstatur a cibis quam a medicamẽtis: est itaque primo aer eligẽdus humidus, somnus debet esse longus, &, vt notat Aretæus, in stragulis mollissimis, Imo vero Aur. qui etiam videtur imitator Aretæi, scribit potissimam huiusmodi morborum mitigationem esse positam in stragulorũ mollitie, quare debebunt stragula esse mollissima, & plumacea, vt scilicet membra dum contrahuntur, non ita afficiantur. Omnia calida & sicca sunt fugienda, vt vigiliæ, labor, animi curæ, ignis, & ideo detinendi sunt ægri inter amicos, qui & consolentur ipsos continuo, & blandis sermonibus delectent.

Diæta.

Cibi debent esse, qui facile nutriant, facile coquãtur, atque humectent, vt sunt brodia, carnes contusæ pullorum, hædorum, agnorum, vitulorum. Auium montanarum carnes sunt ablegãdæ, & carnes salitæ. Conueniunt oua sorbilia, lac, cerebella animalium. Maxime vero vitanda sunt, quę flatum efficiunt. Id quod etiam obseruatum est ab Aristotel. de hist. animal. in fine coquẽdę carnes in oleo, & herbis humectantibus, vt malua, beta, lapathio. Ptisana cõuenit, & succus amygdal. Pro potu conuenit aqua hordei, cui incocta sint liquiritia, iuiubę, pruna. Quod si non adsit febris, concedit vinum Rases, sed aqua optime castigatum.

Curatio spasmi puerorũ.

Hic victus, si puer sit, præscribendus est nutrici, eo quod remedia nõ possint adhiberi pueris. Et aduertite, quia occurret vobis mederi pueris laborantibus conuulsione, quod plerumque non contingit aliunde, quam ex ingluuie nutricum, & ebrietate. Debent ergo arceri a vino, & omnibus rebus, quæ nocent.

Clyster in spasmo inanitionis.

Si aluus sit adstricta, nam alui astrictionem inducere hanc affectionem testatur idem Hip. loco cit. fugienda sunt medicamenta, & potissimum potentia, quia hęc nimis exsiccant. Loco medicamentorum conueniunt clysteres. Si puer sit, clyster ex lacte & ol. dulci; si non sit puer talis sequens commodus erit.

℞. Fol. maluæ.
Lapathij.
Betæ an. M. j.
Fenugræci. P. ß. f. decoctio s. a.

Deinde *℞. d. d. lib. j. ß.*
Ol. amygd. dulc. ℥. viij.
Pinguedinis castrati. ℥. ij.
Salis ʒ. j. M.

Hic est clyster accommodatissimus in spasmo ex inanitione. Monet Paulus, & recte, quod vbi remedia administrantur in hac ęgritudine, semper detineatur in ore vel oleũ dulce, vel ol. amyg. vel ol. & aqua simul, eo quod huiusmodi liquor cõmunicat humiditatẽ principio neruorum, & ipsis neruis. Quod si præter clysterem etiam opus esset aliquo medicamento leniori, vel quod æger abhorreret clysterem, manna potest dari in iure pingui, & syr. viol. solutiuus.

Balneũ aquæ dulcis.

Ceterum quoniam omne studium Medici in curanda hac affectione debet esse, vt humectetur corpus, ideo balneum aquæ dulcis maxime conueniens est, in qua aqua possunt decoqui herbæ emollientes, vt malua, lapathium; potest etiam admisceri oleum, imo vero cum omnes fere in his casibus laudent balnea ex aqua simplici, ego tamẽ magis laudo balneum ex oleo, & aqua, eo quia, vt dicit Arist. in probl. sect. 5. problem. 6. oleum & aqua magis humectãt, magis

tollunt

tollunt labores, & lassitudines. Quod intelligentes athletæ apud antiquos, se curabant vnguēt. ol. & aqua.

Notandum est, omnia quæ administrantur, extrinseca, & intrinseca, non debere esse admodum feruida, neque frigida, sed moderate calida. Sic enim intelligendus est Hipp. lib. de fracturis, quando dicit, calida mitigare conuulsiones.

Post balneum magnum studium adhibendum est, vt corpus continuo molle, & humidum seruetur, quod fit, si inungatur vel ol. dulci, vel ol. amygd. dulc. aut pinguedine caudæ castrati, aut pinguedine anserina. Rases laudauit etiam a mulcam, ol. sesaminum, butyrum recens: conuenit etiam post balneum potus lactis recenter emulsi, siue lac sit caprinum, siue asininum. Vbi fit ab inflammatione, huiusmodi morbus curandus est ea ratione, qua ea curantur. Sed vnum notent practici, vt sc. in his casibus nunquam desistatur a remedijs humectantibus, adeo vt solicitetur semper modo vngendo, modo balneando, modo aliquid aliud auxilij administrando, quod possit humectare, quia hic morbus vehementissimus est, & vehementissimos inducit dolores, vt ferri non possint ab ægris.

Curatio spasmi ex repletione. Spasmus qui fit ex repletione, dicit Rases, quod curetur eadem ratione, qua curatur Paralysis, quare non erit necessarium, vt totam curationem repetamus, sed tantum quædam erūt notanda rariora. Clarum igitur est quæ debeat esse victus ratio, scilicet vt exsiccet & dissipet humores.

Vini usus vū conueniat. Circa vinum est quædā controuersia, quia Celsus maxime improbat vsum vini, & iure, quia vinum sua proprietate peculiari conuulsionem inducit, vt testatur Hipp. 5. aphor. 5. nec non secundo, de mor. Serapio tamen & Auicenna laudant vinum subtile aqua temperatum. Isti auctores sic possunt conciliari, quod in principio nequaquam cōuenit vinum, & sic loquitur Celsus; vbi autem morbus inclinare incipit, vinum conuenit, quia magis dissipat, & attenuat; Et hoc modo est intelligendus Hipp. 4. de acutis, quando commendauit vinum.

Vena sectio. Præter victum sunt & alia remedia. Nam si sit plenitudo sanguinis, est omnium sentētia statim mittendum esse sanguinem. Imo Aretæus fuit huius sententię, quod etiamsi frigida sit causa, mittendus est sanguis. Dixi in sermone, de tremore, ex sententia Galeni in affectu frigido interdum mittendum esse sanguinem, quādo scilicet affectus ille oritur a plenitudine sanguinis, aut etiam foueatur: quapropter etiam in hoc casu erit mittendus sanguis, idque a vena media. Illud tamen notandum ex Aretæo, vbi secatur vena, præcipiendum esse, ne brachia stricte ligētur, eo quia ex huiusmodi ligatura facile prouocatur conuulsio.

Præparatio humorum. Quod si non sit mittendus sanguis, pręparandi sunt humores eo modo, quo monstrauimus in paralysi. Oxymel scilliticum maxime commendatur, quia penetrat & attenuat. Vbi præparati sunt humores, expurgandi erunt pil. fœtidis, cocchijs, de agarico, de Hermodactylis.

Et si vna non sufficerit, repetenda est. Laudauit Hippocrates in hac curatione helleb. nigrū, qua in re damnatus est ab Aut. ea ratione, quia helleb. albus conuulsiones facit, vt qui proprietate quadam neruos afficiat; sed respondendum, helleborum album conuulsiones facere, nigrum nequaquam.

Helleborus. Balnea sulphurea. Vbi purgatum est corpus, adhibenda & extrinsecus, & intrinsecus ea, quæ vehementissime discutiunt, vt sunt balnea ex ol. desiccantibus vt est ol. vulpinum, aq. etiā sulphureæ in balneo conueniunt: Dicebat enim Rufus, sulphur & aquam summopere calefacere neruos. Castoreū maxime commendatur intus acceptum atque etiam extra cum ol. administratum, quia non tantum dissipat humores, & desiccat verumetiam quadam proprietate dicitur cōducere neruis, & neruorum origini. Vbi balnea sunt administrata, siue fuerint ex oleo, siue ex aqua, studēdum est, vt corpus detineatur coopertum, & pro integumentis laudantur, & iure, pelles vulpinę & lupinæ.

Castoreum. Aquę frig. affusio. Inter cetera remedia, quę conuulsioni adhibentur videtur esse laudata ab Hipp. frigidę affusio. Est locus Hipp. 5 aph. 25. 3. de mor. & lib. 1. de hum. Consilium Hipp. multi probarūt, aliqui damnarūt, vt Paulus illud appellās audacissimum. Celsus etiam miratus est quomodo Hipp. laudarit frigidæ affusionem, quia ipse Hippoc. alias vt aphor. 18. dixit frigidum esse inimicissimum neruis & ossibus. Dico hoc consilium nequaquam in omnibus conuulsionibus esse salubre, sed sunt aliquæ, in quibus fortasse potest probari; quando scilicet propter inflammationem propter caliditatem immensam conuulsio oritur, nam cum frigidę affusio statim inflammationem, & caliditatem sedet, consequenter etiam curare potest conuulsionem.

Quod si fiat cōuulsio propter tumorem nulla alia est curatio, nisi curatio tumoris. Si fiat ex ictu scorpionis, consilium est Galeni 3. de loc. affect. 7 primo partem illam, quę expuncta est arctissime ligandam, deinde vel amputandam, vel vrendam. Quod si ægri non sustineant vri, vel abscindi partem, apponenda sunt quę vehementer attrahūt, vt sunt Cantharides, cucurbit. Inter cetera laudat Gal. lib. de Ther 16. vt caro scorpionis affricetur loco expuncto, quia proprietate naturæ caro illa attrahit suum virus.

CA-

CAPVT XXVI.

De Epilepsia.

Nomina.

EPilepsiam Gal.5.li.de diff.symp.& secundo,de cauf.sympt.vocat conuulsionem totius corporis.Hæc affectio varia habuit nomina:apud veteres primo dicta est Epilepsia, quasi sit quædam mentis apprehensio. Vocatus est etiam morbus Comitialis,eo quod, vt dicunt Celsus lib.3.cap.23. & Serenus, comitia dimitterentur, quando contingeret in ipsis aliquem Epilepsia tentari. Dictus quoque fuit morbus puerilis,eo quod pueri sæpissime hoc genere morbi tẽtantur: Imo vero Arist.7.de hist.animal. cap.vlt. dicit consueuisse nomina imponi pueris septima die, quia eo tẽpore salui esse creduntur,cũ antea plerumq; intereant morbo epileptico. Qua ratione ego etiam puto Arabes vocasse hunc morbum matrem puerorum. Dictus est caducus a cadẽdo. Vocatus est ẽt apud veteres,& apud Iurisperitos morbus sonticus,in Glossario, & a Plin. Dictus est ẽt morbus Herculeus,eo quod dicit Arist.30 parte probl.primo,Hercules passus est hunc morbum. Quanquam Gal.6.epid.comm.6.t.7.scribat vocatum esse Herculeum,propter robur,& vehemẽtiam. Dictus est etiam morbus Lunaticus,vt docent Aretæus,& Serenus,vel quod secundum Lunæ motus,vel quod orti interlunio sic afficiantur. Quanquam apud Matthæum Euangelistam cap.17. disputetur, nũquid puer ille Lunaticus oblatus Christo curãdus, fuerit vere epilepticus, an a dæmone agitatus,an quod magis verum est,epilepsia eo in puero a dæmonio generata fuerit. Dictus est & ἱερὰ νόσος,id est,sacer morbus,vel quia,vt scribit Plato in Timæo,est morbus sacræ naturæ nostræ, morbus mẽtis, vel quia,vt alii putarũt,curatur potius opera diuina,quam opera artis. Quanquam Hipp.lib.de morbo sacro dicat,hunc morbum vocatum esse a Magis,& Circulatoribus morbum sacrum propter fastum quendam,aut vt excusarent artem, quando non curatur morbus. Aretæus,& Aur.nec non Plut.in lib. de animal.cõpar.putarunt vocatum esse sacrũ,quasi magnum: Nam mos est apud græcos,mare sacrũ appellare: Sic etiam Hipp.in epid.vocat hunc morbum magnum. Cur autem Heraclitus opinionẽ vocarit hunc morbum sacrũ,vt docet Laertius,omnino ignoro. Nisi dicere libeat,sicuti morbus sacer difficulter tollitur, ita quoque opinionẽ semel animo infixam magno labore deleri.

Natura & definitio.

Est hic affectus,vt docet Galenus tertio,de loc.affect.septimo,& quarto,de loc.affect.secundo,interpolata totius corporis conuulsio,cum mentis & sensuum oblæsione, in paralysin non desinens. Dicitur interpolata conuulsio,quia etiam Tetanus potest quoquo pacto dici conuulsio totius corporis,& opisthotonos, sed est continua conuulsio. Dicitur etiam cum mentis & sensuum oblæsione,quia in Tetano & Emprosthotono nunquam mens offenditur,neque etiã sensus,nisi sensus tactus. Dicitur non desinens in Paralysin,quia,vt intelligetis,in hoc differt ab Apoplexia,quod hæc desinat in paralysin,illa non.

Genus symptomatis.

Est igitur symptoma in genere actionum læsarum: sed quæ actiones lædantur,& quomodo lædantur,non est ita constitutum inter Medicos. Auerr.3.coll.vltim. scribit in Epilepsia aboleri omnes sensus,virtutes autem animales diminui,intelligens,vt ego puto,pro virtutibus animalibus præsertim virtutem motricem. Fuerunt alij,qui putarunt aboleri virtutem motricem,& sensitricem,deprauari autem expultricem,ad hoc credendum adducuntur quibusdam rationibus. Primo quia epileptici cadunt in terram: præterea amittitur sensus motus. Postremo quia epilepsia est conuulsio,& conuulsio,vt dicit Galenus,est opus solius membri,non autem facultatis. Sed non sum ego huius sententiæ. Quia autem symptoma est,reducitur ad aliquem morbum, similiter & epilepsia reducitur ad morbum in via, quia scilicet viæ cerebri sunt occlusæ, quæ non deberent esse:adeo quod cerebrum ipsum est in epilepsia locus affectus, non secundũ se totum,sed vt docet Gal.tertio, de loc.affe. & quarto, in posterioribus potissimum: & medijs ventriculis. Quare inter alia argumenta, quibus moueor librum illum de morbo sacro non esse Hipp. genuinum, est quia in eo libro habetur,in Epilepsia locum affectum esse cor, vt crediderunt Peripatetici, non autem Hippocratici.

Lib. de morbo sacro non esse Hippoc.

In cerebri ventriculis positam esse epil.

Ceterum quia posset aliquis dubitare. An in cerebri ventriculis vere positus sit ipse morbus, ea propter & rationem,& Hipp.auctoritatem,afferam,qui 6.epid.sect.7.circa finem scribit,fieri melancholiam,cum humor in mentem penetrat, fieri Epilepsiam cum penetrat in cerebri corpus. Quem locum dum exponeret Gal.3.de loc.aff.7.& 4.de loc.affect.secundo,scribit fieri epilepsiam, vbi humor obsidet ventriculos, fieri autem melancholiam, dum obsidet corpus, non quod in Epilepsia etiam non sit affectum cerebri corpus, sed quia magis afficiuntur ventriculi quam corpus: vt iure dictum sit a Paulo, in epilepsia partim affici ventriculos, partim corpus. Probatur etiam ratione,quia spiritus,qui sunt instrumenta motus,& operationum animæ,licet sint in toto cerebro,maiori tamen ex parte sunt in ventriculis. Cum igitur ventriculi cerebri in Epilepsia offendantur, & occludantur, atque hac ratione morbum efficiant, videndũ est,quomodo occludantur. Illud autem prius notandum, Gal.5.aphor.70. scribere,epilepticam cõuulsionem fieri ob repletionem partium neruosarum, quod intelligẽdum est de principio neruorum,aut de initio spinalis medullæ,quemadmodum Gal.ait 6.in 6.epid.7. Ad rem. Occluduntur meatus duobus modis,vel quando conniuẽt latera,& iunguntur simul,vel quãdo spacium inter latera repletur: repletur autem vel a flatibus,vel ab humoribus. Quod non fiat per conniuentiam,

Quomodo occludantur cerebri ventriculi.

uentiam, præter Galeni tertio de loc.affect.capit.7. & Auicennæ authoritatem, videtur & ratio persuadere, quia conniuent latera locorum concauorum quando exsiccantur vehementer; sed cerebrum cum sit corpus humidissimum, non potest ita exsiccari, vt fiat huiusmodi conniuentia; sed quia possunt etiam conniuere, quando latera simul iunguntur propter mordicationem, vel propter offensam factam a re venenosa, & hoc contingat interdum ita, vt faciat Epilepsiam, ideo dicendum est, fieri posse per conniuentiam Epilepsiam, non propter siccitatem, sed propter mordicationem, aut venenum, vt in puero illo, qui sentiebat a pede auram quandā ascendere ad caput.

Repletio tribus modis inducit epil.

Quod autem ad repletionem pertinet, vel replentur vacua a flatu, vel ab humoribus. Epilepsia non fit a repletione facta a flatu, quia vt intellexistis, sic fit incubus, quando sc. solo flatu replentur ventriculi. Itaque remanet, vt fiat hæc occlusio solum propter repletionem factam ab humoribus. Vnde iure Galenus secundo aphorism.46. ponens discrimen & conuenientiam inter Apoplexiam & Epilepsiam, ait vtrosque affectus in loco conuenire, & magis cum humor sit in ambobus frigidus, & crassus; Quæ repletio tribus modis hunc affectum inducit, vel quia humor repletus motu quodam vndoso agitatur in ventriculis, vel quia humor ille ebullit, proinde ac videmus ebullire mustum in dolijs: vel quia ex humoribus illis gignuntur vapores crassi, qui impedientes exitum spirituum, efficiunt Epilepsiam. Quem modum intellexisse videtur Arist. in lib. de som. & vigil.

Modus ergo, quo fit hæc occlusio est, quia humoribus & flatibus replentur ventriculi, sed non perfecte, quia sic fieret apoplexia, quando repleti sunt ventriculi, facultas expultrix insurgit, quæ concitans facultatem animalem motricem efficit, vt contrahat neruos, & musculos, ex qua contractione deinde sequitur conuulsio tota, & reliqua symptomata. Nam concurrere virtutem motricem ad Epilepsiam efficiendam, videtur etiam Galenus significasse secundo aphoris. 45. vbi inquit, in eo differre epilepsiam ab apoplexia, quod in hac ex toto consummata sit facultatis ad neruos penetrantis priuatio, in illa vero motus prauus, & vitiosus.

Dicas, an semper est necessarium, vt in generatione Epilepsiæ iungantur flatus, quoniam id testatus videtur Arist. atque etiā Auerrh. qui probans, quod fiat a flatu, vtebatur hoc argumento, quod cito accedat, & cito abeat. Dico non necessario semper fieri epilepsiam cum flatu, sed vt plurimum; Atque sic intelligendi sunt Arist. & Auerrho. ne hac in re aperte contradicant rationi, & auctoritati Medicorum.

Qui humores faciant epil.

Sed inuestigatione dignum est, quinam humores faciant Epilepsiam, an frigidi tantum, & humidi, an etiam calidi. Hipp. lib. de morbo sacro probans epilepsiam non esse morbum diuiniorem alijs, vtitur hoc argumento, quod fiat in pituitosis, & non biliosis, quasi quod si diuinus esset hic morbus, efficeretur promiscue ex omnibus humoribus. Quod autem fiat in pituitosis, demonstrat exemplo ouium, & caprarum, quæ animalia tentantur Epilepsia, & pereunt, ac sic ubi mortua sunt, capita eorum secentur, plena apparent pituita. Ex quo loco colliguntur secundum Hippocratem, duo. Vnum, fieri epilepsiam a pituita. Alterum, errasse Arist. tertia parte, probl. 18, atque etiam Plinium, quorum ille dixit, solum hominem Epilepsia tentari, hic vero dixit, solum hominem & coturnicem, cum tamen Hippoc. dicat etiam oues, & capras tentari Epilepsia, quod etiam affirmant alij.

Hippoc.

Plato

Auenz.

Auic.

Hippoc. auctoritatem videtur etiam secutus Plato, qui in Timæo scribit pituitam eliquatā, si per corpus diffunditur & cutem, efficere vitiliginem, si vero in caput ascendat, facere Epilepsiam, adeo etiam clare patet, Platonem voluisse hunc morbum fieri a sola pituita. Eiusdem sententiæ videtur fuisse Auenzoar. lib. primo, tract. nono, cap. octauo, vbi scribit manifeste, epilepsiam nullo modo a bile fieri. Auicenna autem contrariam sententiam secutus est, qui scribit Epilepsiam fieri posse ab omnibus humoribus, potissimum vero fieri ab humoribus frigidis, & crassis, vt sensisse videtur Galen. sed Auerr. insurgit aduersus Auic. 3. coll. 41. contrarium demonstrans, fieri nō posse, quod epilepsia inducatur ab humoribus crassis, hac ratione, quia Epilepsia fit subito; Ergo fit a materia, quę subito, & vehementer mouetur, sed humores frigidi, & crassi neque subito neque vehementer moueri possunt; Igitur Epilepsia non potest ab his fieri, sed potius, inquit Auerr. vel a fumo, vel ab humore subtili.

Auerr.

Auctoris sententia.

Dicēdum est epilepsiam a bile fieri posse, duobus modis intelligendum esse, vel a bile mera, vel a bile permista alijs humoribus pituitosis, & frigidis. Quod fiat a bile syncera, nequaquam fieri potest. Ratio est, tum quia huiusmodi humor in cerebro non generatur, neque colligitur, cum sit arx humoris frigidi, crassi & viscidi, vt dicit Hipp. lib. de flatibus. & 4. de mor. tum quia bilis, cum sit sua natura acris, si colligatur inquam, stimulat facultatem expultricem, antequam colligatur in ventriculis cerebri copiosa. Vnde excitata facultas expultrix, non sinit eam aggregari, & propterea eijcitur. Sed si intelligamus, quod fiat a bile permista alijs humoribus; dico sic veram esse sententiam Auic. quod fieri possit ab omnibus humoribus permistis pituitæ, sed frequentissime fieri a pituita frigida, & crassa. Atque hæc est sententia Gal. 4. de loc. aff. 7. & alibi.

Auerr. refutatur.

Quod autem ait Auerr. humores crassos nequaquam moueri posse: dico hoc verum esse, si mouendi sint per loca non concaua, sed cum moueantur in epilepsia per loca concaua, & videamus res graues cito ferri per loca concaua, ratio Auerr. nulla est: vt etiam ratio nulla est, qua probabat non fieri ab humoribus crassis, quia isti cito non resoluuntur, vt dissoluuntur humores facientes epilepsiam; quia in paroxysmis epilepsiæ nequaquam materia morbifica dissoluitur, sed detruditur, & expellitur a ventriculis cerebri ad alias partes.

An

An a nuda intemperie fiat epil.

An vero cum priuata adsit aliqua intemperies, ad quam tanquam ad morbum, possint reduci hæc symptomata; dico adesse intemperiem, sed an debeamus dicere eam intemperiem facere ex se sola huiusmodi symptomata, valde dubium est. Ex vna parte est Rases, qui in suo commen. asserit, etiam fieri epilepsiam a nuda intemperie; quod etiam videtur sensisse Galenus, qui lib. de diff. symptom. tertio, tradit epilepsiam etiam fieri a frigore externo.

Auerrh. 3. coll. cap. vlt. probat duobus argumentis, epilepsiam fieri non posse a sola intemperie, primum est, quia epilepsia paroxysmos habet, paroxysmi autem, vt habetis ex Gal. solum fiunt ob variam materiæ congestionem, secundum est, quia si fieret epilepsia ab intemperie, fieret potissimum a causa extrinseca, eo quod, quæ fiunt intemperies a causa interna, sunt difficiles curatu, cuiusmodi non est epilepsiæ paroxysmus. Et si fieret a causa externa, fieret a summo frigore aeris; sed fieri non potest, inquit, vt cerebrum a frigore aeris ita offendatur, vt epilepsiam inducat; ergo non potest fieri a sola intemperie. Et quia quis dicere poterat Auerrh. experientiam testari, quod ab aeris frigore fiat. Respondet, quod si verum esset experientiam id testari, quam rarissimum esset, atque experientiæ, ex quibus fit aliqua scientifica certitudo, debent esse plures, quia ægritudines certificantur per sensum, & testimonia experientiæ adueniunt propter plurimos sensus, vnde postmodum subsequitur causarum cognitio.

Auctoris resolutio.

Argumentis Auerrhois fauere videtur Gal. secundo, de symp. caus. vltim. Vbi dicit intemperies nunquam fieri subito posse; sed epilepsia est ex morbis, qui fiunt subito. Ergo. Pro resolutione dico, duplicem esse epilepsiam, primo propriam, secundo, impropriam; propria dicitur, quæ paroxysmos habet, & quæ fit cum spuma circa os: impropria autem, quæ est sine paroxysmo, & sine spuma; prior solum fit a materia, posterior etiam fieri potest sine materia, cum & a venenis, & a morsu scorpionis inducatur epilepsia. Vtraque tam propria quam impropria, hoc habet commune, quod semper fiat cum conuulsione, & propterea est, vt dicit Galen. primo, de symp. caus. vlt. motus vitiosus cerebri. Vbi notandum etiam, Gal. dicere epilepsiam in functione voluntaria esse perinde, ac vigiliam in sensitrice, vt intelligatis vbique Galen. voluisse, & epilepsiam, & conuulsionem esse motum vitiosum facultatis voluntariæ.

Fernelij opinio.

Fernelius secundo, de abditis rerum causis, & 6. de morb. partium, videtur contrariam sententiã habuisse Gal. sc. quod epilepsia oriatur a qualitate venenata, facultatem cerebri stimulante, quam dicit ex omni corporis parte posse transmitti ad cerebrum. Quo posito sequeretur, quod nunquam possemus habere certa argumenta futuræ epilepsiæ, quia qualitas venenata incognita est. Adhæc, quod in aere venenato, & in febribus pestiferis deberent contingere epilepsiæ. Tertio destruentur fundamenta Hippoc. & totius medicinæ, scilicet, quod non fieret vnquam epilepsia a repletione, quod tamen falsissimum est. Quapropter sinamus Fernelium cum sua opinione.

Causa primitiua epil.

Causæ primitiuæ ad duo genera reducuntur, prima, est eorum, quæ gignunt humores frigidos, & crassos; vt sunt indigestiones, frequentes coitus, balnea, crapulæ, cibi generantes crassos humores. Gal. secundo, aphorism. 45. scribit, epilepsiam fere generari a vitioso victu, Aetas, sexus, sententia enim est Hippoc. & Aurel. mulieres, & pueros frequentius infestari, quam vllam aliam ætatem, secundo, genus causarum primitiuarum est eorum, quæ detrudunt humores frigidos, & crassos in ventriculos cerebri; sic scribit Aurel. ex Asclep. percussiones, incisiones membranarum cerebri, nimios timores, posse facere epilepsiam.

Epilepsiam inducentia.

Tempus anni, vere, & autumno potissimum fiunt epilepsiæ. Sunt etiam quædam alia, quæ a proprietate videntur facere epilepsiam; vt sunt pelles caprinæ, & ouinæ, Galbanum, myrrha, secundum Rasen, sunt etiam tetri odores. Inter cetera suffitus lapidis Gagatis; vt scribit Apuleius, nam hoc suffitu epileptici incurrunt paroxysmum, & illi, qui antiquitus emebant seruos, hoc suffitu explorabant, an Epileptici essent serui venalij.

Differentia.

Differentiæ. Gal. 6. epid. commen. primo, t. 5. aliam facit ab initio, quæ ab humoribus; aliam post, quæ ob errores in victu, & alias causas externas, oriatur, hanc, esse medicamentis tractandam, nõ illam. Cuius duæ sunt differentiæ, quia aut fit per consensum, aut per idiopathiam: & quæ fit per consensum, aut a ventriculo, aut ab vtero, vel alia parte. Gal. loco cit. ob consensum raro fieri in pueris tradit. Item alia est propria, alia impropria, vt dictum.

Signa.

Sigua futuræ epilepsiæ cognoscenda, tum vt homines fugiant turpitudinem huius paroxysmi, tum vt fugiant pericula, quia sæpe epileptici possunt cadere circa flumina, aut puteos, atque ita mori. Cel. Aurel. 1. de diut. pass. multa enumerat, præcipua sunt capitis grauitas, sonitus aurium, scintillæ ante oculos obuersantes, insomnia turbulenta, indigestiones, tẽtigines pudendorum, nocturnæ pollutiones, pallor vultus maior, immobilitas corporis, vrinæ tenues, & crudæ, conuulsio colli, aut dorsi, quæ omnia fere signa enumerata sunt ab Hipp. in Coac. prænot.

Imminẽtis.

Præsentis.

Signa, quæ indicant præsentem affectum, secundum Rasen, & Meluen sunt, quod statim in terram cadunt, conuelluntur, mouentur, stertunt, conantur clamare, & non possunt, iactant brachia, & crura, quæ omnia elegantissime describit Lucret. 3. de natura. Vt ex his signis possitis colligere, epilepticos non habere actiones motricis facultatis abolitas, vt volunt aliqui. Præter hæc signa aliquibus etiam sponte emanant stercus, genitura, & vrina; omnes habent hoc commune, quod spumam ab ore mittunt.

Causæ spumæ.

Ceterum spumæ causas retulit Hippoc. lib. de flatibus & lib. de sacro morbo, sed melior causa a Galen. assignata est, fieri spumam, quia ex motu illo thoracis gignuntur multi spiritus, quibus permistis cum saliua, & materia pituitosa a capite descendente, fit corpus spumosum: nam scitis ex Gal. 2. Aph. 43. spumam nil aliud esse, quam vẽtum, aeremue humiditati commixtum. At quæretis cur Plato xj. de legibus scripserit, Morbum sacrum non posse dignosci ab idiota nisi

intra

intra annum, ob quod seruum Epilepticum volebat posse intra annū redhiberi. Dico quia iste morbus in principio non ita fere manifestat, atque raris interuallis affligit. Immo nisi annum transeat, non potest dici morbus, quia intra illud spatium sæpe sponte soluitur.

Prognostica. Prognostica. Trall. scribit hunc morbum esse longum, atque ita longum, vt nisi a principio magna diligentia adhibeatur, sæpe commoriantur homines. Esse enim hunc morbum difficil. inter alia demonstrare potest, quod inter ceteros grauiter languentes, quos Christus curauit, recensentur etiam Lunatici.

An epil. sit morbus longus. Sed dubium est an epilepsia sit morbus lōgus. Ex vna parte Hipp. lib. de sacro morbo, & Gal. 7 de cri. 4. manifestissime videtur statuisse, epilepsiam esse morbum longū. Auic. autem 1. quar. ti tr. 1. cap. 4 explicatissimis verbis dixit, epilepsiam esse morbum acutum. Aliqui, vt soluerent hunc nodum, dixerunt, epilepsiam posse considerari dupliciter, vel secundum particulares paroxysmos, vel secundum totum tempus morbi: Si primo modo consideretur, dicunt epilepsiā esse morbum acutum: si secundo modo, esse morbum longum. Sed hæc resolutio mihi vana videtur: 1. quia Auic. ibi non loquitur de temporibus particularibus, sed de vniuersalibus; præterea paroxysmus epilepsiæ non dicitur epilepsia: sed pars tantum, & accidens: quare non possumus interpretari verba de paroxysmo.

Alia resolutio. Fuerunt alij, qui ex Paulo conati sunt hunc nodum soluere, dicentes, duplicem esse epilepsiā, aliam acutam, aliam longam, & ideo non esse mirum, si Auic. dixerit epilepsiam esse morbum acutum, alij longum. Sed hic modus respondendi neque verus est, neque accommodatus verbis Pauli. Non est verus: quia secare speciem morbi in genera, est error in logica. Nec accommodatur verbis Pauli, quia non dicit, quod epilepsia alia sit morbus acutus, alia morbus longus, sed dicit epilepticorum alij acutissime mouentur, alij non acutissime mouentur.

Resolutio authoris. Ad Gal. 3 de loc. aff. 7. & Auic. igitur quid dicendum? Respondeo, vel vocem epilepsiæ irrepsisse in contextum Auic. & propterea esse delendam, eo magis, quod cum Auic. ea omnia acceperit ex Gal. 2. aph 12. in Gal. verbis desideratur hæc vox: vel loquitur Auic. de epilepsia puerorum, non de epilepsia simpliciter, quia in pueris epilepsia est morbus acutissimus, eo quia iugulat eos sæpe, vt dicit Arist. ante septimam diem. Id quod etiam testatur Hipp. libr. de sac. morbo, vbi scribit pueros ob venarum tenuitatem facile interire epilepsia. In adultis vero epilepsia est morbus longus, quia non ita acute in his mouetur, vt in pueris. Nisi dicere velimus, vt videtur dixisse Celsus lib. 3. c. 23. epilepsiam ante 14. diem morbum acutum esse, vbi eam transijt, acuti vim deponere, vt forsan ob hoc Aretæus duas tractationes de epilepsia habuerit. Ex Hippoc. in aphor. epilepsia ante 25. annum curari potest, si tamen studium, & diligentia adhibeatur, post 25 nisi raro contingit, vt homines euadant ab hoc morbo. Notandum est vnum, quod scribit Plato in Timæo, eos, qui vitiligine capiuntur, omnino esse liberos ab epilepsia.

Num epil. in paralysin finiatur. Dubium est, an epilepsia finiatur in paralysin? Intellexistis enim, dum epilepsiæ definitionem traderem, inter cetera addidisse, quod non finiatur in paralysin: id quod etiam declarat Gal. 4. de loc. aff. 2. Idem tamen 4. de acutis tr. 22. videtur contrarium asserere, vbi scribit epilepsiam in paralysin finiri. Auicen. etiam vbi tractat de epilepsia, scribit terminari tum in paralysin, tum in melancholiam. Matthæus Curtius, vt solueret hanc Gal. cōtradictionem, conatus est corrigere literam, sed quam bene hoc fecerit, possunt omnes iudicare. Ego vero in hoc sentio cum Matthæo, literam Gal 4 de acutis esse corrigēdam, atque etiam literam Auic. sed alio modo quam ipse correxit. Scribit enim ibi Gal paraplexias vocatas esse ab Hip. quando ab apoplexia, vel epilepsia humores in aliquas partes decumbentes, faciunt paralysin. Subiungit Gal. Nam interdum facta absque conuulsione apoplexia in paralysin desinit. Vbi omnes videre possunt, non legendum esse apoplexiam, quia hæc semper desinit in paralysin, igitur si loco apoplexiæ legamus epilepsiam, sensus verborum Gal. clarus erit, & veritas perspicua, adeo quod dicendum erit, duas esse secundum Gal epilepsias, vnam cum conuulsione, aliam sine conuulsione: & epilepsiam, quæ sit cum conuulsione, non desinere in paralysin, sed epilepsiam, quæ sit sine conuulsione, de qua loquuntur Galen. & Auic.

Epilepsia quæ sit sine cōuulsione. Sed quod fiat epilepsia sine conuulsione, præter Auicen. videtur existimisse etiam Celsus, qui scribit, epilepsiam interdum fieri cum distensione neruorum, interdum sine ea. Sed dicetis quo modo fieri potest epilepsia sine conuulsione, nam conuulsio est proprius character epilepsiæ? Dico, quando dicimus fieri sine conuulsione, intelligimus, sine conuulsione manifesta, id quod clarissime dixit Auicen. scilicet interdum fieri epilepsiam sine manifesta, & euidenti cōuulsione. Et ratio cur fiat sine manifesta conuulsione est, vel quia materia est admodum subtilis, ita vt non valde repleat, neque valde infestet principium neruorum: vel quia materia inducens epilepsiam, nullam habet qualitatem prauam, merito cuius facultas cerebri motrix stimulata faciat conuulsionem.

Et notate, quod vbi Auicen. multoties dixit, epilepsiam desinere in paralysin, & multoties fieri sine spasmo, legendum est, non multoties, sed aliquoties, quia verum est, quod aliquoties epilepsia fiat sine conuulsione, & desinat in paralysin: sed falsum est quod eueniat sæpe.

Curatio. Curatio epilepsiæ tres partes obtinet, vna est, antequam paroxysmus inuadat: altera in paroxysmo: tertia & vltima post paroxysmū. Ante paroxysmum, vt intellexistis, consueuerunt quædam signa apparere, quæ demonstrant paroxysmum adfuturum, quo in casu maxime vtile, & necessarium est aliquam diligentiam adhibere, quo minus paroxysmus inuadat, propter quod

Ante paroxysmum. Cel. Aurel. dicit, quod vbi præsentiunt ægri adfuturum paroxysmum, debent decumbere, abstinere

nere ab omni cibo,fricari,& fecundum caput,& fecundum corpus, donec trāfieri paroxyſmi tempus,quo finito redeundum eſt ad priſtinum victum.

Sed dicetis,ſunt aliqui,qui nō præſentiūt futurum paroxyſmū,quid itaq;oportet hic agere? Oportet vt hi ſemper ternos comites habeant,qui tempore acceſſionis inſeruiant,& præ ceteris neceſſariū eſt,vt fugiant præcipitia , flumina, puteos,& reliqua,a quibus imminet periculū.

In paroxyſmo.

In hora paroxyſmi debent detineri membra epilepticorum,excitari:& inter cetera ad excitādos epilepticos laudat Dioſcor.fel teſtudinis naribus immiſſum , vomitus prouocandus. Vult Cælius Aurel.etiam eſſe ſeparandas oculorum palpebras:fricandum corpus, refrigerandæ partes calefactæ,detergendi ſudores,ne refrigeſcant ſupra corpus, aliquibus etiam confert immittere in os Theriacam,aut Mithridatium.Conſueuerunt interdum epileptici linguam intra dētes conſtringere,adeo vt aliqui etiam incidant linguam,quapropter in his diligenter aduertendum eſt,& prouidendum,vt vbi caſuri ſunt,habent in ore pilam, vel lignū intra dentes, ne lingua poſſit a dentibus offendi.

Curatio epilepſię poſt paroxyſmum.

Curatio epilepſię in quiete eſt multo latior,& sūma huius curationis poſita eſt in tribus ſcopis adimplendis:ſcilicet,in euacuandis,& diſſipandis humoribus pituitoſis, & craſſis, in prouidendo,ne gignantur, & accumulentur:in roborando caput.Quę omnia,vt poſſint impleri,neceſſaria eſt primo victus ratio,quę tota debet eſſe facultatis exſiceandi,calefaciēdi,& extenuādi.Quapropter aer debet eſſe calidus,& ſiccus,exercendum eſt corpus,imo Gal.ſi quid aliud in epilepticis laudat exercitatione,ſomnus debet eſſe moderatus,& potius plus vigilādum , quā dormiendum:Ablegandi mærores,timores,curæ,ſtudia,aluus etiam ſoluta eſt ſeruanda.

Victus ratio.

Num venus conueniat epilepticis.

De vſu veneris refert Aetius,quoſdam Medicos,videntes curari hunc morbum eo tempore,quo homines incipiunt exercere venerem,laudaſſe huius vſum in epilepticis; inter quos fuit Aſclepiades a Lælio damnatus.

Sed dicit Aretæus,& iure,hoc conſilium inutile,& perniciosum eſſe , eo quod importunus vſus maxime offēdat,& prouocet. Et quāquā Scribonius Largus dixerit,curari mulieres, quo tempore deuirginantur,& viros quo tempore venere vtuntur,illud tamen non contingit propter veneris beneficium,ſed propter ætatis,& temperamenti mutationem.

Inter cibos hi cōueniunt,qui attenuant.dicit enim Gal.c.1.lib.de attenuante victu, ſe vidiſſe epilepticos ſolo victu attenuante curatos eſſe ab hac ægritudine.Qui ſint cibi attenuantes explicatur a Gal.copioſiſſime eo in lib.

Num caro hędi conueniat epil.

Duo ſunt notāda: Primum eſt de carne hædi:aliud de Coriādro.Nam in eo libro, qui inſcribitur cōſilium pro puero epileptico,Gal.damnat carnem hædi. Auic Raſes,Meſue, & fere omnes commendarunt.Soleo ego dicere,quod vbi ſine periculo licet alijs cibis vti,non eſſe vnquā periclitandum in re non neceſſaria;etenim ſunt multæ aliæ carnes extenuātes,quibus licet vti, quare abſtinendum eſt ab omnibus his,quæ habent aliquid ſuſpicionis, vt eſt caro hædinā capra,vt intellexiſtis ex Hippocrate,laborat epilepſia;caro capræ etiam excitat epilepſiam nō quidem facultate manifeſta,ſed occulta,& ſubſtantiali,quæ ſemper communicatur a parentibus, quare dicendum eſt,eſſe veriſimile,etiam carnem hædi habere hanc facultatem excitandi epilepſiam.Plu.in fine quęſtionum Rom.ſcribit,Iouis ſacerdotes abſtinuiſſe ab eſu capræ, quod illa cum laboret epilepſia,tangentibus,& veſcentibus malum communicet.

An coriandrum conueniat epil.

De Coriandro ſimiliter eſt controuerſia: Auic.laudat, Serapion reprobat. Vos ita ſtatuatis. Coriandrum viride acceptum,epilepſiam prouocare,vt etiam petroſelinum dicitur a nōnullis id facere.Ratio eſt quia viride vapores craſſos in caput mittit,q facile cum humoribus ingrediuntur cerebri ventriculos: Sicum autem Coriandrum conuenit,quia ſiccum diſſipat,& attenuat.Accedit etiam,quod facultatem habet corroborandi neruos.

Num vinū conueniat.

A vino ſoleo ſemper commendare,vt abſtineant:& ſoci nobilem quendā multis diebus vexatum eſſe hoc infortunio,& a vini abſtinētia plus beneficij percepiſſe,quam ab vllo alio remedio. Et ratio eſt,quæ hoc ſuadet,nō ſolum auctoritas omnium Medicorum, ſed etiam Ariſt.li. de ſomno,& vigilia,& nutrices lactantes vult,vt abſtineant a vino. Victu inſtituto adeunda eſt alia curatio,in qua inſtituenda vidētur omnes conſentire,quod ſanguis mittendus ſit, quę fuit ante ceteros Hipp.4 de acutis,ſententia:ſed de loco mittendi ſanguinem non admodum conſtat inter ſcriptores;Aretæus laudat vt incidatur vena cubiti,& frontis,quem videntur ſequuti Cęlius Aurelius,& Paulus;Celſus lib.3.ca.23.& Gal.lib.de curatione per ſanguinis miſſionem maluerūt ſecādas eſſe venas crurum : Auic. laudat ſectionem venarum crurum,cephalicę,& venarum ſub lingua:adeo vt nil certi poſſimus habere de loco venæ ſectionis. Sed vt habeatis aliquam certam traditionem,ita ego ſtatuo:in corporibus pituitoſis , & debilioribus euacuandum eſſe ſanguinem,etiamſi non adſit plenitudinis nota, ideo quod ſit Galeni ſententia, quod vbi mittitur ſanguis abſque plenitudinis nota,mittendus ſit a partibus infimis.

Pharmaca.

Venę ſectio.

Quę vena ſecanda.

Vbi epileptici ſanguinei ſunt,& adſit nota plenitudinis,ſanguis mittendus eſt a cubito, quia totum corpus per has venas maxime inanitur,ſi caput calidū habeat,eo in caſu pręſtat mittere ſanguinē tū a vena cephalica,tū a vena frontis, tū a vena ſub lingua. illud tamen ſemper obſeruādū,vt fugiatur larga ſanguinis miſſio,& potius intra mediocritatē ſubſiſtatur, quam ſupra.

Sed dices,cur Raſes vult mitti ſanguinē a Saphena, vbi facies,& oculi rubent? Dico vel ſanguinem in ſolo capite abundare,vel in toto:ſi in ſolo capite ſanguis abundat, tum conſiliū Raſis eſt opportunū, vt ſcilicet ſanguis mittatur a Saphena,quia fit maxima attractio a capite , citra corporis detrimentum,& propterea ſi ſanguis abundet,nō ſolum in capite,ſed in toto corpore

pore

pore, dicit mittendum esse sanguinem & a basilica, & a Saphena: propter quod Rases etiam in fine cap. ex Gal. scribit, prius mittendum esse sanguinem a Saphena, deinde a cubito.

Præparātia. Vbi secta est vena præparandi sunt humores hi pituitosi, Syr. de stœchad. de beton. melle rol. oxymel. simpl. & scillitico, præparati sunt expurgandi pil. cochijs, de colocynth. Sed præ ceteris commodissimum est medicamentum descriptum a Scribonio Largo, quod dicitur Hiera Pachij, illud enim mirifice celebratum videbitis apud Scribonium.

Purgantia. Si humores melancholici fuerint, sunt & ipsi primo præparandi, deinde expurgandi: & in hac expurgatione videtur ab omnibus fere commendatus Helleborismus: nec moueat vos, quod helleborus faciat conuulsiones, quia id facit, si imprudenter, & sine ratione administratur; vbi vero ex arte administretur, expurgat humorem melancholicum.

Vbi perfecta est purgatio, trahenda sunt in vsum, quæ immediate caput purgãt, & quæ a proprietate conferunt.

Caput immediate expurgantia. Caput immediate expurgant sternutamẽta, errhina, Apophlegmatismi, & masticatoria. Lotiones capitis, & stillicidia aquarum thermalium exsiccant caput, vt etiam Cauterium factum in nucha, quod maxime in hoc casu commendatur.

Corroborantia. Corroborant, & exsiccant caput variæ confect. vt conf. saluię, dianisum, conf. beton. Ther. diambra, Castoreum ab Aretęo, & omnibus commendatur: Acetum vero scilliticum, semen rutę, maxime omnium a Galeno in consilio illo pro puero epilep. Laudarunt etiã aliqui vsum cantharidum, qualis fuit Aretęus; & quia hoc medicamentum vlcerat vesicã, vult vt ante vsum cantharidum per tres dies lac sumatur, quasi lac tueatur vesicam ab iniurijs cantharidum.

A proprietate conferentia. Quę conferunt a proprietate multa sunt, & nullus est morbus, in quo plura amuleta habeantur, quam in epilepsia. Videatis Trall. Aetium, Plinium, & omnes magos, mira quisque pollicetur pro curanda hac ęgritudine. Galenus mire extollit radicem Pœonię alligatam, sed tempestate nostra, aut amissa est virtus, aut indigni sumus hoc munere, quia nunquam vidi aliquem quicquam beneficij inde habuisse: tamen in vsu habenda est tam radix, quam semen. Dicit enim Dem. libr. de Antipathia, Pœoniam, & lapidem, qui reperitur in corde cerui, diuinam vim habere aduersus Epilepsiam. Refert Trall. se multos rutæ odore curasse, sed Deus nouit veritatem.

Fort antiquitas etiam superstitiosa, quæ credidit sanguinem gladiatoris iugulati potatum, statim curare: neque mirum quod Celsus, Scribonius, & Paulus hoc referant, sed magis miror Aretæum, qui dicit se hoc remedio curasse. Refert Galen. 11. simpl. se vidisse, qui ossa humana cremata bibenda darent: Multa etiam alia partim fœda, partim anilia memorant, quibus omnibus, vt fit in casibus grauissimis, licet quandoque vti. Habeo ego etiam puluerem, quo soleo vti, & qui præseruat, ac si ex toto non curat, saltem efficit, vt rarius infestet paroxysmus, qui est sequens.

Puluis authoris efficacissimus.

℞ *Ossis cranij humani.*
Vngulæ asini sylu. an. ʒ ß.
Redigantur in pulu. & lauigentur diligentissime cum aqua Pœoniæ.

Deinde adde:

Cardamomi.
Coriandri præpar. an. ʒ. ij.
Macis,
Caryophil an. ʒ. j ß.
Corall. rubrorum.
Visci quercini an. ℈. j.
Sem. Pœoniæ ʒ. j.
Fol caryophyllatę.
Primulæ veris, an ʒ. iij.
Puluerizentur omnia diligentiss. separatim, & misceantur.

Vlus pulueris est, vt bis in hebdomada accipiatur cũ oxym. scillit. vel simplici, in hanc formã:

℞ *Oxym. scillitici. ʒ. j.*
Pulueris prędicti ʒ. j. ß. M.

Hæc est curatio epilepsiæ, quæ fit per essentiam: quia vero, vt intellexistis, sæpe fit per consensum ab vtero, ventriculo, curatio est, vt caput roboretur, & prouideatur partibus communicantibus malum, ne communicent.

Curatio epil. per cõsensũ. Sed quia sæpe ab aliquo membro extremo mittitur aura venenata, quæ malum hoc faciat, vt recitat Gal. & vt vidimus diebus elapsis in Ill. Gallo, quæ est ratio curationis? Dicit Gal. ligandam esse partem arctissime, atque amputandam, si fieri potest, vel vrendam: nam fiunt cauteria ijs in locis. Cantharides appositæ maxime iuuant: granum cnidium tritum in ea parte etiam confert, quia hæc omnia medicamenta non solum alterant, sed etiam instar ignis consumunt venenum, & reuocant, quo minus caput petat.

Antiqui in epilepticos cur expuerent. Atque hæc est tota ratio curandi epilepsiam. Pro cuius fine vnum hoc addo, veteres existimasse epilepsiam esse contagiosam, & propterea apud ipsos in vsu fuisse, vt cum viderent sibi appropinquare epilepticum, aduersus eum expuebant, existimantes hanc spuitionem præseruare, ne contaminarentur ab epilepticis. Quod etiam proditum habetis apud Plautum in Captiuis de morbo, cui inspuitur: Inde puto consuetudinem nostram emanasse, vt vbi quis audit epilepsiam nominari, statim expuit.

C A-

CAPVT XXVII.

De Catarrho.

DE Catarrho propter duas rationes mihi potissimum agendum est; Primo, quoniam homo frequẽtissime hoc morbo vexatur, vt præ ceteris docuit magnus Arist. 10. probl. 1. vbi scribit, hominem magis tussire ceteris brutis, quoniam cerebrũ humidissimum habet. Est præterea, & altera ratio, propter quã homo maxime vexatur catarrho; quoniam destillatio potissimum fit ea ingluuie, vt auditis suo loco. Vnde Plato 3. de repub. sub persona Socratis dicit, tempore Homeri non fuisse cognitum catarrhum, sed tempore suo innotuisse, propter ciborum, & aliorum gulæ irritamentorum exsuperantiam. Secunda ratio est, quoniam paucissimos morbos curabitis, qui non sint vel destillationes, vel destillationibus coniunctæ.

Cur homo maxime catarrhis obnoxius.

Catarrhus, quia Græcis ita nuncupatur, & quemadmodum scribit Celsus lib. 4. c. 2. interdũ κατάῤῥους vocatur, a Latinis communi nomine destillatio. De hoc nomine loquens Plato loco citato dicebat, veteres vsos fuisse nomine catarrhi pro omnibus destillationibus ad partes infernas. Ceterum Galen. lib. 3. de caus. symptom. c. 4. scribit, tempore suo catarrhũ fuisse nomen commune, solum destillationibus illis, quæ ad nares, ad palatum, & ad pectus delabuntur.

Nomen.

Sed vtcunque sit, destillatio nihil aliud est, nisi descensus pituitæ a capite ad partes infernas. Nam est descensus pituitæ, quoniam caput, vt dicit Hipp. libro de glandulis, est metropolis pituitæ, ita vt interdũ vsque adeo copiosa colligatur in cerebro pituita, vt minime cõtineri possit. Neq; valet, quod interdũ videatur descẽdere materia modo flaua, modo nigra, modo alterius coloris, quasi non semper pituita sit, quoniã huiusmodi color non facit, quin pituita sit, sed inducitur, vel ex coctione, vel ex permistione vaporum, vna cum pituita, siue sint vapores biliosi, siue melancholici. Dicitur ad inferuas partes, eo, quia vt docuit Hip. tum lib. de glandulis, tum lib. de locis in homine, cerebrum cum non possit esse capax adeo copiosæ pituitę, in ipso cumulatæ, natura prudentissime parauit septem vias, per quas sese a pituita exoneraret. Sunt autem viæ aures, nares, oculi, palatum, pectus, spinalis medulla, & venæ.

Descriptio.

Pituita descendens ad aures, ad oculos, ad spinã, & ad venas, nullum propriũ nomen adepta est, quæ autem ad nares defluit, & destillationem facit, appellatur ab Hip. & alijs coryza. Celsus lib. 4. c. 2. vocat grauedinem. Vitruuius autem lib. 2. c. 6. appellat grauitudinem. Fuerunt aliqui, qui putarunt Hipp. vocasse hunc affectum μύξαν, sed nũquam potui inuenire hanc vocem, nisi pro muco, qui defluit e naribus. Si pituita delabatur in palatum, vocatur a Græcis βράγχος, Latini raucedinem appellant. Fit & alter affectus, qui appellatur frequens exputio, & a Cæl. Aurel. vocatur saliuatio. Sin autem præcipitetur pituita a capite in pectus, efficitur tussis, & phthisis, adeo vt tot sint destillationum genera, quę a nobis hoc tempore tractata sunt.

Septem viæ per quas cerebrum sese a pituita exonerat.

Ex hoc discursu facile cognoscere potestis, catarrhum, siue destillationẽ esse symptoma secundarium, quod a Gal. lib. de diff. sympt. sæpe vocatur opus, siue symptoma, vt opus. Symptoma secundariũ semper sequitur aliud symptoma, scil. actionẽ læsam, & vitiatam, ita namq; docet rei natura, & experiẽtia, semper opera sequi immediate actiones. Actio autẽ, a qua fit opus hoc, nulla alia est, nisi coctrix cerebri: siquidem cum cerebrum sit proprie locus affectus in catarrho, necesse est, vt in ipso fabricetur hoc opus, & consequenter ab illius actione coctrice.

Genus symptomatis. Symptoma, vt opus.

Cum autem vitiata opera sequantur vitiosas actiones, videre est, quomodo, & qua ratione actio cerebri naturalis vitietur. Scribit Gal. lib. 3. de sympt. caus. c. 1. actiones naturæ vitiari, aut vitiata, & offensa facultate, aut propter aliquam causam externam. In catarrho, etsi, vt audiuistis suo loco, causæ externæ locum quoq; habeant, nihilominus plerumq; fit catarrhus læsa facultate coctrice cerebri; lęditur autẽ facultas, aut per se a morbo similari, aut per accidẽs a morbo instrumẽtali. In catarrho læditur ob similarem morbum, scilicet ob aliquam intemperiem.

Sed videre oportet, cum multæ sint intemperies, vtrum ab omni intemperie vitietur coctio, & fiat catarrhus. Fuit sententia Gal. passim, & præsertim in lib. de fac. natural. fieri coctionem ministerio caloris natiui temperati. Quod si verum est, consequens esse videtur, vt deprauetur, & corrumpatur coctio ab omni calore, qui non sit temperatus. Vnde cũ quælibet intemperies sit aliena a calore temperato, facile est intelligere, ab omni intemperie coctionem lædi. Quod quanquam verissimum sit, attamen intemperies calida, & humida, & intemperies frigida, & humida, vel frigida solum, aut humida solum, sunt feracissimæ destillationum, siue sint simplices, siue cum humoribus coniunctæ.

Morbus a quo dependet

Sed video dubitaturos vos esse, quomodo a calida, & sicca intemperie cerebri possit fieri destillatio, siquidem Gal. in lib. art. med. cap. de signis calidi, & sicci cerebri, inquit, signa intemperiei calidæ, & siccæ, vel siccæ cerebri esse, vt huiusmodi cerebrum vacet excrementis. Vnde colligi posse videtur has intemperies, minime destillationes producere. Respondeo hanc intemperiem, vel posse consistere intra terminos sanitatis, vel esse morbosam; si consistat in latitudine sanitatis, vt loquitur Gal. certe excrementa paucissima producit, & consequenter destillationes minime facit. Ceterum si morbosa sit, clarissimum est ab huiusmodi intemperie fieri copiosa excrementa, quod coctio mirum in modum vitiatur. Sunt ergo morbi, a quibus vitiatur facultas coctrix cerebri, omnes intemperies.

Causa non naturales. [illegible] Propterea [illegible] de genera-tione [illegible]. Sed expe-rientia [illegible] & propterea mul-to [illegible] aeta, in-putatis [illegible]

Causa assa-tur. Ceterum [illegible] est bre-uiter [illegible] & pituitae. A[illegible] & a pro-[illegible] & [illegible] Ceter[illegible] febri-[illegible] Gal. [illegible] cap. [illegible] loco, [illegible] carnes & [illegible] coqui-tur, eo [illegible] cap. Galen. etiam [illegible] existimans, quam [illegible] euadere. Quod [illegible] in loca-[illegible] generari [illegible] verum esse [illegible] Aui. quod fiat hic sapor in excrementis, ob mistionem eorum incommodae cum aqua. Galen. autem [illegible] de diff. feb. cap. 6. [illegible] de salsa pituita, scribit eam fieri vel propter putrefactionem, vel prop-ter admistionem humiditatis serosae, & salsae.

Ceterum Auic. [illegible] tract. 4. cap. [illegible] videtur damnasse Galenum, quasi dixerit, ex permistio-ne aquositatis cum pituita fieri salsam pituitam, & vt [illegible] Galen. [illegible] veri-tatem dixisse Galen. si particula [illegible] accipitur pro particula copulatiua, id est, si vbi dicit propter putrefactionem, vel mistionem serosae humiditatis, legatur propter putrefactionē; & admistionem. Sed [illegible] magnopere miratus sum Auic. qui ascribit Gal. quod minime

Auic. nota-tur. dixit, nam certe si notus esset, quemadmodum [illegible] Auic. [illegible] vestra [illegible] falsum docuisset. Sed verba illius longe diuersa sunt, quia non dicit Galen. propter [illegible] & sero-sam humiditatem. Vnde nisi dicamus pro Auic. eum habuisse codicem Galen. corruptum, certe excusari non potest.

Quomodo fit pituita salsa. Modus per quem fit salsedo in pituita est ex fluxu materiae combustae cum aqua. Ceterum [illegible] materia duplex esse [illegible] alia est [illegible] talis, scilicet exhalatio, alia vero est magis corpulenta.

Ex combusta exhalatione, vna cum aqua, fit salsa, & serosa humiditas, vt dicit Aristoteles, fie-ri salsedinem in mari per materiam magis corpulentam fit [illegible], tum in lixiuio per cinerem, & aquam, tum etiam in plerisque [illegible]. Verum duplex quoque est ratio, per quam fit haec mi-stio, aut enim fit per putrefactionē, aut per insignem coctionem: per putrefactionem efficitur sal-sa pituita, efficitur etiam salsedo in plerisque [illegible], facta per putrefactionem: per vlteriorem, & insignem coctionem habemus testimonium Galen. [illegible] de fac. alimen. 32. vbi scribit, pisces, carnes, & aquam, quanto plus coquuntur, eo salsiores euadere.

Vtrum autem pituita fiat salsa etiam per multam coctionē, etsi explicatum satis non habe-mus a Galen. sum tamen in ea sententia, pituitam quoque salsam euadere per [illegible] coctio-nem. Nec valet quod Gal. 2. de diff. feb. cap. 6. dicat, pituitam fieri salsam solum per putrefactio-nem, & admistionem serosae salsae humiditatis, quoniam Gal. [illegible] est eo in loco de pituita salsa, ex qua fit febris, quippe quae fiat, vel per putrefactionem, vel per mistionem humiditatis serosae, quae enim salsa efficitur propter summam coctionem, minime solet febres facere, quan-doquidem coctio fit ab eo calore, qui minime auctor est febris.

Quid igitur dicemus etiam ad Auic. & Auerr. nam Auic. loco citato, & Auerr. 3. col. 6. dixe-runt, salsedinem fieri in pituita, propter commistionem terrestris, & superassatae materiae cum aqua. Dico sententiam ipsorum non aliam esse, quam eam, quae a nobis explicata est, siqui-dem pro assatione intellexerunt, tum putrefactionem, tum summam coctionem, eo quod in putrefactionem comburuntur etiam aliquae partes, quae deinde commistae aquositati salsedi-nem producunt.

Causa inter-nae mediatae. Causae internae, sed mediatae, sunt intemperies naturalis humida, calida frigida, calida hu-mida, & frigida humida. Similiter, & aetas in his causis est, eo quod senes praecipue destilla-tionibus afficiantur, nam pueri etsi destillationibus detineantur, minime tamen id patiuntur ra-tione aetatis, sed propter errores victus.

Habitus corporis similiter inter has causas recensentur, vnde & a Galeno, & ab Auicenna, corpora calida, & humida inter ea, quae obnoxia sunt catarrhis, collocantur. Et ratio est, quo-niam ab huiusmodi corporibus semper vapores in caput tolluntur, qui cerebri frigiditate con-creti in aquam, & consequenter in destillationem conuertuntur. Arist. enim 2. de part. animal. cap. 7. & 10. problem. 53. dicebat, id euenire corporibus nostris, quod contingit magno mundo, in quo sicut vapores eleuati in aerem frigore condensantur, & in pluuiam vertuntur, sic fieri in homine, scilicet eleuari vapores ab ambitu corporis, & in cerebro concretos demum prae-

Cur homo, et aues maxi-me destilla-tionibus ten-tentur. cipitari in partes inferneas. Et dicit Aristo. loco citato rem memoria dignam, nempe homi-nem, & post hominem aues, maxime omnium animalium tentari destillationibus, ob erectam figuram, propter quam calor a corpore, & cum calore humores sublati in cerebrum efficiunt destillationes, vt iure etiam Hipp. 4. de mor. dixerit, caput veluti cucurbitam magnam superpo-ni corpori, & ab eo attrahi.

Inter causas internas preternaturales sunt viscera pene omnia affecta, & praesertim ventri-culus,

Causæ internæ præternaturales. *Causæ externæ.*

culus, a quo dicit Hipp. loco citato, cerebrum attrahere pituitam. Sic iecur, pulmones affecti possunt esse causæ destillationis, ob vapores, quos communicant capiti, & cerebro. In causis externis connumeratur primo aer calidus, & humidus, frigidus, & humidus, frigidus tantum, & humidus tantum: nam vterque excessus aeris, vel aliquando, & fundendo pituitam, vel comprimendo, & exprimendo, certam occasionem præstant destillationibus. Sic regiones septentrionales sunt maxime obnoxiæ catarrhis, & dicit Hipp. 3. aph. ac lib. de aere, aquis, & locis, hyeme magnopere grassari destillationes, simul etiam vere, & vbi perflant aquilones, austri, & clarissimum est valde destillationes dominari.

Mos Persarum.

Somnus multus præsertim factus a cibo, inter causas externas, præcipuum locum obtinet. Sic etiam nimium otium, nimia repletio. Et notandum, quod scribit Xenophon de Persis, apud eos maxime vituperari consueuisse, qui vel expuebant, vel nares emungebant, quod hoc argumento colligerent, eos neque exerceri, vt par est, & cibis nimium repleri. Crapulæ similiter, & potus vinorum generosorum, vsus ciborum crassorum, flatulentiorum, vsus nimius aquæ, & thermarum, vel lactucæ, piscium, ostraceorum, præsertim vero vsus lactis, ac omnium lacticiniorum.

Signa. *Coryza.* *Bronchi.*

Signa. Difficile non est catarrhum cognoscere, quandoquidem sensibus intueri licet materiam, videlicet pituitam destillantem a capite, modo in nares, modo in fauces, modo in pectus, modo in stomachum, modo in spinalem medullam. Si in nares delabatur destillatio, cognosceris pruritu narium, humiditate, frequenti sternutatione. Si in fauces, cognosceris asperitate faucium, humiditate, & rubedine, raucedine, quemadmodum si in palatum, cognosceris tussi, anhelitus difficultate. Si in ventriculum, cognoscitur vomitu, inappetentia, fluxu alui: nam scribit Hippocrates in lib. de aff. destillationes ruentes in stomachum facere fluxus alui: si præcipitetur in spinam, cognosceris ex dolore dorsi, impedimento incessus, & quia sæpe, vt vidi in ædibus meis vertebræ spinæ excidunt e suo loco.

Signa materiæ effectricis.

Materia vero effectrix destillationis cognoscetur suis signis: nam vbi frigida est, cognoscetur victu antecedente, cognoscetur insipiditate, sensu frigoris, interdum enim percipitur ipsa frigiditas ab ægro: E conuerso, si materia sit calida, solet esse, vel dulcis, vel salsa, vel acris, semper autem hæc materia ruborem facit in partibus, sitim inducit, interdum febres.

Si salsa sit, vel acris, cognoscitur, quia vbi in pectus labitur, vt dicit Galen. 6. epid. com. 2. facit phthisin, tabem: Si delabatur in stomachum, & intestina, inducit sitim magnam, nec non dysenteriam, & huiusmodi dysenteria solet esse valde perniciosa.

Prognost.

Hippocrates lib. primo de mor. scribit, inter destillationes, eam, quæ præcipitatur in stomachum, ceteris anteponendam esse. Sed hæc sententia minime ex toto vera est, quoniam vt luculentissime nos docuit Galen. 7. meth. in pluribus cap. non semper tuta est destillatio in stomachum, quoniam si materia calida sit, & in stomachum frigidum labatur, valde perniciosum est, & eo magis, si alui stypticitatem iunctam habeat, adeo vt huiusmodi casum Galen. pene exitialem reputarit. Celsus scripsit inter omnes destillationes eam esse grauiorem, quæ in fauces præcipitatur, & addo ego, deteriorem adhuc esse eam, quæ in pulmones, & præsertim si materia calida est, & salsa: quandoquidem huiusmodi materia nata est vlcera incurabilia producere.

Hipp. 2. aph. 40. scriptum reliquit, raucedinem, & grauedines in valde senibus coctionem non admittere. Et notandum sapientissimum senem, non sine ratione potius dixisse, non concoqui, quam non solui: vel non curari, siquidem cum tres sint species solutionis propositæ ab Hipp 6. epid. com. 5. tex. 23. nempe coctio, rarefactio, & dissolutio, in valde senibus possunt raucedines, & grauedines, per rarefactionem, & per dissolutionem solui: sed minime per coctionem, quandoquidem coctio perficitur beneficio caloris: in valde senibus autem calor concoquens, vsque adeo paucus est, vt nulla spes supersit, fore, vt concoquat huiusmodi humores frigidos, ea propter prudenter dixit Hipp. non concoqui.

Lienosi non tentantur coryza.

Idem 6. epid. 2. 42. scripsit, lienosos, id est, eos, qui laborant liene, minime coryza tentari.

Galenus exponens hunc locum, primum damnat veteres interpretes, qui dicebant propterea lienosos non tentari coryza, siue eos, qui coryza laborant, non tentari morbis lienis, propterea quod a grauedine sanguis depuratur, qui depuratus non est aptus, vt vel tumorem, vel quempiam alium affectum lienis inducat. Et reprobatis interpretibus inquit Galen. sententiam Hipp. verissimam esse propter duas causas: primam, quoniam vbi aliqua pars corporis affecta est insigniter, omnia excrementa ad illam a natura conuertuntur, ita vt reliquæ corporis partes incolumes, & liberæ maneant, vt propterea verissimum sit, laborante insigniter liene, minime ægrotare cerebrum, aut aliam partem [illegible]

Alteram rationem attulit Galen. quod lienosi semper abundent humoribus crassis, qui grauedine tentantur, abundant humoribus tenuibus, vt inde fiat, vbi quis laborat morbo ab humoribus subtilibus, non corripiatur morbo ab humoribus crassis, & e conuerso.

Hæ Galen. rationes sunt quidem satis accommodatæ, & veræ, sed vt magis Hipp. sententia eluceat, & intelligatur, tria scienda sunt, 1. Hipp. non dicere, lienosos non tentari coryza, sed potius eos, qui laborant coryza, vel grauedine, non fieri lienosos, 2. Hipp. sua lingua, vti hac voce κορυζώδεις, quæ vox non significat vere quoscunque, vel obnoxios, vel tentatos a coryza, aut grauedine, sed eos, qui a natura veluti nati, & dispositi sunt ad suscipiendas facile eas destillationes, quæ coryzam faciunt. Tertium, & postremum est, quod etiam animaduersum reperitur apud Auicennam in lib. 3. vbi tractat de morbis lienis, quo in loco scribit, non quamlibet

coryzam præseruare a morbis lienis, sed tantum eam, quæ frequens, & quæ copiosa sit: ita vt sit hæc vera, & germana illius loci interpretatio, nempe eos, qui a natura crebro tentantur, & copiosis grauedinibus, non tentari morbis lienis: attamen quomodocunque sit, destillationes inueteratæ malæ sunt, & præsertim destillationes in spinam, & pectus, quoniam illæ faciunt gibbositates, coxendicos dolores, claudicationes: istæ vero faciunt modo asthmata, modo orthopnæas, modo etiam phthises.

Curatio. *Indicationes.*

Curatio destillationis, tres potissimum scopos habet, vnus est, vt membrũ generans, & mittens corrigatur: alter est, vt membrũ, quod suscipit, corroboretur, 3. est, vt materia quæ influxit, dissipetur, & quæ fluit, vel intercipiatur, vel in partes aduersas deflectatur. Hos scopos explere possunt Medici tum diæta, tum pharmacijs, tum chirurgicis auxilijs: sed inter hæc præsidia semper potior fuit diæta, siquidem vt præclare scriptũ est 3. de Repub. destillationes, & catarrhi orti sunt, postquam gulæ blandimenta apparuerunt, quasi parẽs catarrhi nullus alius fuerit, quã luxus: & propterea iure ab omnibus traditũ est, curationem destillationum potissimum positam esse in victus ratione. Igitur cum cerebrum maxime ab aere

Diæta.

patiatur, studendum est, vt aer moderatus sit, neque calidus nimium, neque frigidus: præcipue vero fugiendi sunt austri, boreæ, pluuiæ, & quicquid cerebrum vehementer alterare consueuit.

Somnus, & vigilia moderata sint. Nec audienda est schola illa Salernitana, a qua scriptum est, vigilias maxime auxiliari catarrhis. siquidem, vt scribit Gal. initio lib. tertij de sympt. caus. vigiliæ inter ceteras cruditatũ causas, maximam partem habent. Itaque debent ægri moderate dormire, sed nunquã a cibo, nisi duabus, vel tribus horis post. Debent quoq; dormire eleuato semper capite: nam vt est apud Arist. 10. probl. 1. & 53. bruta multo minus, quam homines tentantur catarrhis, & inter bruta maxime omniũ aues, propterea quod homo, & aues semper caput eleuatum habent, cum cetera animalia semper capite ad terram prono viuant. Laborandum est moderate semper ante cibum, nunquã a cibo. Parce studendum est, & qui laborant destillationibus cauere debent, ne studeant pectore tabulis innixo, cum experientia doceat compluribus studiosis destillationes præcipitari in pectora, & stomachos, & insignes noxas afferre.

De veneris vsu dubitari posset, vtrum corpora destillationibus obnoxia, possint venere vti, nam ex vna parte habemus sententiã sectatorum Epicuri, qui dixerunt veneris malum esse vsũ.

Num venus conueniat.

Quam sententiam intelligere debetis, tantum de corporibus, vel ægrotantibus, vel neutris, seu valetudinarijs, siquidem si vniuersalis fuisset Epicureorum sententia, nimium insulsa, & inepta fuisset. Pręterea Rabbi Muyses 9. aph. ex sententia Gal. dicit in destillationibus, non solum veneris vsum non conuenire, verumetiam catarrhos, destillationesque venere, veluti reuiuiscere.

Ex alia parte est sententia Hipp. qui 6. epid com. quinto. tex. 23. scripsit morbus a pituita curari coitu: sed destillatio est affectus prę̨ter naturam, ortus a pituita. Itaque non est dubitandum, secundum Hippocratem, posse dici in catarrhis venerem iuuare. Aristoteles hanc sententiam mutuatus primo problemate 51. & quarto problem. 17. quęrens, quam ob causam coitus iuuet morbos a pituita? inquit, ideo esse, quia excrementa corporis, & capitis, vna cum semine euacuentur. Et aduertatis, ne vos decipiat Gaza, qui vocem [illegible], male transtulit, immoderatum coitum, siquidem hęc vox mutuata est ab Hippocrate, apud quem nihil aliud significat, quam simpliciter coitum. Adhęc 5. epid. Hippocrates narrat historiam Timocratis, qui pollutionibus nocturnis fuit curatus a destillatione, vt hinc colligatur, in curatione destillationis conuenire veneris vsum.

Resolutio.

Pro huius rei solutione dicere oportet, destillationem esse, vel in initio, vel in declinatione, & Veneris vsum posse esse, vel moderatum, & opportunum, vel contra: Immoderata, & importuna Venus, neque initio, neque in declinatione catarrhi vtilis est: Ceterum si moderata sit, licet principio semper non conueniat, semper in declinatione tamen, vbi corpora robusta sunt, vtilis est. Et sic intelligendus est Hipp. & Arist.

Aluus semper mollis seruetur, crapulę, & repletiones omnes inutiles, & perniciosę sunt: vnde ijs, qui laborant destillationibus, semper debetis, & aquę potum, aut vini oligophori pręscribere, & cibi parcitatem. Vnde in hoc laudanda est schola Salernitana, quando dixit, debere omnes ieiunare, qui curant catarrhos. Debent autem esse cibi faciles coctu, non multi nutrimenti, non excrementitij. Vnde fugiendę sunt omnes carnes vetustę, omnes pisces, pręsertim lacustres, palustres, ostreacea; abstinendum a lacticinijs omnibus, a leguminibus, ab herbis, & inter fructus ij potissimum conueniunt, qui pectori vim quandam amicam habent, vt amygdalę, nuclei pinei, pistachia, passulę, omnia frixa, salita fugienda sunt. A cibo autem semper vtile est sumere, vel diacitonium sine aromatibus, vel sacch. violaceum, rosaceum.

Nũ prandiũ debeat esse parcius cęna.

Fuit lis antiqua, vtrum in curatione catarrhi debeat prandiũ esse parcius, an cœna: & pleriq; viri eminentissimi, inter quos fuit Matthęus Curtius, multis argumentis conati sunt demonstrare, debere cœnam esse lautiorem prandio; & ne detineam vos in recensendis ipsorum argumentis, duo pręcipua habuisse videntur. Vnum ex consuetudine veterum, quos apertissime constat omni tempore, vespere lautius edere consueuisse, quam mane. Aliud fuit, quod in qualibet affectione, & in quolibet statu semper sit magna ratio habenda coctionis ciborum: iam vero felicius coquuntur noctu, igitur inquiunt isti, debet tanto copiosior cibus capi, quãto melius conficitur, & eo maxime, quoniam si cibi minime coquantur, pręter alias noxas illa quoque contingit, vt excrementa in toto corpore, & pręsertim in cerebro multiplicentur.

Auctoris iudicium.

Sed his, non obstantibus aliam sententiam sequor, & quod maxime me inuitat in hanc sententiam, est, quoniam in vera curatione catarrhi, non solum debemus studere, vt ma-

teria

teria destillationis consumatur, verum etiam prospicere, ne gignatur noua: iam vero vbi parce sumitur cibus vespere, nisi fallor, felicissime hęc duo pręstantur: primum enim noctu, si calor natiuus non occupetur circa cibum, certissimum est illam multo valentius consumere, & exsiccare omnia cerebri excrementa, & propterea efficere, vt destillationes minuantur. Ad hæc dicit Hipp. 4. de morb. humores nostri corporis generari ex cibis, & potibus: vnde cum materia destillationis, vt audiuistis, sit vapor eleuatus in cerebrum, ex partibus infernis; & præsertim ex alimento, quis non videt, si vespere plus cibi capiatur, necessario fieri, vt plures halitus, & plures vapores in cerebrum tollantur, qui deinde augeant destillationem.

Neque valet, hæc eadem detrimenta, multo magis contingere, si mane plus cibi capiatur, propterea quod die cum corpora nostra varijs motibus agitentur, cum meatus aperti sunt, fit etiam, si copiosi vapores fiant, vt dissipentur, tum per meatus apertos, tum maxime per alios corporis motus, contra quam fit in nocte, quo tempore cum meatus corporis sint occlusi, cum corpora nihil moueantur, fit, vt quicunque vapores gignuntur ex alimento, recta ferantur potius in cerebrum, quam in alias partes. Neque valet consuetudo veterum, quoniam a nobis in lib. 1. gymnasticæ, copiosissime explicata est vera ratio, propter quam veteres cōsueuerint plus vespere edere, quam alias.

Loco vini conuenit in potu, vel aqua cocta simplex cum sacchar. aut cum liquiritia, vel aqua hordei, cum iulepo violato, vel mulsa, vel aqua pectorali, sed declinante destillatione conuenit vinum mediocre, subdulce, nullo modo adstringens.

Victu instituto videndum est, vtrum destillatio sit leuis, an vero sit grauis: si enim leuis sit, pręter victum, non debet Medicus valde solicitus esse, eo quod leues destillationes, absq; multo studio finiuntur.

Num venę sectio conueniat.

Ceterum si grauis sit, iterum considerare oportet, an fiat a calida materia, an vero a frigida, & si materia calida sit, primum versari oportet circa auxilia chirurgica, nam Græci scriptores, vix vnquam meminerunt sanguinis missionis in catarrho, nec sine ratione, siquidem materia destillationis, vniuersa est extra venas, & quod maximū est, recedit a natura sanguinis, vt propter hoc non videatur esse locus sanguinis missioni. Contra Arabes omnes in materia calida, nō solum meminerunt huius auxilij, verum etiam commendarunt.

Sed, vt ego puto, res hunc in modum definienda est, vt animaduertatur, an in corpore sit nota vlla sanguinis exsuperantis, quoniam si adsit aliqua nota, certe optimum esset sanguinem mittere, non ratione materiæ coniunctæ, vt dicunt, sed ratione antecedentis, quippe cum in abundantia sanguinis semper copia vaporum adest, quæ auget generationem destillationis. Est autem sanguis mittendus, non in magna copia, sed potius infra mediocritatem, ne calor, qui debet destillationem concoquere, larga missione hebetetur.

Locus mittendi est, vel a communi vena, vel a cephalica.

Præter sanguinis missionem, sunt cucurbitulæ scarificatæ, quæ in magnis destillationibus solent esse vtilissimæ, sed præ ceteris in genere chirurgicorum auxiliorum solemus maxime cogitare de cauterijs faciendis, & si vllus est morbus, in quo hoc auxilium requir[illegible]ur, certe destillatio est. Solemus autem parare plerumque in brachijs, quod & citius, & tutius deflectatur materia a capite. Sed alijs non conferentibus in graui destillatione, solemus quoque deuenire ad cauteria, vel supra commissuram coronalem, vel in occipite, inter primam, & secundam vertebram. Frictiones etiam continuę in destillationibus maxime conferunt. Post hæc cogitandum est de alijs remedijs, & primo aluus lenienda est.

Cauteria.

Leniens.

℞. Fl. cassiæ.
Elect. lenit. an. ʒ. vj. M. & f. bolus.

Præpatabuntur humores sic:

Pręparātię.

℞. Hordei P. j.
Fol. viol.
Beton. an. M. j.
Iuiubar. num. x. f. decoct.

Deinde *℞. d. d ℥. iiij.*
Syr. ros. recentis.
Oxym simpl.
Syr de beton. an. ℥. ß. M.

Purgans.

Pręparati expurgentur, vel pil. de agar. Mes. vel pil. cochijs, aureis. Potest quoque parari simile medicamentum.

℞. Decoct. pectoralis facta cum ʒ. ij. fol. sena. ℥. iiij.
Agar. trochisc. ʒ. j.
Rhabarb. ℈ ij. ß.
Caryophyl. gr. iiij. Infund. s. a. & f. expressio.

Adde *Elect. de psyllio ʒ. ij.*
Mell. ros. solut. ℥. iij. M.

Si vnica purgatio malum non abstulerit, repetēda est, & diligentius interius, & exterius occurrendum est. Interna sunt confect. quę ore detinentur, die, & nocte, quando itur cubitum; huiusmodi est sacch. viol. cum bolo armeno, diatrag. diacodion, sacch. rosac. simp. Fiant quoque gargarismata, exempli gratia.

Gargarismi.

℞. Aq. hordei.
Violarum.
Hyssopi an. ℥. iiij.
Syr. de nnubis.
De papau. ℥. j. ß. M. & gargarisetur.

Sed notare oportet, non semper vtiles esse huiusmodi gargarizationes, quoniam vbi destillatio perforatiua, vt dicunt, est, inutilis est vsus huius auxilij, immo vero periculosus.

Suffumigiũ. Suffumigia etiam solemus adhibere; vulgares solent parare ex carbonibus, & furfare combusto, ex caricis com bustis. Ego autem soleo vti huiusmodi suffumigio.

℞. Hordei. P. j.
Camphoræ ʒ. ß.
Fl. rosarum P. j. f. puluis, & proiectus super carbones attrahatur fumus ex eo.

Simili pacto fieri solent quædam, Nasalia vocata, ex decocto hordei, saccharo, & succo betæ; nam huiusmodi remediũ per nares attractum vim habet dissipãdi destillationis materiam.

Extrinsecus capiti solemus adhibere cerata, vt ceratum sacrum, medicamẽtum ex Thapsia, propositum a Gal. 5. meth. 14 & locus est supra commissuram coronalem, nam illi parti derasæ adhibemus huiusmodi cerata, & detinentur præsertim nocte. Solemus quoque illi parti inspergere pulueres exsiccatorios, vt est hic

Puluis exsiccatorius.

℞. Caroph ʒ. ß.
Stœch.
Beton.
Maior an. ʒ. j.
Fl. ros. rub. ʒ j. M. omnia, & f. puluis.

Caryoph. *Stillicidium aquarũ thermalium.* Et notandum est, quod literis mandatum est ab illo Auenz. scilicet in omni destillatione efficacissimum remedium esse caryophyllum. Sed auxilium, quod præ ceteris capiti contra destillationes administratur, est stillicidium aquarum naturalium, & præsertim illarum, quæ insignem vim habent desiccandi, ac calidæ sint, cuiusmodi sunt aquæ nostræ Aponitanæ, & D. Petri.

Sed circa vsum harum aquarum solet oriri nobilis disputatio, vtrum in materia calida conueniens remedium sit stillicidium aquarum calidarum. Ex vna parte est Galen. qui quinto, meth. 14 in casu illius Romanæ, scribit se adhibuisse thapsiam, & stercus columbinum capiti in destillatione salsa. Ex aduerso est Alexan. Trall. qui libro septimo, capit. primo, inuehitur contra Galenum, quod docuerit in materia calida vtendum esse remedio calidissimo, quod perniciosissimus sit huius vsus. Sed quod maximum est, ipsemet Galenus sexto, de tuen. val 9. magnopere damnat eos, qui vtuntur stillicidijs aquarum calidarum, vbi caput calidum est.

In hac difficultate dicendum, in destillatione duos scopos haberi posse, vnum aduersus intemperiem, alium aduersus materiam. Si scopus intemperiei magis moueat Medicum, illi magis attendendum est; contra, si scopus ad materiam magis moueat. Igitur in destillatione debet solers Medicus in eo ingenium exercere, vt intelligat, an materia magis lædat, an magis intemperies; si magis lędit intemperies, certe hoc in casu abstinendũ est a calefacientibus: & hoc pacto intelligendus est Gal. 6. de tu. val.

Ceterum si materia magis vrgeat, & magis lædat, incumbendum est in materiam ipsam absumendam; & propter hoc cum Gal. in muliere illa Romana aduertisset destillationem, seu materiam illam salsam magis lædere, quod pulmones vulneraret, iure omne studium direxit ad hanc materiam consumendam, scilicet cum illis medicamentis, quæ calida sunt, & vim habent insignem exsiccandi.

Curatio catarrhi frigidi. Quod si materia destillationis frigida sit de sanguine mittendo, nihil est cogitandum, quandoquidem raro contingit, vt in frigidis catarrhis sit ea sanguinis exsuperantia, quæ indicet sanguinem esse mittendum, propterea statim lenienda est aluus.

Leniens.

℞. Specier. hieræ ʒ ij ß.
Elect. lenit. ʒ. ix. M. cum facch f. bolus.

Pręparans. Lenita aluo, sunt humores pręparandi.

℞. Fol. stœchadis.
Beton.
Maior.
Hyssopi an M. j.
F. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. de stœchade.
Melis ros. simpl.
Syr. de betonica an. ℥ ß. M.

Purgant. Præparati humores expurgentur cum pil. de agar. pil. aureis ex. gr.

℞. Pil. aggregat.
De agarico an. ℈. ij.
Trochis. allandal gr. vij.
M. Cum melle ros. solat. f. pil. num. v.

Si hu-

Si huiusmodi purgatio minime suffecerit, repetenda est, syrupis compositis additis, scilicet syr. de beton. de fumor. & postquam expurgati erunt, pari pacto conuertendum est studium ad remedia tum extrinseca, tum intrinseca, quæ efficaciter possunt caput expurgare.

Topica medicamenta.

Et extrinsecus conueniunt in materia frigida multo magis cuncta medicamenta calefacientia, quæ nuper proposui in materia calida; siquidem, cum in vtroque genere Medicus debeat studere exsiccationi, & consumptioni materiæ destillationis, vt audiuistis, medicamenta calefacientia hoc opus diligenter præstant. Illud tantum interest, quod vbi materia frigida sit, multo audacius possumus vti remedijs calefacientibus: vnde, & stillicidia sulphurea, & cerata, & medicamentum ex thapsia, synapismi, & vesicantia, maxime conueniunt, quandoquidem simul & intemperiem auferunt, & materiam consumunt, id quod etiam de gargarismis, suffumigijs, & odoribus, existimare oportet.

Odoramenta quatenus conueniant.

Sed circa odores illud vnum magnopere aduertendum est, ne in quouis catarrho adhibeantur odoramenta admodum vehementia, quippe quæ sua vi insigniter cerebrum feriũt, & propterea soleo ergo, & viris & feminis maxime interdicere vsum ambræ, & moschi, siquidem hæc odoramenta sua vi potentissima, magnopere cerebrum offendunt.

CAPVT XXVIII.

De affectibus oculorum, offuscatione, visus diminutione. Myopia, & Nictalopia, &c.

Cur plãtæ partibus instrumentarijs destituta.

Partes similares plantis fere solum traditas, non autem instrumentarias, aut paucas, nemo dubitat. Cuius rei ea fuit ratio, quia hoc corporum genus paucis operationibus erat destinatum: animalia; quorum plura debebãt esse officia, plura quoq; instrumenta habere debebãt: homo vero, qui ad felicitatem natus, iure plurimis omnium instrumentis donatus est, vt non mirum sit, naturã fuisse solicitam in varijs, ac diuersis instrumentis fabricandis: sed maximum studiũ in sensibus positum est, qui cum, vt ait Plato in Timæo, deberẽt esse satellites intellectus, opus fuit, vt pluribus conficerentur artificijs, & inter sensus, nemini dubium oculos, & aures summo artificio a natura fuisse creatos. Ratio est, quia vt scriptum est ab Aristot. libro de sens. & sensili, & primo metaphysicor. hi duo sensus maxime conferunt ad acquirendam prudentiam, ac disciplinas, quæ duo felicitati inseruire nemo dubitat.

Cũ igitur oculi, & aures ita necessarij, & vtiles sint, iure Galen. lib. 8. de vsu part. hanc sententiam nobis reliquit, naturam cerebrum, & caput in sublimi posuisse, ut oculi in eo ponerentur, qui, cum debebant esse speculatores, atque hominem tueri ab iniurijs, in hac specula sunt positi, vt iure dictum sit a Celso, oculos maxime esse custodiendos. Sed alia quoq; est præclara oculorum vtilitas, vt quemadmodum oculi valeant, ita & totum corpus; propterea que ex ipsis huius statum conijcere liceat, quemadmodum Hippocrates scripsit sexto epid. in fine sect. quartæ. Quod Christus quoque apud Lucam vndecimo, quodammodo significasse videtur, quando dixit, si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.

Hęc volui præfari, vt intelligatis, me non frustra hunc laborem suscepisse, vt ostenderem rationem curandi oculos, & strenue laboremus, vt præclaram cognitionem comparemus. Scio aliquos hos sicco pede transire, sed nos possumus colligere, quid antiqui Medicorum iis tribuerint, qui nullam aliam artem exercebant, quam curandi oculos. Videmus etiam de comp. sec. loc. Galenum non ita copiosum extitisse, vt fuit in oculis: tanta est magnitudo, difficultas, & vtilitas huius tractationis, quam eum aggredi debeamus, primo docendum, quomodo hæc sint tractanda, nam oculos tanquam maxime præcipuos, primo tractabimus, deinde aures.

Cardo tractationis.

Oculorum affectus innumeri cum sint, ad quædam capita redigam, nempe ad tria genera, deinde species tractabo, & in ipsis tractãdis primo, nomina affectuum habebimus. 2 morborum naturas, 3. causas, 4. signa, 5. vberrimam curationem, vt possitis optimi oculorum Medici euadere.

Morbos esse dispositiones, operationes lædentes, est clarum, id tãtum dicam, operationes oculorum duas esse, visionem, & motum, ita vt morbi omnes, qui contingunt in oculis, vel in visione contingant, vel in motu. Visio autem ex tribus constituta est, virtute, quæ a cerebro ad crystallinum humorem mittitur: instrumento ipso, quod est crystallinus humor, & partibus deseruientibus, & virtuti, & crystallino humori: quæ partes, vel sunt extrinsecæ, vel intrinsecæ, extrinsecæ, vt palpebræ, cilia; intrinsecæ autem humores, & tunicæ.

Morborũ ocularium distributio.

Operatio similiter motus constituta est ex tribus, ex virtute transmissa a cerebro; ex instrumentis mouentibus; ex corpore moto, quod est oculus. Ita quod morbi omnes, siue sint pertinentes ad visionem, siue ad motum, aut sunt in virtute, aut in instrumento virtutis, aut in partibus seruientibus, & virtuti, & instrumentis; vt habet Galenus primo de symptoma. caus. 2.

Ergo, vt ordine procedamus, primo initium sumo a morbis, qui fiunt in virtute. Sed debetis vnum annotare, innumeros morbos nominari a Medicis oculorum, quos si sigillatim tractare vellemus, res esset, & longa, & inutilis; tractabo autem solum morbos primarios, & eos ex quorum cognitione cognitio, & curatio aliorum comparatur: quod sactinasse Galen. 4. de comp. sec. loc. facile potestis intelligere.

Vitia virtutis visiuæ. *Offuscatio.* Vitia igitur, quæ contingunt virtuti visiuæ, contingunt, vel quia virtus a cerebro ad crystallinum humorē non mittitur, vel quia non mittitur, ita ut mitti debe. et. Si virtus nullo modo mittitur, fit vitium illud appellatum a Græcis τυφλότης, seu cæcitas, & a Gal. ἀμβλυωσμὸς, seu offuscatio.

2. Visus diminutio. Si vero mittatur virtus, sed non vi deberet, fiunt hæc vitia omnia, vel quia res non vt deberent, clare videntur, atque hoc vitium visus diminutio appellatur; aut non videntur res debito tempore, aut debito spacio. Si res clare non videantur, fit visio impedita, si vero non debito spacio, aut quia res propius admouentur, vt possint videri, aut quia remouentur longius, vt possint conspici; si non debito tēpore, est, vel quia magis videtur interdiu, quam vesperi, vel e cōuerso, quia magis videtur nocte, quam interdiu. Quando res propius admouentur, vt videantur, vel *3. Myopia.* longius remouentur, appellantur vitia μυωπία, & qui sic male vident, μύωπες. Aristot. 31. problema. dicit, Latinos appellasse luscos. Illos vero, qui non debito tempore vident, hoc est, magis *4. Nyctalopia.* die, quam vesperi, appellant Græci νυκτάλωπας.

Sed volo vos, vt possitis in Medicis intelligendis versari, illud animaduertere, differentiā inter scriptores fuisse, quia alij fuerunt, qui voluerunt, νυκτάλωπας esse, qui interdiu vident, vesperi non: quod ita vsurpatum est a Philosopho 5. de gen. animal. 1. quod scribit Galen. de linguis, ab Hipp. fuisse vsurpatum, qui νυκτάλωπας vocauit eos, qui interdiu vident, non autem vesperi. Alij ex aduerso fuerunt, qui putarunt, νυκτάλωπα esse eū, qui noctu tantū videt. Rases 2. contin. eū qui interdiu videt, nō vesperi, vocauit Dorcā. Apud multos Latinos reperietis appellari lusciosos.

Aliud quoque sciendum est, errasse quosdam Medicos, qui inter μυωπίαν, & νυκταλωπίαν, id discrimen posuere; quod μυωπία sit, vbi fit a natura, νυκταλωπία cum contingit ex morbo: quod vero hi fuerint in errore, satis apertum est ex Aristotele loco citato, qui scribit μυωπίαν, non raro etiam ob morbos contingere. Quod quoque ex eo probatur, quia deliberatum fuit inter veteres, vt serui, qui μύωπες erant ex natura, non redimerentur, sed tantum ex morbo, vt hoc argumento clarum sit, non solum venire posse a natura, sed etiam a morbo.

Tot sunt morbi enarrati, qui contingunt virtuti visiuæ: & quanquam possint interdū aliqua ex parte ab alijs causis fieri, fere semper solius virtutis affectibus tribuuntur, qui & a natura contingere possunt, & a morbo. Sed de naturalibus verba non faciemus, quia solus Deus hoc curat.

Genus symptomatis. Sunt hi affectus enumerati symptomata in genere actionis visoriæ læsæ, quæ læsio est duplex, aut penitus ablata, vt in cæcitate, & offuscatione; aut diminuta, vt in reliquis vitijs apparet, quia quod aliquis videat solum prope, vel longe, vel die, vel nocte, est solum ex diminuta visione, non ex ablata.

Obiectio. Sed dubium est, quomodo dixerim, hæc vitia esse simpliciter actionis læsæ, cum visio sit potius passio, quàm actio: nam clarum est, visionem fieri patiente humore crystallino. Accepit Arist. testimonium, qui reddens rationem cur oculi sinistri, nil minus videant, quam dextri, inquit esse, quia visio consistit in patiendo, sinistræ autem partes magis patiuntur. Nec obstat, quod, Hippocrates, 6. epid. sect. sexta, non longe a fine dixerit mammam dextram, atque oculum dextrum magnam vim habere in natura, quoniam aliud est loqui de actionibus animalibus, aliud de naturalibus, partes dextræ procul dubio cum sint validiores, & calidiores, in actionibus naturalibus obeundis, multo plus valent, quam sinistræ, secus autem est in actionibus animalibus, quæ cum fiunt patiendo, sicuti visio, profecto sinistræ, quæ magis patiuntur, non minus quoque valent in huiusmodi functionibus.

Sed quia symptomata necessario a morbis dependent, speculandum, ad quos morbos reducantur hæc symptomata. Sunt vero morbi trium generum, nempe mala complexio, solutio continui, & mala compositio: qui morbi cum necessario in aliqua sede portantur, videndum, *Locus affectus.* quæ sint istæ sedes. Sedes itaque affectæ, vel sunt nerui optici, vel spiritus, qui virtutem vehunt, vel cerebrum ipsum, in quo perficiuntur spiritus. Nam vbi cerebrum aliqua intemperie, aut apostemate est affectum, clarum est, quod non possit optimam virtutem subministrare, & prauos facit spiritus, vel quia tenuiores, vel crassiores, & obscuriores, vel quia pauciores sunt, necessario tunc visio vitiatur. Idem contingit, & neruis obstructis, vel inflammatis, vel diuisis, vt visus destruatur, vel diminuatur.

Obiectio. Sed aliquis vestrum insurget, quomodo hæc vitia attribuantur virtuti, quia potius videntur attribuenda, aut cerebro, quod est officina spirituum, aut neruis, aut spiritibus, qui sunt vehicula virtutis. Respondeo tribus de causis hæc vitia virtuti ipsi attribuenda. Vna est, quia in his morbis, id quod læsum maxime dignoscitur, est virtus, etenim neq; vitia neruorum, neque spirituum, ita aut ratione, aut sensu dignosci queunt. Altera est, quia vitia neruorum, & spirituum omnia redundāt in virtutem, ita vt quicquid in his omnibus peccatur, solum in virtute peccari videatur. Tertia est, quia, vt dicit Gal. in lib. de natur. fac. spiritus ipsi, aut sunt anima, aut virtus ipsa, aut animæ instrumenta, ita quod omnium spirituum vitia virtutis ipsius esse videantur.

Differentia. Differentiæ horum affectuum tres inueniuntur, vna est, quod huiusmodi affectus, vel sunt interpolati, vel continui; Inuenietis enim aliquos, qui non semper obtuse vident, sed per interualla quædam; & alios, quorum morbi sunt continui.

Alia est, quia vel isti sunt recentes, vel antiqui affectus, & maxime intelligendum affectus oculorum curanti, an recentes sint, vel vetusti. Tertia est, quod hi affectus interdum fiunt per essentiam, interdum per consensum. Appello affectus essentiales, quorum essentia est in ipsis spiritibus, atque in virtute. Quanquam causa sit aliunde communicata. Appello per consensum, quorum causa continuo fertur aliunde.

Causæ

Causæ internæ, & immediatę.

Causæ horum omnium affectuum plurimæ sunt, quæ diuiduntur in duas classes, quia aliæ internæ sunt immediatæ, aliæ vero externæ, & magis mediatæ. Internæ sunt morbi dicti, aut apostemata, aut humores crassi, aut obstructiones, aut diuisiones, aut intemperies aliqua, siue sit simplex, siue composita. Atque hæ sunt in vniuersum causæ internæ.

1. cerebri intemperies.

Vitiorum, quæ virtuti visiuæ tribuuntur, causæ plurimæ sunt, & a nobis magna diligentia complectendæ, quarum aliæ immediatę, alię mediatę sunt. Immediatę, de quibus prius agendum est, sunt vel intemperies mala, vel cōtinui solutio, vel humores, aut vapores, vel apostemata, vel tumores, quę omnes causę vel in cerebro collocatę sunt, aut in spiritibus, aut in neruis. In cerebro, vbi causa visionis est deprauatę, aut ablatę, aut diminutę, ideo ibi hęc vitia fiunt, quia virtus visiua, quę in intemperie posita est, aut destituitur prorsus, aut valde deprauatur.

Ad hęc aut ex intemperie cerebri spirituum generatio diminuta est, aut prorsus abolita: exēplum huius habetis in phrenitide, in qua pręsertim cum consummata est, ęgri non vident, aut diminute, propterea quod ob cerebri inflammationem & incendium, virtus pene tota visiua consumpta est, spiritus inquam omnino sunt contabefacti. In morituris etiam circa phrenitidem visus diminuitur, & aufertur, quia calore cerebri emortuo, spiritus quoque necessario visiui moriuntur. Hac etiam ratione contingit, vt in extremo senio visus valde labefactetur, quia sc. vis visoria, ob refrigeratum valde cerebrum imminuta est, similiter & spiritus. Itaque ex his colligere potestis, causas vitiorum virtutis sępe quoque positas esse in cerebri peccatis.

2. spiritus vitia.
1. problema.
2. problema.

Vbi vero causę visionis vitiorum sunt in spiritibus, solum est quia spiritus aut pauciores sunt quam conueniat, aut sunt crassiores, tenacesue. Ex quo fundamento causarum potestis plurimorum problematum veras inuenire causas, i. scire potestis, cur fit, quod aliqui a longe magis vidēt, aliqui minus, vt Ale. 1. probl. 47. docet. Ratio est, quia spiritus crassi multo spacio opus habent, vt extenuentur, ita quod possint sufficere visioni. Quanquā non defuerunt, qui potius hoc tribuere voluerint indigentiæ luminis. Quæ etiam ratio est, cur aliqui maculas lunæ intueri non possint. Cur autem e conuerso myopes magis e propinquo videant quam a longe, potest ratio colligi, quia horum spiritus visorij pauci sunt, & subtiles, & propterea, cum pauci sint, longius ad operationem progredi non possunt: cum vero sint tenues, facile propinqua intuentur, vnde qui vident solum propinqua, non immerito solent oculos constringere, vt spiritus, qui alioqui pauci sunt, congregentur, non autem dissipentur latitudine meatuum, propter quod Arist. 31. par. probl. ait, myopes characteres breues, & paruos scribere, eo quod cum in angustum locum sint collecti spiritus pauci, necessario ipsis res magnæ paruæ videntur.

3 problema.

Hinc quoque sciri potest, cur aliqui nec propinqua, nec remota videant bene, quoniam sunt spiritus visorij non modo pauci, sed etiam crassi, & obscuri.

4. problema.

Cur autem nyctalopes videant interdiu, noctu autem non videant, hæc est ratio, quia spiritus ipsorum multi quidem sunt, sed obscuri & tenebrosi, propter quod cum spiritus ipsorum luce diurna adiuuantur, vident, vbi vero hac luce priuati sunt, aut nihil aut obscurissime vident.

Cur ex aduerso qui noctu magis vident, minus autem in die (quos nyctalopes vocauit Hipp. 3. prorrh. & Gal. in introduct.) cur inquam hoc fit, hæc est ratio, quoniam spiritus ipsorum valde subtiles sunt, ita vt a luce diurna dissipentur, atque minuantur, nocte autem collecti magis operari possunt.

5. problema.

Hinc etiam colligi potest ratio alterius pulcherrimi problematis, cur scil. ebrijs omnia fere gemina videantur; nam vt est apud Arist. 3. part. problem. apud Auicennam, 3. de animal. cap. 8. apud Albertum Magnum secunda parte de homine, iudicium visus fit in ea neruorum opticorum incruciatione, quam in anatome vidistis, vbi cum pertingant plurimi vapores, spiritus ab ijs discinduntur, qui discissi in duas partes faciunt, vt in duobus locis vnius rei species feratur, & propterea vna res gemina videatur. Habetis huius rei luculentissimum exēplum, quod si aqua, in qua solis imago appareat, baculo discindatur, apparebunt duæ solis imagines: sic vbi spiritus illis in ebrijs a vaporibus discissi sunt, vna res gemina huc pacto apparet.

Nerui optici.

Quod vero nerui optici sint causæ immediatæ horum visiuuis affectuum, accipite breuiter: nam vel nerui discinduntur, vt fit in vulneribus, & fit cæcitas absoluta, quæ ab Arist. lib. de sens. & sensili, & apud Galenum in introduct. vocatur ἀπόῤῥηξις: Si vero obstruuntur nerui, obstructiones huiusmodi sunt causæ visionis deprauatæ, aut ablatæ, duobus modis; vnus est quando prorsus obstructi sunt, ita vt nullo modo spiritus permeare possint, quod genus vitij dicitur a Græcis ἀμαύρωσις. Latini barbari vocant guttam serenam, & est cæcitas absoluta.

Quod si nerui non obstruantur plane, sed solum magna ex parte, huiusmodi obstructio est causa visionis diminutæ, eo quod per augustissimos meatus transeuntes, ita exiles fiunt, vt non possint debite operari.

Causę mediatę.
1. internę.

Igitur habetis causas immediatas eorum affectuum, qui virtuti visiuæ proprie tribuuntur: superest, vt causas mediatas videamus, quas appello eas omnes, quæ possunt vel intemperiem, vel obstructionem, vel solutionem continui, vel aliquam aliam ex immediatis caussis producere. Atque harum causarum aliæ dicuntur esse externæ, aliæ internæ. Internæ sunt primo habitus corporum; nam qui capite valde pituitoso existunt, & qui pilis sunt albis, videbitis omnes praue fere videre. Similiter & ætas, de qua habetis testimonium 3. aph. Hipp. vbi ait, in senibus visus hebetudines fieri. Idem quoque 2. prorrh. ait, pueros iuuenes, & adolescentes nyctalopes fieri.

Est inter has causas sexus, quoniam Hippocrat. 2. prorrh. memoriæ mandauit, mulieres coniugatas, & virgines, quibus fluunt menses, nō fieri nyctalopes. Cuius rationem si vultis, hæc est,

quo-

quoniam vbi fluunt menses mulieribus, & vbi cum viris consuetudinem habent, vt nouistis, spiritus ipsis magis depurantur; vbi vero vel non fluunt menses, vel non habent cum viris consuetudinem, spiritus visorij ita crassescunt, & obscurantur; vt necessario vis visoria infirma sit.

...ternę. Causæ mediatæ, & externæ plurimæ quoque sunt, inter quas prima est aer, qui si sit caliginosus, humidus, crassus, austrinus, maxime visum hebetat; propter quod videbitis eos qui in paludibus victitãt, aut inter aquas, visum obscuram semper habere. Sic quoque Hip. dicit 3. aph. quod austri visum hebetant, hac scilicet ratione, quia; & in ijs regionibus, & ijs vaporibus spiritus crassescunt, 7. epid. in initio, in ea constitutione, in qua austri & boreæ vicissim perflabant, nyctalopes multos esse factos refert.

...in Italia ...ui vi... ...habeãt ...ensum. Hic oritur pulcherrimum problema, a nullo adhuc, quod sciam, tactum; cur in Italia tot videamus, quorum oculi, visusque sunt adeo offensi: in Flandria, in Bohemia, in Germania, paucos videbitis, qui ob visus offensionem cogantur ocularia gerere. Nec est quod inculpemus vinum, quia certe, vt in multis alijs, in hoc Germani nos excellunt. Multas igitur causas ad hoc cõcurrere, vt apud nos visus offendatur, puto; quarum vna est, quod pluribus vtamur, quam ipsi, herbis, fructibus, de quibus dicit Hipp 5 & 7. epid. quod valde offendunt visum. Altera ratio est inconstantia cæli, nam quod in Italia cælum sit magis inconstans, præter experientiam, testatũ habetis apud Varronẽ, & apud Columellam, in libro de re rustica. Tertia, nec forsan infirmior ratio est, quia Itali magnam partem degunt ad ignem, dictæ vero nationes fere nunquam vtuntur igne, semper vero Laconicis; ignis autem certum est, quod visui sit inconueniens, Quarta ratio est, quia Itali magis vtuntur venere, quam istæ nationes. Nam quod venus oculos omnium maxime infirmet, potestis intelligere ex spadonibus, & eunuchis, qui quoniam nunquam venere vtuntur, visum semper acutissimum habent. Quid igitur ex ijs causis fit? Id fit, quod parentes tot causis visu oblæsi, filios postea ijsdem vitijs inficiant; sic dicit Hipp. libro de aere, aquis & locis, macrocephalos principio arte, & vitio ita fuisse conformatos, deinde huiusmodi vitia fuisse propagata, vt integræ nationes vilę fuerint macrocephalę.

Somnus immoderatus visui obest. Inter has causas est quoq; somnus immoderatus, quem visionem hebetare posse, hinc colligere licet, quia vbi quis a lõgo somno expergiscitur, per aliquod tempus vix videtur cõspicere posse aliquem; tũ autem præsertim somnus nocet visui, quãdo supine fit, quia tũ magno impetu ad oculos feruntur humores, ut apparet ex lachrymis emanatibus eo tempore ex oculis.

Vigilię præterea nimię sunt causę vitiorum visus, eo quia ex ipsis consumũtur, & destruuntur proprie spiritus.

Vitæ quoque studium inter has causas enumerari debet: videmus enim eos, qui literis operã nauant, & qui continuo studijs inuigilant, raro contingere, quin offendantur oculis. Similiter & illi, qui artes suas faciunt capite inclinato, aut qui operantur ad ignem.

Crapula quoque, & Venus vt dixi, multũ obsunt visui, propter quod soleo dicere, inter alias causas cur apud antiquos cæcus amor fingatur, hanc vnam esse, quia actus venerei, & amoris homines occæcant.

Passiones animi, quoque sunt causa horum defectuum, & in primis ira, de qua dicit Homerus, quod ira obnubilat oculos, mæror quoque maxime visum lædit, Galen. 3. de comp. secun. loc. inter has causas recenset cõspectum fixum alicuius rei: Lectio quoque assidua, & præsertim a cibo, lædit visum; percussiones capitis, vulnera superciliorum nocent visioni.

Cur cæcus amor. Sed inter has causas non postremum locum obtinẽt cibi, quorum multi sunt, qui a proprietate oculis nocere a Medicis putantur, vt sunt lac, pisces, legumina. Dicit enim Hipp. 7. epidem. hæc oculis esse valde contraria, quoniam ex his omnibus crassi in caput vapores attolluntur, qui spiritus ipsos obscurant & crassefaciũt. Amylum quoque inter hos cibos annumeratum est, itẽ lactuca, portulaca; dicit enim Rufus, quod maxime visum offendunt. Magnus Auenzoar in lib. suo de oculis agens dicit, quod capita columbarum syluest. & gallinarum, si frequenter edãtur, visui nocent. Habetis dictum illud vetustissimum serui Plautini, qui volens alteri exprobare,

Cibi oculos lædentes. quod luscus esset, dicit eum lolio victitare, eo quod lolium, sicut etiam cõfirmatum est ab alijs, maxime visum offendit.

Et controuersia pulcherrima inter Diosc. & Galenum, de brassica: Diosc. lib 2. cap. 113. scribit, brassicam comestam ijs auxiliari, qui visum hebetem habent. Plin. quoque libr. 20 capi. 19.

Locus Plau. scribit: est sententia Catonis brassicam oculis caliginosis auxiliari. Ex aduerso est sententia Galeni secundo de alim. fac. quem secuti sunt Auicenna. & Serap. vbi scribit, lentem & brassicam visum hebetare: nam quod lentes visum hebetent, etiam habetis apud Hipp 5. epid. vbi lentem & origanum, & multa alia oculis inimica enumerat.

...um brassica oculis adv...etur. Pro controuersia dirimenda id memoriæ repetere debetis, quod supra dixi, plurimas causas esse quæ visum offendant: aliæ enim sunt, quæ crassefaciendo, & humectando, aliæ quæ exsiccando, & extenuando offendunt; vbi oculi offensi sunt propter crassitiem, & humiditatem, maxime prodest brassica, propterea quod extenuat, & exsiccat; vnde receptũ est apud omnes Medicos brassicam hac ratione ebrietatem sedare. Vbi vero visus vitia contingunt, non propter crassitiem aut humiditatem, sed propter siccitatem, & tenuitatem, eo in casu brassica maxime nocet. Quibus positis dicendum, Diosc. vbi laudat brassicam in obtusis visionibus locutum esse

...toris resolutio. de vitijs illis, quæ contingunt ob crassitiem, & humiditatem; vbi vero Gale. dicit brassicam nocere, locutus est, de vitijs, quæ contingunt ob siccitatem. Vel breuiter dicẽdum, quod duplex est brassica, alia hortensis, & maringonia, altera adultera, & non exculta: culta visum offendit; inculta

culta

culta vero & sponte nascens prodest; de hac locutus est Diosc. & Plin. de ista vero Galenus.

Signa. Signa quibus visionis vitia virtuti attributa cognoscuntur, non aliunde fere possunt comparari, quam ex ipsius ægri relatione. Verum signa, quibus causæ visionem lædentes dignoscuntur, maiori studio opus habent. Sed antequam hoc videamus, illud mementote, nos signa solū quærere eorum vitiorum, quæ non a natiuitate, sed ex morbo oriuntur. Itaque si vitia visionis a cerebro ortum duxerint, hæc erunt signa, quod capitis dolor, vel grauitas aut præcessit, aut præsens est, adsunt & alia signa, quæ aliquas capitis ægritudines declarare possunt: hae omnes non enumero, quia extra rem est. *Ex vitiis cerebri.*

Ob neruos opticos obstructos. Si fiant errores in visu ob neruos opticos obstructos, aut alio modo offensos, docet Gal. 4. de loc. aff. hoc præcipuum signum adesse, quod scilicet grauitas, & dolor in profunda oculorū parte percipiuntur; ad hæc malum fit subito, ita vt argumentum fere necessarium sit, malum esse in neruis opticis, vbi cæcitas, aut obtusio videndi statim fiat, ita vt nulla alia causa adesse appareat. At vbi vel cæcitates, vel videndi obtusiones paulatim fiunt, dicendum vel a siccitate, vel ab alia causa spiritus exinaniente factum esse.

Sic quoque si malum fit ab intemperie, fit paulatim & nō subito, propterea quod, vt scriptū est a Galeno 3. de sympto. caus. vltim. noxæ, quæ fiunt ab intemperie, paulatim fiunt.

1 ob spiritus paucos. Signa vitiorum visionis, quæ fiunt ob spiritus, hæc sunt, & præsertim si ob spirituum paucitatem, quam habent myopes; nam isti vident magis propinqua quam remota, vtque melius videant, oculos constringunt. Adest & aliud signum propositum ab Auerrho. coll. 38. l. quod diu aliquam rem intueri, & sæpe, non possunt. Præterea oculi in istis magis subsident: nam spiritus vbi sunt copiosi, oculos turgidos reddunt, abeuntibus vero spiritibus oculi subsident; propter quod scriptum est ab Ale. 2. probl. 23. eos qui angore aliquo opprimuntur oculos magis cauos, & subsidentes habere.

2 crassos. Ex aduerso signa facti mali a spirituum crassitie sunt, quod isti oculos prominentes habent, longinqua, & remotiora melius, quam propinqua vidēt. Sed dicet aliquis vestrum, hoc vitium non est, propterea quod scribit Aristo. quinto, de generat. animal. primo, perfectionem videndi consistere in videndo res remotas & longinquas. Respondent Auerrho. loco citato, neminem sanum vnquam esse, qui melius remota conspiciat quam propinqua; & ideo vbi vident remotiora magis, argumentum esse, sanum nō esse oculū. Quare necessarium est, quod scribit. Arist. perfectionem videndi positam esse in discernendo res a longe, ita tamen vt res propinquæ etiā perfecte discernantur. *2. paucos & crassos.* Signa vitiorum visionis, quæ fiūt ea paucitate & crassitie spirituum, sunt quod isti neque propinqua, neque remota satis exacte vidēt, citra vllum tamē apparens in oculo vitium: nam sicuti vultures, lupi, aquilæ, ideo exactissime vident, quia vt refert Auerrho. habēt spiritus visorios lucidos, copiosos, & subtiles, ita quicunque paucos, crassos, & obscuros habent, necessario imperfectissime vident.

Dicet aliquis vestrum, hæc vitia fateor posse fieri a spiritibus, seu a virtute, & posse dignosci his argumentis, sed negari non potest, eadem hæc vitia oriri ob humorem crystallinum, aut albugineum, aut tunicam araneā interiorem: hoc enim non modo Medici censuerūt, verumetiā magnus Aristoteles. Si igitur eadē vitia possunt fieri a spiritibus, & in tunica interiore, qua via erit discernendum, an a spiritibus, an ab humore crystallino, an albugineo fiant? Dico huiusmodi cognitionem difficilem esse. Sed eam tractabimus, vbi agemus, de vitiis horum humorum; interim tamen volo vos docere quędam signa, a nemine, quod sciā animaduersa, & apud me efficacissima, sunt vero ea huiusmodi, quæ desumuntur ex ocularibus, seu perspicilijs.

De perspicilis doctrina. Nam statuo, quod vbi vitia videndi corrigūtur beneficio eorum instrumētorum, quæ ocularia vocantur, fiunt necessario a spiritibus. Vitia vero, quæ fiunt vel ob humorem crystallinū, vel albugineum, vel ob tunicam, nunquam corrigi possunt beneficio horum instrumentorum. Ratio est, quoniam qui vtuntur ocularibus, vt melius videāt, id faciūt, vel vt magis propinqua inspicere, vel vt magis remota, vel vt propinqua simul, & remota aliquo pacto possint; hęc vero iam nostis, quod consequuntur spiritus errores vt plurimum.

Præterea sciemus hoc clarius, si cōtemplemur breuiter causas, ob quas ocularia huiusmodi operationes faciant. Et quanquam hoc problema sit perarduū, eo quod neque Medici, neque Philophi veteres, neque alii scriptores, mea sententia, quicquam de perspicilijs tradiderunt, neque vsum eorum cognouerunt: nam etsi habeatis apud aliquos scriptores, hæc perspicilia vocata, tamen erant alia quædam instrumenta uitrea, quibus utebātur ad hoc, ut uiderēt exteriora, & ipsi non uiderentur, sicut adhuc in quibusdam instrumētis fit. Cum igitur nihil habeatur traditum de perspicilijs, ero excusatione dignus, si in reddendis causis non ita satisfaciam, quas ut breuiter expediam, debemus præsupponere, id quod fuit Medicorū placitum, scilicet uisionem fieri per spirituum, seu radiorum emissionem.

Remota tantu videntes quomuetur. Quo constituto uideamus, quomodo qui remota tantum uidēt, hoc illis cōtingat. Diximus contingere, quoniam spiritus crassi longitudine spacij extenuantur: quod si ita est, manifestū est, quod illi qui remota uident, & non propinqua, opus habent, ut spiritus a principio exitus fiant tenues. Itaque perspicilia hoc præstabunt in istis, quod attenuabunt spiritus exeuntes, ita ut & in principio, & remoto tenues sint. Quomodo uero spiritus extenuentur, facile intelligere possumus ex natura ipsius uitri, quod scatet poris, & meatibus angustissimis; scatere autem huiusmodi poris, probatum est apud Alexan. primo, problem. 137. ubi duobus argumentis demonstrauit, in uitro adesse hos poros. Vnum argumentum est, quia uidemus aquam phyalas

uitreas

vitreas penetrare. Alterũ, quia si phialæ aq. plenæ affricentur cortices citri, odor ita penetrat, vt inficiat aquã. Igitur habemus, quod ocularia in illis, qui remota intuẽtur, id præstent, vt spiritus in principio attenuentur, quia spiritus per angustissimos meatus transeuntes extenuantur. Illis vero, qui solũ propinqua intuentur, & non remota, quid præstant ocularia? hoc scilicet, quia opus est in istis, vt spiritus congregentur, ita vt ob subtilitatem non euanescant. Habent etiam, vt dicebat Auerrhoes, isti opus multa luce, quam specularia in istis faciunt, quia congregantur isti spiritus, radij pauci & subtiles, ita vt congregati & vniti, longius ferantur: faciunt etiam aliud, nimirum augent lucem, per quam auctam spiritus illa vientes facilius postmodum operantur, & hac ratione, qui perspicilla faciunt pro istis, id student, vt faciant paulo concauiora, & lucidiora.

Quid ocularia præstent tantũ propinqua intuentibus.

Qui vero neque propinqua, neque remota bene vident, iuuantur a perspiciliis, eo quod ob crassitiem spiritus extenuantur, ob paucitatem congregantur, non ita tamen, vt possint remota multum intueri, quoniam isti, qui neque propinqua, neque remota bene vident, id tantum beneficij videntur consequi, vt propinqua melius intueantur. Quare nũc habetis signa, quę desumuntur ex visu oculorum, quæ possunt vos manu ducere ad distinguendos morbos, qui fiũt a spiritibus, qui fiunt ab humoribus, vel ob tunicam interiorem.

Quid neque ppinqua, neque remota, bene videntibus.

Sequuntur modo signa prognost. Circa quæ id primo dicam, omnes morbos in virtute vidẽdi, productos vel ab ortu, vel a temporis longitudine omnes incurabiles esse. Sic qui fiunt cęci, aut hebetudinem videndi paulatim contrahunt, omnes fere aut nunquam, aut difficillime curantur. Scribit magnus Auenz. Galen. dixisse vitia videndi, quæ fiunt ob neruorum opticorũ obstructiones, incurabilia esse, sed hoc verum nequaquam este. Vnde Auenzoar hanc Gal. sentẽtiam acceperit, nondum plane inuenire potui, eo magis, quod Aet. & alij auctores curationẽ huius cęcitatis tradiderunt. Qui a longe magis intuentur, scribunt Arabes, quod facilius ceteris omnibus curantur, quia facilius est crassos spiritus attenuare, quam tenues & subtiles nimium ad mediocritatem deducere. Alb. etiam magnus lib. 10. de animal. 4. dicebat, eos qui longius vidẽt, melius degere, quam qui propinquius, quia melius est a remotis pericula posse prospicere, quam a propinquis. Ab Hippo. secundo, prorrhet. memoriæ mandatum est, iuuenes, adolescẽtes, & pueros sua sponte sæpe a nyctalopia curari, alios quidem 40. diebus, alios septem mensibus, nonnullos vero perdurare vsque ad annum.

Prognost.

Qui igitur curare hos morbos optant, ante cetera diligenter prospiciant, an totum vitium oriatur a cerebro, an a spiritibus, an a neruis. Si vitia seu morbi cerebri efficiant morbos visua, totum studium conuertendum est ad tollendas cerebri ægritudines, quæ quoniam innumeræ esse possunt, & alium tractatum expostulant, non est quod in præsentia de his sermonem faciã. Venio ad morbos, qui fiũt ex spiritibus, & neruis, in quibus debet Medicus diligẽtissimus esse, vt quam citissime tollat; ut uero tollãtur, necesse est caput ipsum euacuare, atque etiã corpus: quod præceptum non modo habetis a Medicis traditũ, verumetiam a Platone in Charmide, vbi hoc tanquam Aesculapii oraculum traditũ est, quod oculi non possint curari sine capite, neque caput sine curatione totius corporis. Igit vt curatio & totius corporis, & capitis, & oculorum recte instituatur, primum scire necessarium est, quod vitæ genus adhibere debeant ægri. Primo aere debent vti sereno, tranquillo, non crasso, nõ caliginoso, & omni studio fumum euitare. Confert continuo res virides, & cæruleas intueri, non albas vllo modo. De nigrorũ aspectu traditum est a Galeno primo de sympt. caus. secundo, quod colores nigri etiam visum consolantur & iuuant; sed interpretanda est Galeni sententia, non de oculis sanis, quia his potius nocent, sed de oculis ęgris, illis scilicet, qui opus habent, vt spiritus ipsorum visorij congregẽtur. Scribit Auenz. inspectionem assiduam asini syluestris a proprietate magnopere conducere ad visum firmandum.

Oculi nõ possunt curari sine capite.

Victus ratio.
Color niger.

Laudantur gaudia, risus, lectiones rerum lætarum, sed nõ post cibum, quia si quod est, quod oculis noceat, est aut legere aut scribere a cibo. Motus omnes, in quibus consumuntur spiritus, maxime lædunt oculos, & ppterea dicit Aetius, buccinatoribus, & cãtoribus lędi visum, quoniam cum inflantur buccæ, oculi, & spiritus maxime oblæduntur.

Somnus, & Venus moderata iuuant. Et notate, quod tametsi Arist. dicat quarto proble. 3. ęque offendi, & eos qui nimia venere vtuntur, & eos qui prorsus abstinẽt, vt Eunuchi id tamẽ verum non esse, præsertim de spadonibus, in quibus tanto minus vera est ratio illius quam adfert, cum vult eunuchos, & spadones, ideo hebetari visu, quia exsiccantur capita propter alui fluxum, & pedũ tumores, quasi omnis humiditas in spadonibus a capite delabatur ad inferiores partes: quod quidem falsum est, quoniam alias ab eodem Arist. scriptum est nõ calescere spadones, ob nimiam cerebri humiditatem.

Veneris abstinentia.

Ablutiones faciei, & oculorũ quotidianas ex aqua frigida, scribit Plinius reputatas esse inter magna præsidia oculorum idem testatur Melue.

Cibi, & potus, qui in ijs vitiis curandis accommodati sunt, has præcipue debent habere cõditiones, vt attenuatoria pditi sint facultate, vt exsiccẽt, vt nullos flatus, nullos crassos possint generare succos. Quocirca panis optime fermentatus, & fęniculo cõditus solet a Medicis mõstrari, & commendari: carnes similiter, vt auium, si fæniculo condiantur, maxime commendãtur. Quę autem turbidum, & melancholicum gignunt succũ omnino debent euitari, quales sunt caro leporina, bubula, capreolorum: hæ enim succum faciunt melancholicum, a melancholia autem ait Hip. facile fit cæcitas.

Cibi, qui oculorum affectib. commendantur.

Pro-

Proponunt in hac curatione Medici Arabes multa carnium genera, quæ dicunt a proprietate prodesse, huiusmodi sunt carnes luporum, hircorum, columborum, volare incipientium, hirundinum. Auenz etiam laudauit passerculos, & omnes aues rapaces, auium oculos. Galen. addit, & viperinas carnes, & omnium serpentum: fertur & fuisse serpentes, qui vim pro oculis mirificam hominibus demonstrarunt.

Inter herbas quoque enumerantur chelidonia, ruta, euphragia; Rabbi Moyses inter Arabes auctor illustris, 20. part. aphor. docuit, lupinos salsos, & cum corticibus conditos a proprietate omnium maxime iuuare visum. Item Auerr. collect. de rapis scribit, spiritum visiuum luminosum reddere. Sed notare Auerrho. sententiam intelligendam esse de coctis: Nam Galenus 2. de alim. fac. videtur tradidisse, quod huiusmodi edulia succum caliginosum, & crassum faciunt.

Aqua oculis bona.

Potus aquæ non modo vilis, verumetiam necessarius est, vt habetur ab Archig. apud Galen. 4. de med. loc. scribit enim Alex. 2. probl. 52. quod potores aquæ semper acutius vident. Addit causam, quia vinum quodcunque sit, vapores in cerebrum mittit, qui commisti spiritibus eos nebulosos reddunt. Quod si ægri potum aquæ aliqua ratione refugiant, potest eligi vinum clarum, vetus, & pauciferum. Obseruate autem tria circa vsum vini. Vnum, vt vina recentia omnino fugiantur, quia hæc maxime replent caput, & oculos: & causa cur in autumno fiant somnia turbulenta, & caliginosa hominibus, est hæc, quia tunc viuntur vino nouo.

Vinum picatum oculis inimicum.

Et notate aliud, quod vinum picatum dictum recentioribus, est oculis inimicum: quod inde colligitur, quia statim lachrymas ciet. Tertium notandum est, quod vina, quæ conceduntur in curandis his affectibus, sint medicata, vel fœniculo, vel chelidonia, si sustineri possint, vel euphragia. Atque hæc est ratio victus, quam instituere debetis, vbi morbi occurrunt curandi, qui fiunt in virtute visiua. Quod spectat ad aliam medendi rationem, opus est maxima solertia, quia si morbi fiant ab humoribus, aut spiritus, aut neruos lædentibus, hi erunt habendi scopi, vt primũ diuertatis humores fluentes ad oculos; deinde enacuetis caput, & corpus, postremo oculos exsiccetis, & corroboretis. Nam quod necessarium sit primo diuertere humores fluentes, patet, quia morbus factus curari non potest, nisi fomes ab ipso auferatur. Quod vero necessarium sit curare corpus, & caput, habetis proditum a Gal. 3. de rat. med. vbi scribit, oculorum non posse vnquam institui rectam curationem, nisi prius, & corpus, & caput optime mundentur. Primo, vbi eritis vocati ad laborantes his morbis, erit vobis studendum cucurbitulis appositis scapulis, & præsertim occipitio, frictionibus, extremorum ligaturis, impetum, & fluxum humorũ coercere: Deinde erit aluus lenienda, quod fit vel clystere aliquo acriore, vel medicamento aliquo ex lenientibus, vt elect. lenitiuo, elect. ex sena lenitiuo, quod maxime confert, vel syr. nostro polypodij, vel syr. ros. lax.

Scopi curatiui.

Lenitiua.

Venæ sectio.

Lenita aluo statim cogitandum est de venæ sectione, quę nisi quid prohibeat, omnino necessaria est: & eo magis, si adsit corporis plenitudo, qua existente primo ex basilica erit sanguis detrahendus, vt scilicet totum corpus euacuetur, deinde erit cephalica vena pertundenda. Quod si non adsit plenitudo, sat erit statim cephalicam secare. Hoc facto superest, vt statim ad purgationem humorum descendatis. Et quia magna ex parte humores, qui faciunt hos morbos, sunt frigidiores, & crassiores, propterea in ijs præparandis, erit hic scopus perpetuus, vt vtamini medicamentis siccantibus, & moderate calefacientibus. Sed etiam illud erit aduertendum, vt nunquam in hoc casu vtamini medicamentis, nisi commisceatis aliqua, quæ a proprietate oculos iuuant, eo quod hæc solent esse quasi vehicula quædam ad perducenda medicamenta ad oculos: & vt habeatis exemplum: ita poteritis præparare:

Præparans crassos, & viscidos humores.

℞. Fol. betonica.
Stæchados.
Chelidon.
Euphrag. an. P. j.
Fæniculi P. j. ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. v.*
Oxym. simpl.
Syr. de beton an. ℥. j.
Syr. de stœchade ℥. ß. M. & f. syr.

Hoc medicamentum valebit in crassis, viscidis, & frigidis humoribus præparandis.

Quod si humor melancholicus sit, vel biliosus, erit is etiam vobis præparandus: id fiet, si supradictis adiungatis ea, quæ respiciunt hos humores, vt in bile, si adiungatis cichorium, endiuiam: in melancholia fumariam, lupulos, borrag.

Pilulę capitales.

Pręparatis humoribus statim erunt euacuandi. Et aduertite, non sine ratione in vsu esse apud Medicos, vt in curandis oculis, & capite, pręsertim medicamenta in forma pilularum exhibeantur, quia cum debeant in caput per vapores attrahi, quanto diutius in ventriculo morantur, tanto melius operantur. Morantur autem diutius, si in forma solida exhibeantur. Pilulæ, quæ conueniũt in affectibus oculorum, sunt multæ, sed quibus ego vti soleo, præcipue sunt pilulæ lucis, vel pilulæ, sine quibus, vel aureæ, aut cocchiæ: formabitis igitur huiusmodi medicamenta.

Potio purgans.

℞. Fol epithymi ʒ j. ß.
Myrob. citrinorum.
Nigrorum an. ʒ. j. (nam epithymus, & myrob. sunt ex his medicamentis, quæ manifesta, & occulta proprietate prosunt.)

℞. Fol.

℞. Fol chelido. P. j.
Sem. fænic. ʒ. j. ß. f. infusio s. a in aq. fæniculi. Deinde f. diligens expressio, cuius ℞. ℥. iiij. ß.
Agar. præpar.
Rhab. elect. an. ℈. ij. ß.
Spicæ gr. iv. infundantur s. a. per noctem.

Deinde facta expressione adde:

Elect. de psyllio (quod purgat caput) *ʒ. iij.*
Mell. ros. sol. ℥. ij. M. & f. potus.

Postquam semel expurgati fuerint humores, si malum non cedat, repetenda est purgatio, & fere semper est necessarium, vt repetantur purgationes, nec sinatis vos decipi a precibus ægrotantium: nam nunquam prima vice potest bene purgari caput. Sunt autem eadem, quæ descripsimus, vel paulo generosiora, & efficaciora exhibenda, quod erit in vestro iudicio positum.

Purgationes repetendæ.

Postquam expurgatum fuerit corpus vniuersum, & caput, superest vt ad ea deueniatur, quæ magis a propinquo possunt oculos, & caput expurgare. Inter ea, quæ in hoc genere maxime laudantur, sunt incisiones venarum post aures, sunt appositiones hirudinum, quas Paulus mirifice commendat, sicuti etiam cauteria, quæ adhibentur, hęc enim non modo euacuant, verum etiam magnopere diuertunt.

Obiectio.

Sed dicet aliquis vestrum, si diuertunt, igitur videtur rationi cõsonum, vt etiam in principio exhibeantur, quia dixisti, quod in principio medicamenta diuersoria conueniunt. Resp. ex Gal. 13. meth. 19. quod vel corpus totum plenum est, vel solum caput. Si vniuersum corpus plenum sit, in principio nunquã possunt conuenire cauteria: ratio est, quia Gal. dicit, non conuenire cucurbitulas in principio, si plenius sit corpus, quia attrahunt a corpore ad caput. Si vero plenum sit caput, dico quod possint administrari in principio, quia diuertunt, & euacuant: sed non fiant nisi leui aliqua purgatione præmissa. Aduertatis autem quàm rarissime contingere, vt corpora non sint plena aliquo humore, & ideo fere Medici semper coguntur corpora exinanire.

Veteres Medici, vt relatum est ab Arist. & Hipp. in lib. de loc. in homine, vrebant in his affectibus vasa temporum: sed Aetius hoc genus remedij tanquam barbarum damnauit. Ego vero dico, quod si morbi oculorum fiant per venas, scilicet quod venæ sint illæ quæ subministrant vapores neruis opticis, aut humores, conuenit hoc genus remedij: si vero per neruos immediate ferantur materiæ noxiæ, nullo modo conuenit.

Inter ea quæ proprie, & immediate oculos, & caput euacuant, enumerantur errhina medicamenta, & masticatoria. Sed circa medicamenta per nares infundenda duo notanda sunt: vnum, vt nunquam exhibeatis nisi prius exacte purgato corpore, & oculis, quia si hæc medicamenta aliquem humorem reperiunt in capite, attrahunt ad oculos faciliter, & sic malum augent. Alterum notandum est, vt non accipiantur medicamenta vehementia, vt est elaterium, helleb. vterque. Sed mitiora, & imbecilliora. Ratio est, quia fortiora non solum attrahunt ab oculis, sed etiam a capite ad oculos: & hoc est quod dicit Hipp. ænigmatice lib. de loc. in homine, vbi ait, valentiora medicamenta euacuare a capite, loquens de his, quæ infunduntur per nares, imbecilla vero ab oculis.

Sed quæretis quodnam sit medicamentum vsurpandum? Ex mea sententia, & experientia sunt hæc: succus maioranæ, fœnic. succus, cheli. succus, & betæ: Hi succi depurantur prius, ac depurati postea attrahuntur naribus, atque ita attracti expurgant, & oculos clarificant. Ita & decoctionem, quam conficio ex Rhab. agar. & myrob. sum expertus mire prodesse.

Errhinum.

℞. Myrobal. omnium an. ʒ. ß.
Rhab. elect. ʒ. ij.
Agar. ʒ. j. ß.
Aq. chelid.
Fænic. an. lib. j.

Contundantur omnia contundenda prius, & detineantur per noctem in cinere, postmodũ bulliant ad consumptionem quartę partis, optime obturato vase, ne vapores, & vires difflentur. Hoc decocto vtor tepido, vt s. singulo mane duabus horis ante prandium attrahatur per nares.

Masticatorium.

Medicamenta etiam masticatoria laudantur, & vt habeatis masticatorij formam, ita componetis.

℞. Zinzib. albi.
Piperis.
Pyrethri an. ʒ. ß.
Ceræ q. s. fiant masticatoria. Si placebit, poteritis addere aliquid fęnicul. vel chelidon.

Sunt præter hæc quædam confectiones, quæ ore acceptæ post purgationes mire conducunt in his casibus. Inter cetera laudantur zinzib. conditum, myrobal. conditu. Sed soleo componere elect. huiusmodi:

Elect. pro oculis.

℞. Succi fænic.
Chelid.
Rutæ depurat. an. ℥. j.
Mellis lib. j.
Decoquantur ad consumpt. duarum tertiarum, in duplici vase. Deinde adduntur hi pulueres. ℞.

Sem.

Sem. fænic. ℥. ß.
Macis.
Piperis albi.
Cubeb.
Cinnamom. an. ℈. j. M. & f. elect. quo vtantur singulo mane vna vel altera hora ante cibum.

Soleo etiam vti pulueribus quibusdam in insulis, atque in ferculis, huiusmodi; *Puluis.*

℞. *Sem. fænic. ℥. j.*
Rutæ ʒ. ij.
Cinnam.
Galangæ.
Piperis, an. ʒ. j.
Fol. euphrag.
Chelid. an. ℥. ß.

Contundantur omnia diligentissime, deinde supra cotem Medicam læuigentur cum aq. rosacea; post iterum siccentur, & minutissime conterantur, deinde admista media libra sacchari fini adhibeantur in vsu. Hæc medicamenta post purgationes, & alia medicamenta maxime prosunt.

Topic. vsus in oculis. Nunc videndum est an extrinsece etiam medicamenta prosint; nam sum huius sententiæ, in his affectibus parum aut nihil prodesse exteriora; ratio est, quia locus affectus est valde intimus, & profundus, vt propterea non sit facile medicamentorum vires eo peruenire.

Obiectio. Sed instabit aliquis vestrum, quod si medicamenta, quæ ore capiuntur, penetrant ad oculos affectos, possunt eo etiã exteriora penetrare, eo quod videtur locus exterior esse propinquior, quam sit locus oris, & ventriculi. Præterea relatum est a Cassio, & ab Alex. in probl. sæpe collyria oculis adhibita commutare palati sapores, vt rationi videatur consonum medicamenta exteriora etiam penetrare.

Quod ad primum, dico, melius penetrare medicamenta ore excepta quam exteriora, quia quæ intro sumuntur, a calore intimo in vapores diminuũtur, quæ comminuta ad oculos feruntur propria natura: exteriora vero a calore natiuo non ita actuantur, neq; ita cõminui queunt, vt possint ad partes penetrare profundiores.

Quo ad dicta Cassij, & Alex. fateor ea omnia vera esse: dico tamen maiorem esse vasorũ communicationem inter oculorum angulos, & palatum, quam inter externas illas oculorum tunicas, & profundiores locos: Est itaque mea sententia, in ijs affectibus parum exteriora prodesse; non est tamen negligendum, vt certa quędam habeantur, quæ si non prosunt, certe, non nocebunt. Si enim Gal. 4. de loc. med. Marcellum, & alios qui fuse de oculis scripserunt, legatis, intelligetis pauca fuisse ab ipsis tradita, quæ possunt accommodari.

Septẽ classes medicamentorum ocularium. Sed si aliqua conueniunt, dico septem esse eorum medicamentorum classes, quæ exterius adhibentur.

1. Prima classis est eorum, quæ emplastica vi lenire possunt, vt est Pompholyx lota, albumen oui, succus fęnugr. lac, tragac. gummi.

2. Secunda classis est eorum, quæ sunt acriora nonnihil, quanquam & magis penetrent, & interdum lachrymas excutiant, cuiusmodi est succus cyrenaicus, sagap. euphor. piper, fel omne, mel, cepæ.

3. Tertia est eorum, quæ extergunt, quoniam aliqua mitiora sunt, vt cornu ceruĩ, & caprę vstũ, alia valentiora, vt est squama æris, flos æris, chalcitis, misy, & æs vstum.

4. Quarta classis est eorum, quæ erodunt, vt est Sandaracha, Auripigmentum, lapis asius.

5. Quinta classis est eorum, quæ adstringunt, vt est flos rosarum rubearum, spicanardi, malabathrum, crocus, hypocistis, acacia, balaust.

6. Sexta classis est eorum, quæ concoquunt, & dissipant, vt est myrrha, castoreum, thus, fęnugr. decoctum, galbanum, sarcocolla.

7. Septima, & vltima classis est eorum, quæ sensum hebetant, & destruunt, vt est opium, mandragora, & narcotica omnia.

In virtute visiua sola quæ conueniant. Cum tot sint ordines medicamentorum, quæ exterius oculis adhibentur, quæretis, quæ in his affectibus possint adhiberi. Dico neq; abstergentia, neq; cõstringentia, neque lenientia, neque narcotica, neque erodentia conuenire: Igitur superest, vt sint ea tantum, quę concoquunt, & dissipant, quanquam acriora magis sint. Vnde fellia omnia, & pręsertim autum rapaciũ, mel tum alembicatum, tum per se solum, his affectibus curandis accommodantur. Et vt habeatis aliquod medicamentum quo possitis vti, ita componetis;

Aqua ad nictalopas.

℞. *Succi chelid.*
Fœniculi.
Nitri, an. ℥. j.
Mellis, lib. ij.
Croci.
Piperis.
Myrrhæ.
Camph. an. ʒ. j. Ponantur omnia in phyala vitrea ad solem, vel fimum per quatuor dies, & noctes, & postmodum ponantur ad alembicum, & extrahatur aqua.

Qua ego in his affectibus soleo vti, & inueni sæpe profuisse, si quid profuit. Vsus est, vt dum patiens it dormitum, gutta super pupillam destilletur, deinde palpebris exterioribus pannus

subtilis

subtilis eodem liquore madefactus superimponatur.

Sunt innumera postmodum, quæ a proprietate commendãtur, & inter cetera omnes commendant iecoris caprini pulueres conspersos oculis. Sed notate, quod quotiescunque placebit vti pulueribus, est necesse eos prius leuigare, vt si fieri possit, nulla remaneat scabrities. Cõmendauit Rases 2. cont. ol. violarum vna cum spodio naribus infusum. Et hęc maxime commendata sunt in his, qui nictalopes vocati sunt.

Curatio debilitatis visus ex subtilitate & paucitate spirituum.

Si malum ortum duxerit nõ ex humoribus, sed potius ex subtilitate, & paucitate spirituum, alia via in curatione procedendũ est quia his neque purgationes, neque euacuationes, vllo modo conueniunt, eo quod hi morbi pręsertim oriuntur ex euacuationibus & exiccationibus nimijs. Conuenit igitur in primis victus is, quem alias monstrauimus, modo habeat has cõditiones, vt humectet, & probum gignat succum: quoniam scopus Medici esse debet, vt spiritus generentur optimi, & moderati, qui nullo modo fiunt melius, quam per alimenta optima, & balnea opportune adhibita.

Actuarius in eo lib. quem facit de spiritibus, dicit, nihil magis cõferre ad spirituum refectionem, & regenerationem, quam balnea, quæ non modo adhibentur toti corpori, verum etiam capiti. In his casibus soleo abluere caput aqua, & oleo amygd. dulc. quæ mistura humectat, atque spiritus attemperat.

An vinum conueniat.

Dubitabit aliquis an in hac curatione sit conueniens vsus vini, quoniã ex vna parte videtur nociuum, quia exsiccat. Ex altera parte videtur accõmodatũ, quia spiritus reficit. Dico quod etiam ab Actuario scriptum est, vinum si sit suaue, si non sit admodum acre, conuenire in istis affectibus, & præsertim si isti affectus non duxerint originem ab extrema siccitate, sed ab euacuatione sola, quia, vbi per euacuationem exinaniti fuerint spiritus, reparantur facile vaporibus vini. At spiritus intemperie aliqua exsiccatos nimis, vinum magis exsiccat, & propterea magis nocet.

Sed dicetis, an conuenit vinum, ita extrinsecus sicuti intrinsecus. Dico forsan magis conuenire extrinsecus, quia penetrat extrinsecus, illustrat spiritus, & illorũ substãtiam ambit, & nullam capiti noxam inferre potest. Si autem intus sumatur, potest quidem eadem bona præstare, sed potest caput offendere, & ideo oculis detrimentum afferre.

Hic est modus curandi eos affectus frequenter cõtingentes a virtute visiua, nam qui fiũt ex plaga, vel ex solutione cõtinui, aut ex humoribus, aut nunquã curatur, aut curantur curationibus morborũ continui solutionis, & aliorũ morborum, quos in hoc loco suo tẽpore referam.

CAPVT XXIX.

De vitijs, quæ fiunt in instrumento virtutis.

Insignes conditiones crystallini.

SEquuntur morbi, qui fiunt in instrumento virtutis. Humor crystallinus factus fuit a natura, vt esset veluti domicilium, & habitaculũ virtutis visoriæ, propter quod necesse fuit naturæ, vt hanc partem multis insignibus conditionibus ornaret: quarum prima fuit, quod natura fecit ipsum substantia pura, lucida, liquida, & mediocriter viscida, & in ea quantitate, quæ nec deficiens esset, nec etiam maior quam conueniebat, Plato in Timæo voluit etiam hanc partem a natura donatam esse luce actuali, quod probabit, quia ex oculis sæpe videntur scintillæ emicare. Quam sententiam etsi non amplexatus est Gal. tamen interdum secutus esse videtur.

Secunda conditio, qua donatus fuit humor iste, est figura sphęrica, ita tamen complanata, vt non in puncto consisteret, sed firmaretur. Quis fuerit vsus huius figuræ, habetis apud Gal. mathematice demonstratum 10. de vsu part. vlt.

Tertia conditio est, quod tanquam quid regium, humor iste in medio sit collocatus. Igitur vbi omnes istæ conditiones reperiuntur in humore crystallino, status eius sanus est, & integer. vbi vero aliquid commissum est erroris, & vitij in aliqua ex his conditionibus, statim sanitas oculi, & status totius interturbatur.

1. Vitium in substantia crystallini.

Primo ergo potest committi error in substãtia, quia scilicet substãtia huius humoris, uel sit nimis crassefacta, uel nimis extenuata, uel diuisa.

2. in quantitate.

In quantitate etiam potest error contingere, si quantitas, & magnitudo huius humoris excreuerit supra mensuram a natura constitutam, uel sit minor quam conueniat; Sed illud notetis uelim, differentiam esse inter imminutionem, & auctionem humoris crystallini, & inter imminutionem pupillæ, quam Gręci μείωσιν uocant, & inter pupillę dilatationem quam αὔξησιν uocant de quibus suo loco.

3. in qualitate.

In qualitate quoque error committitur, si figura huius humoris non sit circularis, si non sit lucidus, sed obscurus, si non sit læuis, & politus, sed asper.

In situ etiam est uitium, quando aut sursum aut deorsum magis inclinat, uel dextrorsum, aut sinistrorsum, ita quod nõn sit in medio collocatus. Hi sunt morbi omnes, qui possunt humori crystallino contingere, tanquam instrumento uisionis.

Catalogus uitiorum crystallini.

Cũ igitur (ut a principio incboemus) humor iste crassus sit, ita ut laborãtes uideant debiliter & omnia quasi per nebulã, & uelum conspicere uideantur; quia sicuti in aqua crassefacta non

recte

recte repræsentantur imagines, sic in humore crystallino crassefacto non possunt imagines repræsentari: hoc vitium Glaucoma vocant Medici, Aetius γλαύκωσιν, & glaucedinem appellauit.

Quando hic humor fit tenuior, similiter vitiatur, quia imagines non ita effigiatę fiunt, vt deceret. Habetis exemplum in aqua vitæ, & alembicata, in quibus non ita repræsentantur imagines exacte, vt conueniret.

Si humoris continuitas soluatur, ita, vt diuidatur, contingit, vt res omnes separatæ, & diuisæ videantur.

Si fiat maior quam sit opus substantia huius humoris, non efficitur exacta visio, eo quod sicuti dicit Arist. contingit in magno corde calorem natiuum esse minorem, ita in humore crystallino amplo virtus visoria semper est debilior, sicuti econuerso, vbi substantia mediocris est. Accedit etiam aliud, quod semper imagines rerum apparent maiores, quam sint, vt specula maiora maiores etiam reddunt imagines.

Si minor sit humor idem contingit, quod res non exacte videantur, quia virtus visoria non habet instrumentum aptum, & in eo minores imagines repræsentantur.

Si vitietur figura circularis huius humoris, ita, vt sit vel nimis complanata, vel nimis rotunda, hæc contingunt. Primo quod si non sit bene complanata, facile humor crystallinus huc atque illuc agitatur; & propterea visio modo impeditur, modo destruitur. Deinde vero si nimis complanata sit, vt habetur ex demonstratione Gal. 10. de vsu par. vltimo, non possunt videri ea, quæ sunt in lateribus, sed solum ea, quæ sunt ante.

Similiter si humor crystallinus non sit politus, neque læuis, sed asper, contingit, vt res confusissime videantur: vt potestis videre specula aspera, aut omnino non reddere imagines, aut reddere perturbatas.

Sed si situs huius humoris deprauetur, ita, vt vel sursum inclinet, vel deorsum, contingit id, quod scribit Gal. 2. de sympt. caus. & 10. de vsu par. vt nimirum omnes res geminæ appareant. Si inclinet dextrorsum, contingit, vt sinistra non videantur, si sinistrorsum, vt dextra non conspiciantur. Et aduertite, quod quocunque modo situs iste deprauetur, vocatur morbus a Græcis στραβισμὸς, a barbaris strabositas. Latini dixerunt strabones. Sed appellatio hæc est communis, & interdum male vsurpata, quia ab auctoribus proprie dicuntur strabones, qui habent pupillam declinantem solum ad latera. *Strabones.*

Sed dicer aliquis, qua ratione fit, quod humor crystallinus, vbi magis vergit sursum, aut deorsum, res geminæ videantur, id autem non contingat, vbi declinat, vel dextrorsum, vel sinistrorsum? Id enim confirmatum est ab auctoribus omnibus? Dico id quod scriptum est a Philosopho 31. par. probl. a Gal. & Cassio in probl. quod vbi pupilla, vel sursum, vel deorsum declinat, decussatio, & incruciatio neruorum opticorum dissoluitur, & propterea sicuti quãdo incruciatio neruorum erat vnita in vno, & eodem puncto, fiebat iudicium rerum visarum bene, ita vbi huiusmodi incruciatio sit dissoluta, nec amplius in vno puncto fiat iudiciũ visionis, sed in duobus locis, ideo necessario res tanquam geminæ videntur. Hæc est vna ratio: habetis aliam ex Alberto 2. parte summæ de homine, & Auic. 3. par. de anima 8 quandoque spiritus a vaporibus discinduntur. *Quæstio.*

Et hi sunt affectus crystallini humoris, qui quidem affectus, quod sunt symptomata in genere actionis visoriæ corruptæ, diminutæ, & abolitæ, nemo est, qui ambigat, sicuti quoque perspectum est, hæc omnia symptomata ad morbos proprios reduci, nempe ad intemperiem, ad morbos in compositione, & ad solutionem vnitatis. Causæ horum morborum, & symptomatum aliæ sunt mediatæ, aliæ immediatę. Causę crassefactionis humoris crystallini immediatę, sunt sanguis, & humor, quo crystallinus nutritur, aut, qui aliunde ad ipsum descendit. Hoc vitium, quod appellatum est Glaucoma, potestis clare intelligere ex libr. defin. med. Galen. vbi ait Glaucoma fieri ob transmutationem humoris crystallini ad albedinem, in qua transmutatione is humor condensatur, & crassescit: sicuti videtis aquam, vbi crassescit, cõcrescit, aut densatur in glaciem, albescere: Idem contingit crystallino, vt dum crassescit nimis, albescat. *Genus symptomatis.* *Causæ.* *Glaucomatis causæ.*

Cur autem huiusmodi affectio impediat visionem, accipite rationem. Vt fiat visio, necesse est humorem crystallinum irradiari, & penetrari a spiritibus visorijs: vbi igitur hic humor nimis crassus factus est, non potest plane irradiari, nec potest totus a spiritibus penetrari: ea propter fit visio diminuta. Sed insurgit non leuis difficultas, quomodo Gal. dixerit, hunc affectum vocatum esse Glaucoma, nam Arist. 1. de gen. anima. c. 1. dicebat, glaucoma fieri a siccitate, si fit a siccitate, quomodo dici potest fieri ex crassefactione humoris crystallini? Dico hac in re fuisse diuersa placita Arist. & Gal. Arist fuit huius sententię, quod nigredo oculorum nascatur ex multitudine humorũ, albedo vero ex paucitate, hoc dogma Arist. coegit asserere, glaucoma, quod est vitium albedinis oculorum, oriri a siccitate Gal. contrariam est secutus sententiam, qui voluit, nigredinem oculorum oriri ex siccitate, & ariditate, vt videmus plerumque corpora arida, & exsiccata nigriora esse, albedinem vero fieri ex multitudine crystallini. Itaque ad hoc Medicorum dogma necessario sequitur, quod Glaucoma sequatur multitudinem crystallini. *Difficultas.* *Obiectio.*

Sed demus hanc fuisse varietatem dogmatum Galen. & Arist. quid dicemus ad Aetium, qui lib. 7. c. 52. scripsit duas esse glaucosis species: Alteram, quę est immutatio crystallini ad albedinem, & est siccitas: Alteram vero, quę fit ex prçcedente suffusione. Igitur apparet etiã ex sententia Medicorũ, glaucoma fieri a siccitate. Dicerem id, quod scriptum est apud Paulum lib. 3. vbi

ait, veteres suffusionem, & glaucoma idem putasse, posteriores autem distinxisse, & appellasse glaucoma mutationem oculi ad albedinem ex humiditate. Ita quod secunda species glaucosis apud Aetium est glaucoma veterum: Altera vero species est verum glaucoma Medicorum.

Glaucosis Aetii.

Sed neque hoc tollit difficultatem ex Aetio, quia ipse dicit aperte ex siccitate fieri primā speciem glaucosis. Dico diuersa esse glaucoma aliorum, & glaucosin Aetij. Quid est igitur glaucosis Aetij. Non est ipsum glaucoma, sed est albedo, quæ fit in crystallino, ex compunctione, & ex euacuatione humoris albuginei, ad quam euacuationem humoris sequitur, quod oculus necessario exsiccetur, & consequenter humor crystallinus condensetur, & cōgelescat. Quod vero hoc ita fit, videte Gal. 10. de vsu part. 6. vbi scribit, ex siccitate, & nimia condensatione humoris crystallini fieri glaucosin, & non glaucoma, quando scilicet ex compunctione largiter euacuatur humor albugineus. Igitur vt rem in vnum colligamus, glaucoma Græcorum efficitur ex crassitie crystallini, glaucosis vero Aetij, & Gal. fit ex euacuatione humoris albuginei, & consequenter ex siccatione.

Causæ tenuitatis crystallini.

Tenuitatis crystallini causæ nullæ aliæ sunt, nisi tenuitas ipsius sanguinis, & humoris quo nutritur; Sed dicetis, quomodo hæc tenuitas visionem impedit? Hoc modo, quia radij, & spiritus visorij disgregant hunc humorem, ob eius tenuitatem, qui disgregatus nō potest virtuti visiuæ inseruire. Est igitur causa huius tenuitatis sanguis tenuis, quo nutritur: & propterea videbitis eos, qui longo tempore Anasarca laborant, oculos albos, capillos albos, supercilia alba, & aciem oculorum hebetem, & infirmam gerere: eo quod hic humor crystallinus nutritus aquoso nutrimento, nimis tenuis euadit. Sic quoque videbitis eos, qui victitant piscibus, & cibis tenuissimis, hac ratione infirmis esse oculis: quod vitium quasi naturale esse ouibus memoriæ mandauit Alb. lib. 19. de animal. c. 3.

Causæ diuisionis crystallini.

Diuisionis, & dissolutionis crystallini multæ causæ sunt, sed magna ex parte sunt externæ, vt percussiones, vulnera, contusiones, compressiones. Fit quoque hoc vitium ab aliquibus causis internis, vt ab immodico fluxu humorum acrium, qui diuidunt crystallini substātiam. Fit quoque hic morbus a nimio splendore, & a nimia albedine, quia albedo, & splendor vsq; adeo agitant spiritus visiuos in crystallino humore, vt ille continuitatem suam amittat. Huius rei testem habetis Gal. 10. de vsu par. 3. vbi scribit, milites Xenophontis, dum ambularent per niuem occęcatus esse. Vbi quoque refert Dionysium Tyrannum consueuisse homines occœcare, dum eos ex locis obscuris in splendidissimos adduci curaret.

Causa maioris crystallini, & minoris.

Fit maior crystallinus quam deceret, ex multitudine humorum, qui & extrinsecus adhærēt ipsi, & per totum crystallinum, diffunduntur. Fit vero minor duabus de causis: vna, quoniam non nutritur: nam Hip. in lib. de locis in homine docuit, venulas ex cerebro descendentes oculos nutrire, id est, humorem crystallinum, in quo fit visio: quibus venis desiccatis, necessario, vel visus prorsus extinguitur, vel valde imminuitur. Desiccantur autem huiusmodi venæ in magnis cerebri euacuationibus, & alijs causis exsiccantibus.

Causæ exsiccātes humorem crystallinum.

Altera causa cur minor fiat crystallinus, est quando ipsemet humor exsiccatur, quod fit multis de causis, & internis, & externis. Internæ sunt, magnæ inflammationes, lachrymæ continuo fluentes, venus immodica, ætas quoque, sic in senibus dicit Aristot. hac ratione fieri glaucoma. Externæ causæ exsiccantes hunc humorem sunt exercitationes immoderatæ, nimiæ sub sole moræ, & potissimum ignis est, qui consumit, & exsiccat hunc humorem. Quod intelligentes barbari reges, consueuerunt occœcare homines speculis ardentibus: sic quoque videbitis, qui artes exercent ad ignē, hac ratione visum hebetem habere. Est quoque inter has causas regio, de qua scriptum habetis ab Aristot. 15. par. probl. 14. quod qui habitant plagas aquilonares, habent oculos cæsios, & albos, propterea quod frigus externum compingens calorem interiorem, facit vt ille auctus humidum consumat. Causæ permutationis figuræ crystallini alię sunt ex generatione, aliæ ex morbo. Causas generationis dimittemus, quia non spectant ad Medicum.

Causę permutationis figuræ crystallini.

Causæ vero accidentariæ, & morbosæ, sunt percussiones, contusiones, compressiones, vt enim videmus ipsa mollia si nimis comprimantur, aut percutiantur, figuram mutare: sic quoque cōtingit humori crystallino, vt vel nimis compressus, vel aliquo modo agitatus figurā permutet: similiter quoque multitudo humorum extraneorum in ipsum crystallinum irruentium, facit, vt figura illius permutetur. Causę porro strabositatis alię sunt internę, alię externę: Internę sunt conuulsiones musculorum oculos mouentium: quando oculus naturaliter se habet, pupilla quoque sedem naturalem habet: vbi vero musculi illi, seu oculus statum naturalem non seruat, pariter situs pupillę permutatur, & fit strabositas. Permutatur autem status oculorum, vbi vel musculus aliquis ex mouentibus oculum luxatur, vel exsiccatur. Si musculus inferior luxetur, superior trahit oculum ad sese, & ita fit species strabositatis, in qua pupilla ad superiora declinat; pariter si musculus ad latus aliquod luxetur, contrarius illi trahit ad sese totum oculum, & ita situs pupillę, & crystallini permutatur. Pari pacto si musculus aliquis ex istis exsiccetur, exsiccatus trahit partem oculi ad sese, & sic situs pupillę permutatur: atque sic de reliquis. Quod vero ex siccitate possit contingere strabositas, pręter experientiam in alijs rebus euenientem, habetis quoque testimonium Rasis 2. contin. qui ex sententia Gal. in com. 2. epid. scribit, strabositatem contingere etiam, vbi exsiccantur musculi. Sed quęrat aliquis vestrum: si hęc est causa strabositatis, cur est quod aliqui strabones, vbi volunt, efficiunt ita oculi pupillam, vt non appareat strabositas? Dico, quotiescunque sanus est oculus, mouetur motu voluntario, & ideo in quauis figura potest contineri: vbi vero infirmus factus est oculus, atque aliquando musculus conuellitur, vel ea conuulsio magna est, vel parua: si sit magna conuulsio,

dico

dico, quod nullo modo potest vnquam strabo oculum in proprium situm reducere. Si vero cōuulsio parua sit, dico quod, vbi oculus quiescit, potest contineri in statu, & situ naturali, non autem dum mouetur. Ratio est, quia ad continendum oculum in quiete, minore robore opus est, quam dum mouetur, ad eum dirigendum. Causæ mediatæ, & extrinsecæ strabositatis sunt omnes illæ, quæ possunt facere conuulsionem; hæc autem sunt apud Hip. 6. aph. 39. repletio, & inanitio. Inanitio, vt in febribus magnis, & ardētibus, in magnis euacuationibus, in quibus musculi mouentes oculos conuelluntur præ siccitate. Repletio autem, vt in vertigine, in epilepsia, post quos morbos, vt etiam in ipsis morbis, videbitis sæpe homines fieri strabones, quia ex multitudine, & repletione conuelluntur musculi oculos mouētes, propter quod magnus Arist. scriptū reliquit, solum hominem inter omnia animalia fieri strabonem, non alia de causa, nisi quia solus inter omnia animalia epilepsia tentatur; Cuius veritatem examinauimus in nostris varijs lectionibus. Hactenus de causis omnibus vitiorum, quæ fiūt in humore crystallino. Ex his suboritur non inutile, & iucundum Problema; Cur sit, quod crystallinus quorūdam animalium, ita in tenebris lucere videatur, vt putetur etiam in tenebris ipsis videre. Cuius generis sunt oculi Leonum, serpētum, & mustelarum. Auic. secutus Empedoclem, & Platonem, putauit, quod in oculis horum animalium adsit plurima lux, ita, vt exiens ab oculis lux, illuminet medium, atque ita videant. Et notate nihil apud nos differre, siue dicamus ab oculis lumen exire, siue spiritus lucidos, siue radios, aut aliquo alio modo, quoniam, & auctores his nominibus sunt vsi, & nunc non est disputandum, an radij ab oculis exeant.

Causæ externæ strabositatis.

Solus homo strabo.

Problema.

Albertus Magnus in lib. de sensu, & sensato, & in 2. parte summæ de homine, inuectus est in Auic. qui prædictam sententiam habuit 3. de anima 7. Probat igitur Alb. non posse ab oculis horum animalium lucem, atque ignem emanare; atque vtitur hac ratione; quod si emanaret lux ab oculis, profecto totum medium illuminaretur, quo illuminato, & ipsa animalia viderentur ab hominibus, & aliæ res in medio existentes; sed neque partes oculis vicinæ videntur, vt nares, & aures; igitur, ait, sequitur Auic. sentētiam esse vanam. Et ne etiam hic vir videretur suam sententiam denegare, dixit hoc etiam contingere, quia humor crystallinus, cum sit totus aqueus, & congelatus, quicquid in eius compositione ignis adest, totū in superficie residet, & propterea sicut gemmæ in tenebris lucent, ita quoque ait Alber. lucent eorum oculi.

Quæ sententia quoniam Peripateticorum est, non est quod multis rationibus a nobis explodatur; id tamen non silebo, non videri cur serpentes, aut mustelæ habeant hunc ignem, quoniam multa sunt animalia calidiora, quæ hac ratione debuissent plus ignis obtinuisse, & tamen nō lucent. Igitur breuiter, vt hanc rem relinquam exactius disputandā philosopho, dico, humorem crystallinum horum animalium, secundum placitum Medicorum, omnino plus lucis habere, eo quod substantia illius humoris in ipsis est magis condensata, læuis, & polita. Nec valet quod dicit Alb. necessarium esse, vt illuminetur medium, propterea quod, vt videmus carbones ignitos non illuminare medium, sed tamen solos in tenebris conspici, quia scilicet modicū lucis habent; ita dicendum est de oculis horum animalium, quod tantum lucis habeant, vt videri possint, non vero tantum, vt illuminent medium.

Resolutio auctoris.

Signa.

Nunc superest, vt signa horum affectuum indagemus, quæ indagatio difficilis est duplici ratione: vna, quia pars affecta profunda est, & scriptum est apud Hipp. in lib. de vet. med. morbos partium reconditarum difficiles esse cognitu. Altera ratio est, quia hęc ead. vitia ab alijs quoq; partibus oriuntur, vt difficile sit discernere, an ab hac, vel illa fiat.

Alzarauius

Alzarauius Medicus Arabs in lib. practicæ suæ conatus est multa adinuenire signa, quib. huiusmodi affectus declararetur: scribit enim, si affectus fiat a nimia humiditate humoris crystallini, percipietur grauitas; si fiat a siccitate visus impedietur; si fiat per transmutationem coloris, ad albedinem, omnia videbuntur alba: si ex pupillæ, vel crystallini diminutione nascitur, omnia maiora videbuntur. Si fiat ex magnitudine humoris crystallini, & crassitie, omnia apparebunt minora, atque visus obscurabitur: si vero ob profunditatem nascatur eiusdem humoris, ait, quod visus in profundatione offendetur.

Reiciuntur signa Alzarauii.

Sed quanquam hic Medicus illustris fuerit, mihi tamen hæc signa absque ratione inuenta videntur: nam quod ait, si fiat ex humiditate, grauitatem percipi, tantum abest, vt hoc possit esse horum affectuum proprium signum, vt in omnibus affectibus ex repletione humorum in oculis percipiatur grauitas. Quod porro de albedine scribit, id quoque satis infirmum signum est, & falsum, quoniam, qui albedine oculorum laborant, necessario alterum duorum habent, vel vident omnia tanquam per fumum, vt glaucoma sit imperfectum: vel vt dicit Aetius, neque etiam lucem vident, quando, vel est glaucosis, vel glaucoma perfectum. Idem dicendum de imminutionis signo humoris crystallini, & auctionis, quoniam falsum est, quod in pupilla diminuta, res videantur maiores, imo quemadmodum dicebam, sicuti in speculo minori minores imagines, in maiori maiores apparent, sic vbi crystallinus est minor debēt fieri minores imagines, vbi maior, maiores. Quod postea dicit de profundatione oculorum, illud falsissimum est, quoniam, vt ait Alber. 19. de animal. oculi prominentes necessario visum imbecillē habent, oculi profundi, & concaui visum validiorem efficiunt. Sic vbi pupilla, & humor crystallinus magis profundus est, necessario videtur visus fieri acutior, eo quod spiritus, seu radij exeuntes magis vniuntur, & ita vniti maiori feruntur impetu.

Auctoris ratio inueniēdorum signorum.

Melior igitur quærenda est ratio inueniendorum signorum, quæ ratio hæc erit: vt primo inspiciantur partes sensui cōspicuę, numquid sint offensę, & posteaquam inueneritis partes exti-

mas illæsas esse, colligēdū est partes aliquas intrinsecas pati: vbi vero examinaueritis omnes partes intrinsecas, nullasque alias inueneritis posse offensas esse, supererit colligere vitium in humore crystallino collocari. Sed hæc ratio satis quoque coniecturalis est.

Sunt quædam alia signa magis particularia, quæ Medicum ipsum multum possunt iuuare, veluti si videritis pupillam citra vllam causam manifestam minui, erit colligendum crystallinū minui: sed quia minuitur, vel per defectum nutrimenti, vel per exsiccationem propriam: si sit per defectum nutrimenti, habebitis hæc signa, quod aliquæ causæ præcesserunt exsiccantes venas illas, quas dicebat Hip. nutrire humorem crystallinum, aderit quoque, & macies tum totius corporis, tum capitis: Quod si imminutio ortum duxit exsiccatione propria, necessario habebitis, quod aut aliquis morbus exsiccatorius præcesserit, vt inflammatio oculorum magna, aut inflammatio capitis, aut aliqua nimia euacuatio, vel lachrymarum, vel alterius humiditatis capitis. Si videamus citra vllam causam manifestam pupillam dilatari, aut ampliorem reddi, erit colligendum, quod hæc dilatatio ortum ducat ex magnitudine crystallini, & eo magis intelligemus hoc, si vitium crescat, præsertim sub noctem.

Iridis figura. Sunt aliqui, quibus sæpe ante oculos veluti Iris quædam videtur obuersari ob oculos: hoc signum est, humores aliquos aquosos adhærere humori crystallino, nam sicuti videmus nubes aquosas irradiatas a Sole, reflectere lumen, & facere iridem, sic humores hi aquosi, instar roris, & nubis adhærentes crystallino, reflectunt lumen, & faciunt iridem.

Signa glaucomatis. Similiter si circa pupillam insignis, & profunda appareat albedo, cum qua albedine eueniat, vt vel lux non videatur, vel omnia tanquam per fumum conspiciantur, hæc signa sunt glaucomatis, vel iam facti, vel incipientis. Strabositatis signa non est, quod discursu aliquo inquiramus, quia satis sunt conspicua.

Prognostica. Prognostica omnium horum affectuum sunt, quod quilibet affectus humoris crystallini difficiles sint curatu, quia cum sint in parte profunda, vix recte possunt adhiberi remedia. Scribebat Aetius, glaucoma factum ex suffusione incurabile esse; alterum vero glaucoma non ita incurabile esse. Sed raro videbitis glaucomata perfecte curari, licet incipientia, dum bene noscuntur a Medico, possint curari. Incurabilis quoque est omnis strabositas antiqua: dico antiqua, quoniam Arabes putarunt strabones curari posse in pueritia, vt videbitis, & præsertim quando malum recens est. Porro Hipp. 2. epid. sect. 6. hæc habet: Quorum pectora bilem generant, balbi, furiosi, & calui fiunt. quicunque horum etiam ex natiuitate strabones, hi imprudentes sunt, aut calculosi, aut insanientes.

Curatio vitiorū ab humiditate. Curatio. In ijs igitur affectibus, qui curari possunt, est habenda hæc distinctio, quod alij fiunt a causa humida, alij sicca. Quæ fiunt vitia a causa humida, omnia opus habent victus ratione attenuatoria, & exsiccatoria. Debent igitur isti viuere in aere calido, & sicco, mediocriter lucido. Vtantur exercitijs moderatis, abstineant ab omnibus vehementibus pathematibus animi: impurgato corpore abstineant a vino, vtantur cibis, qui possunt extenuare, & exsiccare, eiusmodi habuistis quando alios affectus ex humiditate curandos monstrauimus.

Quod autem ad reliqua spectat remedia, si plenitudo adsit in capite, erit primo sanguis mittēdus a vena capitis: & si venæ sectio non possit sustineri, cucurbitulæ, aut hirudines erunt accommodatæ, deinde erunt præparandi humores, præparati euacuandi accommodatis remedijs.

Postquam uero non semel, sed iterum purgatum fuerit corpus, supererit, ut ad medicamēta exteriora, ad collyria, quæ possunt attenuare, & exsiccare nimiam humiditatem, deueniamus. Et aduertite, quod licet difficilem hanc curationem esse dixerim, attamen si comparetur curationi neruorum opticorum, facilior est, quia pars magis est exposita suscipiendis remedijs. Et quia facta est mentio collyriorum, & in tota hac tractatione maxime necessarium est intelligere, quę sint collyria, ideo futurum utile spero uobis, si quædam de collyrijs uos doceam.

DE COLLYRIIS.

QVatuor in hoc tractatu de collyrijs edocenda sunt. 1. quid sit apud Medicos Græcos, Latinos, Arabes, collyrium: nam est adeo diuersus vsus huius vocis, vt si ignoretur a Medicis, sæpe sit causa multorum malorum. 2. quot sint differentiæ collyriorum. 3. quis sit modus præparandi collyria. 4. quę sit ratio his medicamentis vtendi.

Cōmunis acceptio nominis. Quod ad primum attinet collyriorum nomen apud Gręcos, & Latinos duplici modo acceptum inuenio; vno modo communiter; alio modo proprie. Communiter acceptum, vt habetis Celsum lib. 5. Oribasium 10. coll. apud Paulum lib. 7. est medicamētum, quod efficitur ex succis, liquoribus, seminibus, fructibus, quod quidem in varios vsus adhibetur. Est enim medicamentū formę rotundiusculæ lōgitudine quatuor digitorū, altera parte tenuius, altera crassius.

Hoc genere medicamentorum vtebātur veteres ad varias affectiones, ad sinus, & ad fistulas, ad effectus vterinos, vtebantur etiam ad aluū: Nam glandes appellatas a Gręcis, a nostris suppositoria, videbitis apud Gręcos, Latinos, & Arabes collyria appellari, a figura. s. collyriorum. Et volunt isti dicta esse collyria a forma caudę decurtatę, & retusę, quia est eadem figura. Aut volunt dicta esse a rotunditate, quia κολλύριον significat rotundū. Inuenietis apud Suidam quoddā genus placentę ex farre factū in hanc formam, dictū collyrium. Itaque non erit mirum, si apud Arabes, Latinos, & Gręcos videbitis collyria immitti in aluum, vterū, & adhiberi alijs morbis.

Collyriū pro Collyrium proprie acceptum est medicamentum, quod oculis curandis adhibetur: sic fere

Medici

prie acceptū quid.

Medici omnes recentiores vtuntur hac voce collyriorum. Plinins inter veteres non alio modo vsus est hac dictione, nisi pro medicamento oculorum. Appellant pharmacopolæ nostri collyria, Sief. Hęc collyria volunt dicta aliqui ab impediendo fluxu, seu ad glutinandum; nam sic sonat vox Græca. Isidorus autē voluit sic dicta collyria, eo quod detergent oculos: sed hæc dimittamus. Habetis duos vsus collyriorum, quorum proprie acceptorum has inuenio differentias apud Oribasium, & Paulum; alia dicuntur simpliciter collyria; alia dicuntur arida & sicca; & alia dicuntur liquida. Differentia horum collyriorum videtur tota posita in materiæ diuersitate, quia cōmuniter accepta componuntur ex metallicis, aromatibus, succis, liquoribus, melle, oleis, & huiusmodi alijs: ita quod componatur tam ea materia arida, quā liquida. Collyria arida componūtur solum ex materia arida, vel ex metallicis rebus, vel ea aromatibus. Collyria liquida cōponuntur solum ex materia liquida, ea succis, vel liquoribus. Horum omnium collyriorum inuenietis apud Scriptores innumeras differentias, alia alba, alia crocea, alia ex myrrha, & cetera. Imo tot sunt differētię collyriorū apud Medicos, vt fere quiuis morb. propriū habeat collyriū: & hinc factū est adagiū in malos Medicos, qui vno collyrio omnibus morbis medētur.

Vsus collyriorum.

Modus parandi.

Modus parandi collyria habet aliquid commune, his omnibus differentijs, habet etiā multa propria: hoc commune videtur esse obseruandum in parandis collyrijs, vt monet Oribas. & Paulus, quod debent apparari verno tempore: quia si parentur hyeme, non possunt medicamenta optime conteri, quia ob gelu cum sint facta rigida, non optime contunduntur, ac miscentur; æstate etiam aromata facile euaporant, & ita vires ipsorum maxime hebetantur. Quod vero proprium est vnicuique differentiæ in compositione, est, quod collyria simplicia, quę alias a Paulo [illegible] dicuntur, ita parari debent, vt metallica longo tempore cōterantur, aromata autem non ita longo. Præterea debent lente omnia conteri, ne scilicet dum conteruntur, vis expiret. Propterea debent succi exiguo tempore conteri, & etiam concitatius conteri, & dum contunduntur pulueres, seu aromata, & metalla, debet affundi humor aliquis guttatim, qui humor facit, vt corpora magis in puluerem redigantur; dixi guttatim, quia si dum conteruntur, multum humoris affunderetur, duo fierent inconuenientia. Vnum, quod metallica subsiderent: alterum, quod aromata supernatarent. Sed quis debet esse hic humor? veteres fere omnes Medici hunc vsum videntur sequuti, vt nō alium humorem adhiberent, quam aquam pluuialem. Rationes duæ huius afferuntur, vna, quia aqua pluuialis tenuis est; altera, quia nonnihil habet adstrictionis; addatis & tertiam, quia conseruat a putredine. Quod si aq. pluuialis non habeatur, accommodatum est vinum tenue.

Cur aq. pluuialis addatur.

Postquam optime commista sunt hæc corpora, & triturata, deinde commiscentur liquoribus, atque inter commiscendū additur gummi. Nostri pharmacopolæ sæpe addunt loco gummi albumen oui. Postquam omnia mixta sunt, redigitur in formam quatuor digitorum teretem, & altera parte crassiorem. Sed aduertite, quod Scrib. Largus mentionem fecit collyriorū ad formam nuclei pinei. Postquam sic conflata sunt collyria, ait Orib. conseruanda sunt in vasis terreis. Paulus ait vitrea bona esse:

Cur collyrijs addatur gummi.

Sed circa hoc duo notate, vnum est, quod dixi addendum gummi. duabus de causis, i. est, vt melius corpora metallica conglutinentur, a. vt exsiccata hæc corpora non frangantur. Alterū notandum est, quod huiusmodi collyria, si habeant multum metallicorum, quanto vetustiora, tanto meliora. Sin autem multum habent aromatum, vetusta facile euanescunt, propterea recentiora sunt eligenda.

Sicca collyria vt parētur.

Sicca collyria parantur fere eo modo; nam teruntur per se metallica corpora, & per se aromata, deinde miscentur. Et notate, quod si fiant collyria sicca ex solis metallis, possunt conseruari sine vllo liquore; si vero fiant etiam ex aromatibus, necessariū est, vt addatur aliquid gummi, quo possint melius conseruari.

Liquida collyria fiunt ea succis, & liquoribus. Sed hoc vnum habent, quod etiam notat Oribasius, debent statim in vsum adhiberi, nam succi, & liquores, vbi sunt redacti in formam collyriorum, exiguo tempore possunt conseruari.

Sed dicetis; sunt multi succi, vt succus anagallidis, qui non quouis tempore inueniuntur. In hoc casu curandum est vobis, vbicunq; locorum dabitur medicinam facere, vt pharmacopolę vestri habeant succum huiusmodi cum melle præparatum, propterea quod mel præterquam quod conseruat, optimum est pro oculis medicamentum: Hic est modus componendi collyria; Restat modus vtendi. Vsus collyriorum pro oculis duplex est, vel per infusionem, vel per illinitionem: Infusio est, quando vel liquida, vel arida collyria immediate super oculum conspergunt. Illinitio autem duplex est, aut sicut docet Oribas. per sublinitionem, aut per euersionē, per sublinitionem est, quando aperitur palpebra inferior, & specillo, seu penna ea palpebra inferior illinitur. Euersio autem est, quando palpebra superior euertitur, & eod. specillo illinitur.

De modis vtendi collyrijs.

Sed dicetis, ad quid confert huiusmodi illinitio? Oribasius dicit, quod est potius gratia decoris cuiusdam, quam multæ vtilitatis, & certe vbicunque oculus potest sustinere infusionem, melius est, quia sic medicamenta melius penetrant: sed quia oculi perpetuo mouentur, ita, vt non possit facile medicamentum super oculos manere, ad hoc confert eiusmodi illinitio, vt medicamenta diu possint vim suam oculo immittere.

In ijs vsibus quædam vobis sunt notanda breuiter. Primo est, ne quando illinantur palpebræ interiores, vllo modo specilli acies tangat oculum. Secundo, quod vbi oculus dolet, potius infusiones sunt adhibendæ quam illinitiones. Tertio, quod infusiones magis prosunt, quā illinitio-

nes,& vbi datur ijs vti in affectibus oculorũ,semper vtamini. Quarto accedit etiam aliud, quod quotiescunque vtendum est vobis eiusmodi collyrijs, obseruetis tempus, quia, vt notat Oribasius, & Paulus, tempus serenum, & boreale maxime accommodatum est collyrijs vtendis, austrinum, quod vel nimis frigidum, aut calidum est, id semper ineptum reputatur. Quinto est quoque aliud aduertendum circa vsum, quod quotiescũque placebit vobis vti ijs collyrijs, quæ habentur apud pharmacopolas, debetis semper mandare, vt iterum recte attenuentur, & terantur. Et si non siccis, sed liquidis vti velitis, vt addantur alij liquores, vel succi accommodati, vel mel alembicatum, vel aqua, vel vinum, prout expediet.

Cautela.

Collyria ad crystallini affectusque.

POstquam habuistis totam collyriorum rationem, quæretis quo genere collyriorum oporteat vti in affectibus crystallini? Dico quod debent ea adhiberi collyria in extinguẽdis morbis humoris crystallini, quæ sunt acriora, quæ crassitiem humorum attenuent, concoquant, & discutiant; & propterea ego commendo duo collyria, quorum vnius hæc est forma.

Formula collyrij.

℞. Succi fœnic.
Rutæ an. ʒ ij. ß.
Fellis galli.
Perdicis an. ʒ. j.
Croci.
Myrrhæ.
Piperis an. ℈. j.
Lauigentur per se aromata, deinde misceantur cum succis, tum addantur fella, tandem cum ℥. j. vel altera mellis alembicati f. collyrium. Alterius collyrij, quod aridum est, forma hæc erit.

Alia formula.

℞. Fellis taurini exsiccati ʒ. iij.
Croci.
Myrrhæ an. ʒ. j.
Piperis albi. ℈. ij.
Seminis rutæ. ʒ ß.
Terantur omnia s. a. deinde vel gummate, vel albumine oui conformentur, & iterum exsiccetur.

Quando vsus postulabit, in tenuissimum puluerem iterum redigantur, & aspergantur.

AFfectus qui fiunt ex ariditate, aut euacuatione, curantur, vt plurimum victus ratione, quæ humectet, atque optimum nutrimentum faciat, cuiusmodi habuistis formam in tractatu morborum virtutis, ac extrinsecus cõueniunt ea, quæ possunt humectare, & humorem crystallinum augere. Lac exterius exhibitum optimum est. Soleõ etiam adhibere brodia, similiter succum lactucæ; succus maluæ deputatus adhibitus in fomentum, optimus est.

Curatio strabositatis.

Et quia dixi strabositatem recentem curari, vt in pueris: Arabes fere omnes vnum modum videntur tradidisse, vt si strabositas fit ad latera, ponantur lucernæ ad partem oppositam, facile fit, vt error corrigatur. Idem quoque præcipiunt, vt pueri ponantur ad fenestras, ita, vt lumẽ habeant oppositum parti affectæ: iubent quoque, vt gemmæ, & res rubræ ponantur ad latus oppositum parti affectæ, vt scilicet cũ volunt eas conspicere, distorqueant oculos in partes oppositas. Quod si strabositas fit, vel ad superiorem regionem, vel ad inferiorem, præcipiunt, vt pueri detineantur in situ æquali, ita scilicet, vt non habeant caput magis eleuatum, quam reliquum corpus; deinde, vt si pueri strabositas fit ad partem inferiorem, lucerna ponatur post caput, quia dum volunt ipsam intueri, vertant partem affectam ad superiorem. Si pars superior affecta sit, vt lucerna ad pedes collocetur, quia dum eam volunt videre, vertunt partem affectam ad contrariam. Hęc est series morborum humoris crystallini.

CAPVT XXX.

De vitijs in humore vitreo,

VT hoc mirificum visionis opus perficiatur, non solum opus fuit virtute per neruos tanquam per canales ad crystallinũ demittere, & crystallinum ita excolere, quemadmodum audiuistis, verumetiam opus fuit, vt natura alia instrumenta pararet, quę nõ solum virtutem, & operationem defenderent, verumetiam visioni famularentur: quę instrumenta duorum fuere generum, alia sicca, alia humida: Sicca fuere omnes tunicæ, & præsertim, quę ab Auicenna, dicuntur extrinsecę tunicę, scilicet, quę extra humorem videntur, vt aranea, vuea, cornea, & adnata. Humida autem fuerunt humores duo, vitreus, & albugineus, seu aqueus dictus. Vitrei primo, qui magis intimus est, expostulat ordo, vt morbos inquiramus: qui vitreus, vt notat Auerrh. 3. coll. 38. ab Aristot. aqua fuit vocatus. Sed vt melius humoris huius affectus indagare possimus, æquum est, vt eius munus videamus. Factus est humor vitreus a natura, vt habetis 10. de vsu par. & lib. de oculis, vt nutriat crystallinum, atque hoc est eius pręcipuum officium; Est etiam aliud, vt veluti stratum quoddam complectatur, & contineat humorem crystallinum. Cum igitur hęc sint eius munera, morbi sunt illi, qui hęc munera vitiant. Vitiantur autem hæc officia vitrei humoris, vel ratione nutrimenti, quod prębet, vel ratione complexus, & ambitus. Si ratione nutrimenti fiat vitium in humore vitreo, est, vel quia non prębet bonum nutrimentum, vel quia non pręber sufficiens nutrimentum. Et notate domini, quod quę offendunt ratione nutri-

Instrumẽta visioni famulantia.

Vitrei humoris consideratio

1. Vitium vitrei.

nutrimenti, numquam dicuntur offendere propter nimium nutrimentum, quia vbi defectus est in copia nutrimenti, proficiscitur potius ex parte nutriti, quod plus attrahit.

Similiter contingit vitium propter complexum, quando scilicet, ita latus, & amplus est iste humor, vt maiorem crystallini partem occupet, quam conueniat. Si humor vitreus minus nutrimenti præbeat quam conueniat, fit visionis impedimentum, & fit cæcitas, quia humor crystallinus orbatus proprio nutrimento siccescit, & spiritus consumit internos. Si autem non præbeat optimum nutrimentum, est ideo, quia alimentum præbet crassius, & turbidius. Vnde fit vt humor crystallinus pessimo humore nutritus operationes suas corrumpat. Cum enim Crystallinus deberet nutriri claro, & liquido, atque sanguis immediate non posset in hunc humorem conuerti, natura sagax machinata est, vt sanguis primo conuertatur in humorem vitreum, vt inde facilius fieret transitus in crystallinum. Ex quo videtis necessarium esse, quod vbi humor vitreus obscurus, & crassus est, debitum alimentum crystallino præbere non possit.

2. Vitium vitrei.

Quod si hic humor excedat in quantitate fit, vt cū complectatur maiorem partem crystallini, quam conueniat, non per totum crystallinum possint imagines recipi, & propterea isti quanquam videant, non possunt tamen omnia videre, quæ vident alij, eo quod in parte crystallini a vitreo obsessa, non possunt imagines recipi.

Causæ.

Causæ horum morborum sunt, multitudo quidem humoris, sanguinis multitudo, venarum nutrientium ipsum multitudo, & humorum, qui commiscentur vitreo aliunde.

Diminutionis vitrei causæ sunt eædē, quas intellexistis diminuere humorem crystallinum.

Signa.

Causæ vero turbiditatis ipsius, aut prauitatis, nullæ aliæ sunt, quā prauitas sanguinis, quo nutritur huiusmodi humor. Signa & curationes horum morborum dicit Alzarauius esse eadem, quæ sunt humoris albuginei, quæ omnia, quoniam paulo post fusius tractabimus, ne repetere cogar, dimitto ad eum locum.

Num vitrei humoris vitia possint visum lædere.

Sed oritur dubium, an vitreus humor, vel deprauatus, vel auctus, vel diminutus possit immediate lædere visum, ita vt absque hoc quod lædat crystallinum; lædat visum? Ex vna parte est Auicenna, qui 3. tertij. tract. 4. cap. 1. scribit, humorem vitreū lædere visum, quia lædit glacialē humorem, lædere autem hunc humorem, quia alimentum æquale ipsi non subministrat. Gal. etiam 2. de symp. caus. 2. nec non libro de oculis, cum lōgissime disputasset de morbis humoris albuginei, tacuit huius vitrei humoris morbos; nec alia ratione hoc fecisse potuit, nisi quia putauit vitreum hunc humorem nequaquam immediate lædere visum. Ex aduerso est ratio accepta a Galen. qui 10. de vsu par. 14. probat, quod visio fiat in illa neruorum incruciatione; quod si ita est, necessario spiritus visiui, & imagines, a crystallino ad hanc incruciationem tendentes, transeunt per vitreum humorem, in quo transitu possunt lædi ab ipso.

Resolutio auctoris.

Pro resolutione dicendum est, id quod dicit Auicenna, verissimum esse humorem vitreum non posse immediate visum lædere, & si lædit, fit quia humori crystallino nocet. Ad rationem autem dico, quod spiritus visorij non transeunt per substantiam humoris vitrei, dum ad incruciationem feruntur, sed transeunt per tunicam retiformem, sicut luculentissime docuisse videtur Gale. 10. de vsu par. prima, & de plac. Sed & alia grauior insurgit difficultas, an vere sicut ex Gal. supposuimus, visio fiat in incruciatione, non potius in humore crystallino. Ex una parte intellexistis, magnopere laborasse Gal. decimo de usu par. 14. ut demonstraret ad oculum visionē fieri in illa incruciatione. Quam sententiam maior fere Medicorum pars secuta est. Sed contra hanc sententiā sunt illustres Gal. auctoritates; vna est 10. de vsu par. cap. primo, quo in loco scribit, humorem crystallinum esse primum visionis instrumentum. Est & alia auctoritas eiusdem Gal. 7. meth. secundo, vbi scribit, quod ambulatio non est totius cruris, sed musculorum; similiter ait, visio non est totius oculi, sed humoris crystallini. Est & auctoritas Auerr. secūda, colli. 5. vbi scribit Gal. habuisse hanc sentētiam, quod visio fiat in humore crystallino, & tunica aranea. vnde acceperit Auerr. hanc sententiam, non admodum sum certus; suspicor tamē eum sumpsisse ex lib. de oculis.

Vbi fiat visio.

Resolutio.

Pro resolutione dicēdum puto id, quod habetur apud Arist. 3. de anima cap. octauo, vbi scribit, prima simulachra rerum recipi in humore crystallino, sed tamen ibi non fieri visionem. Ex quo loco colligo, duo esse visionis primaria instrumenta; vnum in quo visio inchoatur: alterū, in quo perficitur: Humor crystallinus est instrumentum, in quo visio inchoatur, quia in ipso primum rerum simulachra suscipiuntur, in incruciatione autem perficitur visio, quia ibi, vt demonstrat ratio Galeni, iudicium visionis consummatur. Igitur quādo Galenus decimo de vsu par. decimo, scribit, humorem crystallinum esse primum instrumentum, intelligendum est, esse primum quo ad tempus, quia scilicet, in ipso visio inchoatur.

Gal. ratio impugnatur.

Et notate Domini, mea sententia Galenum eo in loco praua ratione vsum esse, vt etiam hac ratione illi auctoritati detrahendum sit: dicit crystallinum esse primum instrumētum visionis, & probat argumento suffusionis; quia inquit suffusiones fiunt inter crystallinum, & corneā tunicam, ideo est primum instrumentum crystallinus humor. Videatis quæso, quæ sit ratio, nam probat non fieri visionem in cornea, & vuea, non probat tamen, quod fiat in crystallino; nam possumus dicere Galeno, obstructis neruis amittitur visio, ergo post neruos opticos est visionis instrumentum. Quādo rursus Galenus, ait septimo, meth. præcipuam functionem visionis esse in crystallino; Respondetur, quod ibi comparat humorem crystallinum toti oculo; quia si cōpararetur functio visionis ad totum oculum, & ad crystallinū, dicitur quod præcipue fit visio, non in toto oculo, sed in humore crystallino.

CAPVT XXXI.

De vitijs in tunica aranea.

Functio tunicæ araneæ.

Est post humorem crystallinum tela aranea, quæ obducitur crystallino, cuius functio hæc vna esse videtur, vt scilicet determinet crystallinum ab aqueo humore, quæ tunica est facta læuis, & subtilissima, ne scilicet, exitum radiorum, seu spirituum impedire possit. Et aduertite multum errasse Auerrh. qui putauit non solum ex sententia Galen. verum etiam ex propria, visionem fieri in hac tunica, & crystallo. Quod decipiatur, probari potest ex illo Aristotelis axiomate secundo de part. animal. primo, vbi scribit actiones omnes esse partium similarium: vnde non possumus dicere, quod aggregatum ex humore crystallino, & ex hac tunica possit esse instrumentum videndi, quia a dissimilari fieret operatio.

Morbi tunicæ araneæ.

Vsus igitur huius tunicæ quando vitiatur, fit morbus in oculo; vitiatur autē, vel quia disrumpitur, vel quia crassescit, ita vt exitum radiorum impediat. Si frangatur, fit morbus, qui apud Galen. libro. def. med. appellatur ῥῆξις seu fractio, & vitiatur visio, quia confunditur humor crystallinus cum aqueo. Si vero fiat crassior tunica, ita vt non sit peruia, fit vt visio maxime hebetetur, quoniam imagines confusæ repræsentantur, & quasi omnia velata conspiciuntur.

Nonnulli fuerunt, qui existimarunt suffusiones, seu Cataractas fieri in hac tunica; sed quia apertissimum hoc est mendacium, vt videbitis cum de suffusionibus tractabimus, nunc hoc refellere non conabor.

Causæ fractionis araneæ.

Causæ fractionis huius tunicæ sunt cōcussiones, vulnera, contusiones, humores corrodētes.

Causa crassefactionis.

Causæ autem crassefactionis sunt humores, & vapores crassi, qui adhærentes tunicæ agglutinantur, & eius perspicuitatem destruunt.

Signa fractionis.

Cognoscetur diffractio duobus signis præcedentibus. s. si vel contusio, vel vulnus, vel concussio, vel humorum acrium affluxus præcesserit. Altero signo cognoscitur, quia videtur confusus humor glacialis, & albugineus.

Signa crassitiei.

Cognoscitur autem crassities, quia in profundo oculi veluti tela apparet ante humorem crystallinum. Cognoscitur, & alio signo ex Galeno, quia vbi aliquis vestrum intuetur oculum alterius, potest animaduertere, quod semper propriam imaginem videt in pupilla; hæc imago proprie repræsentatur in hac tunica, vt videtur voluisse Galenus. Itaque vbi est crassefacta, non videbitis propriam imaginem. Et notandum est, quod scripsit Plinius libro 28. cap. sexto, nempe, in ægritudine quamdiu huiusmodi imago apparet, nullum mortis periculum imminere.

Prognostica.

Diffractio tunicæ nullo modo curatur, & videbitis miseros istos, qui ex percussionib. aut alia ratione discissam habent hanc tunicam, perpetuo oculis laborare.

Curatio.

Crassefactio autem curatur medicamentis, tum internis, tum externis, extenuatorijs, & exsiccantibus, & attenuantibus. Et hæc tota curatio est eadem cum curatione imaginum, seu suffusionum, quam mox fusissime tractabimus.

CAPVT XXXII.

De vitijs in humore Albugineo.

Vsus humoris albuginei.

Post vitreum humorem, & tunicam araneam positus est alter humor in oculo a natura, qui aqueus dictus est, & albugineus, non quod ouorum albumini assimiletur, vt credunt nonnulli, sed quia ei humori assimilatur, qui ex ouis dum coquuntur, emanat, vt præclarissime hoc nobis Vesalius declarauit.

Fuit factus hic humor, vt docet Galenus, cap. 5. & 6. libro decimo, de vsu par. propter duos vsus. vnus est vt disterminetur humor crystallinus a tunica vuea: Alter, vt irroretur humor crystallinus, ne exsiccetur. Nemesius philosophus, & Medicus summus, in libro de natur. hominis dicit, hunc humorem factum esse, ne humor crystallinus, dum operatur continuo, siccior fiat, & ne ab aere ambiente offendatur. Quod autem possit offendi ab ambiente humor crystallinus, accipite. Scitis crystallinum esse veluti glaciem, & propterea glacialem dici humorem: glacies autem ab aere primum liquatur, deinde siccatur; Sic etiam nisi natura præsupposuisset hunc humorem, poterat eliquari ab aere ambiente, & deinde exsiccari; sicut enim, qui volunt conseruare glaciem tempore æstiuo, reponont eam in frigidissimis locis, ita natura volens hanc glaciem oculi conseruare, posuit ipsum post humorem amplum, qui humor suo frigore, & humiditate ipsum tuetur. Addunt alij, & hunc vsum huic humori, quod scilicet præstet, ne lux repente ingruat in humorem crystallinum.

Alius Vsus.

Vitia humoris albuginei.

Cum igitur hi sint vsus huius humoris, facile colligere possumus, quæ vitia possit hic humor pati. Nam vt scriptum est apud Galenum, & Auicennam, hic humor dum a propria natura recedit, ita vt visui noceat, uel patitur in propria substantia, uel in quantitate, uel in qualitate.

1. in substantia.

In substantia patitur, si fiat uel crassior, uel tenuior; in quantitate, si uel augeatur, vel imminuatur; in qualitate, si perspicuitatem amittat, quod fit, si uel obscuretur, uel aliquem quendam contrahat colorem.

In crassitie.

Si crassescat humor albugineus, ait Gal. quod perfectio visionis amittitur. Si crassities hæc increscat, amittitur visio; crassities autem vel est in toto humore, & fit suffusio, de qua suo loco agemus. Si vero non totus crassescat, sed pars, atque hęc pars totam pupillam, obambulet, fit etiam suffusio; si vero non obambulet totam pupillam, sed solum centrum pupilę, omnia, quę videntur, apparent esse fenestrata, & perforata. Si vero partes plurime crassescunt, fiunt imagines, de quibus suo loco Auic. appellauit hos morbos ex siccitate, quo spiritu, ipse videat.

In tenuitate.

Si fiat humor hic tenuior, impeditur quoque visio, propterea quod lux cum non recipiatur vt deberet, primum in hoc humore albugineo disgregat humorem crystallinum, & ipsi nocet, vnde fit vt visio hac in parte labefactetur.

Sed dicetis, nec Galen. nec Auic. fecit mentionem huius humoris tenuitatis. Dico non fecisse, vel quia cognito altero contrariorum, cognoscitur & alterum, vel quia huiusmodi vitium raro contingit, nam fecit mentionem huius Auenz. in lib. 1. tract. 8. cap. 23. fecit etiam mentionem Alzarauius.

2. in quantitate.
Vel auget.

Si augeatur humor albugineus, impeditur etiam visio, propterea quod humor iste obumbrat crystallinum, ita vt ob nimiam vmbram huius humoris non fiat perfecta visio; accedit q̃d dum spiritus seu radij visorij pertrascunt per multum humorem, hebetantur. Nemesius voluit oculorum glaucedinem oriri ex nimia huius humoris copia. sed de colorib. oculorum alias.

Vel minuitur.

Si minuatur humor albugineus, fit quoque impedimentum visionis, primo, quia non recte imagines recipiuntur, secundo quia cum non adsit in oculo satis frigoris, & humoris non potest visio perfici.

Dico hoc, quia Aristotel. in libro de sens. & sens. & secundo, de part. animal. c. 13 scribit, ad visionem perficiendam necessarium esse, & frigus, & humidum, & propterea aues, quorum corpora alioqui sicca sunt, habuisse oculos valde humidos, vt scilicet possint acute cernere.

3. in qualitate.
Vel obscuratur.

Si obscuratur humor albugineus, dicit Nemesius, quod idē fit atque in aqua turbida, in qua non possunt recipi colores, nec imagines. Auicenna dicit, quod nō apparet forma homunculi.

Vel mutatur color.

Si colores alienos suscipiat, impeditur quoque visio, quia res visæ eodem colore videntur infectæ, quo infectus est humor huiusmodi: vnde si humor albugineus sanguine suffusus sit omnia videntur rubra: si bile flaua, omnia videntur flaua.

Causæ crassitiei.

Causæ crassitudinis huius humoris sunt tam humores, quam vapores; humores, quia vel intrant loco humoris albuginei, vel per solum humorem diffusi eum alterant, & vitiant: Quod vero vaporibus crassescat iste humor, demonstrat Auic. duobus argumentis, 1. est quia videmus in exterioribus fumum, & vapores visioni officere nō parum. Pręterea videmus oīa edulia, quę flatulenta sunt, visum impedire, & obscurare; vt lentes, fabas. Igitur causæ immediatę crassefactionis huius humoris sunt humores commisti, aut vapores. Causæ autem mediatæ sunt oēs, quæ possunt, & humores, & vapores istos gignere, vt sunt balnea post cibū, crapulæ, cruditates.

Causæ tenuitatis.

Causæ tenuitatis huius humoris sunt eædem, quas dicit Auerr. 3. coll. 38. efficere spiritus subtiles, s. causæ omnes calefacientes; vnde ardentes febres; vehementes inflammationes sua immodica caliditate hunc humorem attenuant.

Causæ augmenti.

Causæ augmenti huius humoris sunt humores, qui eo fluētes, vt dicit Auerrh. eius molem non parum augent. Vnde qui catarrhis ad oculos capiuntur, solent hebetem habere videndi aciem. Quæcunque autem multiplicant huiusmodi cruditates in capite, sunt causæ mediatæ huius affectus.

Causæ diminutionis.

Causæ diminutionis albuginei, sunt vel siccitas, vel effluxus; siccitas quando ex vehementi febre, vel febre hectica, vel phthisica, vel ex euacuatione immodica, vel ex veneris vsu nimio huiusmodi humor absumitur. Nam videbitis oculos subsidere eorum, qui vel febribus istis capiuntur, vel nimium euacuati sunt, vel veneris vsum nimium habuerunt: & ratio est, quia humor iste aqueus absumitur. Exitus vero, seu fluxus est causa diminutionis huius humoris quando vel ob corrosionem, vel ob vulnus illatum, vel ob perforationem cataractarum male adhibitam, humor iste defluit, & exit. Causæ obscuritatis sunt crassities humoris, & nigrities, qui miscetur, & facit, vt alieni sint colores in oculis, q̃a si ichor, aut vapor biliosus, aut bilis huic humori misceatur, apparent omnia alba: si sanguineus, omnia rubra. Cur vero fiant obscuritates ex commistione horum humorum, & præsertim crassorum, dicit Auicenna esse, quia amittitur luciditas, cum humor iste, qui deberet esse politus, & læuis, fit asper, & inæqualis, ob commixtionem humoris crassi. Circa causas horum affectuum quatuor occurrunt problemata; vnum est, si humor coloratus commistus albugineo facit res coloratas videri, cur in ictericis, quorum oculi toti sunt lutei, & flaui, non appareat hoc symptoma? nam tametsi istis omnia amara gustui videntur, non tamen omnia, quę vidētur, flaua apparent. Alterum problema est, si multitudo humoris albuginei nocet visui, an pueri necessario habeāt visum hebetem? nam hac ratione videretur esse, quia vt habetis ab Aristo. 2. de par. anim. & 2. de gen. anim. c. 4. oculi infantium sunt magni, & admodum humidi, ita quod ait Aristo. continuo subsident magis, & siccantur. Tertium problema est, an sicuti diximus ex crassitudine spirituum visibilium longinqua magis videantur, quam propinqua, ita etiam ex crassitie, vel tenuitate humoris albuginei fiat, quod quidem videtur asseruisse magnus Rases a contin. cap. 1. & Aristo. 5. de gener. animal. c. Quartum problema omnium difficillimum, & pulcherrimum est, an varietatem oculorum vel homini, vt dicit Arist. attributam, possimus ascribere quantitati, vel paucitati huius humoris albuginei, vt multi voluerunt.

Causæ obscuritatis.

Problem. 4.
1.
2.
3.
4.

Pro

Cur ictericis non videantur omnia flaua.

Pro primo problemate dicendum est, quod ad hoc, vt res extrinsecæ videntur, necessarium est alterum duorum, vel vt tunica cornea, qua parte pupillam tegit, sit colorata, vel vt humor iste sit coloratus: vbi ergo neutrum horum est, non est necessarium, vt res coloratæ appareant: Iam vero in ictericis neutrum horum contingit, neque enim flaua bilis commista est humori albugineo, neque etiam ea parte tunica corneæ infita est. Ratio est, quia in ictericis bilis quidem diffusa est per vniuersum corpus, sed in venis latet tam magnis, quam subtilibus; venæ autem non sunt in humore albugineo, neque etiam sunt in ea parte corneæ, & si quæ sunt, vsque adeo exiles sunt, & breues, vt nihil efficere possint. Quod vero dicunt antiqui aliqui Poetæ, & Galenus, tum primo, de symptom. caus. secundo, tum in libro de oculis, primo ictericis omnia flaua videri, id neque a quopiam Medicorum antiquo alio fuit proditum, nec experientiæ consonat, vt fusius in sexto, variarum lectionum declarauimus.

An infantes acute videant.

Ad secundum problema responderi potest dupliciter: primo, quod pueri habent quidem oculos magnos, & humidos, sed non propter humorem aqueum, verum propter alias partes, quæ sunt totæ humentes, & quod hoc verum sit ex sententia Aristo. videamus, Dicit ipse 5. de gen. animal. c. 5. quod pueri habent oculos glaucos, & quod glaucedo fiat ex paucitate huius humoris, sequitur quod in pueris hic humor aqueus non est multus, sed eorum oculi sunt humidi, & magni, propter alias partes oculi repletas humore. Possumus, & aliam afferre responsionē sc. pueros etiam habere hunc humorem albugineum plurimum, atque ob hoc non admodum acute cernere, quod ex hoc conijcio, quia pueri delectantur multa luce, lucernis, & candelis, quod signum potest esse pueros non ita acute cernere, quemadmodum adultiores.

An ex crassitie spirituū lōginqua magis videantur.

Ad tertium problema respondeo, humorem albugineum sua crassitie idem efficere, quod diximus crassos spiritus facere, scilicet, quod remotiora melius videantur, propinquiora etiam deterius. Sed aduertendum est, Domini, quod hic humor non faciat huiusmodi symptoma per se, sed per accidens, hoc modo: vbi humor iste multus est, multum quoque est frigus; iam vero dicit Auerrho. 3. colu. 38. quod frigus crassefacit spiritus, calor attenuat: si igitur iste humor sua multitudine, & frigiditate crassefacit spiritus, hac ratione dicemus facere, vt lōginqua magis videantur; propinqua minus, id quod tribuebamus spiritibus crassis vel subtilibus, vt intellexistis. Igitur dicendum est paucitatem, vel multitudinem huius humoris facere hæc symptomata non per se, sed per accidens, scilicet attenuando, vel incrassando spiritus.

Cur solus homo varie coloratos oculos habeat.

Ad quartum, & vltimum caput, quod difficilimum est, & a nemine tactum, cur se. solus homo, vt dicit Arist. varietatem colorum oculorum habeat; Dicendum est, varias esse scriptorum sententias circa horum colorum generationem: Alij enim ascribendos dixerunt lumini, & luci ipsorum, qualis fuit Emped. Alij paucitati, & multitudini humoris aquei, in qua sententia fuit Arist. & Galenus, sed diuersimode, quia Arist. colorem nigrum multitudini huius humoris, Galen. paucitati tribuit; colorem glaucum Aristo. humoris paucitati, Galen. multitudini. Fuerunt multi, inter quos fuit Andreas Vesalius, qui putarunt colores varios oculorū oriri ex varietate colorum interioris tunicę vueæ. Fuerunt etiam grauissimi viri, qui mirati sunt Galen. quod cognouerit varietatem huius tunicæ, & non tribuerit ei huiusmodi causas.

Sed quomodocunque istud fit, nō habetur perfecta problematis propositi resolutio, siue fit ex paucitate humoris aquei, siue ex varietate colorum tunicæ vueę, non habetur; inquam, cur homo varios colores in oculis gerat, quod non est concessum vlli alteri animali; Nam Aristo. primo, de histor. animal. & 2. de gener. professus est. vnamquāque speciem animalium habere proprium quendam oculorum colorem, vt boues vnum habeant, capræ, & asini alium, & tamen quodlibet indiuiduum in eadem specie vnum, & eundem colorem habet: quod nō reperitur in homine, quoniam inter homines alij sunt, qui oculos habent glaucos, alij nigros, alij subuirides, alij alio colore infectos. Quomodo igitur adinuenienda est causa huius difficultatis in varietate? Puto eadem ratione inueniendam esse causam hanc, qua inuenitur, cur homines inter se adeo diuersi sint, nam facile erit vobis in genere equorum nō solum duos, & tres, sed mille maxime similes reperire, inter animalia cetera similiter, sed inter speciem humanam vix vnum inuenietis alteri similem, vt iure ille apud Plin. qui vendiderat duos pueros alteri tanquam gemellos, cum postmodum repertum fuisset nō esse gemellos, atque qui emerat vellet reddi pretium, qui vendiderat dixerit, imo debent tibi esse chariores, quia non sunt gemelli, & sunt quam similes. Sed quę erit ratio? Eadem sane quia fit vt filij oriātur dissimiles patribus; Nā non aliunde pendet varietas in indiuiduo, nisi quia filij non nascuntur similes parentibus.

Cur filii dissimiles parentibus.

Sed cur non nascuntur similes parentibus? Multę fuerunt sententiæ. Astrologi hoc tribuerūt aspectuum diuersitatibus, sub quibus nascūtur homines. Emped. ascripsit imaginationi mulieris concipientis. Stoici ascripserunt varietati simulachrorum tempore coitus in animis coeuntium obuersantium. Arist. 10. par. problem. 12. quærens cur in genere humano ita dissimiles fiant homines parentibus, dicit, duabus de causis; quia vir, & mulier vago sunt animo, dum coeunt, ita vt prout phantasmata vtriusque varia, & diuersa sunt, ita quoque conceptus sub illis imaginibus varij, & diuersi figurantur. Aliam affert rationem Arist. sed leuiorem, scilicet, quod eo tempore ea non obseruantur, quæ concipere volentib. necessario obseruanda sunt, & quod Hippiatri necessario obseruant, vt equi reddantur simillimi parentibus.

Igitur concludo, causam varietatis oculorum esse eam, quod homo inter cuncta animalia in sua specie diuersissima, & dissimilima habet indiuidua, quia in hoc genere dissimiles valde filij parentibus generantur; hoc vero fit, quia homo in eo actu varijs phantasijs agitatur,

tatur, bruta vero in eo tota sunt, vt non mirum sit, quod non ita varios conceptus figurent.

Dubitatio.

Sed circa huius postremi problematis resolutionem adhuc nonnihil remanet dubij, quomodo scilicet ea ratione, quæ a nobis allata fuit, contingere possit, vt solum in genere humano tanta colorum in oculis varietas appareat; quod facit dubitationem, est, quia tribuebamus hoc varietati imaginum, quibus vir, & mulier agitantur in coitu, tamen Aristo. primo de histo. animal. cap. decimo, scribit, etiam varietatem oculorum interdum cõtingere in genere equorum; Itaque nõ videtur sufficiens ratio allata. Respon. Aristo. vere dixisse varietatem etiam in equorum oculis reperiri, sed consideranda sunt verba ipsius Aristoteles, nam dicit, quod interdum oculi equorum fiunt cæsij, id est glauci: ex quo videtur hoc non esse perpetuum in hoc genere, quemadmodum in humano; & ideo non posse negari, quin propter hoc solus homo habeat hanc varietatem. Possumus etiam dicere, & forte melius, glaucedinem in equis esse quandam exiguam nigredinem dilutam, non autem glaucedinem. Vel possumus dicere, hoc genus animalis maxime assimilari homini, vt etiam ipsum imaginatione, & phantasia, vt dicit Auic. tunc temporis solicitetur. Nam quicunque sunt versati in libris Arist. videbunt eum sæpe coniungere in multis equum, & hominem, veluti quando dicit femina, & equa abortiunt propter fœtorem lucernæ extinctæ; similiter quod homo, & equus canescunt; quod femina, & equa postquam conceperunt, patiuntur initi; ita vt non sit mirum, quod in varietate colorum oculorum equus nonnihil similitudinis gerat cum homine.

Responsio.

Signa crassefactionis albuginei.

Sequuntur signa horum affectuum, & primo sunt signa crassefactionis huius humoris. Dicit Galen. 1. de symp. caus. 2. quod in hoc vitio contingit, vt remota non videantur, & propinqua non recte videantur. Præterea si quis conspiciat, videbit nonnihil in pupilla crassitici apparere, quod [in]dicabit crassitiem humoris albuginei. Si crassities hæc augeatur, impeditur ex parte visus, vel impeditur totus: & quando totus impeditur, apparet quasi crassum velum ante pupillam. Si autem tota pupilla non cooperiatur, apparet fenestrari, & alia, de quibus in sequenti.

Signa tenuitatis.

Tenuitatis signa sunt, quod pupilla valde splendida apparet; adhæc visus diminuitur. Causæ vero, quæ præcesserunt hoc vitij genus, poterunt indicare, vt febres, euacuationes, & alia quæ solent extenuare, & exsiccare.

Signa humoris albug. aucti.

Si augeatur humor albugineus, cognoscetis, quia totus oculus augetur; adhæc scribit A'zarauius, quod qui aucto laborant hoc humore, melius vident propinqua, quam longinqua.

Imminuti.

Signa diminutionis sunt, quod diminuitur totus oculus, diminuitur quoque visio, atque inter alia signa sunt causæ, quæ præcesserunt exsiccatoriæ, ætas, vt si videatis senem laborare visu, atque imminutos esse oculos, intelligetis hoc mali genus oriri ex albuginei diminutione.

Obscurati.

Si obscuratur huiusmodi humor albugineus, cognoscitur, quia non apparet facies inspicientis in pupilla, ad hæc color etiam oculi permutatus est ad nigredinem, & obscuritatem. Similiter si mutatus sit color ad flauitiem, vel ad rubedinem, non facile potest dignosci oculis, sed dignoscitur eo, quod visa apparent colorata eodem colore, qui intus in oculis erit.

Hoc notare debetis, in ijs signis omnibus esse plane coniecturale, eo quod, vt dixi, hæc eadem vitia possunt oriri aliunde; licet autem sint coniecturalia, nihil tamen refert ad curationem, quoniam eadem curatio debetur, siue sit vitium in aqueo, siue in vitreo, siue in glaciali.

Prognost.

Signa prognostica harum affectionum sunt, quod omnia vitia albuginei facilius curantur, quam vitia aliorum humorum. Ratio est, quia hic humor sua natura magis passibilis est; præterea etiam magis expositus remedijs, ita vt facilius remedia ad ipsum sanandum peruehantur, quam ad alios; est tamen sciendum, quod inueterata hæc vitia, aut vt dicit Auenzoar, perfecta vel nunquam, vel difficilime sanantur; sanantur autem facilime ea omnia, quæ fiunt a copia, vel crassitie humorum. Rationem afferebat Galenus loco citato, quoniam facilius est consumere humiditatem exsuperantem, quam deficientem restaurare, & reficere.

An albug. imminutus curari possit.

Et dubitatio de diminutione huius humoris albuginei, an scilicet sit facilis curatu, nec ne. Nam non videtur posse diminutionem sanari auctoritate Aristotel. secundo, de gene. animal. 4. vbi dicit oculum, & cerebrum eiusdem generationis, & naturæ esse. Sed sic est; quod cerebrum est pars seminalis, & partes seminales non possunt restitui. Ergo non videtur, quod hic humor vnquam possit restitui; Tamen videmus experientiam aduersari huic sententiæ, quia videbitis interdum præ morbis oculos subsidere, ob exhaustum hunc humorem: videbitis item eosdem oculos eleuari, ob restauratum humorem albugineum. Nonnulli vt satisfacerent huic difficultati, possent dicere, humorem albugineum non esse partem seminalem, sed esse excrementum humoris crystallini, eo quod in lib. de anat. viuorũ sub Galen. nomine edito habetur, quod humor albugineus sit excrementum crystallini. Si est excrementum, ergo potest absumi. Sed inter multa absurda, quæ habet liber iste, istud non est infimum, ideo non est, quod curemus eius auctoritatem, quia dictus humor nullo modo est excrementum, sed generatur continuo ab humiditatibus a cerebro dimissis, vt generantur alij humores corporis a nutrimentis, & quod ita sit, apparet, quia vbi cerebrum humidissimum est, oculus est humidissimus, vbi cerebrum exsiccatur, oculus similiter exsiccatur; ita quod oculus omnino videatur sequi naturam cerebri.

Resolutio dubitationis.

Dicerem igitur, hunc humorem vel totum posse auferri, vel secundum partem; si totus auferatur, nunquam potest restitui. Ratio est, quia statim concidunt tunicæ, ita vt non sit amplius locus medicinæ. Si vero secundum partem tantum diminuatur, dico quod potest restitui eo modo, quo alij humores restituuntur quotidie, qui modo minuuntur, modo restituuntur.

Curatio huius humoris ad tria capita reducitur, vel ad simplicem humorum copiam, vel ad

humo-

Curatio huius humoris ex humorũ copia. humorum qualitatem, vel ad exsiccationem, & extenuationem. In copia humorũ hæc erit curationis ratio, quæ a nobis allata est in crassefactione spirituũ ex humore, vel ex spiritibus; vt sc. primo instituatur ea victus ratio, quam intellexistis, deinde diligẽter vacuetur corpus, tũ caput, per medicamenta, per nares, & os expurgetur, demum ad collyria desiccantia, & discutientia veniamus. In qua re debetis illud obseruare, vt medicamẽta adhibeatis ocularia vel ex solis succis, vel liquorib. vel ex pulueribus aromatum, vel ex pulueribus aromatum, & metallorum simul.

Metallica sola vt adhibeatis in hoc casu non facile indulgeo, eo quod non ita sunt necessaria, cum etiam aromata possint prestare beneficium; etenim sunt ea valde periculosa, quia sæpe exurunt tunicas, & consumunt. Similiter debebunt & omnia alia ad hunc finem tendere, vt exsiccent, & attenuent, propter quod iure Auic. in his casibus videtur commendasse, vt potius assati cibi, quam elixati exhibeantur.

Ex qualitate humorũ. Si sit vitium ex qualitatibus humorum, erunt purgandi humores medicamentis accommodatis, veluti si nigri humores faciant malum, purgandum erit corpus medicamentis euacuantibus bilem atram, in quo genere helleborus commendatur, non modo ore acceptus, verumetiam naribus attractus.

Similiter si bilis abundet, erit purgandum corpus prius medicamentis cholagogis: deinde erit bilis etiam purganda ex capite: & ego soleo modo puluerem Rhab. naribus infundere, modo rhab. decoctum: inueni quoque rhab. in succum redactum, & oculis extrinsecus applicatũ, omnes has tenebras ex humore bilioso discutere.

Sic quoque si pituita sit, quæ hunc humorem infestet, euacuabitur proprijs pharmacis, id est, phlegmagogis.

Ex siccitate. Ex aduerso malum si fiat ab exsiccatione, vel euacuatione, nutriendum est corpus o[illegible]mis cibis, humectantibus scilicet, ac probum sanguinem generantibus. Adhæc fomenta extrinseca, quæ humectent maxime, conueniunt, vt fomenta ex lacte, ex decocto meliloti, & maluæ. Sed *Insufflatio puerulorũ.* ego inueni experientia maxime reficere hunc humorem, si oculo subsidenti curetis a puerulo tenerrimo insufflari halitum: nam iste totus plenus est calido quodam humido tẽperato, quod quia amicum est oculis, facile viuificat oculos, facile etiam reficit humidum amissum.

Pro fine animaduertere debetis Auic. alioquin diligentissimum, omnes fere huiusmodi curationes omisisse: puto hac ratione ductum, quia vt mox declarabo, omnes fere huiusmodi curationes reducuntur ad vnum genus, vt quemadmodum didicistis curandas visus ægritudines in spiritibus, ob humores crassefactos, sic etiam putetis incedendum esse in curatione aliorum humorum, vel crassefactorum, vel ob abundantem humiditatem impeditorum. Imo scribit Auenz. lib. 1. tract. 8. cap. 13. Galenum dimisisse curationem huiusmodi ægritudinum, quæ non habent manifestas demonstrationes, propterea quod difficilimum est huiusmodi partium vsum, causas, & vitia ita exquisite dignoscere, quemadmodum est necesse.

Fiunt in hoc humore duo alia vitiorum genera, de quorum altero Græci parum meminerunt, de altero fusius tractarunt; vnum est, quod imagines apparentes ante oculos appellant: Alterum est suffusionum genus, quæ duo vitia, quoniam pulcherrimas, & difficilimas contemplationes habent, tractanda etiam aggrediemur.

CAPVT XXXIII.

De imaginibus.

Imagines, seu phantasmata quid. Circa albugineum humorem fit aliud vitij genus, quod Latini, & Arabes Medici vocarunt Imagines. Galen. de loc. aff. 2. & 1. de sympt. caus. 2. vocauit hunc morbum phantasmata.

In hac affectione hoc contingit, quod semper ante oculos videntur corpuscula quædam varia moueri, quæ vere apparent ante oculos. Dico varia simulachra apparere, quia interdum videbitis ægros accusare muscas, interdum cimices, nonnunquam capillos, sæpe etiam catenas, aut aliquid simile. Dico quoque has formas moueri, & volitare, vt distinguantur a suffusionibus, quia quæcunque in suffusionibus apparẽt, nunquam mouentur, sed semper firma manent. Dico vere apparere ante oculos hæc simulachra, vt distinguam a corrupta imaginatione, in qua interdum videntur, & accusantur hæ imagines, sed non vere apparent, quemadmodum contingit in phrenitide, & melancholia.

Sed dicet aliquis vestrum, quomodo dicis has formas moueri, quoniam Auic. 3. tertij tr. 4. c. 8. scribit, hunc morbum fieri ob stationem humoris; Igitur non ob motum. Dico stationem apud Auic. significare existentiam rerum, existentia porro dicitur tum de re, quæ mouetur, tum de ea, quæ immobilis est.

Genus symptomatis. Est hæc affectio inter symptomata læsæ actionis deprauatæ visoriæ; nam videntur ea, quæ videri non debent, vt iure visus deprauatus esse dicatur.

Morbus a quo depẽdet. Morbus, a quo dependent hæc symptomata, est morbus in via, & in numero: in via, quia ante foramen vueæ sunt corpora, quæ esse non deberent: in numero, quia adest materia, quæ adesse non deberet.

Locus affectus. De loco proprio, vbi fluunt hæc simulachra, non videtur inter omnes auctores constare.

Ego

Ego tamē existimo fuisse Gal. & Auic. in hac sententia, quod locus proprius sit inter corneam, & crystallinum humorem, ita scil. quod possint fieri, tum in ipso humore aqueo, tum etiam inter crystallinum, & corneam. Nec miremini Gal. 2. prognost. 24. ponere has imagines in ipso humore albugineo, quia loquitur eo loco solum de imaginibus, quæ fiunt ex indigestione.

An possunt istæ imagines esse etiam extra oculum in aere? Ego puto omnino nugas esse, quia si essent in aere, vel vere, essent, vel non; si vere essent in aere, non esset morbus, quia videre in aere imagines, quas alij non vident, proficiscitur ex bonitate visus, non autem ex vitio. Si vero apparerent, & non essent, hoc quidem esset potius vitium imaginatiuæ, corruptæ, non autem visus. Dico imaginatiuæ corruptę, quia multi sunt, qui ob timorem, cum habeant imaginatiuam corruptam, videntur sibi videre imagines, quæ non sunt.

Audietis sæpe aliquos, qui dum nocte ambulant, referunt se videre multas imagines; quod nō aliunde proficiscitur, nisi quia ob timorem imaginationem habent corruptam, ob q̄ corruptionem putant se videre, quæ non vident; & de hoc etiam, vt Medici poteritis reddere causam aliquorum, qui dicūt se nocte videre dęmones, dico vt Medici, q̄a secus est, loqui vt Christiani.

Hoc in loco volo vos pulcherrimum annotare, nescio an dicam errorem Arist. vos iudicabitis: latis est a nemine fuisse animaduersum. Arist. 3. meteor. tr. 15. refert in historia de Iride, historiam cuiusdam, qui continuo videbat suam imaginem, quę ex aduerso eum aspiciebat; reddens rationem huius philosophus, ait hoc fuisse ob debilitatem visus, quia radij eius cum essent debiles, non poterant permeare aerem, vnde ab aere reflexi reddebant imaginem: hoc quoq; confirmatum habetis apud Senecam 1. quæst. natural. c. 3. Sed sicuti cōcedo Aristoteli, & Senecæ, potuisse contingere, vt aliquis semper suam viderit imaginem, attamen non existimo hāc fuisse huius euentus rationem, atque ad hoc credendum duobus maximis argumentis impellor: vnum est; quod si ob debilitatem radiorum hoc contingere posset, quæro ab Arist. cur alij, qui laborant extrema debilitate visus, vt myopes, & nyctalopes, hoc non patiantur? deberent sane hoc etiam sustinere, si debilitas radiorum hoc efficeret. Sed hoc non videtur: Igitur non mihi consona videtur Arist. & Senecæ ratio. *Refutat.*

Accedit, & maius quia Arist. hoc in loco videtur desciscere a suo placito; nam peripateticum fuit dogma, quod visio fiat non per radiorum extramissionem. Sed cur Arist. hoc in loco a suo placito recedat, dicūt aliqui hoc fecisse, quia nihil refert. Sed Gal. 10. de vsu part. & 7. de plac. 5. demonstrat Arist. errasse, quia suppositum, quo probat Arist. hunc euentum aut est verum, aut non; si est verum, ergo est verum, quod dicunt Medici, visionem fieri per extramissionem si falsum, quomodo vult hunc euentum falso supposito probare? Quare mihi videtur, quod nos Medici possimus huius euentus meliorem rationem reddere, quam Aristot. idque possumus hoc ipso morbo, quem tractamus, demonstrare.

Galen. 1. de sympt. caus. 2. dicit, interdum contingere, vt ante pupillam humores consistant, circa albugineum, quos qui habent, vidētur videre imaginem: & aduertite quod Galenus hoc loco vtitur voce εἴδωλα, cum alias dicat φάντασμα, quasi in hoc casu illud, quod apparet, sit imago aliqua corporis. Galeni dicto hoc constituto, existimo eum, cuius meminere Arist. & Seneca, passum fuisse hunc morbum, quod scilicet haberet humores ante pupillam, qui referrent imagines: & illud hac cōiectura demonstro, quia si fuisset ratione aeris, prout aer magis, vel minus mutatur, sic debuisset illa imago mutari, quod quidem nō est necessarium, vbi qui in oculo portat causam illam, & imaginem. *Ratio auctoris. Prima.*

Quod si hoc non placet, possumus etiam hunc euentum alia ratione tueri, quod scilicet bonus ille vir corruptam imaginationem habebat, & imaginabatur id, quod non erat; Confirmare id licet ex Alexandro Aphrod. & Olympiodoro, qui eo in loco dixerunt hunc fuisse Antipherontem oretanum, cuius mentionem facit Arist. lib. de mem. & reminisc. erat ille insanus, quia imaginationem corruptam habebat; si enim quādoque videbat aliquem, existimabat se semper videre, & putabat se recordari, eo quod phantasmata præterita, & præsentia reputabat. Quod si talis erat, fieri potuit, vt ratione imaginationis corruptæ hoc contingeret, non autem, vt Arist. & Seneca dixerunt. Sunt igitur hæ imagines vapores concreti, seu humores existentes circa humorem albugineum. *Secunda.*

Sed circa hāc determinationē occurrit grauiss. & difficilis disputatio, quia Arist. 2. de anima, scribit, quod sensibile positum supra sensum, nō facit sensationem; quomodo ergo id, quod est intra ipsum sensorium, poterit videri? In hac dubitatione inuenio scriptorum diuersas esse sententias. Sed quæ magis validæ fuere, duæ sunt: vna est quod duplex est visio, vna perfecta, altera imperfecta: Imperfectam appellant, q̄ fit sine medio; perfectam, quæ fit cum medio. Dicunt isti, q̄n Arist. ait, quod sensibile positum supra sensum nō facit sensationem, intellexit de sensatione perfecta, in quo necessario requiritur medium, & imagines, quę videntur, non videntur perfecta visione, sed imperfecta ita vt nō sit mirum q̄d sensibile hoc positū supra sensum, videatur.

Hæc sententia duabus rationibus mihi probari non potest. 1. quia Arist. aperte profitetur, in omni visione quęcunque sit, requiri medium: Igitur hæc distinctio vana est, & nunquam ab Arist. excogitata. Altera ratio est, quia si hoc verū esset, possemus dicere, quod vuea tunica deberet cōspici, hac scilicet visione imperfecta. Sed clarum est, quod colores vueæ tunicæ a nemine videntur; Igitur insomnium est huius visionis imperfectæ.

Altera opinio est, quod duplex sit visio, altera per proprias imagines rerum, seu positiua, altera per imagines alienas, seu per priuationem. Vbi, dicunt isti, debent videri res per proprias imagines, *Altera opinio.*

gines, necessarium est medium: vbi autem res priuatiue seu per alienas imagines videndæ sunt, nõ est necessarium medium. Quomodo autem priuatiue videantur, declaro: quia vesicæ quæ sunt ante oculos, sunt peruiæ, vel non peruiæ: si sint peruiæ, videntur res externæ coloratæ colore illarum rerum: si non sint peruiæ, aut obturant totam pupillam, atque ita faciũt cæcitatem, aut obscurant partem, & qua parte obturant, cum res non videantur, præ se ferunt imaginem obscuritatis, & nigredinis, ita quod secundum istos, imagines, quæ videntur, nihil aliud sunt, quam partes illę rerum externarum, quę non conspiciuntur; quemadmodum dixerunt aliqui de maculis lunę, existimantes illas nihil aliud esse, quam partem lunæ, quæ non videtur.

Refutat. *1.* Hæc opinio plurimos fautores habet, & fere a maiori auctorum parte comprobata est: sed ego eos, vt damnem multis rationibus ducor. 1. quia si imagines essent partes rerum externarum, non visæ, sequeretur quod nunquam, vbi adsunt istæ imagines, res integræ viderẽtur; sed hoc falsum est, quia sæpe videbitis homines laborantes hisce apparitionibus, qui nihilominus *2.* res integras vidẽt. 2. ratio est, quia si hoc verum esset, sequeretur imagines formari secundum corpora externa: sed hoc experientia falsum probatur, quia apparent interdum cimices, interdum catenæ, interdum pili, quæ formæ, & figuræ multum abest, vt possint ita efformari a rebus externis. Tertia ratio est, quia si hoc ita esset, non videretur, quod ita crebro deberẽt permutari *3.* huiusmodi figurę, sicuti permutantur; quod si permutarentur, necessario quoque imagines rerum variæ apparerent, quia si catena apparet, eo quod pars rei non videatur, profecto deberet *4.* aliqua similis forma, aut non admodum dissimilis in re visa esse. Quarta ratio est, quia formæ huiusmodi semper deberent apparere nigræ, & obscuræ, vt sunt maculæ Lunæ: sed hoc falsum est, quia interdum cinereæ, & albicantes, sæpe nigricantes conspiciuntur.

Accedit his omnibus auctoritas Gal. qui in progn. scribens, in humore albugineo aliquibus fieri apparitiones suffusis similes, ita scribit: quod quando humidum atrum opponitur vel crassum, prohibens radios visibiles, quo minus exeant, ibi apparet imago secundum humidi consistentis materiam. Ex quibus verbis clare habetis, apud Gal. has imagines positiue, non priuatiue fieri ab humido consistente apud pupillam.

Resolutio auctoris. *Quatuor ad visionem requiruntur.* Quid igitur dicendum est in hac difficultate, quæ magna est, & quæ diu torsit multos Medicos? Tentabo sententiam meam in hac re explicare, quam vt certam habeatis, quatuor sunt mihi supponenda breuiter. 1. est, visionem, vt sæpe diximus, non solum fieri per receptionem specierum, vt crediderunt Peripatetici, sed fieri per extramissionem radiorum, seu spirituum, & per receptionem specierum medijs radijs. Alterũ est, quod radij isti visuales non solum referũt species ad humorem crystallinũ, sed etiam debẽt illustrari species a luce, si debet fieri visio. Hoc demonstro, quia si in tenebris quis aperiat oculos, radij visuales exeunt, & species, quæ sunt in aere, commiscentur radijs: sed cur non fit visio? quia species illæ non sunt a luce illustratæ, ita vt possit fieri visio. Tertium suppositum est, radios ipsos recta per pupillam a crystallino vsque ad corpora videnda ferri, quod luculentissime demonstratum habetis a Gal. 10. de vsu part. & 1. de plac. 5. Quartum, & vltimum suppositum est, non omnia corpora reddere de se species, sed tantum corpora terminata; quia quis est qui videat aerem, qui aer cum sit corpus interminatum, non facit species.

His positis dico breuiter, veram esse sententiam, quod res externæ positæ supra oculum non videntur, quia etsi species, seu radii visuales exeuntes a crystallino humore, attingunt speciem ipsius rei, quia tamen carent luce, species non sunt illustratæ, ideo nõ potest fieri visio; secus est de imaginib. quia imagines videntur, cum species ipsarum sint illustratæ a luce, nam si oculos claudant, qui laborat imaginibus, vel manum supra oculos ponat, nõ videbit has imagines, quia radii non sunt illustrati: vident vero apertis oculis, eo quod radii visuales exeuntes redeunt illustrati: Itaque vt referunt species extimas oblatas, sic quoque referunt species intimas receptas, cum sunt illustratæ; & hoc apparet, quia cum imaginibus videntur, & alię res, propterea, quod sicut radii illustrati referunt species extimas, ita, & internas sibi obiectas. Atque hæc tertii problematis reddi potest ratio.

Cur hę imagines nocte nõ videantur. Cum igitur imagines in oculo videantur, eo quod radii extima luce illustrati, dum redeunt, species existentes in oculo referunt ad crystallinũ, causa sciri potest multorum, quę circa hoc contingunt. 1. Cur huiusmodi imagines neque nocte, neque in aeris caligine inspiciantur: siquidem cum sint admodum pusillæ, opus habent multa luce, & quia nocte lux est admodum exigua, fit ut istæ imagines non videantur.

Cur vuea tunica non videatur. Potest quoque sciri, cur vuea non videatur: quia radii seu spiritus feruntur per foramẽ vueæ, neque vueam ipsam attingunt.

Accedit quod nulla in albugineo humore est vueæ species, vt possit reportari a radiis ad humorem crystallinum.

Cur cornea nõ videatur. Sic etiam intelligi potest a vobis, cur cornea non videatur, cum sit ante pupillam: quia s. est adeo subtile corpus, vt fere interminatum sit, iam autem dixi, species solum facere corpora terminata.

Aliud dubiũ resoluitur. Potestis etiam intelligere, & aliud, quod scilicet in summa luce, quando ante oculos ponuntur res nigræ, et virides, huiusmodi imagines non cõspiciũtur, sicuti quando oculos ad solem aut ad res albas cõuertitis: siquidem ex inspectione rerum obscurarum diminuitur lux, & radii non ita illuminantur, & cum illuminati non sint, non possunt referre speciem rerum existentium in oculo. Atque hactenus de causis imaginum.

Differen-

Differentia.

Differentiæ imaginum plurimæ ſunt, quia aliæ perpetuæ ſunt, hoc eſt, continuæ, aliæ autem interpolatæ: aliæ recentes, aliæ antiquæ: aliæ capillos referunt, aliæ muſcas, aut aliquam aliam figuram; aliæ ſunt nigræ, aliæ citrinæ; aliæ per eſſentiam in capite, aliç per conſenſum. Et notate, me dixiſſe per eſſentiam in capite, & non in oculo, propterea quod huiuſmodi imagines fieri nequaquam poſſunt eſſentiales in oculo, ſemper autem ad ipſum oculum mittitur materia.

Cauſæ Immediatæ.

Cauſæ materiales, & immediatæ ſunt vel vapor craſſus, vel humor, vt plurimum. Et notate me dicere, vt plurimum, propterea quod fiunt eæ imagines interdum a vaporib. ſubtilioribus, & hæ ſunt adeo læues, & momentaneæ, vt fere a Medicis non curentur. Dixi quoque, vt plurimum, quia Auicen. ſcribit, interdum obſcuriſſimas maculas eſſe in cornea, quæ faciunt imagines, tametſi ab alijs non videantur. Sed hoc licet ego fieri poſſe putem, exiſtimo tamen non eſſe adeo vitioſum, ſed potius moleſtiam parere, quam morbum.

Sunt itaque cauſæ immediatæ, & materiales, humor, & vapor craſſus, qui poſſunt eſſe varij, nam interdum bilioſi, interdum melancholici interdum ſanguinei, plerumque pituitoſi.

Inter eas cauſas videtur Auicen. & aliam poſuiſſe, ſcilicet intemperiem aliquam albuginei humoris.

Cauſæ mediatę.

Cauſæ porro mediatæ, & efficientes ſunt, caliditas capitis, iecoris, meſerçi, & hypochondriorum: adnumeratur ab Auicen. & acuitas viſus inter has cauſas, quia vt intellexiſtis, debetis ſcire nullum eſſe corpus adeo exquiſite ſanum, quin aliqui vapores tollantur ad caput, & oculos, verum aliquibus plus, aliquibus minus, alijs craſſiores, alijs ſubtiliores: ſed in omnibus, vt dixi, aliqui attolluntur, illi qui ſunt pauci, & ſubtiles, in paucis videntur, illi autem, qui ſunt craſſiores, & plures fere videntur ab omnibus, qui eos habent; qui autem ſunt pauci, & ſubtiles, videntur ab illis, qui pollent acumine viſus. Ita patet quomodo acuitas eſt cauſa: vt vapores illi videantur, cum iidem ab alijs non videantur, qui minori acie videndi ſunt præditi.

Acuitas viſus cauſa imag.

Cauſæ procatarcticæ variæ ſunt, æſtus aeris, vigiliæ, venus, ſtudia, venæ ſectio frequens: & videbitis multos, quibus ex ſola venæ ſectione frequenter obortæ ſunt imagines. Vomitus quoque inter has cauſas reponitur; nam Alex. 1. probl. 54 quærens, cur ſit quod aliquibus cum tuſſiunt, & vomunt, apparent ante oculos veluti ſydera? Inquit cauſam eſſe, quoniam in vomitu, & eniſu fit maxima interiorum viſcerum compreſſio, ex qua multi vapores mittuntur in oculos, qui prout varij ſunt varij quoque aſpectus, & colores apparent. Addatis vos, quia in vomitu ſæpius humores bilioſi reijciuntur, vnde fit, vt huiuſmodi humores bilioſi, & flaui referant imagines veluti aureas, quæ imagines referunt ſydera.

Signa.

Signa, quibus poſſitis cognoſcere hos affectus, non aliunde ſunt a nobis petenda, quam a relatione ægri; quocirca diligenter inueſtigandum apud ægros dum conqueruntur, quænam ſint huiuſmodi imagines, quales, quantæ, & quãdo appareant, & reliquas conditiones, quæ poſſunt deſcribere has imagines: nam poſtquam hæc cognoueritis ab ęgris, non erit arduum vobis intelligere, quę ſint ſpecies imaginum. Si enim habebitis perpetuas imagines, protinus colligatis eſſe ab humore: ſi vero neque continuæ ſint, neque periodicæ, ſed interdum abeant, interdum redeant, indicetis eſſe a vaporibus. Rurſum ſi ſint faciles, & tenues, ſic non vno modo, non vna figura, ſed ſub pluribus apparebunt. Adhæc ſi non videantur, quando non animaduertitur, & appoſitis rebus obſcuris ante oculos non apparent, ſignum eſt has imagines oriri ex acumine videndi. Si longo tempore appareant, & præceſſit vel ophthalmia, vel aliqua alia cauſa refrigerans aut calefaciens, argumento erit vobis, ab aliqua intemperie per conſenſum albuginei humoris oriri.

An ab acumine videndi.

Per conſenſum.

Quæ fiunt per conſenſum ab alijs partibus, & non per eſſentiam in capite, docet Galen. 4. de loc. affe. 1. & 2. de ſympt. cauſ. quomodo cognoſcendæ ſint, vbi ſcribit, quod ſi neque continuę, neque vniformes, atque in vtriſque oculis apparent, eſt ſignum eſſe per conſenſum alicuius partis inferioris. Sed quia poteſt fieri conſenſus vel a iecore, vel a ſtomacho, vel ab alijs partibus, hoc etiam cognoſcere vos oportet. Galen. & Auic. docent, quatuor ſigna, quibus cognoſcitur, an malum a ſtomacho ſit, quia ſi iſtæ imagines tunc magis manifeſtentur, quando eduntur cibi flatuoſi, & craſſi, vt allia, cæpe, porri, &c. ſignum eſt malum originem habere in ventriculo. Alterum ſignum eſt, ſi fiant hæ imagines, quando fit concoctio in ventriculo, & conſummata concoctione finiuntur: nam & hoc argumentum eſt clariſſimum, fieri a ventriculo. Tertium eſt, ſi appareant imagines, quando pleno ſtomacho fit motus intempeſtiuus, vel pleno ſtomacho balnea adhibentur, Indicium erit fieri a ventriculo. Quartum, & vltimum ſignum, quando hæ imagines fiunt cum vertigine, nauſea, vomitu, & deinde his finitis deſinunt etiam imagines. His ſignis patet an malum oriatur a ventriculo.

A ſtomacho.

Prognoſt.

1.

2.

3.

4.

Signa prognoſtica ſunt, quod iſtę imagines portendant Cataractas, & ſuffuſiones, atq; Galen. non modo intelligendus eſt de eſſentialibus, & humoralibus, verum etiam de iis, quę fiunt, & per conſenſum, & a vaporibus. Quod autem imagines humorales, & eſſentiales cõuertãtur in ſuffuſiones, ita clare conſtat, vt non egeat probatione. Quod vero, & illę q̃ ſunt a vaporibus, conuertantur interdum in ſuffuſiones, probatur, quia oculus cum ſit pars frigidiſſima, & humoribus plena, ſuo frigore etiam vapores in aquam conuertit, atque ſuffuſiones ita facit, quę fuit ſententia Gal. 4. de loc. aff. 1. & Auenz. lib. 1. trac. 8. c. 18. quo in loco dicit, in oculis idẽ euenire, quod contingit in balneis, in quibus vapores, qui ad tectum balneorũ feruntur, concreſcunt in aquam; ſic vapores peruenientes ad oculum, in aquã concreſcunt. Aduertite autẽ, hoc quidem contingere, non tamen perpetuo vt vapores in aquã conuertantur, & faciant ſuffuſiones.

Sed quæritis, a me quibus signis possitis cognoscere, quando illę imagines conuertendæ sint in cataractas, & quando non. Vnus Auicen. inter Medicos videtur hanc rem docuisse, qui nobis tria tradidit signa, quorum primum est, si per sex menses durauerint eæ imagines, nec visus offensus sit, nec oculus conturbatus. Ratio est, quia rarissime contingit, vt si imagines facere debeant cataractas, intra hoc tempus non faciant. Hoc signum acceptum est a Galen. 4. de loc. affect. 2. quanquam Galen. hoc explicate non doceat. Sed notare debetis, fuisse etiam aliquot Arabes, qui hoc tempus non sex mensibus determinarunt, sed quatuor, aliqui etiam duobus: & ego vidi duos, quibus subortæ sunt suffusiones secundo mense, postquam cœperunt apparere imagines.

Secundum signum allatum ab Auicen. est, si imagines modo redeant, modo abeant, modo minuantur, & semper tamen visio integra maneat: quoniam illud argumento est, eas imagines non esse finiendas in suffusionem. Ratio est, quia hæ fiunt ea vaporibus acribus, & tenuibus, quæ difficilime in aquas concrescunt.

Tertium signum est, si imagines sunt ea crassis vaporibus, & diu perdurent, neque tamen visum aut oculum vnquam offendant. Sed diceris, hoc signum videtur esse idem cum primo: Dico differre a primo in duobus: In vno quoniam in illo pręfinitum est tempus, in hoc nullum. In altero differunt, quoniam in primo non est timor futuræ suffusionis, in hoc postremo est, quia illæ imagines fiunt a vaporibus crassis.

Hæc sunt tria signa allata ab Auic. Sed addo ego quartum magis necessarium, & est, si istæ imagines referant vel culices, vel muscas, vel sint latæ, & nigræ, fere semper prædicant futuras suffusiones. Si autem sint capilliformes, vel sint veluti subtilissimæ quædam catenæ, aut circuli subtilissimi, istę vel nunquam, vel rarissime portendunt cataractas. Et præterquam quod in multis longa experientia id obseruauerim, habeo etiam rationem Cassij Medici, lib. probl. 9. Ille enim quærens, cur illis, quibus fiunt suffusiones, appareant ante oculos modo culices, modo muscæ, modo formicę: inquit esse, quia istis humor, qui ante oculos congregatur, coit, ex quo, cum visus penetrare nequeat, apparent tales imagines. Ex quo elicio, semper vbi apparent similes formæ, argumentum esse, iam vapores, & humores in vnum congregari, quod est principium suffusionis futurę.

Vbi vero capilli, & catenę apparent, indicium est vapores, & humores acutos, & tenuissimos esse, neque, vt prædicta, coire, aut congregari, ita, vt efficiant suffusiones. Igitur colligendum est vobis, præter alia signa hoc non infimum esse signum futurę suffusionis, quando hę imagines adsunt.

Curatio. *Victus ratio.*

Curatio imaginum duplex est: altera earum, quę cataractas futuras non portendunt: altera earum, quę futuras portendunt: vtraque tamen habent communem victus rationem, vt scilicet aer oĩs caliginosus, & crassus fugiatur, serenus vero, & lucidus eligatur. Similiter fugiatur sol, quantum fieri potest, & omnia quę instar solis caput calefacere, & perturbare possunt; pertinaciores frictiones capitis, lotiones quoq; si moderate fiant, & ab anterioribus ad posteriora, maxime conducunt; ita timor, cogitationes omnes profundæ, sunt vitandę, neque aliquid intente est inspiciendum, pręserti post cibum: Balnea, venus intempestiua maxime sunt fugienda: vitanda quoque est alui immoderata adstrictio, quoniam hęc non solum promouent, sed etiam de nouo efficiunt hunc morbum. Vina generosa, crassa, acria, maxime sunt abhorrenda. Et si fieri potest, prorsus a vino abstinendum erit, vel saltem interdum vino albo vtendum, puro, & tenuissimo: si vinum non placeat, licet vti aqua, cui incocta sint fœnic. euphrag. & chelid.

Potus.

Sed diceris, Rases, & Auic. damnant prorsus aquę potum. Dico quod potus immoderatus, & in illis, qui sunt inassueti, iure damnatur ab Auic. & Rase, quia ex immoderato potu aquę vitiatur ventriculi concoctio, qua vitiata suggeritur materia imaginibus.

An pisces obsint oculis.

Inter cibos sunt vitandi illi, qui crassi sunt, qui oculos, & caput tentant, vt legumina, caules, lactucæ, & quę solent caput, & oculos replere. Auic. 3. lib. dicit, pisces facere cęcitatem, & vbi tractat hos morbos scribit pisces maxime vitandos esse; id quod sequaces Auic. de omnibus piscibus intellexerunt; sed neque fuisse Auicen. mentem, neque veritatem, puto, quoniam inter pisces sunt saxatiles, littorales, qui possunt concedi, de quibus dicit Hipp. 2. de diæta, quod sunt leues, imo loco cit. Hippoc. loquens de piscibus dixit de sepijs solum, & polypodibus, qui oculos grauant, vnde solum oculis nocere pisces crassiores statuendum est.

Instituto hoc communi victu, attendendum est, an portendant futuram cataractam, an non: si non portendant, est tantum victus rationi studendum, & omittenda sanguinis euacuatio, dimittendus est vomitus, qui ab H p lib. de loc. in homine, vt oculis perniciosus, damnatur. Quod si etiam aliquid erit agendum, sufficiet vna vel altera in anno purgatio, & vsus alicuius collyrij, quod non possit oculos multum perturbare, cuiusmodi.

Collyrium ad imagines.

℞. Aq. fœniculi,
Chelidoniæ,
Euphragiæ an ℥. ij ß.
Fellis perdicis. ʒ. iij.
Croci ʒ ij
Tutiæ maior. ℥. ß. Macerentur omnia per tres dies, deinde per filtrum destillentur, atque hoc liquore vtamini.

Dicit Rases etiam maioranam solo odoratu caligines abolere: sed nisi malum augeatur, omnia remedia oculos perturbant, & potius instrumentum visus lędunt.

Si imagines aquam portendant, duplicem curationem habent. 1. vt auertatur humor fluens, quo minus possit morbus augeri. 2. vt materia, quæ iam ad oculos fluxit, & concrescere cœpit, omni studio dissoluatur, & exsiccetur. Primus scopus expletur, dicit Auic. purgando corpus, stomachum, & caput. Secundus exsiccando caput ipsum, & oculos. Igitur vt commode vtrique scopo satisfaciatis, erit primum lenienda aluus hoc pacto:

Leniens.

℞. Elect. lenit. ℥. j.
Elect. de psyllio ʒ. ij. M.

Lenita aluo, erunt deinde præparandi humores huiusmodi syrupo:

Præparans.

℞. Fol. maioranæ.
Chelidoniæ.
Euphrag. an. P. ß.
Sem. fænic. ʒ. ij.
Rad. rutæ ʒ. j. ß. f. decoct. f. a.
Deinde *℞. d. d. ℥. iij. ß.*
Oxym. simpl.
Syr. de stæch.
Syr. de duabus rad. an. ʒ. v. M. f. syrupus.

Postquam erunt præparati humores, & viæ apertæ, erit purgandum caput, & corpus, atque hoc poteritis facere caputpurgijs, pil. aureis, cocchijs, mezeræi, siue de cocco cnidio, nam pil. de mezeræo putantur euacuare aquam in quolibet membro. Itaque forma sit talis.

Pilulæ pro oculis.

℞. Pil. aurearum.
Cocchiarum an. ℈ ij.
Pil. de mezeræo. ℈. ß.
Pulu. fænic. gr. xv.
Cum oxymelle f. pilulæ v. & capiantur duabus horis ante lucem.

Sed dicetis, cur nullam facis sanguinis missionis mentionem? Quoniam, vt dicit Auic. multis perniciosa est sanguinis missio, nisi necessitas cogat: necessitas autem est, quando adest sanguinis plenitudo, vel sanguinis missio, nisi necessitas cogat: necessitas autẽ est, quando adest sanguinis plenitudo, vel sanguis admodum feruet, & præsertim in capite. Veteres incidebant arterias: nostris temporibus possumus vti applicatione hirudinum ad eas partes, vel scarificatione.

Postquam vniuersum corpus purgatum erit, accedendum ad ea, quæ magis immediate possunt & oculos, & caput expurgare, vt lotiones, caputpurgia, errhina, gargarismata, & masticatoria, quorum omnium, quoniam formas habuistis, ad eas vos remitto.

Num sternutatoria in affectibus oculorum conueniant.

Est dubitatio de sternutamentis, an ijs vti liceat. Ex vna parte est Hipp. qui in lib. de loc. in hom. ea laudat in affectibus oculorum, vbi dicit, quod ea, quæ per nares purgant, maxime conferunt affectibus oculorum. Ex altera parte non videtur admodum tutum hoc remedij genus, quia attrahit a capite ad oculos. Accedit & auctoritas Auicen. qui scribit, quod sternutatoria iuuant in curandis imaginibus, quatenus purgant caput, nocent, quatenus mouent humores, & ita possunt facere descensum aquæ.

Pro statuenda hac re tria dico: vnum quod medicamenta, quæ per sternutationem euacuãt, vel possunt esse fortia, vel debilia: si sunt fortia, non conueniunt, si debilia, conueniunt, quia dicit Hipp. quod fortia purgant caput, debilia purgant oculos solum.

Alterum est, quod vbi adhibenda sunt sternutamenta, videndum est, an caput sit exquisite purgatum, an minus: si sit purgatum, possumus tuto vti sternutamentis debilibus: si vero non sit exquisite caput purgatum, nullo modo conueniunt, quia a capite pleno facile possunt retrahi humores ad oculos.

Tertium est, quod possumus purgare humores per nares, licet sternutamentum non excitemus: nam sunt medicamenta, quæ naribus infusa hoc efficere possunt, vt succus maioranæ, fœniculi, rad. betæ, qui omnes per nares calidi tracti, purgant oculos mirifice, nec lædunt.

Topicorum medicamentorum usus.

Postquam caput, & oculi erunt exacte purgati, deueniendum ad localia medicamenta, quæ tres conditiones habere debent, vt abstergant, exsiccent, & modice penetrent. Pro localibus Hipp. lib. de loc. in hom. visus est laudare, quæ lachrymas concitant, vt cæpas, & allia. Sed caute, & prudenter intelligenda est Hippoc. sententia, propterea quod, vbi Hippoc. ea laudat. dicit id agendum, si veluti capilli in oculis currant, quo ænigmatice voluit significare, tum lachrymas esse excutiendas, si humor, qui oculos infestat, sit crassior, & terrestrior: iam vero humor, qui facit has imagines non est talis, & propterea vitanda sunt ea medicamenta, quæ possunt lachrymas ciere. Et vt habeatis formam aliquam medicamentorum extrinsecorum, dabo vobis duas:

Collyrium humidum.

℞. Fellis hircini ʒ. j.
Succi maior. ʒ. j. ß.
Antimonij.
Croci an. ʒ. ij.
Gummi ʒ j.
Vrinæ pueri impolluti q. s. fiat collyrium. f. a.

Collyrium siccum.

Alterum quod est aridum, vocatur ab Arabibus Alcocol, liquida vero sief.

℞. Tuthiæ nouies ignitæ, & in succo chelid. extinctæ ʒ. ij.
Aloes hepaticæ.

Crocian ʒ.j.
Piperis albi ʒ.ß.
Marchesitę ℈.j. f. puluis subtiliss. & leuigetur.

Cauterium. Superest inter medicamenta vnum, quod solet esse in vsu apud omnes practicantes, scilicet Cauterium, de quo non possum negare, quin maximam afferat vtilitatem ad præseruandum a suffusione. Sed de loco duo notate: primum quod vbi suffusio timetur propter humorē, cauterium solum iuuare potest, quod fit in nucha, quia humores, qui fluunt ad oculos, per eam partem tanquam per aquæductum expurgantur: ideo ego consulo, vt frequenter hoc remedij genus vsurpetis.

Aliud est, quod, periculo imminente a vaporibus, qui continuo ab inferioribus ascēdunt ad superiora, cauterium in sutura coronali laudo. Sed circa hoc cauterium adhuc duo notanda sunt. vnum est, quod ex hoc cauterio nunquam speretis euacuandam esse materiam, quæ detinetur inter cranium: quia si hæc materia euacuanda est per hanc partem, deberet, quæ natura sua deorsum fertur, contra naturam sursum ferri, quod videtur esse impossibile. Alia ratio, quia si humor intra cranium esset euacuandus per hoc foramen, esset necessarium, vt cranium penetraret humor. Itaque humor intra cranium non potest per hoc foramen euacuari, sed solum vapores, qui sursum tendunt. Alterum est, vt quantum fieri possit, vitetis hoc genus remedij tempore hyemis, quia nostis quanto studio quodlibet vel minimum capitis malum, ab aere sit tuendum.

CAPVT XXXIV.

De suffusione.

Nomen. POst imagines solet alius morbus sequi, Græcis ὑπόχυμα dictus, Hipp. & Gal. vocant ὑπόχυσιν. Latini suffusionem, barbari Medici interdum cataractam, interdum aquæ descensum. Veteres existimarunt glaucoma, & suffusionem idem esse, sed non parum differunt, quia glaucoma est affectus humoris crystallini, suffusio vero est concretio humoris extranei ante pupillam; ob quam concretionem visus impeditur, aut aboletur.

Ex quo clarum est hunc affectum esse symptoma, in genere actionis visoriæ ablatę. Morbus, a quo dependet, vt dicit Gal. 4. meth. 13. est morbus in via, & in numero.

Genus symptomatis. Morbus, a quo depēdet. Locus affectus. Galeni opinio. Auic. Ceterum de loco vbi hic morbus positus sit, inuenio diuersos medicinæ scriptores, imo diuersus est sibi Gal. Is enim lib. de oculis, si tamen ipsius sit, voluit hoc morbi genus positum esse inter humorem crystallinum, & vueam tunicam, id quod etiam videtur sensisse 1. prog. 24. vbi scribit, fieri suffusiones circa humorem albugineum. Hanc sentētiam inter Arabes secuti sunt Alzarauius, & Haliabbas. Ceterum idem Gal. 10. de vsu part. 1. aliam sententiā videtur habuisse, ait enim suffusionis locum esse inter crystallinum, & corneam tunicam. Quam sententiam mutuati sunt fere omnes Græci, & præsertim Paulus, Aetius, Actuarius. Auic. diuersus ab his fuit, qui in 3. tertij, vbi agit de aquæ descensu, ait effici hunc morbum inter albugineū Syphac, & corneam. Fuerunt quoque ex Arabibus, qui existimarunt fieri inter vueam, & corneam.

Ceterum Celsus inter omnes aliam sententiam habuit lib. 7. cap. 7. vbi ait, suffusionem fieri post duas tunicas, scilicet post corneam, & vueam, ea in parte, in qua spacium quoddam intercedit inter aqueum humorem, & corneum. Quæ etiam sententia potest videri fuisse Galen. loc. progn. citato.

Definitio. Auctoris sententia. Hæc res dubia est inter scriptores, sed vt breuiter intelligatis, videndum est, quæ sit natura suffusionis: nihil enim aliud est, nisi humor quidam, & vapor concretus, & condensatus ante pupillam seu humorem crystallinum. Igitur vbicunque potest hic humor concrescere, putādum est totum eum locū posse esse subiectum eius morbi: iam vero totum illud spaciū, quod intercedit inter crystallinum, & corneam, tale est, in quo scilicet potest concrescere hæc materia. Igitur videtur totum hoc spacium esse locus suffusionis: non quod semper in toto hoc spacio fiat, sed quod modo in hac, modo in illa parte, id quod optime videns diuinus Galen. & eius sequaces Græci, dixerunt fieri suffusionem inter crystallinum, & corneam, quia in qualibet parte huius spacij potest consistere hic morbus: sed quanquam hoc verum sit, est tamen nō modica differentia, quia in vna parte frequentius, in altera rarius efficitur, frequētius efficitur suffusio post duas tunicas, circa humorem albugineum: quam frequentiam videntes Gal. 1. progn. & Celsus, dixerunt fieri circa albugineum humorem in eo spacio: nam præterquam quod fiant frequentius in hac parte, est & aliud, quia huiusmodi suffusiones sunt omnium facilime curatu per Chirurgiam, de quibus loquebatur Celsus.

Vnde non possum satis mirari Arabes, qui dixerunt fieri suffusionem inter tunicam vueam, & corneam, quia licet fiat, fit tamē rarissime, & est omnium difficilima curatu per chirurgiam. Hæc igitur sit constans veritas, quod suffusiones fiant inter crystallinum, & corneam frequentissime statim post vueam, raro inter vueam, & corneam.

Sed dicet aliquis, qua via potest in oculo hic humor concrescere? de vaporibus non est dubium, quia apertum est per venas, & arterias humores mitti ad oculum. Dico ego tres esse vias, per quas vapores, aut humores in hanc partem decurrunt. 1. nerui optici. 2. est vuea tunica,

a qua transfudant huiusmodi humores. 3. sunt venæ omnium tunicarum, ita quod ab his omnibus partibus modo transmittuntur, modo refudant humores in has partes, vbi fit suffusio.

Caussę. Internę. Remotę.

Causæ huius morbi sunt intemperies frigida, & humida oculorum, ob quam humores congregantur in oculis, & vapores, qui ad ipsos mittuntur, concrescunt, & condensantur, sunt etiã humores concreti in ea parte. Hæ sunt causæ internę; quę vero remotiores sunt, est aer frigidus & humidus, crassus, percussiones capitis, & pięlettim oculorum, prominentia ipsorum, imagines, & causę omnes, quę faciunt imagines.

Cur eminentia oculorũ recenseãtur inter causas suffusionis.

Cur autem eminentia oculorum recenseatur inter causas suffusionis, ratio est Aetij libro 6 capitu: 9. vbi ex Galen. & Rufi sententia scribit, melancholicos habere oculos prominentes, propter crassitiem spirituum, quasi semper ad extuberantiam oculorum sequantur spiritus crassi: iam vero vbi sunt spiritus crassi, propter humores admissos spiritibus, difficile non est dari occasiunem gignendis suffusionibus. Est & alia ratio, quam videtur cognouisse Aristot. 5. de gen. animal. 1. vbi scribit, eos qui habent oculos prominentes esse debilis visus, quia in magno spacio virtus distributa fit infirmior: igitur possumus etiam dicere, quod in magnis oculis, & prominentibus recipiuntur facile vapores, tum intrinsecus, tum extrinsecus. dicit enim idem Aristo. 30. part. probl. huiusmodi oculos prominentes facile offendi, quia expositi sunt externis iniurijs.

Occasione huius rei volo vos docere problema, quod nemo, quod sciã, adhuc excogitauit, cur inter bruta animalia dictum sit de solis capris, quod suffusionem patiantur? Nam in eo lib. qui Medicus inscriptus est sub Gal. nomine, & est pulcherrimus liber, habetur remedium deponendi suffusionem acu, vt intelligetis suo loco, inuentum esse a capris, quia quędam capræ interdum suffusionem patientes, cum casu percussę essent iunco in oculo, curabantur suffusione. Causa igitur huius rei potest secundum Medicos esse duplex, primo magnitudo oculi caprarũ nam dicit Arist. oculos caprinos habere tres conditiones, quod sint magni, quod sint albicãtes & acute videntes. Ratione igitur magnitudinis possumus dicere hęc animalia facile offendi a causis externis. Sed melior responsio est hęc, quę habetur ex Hipp. lib. de morbo sacro, cũ scribit caprinum genus obnoxium esse epilepsię, eo quod habeant cerebrum humidissimum, & plenũ sudore. Probat hoc Hipp. quia si mortua capra secetur, apparet eius cerebrum humore, & muco plenum. Cum igitur ita sit, facile fit, vt humores nimij in capite redũdantes ad oculos decurrant, quę reuera causa est, cur homo omnium maxime capiatur hoc morbo suffusionis oculorum, quia cerebrum eius est omnium humidissimum.

Cur homo suffusioni obnoxius.

Differentię. A substãtia. A quantitate.

Differentię suffusionis capiuntur a 5. aut 6. prędicamentis, a substantia primo, quia alia suffusio apud scriptores dicitur tenuis, quia nõ a toto aufert visũ, alia dicitur crassa, quę ex toto visũ aufert. Secunda a quantitate, aliæ. n. sunt magnæ, ita vt totam pupillam obnubilent, aliæ paruæ quæ totam pupillam non obnubilant, Rursus paruæ vel sunt in medio, atq; faciunt omnia fene strata apparere, aut sunt a latere, aut sursum, aut deorsum, & quia paruæ sunt, faciunt, vt res non videantur. Tertio a qualitate, quia aliæ suffusiones sunt nigricantes, aliæ albicantes: nigricantiũ aliæ plumbeæ, aliæ violaceæ: Albicantium alię cinereæ, alię aereę, alię gypseæ, aliæ argenteæ, seu vt Græci dicunt, alię aera, aliæ vitrum referunt, aliæ cæruleum, aliæ glaucum colorem.

A qualitate.

A situ. Ab habitu. A tempore.

Quarto a situ, quoniam aliæ sunt intimiores, & in ipso humore albugineo fiunt, qui est intimior, aliæ extimæ, & quæ positæ sunt inter vueam, & corneam.

Quinto ab habitu, quoniam aliæ curabiles dicuntur, aliæ incurabiles.

Sexto a tẽpore, quoniam dicimus alias esse recentes, alias autem antiquas, & consummatas.

Percontabitur aliquis, an dentur citrinæ, & rubeæ? Dico vel nunquam, vel raro id fieri, rubeę quidem non fiunt, quia hic color est sanguinis soboles: sanguis autem vel non congregatur in hoc loco, vel si congregatur, putrescit, si putrescit, aut fit vlcus, non suffusio, aut in pus conuertitur, & fit aliud genus morbi, quam sit suffusio. At si velimus hoc genus appellare suffusionem, non erit rubra, sed alba.

Humor citrinus raro fit, quia propter sui tenuitatem non potest in hoc loco concrescere. Dico raro, quia interdum etiam fiunt citrinæ suffusiones, & sunt illę, quas dicit Celsus similes esse auro, seu colori auri. Idem dico de humore melancholico, qui duabus de causis non potest facile concrescere in hac parte. Primo, quia est crassus. Secundo, quia humor hic depellitur a naturę prouidẽtia ab omnibus nobilissimis partibus, vt est oculus. Igitur remanet, vt vel pituita sola, vt frequenter accidit, vel commixta cum alijs humoribus, hos morbos faciat, & inde sequatur, etiam colores sæpe propius tendere ad albedinem.

Signa.

Signorum, quę suffusiones indicant quatuor apud Medicos inueniuntur genera: alia namq; sunt, quę futuram suffusionem indicant, alia quę pręsentem: alia sunt distinctiua: alia prognostica. Quę futuram suffusionem demonstrãt, sunt imagines, de quibus tractauimus, cum apparent muscę, formicę, dum nebulę obseruantur oculis, & iris conspicitur ante lucernam. Quę signa quatuor conditiones habere debent, vt ait Gal. 1. de symp. caus. 2. 1. est, vt sint continua. Altera, vt sint recentia, id est, quę non pręterierint sextum mensem 3. vt in altero tantum oculo appareant. 4. & vltima, vt ab ea die, qua cœperunt hęc signa, semper oculus fuerit lęsus, & visio quoq; aliquantisper impedita. Sed quandoque contingit, vt fiant suffusiones ex pręcedentibus imaginibus, licet nulla harum conditionum inueniatur, vt quę fit ob causam antecedentem, & potius externam, vt sunt qui suffusiones incurrunt ex percussionibus oculorum, & capitis, aut ex nimio capitus incendio.

Futuræ suffusionis.

Præsentis. Signa quę pręsentem incidant, sunt apparitiones veluti veli ante pupillam, apparitio turbationis oculi, visus amissio, pupillę ad albedinem, vel alium colorem mutatio: ad hęc si inspiciatur pupilla, & non appareat in ipsa imago inspicientis,

Suffusio differt a glaucomate. Signa distinctiua sunt; quod suffusio a glaucomate, vt dicit Aetius distinguitur, quia in glaucomate nulla lux, ne exigua quidem, uidetur, in suffusione uidetur lux, seu modica, seu multa.

A caligine. Distinguitur a caligine, quia fit vt plurimum in senescentibus, & est corneę tunicę crassities.

A nebula. Distinguitur a nebula, quę fit in cornea ex humore adhęrente ipsi, quoniã vt dicit Gal. lib. de oculis cap. 6. in nubecula res uidentur ueluti per uelum, & fumum: in suffusione nullo modo videntur. Deinde in nubecula res uidentur eo colore, cuius est humor adhęrescens tunicę, in suffusione nequaquam.

Ab albugine. Distinguitur ab albugine, quia in eo, ut in glaucomate, non uidetur lux: adhęc uitiũ apparet in extima corneę superficie, in suffusione uitium apparet intimius, & semper lux uidetur.

Prognost. Curabiles quę. Signa prognostica luculenter explicata sunt a Celso lib. 6. ubi de suffusione agit, & septimo, ait enim libro sexto, quod suffusio circa initia dissipatur certis quibusdã obseruationibus, quod etiam sensit Galenus 14. meth. in fine. Lib. uero 7. idem Celsus scribit, quod si suffusio sit exigua immobilis, colorẽ uero habeat marinę aquę, uel ferri nitentis, & a latere sensum aliquem fulgoris reddat, spes superest ipsum curari posse. Si uero suffusio magna sit, si nigra pars oculi amissa naturali figura in aliam uertitur, si suffusioni color cęruleus, uel auro similis sit, si labat, atque huc atque illuc moueatur, uix unquam succurri potest. Eo magis grauis redditur morbus, si factus sit ex grauiori morbo, vel ex aliqua graui plaga capitis, oculi: Præterea dicit idem, non idonee curari posse senes, quia sine nouo vitio habent acumen videndi satis infirmum: similiter ait pueros curatu difficiles: curari facile, qui in media sunt ætate.

Possumus quoque de suffusionibus hæc iudicia facere, si sint recentes, curari posse, si vero antiquæ, & consummatæ, aut nunquam curantur, vel solum curantur aut deponendo, aut cauterio, vt voluerunt antiqui Chirurgi. Dicit Rases difficulter curari eas suffusiones, quæ fiunt a crasso, & viscido humore, facilius, quæ a tenui & subtili, quæ citrini sunt coloris. Vt vero possitis cognoscere, quæ suffusiones curabiles sunt depositione, & quę nõ: sunt quædam signa apud Hal. Paulum, & Aetium, & sunt, quæ hæ suffusiones possunt deponi, quæ colorem habent vel plumbeum, vel ferreum, vel cęruleum, & quę si premantur leuiter digitis, dilatãtur, & non recurrunt, & in quibus, si claudatur alter oculus, alterius pupilla dilatatur. Contra non possunt curari, vt ait Aetius, quarum calor glaucus est, vel vt ait Paulus, gypseus, aut grandini similis, vnde dicit Hipp. 2. prorrh. eas pupillas esse malas, quæ colorem habent vel glaucum, vel argenteum, vel cæruleum. Addunt Arabes difficulter curari eas, quarum color viridis est, & quæ si digitis premantur, non dilatantur, & si alter oculus claudatur, alterius pupilla non dilatatur.

Celsi locus corruptus. Est contradictio inter Paulum, & Celsum, quia Celsus aperte ponit, cæruleas suffusiones inter eas, quæ curari non possunt, Paulus autem easdem ponit inter curabiles. Pro qua soluenda non habeo, quod possim dicere, nisi locum Celsi esse corruptum; ad quod existimãdum tribus rationibus ducor. Prima, quia omnes scriptores Medici, cæruleas curabiles faciunt. Altera, quia Celsus, quando enumerat paulo ante signa suffusionum curabilium, ait, curabiles esse, quæ colorem aquæ marinæ referunt: iam vero color cæruleus, & aquæ marinę idem est, vnde si cæruleum poneret inter incurabiles sibi contradiceret. Tertia ratio est, quia si phrasin Celsi animaduertamus, cæruleus non debet esse ab auro valde dissentaneus apud ipsum, vnde necesse est dicamus, vel apud Celsum cæruleum significare aliud, nimirum propinquum auro, vel loco cærulei legendum cerei, nam cereus est valde propinquus colori auri.

Curatio. Curatio suffusionum alia est earum, quæ fieri incipiunt, alia earum quæ iam factæ sunt. De primis a nobis curatio instituetur, in qua duo se statim offerunt scopi: Primus, vt materia fluxa ad oculũ auertatur, & vt ea, quæ iam fluxit, & cõgregata est, dissipetur. Primus scopus impletur ratione victus, & diuersorijs medicamentis, deinde discutientibus, & attenuantibus. Atque hoc est, quod Mesues dicit fieri diæta, & localib. medicamẽtis. Imo Auic. ait se nouisse sapientes aliquos, qui sola victus ratione, & nonnullis medicamentis visum pene amissum recuperarunt.

Diæta. Victus igitur debet esse, vt monet Celsus, qui pituitam extenuet, & exsiccat; ideo eligẽdus est aer calidus, & siccus, somnus moderato minor esse debet, assiduæ frictiones, moderatæ exercitationes, & præsertim partium inferiorum at motus vehementis ablegandi, vt ira, timor, profundæ imaginationes, aluus liquida seruanda vel clystere, vel brodiis. Cibus debet esse panis fermentatus, cõditus fœniculo, vel aniso, carnes auiũ assatę, & pręcipue rapacium sallamenta subtilia, vt sardę, cappares, pisces lacustres, & palustres vitandi, similiter legumina oĩa, & lagana, & omnia, quę vapores, & crassos succos gignunt. Ex herbis vtilis est satureia, hyssopus, betonica, fœnic. maior. salu a. Hipp 5. & 7. epid. & Arist. ipsum secutus 20. & 30. probl. lect. origanum tanquam oculis inimicissimum damnarunt. Laudat Mesue pullos assatos, de elixatis carnibus duo dicit, vnum quod raro sunt in vsu. Alterum quod elixentur cum rapis, de quibus ait, mirificam illis inesse vim ad iuuendos oculos. Debetis semper obseruare, vt parcius cœnent, quod fuit pręceptum Auenz. A vino abstinendum, vel vtendum albo, paucifero, tenui, cui immacerata sit aliqua herba ex superioribus.

Venę sectio. Post victum traditum veniendum est ad purgationem humorum eorum, qui sunt in corpore, & in capite, omnes fere volunt inchoandam euacuationem a sanguinis missione; & pręser-

tim

tim Auenz.qui ait ſtatim phlebotomandum eſſe;niſi aluus ſit ſtyptica, in quo caſu ſemper primo lenienda eſt aluus.

Locus miſſionis ſanguinis.

De loco miſſionis ſanguinis videtur controuerſia inter Medicos: Nam Celſus lib.6.cap.6.citra vllum diſcrimen dicit mittendum eſſe ſanguinem ex fronte,vel naribus,atq;venas eſſe vrendas in temporibus. Aetius autem,& Paulus volũt ex cubito detrahi. Vt autem vos reſoluti ſitis, debetis ſtatim cogitare,an corpus plenum ſit,an nõ ſit plenitudo totius;ſi totum plenum, mittendus eſt ſanguis a cubito,quia hoc eſt præceptum Gal.vt nunquam a perticulari loco ſanguinem ducamus,niſi prius tollatur plenitudo miſſione e vena communi. Soluta hac plenitudine veniendum eſt ad miſſionem vel a fronte,vel a naribus,vel a venis poſt aures, quod fit interdũ cucurbitulis ſcarificatis,interdum hirudinibus,interdum etiam ſectione.

Quod ſi plenitudo non ſit,ſtatim deueniendum eſt ad ducendum ſanguinem a fronte, vel ab alia parte oculis propinqua. Solent quoque ſæpe Medici ſcauteria fieri in parte capitis poſteriori,quod non damno,imo laudo,vt ſcilicet ſtatim fiant poſt primam purgationem, quia hæc remedia in his caſibus,non ſunt tardanda,ſed quamprimum adhibenda.

Humores erunt poſtmodum purgandi ſequenti potione. Sed primo pręparandi hoc modo.

Pręparans.

℞.Fol.ſatur.
Chelid.
Maior.
Beton an.M.ß.
Fol.rutæ.℈.ij.f.decoct ſ.a.deinde facta colatura.
℞.d.d.℥.iiij.
Oxym.comp.
Syr.de beton.
De quinque rad an.ʒ.vj.M.& f.ſyrupus.

Præterea ſtatim erunt expurgandi, circa quod duo notanda ſunt. Primum, vt non vtamini medicamentis lenibus,ſed grauioribus,non enim ſunt purganda corpora ſola hiera. Sed hiera cum colocynth.& fœnic.Et aduertite addi fœniculũ,quia medicamenta purgantia oculos,debent ſemper habere aliquid admixtum,quod proprietate perducat ad oculos ex.gr.

Purgantes pilulę.

℞.Specierum hiera colocynth.
Spec.hiera Pachij an.ʒ.ij.
Pulu.fænic.℈.j.M.& cum oxymelle ſcil.f.pilulę.v. hæ optime expurgabunt corpus,caput, & oculos.

Secundum obſeruandum eſt,vt quantum fieri poteſt, caueatur vomitus, quia licet Arabes quidam laudent vomitum,vbi ſit malũ a ſtomacho, Antyllus tamen apud Oribaſium damnauit vomitum omnibus caſibus,& ego damno,& noui al.quos ſuffuſiones incurriſſe ex ſolo vomitu.

Vomitus.

Purgato corpore veniendum eſt ad medicamenta extenuantia,inter quæ maxime conducit decoctum ſalſæ parilliæ,hoc modo.

Decocti ſalſæ parillia vſus.

℞.Aq.chelid.
Euphrag.
Fænic.an.lib.iii.
Salſa parillia.℥.vj.
Macerentur per 12. horas, deinde bulliant ad conſumptionem medietatis, & in fine addatur ad bulliendum ſem.fænic.ſem. rutæ.an. ℥. ß. Deinde coletur & ſeruetur pro ſyrupo cuius ſyrupi capiuntur mane ℥. viij.& totidem veſperi,curaturque,vt ſecundum morem æger ludet,atque interim vtatur ſolo pane cum fœnic.& carnibus auium aſſatis. Experiemini poſt purgationes; ſi hoc decocto vtamini per 20.aut 25.dies,quod ſuffuſiones diſſipabuntur, & ſi non diſſipentur, non alia eſt ſpes, niſi in depoſitione.Quo tempore æger vtetur decocto hoc,maxime conducet,vt medicamentis vtatur aliquibus,quæ caput per nares, & palatum expurgent, deinde ad localia deueniendum. Sed aduertite Gale.4. de comp. ſec. loc.4. dixiſſe medicamenta localia pro ſuffuſionibus multa quidem bona polliceri,ſed vel exigua,vel nulla auxilia præſtare,eo magis debetis putare, hoc ita eſſe,ſi malum ſit inueteratum,quo tempore potius abſtinendum eſt a localibus, quam ſecus,quia ſi ſuffuſiones confirmatæ irritentur medicamentis,præterquam, quod nullum cõmodum faciunt,prohibent etiam quo minus poſſint perfecte,& commode deponi.

Forma remedij pro ſuffuſione.

Ex localibus Auenzoar commẽdauit,vt oculi aperti detineantur ſupra decoctum Croci,ita vt fumus oculos tangat,& afficiat,quod remedium valet, quia Crocus facultate ſua viſum cõſolatur,vapores croci nebulas diſcutiunt.Soleo in ſuffuſionibus curabilibus per medicamenta vti remedio,quod Gal.Prothens appellatum eſt 4.de comp.ſec.loc.7.dum eſſem Romæ feliciſſime vſus ſum eodem. Aliud quo ſoleo vti eſt hoc.

℞.Aq.chelid.
Fænic.
Rutæ an.℥.ij.
Fellis galli.
Fellis hircini an.ʒ.iij.M.ad lentum ignem,deinde adde.
Mellis ℥.ß.
Myrrha.

Croci, an. ʒ.j ß.
Aeris vsti & loti.
Antimonij vsti & loti, an. ʒ.j
Gummatis ʒ.ij ponantur omnia in vase vitreo bene obturato, & detineantur per tres dies, & per tres noctes in fimo calente.

Vsus est, vt gutta super pupillam singulo mane, & vesperi ante cibum ponantur. Sed quoniam hoc medicamentum acre est, & sæpe dolorem excitat, soleo mulcere dolorem lactis vsu, vt oculus, si dolor sit magnus, foueatur, nam medicamenta quæ panos, & suffusiones discutiunt necessario mordicant, alioquin sunt inutilia.

Fel viperæ.

Est dubium de felle viperæ, an vsus huius conueniat, ratio est, quia Auicenna, & eius sequaces hoc commendant, & dicunt venenum eius non nocere; multi post Auicennam, testati sunt, se expertos esse, quod hoc venenum noceat. Alij diligentiores, vt vtrasque has partes conciliarent, dixerunt vtendum quidem esse, sed prudenter, & seruatis quibusdam conditionibus, sunt autem hæ, Prima, vt fel sit eius viperæ, quæ exhibetur leprosis, quod non est admodum venenosum. Secunda, vt corpus sit optime expurgatum, atque in ætate consistenti positum. 3. vt tunicæ oculorum non sint debiles, neque etiam facile patiantur, 4. vt oculus nullam aliam alterationem sustineat. 5 vt æger non sit famelicus, quia corpore famelico venenum fellis attrahitur ab oculo. 6. vt quando administratur fel, æger os habeat aqua plenum, quia aqua ore detenta, frigore repellit vim veneni. Septima, vt æger ante vsum fellis vsus sit medicamentis, seu antidotis theriacalibus; hoc facto erit totus vsus huius medicamenti.

Ego vero consulo, vt non solum in hoc genere medicamenti, verum in alijs omnibus, vbi periculum imminet, & liceat vti alijs sine periculo, potius amplectamini medicamenta licet leuiora, sine periculo, quam grauiora, & periculosa, dicit enim Celsus lib. 3. c. 4. & ex sententia Asclepiadis, quod medicatio debet esse cita, iucunda, & tuta.

Si suffusio sit confirmata, ita vt nulla spes sit in medicamentis, duo remedia supersunt. 1. Cauterium, 2. depositio. Sunt quidã Chirurgi, qui dicunt, si fiat cauterium in fronte supra oculum affectũ, quod exsiccet suffusionem. Sed quoniam nolo vos fallere, nunquam vidi hoc vsurpari, & maior pars Medicorum neglexit, nec meminit illius, vnde puto nugas esse de illo remedio.

Secundum remediũ est depositio, sed circa hanc, quoniam sæpe curandas habebitis has ægritudines, videte, ne huc deueniatis, nisi prius indicijs a me traditis sciatis suffusionem esse deponibilem, quia si tentetur hæc operatio frustra, & ægro detrimentum, & Medico dedecus parit.

De depositione cataractarum.

Debetis & hoc notare, quod vbi cognoueritis deponi posse suffusionem, non esse statim accedendum ad opus, sed morandum esse per annum, & per annos, Galenus primo, de off. med. t. 6. dicit, quod ex operationibus chirurgicis aliæ debent fieri statim; aliæ multo post tempore, vt in suffusione: Igitur suffusiones habent opus multo tempore, quia non indurescunt nisi temporis longitudine, quæque nisi sit dura, si depositio ipsius tentetur, dum acus immittitur, penetratur, dum penetrata est suffusio, non potest obuolui acui, & ideo magna labore deponitur, aut nunquam.

Sed dices, cur non aufertur velum hoc, & quid est hæc depositio. Rases 2. contin. dicit fuisse aliquos, & præsertim Antyllum, qui putarunt huiusmodi suffusiones ab oculis trahi, sed hoc impossibile esse, & perniciosissimũ si fiat; quia si extrahenda esset materia congregata, necessario foramen acus fieret latius, & ideo periculum esset, ne cum illo velo exiret simul albugineus humor, quare melius est, vt acu ipsa deprimatur a loco pupillæ ad locum inferiorem.

Quæ ante depositionem agenda.

Circa depositionem sunt nonnulla consideranda, quorum alia fieri debent ante depositionem, alia in depositione, alia post depositionẽ. Ante depositionem debetis 1. eligere optimos chirurgos, & dicit Auenz. quod hæc curatio non est cuiuis cõmittenda, sed Medico apto, subtili, & experto. Addite, & duas conditiones, quas dicit Celsus lib. 7. cap. 1. requiri in chirurgo, vt sit iuuenis, & immisericos, huius generis chirurgi sunt hoc tempore Norsini, qui sunt excellentissimi in hac arte.

Præterea ante depositionem debetis curare, vt corpus sit exacte purgatum, vt æger vsus sit multo tempore tenui victu, abstinuerit a vino.

Celsus dicit ad hoc sufficere triduum, ego autem puto necessariam esse victus rationem hãc etiam per duodecim dies. Sed nõne melius est per plures? Conuenerunt in hoc omnes Medici, quod vbi deponenda est Cataracta, debent victitare ægri cibis crassis, vt piscibus crassis, pedibus vitulinis, castratorum, & hoc cum ratione, vt citius velum obdurescat.

In depositione.

Quæ sint obseruanda in depositione cataractę, Celsus lib. 7. cap. 7. & Paulus lib. 6. cap. 21. Arnol. Villan. primo sui breuiarij, & Guido Chirurgus in sua Chirurgia, ita docuerunt, vt superuacuum sit me hęc tractare, quia cum omnia sint Chirurgica, facile vos ad illos remitto, nolo tamen vos præterire duo, primo, quod cauendum est, dum deponitur, ne oculus vllam aliam labem habeat, 2. vt ęger sit liber ab omni animi passione, quia oculus in animi perturbationibus, adeo patitur, vt facile postmodum in hac operatione detrimenta sustineat.

Tres difficultates.

Sunt tres pulcherrimę cõtrouersię, quas obseruaui, 1. est inter Celsum, & Mesuen 2. inter Paulũ, & Gal. 3. inter Paulũ, & Celsum. Celsus voluit operationẽ fieri in loco luminoso, Mesue in loco non adeo luminoso. Deinde Paulus vult, quod in hac operatione ęger ponatur πρὸς αὐγὴν id est, ad lumen Gal. autẽ 1. de off. med tex. 9. declarans quid apud Hip. sit πρὸς αὐγὴν, id est, ad lumen, & ὑπ' αὐγὴν, i. sub lucẽ, ait, quod ad lumẽ dicitur, qñ pars, q̃ tractatur conuertitur ad lumẽ,

sub

sub lucem vero esse, quando æger tractandus parum declinat a luce, vt, inquit, fit in suffusionibus. Vnde patet Paulum voluisse aduersus lumen. Gal. vero sub lucem.

Tertia, Celsus vult, vt acus ponatur in medio loco inter magnum oculi angulum exteriorē a regione suffusionis; Paulus autem vult acum ponēdam esse loco quidem inter angulum prędictum, & nigrum oculi, sed ita vt totum distet ab iride, quanta est magnitudo cuspidis acus; ita vt clara videatur diuersitas inter eos.

Pro prima breuiter dico, Mesuen, & Gal. vera dixisse, quod locus debet non esse adeo luminosus, id est, a sole non debet esse irradiatus, neque etiam puto Celsum hoc sensisse, sed pro luminoso accepit lucidum, quia debet quidem lucidum esse cubile, ne possit aliquo modo errare Chirurgus.

In secunda controuersia dico, quod vidi quater, bis in Ill. Ducissa Farnesiana, & bis in alia muliere, & viro quodam; vidi quod Chirurgi eligunt locum lucidum ante fenestram, deinde ponunt ægrum oculis aduersus fenestram, ipse vero Chirurgus collocat se ante ægrum, ita vt dorsum habeat versus fenestram, vnde existimo hos omnes sequi consilium Pauli. Quid igitur vult dicere Galen. mea sententia, aut quos vidit, ita faciebant Chirurg. vt parum declinarent a fenestra, vel voluit omnino monere, vt quando ponitur æger, parum declinetur a lumine illo magno. Sed dicam libere quod sentio, quod vtrumuis fiat, parum omnino refert, modo ne sit cubile irradiatum a sole.

Pro tertia controuersia dico, etiam vtrumque fieri posse, sed diuerso modo, quia si suffusio fuerit statim ante humorem albugineum, ita vt sit profundior, præstat sequi consilium Celsi; si vero sit extimior, ita vt magis vergat versus corneam, commodum est consilium Pauli. Ego tamen vidi semper Chirurgos eligere modum descriptum a Celso.

Quid post operationem faciendum.

Post hanc operationem factam, detinendus est æger in lecto, debetq; supine iacere, capite eleuato, non loqui, non sternutare. Nona die, dicit Arnoldus, quod poterit incipere leuiter inambulare, sed non debet exire domo, nisi prius ab omni labe, & macula emundatus sit oculus. Post hæc omnia consulit Arnoldus, vt 22. die vel 24. die secentur venæ temporum; sed hoc genus remedij neque hodie vsitatum est, neque valde probo. Multa quoque alia fiunt, quæ quoniam ad Chirurgum pertinent, non puto necessario a me dici debere, nam habetis Chirurgos, quos potestis adire, & consulere.

CAPVT XXXV.

De vitijs tunicæ vueæ, & primo de constrictione pupillæ.

Officia vueę.

QVæ visioni famulantur membra, dicebamus partim humores esse partim tunicas; a quibus vitijs humores infestentur, iam docui satis, sequuntur morbi tunicarum, inter quas, post albugineū humorem, prima est ea, quæ ῥαγοειδὴς dicta est, latinis vuea.

Quatuor sunt munera huius tunicæ; Primum, vt contineat humorem albugineum, ne fluat. 2. vt disterminet corneam a crystallino humore. 3. vt suis velis muniat corneam, 4. vt suo colore cæruleo congreget lumen; propter hæc munera natura conata est parare hanc tunicam duriusculam, & colore cæruleo inficere, quia post nigrum colorē viridis omnium maxime congregat lumen. Sed quia hæc substantiæ constitutio impeditura erat visionem, & transitum liberum radiorum, ideo natura conata est foramen in hac tunica efficere, atque hoc ipsum constituere ante crystallinum humorem, vt possint spiritus, & radij libere exire, & reuerti; hoc foramen a Græcis κόρη vocatum est, sed non ab omnibus, Latini pupillam appellant. Dico non ab omnibus, quia Arist. primo, de histo. anim 9. & 5. de gen. anim. 1. vocauit, & κόρην crystallinum humorem: Hipp. 2. prorrh. vocauit κόρην eam partem corneæ, quæ obtenditur foramini, quando dicit pituitæ salsæ cursum exulcerare pupillam.

Vitia foraminis in vuea.

Morbi ergo, qui contingunt in hac parte, ita vt visum impediant, contingunt omnes circa pupillam; & quia foramen hoc debet esse ita angustum, vt non impediat exitum radiorum, ita amplum, vt non dispergat radios, ideo vitia, quæ ipsi contingunt, fiunt, vel quia angustius sit, vel quia latius, vel quia e directo non positum est ante humorem crystallinū, vel quia rotunditatē amisit, ita vt sit tortuosum, vel oblongū. Sed quanquā tot sint vitia circa hoc foramen, solum tamen de angustia, & dilatatione tractabimus; cetera. n. vel nō offendunt visum, vt necesse sit tractare ipsa, vel si offendant, incurabilia sunt, vt cum foramen non est e directo ipsi crystallino.

Angustia pupillæ.

Quando fit hoc foramen angustius quam conuenit, nascitur morbus a Græcis φθίσις vocatus, latini multi dixerunt imminutionem, seu stricturam pupillæ. Veg. lib. 2. med. veter. scribit hunc affectum vocatum esse in brutis [illegible], & hunc secuti recentiores aliqui dixerunt, in hominibus etiam vocari συνίζησιν.

Sed animaduertendum est; quod ait Galenus decimo de vsu part. & primo, de sympto. caus. secundo, vbi ait hanc constrictionem duplicem esse, alteram natiuam, alteram adscititiam: natiuam tantum abest, vt visum lædat, vt potius conferat acumini eius; adscititia vero nocet.

Ceterum dubium est, vtrum strictura hæc morbosa, propria ratione visum lædat, an vero ob morbos, quos cōsequitur. Galen. loco citato, & libro de oculis videtur dicere, quod nō propria ratione, sed ob morbos quos sequitur, lædat. Præter Galeni auctoritatē, est & ratio, quia si hęc

angustia, vt angustia, id est, propria ratione impediret visum, naturalis quoque impediret; sed hoc falsum est, ergo videtur etiam falsum esse, quod hæc strictura propria ratione offendat visum. Cõtra est Rasis auctoritas, qui 2. cont. taxans Galen. quod sit inordinatus in hac re, videtur aperte profiteri, quod hæc angustia propria ratione incommodet visui.

Dicendum est ex Auic. pro tollenda hac controuersia, duplicem esse stricturam, alteram paruam, alteram magnam. Parua strictura nunquam propria ratione incommodat visui, sed solũ ob morbos, quos sequitur; magna vero, & propria ratione, & ob morbos, visum lędit. Paolus li. 3. c. 22. ait, quod in strictura pupillæ foramẽ fit angustius, rugosius, & obscurius. Aetius ait quod fit angustius, & imbecillius, seu hebetius, Auic. tantum dixit, quod fiat angustius.

Circa hanc diuersitatem dico, Auicennam magis proprie locutum esse quam Græcos, quia angustia est sola passio huius foraminis, quod hoc foramen fiat obscurius, vel hebetius, non conuenit ipsi, vt foramen est, sed quatenus per ipsum alia videntur, nimirum humores.

Genus morbi.

Est hic affectus morbus in conformatione, & proprie in vi; quia facta est angustior quã conueniat naturali statui.

Sed quia omnis morbus lædit actiones, & hic quoque lædit actionem videndi, dubium est, quomodo lædat actionem videndi. Oribasius, Aetius, & Paulus dixerunt, lædi visionem deprauate, eo quod res videntur maiores quam sint. Actuarius quoque 2. meth. alios Græcos secutus idem dixit: sed aduertite ne decipiat vos bonus ille interpres, quia cum textus deberet dicere, quod res videntur maiores, dicit quod videntur minores; nam habeo codicem antiquum manu scriptum Gręcum, in quo legitur, maiores. Alzarauius Gręcos secutus, dixit propriũ esse stricturę pupillę, vt res videantur maiores, quam sint, ita vt secũdum horum omnium sententiam visio lędatur deprauate.

Ceterũ Galen. primo, de symp. caus. 2. nihil meminit huius, nec aliquod dixit, nisi quod interdum ob hanc stricturam visio prorsus aboletur. Arabes quoque alii nihil meminerunt quod in hoc casu res viderentur maiores quam sint. Auerrho. 3. coll. cap. 38. dixit, in hoc affectu visionẽ lædi diminute. Quod vero res non videantur maiores, & quod tantum visus debeat aboleri debiliter, vt ait Auer. vel ablate, vt ait Gal. est ratio Arist. 31. par. problem. 8. & 15. vbi quęrens cur myopes scribant characteribus paruis, inquit esse, quoniam, vt videant, constringunt palpebras, & pupillas, vnde ex angusto loco exeunt radii, & operantur, atque ratione angustię huius loci, res magnas, vt paruas vidẽt, & quales vident, tales scribunt. Vnde clarum est, quod angustia pupillę potius debeat efficere, vt res videantur minores, quam maiores.

Num angustia pupillæ faciat videre res maiores.

In hac controuersia non possum negare, quin sim ualde dubius, quia ante me nemo, quod sciam, hoc animaduertit; inclinat tamen animus magis, quod res maiores uideri in pupillę strictura rarissime cõtingât, & tunc solum quando strictura fit ex laxitate, seu humiditate vueæ, tunc enim humor albugineus multus est, & ratione multitudinis, atque vt sic dicam, magnę illius sphęrietatis, efficitur, vt imagines reddantur maiores, vt in speculo accidit.

Sed quid ad auctoritates tot Gręcorum? Nihil habeo, quod dicã, nisi quod omnes mutuati sunt ab vno, & eodem auctore, & ideo fieri potuit, vt quod auctor, a quo acceperunt, dixerit quandoque fieri, ipsi acceperint, vt perpetuum, atque hinc data sit occasio errandi. Neque possum existimare Arabes, & Auic. qui adeo diligentes fuerũt in recensendis huiusmodi symptomatibus, hoc tacere debuisse, si verum esset; mutabo tamen libẽter sententiam, si ratio maior & experientia obijciatur.

Causa.

Causæ huius affectus duæ sunt apud Galen. primo, de symptom. caus. secundo. Prima est relaxatio, seu humefactio tunicæ vueæ, sicuti enim cribra si humefiant his foramina constringuntur, ita aut Galen. contingit, vt nimium humectata hac tunica, foramen illud fiat angustius. Altera causa est imminutio humoris albuginei, ob quam immunitionem cum vuea non tendatur, cõcidit in seipsam, atque ita foramini angustiam inducit. Auicenna, videtur adiecisse & alteram, scilicet siccitatem vueæ tunicę, sed quia hæc siccitas non euenit sine imminutione humoris aquei, ideo hæc causa sit comprehensa a Galen. sub imminutione humoris aquei.

Rases impugnat Gal.

Rases 20. cõt. duo dicit, 1. est, quod etiam foraminis huius angustia venit ex paucitate spirituum, quia veluti, spiritus multi sunt, dilatant hoc foramen, sic vbi pauci sunt, fit angustius, 2. est, quod reprehendit Gal. quia scripserit, ex siccitate seu imminutione humoris albuginei fieri eiusmodi angustiam, & cõtra Gal. vtitur hac ratione; Quod si fit angustia pupillę ratione humectationis tunicæ vueæ, Igitur non potest fieri ratione siccitatis, quia contraria sunt humectatio, & exsiccatio. Sed pace Rasis, ipse potius damnandus est quam Gal. quia non incõueniens, quod idem effectus a duabus causis fiat diuersimode. Galen. enim statuit, omne impedimentum, quod accidit visui in hoc morbo, esse ratione morborum, quos sequitur. Ceterum morbi isti duo sunt, humectatio, & exsiccatio; Igitur cũm isti morbi possint lædere visionem ratione angustiæ, sequitur sententiam Galen. veram esse. Quomodo autẽ possint lędere, accipite, quia vbi præ humiditate relaxatur hæc tunica, humor albugineus multus est, quod autem abũdans hic humor lædat visionem, satis declarauimus suo loco. In siccitate autem læditur visus, quia cum crystallinus humor non perfecte contegatur ab aqueo humore, magis expositus est luci externę, magis etiam aeri ambienti, atque hinc fit, vt humor Crystallinus offendatur ab externis iniurijs. Ita quod clare intelligere possitis, & a siccitate, & ab humiditate posse hanc læsionẽ fieri.

Causę mediatę.

Causæ mediatæ sunt omnes illæ, quæ facere possunt imminutionem humoris albuginei;

de

de quibus dictum est ante; & omnes quæ possent facere nimiam humiditatem, vt sunt destillationes, apostemata, crapulæ. Sed dicetis, si verum est hoc, cur igitur magnus Hippoc. secundo, prorrhe. dixit, quod pupillæ glaucæ, argenteæ, & ceruleæ, malæ sunt, meliores vero, quæ sunt latiores, præsertim si sponte fiant, & non extrinseca ratione. Dico veram esse sententiam Hippoc. quoniam colores prædictos humores referentes, quæ habēt pupillæ, sunt omnes suffusionibus tentatæ, vnde duo insignia detrimenta ipsis accidunt, primo, quod visus omnino aboletur, secundo, quod dolores innumerabiles fiunt, vt intellexistis.

Ceterum pupillæ angustiores, vel latiores offendunt quidem visum, sed non omnino auferunt, præterea curari possunt; quibus duabus de causis fit, vt iure dixerit Hipp. pupillæ glaucæ argenteæ, cæruleæ, malę, meliores autem minores, vel quę sunt latiores.

Signa.

Signa, quibus morbosa pupillę constrictio dignoscitur, oculis ipsis patet, quia si ęgri pupilla comparetur cū alijs, & statui præterito, apparet mutata esse. Alzaranius dixit, hoc proprium signū esse, quod res videantur maiores, sed ipse sibi contradicit, quia hoc idem signum dicit proprium esse diminutionis crystallini, Vnde non potest vere esse, proprium huius. Si fiat hæc constrictio a siccitate, cognoscetis, quia oculus erit minor, & ex procedētibus morbis exsiccātibus. Dicit Albucasis quod inter signa huius affectus est hoc, quod qui constrictam habent pupillam a siccitate, neque multum vident, neque a longe, sed tantum propinqua; si fiat ab humiditate, oculus madidus erit maior. Præterea ex ætate pueril; ex temperamento humido.

Prognost.

De Prognost. dicit Alzaranius, quod morbus iste, si inueterauerit, incurabilis fit. Gal. primo, de sympt. caus. secundo docet, quod pupillæ constrictio, quæ fit a sicco, est difficulter curabilis, quæ vero fit ab humido, non ita, quia facilius est humefactata exsiccare, quam contra; quodcunque tamen sit, semper hoc malum minus est, quam suffusionis; & ex auctoritate Hipp. secundo, prorrh. Polemon libro de signis naturæ, scribit eos, qui habent pupillas a natura strictiores, sunt praui, & peruersi, vt vulpes, simiæ, & serpentes, quæ animalia sunt praua.

Curatio diminutionis pupillæ a siccitate.

Curatio duplex est. Prima, quæ debetur causæ siccæ, secunda, quæ humidæ. In ea quæ fit a siccitate, eadem via incedendum est, quam diximus in diminutione humoris albuginei, vt victus fit ex cibis optimis, qui gignant succos plurimos, & bonos, vt abstineatur a vino, & præsertim acriori, & generosiori, adhibeātur balnea capiti, & oculis; & in hoc casu soleo curare, vt isti qui habent oculos aridiores, aperiant eos in lacte tepente, quia lac humectat, similiter hoc fiat in aqua calida, in qua oculus ponatur, quia sic humescet; sunt qui commendant purgationes per nares, quia vnus scopus est, vt pars, quæ prope arefacta est, humectetur.

Duo notanda.

Sunt duo notanda ex Auicenna: vnū est, vt res meræ humectantes non sint in frequenti vsu; duabus rationibus; vna, quia huiusmodi res oppilant: altera quia solent putrefactionem facere longa consuetudine. Alterum aduertendum est, vt habeantur in vsu ea, quæ moderate calefaciunt (de extrinsecis loquor) inter quæ sunt mucilago seminis lini, lac muliebre, vel caprinum, succus maluæ, oleum violarum naribus attractum. Frictiones quoque moderatæ frōtis, & oculorum prosunt, quia illa moderata frontis, & oculorum affrictione attrahitur nutrimentū ad partem. Sic soleo commendare, vt ægri manum calentem, & humidam detineant super oculos, & hoc est remedium præstantissimum, & vtilissimum.

Curatio constrictionis pupillę ab humiditate.

Si constrictio fiat a causa humida conuertendum est studium ad exsiccādum, & ideo victus attenuans confert, qualem iam sæpe descripsimus. Hinc ad purgationem veniendum, & primo humores præparandi, deinde vacuandi. Inter præparandum si adsit sanguinis copia, vtile erit sanguinē mittere; & Medici veterinarij in curandis suis subiectis, semper mittunt sanguinē quod autē purgationes conferant, habetis sententiam Celsi. lib. 6. c. 6. ubi ait, aliquos fuisse interdum subito occæcatos, ex quibus aliqui repentina alui profusione visum amissū recuperarunt.

Collyriū pro constrictione pupillæ.

Post purgationes deueniendum est ad localia, ad illa, quæ possunt exuperantem humiditatē auferre, decoctum rutę, chelid. fœnic. si continuo in hoc casu detur, confert plurimum Auic. multa tradit, sed quo ego vtor est istud.

℞. Fl. æris.
Ammoniaci an. ʒ. j.
Croci ℈. iiij.
Aloes ʒ. v.
Moschi ℈. ß. Cum succo fœnic. f. collyrium. Atque vtamini, vt & alijs.

CAPVT XXXVI.

De pupillæ dilatatione.

Contraria huic affectioni in tunica uuea, est alia, quę uocatur a Græcis μυδρίασις. Celsus etiam non alio nomine uocauit. Veget. lib. 2. scribit uocari πλατυκορίασιν, inde aliqui Medici uocarunt πλατυκορίαν: Auic. uocat halyitisam, posteriores Latini dixerunt pupillæ dilatationem. Est autem hic affectus secundū Grecos, in quo pupilla oculi nihil secundum colores euariat, sed tantum magis dilatatur, & ita interdum, ut usque ad iridem perueniat. Nocumentum, quod uisui accidit ex hac dilatatione, duplex est, primo quod interdum uisus penitus auferatur; alterū quod uisio sæpe minuitur, ita quod uisio in hoc affectu, & ablatæ, & diminutæ lędi possit.

Hoc

Hoc in loco duo sunt notanda, 1. est, erraſſe auctorem definitionum med. sub Gal. nomine, vbi ait mydriasin eſſe offuſcationem oculorum, factam ob humores conturbatos. Nam facile eſt cuiuis cognoſcere, aut hunc ſcriptorem erraſſe, aut contextum eſſe deprauatum. Secundo conſiderandum duplicem quoque haberi hanc dilatationem, aliam nempe natiuam, alteram adſcititiam, vtraque ait Gal. 1. de ſymp. cauſ. viſum offendit; ſed natiua curationem non ſuſcipit, adſcititia curabilis eſt. Eſt autem morbus in conformatione partis, & eſt morbus in via.

Genus morbi.

Cauſæ Immediatæ.

Cauſæ huius morbi immediatæ, ſecundum Gal. Auicen. & Auerr. ſunt duæ, vna eſt omnis humiditas, quæ diſtendens vueam tunicam, facit, vt dilatetur foramen; altera eſt ſiccitas, quia ea ſiccitate, tunica hæc corrugata, facit, vt foramen magis fiet. His duabus cauſſis videtur Auicenna, tres addidiſſe; primam, cum humor albugineus ita amplificatur, vt diſtendat tunicam vueā; Alteram cum ipſamet tunica exſiccatur, Tertiam cum fit apoſtema in ipſa tunica. Sed omnes iſtæ cauſæ poſſunt reduci ad priores Gal. & Auerr.

Num dilatatio a cauſa ſicca.

Sed nonne eſt etiam alia cauſa, nimirum multitudo ſpirituum? videmus enim, quod ſi alter oculus claudatur, ſtatim alterius pupilla dilatatur, non aliunde, niſi quia plures ſpiritus aliunde confluentes ad eam partem, faciunt eam dilatationem, vt iure etiam hæc videatur inter cauſas recenſenda. Dico non eſſe morboſam hanc dilatationem, neque etiam multum durare.

Sed maior eſt difficultas, an dilatatio poſſit fieri a cauſa ſicca. Ex vna parte eſt ſententia Galen. & Auerr. Ex altera eſt ſententia Raſis 2. cont. vbi damnans Galen. ait, non poſſe fieri a ſiccitate. Accedit quod Aetius, Paulus, & Actuarius nullo modo meminerunt huius cauſæ. Tertio eſt ratio, quia ex ſiccitate fit corrugatio in tunica: corrugatio videtur potius conſtringere, quam dilatare.

Hæc controuerſia explicanda eſt ex verbis ipſius Galen. primo, de ſympt. cau. ſecundo, vbi ait tunicam vueam poſſe, & humectari, & exſiccari, vel vt membrum organicum, vel vt membrū ſimilare: humectatur tunica, vt membrum organicum, quando meatus, & foramina replentur humore; humectatur, vt ſimilare, quando per totam ſubſtantiam ipſius tunicæ expanſa eſt humiditas: exſiccatur membrum organicū, quando humiditates meatibus incluſæ abſumuntur; exſiccatur vero, vt ſimilare; quando tota ſubſtantia tunicæ exſiccatur. His conſtitutis dicendum eſt ex Galen. quod vbi hæc tunica humectatur, vt membrum organicum, fit dilatatio, quia meatus oppleti illo humore dilatantur. Si vero ipſa ſubſtantia tunicæ, vel ipſa tunica, vt ſimilare membrum humectetur, facit conſtrictionem, quia tota ſubſtantia tunicæ humectata coarctat, & compingit foramen ipſius vueæ. Rurſus quando exſiccatur, vt membrum organicum, facit conſtrictionem, quia ſicuti meatus illi priuati humiditate, in ſeipſos concidunt, & coarctantur, pariter, & foramen anguſtatur: ſi vero, vt ſimilare exſiccetur, facit dilatationem, quia vt coria, ſecundum totam ſubſtantiam exſiccata interdum diſcinduntur, & foramina faciunt, ſic quando hæc tunica tota exſiccata eſt, facit huiuſmodi dilatationem. Ex qua reſolutione patet Gal. vera dixiſſe, & falſo a Raſe damnatum eſſe.

Sed quid ad Græcos, qui non meminerunt huius affectus? Dico Aetiū, Actuarium, & Paulum fuiſſe abbreuiatores, & ideo ſæpe multa omittunt ratione breuitatis, & eo magis, cum omittunt, quando cauſæ non ſunt ita frequentes, vt in hoc caſu, nam non admodum frequenter contingit, vt hæc affectio fiat a cauſa ſicca.

Cauſę mediatæ internæ.

Cauſæ mediatæ, aliæ ſunt internæ, aliæ externæ, internę ſunt humida intemperies capitis, conſtitutio oculorum, propter quod Aetius ait, eos qui habent oculos nigros, facile incurrere hanc pupillę dilatationem. Eſt etiam ſexus, quoniam mulieres magis obnoxię ſunt huic affectioni, ętas vt puerilis ob humiditatem, & ſenilis ob ſiccitatem. Quanquam Auer. velit, quod in pueris fiat propter flatuum multitudinem, ſed magis puto propter humiditatem.

Cur vero parturientes, cum immodice anhelitū retinent, incurrant has paſſiones, vt eſt apud Auenzoar. lib. 1. tract. 8 c. de dilatatione pupillę: Ratio eſt, vt puto, quia in illo enixu multi ſpiritus concurrunt ad oculos, qui ſecum trahunt humores, & flatus multos, qui dilatant pupillam, tum quia multi ſunt, tum quia repente irruunt, ita vt diuellant foramen.

2. Externę.

Cauſæ mediatę externę ſunt percuſſiones, caſus, plagę, & tandem omnia exteriora, quę poſſunt hoc foramen dilatare.

Signa.

Signa pupillę dilatationis, non multo labore comparantur, quia fere omnia ipſis ſenſibus patent, eo quod in hac ęgritudine, vel viſus imminuitur, vel protinus abolet ur. Si parua ſit dilatatio, diminuitur, ſi magna, omnino aufertur. Addunt multi in hoc morbo res ſemper videri minores, quam ſint.

Pupilla dilatata.

Sed optabitis ſcire quibus iudicijs dignoſcamus. Medicus, qui alias oculum ęgri inſpexit, poterit faciliме comparando pręterita pręſentibus dicere, an fiat ex morbo, vel non. Sed ſi antea non inſpexit, duo ſigna ſunt, quibus poteſt hoc dignoſcere: vnum eſt, ſi vna cum latitudine pupillę ſit viſus debilitas, quę antea non erat, argumento eſt eam affectionem eſſe morboſam, non naturalem; quia, vt ait Gal. dilatatio pupillę, ſiue ſit naturalis, ſiue morboſa, ſemper lędit. Alterum ſignum eſt, vt videantur oculi, numquid ſint amborum pupillę dilatatę, an vnius tantum, nam ſi vnius tantum, eſt affectio morboſa; ſi vero vtriuſque, vt arguatur an ſit naturalis, an morboſa affectio, alterius pupilla claudatur, quo facto, ſi alterius pupilla dilatatur adhuc magis, eſt a natura. Si vero altero clauſo oculo, alterius pupilla non dilatetur, affectio eſt morboſa, quia latitudinis naturę terminos pręterire licet, ſed a morbo factam latitudinem non licet.

Quæ cauſa.

Si affectus naſcatur a cauſa ſicca, vel humida, cognoſcitur ętate, victus ratione, habitu, re-

gione,

gione, & alijs, & ſi fiat a cauſa, oculus minor eſt, ſi ab humida, maior.

An res appareant minores.

Hæc duo examinanda ſunt problemata. Vnum an verum ſit in dilatione pupillæ ſemper res apparere minores: Alterum qua ratione id fiat. Circa primum non videtur admodum conſtare inter ſcriptores, quia omnes Græci poſt Galen. dixerunt, hoc eſſe ſignum latitudinis pupillæ, vt res videantur minores, quam ſint. Ex altera parte Galen. & Auerr. huius ſigni non meminerunt; præterea eſt ratio, quæ videtur demonſtrare, quod hoc non ſit verum, quia ſi, vt ait Ariſt. myopes propter ſtricturam oculi vident res magnas, vel paruas, igitur vbi latior eſt oculus, deberet contrarium apparere. Amplius, latitudo pupillæ fit ex multitudine, & craſſitie humoris aquei, qui vbi copioſior eſt, imagines videns maiores, vt in aqua craſſa res videntur maiores, quã in lympida. Igitur, & auctoritate Galen. & rationibus res apparent maiores in latitudine pupillæ. In hoc puto omnino tenendum eſſe, quod in latitudine pupillæ, non ſemper, ſed ſæpe appareant minores. Dicetis, cur igitur Gal. & Auerr. non meminerunt? quia hoc non per ſe ſequitur dilationem pupillæ, ſed per accidens; vnde iſti ſcriptores ſigna tantum eſſentialia commemorarunt. Quomodo vero per accidens ſequatur hoc videndum eſt ex cauſa ſecundo examinata, circa quam diuerſos inuenio eſſe Medicos.

Alij enim, vt Alzarauius, & alij dixerunt hoc contingere propter viſus debilitatem, quia habentes latas pupillas, conſequenter habent viſum debilẽ, propter quem non poſſunt recte percipere rerũ magnitudinem. Sed hoc non probo quia ſi ratione debilitatis hoc contingat, ſane apparebit ſemper, vbi viſus debilitas. Sed multos videbitis captos debilitate videndi, quibus hoc ſignum non adeſt. Igitur clarum eſt, quod non ratione debilitatis viſus, hoc contingat.

2. Opinio.

Alij dixerunt, hoc fieri, quia in latitudine pupillæ, ſpiritus ſunt diſgregati, ideo non poſſunt referre iuſtas imagines rerum, ſed maiores. Neque hoc probo, quia ſpiritus diſgregatio non efficit, vt res videantur maiores, ſed potius, vt res non videantur, vel obſcure; & hoc ita fiat, ſi quis opponat viſum radijs ſolis, ita vt diſgregentur ſpiritus, aut non videbit, aut obſcure. Præterea licet ſpiritus referant imagines ad oculum, tamen non fit earum repræſentatio in ſpiritibus; ſed in humore cryſtallino, vel tunica arachnoide.

Reſolutio aučtoris.

Igitur dicendum eſt, quæſtionem eſſe difficilem, ita tamen ſentio, ad hoc efficiendum duo concurrere, adſtrictionem oculi, & viſus debilitatem; adſtrictionem oculi, quia qui laborant latitudine pupillæ, vt videant, conſtringunt oculos, ita quod his fere ſemper adeſt conſtrictio oculi. Eſt & viſus debilitas, quia ſpiritus nimium diſgregati ſunt: quomodo igitur fit, vt his duobus res videantur minores? quia, vt ſcriptum eſt a Galen. ſeptimo, de plac. 5. ſolus viſus percipit rerum magnitudines, non tanquam obiectum proprium, ſed tanquam ſecundarium: quia primo, quod videt oculus, eſt color, deinde videt magnitudinem rei coloratæ.

Vbi igitur viſus validus, & ſanus eſt, nec circa obiectum proprium, nec circa ſecundarium errat, ſed & colorem, & magnitudinem videt. Vbi mediocriter offenſus eſt, & per locum anguſtum exit, atque operatur, non errat circa obiectum proprium, ſed circa ſecundarium; quia videt ſecundarium obiectum, quia, vt ait Ariſt. myopes non vident rerum magnitudines, ſic quoque, qui habent pupillam latam, tum quia conſtringant oculos, tum ob videndi debilitatem, non vident iuſtas rerum magnitudines, ſed tantum colores: qui vero valde ſunt offenſi viſu, errant & in obiecto proprio, & ſecundario.

Prognoſt. phyſiogn.

Circa ſigna prognoſt. dicit Polemon in lib. de ſignis naturæ, quod qui habent a natura pupillas latas, neceſſario ſunt prauorũ morum. Hip. autem 2. prorrh. ait, quod latitudines pupillarũ ſunt meliores, quam ſuffuſiones. Cui ſententiæ ſimile, quod dixit Auenzoar lib. 2. tract. 8. cap. 7. vbi ait, quod dilatatio pupillæ, ſi negligatur, tranſit in cataractam, qua indicat ſuffuſionem eſſe peiorem dilatatione. Amplitudo pupillæ naturalis, incurabilis eſt, vt ait Auic. Alzarauius quoque tradit, eos omnes eſſe incurabiles, qui non ſunt, vel cum parua ęgritudine, vel cũ paruo dolore capitis, aut oculorũ, vel ſine percuſſione: quaſi quod oẽs ſint curabiles, q̃ ſunt ſine ægritudine capitis. Aetius vero vniuerſaliter dixit, eſſe difficilem curatu. Et ratio eſt, quia vbi vuea tunica ſemel diſcinditur, difficulter reſtituitur, quia ait Hip. vulnera membranarum nõ coaleſcere.

An dilatatio pupillæ incurabilis.

Duæ ſunt hic dubitationes, vna quomodo dixerim dilatationem eſſe incurabilem, quoniam videtur contrarium ſentire Hipp. qui ait dilatationem curari, ſiue ſponte, id eſt, naturaliter fiat, ſiue ex occaſione, & eſſe meliorẽ ſuffuſione. Igitur, ſi eſt incurabilis, non videtur melior. Præterea Auenzoar ponit puluerem, quem ait ſuccurrere dilatationi naturali. Altera dubitatio eſt, quomodo dixerimus dilatationem ex percuſſione eſſe incurabilem, quia Meſues tradit rationem curandi. Raſis etiam dicit, quod ſi dilatatio fiat ex percuſſione, non eſt timendum, quia remouebitur. Auicen. etiam tradit curationem.

Ad primam dubitationem dupliciter reſpondetur, primo quod apud Hip. vox ſponte non ſignificat naturaliter, vel præternaturaliter, ſed ex occaſione ſignificat cauſas externas, & primitiuas, ſponte vero ſignificat cauſas internas, & occultas: nam hæc vox αὐτόματα, ſignificat ea, quæ fiunt ſine cauſa apparente, & manifeſta, ita quod quanquam dicat, quod dilatationes, ſiue ſponte, ſiue ex occaſione fiant, meliores eſſe, non intelligit eas, quæ fiunt ab ictu.

An dilatatio ex ictu.

Altera reſponſio eſt, quod licet concedamus apud Hip. hanc vocem ſponte ſignificare natiuam affectionem, dicemus tantum hanc eſſe meliorem ſuffuſione, quia licet incurabilis, habet tamen, & aliud, quod non habent ſuffuſiones, quia non prorſus tollit viſum, vt illæ. Ad ſecundam dubitationem reſpondendum eſt, quod dixit Alzarauius, percuſſionem, quæ facit dilatationem, duplicem eſſe poſſe, vel vehementem, & recentem, vel non vehementem, & antiquam:

quam: si fuerit vehemens, & malum inueteratũ, incurabile est, quia membranæ discissæ non coalescũt: si vero percussio fuerit debilis, & malum non sit inueteratum, dico quod curabile sit, atque de ista dilatatione loquuntur Auic. Mes. & Rases, quando curationem tradunt.

Sed quid ad Auenz quem diximus tradere puluerem idoneum contra dilatationem naturalem? Dico credendum esse experimentis, ita tamen, vt etiam non fallant nos, nam potest quidem aliquis puluis reperiri, qui auxilietur quoquomodo, vt impedimentum non sit adeo graue: sed quod possit omnino curare hanc dilatationem, difficile est creditu, & ideo Auenz. intellexit aliquo pacto, non quod omnino curet.

Curatio. A causa humida. In curatione huius affectionis cõmunis, scopus est, vt omnino tollatur, vt scil. restituatur cõformatio oculi, sed quia non potest tolli hic morbus, neq; restitui, nisi auferantur causæ, ideo insurgunt scopi harũ tollendarum. Causæ autem diuersæ sunt, itaq; diuersa debet esse curatio. Diuersitas causarũ in duobus posita est, in humido scil. & nimio sicco. Igitur primo pro curatione causæ humidæ victus erit, qui exsiccet, & attenuet, vt instituimus in alijs affectibus oculorum a causa humida: confert præsertim ieiunare multum, abstinere a potu vini, deambulandum est in locis vmbrosis lente, fugienda nimia lux, quia, ut lucida dilatant visum, ita opaca congregant, & constringunt. Laudat præ ceteris Auicenna ius cicerum cum ol. sesamino.

Num v. s. cõueniat. Quod ad aliam curationem pertinet, Græci omnes, nulla habita distinctione, statim veniũt ad venæ sectionem, nisi quid impediat: Arabes vero habent aliquas distinctiones, veluti si abũdet sanguis, aut si humores morbum facientes, sint sanguini permisti: quasi velint intelligere, quod vbi sanguis non superabundet, vel humores non sint permisti, nõ esse mittẽdum sanguinem. Ego puto, quod latitudinis pupillæ duplex est causa, alia coniuncta, alia non coniuncta; vtraque tollenda est, sed diuersis instrumentis, quia coniuncta tollenda est exsiccantibus, & resoluentibus, causa vero non coniuncta, id est, quæ fouet morbum, tollenda est per reuulsoria remedia, inter quæ primum locum habet venæ sectio.

Ergo, vt tueamur auctoritatem Græcorum, dicendum est, quod statim est deueniendum ad venæ sectionem, non vt auxilium causæ coniunctæ, sed vt auxilium reuulsorium. Arabes autem videntur respexisse tantum causam coniunctam, scilicet materiam ipsam, quæ, si sit sanguinea, est euacuanda sanguinis missione, igitur consulo, vt consideratis considerandis veniatis ad venæ sectionem, quæ fieri debet, si corpus sit plenum, primo e basilica interiore, si vero non fuerit plenum, a cephalica. Si vero venæ sectio impediatur, erit recurrendum ad cucurbitulas cum scarificatione, ad hirudines, ad frictiones, ligaturas, acres clysteres, qui reuellunt, & reuocant humoris impetum: & ego hirudines pręsertim tribus, quatuorue diebus singulo mane post aures adhibere soleo, extracta vna, vel altera sanguinis vncia.

Postquam autem certi fueritis de missione, purgandi sunt humores, quos lenita aluo pręparabitis, deinde expurgabitis, vel pil. cochijs, vel lucis, uel aggregatiuis, pil. assaiareth, pil. aureis, Igitur eadem ratione tentabitis purgare humores in hoc casu, vt in alijs morbis ab humore.

An purgandum frequẽter. Circa purgationem est controuersia, an debeat esse frequens, an minus. Rasis 9. ad Alm. scribit, continuandam esse purgationem: Auicen. ex aduerso mandat, vt fugiantur continuæ purgationes, quia virtutem minuunt, & humores, quos non deberent euacuare. Tolletis hanc controuersiam ex Celso, & Auic. Celsus enim dicebat, quasi interposito tempore lenienda est aluus, seu soluenda, vt materia ab oculis, ad infernas partes auertatur. Quod autem debeat esse istud interpositum tempus, Auicen. definit 10. diebus, quasi Medicus, decima quaque die debeat, vel pil. vel alio quopiam medicamento soluere aluum. Quando Rasis dixit, purgationem continuandam, volebat dicere, quod neque quotidie, neque tertia die, sed decima, id faciendum sit.

Topica remedia. Purgandum postea erit caput medicamentis immediate euacuantibus, vt quæ per nasum, per palatum, materias euacuant. Factis purgationibus descendendum ad localia, inter quę laudatur aqua marina, vt hyeme scilicet calida, æstate frigida sæpe abluantur oculi, & facies, quæ si non habeatur, docet Scribonius, quomodo parari debeat. Laudat quoque ablutionem faciei ex posca, aceto, & aqua.

Circa topicorũ vsũ tria not. Circa hęc tria vobis notanda sunt, vnum quod obseruandum vult Aetius, vt adhibeantur medicamenta localia, quę subadstringunt, non quę vehementer, quia quę vehementer adstringunt, & acria sunt, duo mala pariũt: vnum est, quod nimis stringendo diuellunt tunicam, alterum quod dolorem faciunt, & doloris ratione nouas ad oculos trahunt materias. Sunt autem, quę adstringunt hęc, vt, rosa, nardus, crocus, pompholyx, spodium, &c. Secundum quod adnotauit Auenz. vt in sexu habeatur ratio, quia leniora medicamenta conueniunt, & pueris, & mulieribus, vehementiora sustinent senes, & viri. Tertium notandum, ut caueantur medicamenta summe refrigerantia, quia dicit Gal. 3. method. cap. 2. se uidisse ex immodico opij usu suffusiones, & pupillarum dilationes factas. Dabo medicamentum, quo ego soleo feliciter uti, in hoc morbo quoque promiscue utor, & in feminis, & in uiris.

Aq. conueniens in dilatatione pupillæ a causa humida.

℞. *Gummi arab.*
Tutbia.
Saug. drac.
Tragac. an. ʒ. ß.
Boli armeni ʒ. j.
Sem. lini.
Sem. cydon.

Croci

Croci an. ℨ. ij.
Succi cort. granat. ℨ. iij.
Aq. ros. lib. j. Macerentur omnia in cinere tepido per noctem, deinde bulliant media hora, post diligens fiat colatura, & hac vtamini mane, & vesperi, guttas oculis instillando.

Si fiat malum a siccitate eadem ratione incedendum, erit in curanda hac affectione, quam monstrauimus in alijs affectibus ex siccitate: quanquam Hali scribat raro contingere hanc affectionem, & quando contingit, difficillimam esse curatu. Si fiat dilatatio ex percussione, videndum est, an fuerit magna percussio, & an periculum futurum sit inflammationis, tūc enim statim vtendum tenuissimo victu, abstinendum a vino, & inchoanda curatio a sanguinis missione ex vena cephalica, deinde veniendum est ad medicamenta, secundum Rasin. & Auicen. quæ repercutiunt, vt est empl. ex far. hordei, ex fol. fabæ, fol. plantag. & rosarum. Practicantes quidā laudant, vt statim folia scariolæ apponantur loco affecto, & dicunt se esse expertos, quod concedo facile. Volo vos animaduertere, quod in alijs percussionibus Medici nunquam in principijs vtuntur repercutientibus, & summa cum ratione, quia repercutientia humorem ex plaga ad partem compingunt magis, & efficiunt, vt putrescat, in oculis vero semper vtuntur repercutientibus, duabus rationibus, 1. quia in oculo, & præsertim tunica vuea, non potest colligi sanguis, ita vt compingatur, & putrescat. Alia ratio est, quia oculus ob sensus acrimoniam, ex percussione vehementissimos dolores sustinet, post quos fit attractio humorum nouorū. Vnde vt dolores vitentur, & materia fluens repellatur a parte nobilissima, iure mandant Medici, statim vtendum esse repercutientibus.

Curatio huius mali a siccitate.
Curatio dilatationis pupillæ ex percussione.
Cur in contusionibus oculorū utamur repercutientibus in reliquis non.

Post quæ deueniendum est ad resoluentia, & primo a tenerioribus est auspicandum, vt est ol. violarum cum vitello oui. Ego soleo curare, vt assetur modice vitellus, deinde in mortario cum ol. violarum fiat linimentum molle. Lac etiam tepidum instillatum resoluit moderate: A lenioribus ad valentiora pedetentim progrediendum. Vnde post hæc nominata, sanguis turturum optimus est, vel columbarum: postea veniendum ad collyria ex fellibus, & melle. Atque hæc est absoluta curatio dilatationis pupillæ.

CAPVT XXXVII.

De vitijs tunicæ corneæ.

POst tunicam vueam posita est a natura alia, quæ a Græcis κερατοειδής, a Latinis cornea vocata est. Meletius in libro de natura hominis scribit, finem naturæ in fabricanda hac tunica fuisse, vt stringatur orificium vueę, & vt sit veluti quoddam sepimentum, quod contineat, ne humor albugineus effluat. Galen. & alij addunt aliū vsum, ne scilicet aer ambiens humores tētatet, atque ita visum offenderet, crystallino offenso. Vtcunque sit, natura conata est hanc tunicam fabricare duram, & solidam, sed quia ratione soliditatis potuisset impedire, ne spiritus extra prodirent, neque lumen reciperetur, eadem ratione natura ante foramen vueæ fecit hanc tunicam tenuissimam, lucidissimam, ita vt non impediat, neque spirituum exitum, neque lucis receptionem, instar laternæ cuiusdam; vbicunque igitur hæc tunica ita offensa est, vt visio lædatur primo, fit vel quia substantia, vel quia luciditas eius vitiata. Et notate, me tantum facere mentionem horum duorum morbi generū, quia etsi cornea tunica alios plurimos morbos sustineat, præsertim, qua parte totum oculum vestit, tamen nolo ego eos omnes tractare, partim quia est res chirurgica potius tractare vlcera, & tumores oculorum, tum quia tempus angustum est, & propero ad tractationem aliarum rerum, tum quia intellectis his, poteritis, & alios intelligere.

Vsus corneę.
Duo morborum genera tunicę corneę hic tantum exponūtur.

Si igitur substantia vitietur, est, vel quia humectatur, & crassescit, vnde amittitur teneritas, vel quia exsiccatur, & corrugatur, & induratur. Si luciditas vitietur, est quoniam alienos colores suscipit, vbi hac in parte vueæ cornea fit humectata, & crassior, inducitur visus hebetudo, vt ait Gal. & omnia videntur tanquam per fumū, & nebulam quandam. Si vero corrugatur, aut exsiccatur, fit morbus, qui dicitur a Græcis, vt est in lib. Medici Gal. ῥίζωσις, ab alijs ῥυτίδωσις. Si vero duratur, fit etiam vitium innominatum; sed in omnibus hic visus interdum prorsus aufertur, interdum valde diminuitur.

Vitia substātiæ corneę.

Inter has affectiones annumero eas, quæ albugines appellatæ sunt, est enim albugo macula quædam, quæ in cornea ante pupillam fit, & sæpe prorsus occæcat homines.

Si luciditas offendatur, vt dixi, fit impedimentū visus, quia alieni in hanc partem inducentur colores, qui impediūt perfectū visum, quia omnia vidētur colorata eo coloris genere, cuius est materia infixa illi parti, vt dicit Gal. contingere in arquato, & cuiusmodi dicūt quidam apparere in affectione ab Arabibus vocata Seben. Sed licet dixerit Gal. in ictericis omnia apparere flaua, non est tamen perpetuum, immo ego plurimos curaui, sed paucos vidi huiusmodi.

Ictericis nō omnia videātur flaua.

Dicetis cur isti affectus non habent propria nomina? dico, quia non sunt propria corneæ, nisi dicamus, quod sub nomine nebularum sunt comprehensæ, & ego sum huius sententiæ, quod Panus oculorum apud barbaros complectatur omnes fere huiusmodi ægritudines.

Causæ crassefactionis, & humectationis nullæ aliæ sunt, nisi humores crassi, & viscidi, qui mittuntur ad hanc partem, & ibi figuntur, vnde omnes illæ occasiones, quæ faciunt destillationes, faciunt & hos morbos, vt manere sub sole, crapulæ, prominentiæ oculorum.

Causę.

Causæ siccitatis.

Causæ vero siccitatis, seu corrugationis, sunt multæ, sed præsertim est ætas senilis, quia hic morbus proprius fere est senum. Similiter labores, seu ægritudines capitis ex siccitate, vt inflammationes magnæ.

Causæ vero indurationis sunt vehementer refrigerantia, vnde dicit, Gale. se non raro vidisse homines ex immodico opij visu fuisse occæcatos.

Causæ albuginis.

Et quia recensui albugines inter has ægritudines, causæ harum sunt duæ potissimum, vel cicatrix derelicta ab vlcere, quę vngula interdum vocata est, quanquam vngula sit aliud morbi genus. Altera causa est pituita torrefacta, & indurata in cornea.

Causæ variorum colorum in cornea.

Causæ variorum colorum, sunt varij humores, & hinc est, quod si sit sanguis, omnia rubea appareant, vt in Seben; si vero flaua bilis, flaua: si melancholia, liuida, aut nigra, sed raro contingit, vt vel sanguis, vel humor melancholicus in hac parte figatur, quia cornea hęc in parte tenuissima est, proinde, vel nullæ, vel insensibiles propemodum sunt venæ, & sanguis difficulter potest congregari; humor melancholicus crassus est, & terrestris, vnde difficulter decurrit ad hanc partem. Iste affectus fere oculis ipsis cognoscitur, quia si hęc tunica sit, vel humectata, vel crassefacta, primo inspicienti apparet veluti quędam superficiaria nebula, deinde etiã ipsimet ægri referunt, se res videre, veluti per nebulam, & fumum: quare debebitis, & oculos intueri, & ægrum percontari. Cognoscitur corrugatio ex ætate, quia, vt dixi, hic morbus est senilis: ex præcedentibus etiam, veluti si præcesserunt morbi feruidi, & exsiccatorij: adhæc si nulla alia signa adsint, si vero malum factum sit ex frigido, vlus fuerit æger rebus frigidissimis, oculus frigidus apparebit, aer frigidior hoc ostendere potest. Signa vero, quibus cognoscuntur vitia ex humiditate, partim habentur ex ipsa Medici inspectione, partim ex relatione ęgri, quia videt interdum flaua, interdum nigra, interdum sanguinea.

Signa. Crassefactæ, & humectato. Corrugationis.

Prognost. Arist. notatur, quã vere iudicent docti.

Prognost. sunt, quod corrugatio oculorum nunquam sanatur, & præsertim quæ fit ratione ætatis, vnde dicit Arist. quod si senex acciperet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis, quanquam hæc philosophi sententia falsa est, quia vitium videndi non semper fit ratione instrumenti, sed vt plurimum ratione facultatis visoriæ, ita quod etsi tradatis oculum iuuenis seni, tamen non videbit, vt iuuenis. Dura hæc tunica vbi fit, & præsertim ex vsu vehementis frigidi, incurabilis est, & ipsi contingit, idem, quod crystallo, quia vbi aqua semel in crystallum conuersa est vehementissimo frigore, non potest dissolui, vt ita Arist. 4. meteor. Albugines etiam ex cicatrice nõ sanantur. Ceterum si malum fiat ex humoribus, & si recens, curari potest.

Curatio.

Curationis autem totius summa est, vt omnia impedimenta auferantur, quæ non possunt, neque feliciter, neque facile auferri, nisi prius remoueatur fluxus nouæ materiæ ad oculum. Igitur instituto tenui victu, & vini abstinentia, deueniendum est ad euacuandos humores eo modo, quo dixi: vt primo euacuetur corpus, deinde caput, per medicamenta soluentia, per nares, per palatum. Quo in casu cauterium in nucha factum, prodest, & decoctum salsæ parilliæ, vt docui, quia attenuat, & exsiccat humores. Sunt alqui, qui omnino prohibent sanguinis missionem, ego vero, si plenitudo adsit, & præsertim in capite, laudo, & potissimum venæ cephalicæ. Post hæc veniendum ad localia, quæ primo debent esse leuia, deinde fortiora. Alzarauius laudauit squamen gallinæ cum butyro, & vino. Soleo ego sumere radicem chelidon. & aqua vitę diligenter abluere, deinde pistare, & per colum transmittere, eumque liquorem guttatim instillare oculo patienti, & expertus sum recentes panos oculorum deteri. Alijs etiam duobus vtor: Tartaro vini maluatici in tenuissimum puluerem redacto: qui inspersus oculo deterit panum. Alterum est theriaca cum vino maluatico; nam eliquo eam in vino maluatico, & per panum subtilissimum transcolo, & infundo oculo patienti. Atque hęc de affectibus cornec.

Cauterium.

Panos, seu albugines curantia topica.

CAPVT XXXVIII.

De Opthalmia.

SVmma oculi pars a natura vestita fuit tunica quadam, quę adnata a Medicis omnibus dicta est, a quibusdam etiam coniuncta: quę etsi circumuestiat totũ oculum, attamen, qua parte pupilla est, eam non ambit, quę tunica, quia magis exposita externis iniurijs, ideo plurimos sustinet affectus, inter quos pręcipuus, & omnium frequẽtissimus est, qui a Gręcis dicitur ὀφθαλμία, Latini modo dolorem, modo inflammationem oculorum, modo lippitudinem dicũt. Sed auctores nomen hoc lippitudinis, & lippi non semper de ophthalmia dicunt, sed sępe lippos dixerunt eos, qui oculos lachrymosos gerunt, vt Horatius de seipso. Hãc passionem omnes fere Medici fusissime tractarunt: vnus Auenzoar videtur ieiunus fuisse, nec causam satis intelligo. Celsus lib. 6. c. 6. definit hanc affectionem quatuor nominibus: colore, tumore, pituita, & lachryma. Per pituitam, intelligens crassam illam materiam, quę adhęret palpebris, & oculo, & lenta interdum vocatur: per lachrymam intelligit humorem fluidum, & tenuem, qui per genas excurrit.

Nomina.

Definitio Celsi.

Distin-

Galeni definitio; ophthalmia.

Distinctius, & breuius definiuit Galen. 4. de comp. sec. loc. cap. 4. quem imitati sunt fere omnes alij. Definitio talis est, quod ophthalmia est inflammatio tunicæ oculorum adnatæ. Sed notate, quod idem Galen. docuit 2. ad Glauc. omnem inflammationem duplicem esse, aliam humidam, in qua scilicet copia humoris apparet, aliam aridam, in qua humor omnino nullus, aut paucus apparet: humidam videtur vocasse simplicem ophthalmiam, siccam vero ξηροφθαλμίαν, tamen frequenter sub nomine ophthalmiæ vtraque continetur.

Differentiæ. Ophthalmia, & taraxis.

Igitur ophthalmia duplex habetur apud Galen. & omnes Græcos Medicos, alia est, quæ fit a causis internis, & proprie ophthalmia dicitur: altera a causis externis, & hæc non ὀφθαλμία, sed τάραξις, seu turbatio dicta est. Auicen. sequax Galen. Græcorum dixit ophthalmiam duplicem esse, veram, & non veram: veram dixerunt Arabes, quam Græci ophthalmiam dicunt, non veram, quam Græci τάραξιν dicunt, nam, & ipsi hanc vocant turbationem, seu vacillationem.

Modus generationis.

Ophthalmiam veram Græcorum, & Arabum Aetius, & alij distinxerunt in duas, vnam nominarunt superficiariam, alteram profundam, alio nomine χήμωσιν. Superficiaria est, in qua calor, dolor, & tumor adsunt. Profunda, in qua præter hæc palpebræ sunt inuersæ, valde rubeæ, & vere exulceratæ; Nec dicere possumus, quod alia ophthalmia est parua, alia magna, alia est mediocris: satis est, quod omnis ophthalmia est inflammatio tunicæ oculorum adnatæ. Quis vero sit modus generationis huius affectus explicauerunt multi, sed appositissime, meo iudicio, Cassius Medicus 66. probl. med. quo in loco dicebat, quod cum humores in meatibus oculi figuntur, obstruunt, & calorem intro coercent; Calor cohibitus exardescit, cum perspirare non possit, atque ita vel immediate oculum inflammat, vel primo humores torret, humores torrefacti inflammant membranas, hinc ophthalmia. Ex quibus perspectum esse potest, hunc morbum esse in magnitudine, in intemperie, & continui solutione. Nam Gal. lib. de diff. mor. dicit, in omni inflammatione semper hæc tria morborum genera copulari.

Genus morbi.

Locus affectus.

Locus affectus nullus alius est, quam ipsa tunica adnata. Sed nonne in ophthalmia visus etiam impeditur? si impeditur, qui fit, vt locus affectus sit tunica adnata, quandoquidem visui efficiendo nullum præstat adiumentũ. Dico, quod visus læditur, in ophthalmia per accidens, hoc modo, quia vbi hæc tunica inflammata est, fit dolor, & calor magnus in oculo, a calore, & dolore fit attractio humorum ad oculum, humores illi attracti dispersi per oculum, conturbant humores, & spiritus, qui spiritus, & humores conturbati necessario visum oblædunt, ita quod quanquam sit locus affectus ipsa adnata tunica, per accidens tamen læsis alijs partibus oculi, cooffenditur visus.

Quod autem in ophthalmia spiritus, & humores sint conturbati, testis est Alex. & Rasis. Alex. quidem, quia 2. problem. 42. dicit, ophthalmiam ideo contagiosam esse, quia spiritus contaminati sunt, qui cum tangant oculos sanos inficiunt ipsos. Sic quoque Rabbi Moyses 24. aph. part. ex sententia Gal. lib. de motibus ineuitabilibus, qui libera nobis desiderantur, dicit quod qui primum videt ophthalmia, aut conturbatione laborantem, statim ipsi oculos conturbatur, quod si adhuc intente aspiciat, non solum conturbatur, verumetiam ophthalmiam contrahit. Ratio porro attestatur, humores, & spiritus perturbari, quia si fit attractio humorum per vniuersum oculum, necessario illi miscentur, & humoribus oculorum, & spiritibus per oculum dispersis, qui commixti necessario turbant, & hoc est, quod dicit Hipp. in lib. de loc. in hom. ob tumores influentes visum fieri μαρμαρυγώδη, id est, apparere scintillas in oculo, atque acumen videndi perdi. Sed quæretis, quæ sit vera ratio, cur ita faciliter oculus contrahat hanc affectionem? Nulla alia est ratio potior, quam Aristot. 7. probl. sect. vlt. & Alex. 1. probl. 35. qui dicunt oculos esse humidos, molles, εὐπαθεῖς, seu patibiles, & mobilissimos, & ratione mobilitatis fieri, vt facile contagia suscipiantur ab oculis affectis.

Cur ophthalmia contagiosa.

Causæ ophthalmiæ veræ internæ.

Causæ ophthalmiæ fere omnes sunt internæ, quæ vel in ipsa tunica gignuntur, uel manant aliunde ad ipsam. in ipsa tunica sunt causæ, quando totum corpus plenum est, & consequenter totum caput repletum est, & oculus, cuius repletionis merito fit tumor, rubor, & calor. Si aliunde veniant causæ, vel sunt humores viscidi, & crassi, vel humores tenues, & corrodentes, atque etiam possunt esse flatus, qui partim corrodendo, partim extendendo faciunt hunc affectum. Partes autem, a quibus causæ hæ ad oculos manant, sunt vel caput, vel iecur, vel totum corpus. Viæ, per quas veniunt ad oculos, sunt aut venæ, aut arteriæ, aut vtræque, atque istæ, vel intra cranium existentes, vel extra. Atque hæ sunt causæ internæ ophthalmiæ veræ.

Dubium est, an omnes humores, & vapores possint facere hunc morbum? Ex vna parte videtur ratio persuadere, quod solum fiat ophthalmia a causa calida, quia est morbus calidus, adest rubor, &c. quæ attestantur caliditatem, Qua ratione impulsi Arabes quidam, dixerunt, ophthalmiam esse apostema calidum oculorum. Quæ sententia etiam videtur fuisse illius autoris, qui edidit lib. de oculis, sub nomine Gal. Ex altera parte est Auic. & Gal. 13. meth. qui videtur in ea fuisse opinione, quod omnes humores possunt facere ophthalmiam.

Dicendum est pro resolutione, omnes humores posse efficere morbum hunc, sed diuersimode, quia inflammationẽ magnam faciunt humores calidi frequentius; remissam autẽ ophthalmiam possunt facere humores frigidi, sed non soli, quin semper in hoc morbo iunguntur calidi frigidis humoribus, & hinc est, quod semper adest rubor, & calor, etiam quod, fiat a frigidis humoribus. Cur vero humores frigidi non possint soli facere ophthalmiam ratio est, quia difficulter humores frigidi in angustum locum possunt congregari, & si congregentur, non possunt incalescere, & ideo nequeunt ophthalmiam facere. Ophthalmiæ non veræ causæ om-

Causæ ophthalmiæ non veræ.

nea

nes sunt externæ, & primitiuæ, sed videndum est, quod cum dico causas omnes esse primitiuas, non intelligo, quod ad efficiendam hanc inflammationem conueniant solum causæ primitiuæ, quia conueniunt etiam humores, & flatus, sed intelligo, quod causæ, quæ mouent humores, & flatus, sunt solum primitiuæ: verum quidem est, humores motos, vt plurimum esse sanguinem, & vapores, quia licet humor facile mouetur, similiter, & flatus, & sicuti facile mouentur ad oculum, ita quoque faciliter recedunt. Sed nonne etiam humor biliosus faciliter mouetur, & recedit? Dico hoc verum esse, sed sua acrimonia pertundit oculum, & erodit: ex quo fit, vt noui humores ad ipsum trahantur, qui postmodum veram inflammationem efficiunt, & hoc est, quod ait Auic. sæpe ex non vera inflammatione fieri veram.

Quomodo ex notha ophthalmia vera efficiatur.

Iam vero causæ primitiuæ multæ numeratæ sunt a Græcis, & Arabibus, sol, seu solis ardor, & calor, dolor capitis adustiuus, febris ardens, balneum calidum, puluis, & fumus: nam puluis, & fumus cum sua acredine mordeant oculum, facile præbent occasionem gignendæ ophthalmiæ. Hoc idem efficere puto vapores marinos, quoniam Cassius Medicus 13. probl. med. dicit piscatores facile tentari pterygio; quia vapores marini cum acres sint, corrodunt oculos, ex quo inflammantur, exulcerantur, & tandem fit vnguis. Inter easdem causas est quoque frigus constrictiuum, percussiones capitis, venti procellosi, ebrietas, veneris vsus. Addit Paulus, & oleum. Cur vero oleum si tangat oculum, faciat ophthalmiam, puto hanc potissimum esse causam, quia facillime oculo adhærescit, vnde cum elui non possit, obstruit, facta obstructione calor oculi intus cohibetur, atque ita cohibitus exardescit, & inflammat.

Cur oleū faciat ophthalmiam.

Hippoc. lib. de aquis, aere, & locis, annumerat etiam regiones, vbi scribit eos, qui habitant regiones australes, & calidas, facile tentari hoc morbo, & tentatos facile curari: habitatores vero plagæ septentrionalis, & frigidæ difficulter tentari ophthalmia, & tentatos difficulter curari. Quam sententiam secuti sunt Rases, & Rabbi Moyses, vbi ex sententia cuiusdam Ieminij dicit, eos qui habitant regiones calidas obnoxios esse ophthalmiæ, qui vero frigidas, minus. Sed cur hoc contingit? Auicen. non minor philosophus, quam Medicus, attulit causam. Dicit enim quod sub cœlo calido capita repleta sunt humoribus, qui calore ambientis colliquati decurrūt ad oculos, atque ibi contenti faciunt inflammationem, quæ postmodum faciliter curatur; primo ob raritatem corporis, ob quam faciliter transpirant humores; deinde, quia isti habent aluum fluidam. Dicit enim Hippoc. in aphor. quod quicunque ophthalmia tentati sunt, superueniente alui profluuio liberantur: In frigida vero regione fiunt difficulter; quia quanquam adsint humores in capite, tamen congelati, sunt immobiles, ob quod non possunt excurrere ad oculos: sed si quando excurrant, & frigore, & densitate cutis fit, vt non possint facile, neque cito humores illi dissipari, & expirare. Hipp. 3. aphor. & lib. de loc. aere, &c. annumerat constitutiones temporum inter has causas similiter, & Arist. sect. 1. proble. & Auicenn. circa causas ophthalmiæ tria sunt quęsita scitu digna; duo proposita a Cass. vnum ab Alex. Quęrit Cassius problem. 16. cur ęstate potissimum fiunt ophthalmię, vt etiam dicit Hippocr. 3. aphor. & causa quęsiti est, quia tempus ęstiuum calidum, & siccum est, propter quod omnis videtur ablata occasio fluxionis oculorum. Respondet, causam esse splendorem solis, & lucididatem aeris, eo quod tempore ęstiuo, sol maxime splendens, & aer maxime lucidus existens, disgregat humores, & spiritus oculorum, atque ita causam prębet ophthalmię. Sed hęc causa mihi non satisfacit, primo, quia etiam hyeme, sępe aer lucidus est, & solis lumen noxium, vnde etiam deberet hyeme fieri hic morbus, si esset ratione splendoris solis, & ratione luciditatis aeris, ęque enim splendet sol hyeme, atque ęstate. Secundo non placet, quia si noceret solis splendor, quia disgregat humores, & spiritus, deberet potius visus operationem impedire, & turbare; nam non videmus, quod ęstate ob splendorem magis offendatur, quam hyeme. Tertio non placet, quia qui intuetur solem splendidissimum, aut niuem, isti patiuntur quidem visu; propter spirituum disgregationem factam a lumine solis, vel nimia luciditate, sed isti non patiuntur ophthalmiā; Igitur non videtur sana hęc sententia Cassij. Dicendum igitur est, quod ęstate, vt ait Hippoc. fiant ophthalmię non per se, sed per aliud; quia vere replentur capita, ęstate humores contenti ab ambientis caliditate colliquantur, & fluunt ad oculos, atque ita fit, vt ęstate fiant lippitudines. Atque hęc fuit sententia Gal. 3. aph. 20. vbi ait, veram esse sententiam Hippo. quod lippitudines fiunt ęstate repleto capite.

Cur in calidis regionibus ophthalmiæ frequentiores.

Cur ęstate fiāt ophthalmiæ.

Secundum quęsitum Cassij est, cur sit, quod interdum in ophthalmia, si fiat febris, soluitur morbus, interdum si superueniat febris, magis exacerbatur. Cuius euentus tradit hanc rationem, & bene, quod febris, quę superuenit, vel est mediocris, vel vehemens: si sit mediocris, ratefaciendo, & exsiccando soluit ophthalmiam; si vero sit vehemens, & vaporibus acribus, & magnitudine caloris, non solum non soluit lippitudinem, verum auget. Addit, & aliam causam, sed obscuram, cuius, vt puto, hic sensus est, quod febris interdum exsiccat humores, eo quod non sunt multi, interdum vero magis infarcit, quia, & humores sunt multi, & caput plenum est.

Cur a febre modo ophthalmia soluatur, modo exacerbetur.

Tertium quęsitum est Alexan. 2. probl. 104. cur magna ex parte pestem pręcedat lippitudo. Reddit causam, eo quod in peste spiritus sint contaminati, qui suapte natura feruntur in caput, & deinde in oculos, tum quia oculi trahunt eos suo motu, tum quia ob passibilitatem facile recipiunt spiritus ingruentes, vnde spiritus commaculati existentes in oculis, inficiunt ipsos, & causam prębent ophthalmię. Sed pace huius magni viri, hęc ratio mihi non satisfacit. Primo, quia fomes ipsius pestis est potius in humoribus, quam in spiritibus, dico, potius, quia

Cur pestem pręcedat ophthalmia.

non

non nego, quod interdum pestis fomes sit in spiritibus, qui tempore pestis statim iugulant hominem, ita vt non sit locus gignendæ ophthalmiæ. Si igitur fomes pestis est in humoribus, non sequitur, quod spiritus venenati debent inficere oculos. Præterea dato etiam, quod spiritus in omni peste venenentur, tamen spiritus, qui ad oculos perueniunt, non sunt vitales, sed animales. Tertio, dato etiam, quod spiritus animales venenentur a vitalibus, dico, quod necessario debebit prius fieri pestis, quam ophthalmia, quia sin peste primo veneneutur spiritus vitales, vt æquum est, cor ipsum prius tentabitur quam oculi, vnde præcedet pestis ophthalmiam, non ophthalmia pestem. Igitur mihi videtur dicendum, quod cum hoc contingat non semper, sed magna ex parte, vt dicit Alex. contingit solum, quando pestis habet primariam originem ex sanguinis ebullitione; quia pestis, quæ fit ex sanguinis ebullitione, antequam contrahatur magnus ille gradus putredinis, & veneni, sanguis prius ebullit, vnde vapores multi, feruidi, & acies feruntur ad caput, & oculos, quos, quia sunt feruidissimi inflammant, & ophthalmiam faciunt: & hinc est, quod in morbillis, in variolis, quæ sunt genera pestis, (nam Rases hæc enumerat inter pestes) semper videbitis, antequam adueniant, oculos inflammari: & hoc est fere perpetuum.

Resolutio auctoris.

Differentiæ ophthalmiæ multæ sunt; primo a prædicamento substantiæ, hoc est, a materia ipsa, quæ est pars substantiæ, quia vel est vaporosa, vel humoralis: & si humoralis, vel sanguinea, vel pituitosa, vel biliosa, vel melancholica. 2. capiuntur a prædicamento quantitatis, quoniam dicunt Medici, ophthalmiam aliam esse magnam, aliam paruam; aliam cum paruo tumore, aliam cum magno: modo vehementem, modo remissam: modo continuam, modo discretam, seu vt dicit Auicen. modo periodicam. 3. capiuntur a prædicamento qualitatis, nam dicit Auicen. ophthalmiam aliam esse calidam, aliam frigidam, aliam rubeam magis, aliam minus; aliam benignam, aliam malignam. Capiuntur etiam a tempore, quia ophthalmia aut est recens, aut antiqua, & Galen. 3. aphor. 12 dicit aliam esse tabidam, aliam non tabidam. Sumuntur tandem a modo generationis, quia aliæ gignuntur per congestionem, aliæ per affluxum. Sed dices, cum dixerim alias esse periodicas, quæ sit ophthalmiæ periodus? Respondeo id quod etiam dicit Galen. 2. de diff. feb. 11. ophthalmias fieri periodicas, vt, & multos alios morbos ratione qualitatis humoris, ex quo generantur, eo quod si ex bile, periodus erit tertiana: si ex pituita, quotidiana, ex melancholia quartana. Sed aduertendum, quod etiam Galen. ait, sæpe interturbari has periodos, propter gradum congestionis humoris, quia humor congestus multus est: exempli gratia. Si sanguis biliosus in magna copia congregetur, potest fieri periodus continua seu quotidiana, licet materia sit biliosa.

Differentiæ. A substantia. A quantitate. A qualitate. A tempore. Ophthalmiæ periodus.

Signa ophthalmiæ generica secũdum Ras. 9. ad Alm. & secundum Gal. 4. de comp. sec. loc. 4. & li. de totius morb. tem. hæc sunt: tumor oculi, rubedo, seu mutatio albi ad rubrum, fluxus lachrymarum, dolor, qui vt dicit Auic. interdum pungitiuus est, interdum vlcerosus seu corrosiuus, interdum tensiuus. Arist. 10. eth. cap. 3. vbi loquitur de voluptate, tradens exempla quædam, inquit, quod in ophthalmia omnia, quæ videntur, apparent alba, quasi hoc etiam, secundum nonnullos ponendum hic inter signa generica ophthalmiæ; sed falluntur, quia ab Arist. sub nomine ophthalmiæ intelligitur non inflammatio hæc, sed, vt intellexistis, affectus quidam in cornea, & in humore albugineo, in quo omnia apparent alba: quamuis etiam ophthalmia, quæ fit a pituita, vna cum copia lachrymarum habeat & hoc signum, quod omnia visa appareant alba.

Signa in genere.

Signa porro, quæ species ophthalmiæ distinguunt, sunt hæc, quod ophthalmiæ non veræ indicia sint causæ procatarcticæ, præcipue si omnia accidentia sint leuia, & abeuntibus causis extrinsecis, abeant quoque accidentia.

Signa opht. non veræ.

Signa autem ophthalmiæ veræ a Græcis χήμωσις dictæ, sunt dolor magnus, tumor maxime rubeus, calor ingens, inuersio palpebrarum, interdum enim habent palpebras adeo inuersas, & tumentes, vt non possint oculum obtegere. Signa autem, quæ demonstrant veram ophthalmiam, sed non magnam, sunt duum generum, alia indicant, an fiat per affluxum, an per congestionem materiæ: & si per affluxum, per quas vias: alia vero demonstrant materiam, ex qua fiat inflammatio. Si cum ophthalmia coniungatur nausea, vel vomitus, signum est, malum fieri per affluxum a stomacho: si sit cum capitis dolore, & grauitate, argumentum est affluxum fieri a capite, & quia hic affluxus potest esse per vasa, vel extra, vel intra cranium, si venæ frontis, & faciei sint tumidæ, vt dicit Rases, si venæ oculorum sint plenæ, & graues, argumentum est, affluxum fieri per venas extra cranium. Addit Auic. hoc magis innotescere, si arteriæ temporum vehementer pulsent.

Vera.

Quod si nullum horum signorum adsit, sed cum ophthalmia sternutationes, & vt ait Paul. pruritus narium, vel palati, argumento est ab affluxu fieri per vasa intra cranium existentia. Atque hęc signa ophthalmię per affluxum.

Quod si fiat per congestionem, nullum horum signorum aderit, sed tumor tantum, dolor, calor, & lachrymę. Vt vero materia faciens morbum possit cognosci, multa sunt indicia, & primo quędam sunt communia, quę semper vobis erunt spectanda, vt ętas, regio, constitutio aeris, temperamentum corporis, ratio victus, vitę studium; hęc enim omnia, quando examinabitis, poteritis saltem magnas coniecturas consequi, quibus intelligatis materiam peccantem.

Per congestionem. Signa materiæ.

Sed sunt pręter hæc alia argumenta magis particularia, exempli gratia, si sanguis faciat ma-

Sanguinis.

L lum,

lum, totus oculus, & facies rubent, venæ amplæ erunt, tumor grauis, materia, quæ fluit erit benigna, non admodum acris. Addit Alzaranius, quod etiam aderit sonitus aurium: sed puto signum hoc potius conuenire illi factæ a flatu, & vaporibus.

Pituita. Si materia fuerit pituita, aut sanguis pituitosus, color non admodum erit rubeus, sed potius subalbidus, grauitas magna, calor minor, minor etiam dolor, grauitas palpebrarum, & palpebræ noctu quasi quodam visco conglutinantur, ita, vt difficulter possint dissolui. Sed diceris, *Causa. 1.* cur potius hoc contingit, vt noctu palpebræ conglutinentur? Tres sunt causæ, 1. quia in die oculi mouentur, & ex motu dissoluitur pituita; noctu vero quiescunt, & ratione quietis pituita con- *2.* gregatur. 2. ratio est, quod noctu pituita coquitur, & dum coquitur, crassescit, atque tenacita- *3.* tem quandam acquirit. 3. causa est, quia noctu magis abundat humor, quam interdiu: vnde cū multus sit, & detentus, facile conglutinatur.

Bilis. Si fiat a bile, dolor erit mordax, pungens, similiter si fiat ab ichore bilioso, ad hæc panca aderit rubedo, & potius flauities, lachrymæ fluentes, tenues erunt.

Melāchol ia. Si vero fiat a sanguine melancholico, ait Auic. quod erit in oculo grauitas cum obfuscatione, parum agglutinabuntur palpebræ, morbus erit contumax, oculus maxime erit siccus, nam licet flaua bilis sit etiam humor siccus, est humidior tamen oculus in hac, quam in melancholia, quia sua acrimonia trahit alios humores ad oculos, qui ipsos humidos reddunt. Quod si nulla prædicta signa adsint, & tamen oculus doleat, tumeat, extendatur, atque sonitus in auribus sit, argumento est non fieri ab humore, sed a flatu, seu a vapore, eo magis, si *Flatus.* in oculo nulla appareat lachryma, quoniam in omni ophthalmia humorosa necessario aliquis humor apparet, sed in alia magis, in alia minus: maxime vero omnium in sanguinea; secundo loco in pituitosa, tertio in biliosa, quarto in melancholica. Quærat aliquis, an ex vrina possit haberi indicium, eo magis, quod Hip. 2. prorrh. loquens de lippitudine, dicit, maxime inspiciendas esse vrinas, ex qua sententia videtur, quod ex vrina possint haberi indicia. Sed ex altera parte nullus est, qui hæc adnumeret. Dicerem ego, signa ex vrina interdum haberi posse, sed non semper haberi possunt, quando fit ab affluxu in partibus inferioribus maxime e toto, quia iste affluxus fit per venas, & arterias. Status autem venarum, & arteriarum maxime declarantur ex vrinis: ita quod iure dicat Hip. in his ophthalmijs haberi posse signa ex vrinis: verum secus est, si fiat per congestionem, vel per affluxum a capite, & hoc est, quod Galen. ait, in *Prognost.* com. pror. multa esse adulterina, & intertecta. Et notat Galen. quod ille auctor voluerit, haberi signa capitis affecti ex vrina, quod ait esse falsum. Habentur quidem interdum signa ex vrinis, sed non semper, nec vt plurimum. Circa prognostica, ait Ras. humidam ophthalmiam esse breuiorem sicca. Quæ fiunt ophthalmiæ a causis extrinsecis, omnes salubertimæ sunt. 2. loco, quæ fiunt, & ab extrinsecis, & ab intrinsecis: Difficilimæ omnium, quæ solum ab intrinsecis: inter quas sunt quidam gradus, quia vt dicit Rasis, quæ fiunt a materia calida, & subtili, & sine lacrymis sunt, & frequenter exercent: & occæcare solent: Dicebat enim Hip. in coac. prænot. vbi dolor capitis copulatur ophthalmiæ, præsertim longiori tempore, fere occæcare solet. Quæ vero fiunt ab humoribus crassis, & viscidis, non modo periculosæ non sunt, imo vero sæpe visum exacuunt. Causam huius reddit Arist. 31. parte probl. 9. & Cassius probl. 18 vbi dicunt, quod sicuti medicamenta lachrymas cientia visum exacuunt, quia humorem euacuant, qui visum turbabat, vt cæpe, & allia, sic in his morbis euocantur humores, qui antea visionem turbabant.

Febris quomodo liberet ab ophthalmia. Dicit deinde Hip. quod vbi febris ophthalmiæ superuenit, liberat, quod præcipue verum est de ophthalmia facta a materia frigida, sicuti fere verum est de omni, quod vbi alui fluxus superuenit, ophthalmiam soluit, vt dicit idem Hip. 6. aph. 17.

Celsus lib. 6. cap. 6. dat plurima signa, quibus, & futuros euentus intelligere, & prædicere possimus; sed hæc sunt præcipua, quod longa, sed sine periculo futura sit valetudo, si lachryma sit multa, calida, pituita pauca, tumor modicus: econtrario neque longam valetudinem, neque periculum vllum minatur, si simul lachryma, tumor, & crassa pituita cœperint, pituita sit alba, tumor non admodum durus.

Curatio. Circa curationem huius affectus, quia sæpe male torquet oculos, partem nimirum, vt ait Plin. libro 11. corporis nostri pretiosissimam, quę lucis vsu distinguit mortem a vita, dico vos debere diligentes esse, non solum, vt cognoscatis, verumetiam, vt statim succurratis. Pulchrum sane est Oribasij pręceptum 4. de Eunap. vbi dicit, cum inflammatio, & dolor oculos obsidet, si Medicus absit, facito tu ea, quę possis, quousque Medicus accedat, ne quid deterius accedat. Putauit auctor ille tanti referre, vt statim pręsidia adhibeantur, vt voluerit ęgrum etiam seipsum curare.

Non vera ophthalmię. Curatio igitur duum generum apud nos fiet. Altera erit curatio non verę ophthalmię, altera verę. Curationem non verę ophthalmię conueniunt omnes facilimam curatu esse, neque tamen negligendam, nimirum quę tota posita sit in causarum extrinsecarum ablatione, nam nisi huiusmodi causę primitiuę sublatę sint, frustra est studium omne Medici: Debetis itaque primo omnes causas primitiuas amputare, deinde si sublatis causis adhuc maneant vestigia, confugiendū est ad alia. Et primo memoria tenete, quod scriptum est ex sententia Archig. apud Gal. 4. de comp. sec. loc. & quod in omni ophthalmia optatur, nempe, vt cibi, & potus paucitas, aquę potus, abstinētia Veneris, & alui lubricitas semper obseruetur: atq; hęc omnia necessaria sunt, & vtilia. Quod si morbus factus sit ex adustione capitis a sole, vult Aetius, vt plurimum potet

tet æger, ad conciliandum somnum, & ad coquendam inflammationem. Ad hæc aq. ros. cum camphora, vel sine camphora, lac mulieris iuuenis instillatum conuenit, & maxime confert. Rabbi Moyses 2. aph. laudat emplastrum factum ex teneris folijs rosarum. Sed aduertendum est de potu, nam Rufus Ephesius, vt ait Rases, intellexit, quod æger debet multum vini potare; Paulus, Aetius, & Oribasius dixerunt solum, quod debeat multum potare, neque vini, neque aquæ meminerunt. Ego puto vinum aduersum, vbi caput æstuat sub sole, & potum aquæ, non vini exhibendum, quia, & somnum conciliat, & inflammationem sedat.

Ex adustione capitis.

Num vinũ conueniat.

Si a fumo vel puluere factus fit morbus, primo abluendi sunt oculi aqua dulci, tum quiescendum, & æger detinendus in loco angusto, & obscuro. Quod si malum non cedat, vtamini hoc linimento in palpebris.

Linimẽtum.

℞. *Pulu. ros. ʒ. j.*
Croci ℈. j.
Aq. rosarum q. s. fiat linimentum.

In hoc casu laudat Oribasius infusionem vel lactis, vel frigidæ sæpius factam.

Curatio ophthalmiæ a frigore.

Si a frigore fiat ophthalmia, duo in hoc casu commendat Auic. primum est balneum aquæ dulcis tepidum, quod tamen prudenter adhibendum erit. scil. nisi caput repletum sit, quoniam repleto capite balnea inimica sunt, quia agitant materias, & humores ad oculos præcipitant. Secundum est, vt digesto cibo vinum tenue, & subtile propinetur.

Si fiat ab oleo, abstergendum est, vt aq. hordei, & aq. myrobal.

Ab oleo.
A vespa.

Si fiat a vespa, vt sæpe fit, solent vulgares statim adhibere ferrum, & constringere oculos ferro, quia ferrum illud suo frigore repellit influentes humores, & compressione illa facit, ne pars in tumorem attollatur. Sed hoc etiam in casu confert summopere oculum abluere frigida, vel aq. hordei cum lacte.

Vera autem ophthalmia paulo diligentiorem curationem exigit, quia a varijs causis efficitur, propter quod iure videtur Celsus latenter sugillare Hippocratem, quod dixerit, in dolore oculorum conuenire balneum, meri potionem, fomentum, purgationem, & venæ sectionem, nec tamen distinxerit corpora, & causas, in quibus medicinæ summa est. Nos igitur distinguamus species, & quia sunt quædam fere omnibus communia, de his primum agemus. Nam aer in omnib. ophthalmicis obscurus esse debet: in causa calida frigidus, & ecõtra; somnus moderatus vtilis; sed si dolor multum vrgeat qualibet hora dormiendum, quia somnus, & dolorem sedat, & causam morbificam perequit. Somnus fiat capite eleuato, & supino. Detinendi sunt in quiete, non loquendum, fugiendi somni graues, & multi, quæ aspiciuntur, debent esse vel viridia, vel cerulea, vel nigra; in qua re etiam nonnihil discriminis est, quia si visus non sit adeo disgregatus, potius viridia, & cærulea conueniunt; si sint multum disgregati spiritus nigra. Atque ita interpretandus est. Galen. locus, quando præfert colores nigros cæruleis, & viridibus. Ira vitanda, & cogitatio, motus omnis cauendus, & præsertim partium superiorum, propter quod etiam pectinationes capitis vitandæ.

Curatio veræ.

Somnus.

Colores qui conueniant.

De capillis an sint tondendi, multi longas disputationes fecerunt, sed cum viderim Galen. vndecimo, de vsu par. cap. 14. laudantem in ophthalmia capillos minui, quod etiam vult Auicenna, ita hanc rem statuendam puto; quod si capilli sint multi, & caput grauare videantur, & caput calidum sit, minuendi sunt, præsertim quando non licet pectinare; secus autem si non sint multi capilli, nec grauent caput. Aluum fluere quotidie curandum est, si non sponte, saltem arte.

Capilli an tõdendi.

De balneo dico breuiter quatuor esse obseruanda, 1. vt non fiat balneum, nisi corpus sit mundum, quia si sit plenum, periculum est, ne materia diffusa ad oculos ruat. 2. vt iam tota materia sit effusa ad oculum, non autem sit adhuc in motu. 3. vt adhibeatur, vbi humor est crassus, & pituitosus, quia a balneo huiusmodi humores attenuantur. 4. vt morbus sit in declinatione.

De vsu balnei.
1. 2.
3. 4.

Quod ad potum attinet, puto rem ita esse definiendam, quod semper conueniat vinum in declinatione, quia coneoquit, & absumit, alio tempore, vel nunquam, vel solum, quando materia est frigida, & sanguis crassus. Quo in casu Galenus sexto aphorism. 41. ait, vinũ generosum conuenire ex Hippoc. sententia, atque se vini potu quẽdam hoc modo curasse. Vbi vinum nõ conceditur, aqua cocta cum fœnic. & coriandro, aqua hordei, aqua simplex, granatorũ, diuersimode conueniunt, prout diuersa erit materia, ex qua fit ophthalmia.

Potus.

Vitari debent omnes cibi difficiles coctu, salsi, vaporosi, acres, crassi succi, acetosi etiam potum acre a multis. Circa quos cibos multi multa loquuntur. Sed paucis hoc definio quod acetum acre nunquam conuenit in affectibus oculorum, quia est veluti vehiculũ, quod prouehit humores ad oculos, acetosa vero, seu acida, quę habent vim adstringendi coniunctam, hæc possunt conuenire, præsertim si post cibum sumantur, quoniam faciẽt, ne vapores, & humores in caput ferantur.

An acetum conueniat.

Hæc fere communia sunt, est deueniendum ad particularia magis, quæ remedia quinque generibus complexus est Hippocra. sexto aporism. 31. vbi ait dolores oculorum sanari meri potione, balneo, fomento, venæ sectione, & purgatione. Et sane tota hæc medicatio his quinque absoluitur. Sed animaduertendum, ordinem, quem recitauit, non esse seruandum in curatione, id quod etiam notauit Celsus. Sed vbi hæc administranda sunt, alter ordo seruandus.

Quod ad potum, & balneum, iam intellexistis, Venæ sectio sequitur; circa quam quatuor sunt consideranda: vnum est, quibus conueniat, 2. quantum. 3. quo in loco. 4. quomodo. Quod ad pri-

De venæ sectione.

ad primum, eſt controuerſia inter Græcos,& Arabes, quia Græci non volunt in omnibus con uenire venæ ſectionem, ſed ſolum quando corpus plenum eſt, dolor magnus, diſtenſio partis, rubedo,& calor: contra Meſues, Auicenna, & alij Arabes videntur voluiſſe, quod venæ ſectio conueniat in omnibus, modo nihil impediat. Ego ſic definio, quod niſi quid prohibeat, & ophthalmia ſit humoroſa, atque magna, quod ſemper a quocunque fiat humore, ſanguis eſt mittẽdus. Et ratio eſt, quia huiuſmodi ophthalmia, vel eſt a ſanguine, vel ab alijs humoribus ſanguini permiſtis. Præterea venæ ſectio tria bona præſtat, reuellitur materia, remittitur dolor, & feruor,& præbetur locus medicamentis repercutientibus, quia cum venæ exinanitæ ſunt paululum, fit vt in locum exinanitum humores repulſi a medicamentis recipiantur: In ophthalmia facta a materia vaporoſa non conuenit venæ ſectio, niſi dolor ſit vehementiſſimus. Gal. enim ait, quod in omni dolore magno ſaluberrimum ſit remedium venæ ſectio.

Qua uena ſecanda. De loco ſectionis ita ſtatuendum eſt, quod ſi corpus repletum ſit,& malum fiat ex plenitudine, primo pertundenda eſt vena communis, deinde cephalica, poſtremo venæ poſt aures, vel tẽporum:& ſi malum prorogetur, etiam venæ angulorum in oculis. Si malum nõ ſit a plenitudine, ſtatim deueniendum eſt ad ſectionem cephalicæ, deinde ad ſectionem venarum poſt aures.

Quantitas ſanguinis. Quantitas metienda erit ex viribus, quod ſi vires ſuſtineat,& malum fiat a plenitudine, aut mittendus eſt ſanguis vſque ad lipothymiam excluſiue, aut partienda eſt miſſio in plures vices, vt Galenus libro, de cur. rat. per ſang. miſſ. dicit, ſe feciſſe in quodam procuratore cuiuſdam ciuis Romani, in quo multam quantitatem extraxit, ſed tribus vicibus.

Tempus ſectionis. Tempus ſectionis eſt, vt ſtatim initiatur, lenita tñ prius aluo. Quod ſi ſectio non permittatur adhibendæ ſunt cucurbitulæ ſpatulis; aut ẽt coxis, aut partibus inferioribus, frictiones, ligaturæ ẽt conueniunt in principio ad reuellendum, quanquã facienda ſit venæ ſectio.

Purgatio. Circa purgationem eſt aduertendũ, an malum fiat ex ſola plenitudine ſanguinis, an ex cacochymia; quia ſi ex ſola plenitudine, poſt venæ ſectionem nulla conuenit purgatio, ſed tantum localia, quæ qualia eſſe debeant, mox audietis, ſi vero malum non ſit a plenitudine, ſed a prauitate humorum, præparati humores ſyrupis accommodatis erunt purgandi, pituitoſi quidem agarico, pil. cochijs, pil. ind. bilioſi ſcammonea, rhabar. melancholici pil. de lapide lazuli, pil. cochijs cum helleb. & vnumquemque humorem purgabitis proprio remedio. Sed aduertite, interdum debere eſſe leuiora remedia, interdũ grauiora, quia ſi facile purgatur æger, leuia, ſi difficulter, grauiora conueniunt, nam omnino eſt neceſſarium ſoluere aluũ. Dicit enim Gal. 6. aph. 17. vbi Hip. ait, quod ab opthalmia habito ſi fluxus alui ſuperuenerit, bonum: quod ſicuti videmus fluxum a natura factum curare ophthalmiam, ſic quoq; Medicus debet iuuare naturam, vt aluum fluere faciat

De fomẽtis. 1. Circa vltimum remedium, formentum, ſunt etiam quædam obſeruanda, quæ omnia fere monſtrat Gal. 4. de comp. ſec. loc. vnum, vt fugiantur fomenta adſtringentia, quia ſi oculis exhibeantur, exaſperant,& dolorem augent; verum eſt tamen, quod ad cohibẽdum fluxum vtemini adſtringentibus validis circa frontem,& tempora, quia hæc proſunt compeſcendo fluxui, neque dolorem exaſperant.

2. Opiata fugiẽda. Alterum obſeruandum eſt, vt quantum fieri poteſt, medicamenta opiata fugiatis, id eſt, ea, quæ magnopere refrigerant, quia, vt dicit Gal. ſi opiata adhibeantur, aut ſunt vehementia, aut non; ſi non ſint ita vehementia, primo quidem appulſu leniunt dolorem, ſed paulo poſt cruciatum geminant; ſi vero vehementiora ſint, tollunt quidem dolorem, ſed tollunt etiam viſum. Dices, cur igitur medicamenta veterum a Galen. relata fere omnia opium habent? Dico, eſſe prudenter excogitata, quia opium illud adeo refractum eſt, vt ſi non iuuet, etiam nõ lędat. Coguntur tamen Medici ob ſæuitiam doloris interdum vti huiuſmodi, ſed adhærendum eſt Galeni conſilio, vt ſi vtamini opio, dolore ſedato, illico foueatis oculos calidis, vt ſc. poſſit mala qualitas ab opio relicta auferri. Supereſt igitur, vt medicamẽta ſint accommodata, nempe quæ modice adſtringunt,& leuia ſunt, vt eſt albumen oui, fœnugręci decoctum maxime laudatum eſt a Galeno, Crocus, tuthia lota, aqua roſacea, atque hęc omnia fere, ſi iudicium adhibeatis, conueniũt in qualibet materia.

Localia in principio fugienda. Nolo tamen pręterire, quod fere pro oraculo habeo, vt in principio, niſi coacti, nunquam localibus vtamini; ego enim millies expertus ſum, quod inflammati oculi initio nolunt tangi, quia ita pollent acumine ſenſus, vt qualibet attrectatione offendantur,& ſemper abſtineo quantũ poſſum a localibus,& pręſertim in principio. Hęc omnia volui pro curatione per capita vos docere, ceterum poteritis particulariter vos exercere, & medicamenta ocularia multa habebitis apud auctores.

Sequeretur, vt de palpebrarum affectibus aliquid in medium traderetur, Verum quia hę minime videndi ſunt inſtrumenta, ſed tantum pro oculorum tutela inſeruiũt, eaq; pars pene tota eſt cutanea,& ob id potius ad decorationem, quam ad curatoriam medicinę partem videtur ſpectare, de hiſce hoc in loco tractandum non putaui; nolo tamen vos de pulcherrimo,& a nemine quem ſciam, adnotato Hippocratis loco defraudare. 2. epidem. libr. multi vocem λιθιῶντας Hippocrati vſurpatam, de calculo renum, de lapide veſicę interpretati ſunt, ſed omnes longe fefellerunt, primum quia, vt ſcriptum eſt in lib. def. Galen. nomine edito λιθίασις eſt proprie generatio lapidis in veſica, nec quemquam eſt inuenire probatum auctorem, qui pro generatione calculi renali vocem eam vſurparit. deinde quia calculus veſicæ nullam communionem cum oculis habere poteſt, vt ab eo ad oculorum morbum tranſeat. Itaque arbitrarer de morbo palpebrarum potius eſſe intelligendum, qui λιθίασις nuncupatur, & de quo ſermonem habens Aetius lib. 7. ſcribit λιθίασιν in palpebris fieri, cum ijs inuerſis apparent tophi albi intro

vergen-

vergentes. De quibus si Hippocrates loquatus, conuenire cum ceteris sequentibus, quodlibet solers ingenium iudicabit. Sic quoque in sexta sectione, huius secundi, loquens de strabis, dicit fieri ἰλλώττειν, id est, laborare palpebrarum vitio.

CAPVT XXXIX.

De instrumenti auditus affectibus in genere.

INter sensus nobis a natura tributos alij vitæ necessarij sunt, alij vitæ beatæ, alij neutri. Sine sensu tactus neque esse, neque viuere potest homo; absq; auditu, & visu potest quidem viuere, bene, beateque viuere non potest. Odoratus homini neq; ad esse, neque ad bene necessarius est, quoniam si voluptates, quas nobis odoratus prestat, comparemus molestijs, multo pauciores sunt, vt non debeat homo hunc sensum magnifacere. Dico hoc in homine; quia bruta odoratu ad persequendas escas vtuntur. Cum igitur homo non minus, vt bene viuat, quam vt viuat, curare teneatur, ea propter non minus studij imponendum est, vt visus sibi cōseruetur, & auditus, quā vt tactus, & gustus. Quod vero hi duo sensus, visus, & auditus, ad bene, & beate viuendum conducant, testantur Plato, & Arist. qui dixerunt, ad prudentiam, & disciplinas comparandas hos sensus esse maxime necessarios. Et quanquam Aristo. libro de sensu, & sensili videatur sensisse, quod visus ad prudentiam magis conducat, quam auditus, sum tamen alterius sententiæ, quod videamus cæcos sæpe prudentiores esse, quam surdos, propter quod Theophr. in libro de sensibus iure dixit, auditum magis ad rationem accedere quam ad affectus; Immo vero nullum esse sensum, qui magis alienet a ratione, quique magis dementet homines ipso auditu. Cum igitur hæc ita se habeant, si diligentes fuistis in cognoscendo, quomodo visum a morbis custodiatis, eodem modo, & auditum defendendum curare debetis. Spero me hanc rem vobis ita tractaturum, vt sicuti, quantum in me erit, nihil omittam, ita, & vos vtilitatem, & voluptatem capiatis; Quod vt melius consequi possitis, inuenienda sunt nobis vitiorum genera, quibus hic sensus omnium maxime labefactatur. Ratio vero inueniendi hæc vitia non aliunde expectanda est vobis, nisi ex cognitione artificij auditus, qui, vt colligere est ex Arist. secundo, de anima, & libro de sensu, & sensili, nihil aliud est, nisi perceptio sonorum externorum, dum enim aer ille externus percutitur, labyrinthos, & gyros aurium ingreditur, quousque perueniat ad aerem illum implantatum, qui percussus ab externo, dum, vt ait Plato, percussionem ad animum mittit, fit auditus. Sed quomodo hoc perficiatur, melius intelligere potestis ex Hippoc. libro de carnibus, & lib. de locis in homin. vbi reprehendit quosdam, qui dicebant, in auditu cerebrum personare; refellit horum sententiam hac ratione, quia cerebrum, & membranæ cerebri humidæ sunt, humida vero personare non possunt; qua ratione dicit Hippocr. intra latebras aurium esse spacium quoddam plenum aere, quod circūdatum est ab osse, & a pellicula aridissima, vbi aer percutitur, percussus allidit ad os circundatum, & ad pelliculam, quę percussa ob siccitatem resonat, sonus vero iste peruehitur ad cerebrum, atque ita fit auditus.

Inuestigatio vitiorum auditus.

Auditus quid.

Quomodo fiat auditus.

Ex hoc discursu, atque ex hac auditus notitia colligitur, quatuor ad perficiēdum auditū esse necessaria: vnum est, vt soni audiantur: alterum, vt soni solum externi, id est, ab externa percussione aeris effecti audiantur, tertium, vt percipiantur soni positi in debita distantia, nec non facti a moderata percussione; quartū est, vt hęc perceptio fiat sine vlla perturbatione, vel dolore. Si vero aliquid horum, dum fit auditus, desideretur, statim auditum laborare est consentaneū, ex. gr. si soni non percipiuntur, si non percipiantur externi, sed interni, si non percipiantur in debito spacio, vel cum moderata percussione: postremo si percipiantur, sed non sine perturbatione. Vbi soni nullo modo percipiuntur, fit surditas, vbi percipiuntur interni soni, & non externi, fit tinnitus, & sonitus; vbi percipiuntur externi, sed non in debita distantia, sed quando solum appropinquant, aut non percipiuntur, nisi cum magna percussione, fit auditus grauis. Vbi percipiuntur etiam in debito spacio, sed non sine perturbatione, efficitur dolor. Ita habetis ex arte inuenta genera vitiorum, quibus auditus læditur; de quib. omnibus exactissime tractabo.

Quatuor ad perficiēdum auditum necessaria.

Enumeratio vitiorum circa auditum.

CAPVT XL.

De surditate, & difficili auditu.

A Primo autem vitio arte inuento, & a tertio, scilicet a surditate, & grauitate auditus inchoabo, quia hęc vitia ab iisdē causis ortū ducunt, & easdē pene curationes postulant; & si quæ est differentia, solum secundum magis, & minus est. Vbi igitur nullo modo audiūtur soni, neq; a propinquo, nec externi soni, nec interni, neque etiam sub uehementissimis aeris percussionibus, fit affectus a Latinis surditas appellatus. Marcellus appellauit surdiginem. Græci uocant κώφωσιν.

Nomina surditatis.

Sed notate, quod etiam notauit Erotianus, hanc uocem apud Hippocratem non solum auditus designare priuationem, uerumetiam priuationem uisus interdum; eo prope modo, quo

etiam inuenietis apud Latinos, surditatem significare sæpe priuationem variorem sensum. Vbi vero audiuntur quidem soni, sed debiliter, ita vt solum in spacio paruo audiantur, vel sub magna percussione, vel aliquo adiumento, vt ait Galenus vndecimo, de vsu par. 12. de Hadiriano Imperatore, qui audire non poterat, nisi manum obtenderet auri, fit alterum vitium, quod Græcia tribus nominibus, appellatum est, βαρυηκοΐα, δυσηκοΐα, ὑπήκουσις; Medici Latini appellarunt grauem, difficilem, & debilem auditum, & sic affectos appellarunt surdastros.

Historia Hadriani Imperatoris. Nomina grauis auditus.

Genus symptomatis.

Hæc duo vitia, de quibus tractandũ, manifestum est, quod sint symptoma in genere auditoriæ actionis læsæ dupliciter, ablatæ scilicet, vt in surditate, & diminutæ, vt in graui auditu.

Morbi, a quibus dependent.

Morbi, a quibus dependent hæc symptomata, vt est apud Galenum libr. de diff. symptoma. capit. tertio, sunt mala intemperies, interdum solutio continui, nonnunquam mala conformatio.

Locus affectus. Differentiæ.

Sedes affecta modo interna pars auris est, modo cerebrum ipsum, modo neruus auditorius ἀκουστικός, in quibus omnibus locis potest esse morbus positus, qui faciat hos affectus, quorum plures sunt apud Medicos differentiæ, quoniam alij sunt natiui, alij vero aduenititij; alii sunt vetusti, alij recentes; rursus alii sunt facti per essentiam, alii per consensum.

Ceterum causæ horum affectuum naturalium duæ solum inueniuntur, nerui auditorii occlusio perfecta, nec nõ spacij illius vacui integra repletio, atque hæ sunt duæ causæ surditatis. Quod si nec perfecte a natura nerui sint occlusi, nec spacium illud integre oppletum, non fit surditas, sed auditus grauis a natura.

Causa internæ immediatæ.

Causæ autem horum affectuũ adscititiorum, & morbosorum aliæ sunt internę, & immediatæ, alię externę, & mediatæ. Internæ, vt colligitur ex Galeno primo de symptom. caus. cap. 3. & apud Auicennam quarta, tertii, tract. 1 a tribus fontibus capiuntur, aut a facultate læsa, aut ab instrumentis auditoriis, aut a partibus artificio auditus inseruientibus.

Causa internæ ex parte facultatis. 1. Morbi cerebri.

Causæ internæ ex parte facultatis sunt, vel morbus cerebri, vel morbus nerui auditorii. Morbi cerebri, qui causant hos affectus, sunt mala intemperies, tumor, solutio continui. Sic enim experiemini in lethargo, in phrenitide, in vulneribus capitis grauioribus, interdum auditũ prorsus tolli, interdum autem valde diminui. Causa cur ex his morbis offendatur auditus, est, quia vel spiritus non mittuntur ad auditum, vel mittuntur pauci, vel inutiles; sicuti enim si mittuntur multi spiritus, & puri ad aures, fit auditus, pariter si vel nulli, vel impuri, læditur auditus.

Quod autem multitudo spirituũ faciat ad exquisitum auditum, solum vnum atque illud efficax argumentum volo vobis tradere de cæcis, de talpa; nam videbitis semper cęcos exquisitissime audire; talpa similiter, qui a natura cæcus factus, exquisitissime audire putatur, quia spiritus illi, qui deberent inseruire virtuti visoriæ, omnes ad auditum efficiendum conuertuntur, & ob id exquisitissimum auditum reddunt.

Morbi nerui auditorii.

Morbi vero nerui auditorii, qui hos affectus faciunt, sunt vel intemperies, vel obstructiones, vel incisiones. Obstructio fit huius nerui, aut si comprimatur, aut si oppleatur, vel a flatu, vel materia; materia autem, a qua impleatur huiusmodi nerui, potest esse varia, scilicet melancholia, bilis, & pituita, sed frequentissime est pituita: propter quod Hippocrates libro de morb. 2 ait mutilari auditũ, vbi in instrumento ipsius pituita obfirmata est.

Causæ ex parte instrumenti sunt intemperies, solutio continui facta, vel in illis ossib. circumdantibus spacium, vel in pellicula illa sicca, aut est obstructio, quæ fit, vel ab humorib. vel a sordide, vel callo, vel ab aliquo alio huiusmodi.

Sed hoc loco duo sunt notanda, vnum est, Auicennam duas surditates effecisse, alterã, quam proprie surditatem appellauit, quoniam scilicet vacuum illud, in quo est auditus instrumentũ, oppletur: Alteram vero, quando nerui deferentes auditorium spiritum replentur, atque hanc vocauit duobus nominibus, Tharax, & Gnahen; quæ surditas ideo fit, quia spiritus a cerebro nequaquam transuehi possunt ad spacium hoc auditorium.

Alterum notandum est, surditatem omnem consummatã, & perfectam, fere semper a natiuitate fieri; dico fere semper, quia interdum etiam, sed rarissime ex morbis oritur, sed quando oritur homo parum superuiuit: ratio est, quia vix fieri potest, vt nerui illi auditorij vnquam perfecte obstruantur. Similiter vix fieri potest, vt vacuum illud vllo in genere morbi penitus oppleatur. Causæ porro, ex parte membrorum deseruientium huic artificio, sunt iidem fere morbi, quos in aliis enumerauimus, quoniam anfractus illi aurium cum sint destinati ad perferendos externos sonos intra aurem, si aliqua de causa impediantur, quo minus possint suo munere fungi, statim auditus, vel deperditur, vel multum hebetatur.

Causę mediatę externæ.

Iam vero causæ mediatæ seu externæ, & antecedentes multæ sunt, in primis aer crassus, & nebulosus; propter quod videbitis eos, qui inhabitant paludes, & lacus, citissime, & ante senectam fieri surdastros. Regio austrina, & tempus austrinum idem faciunt, nam ait Hippoc. 3. aph. 5. austros esse βαρυηκόους, id est, grauem auditum facere. Aetas, quia senes solent ætate matura auditum diminutum habere, quod non alia ratione fit, quam quod pauci, & infirmi spiritus a cerebro ad aures perferuntur. Magni sonitus, & magni fragores clarum est, quod auditũ valde lædunt: Sic inuenietis nonnullos ob tonitrua surdastros factos esse. Plin. lib. 6. c. 29 narrat, quod ea parte, qua Nilus sese præcipitat, ob fragorem, & strepitũ aquæ cadentis, accolæ omnes surdi fiunt; vehementes aurium percussiones, corpora quoq; exterius intra aures delabentia, & pręsertim aqua frigida frequenter illabens, magnum auditui detrimentum pariunt. Arundinis lanugo, vt refert Plinius lib. 24. cap. 11. peculiari quadam vi, si in auribus ponatur, surditatem

facere

facere putatur. Medicamenta quoque, vt opium. Addit his omnibus Alzarauius fumos auri pigmenti, & argenti viui, & Arsenici, si aures tangant, valde offendere.

Cur aqua auribus illapsa auditũ offendat.

Inter causas externas, a quibus fieri surditatem dixi, audiuistis a me connumeratam aquam, & est quęstione dignum, cur aqua illapsa auribus potissimum auditum offendat. Alexand. primo problem. med. 75. conatus est huius rei causam explicare, vbi quærens cur aures omnes alios sustinent liquores, aquam vero non possint? ait eam esse causam, quia aqua sua fluxibilitate sese in meatum auditorium insinuat, vbi cum pars illa sit neruea, & nerui omnes, vt ait Hippoc. lædantur a frigore, iure instrumentum auditus læditur ab aqua; propter quod iure miror Agathinum Medicum, qui apud Orib. libro decimo, ca. septimo, dicebat se ignorare, cur auditus lauacro frigido offendatur. Potestis rationibus Alexand. aliam addere, scilicet quod aqua cõtinuo illapsa relinquit humiditatem in instrumento auditus; iam vero est sententia Aristo. secundo, de anima, & 11. par. problem. 57. non audiri per aquam, eo quod vox non possit aquæ meatus angustos penetrare. Inter causas externas sunt etiam morbi antecedentes, & Celsus ait auditum maxime minui, ex longo capitis dolore: sic quoque epilepsia, lethargus, & alij morbi capitis frigidi, solent auditum imminuere. Habetis Hippoc. sententiam 4. aph. vbi ait, biliosas deiectiones, si intempestiue fiuiantur, surditatem facere.

An morbi pulmonũ surditatẽ etiã faciant.

Est hic pulchra consideratio, an sicuti morbi capitis surditatem interdum efficiunt, sic quoque morbi pulmonis possint surditatem efficere. Ex vna parte non videtur consentaneum, vt morbi pulmonis offendant aures, primum, quia inter pulmones, & aures nulla videtur euidens communicatio. 2. si vitia pulmonis offenderent auditum, videretur necessarium, quod animalia, quæ carent pulmone, minus audirent; quia si vitium pulmonis facit surditatem, ergo magis carentia, sed falsum est, quod animalia carentia pulmone sint surda, quoniam pisces maxime audiunt, vt multis exemplis docuit Plin. lib. 3. c. 70.

Ex altera parte est Arist. quin. par. probl. 4. & 14. quærens rationem, cur surdi ex narib. loquuntur; dicit ideo esse, quia pulmo vitiatus est in surdis: cum enim ait ille, surditas sit repletio partium spiritualium, fit vt surdi perinde atque asthmatici cogantur vocem vehementer edere, vnde vox vehementer edita erumpit per nares. atque ita surdi ex naribus loquuntur, quoniam vitiatus est pulmo. Quanquam Cassius probl. 23. dicebat aliam esse causam, cur surdi loquantur ex naribus; quia scilicet ex morbo, quo sunt surdi, coguntur dilatare nares, vnde illis dilatatis spiritalis vox per nares erumpit.

Accedit Arist. auctoritati, & ratio, quia inter aures, & pulmones videtur esse maxima conspiratio, licet non euidens. primo quia si aures scalpantur, protinus excitatur tussis nõ ob aliam rem, nisi quia conspiratio est inter membra spiritus, & aures. Secundo habetis apud Hip. 2. prog. quod morbi pulmonis sæpe in parotides finiuntur. Postremo dicit idem Hip. Peripneumonias finiri in surditates, & in affectus capitis, ita vt clarissime appareat, & ratione, & auctoritate, esse conspirationem, inter pulmonem, & aures, ita vt possit faciliter per morbum pulmonum communicari offensio auribus.

Resolutio auctoris.

Dicerem in hac dubitatione ego, non necessarium, neque perpetuo verum esse, quod surdi habent vitiatum pulmonem, contingit tamen hoc interdum, quando sc. surditas fit ex repletione neruorum auditoriorum, quo in casu cum plurimi abundent humores in capite, sæpissime contingit, vt non solum ad aures, verumetiam ad pectus decumbant, & sicut auditum offendunt, pariter pulmones commaculent, & vitient, itaque ad Arist. dicerem, intelligẽdum esse, non quod semper sic contingat, sed interdum.

Cur in phrenitide, & lethargo offendatur auditus.

Sed dicetis, iam intelligemus, quomodo in surdis pulmones vitientur, intelligemus etiam, passiones ex pulmonibus sæpe redundare in cerebrum, sed optamus nunc scire, cur in phrenitide, & in lethargo magis offendatur auditus, quam alii sensus; hoc videbitis experiẽtia, semper affectos grauiter secundum caput minus audire, quam uidere, aut odorari. Dico hoc fieri tribus de causis, 1. quia, vt ait Theoph. libro de sensibus, auditus inter omnes sensus proximus est rationi: & hinc est, quod Aristo. ait ipsum magis ad capescendas disciplinas cõferre. Cum igitur auditus sit rationi magis cognatus, iure optimo, vbi offenditur ratio. vt in phrẽitide, quadã quasi consequentia offenditur auditus, secunda ratio est, quia proprium instrumentũ auditus est magis vicinum cerebro quam alia instrumenta, ea propter fit, læso vt insigniter cerebro faciliter cooffendatur auditus instrumentum, 3. ratio est, quia potissimum auditus instrumẽtum est, vt dixi, ea tunica arida circundata ossibus, iã vero phrenitis est inflammatio membranarum cerebri, & membranis actis faciliter coafficitur ea tunica, quæ est membranosa. Et hæc de causis.

Signa.

Signa surditatis, & grauitatis auditus, partim habentur ex ægri relatione, partim ex animaduersione Medici, quia illos, qui male audiunt, videbitis sæpe non intelligere ea, quæ dicuntur sępe exporrigere aures, facere, vt repetantur verba, & alia quædam afferunt, quæ solerti Medico declarant auditum offensum esse.

Distinguẽtia affectũ morbosum a natiuo.

Signa autem, quæ distingunt natiuos a morbosis, nulla alia sunt, quam perduratio, & permanentia morbi, vsque a primis annis: sed potissimum signum, quo debetis surditatem natiuam a morbosa distinguere, est, quod surdi a natiuitate semper sunt muti; surdi a morbo, quantum est ratione surditatis, non sunt muti: dico ratione surditatis. quia fieri potest, vt morbus, qui facit surditatem, etiam auferat loquelam. Sed antequam vlterius in peruestigandis signis progrediamur, tria problemata sunt discutienda; primum est, cur surdi a natiuitate semper sint muti. Alterum est, cur inter omnes sensus auditus videatur magis oblædi a natiuitate. Tertio. cur

surdi a natiuitate sint in vtraque aure, a morbo enim contingit raro, quod in vtraque, sed frequentius in altera tantum aure sunt surdi.

Cur surdi nati sint muti.

Ad primum respondet Alexand. & bene primo problem. 133. ideo esse, quoniam sermocinatio, & loquela fit per disciplinam, disciplina fit ex auditu: itaque sublato auditu, non est locus disciplinæ, & consequenter sermocinatio destruitur. Dat Alexand. & aliam rationem, quod secundum aliquos Medicos, idem par neruorum defert ad auditum facultatem, & ad linguam: vnde impedito hoc pari neruorum, necessario, & linguæ, & auditus nerui simul impediuntur. Cui rationi, & illud potest addi, quod ait Hippo. lib. de carnibus, scilicet homines fieri mutos, quando lingua ad palatum, & ad dentes allidens dearticulare nullo modo potest. Sed, Domini, hæc secunda ratio licet fuerit aliquorum Medicorum, non est tamen vera, quemadmodum prior.

Probl. 2. Cur auditus maxime lædatur a natiuitate.

Circa secundum Aristo. 11. probl. 1. conatus est rationem explicare, vbi ait sibi, auditum, & vocem effici ab vno principio, quod vt exponit Aponensis, est cor ipsum. Cum igitur fiant ab vno principio, ait Arist. quod sicuti vox in homine faciliter deprauatur, eadem ratione & auditus: & propterea facilius ceteris sensib. offenditur. Quod vox in homine magis deprauetur, trib. argumentis probat Arist. primum est, quod homines a natiuitate longo tempore obmutescunt. Alterum est, quod quo tempore homines loqui incipiunt, balbutiunt, integras voces non proferunt. Tertium argumentum est, quod solus homo inter omnia animalia sermonis est capax. His tribus indicijs putauit Aristot. satis probasse, quod sermo in homine faciliter deprauetur, & quod debeat hac ratione etiam auditus faciliter deprauari.

Refutat.

Sed hæc sententia mihi non placet; nam tametsi nos Medici inuiti concedamos Philosopho, a corde fieri auditum, & vocem, non tamen sequitur similitudo de auditu, & voce: siquidem a principio omnibus auditus integer est, vox vero, vel sermo nec integer, neque diminuitur, itaque non videntur sese consequi vox, & auditus. Quod autem auditus sit omnibus a principio natiuitatis, est testimonium Gal. qui 1. de tuen. val. 2. dicit, homines statim ac nati sunt, delectari harmonia, & sono, & propterea pueros cantu nutricum demulceri. Potest, & altera ratione probari, quod hæc similitudo Arist. nihil valeat, quia etsi homo tarde loqui incipiat, atque etiam dum incipit loqui, balbutiat, tamen non vere potest dici sermo ille deprauatus, eo quod sicuti fructus,

Resolutio auctoris.

dum sunt immaturi, non dicontur corrupti, sic dum sermo incipit fieri, non debet dici deprauatus, sed veluti immaturus, præterea si hoc verum esset, debebat Arist. reddere rationem, cur

Responsio 1.

sermo deprauetur. Cum autem hoc non fecerit, cur ipsi credemus quod propterea auditus lædatur; itaque pro solutione huius probl. puto dicendum esse tribus de causis potissimum auditum a natiuitate oblædi; vna est, quia fœtus in vtero habet omnia instrumenta sensuum

2.

occlusa; exceptis auribus, nam neque nares, neque os, neque oculos apertos habet, aures, vt plurimum habet patentes, & propterea facile est, quod aliquid ex vtero in aures labatur, quod

3.

quidem contingere non potest alijs sensibus. Altera ratio est, quia instrumentum auditus internum vacuum est, vt dixi; vacuum in vtero, & capite humidissimo facile repleri potest. Tertia ratio est, quia nerui auditorij, cum sint propinquiores cerebro, & sint magis passibiles: hinc fit, vt etiam facilius offendantur.

Probl. 3. Cur surdi nati vtraq; aure sint surdi.

Ad tertium problem. respondeo id quod dicit Cassius Medicus problem. 17. surditatem s. a natiuitate fieri fere semper propter cerebri ipsius morbum; vnde cum causa sit interna, & sit communis vtrisque neruis auditorijs, necessarium est, vt offenso principio, ambo nerui offendantur, & consequenter vtraque aures surdescant; secus autem contingit in morbo, quia surditas in morbo plerumque fit aliqua causa externa præcedente: iam vero externa causa potest lædere vnam aurem, illæsa altera, quia cum aures sint valde remotę, potest lædi vna auris extinsecus, aut etiam intrinsecus, illæsa altera, modo principium neruorum offensum non sit. Et hoc habeatis pro iudicio, ad cognoscendum, an surditas sit vitio principij neruorum, quia ambæ aures tum semper surdescunt, non autem vbi non est affectum principium. Signa, quæ distinguunt affectus essentiales ab affectibus per consensum, sunt hæc, quod si fiat per consensum a cerebro, vt notat Gal. 4. de loc. aff. & Auicen. 4. tertii tract. 1. necessarium est, vt præter auditus læsionem, adsit aliqua alia læsio in capite, in facie. Præterea succedet malum alicui morbo capitis, vt epilepsiæ, lethargo, phrenitidi, adhæc offenduntur etiam alij aliqui sensus simul, præsertim vero gustus, & videbitis illos, quibus oblæditur auditus, per consensum a cerebro gustum imminutum, & deprauatum habere. Ratio est, quia, vt ex anatome intelligitur, nerui tam auditui, quam gustui seruientes oriuntur a quarto pari, itaque facile fit læso principio neruorum auditui seruientium, vt lędantur etiam nerui gustui inseruientes.

Quod si fiat auditus malum a stomacho, cognoscetis hoc iudicio, quia cibo cocto, & euacuato stomacho melius audiunt, pleno, & crudo, deterius.

Quod fiat lęsio per essentiam in aure, cognoscetis partim ex visu, partim ex ratiocinatione; ex visu, si aliquod animalculum, vel lapis ingressus aurem abstulerit auditum: si tumor adsit, si vlcus, vel callus. Intelligetis etiam ratiocinatione, quia nulla alia pars lęsa apparet in capite: si præcesserint aliquę causę procatarcticę, quę offenderint auditum. Quod essentialis causa sit in neruis acusticis obturatis, in profundo auris percipietur quędam obstructio. Quod si sint apostemata, aderit grauitas in aure, dolor profundus, & grauis febris. Addit Alzarauius hisce signis, & bene, quod fit permixtio rationis, fiunt deliria, fit vanitas mentis.

Signa ab intemperie.

Si auditus grauitas, aut surditas fiat a sola intemperie, cognoscetis his signis, quia vbi calida erit intemperies, calor in aure percipietur, leuabitur, aut minuetur affectus ex applicatione frigidorum:

dorum:causæ præcedentes,vt febres,æstus coindicabunt. Accedent etiam signa, quæ sumuntur ab ætate,a corporis habitu.

Si intemperies fuerit frigida cognoscetur,quia in aure frigiditas percipietur,lenietur affectus vsu calidorum,aderunt etiam signa ex ætate, & habitu, subinde causę pręcedentes in victu, in aere,significationes augebunt. Similiter si fuerit sicca intemperies,aliquæ causæ necessario præcedentes erunt signa,vt exustiones,inflammationes,& febres,quæ possunt exsiccare. De humida intemperie idem etiam dici potest.

Prognostic.

Prognostica sequũtur,de quibus illud primo dicendum,omnem surditatem natiuam,& auditus grauitatem ab ortu,incurabilem esse. Imo dicit Paulus, quod hi affectus morbosi, si diuturni fuerint,curationem non recipiunt:hæc vero diuturnitas a Rasi 3.cont. definita est spacio 10.annorum,ita,vt & affectiones prauæ auditus,quæ 10.durarunt annis,& natiuæ omnes,sint incurabiles. Recens surditas,& auditus grauitas curatur;de qua loquens Gal.3. de loc.aff.ca.1. ait,quod affectiones auditus,nisi statim comprimantur, solent in incurabiles affectus finiri.

Surditas quã lethalis.

Est Hipp.sententia in lib.de coac.pręnot.quod surditates cõtingentes in morbis acutis, & in longis veluti in Ileo, lethales sunt. Idem quoque 4. aph.28. & 60.ait surditates, si superueniant deiectiones biliosę,vel sanguinis fluxus e naribus in febribus, curari, quem locum dum interpretatur Gal.iure monet vos,non de essentiali surditate Hipp.locutum esse, sed de ea, quę fit per consensum inferiorum partium. Addit hic Hipp.in lib.de iud. quod dolor superueniens solet quoque surditatem tollere.

An fluxus vrinę surditatẽ tollat.

Quæret aliquis vestrum,an sicuti fluxus sanguinis,& alui,surditates soluunt, ita quoque fluxus vrinæ possit surditatem soluere? Dico hoc nequaquam fieri posse,quia si surditas debet fieri a materia ab inferioribus ad superiora transmissa,debet fieri ex ea materia, quæ facile sursum fertur,sed quæ sursum facile tollitur materia,vel est sanguis,vel est sola bilis:ideo iure dixit Hippoc.biliosas deiectiones. Iam vero humor serosus,vt patet,tolli non potest sursum,ideo neque potest facere surditatem, nec eius fluxus vllum iuuamentum pręstabit. Imo volo vos docere hoc,quod nulla affectio capitis,vel leuatur, vel minuitur,vrinæ fluore; hoc enim facillime intelligetis in febribus pestiferis,in quibus videbitis,dum ęgri sunt apud mortem,incredibiles vrinarum copias excerni,tamen tantum abest affectiones capitis leuari, vel minui, vt potius deliria, & tremores,& alia symptomata augeantur.

Sed quid de dolore genuum,qui fit ab humoribus crassis,& tamẽ dicit Hipp.quod dolor genuum leuat surditatem? Dico sapientissime id dictum esse ab Hip. duabus rationibus,i.est, quia materia pituitosa,vt plurimum facit surditatem; hęc autem materia pituitosa, si decumbat in genua,sane derelinquit aures,atq; ita surditati succurritur;unde iuuat saltem, ut morbus nõ augeatur. Alia rõ est,quia dolor earũ partiũ trahit, & inde fit materiæ aures offendẽtis diuersio.

Curatio.

Curatio a nobis non tradetur affectuum natiuorum,quia diximus eos esse incurabiles;habebitis igitur solum curationem affectuum morbosorum,& recentium. In qua curatione debetis semper esse soliciti, tum quia locus affectus est propinquus cerebro, ob quod facile illi malum cõmunicatur,tum quod affectiones istæ si a principio contemnantur, desinunt in incurabiles morbos. Hæc curatio posita est tota in tollendis causis.

Causę vero,& morbi,qui faciunt has affectiones,sunt duum generum, alij calidi cum materia calida,alij sine materia,alij frigidi cũ materia frigida, uel sine materia. Nos igitur particularẽ curationem,atque aliam trademus frigidorum morborum,aliam calidorum.

Victus ratio.

Sed antequam sigillatim vnamquamq; tradamus,sunt quædã communia,quę prius necessariũ est scire. Illud utrisq; communissimũ est,vt quam primum diuersionibus ligaturis,cucurbitulis,frictionibus prouideatur, ne materia ad partem affectã noua fluat. Sunt & alia quædam pertinentia ad uictus rationẽ,in primis est illud,quod monuit Auic.ut fugiatur extremũ frigus, & extremus calor,nã sicuti magnus calor colliquidando,& mordẽdo valde offendit,sic quoq; magnũ frigus. Imo Alb. Magnus in 2.summa de hoïe,loquẽs de auditu ait,inter alias causas,ob quas anfractus auriũ facti sint longi in hoïe,hanc vnã esse,ne cerebrũ, aut instrumentum auditus lædatur a frigore,quia si læderetur a frigore,animalia interirent. Quod dico de calore,& frigore,idem de aere nimis aut frigido,aut calido intelligendum,item de regione,& similibus.

Fugiendus est nimius somnus, fugiendæ curæ animi grauiores, fugiendæ exercitationes nimiæ,pręsertim a cibo. Cauendum pręsertim a sonis asperis,& grauibus propterea, qui laborãt, remouendi sunt a sonitu bombardarum,& tonitruum,si fieri potest. Si quid vero cauẽdum est in his affectibus,procul est a cruditatibus,a crapulis, cibis omnibus, qui crassos succos gignunt, & qui vapores in caput mittere possunt,propter quod Rufus Ephesius dicit, alium auditui maxime nocere.

Potus.

Potus vini meracioris, crassioris, generosioris, omnino fugiendus:habetis enim Hipp exemplum 5.& 7.epid.in casu Parmenici filij,ob cuius surditatem curandam dicit Hipp. præcepisse, atque consuluisse, vt mane deambularet, mane surgeret, vt vteretur vino albo tenui,pane,piscibus petreis, abstineret ab oleribus. Hæc omnia sunt communia affectibus auditus, tam a causa calida,quam a frigida.

Curatio a cã frigida.

In eo vero affectu,qui fit a causa frigida,satagendum est primum circa victum,vt sicuti dicit Galen.sit victus modice calefactorius,extenuatorius,& propterea etiam circa aerẽ,& alia omnia hoc institutum seruandum,vt omnino exsiccent,extenuent,& moderate calefaciant. Deinde cogitandum,an vna cum intemperie frigida sint humores, si sint, vel sunt pituitosi, vel melancholici:si pituitosi,præparandi sunt hoc modo.

Preparans pituitam.

℞. Fol. betonicæ.
Rorism.
Stachad. an. M. j. f. decoct. s. a.
Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Oxym. simpl.
Syr. de stæchade.
De byzantijs an. ℥. v. M.

Preparans melancholiam,

Si humor fuerit melancholicus, præparabitis hoc modo,
℞. Fol. beton.
Lupul.
Fumariæ.
Borrag. an. M. j. decoct. s. a.
Deinde *℞. d. d. ℥. iiij ß.*
Syr. de succo lupul.
De succo fumar.
Syr. Sabor regis an. ℥. vj. M.

Purgãtia pituitam. Melãcholiã.

Postquam preparati fuerint humores, pituitosos purgabitis pil. cochijs, aureis, aggregat. melancholicos pil. cochijs cum helleb. pil. de hiera Pachij, de lapide lazuli, de bolo arm. Et notate materiam esse in penitioribus partibus, & agendum propterea esse ijs medicamentis, quæ possunt materiam illam extrahere, & propterea iure dicit Hippocrates. Aluum turbatam soluere surditatem. Monuit Auicenna, agendum esse potius medicamentis leuioribus, & repetitis, vt natura possit concoquere humores; sed vt dixi, mea est sententia; quod si materia debet extrudi ex partibus illis penitioribus, non potest fieri leuioribus medicamentis, sed potius grauibus: ob quod Gal. 3. de med. loc. commendauit pil. de colocynth. Post purgationem, exsiccandum est caput efficacius. Sed notate, Cornarium, vbi Gal. dicit ξηρανθῆναι, putat legendum, vt significet, deradendum esse, ductus auctoritate Celsi, qui in graui auditu commendat caput radendũ esse, quod etiam commendatum est a Cælio. sed doctus iste vir mihi videtur hallucinari, quia ibi Gal. dicit, quod apophlegmatismis vtendum sit, deinde subiunxit ξηρανθῆναι, seu exsiccandum, quasi exsiccare, & apophlegmatismis vti sint consona inter se. Fateor raturam capitis interdum prodesse, sed exsiccare caput semper prodest; propterea lectio communis Gal. valebit. Pro exsiccatione prosunt lotiones, stillicidia aquarum, vel sulphurearum, vel introlarum, masticationes, sternutationes, quoniam videbitis interdum cum sternutamus veluti aures aperiri, & clariorem fieri auditum.

Caput exsiccantia.

Archig. apud Gal. & hunc multi secuti, commendant, vt in his casibus vehemens fiat in aures inclamatio. Sed dicet quis vestrum, quomodo potest hoc commendari, quoniam alias docui clamores, fragores, tonitrua efficere surditatem: quomodo igitur potest prodesse vehemens inclamatio in aures? Respondeo, vel caput repletum esse, vel vacuum, & expurgatum: si caput sit repletum, fragores, & tonitrua faciunt surditatem, quia isti motus percutiũt instrumentum auditus, & male afficiunt; peteussum, & male affectum, attrahit ad sese a capite pleno, humores attracti obstruunt neruoa, & locum illum vacuum, & ita fit surditas. Capite vero vacuo iuuat sonitus, nam præcipiunt Medici, vt tubæ apponantur auribus. Ratio est duplex, primo quia calefaciunt meatum auditorium, quæ calefactio non trahit a capite, quia non est plenum, sed discutit reliquias humorum existentium in instrumento. Alterum, quod facit hæc inclamatio est, quia impulsu suo elidit humores ex locis impactis, & ita surditatem soluit.

Num vehemẽs inclamatio in aures conueniat.

Epicurus, & Democritus, qui, vt disputat Lucretius 4. de natura, existimarunt vocem, & sonum corporeum esse, dicebant, quod vox corporea penetrans excludit corpuscula illa efficiẽtia surditatem, atque ita liberat. Sed, vt dixi, quamuis non demus vocem, aut sonum corporeum esse licet nobis causam habere, cur magni soni surditatem soluãt; & hoc est, quod Gal. 3 de medicamentis loc. damnãs fomentum quoddam Apollonij Medici dicit, quod in dolore aurium opus sit quiete, in surditate vero, & graui auditu opus sit motu, & concussione vehementi, & transmutatione ad contrariam affectionem.

An vomitus cõferat.

Est hic animaduertendum, quod notaui ex Hipp. in lib. de loc. in homine, vomitum seu inanitionem per vomitum non conuenire in curandis auditus affectibus, quia ex vomitu comprimuntur loca aurium, replentur spiritu, & flatibus, id quod facile intelligitur, quia homines dũ vomunt, nihil prope audiunt, quia ex illo motu maxime laborat instrumentum auditorium. Accedit, quod ex vomitu nõ parum caput repletur, repleto capite, suggeritur facile materia ipsis instrumentis auditus; Id enim accidit in vomitu, vt rem colligam, quod scribit Arist. in libr. de gen. animal. c. 2 & 11. probl par. 42. & 44. euenire in oscitantibus, in respirantibus, & inspirantibus, qui non audiunt, vt inquit philosophus, quia per hos motus sanguis, spiritus, & flatus sursum tolluntur, quod apparet ex rubore faciei, sursum lati feruntur in aures, atque instrumẽtum auditus, qui huc, missi, & impacti duo faciũt, 1. replent ita, vt non possit facultas per meatus auditorios transire ad instrumentum; deinde mouent aerem implantatum, qui aer, si recipere debet facultatem audiendi, necessarium est, vt in quiete, non in motu maneat.

De vsu topicorum.

Post totius corporis, & capitis purgatione deueniendum est ad localia medicamenta, circa, quæ, vt aliquam theoricam habeatis, quo possitis recte medicamenta localia in affectibus adhibere, de quinque monendi estis. 1. est, quæ sint medicamenta, quæ in affectionibus aurium adhibentur,

bentur, 2. qualia esse debeant. 3. quanta, 4. quis modus exhibendi 5. quo tempore administrari conueniat.

Quod ad primum attinet, natura medicamentorum localium, vt docet Gal. lib. de artis cõst. sumitur a natura morbi, a natura partis, & a situ partis; Iam vero surditas, & auditus grauitas naturam hanc habent, vt fiant, vt plurimum a causis frigidis, & crassis humoribus, vel etiam a calidis crassis, obstruentibus, aut meatum auditorium, aut neruum auditorium, aut instrumentum auditus. Pars affecta neruea est naturæ, & in profundis capitis partibus locata. Igitur ex his & morbi, & partis affectæ conditionibus, elicitur id quod ait Gal. 3. de med. local. nimirum medicamenta accommodata his affectibus debere esse calefacientia, incidentia, extenuantia, & alte penetrantia. Vnde miror Marcellum Medicum, qui in grauitate auditus, & surditate curanda laudat succum vuæ immaturæ, in quo prope nulla est conditio ex his, quæ requiruntur, ad hos affectus curandos. Huiusmodi autem medicamenta inuenio apud Medicos trium esse classium, alia sunt debilia, alia mediocria, alia autem valentiora.

Debilia. Debilia sunt oleum amygd. amar. ol. laurinum, iuniperinum, succus absynthij, mel alembicatum, adeps anserinus, acetum, aqua marina, succus raphani cum sale.

Mediocria. Inter mediocria hæc sunt præcipua, succus rutæ, fel taurinum, vulpinum, leporinum, puluis aristol. cum melle: succus cæparum, porri, crocus, moschus, galbanum, myrrha, ol. sabinę, succus sambuci, succus cucumeris asinini, succus cyclaminis.

Valentiora. Valentiora hæc sunt, helleborus vterque, nitrum, castoreum maxime commendatur, oleum euphorbij, sinapis, nam ol. sinapis videbitis maxime celebratum in his affectibus ab Auenzoare in proœmio, & a Rabbi Moyse 2a. aph. Præterea sunt, quæ reperietis apud Gal. & Arabes.

A proprietate conducentia. Sunt etiam quædam a proprietate prodesse putata, inter quæ est succus anguillę; colligitur ille succus dum assatur anguilla, & admiscetur cum felle eiusd. anguillæ, atque auri instillatur putatur prodesse ex proprietate. Spolium serpentum in ol. oliuæ decoctum idem etiam præstare putatur, sicuti, & oua formicarum.

Vsus medicamentorũ. Circa qualitatem medicamentorum omnium duo notanda sunt: vnũ est, quod docet Auic. nulla medicamenta localia debere esse, aut nimis calida, aut nimis frigida, quia sicuti nimium frigida offendunt, ita etiam nimius calor. Alterum obseruandum est, medicamenta debere esse parata, ita, vt nullam asperitatem habeant, sed sint læuia, quia pars affecta est valde sensibilis, si asperius tractetur, magis exasperabitur malum. Quantitas debet esse exigua, & præsertim eorũ, quæ infundũtur, quia locus angustissimus est, & vix guttarum paucarum capax. Modus porro vtendi varius est; alia enim adhibentur per fomentum: nam fiunt decoctiones, & in illis immerguntur spongiæ, quæ tepidę apponuntur auribus: alia adhibentur per fumum, ita scilicet, quod vel pulueres vruntur, vel fiũt decocta, & per fistulam longam, & latam hauritur fumus infra aures. Alia adhibentur per emplastra, alia per instillationes, nam Medici habent instrumentum quoddam, quod Celsus, & Scribonius vocant modo strigilem, modo clysterem auricularem.

Clyster auricularis. Est hoc instrumentum veluti ab vna parte conchatum, habet conchulam, quę impletur liquore, & deinde immittitur intra anfractus auris. Alia adhibentur per collyrium; quando enim tractaui de his, dixi sub illis intelligi medicamenta ad modum fistulæ, quæ omnibus cauis partibus imponuntur. Fiunt interdum ex medicamentis, interdum ex panno lineo, vel gossypio, quæ cõtorta, & aliquo liquore oblita, induntur in aures. Adhibentur tandem hæc medicamenta per elotionem, & hic modus ab Hip. 5. epid. vocatur ablutio, fit quando aliquo liquore tenui abluitur auris, tam intus quam extra.

Porro istorum modorum alij sunt, qui adhibentur in surditate, vt instillationes, fumi, collyria: alij sunt, qui adhibentur in sordibus, & vlceribus abluẽdis, vt lotiones: alij adhibentur in doloribus, & tumoribus, vt sunt emplastra, fumi, instillationes, & fomentationes. Illud quoque potest addi modis horum medicamentorum, quod scil. in morbo recenti primo adhibētur leuia, deinde mediocria, tum valentiora. in morbo vetusto primo, vel mediocria, vel valentiora. Rursum vbi fit malum a sola intemperie, conueniunt medicamenta debilia, aut mediocria: vbi præter intemperiem adsunt humores, & illi quidem vetusti, & contumaces, tum validiora sunt adhibenda.

Circa tempus illud commune fere in omnibus obseruandum est, vt nisi necessitas cogat, nũquam adhibeatis localia, & præsertim mediocria, aut valentiora, nisi sit corpus, & caput optime purgatum.

Vbi dolor vrget, potestis dolorem lenire, sed debilibus medicamentis, etiamsi corpus, & caput non sint euacuata. Dabo formas horum medicamentorum. Lotiones hoc modo possunt fieri.

Ablutio auris.

℞. Hordei.
Fol. Dracontij.
Fol. laur. an. M. j. f. decoct. in aqua maiorana.

Deinde *facta expressione, & colatura.*
℞. d d. ℥. vi.
Mellis. ℥ j.
Succi raphani.
Fellis taurini, an. ʒ. ij. Ponantur ad ignem, & bulliant, deinde iterum per pannum lineum subtilem colentur, & dicta colatura abluatur auris.

Fumus.

Fumi parantur hoc modo:

℞. Myr-

℞ *Myrrhæ.*
Galbani.
Croci, an. ʒ. j. ß.
Fol. rof.
Maior.
Sabinæ, an ʒ. ß. terantur omnia, & semper carbones ponantur adurenda, & dum comburuntur hauriatur fumus per fistulam in aurem.

Fomentatio. Fomentatio erit

℞ *Fol. melil.*
Fanugr.
Chamamel.
Sambuci an. M. j.
Myrrhæ.
Croci an. ʒ. j. ß.
Aq. Chamameli lib. iiij.
Aceti ʒ. y. bulliant simul, & cum spongia foueatur auris exterior.

Emplast. Emplastrum erit huiusmodi:

℞ *Fol. rutæ.*
Meliloti.
Absynthii an. M. j.
Ol. laurini.
Ol. amygd. amar. an. ʒ. iij.
Adipis anserini.
Mellis.
Aceti, an ʒ. ij.
Aq. chamamel. q. s. ad bulliendum, & f. empl. s. a.

Instillatio seu infusio. Poteritis etiam vsu postulante, addere farinam, vel lupulorum, vel orobi, vel tritici. Instillationes seu infusiones huiusmodi fiunt.

℞ *Mellis.*
Succi caparum.
Ol. sinapis, an. ʒ. ß.
Castorei, ʒ. ß. M. & guttatim infundatur in aurem.

Collyrium. Collyrium autem fiat huiusmodi.

℞ *Helleb. nigri.*
Nitri.
Castorei, an ℈. j.
Myrrhæ.
Croci, an. ℈. ß. Cum albumine oui formetur collyrium.

Collyria vero ex goffypio, aut lino ita parantur, accipiatur hæc materia, & intorqueatur ad modum rotundæ, qua vtuntur chirurgi in vulneribus, & postquam intortum est collyrium, illinitur ob. & moscho, vel melle. Hæc sunt medicamenta, quæ omnia conueniunt in surditate, & grauitate auditus, & præsertim, vbi fit a materia frigida, & crassa.

Curatio a causa calida. Quod si hæc vitia fiant a materia calida, instituẽdus est victus, primo, qui declinet ad frigiditatem: deinde videndum est, num sanguis sit mittendus, quod fiet, vbi erit plenitudo, vbi apparent venæ amplæ, & latæ in capite, vbi adsit pulsatio in aure; Si plenitudo fuerit totius corporis, primo a vena communi est mittendus sanguis, deinde a cephalica. Si autem fit in capite plenitudo, secunda erit cephalica.

Post dissectam venam, superest caput expurgare; Sed quia non potest caput expurgari, nisi præparentur humores, hoc modo præparabuntur.

Præparatio humorum calidorum.

℞ *Fol. endiuiæ.*
Cuscutæ.
Borrag.
Lupulorum an. M. j. f. decoct. s. a.

Deinde ℞ *d. d. ʒ. iiij.*
Oxysacch.
Syr. rof. recentis.
Syr. de succo end. an. ʒ. v. M.

Purgatio in causa calida. Præparatis humoribus ij etiam purgabuntur, & quia sunt biliosi, & calidi, eligere debetis ea medicamenta, quæ trahunt bilem; inter quæ est Rhabarbarum. Sed quia, vt docui vos, pilulæ maxime conueniunt, & Rhabarb. per se solum, nõ ita accommodari potest in pilulas, vt expurget valenter, ideo adjiciendũ est aliquid, quod vim illius augeat, vt est scãmonium, hoc modo;

℞ *Rhab. electi ʒ. j.*
Diagrydy gr. iij.
Castorei.
Schænanthi.
Calam. odorati.

Ca-

Caryoph. an. gr. v.

Terantur omnia diligenter, & cum elect. de succo rof. fiat pasta, & fiant pil. v. Hoc facto veniendum est ad euacuantia caput, vt sunt masticatoria, sternutatoria, lotiones capitis. Deinde ad localia veniendum, quę erunt, vel temperata, vel parum ad frigiditatem inclinantia, vt est ol. viol. ol. nenuph. ol. rosarum simplex, acetum, lac muliebre cum succo sempervivi, lac mulieris cum succo cichorii, vel absynthii: & hæc magis conueniunt, vbi adest intemperies calida, sine materia, vel cum materia subtili. Quod si adsint humores multi crassiores, addetis medicamenta alia, vt mediocria recitata, aut debilia, quę possunt discutere citra calefactionem insignem.

Topica in causa calida.

CAPVT XLI.

De Tinnitu, sonitu, seu sibilo aurium.

Circa auditum fit aliud quoddã vitii genus, quod dicit Auerr. 4. coll. 48. frequẽtissime omnium exercere aurem, quod vitium non modo molestiam summã parit, verumetiam impedit, quo minus soni externi audiantur. Appellatur autem a Græcis ἦχος ὤτων. Latini appellant modo tinnitum, modo sonitum auriũ, modo sibilum; Alzarauius appellauit aurium tonitru, Auer. loc. cit. appellat interdum auditum phantasticum.

Nomen.

Hic affectus nihil aliud est quam sonitus quidam intra aurem factus, absque externa causa, & perceptus. Dixi sonitum intra aures, quia ad hoc, vt fiat auditus legitimus, & naturalis, necessarium est, vt aer externus moueatur, & vt motus per partem post partem aerem implãtatum moueat; in tinnitu autem fit sonus tantum intra aures, absque quo concurrat aeris externi motus. Dixi etiam absq; externa causa, propterea quod sæpe fit sonitus intra aures ab externa causa, qui non est appellãdus tinnitus, de quo agimus, ex. gr. quando aliquis manu tegit aurem, percipitur sonitus, ille sonitus nõ est morbosus, imo ait Arist. 2. de anima, sonitum hoc modo perceptum indicare potius bonitatem auditus, quam morbum.

Definitio.

Cur autem fiat sonitus aure a manu obturata, multi existimarũt id esse in causa, quia aer implantatus semper mouetur; sed motus eius non percipitur nisi obtecta aure. Hęc ratio nũquam mihi probata est, quia aer implantatus propria natura immotus est. Vera igitur ratio est, quia aer, qui in anfractibus aurium continetur, semper sua natura exsilire conatur, & sese diffũdere; Vnde cũ a manu cohibetur, huc atque illuc impingit, quia non potest exire, & hinc fit sonitus.

Cur fiat sonitus aure obturata.

Addidi postremam particulam, (perceptus,) eo quia semper intra aures fit aliquis strepitus, eo quod nullum est corpus adeo sanum, quin aliqui vapores intra aures penetrent, atque moueantur: Sed motus eorum non est perceptibilis, quod etiam cõtingit in visu, in quo semper vapores aliqui attolluntur ad oculum, neque tamen semper apparent imagines, Gal. 3. de medicamentis sec. loc. & Auic. hac in re assimilabant auditum, & visum.

Ex his facile colligitis, hunc affectum esse symptoma in genere actionis auditorię deprauatę eo quod auditus non fit, vt deberet; propter quod iure Auerr. vocauit auditum phantasticum.

Genus symptomatis.

Morbi, quos sequitur huiusmodi symptoma, sunt duo, morb. in via, & morbus in numero. In via, quia intra meatus auris viæ non sunt expeditæ, vt deberẽt. Est etiam morbus in numero, quia adest materia vaporosa, vel humorosa, quę adesse non deberet.

Morbi a quo dependent.

Causæ, quę faciunt hos morbos sunt internę vel externæ. De causis materialibus, & internis scriptum est ab Alex. Trall. c. 3. quem secutus est Alzar. & alij Arabes duas esse, vapores .f. & humores. Sed nisi sano modo intelligatur hęc sententia, falsa est, eo quod humores soli nũquam faciunt tinnitum, quanticunq; enim, & qualescunq; sint, immoti sunt, & propterea nõ faciũt tinnitum; soli autem vapores, & flatus tinnitus facere possunt. Dixi falsam esse, nisi sano modo intelligatur, quia etiam humores concurrunt ad tinnitum, humores inquam intra aures, hoc pacto, tum quia claudunt intra aurem flatus, tum quia ex ipsis fiunt vapores. Vtcunque sit, sicuti dixi, vera causa est vapor, qui interdum multus est, & tunc semper tinnitum facit, interdum paucus, & tunc non facit tinnitum, nisi in his, qui pollent auditu subtili. Et hoc modo intelligẽda est sententia Gal. 3. de comp. sec. loc. & Auer. 3. coll. 37. & 4 coll. 48. qui omnes dicũt, fieri tinnitũ, vel a flatu, vel ab auditus subtilitate, non quod auditus subtilitas sit causa huius mali, quia potius facit bonum, sed quia facit, vt illi strepitus, qui ob paruitatem non audiuntur, audiantur, & hoc modo est causa tinnitus.

Causa.

An humores sint causa.

Auic. sermonem habens de causis tinnitus, dixit, quod fit tinnitus, vel quia vapores sunt multi, vel quia sunt pauci. Si sint pauci, faciunt tinnitus, vel quia auditus semper subtilis est, & acutus, vel quia aliquibus horis acutus est, & viuax, vel, quia auditus debilis est. Quas causas videtur Auic. mutuatus ab Alex. Trall. Sed pace horum virorum, dictæ postremæ illæ causæ, quas afferunt, cur pauci vapores faciant tinnitum, mihi videntur partim superfluæ, partim falsæ. Superflua causa est illa, quando Auicen. ait, quod est, quia aliquibus horis auditus est viuax, aliquibus obtusus. Cur putem superfluam, ratio est, quia quando auditus in hoc casu obtusus est, non ob aliud est, nisi quia impeditur, exempli gratia, si sit obtusus flantibus austris, si repleto stomacho, non ob aliud est, nisi quia impeditus est. Præterea si aliquibus horis auditus est viuax, veluti ieiuno stomacho, veluti stante borea, non ob aliud est, nisi quia tunc temporis remotum est impedi-

pedimentum, quod nocebat auditui: quo stante redit ad idem, quod dicit Gal. ibid. in his auditum esse natura acutum, sed interdum impediri, interdum non non esse, quia subtilitas hęc modo fiat, modo non, sed est, quia eum perpetuo sit, modo impeditur, modo non.

Alia causa mihi non placet, quod scil. debilitas auditus possit facere tinnitum, vt in conualescentibus, quia perfectio auditus est, res exiguas audire, vt perfectio visus est, res exiguas videre a longinquo: Igitur non potest oriri tinnitus ratione debilitatis auditus. Sed dices, quâ ratione igitur frequenter fiunt tinnitus in conualescentibus? Dico aliam esse causam, nimirum quoniam in conualescentibus fiunt multi vapores; ob calorem natiuum debilitatum, qui cum petant auditum, mouent aerem illum, & tinnitum faciunt.

Cur in conualescētib. fiat tinnitus.

Iam vero vapores isti, quos diximus esse causas immediatas, gignuntur, vel ab humoribus, qui continentur intra aures, vel, qui continentur in capite; qui humores, tametsi possint esse calidi, frequentissime tamē sunt crassi, & viscidi, quare facile est intelligere, cur in morbis capitis, & pręsertim in doloribus, vt ait Cassius probl 76. fiant frequēter tinnitus, quia scilicet ex humoribus existentibus in capite, qui faciunt dolorem, continuo gignuntur vapores, & flatus, qui intra aures cohibiti, atque aerem mouentes, faciunt tinnitum.

Cur in morbis capitis fiant.

Sed illud quoque adijciendum est, quod isti vapores non solum ex humoribus in capite existentibus tolluntur ad aures, verum etiam ex alijs multis partibus, nam eleuantur quandoq; ex sorditie, ex sanguine detento in extimis aurium partibus, quandoque etiam eleuantur a ventriculo, vt apparet in crapulis, & repletionibus ventriculi, in quibus fiunt frequentissimi aurium tinnitus. Efferuntur etiam a partibus spiritalibus, vt experientia constat de asthmaticis, & phthisicis, in quibus frequenter fiunt tinnitus. Postremo eleuantur vapores ex toto corporis habitu, vt in febribus, & præsertim magnis, in quibus ex ebollitione, & putrefactione humorum efferuntur vapores continuo ad caput, & aures, qui faciunt tinnitum.

Obiectio.

Sed dicet aliquis vestrum, quomodo dixerim solos vapores tinnitum facere, nam Hipp. 2. de morb. recitat quendam morbum, in quo venæ capitis dicuntur superenomere: & est, quādo replentur venæ bile, & pituita, in quo morbo ait Hip. fieri tinnitum propter pulsationes, & palpitationes vasorum. Quod si verum est, videntur vasa pulsantia, & palpitantia capitis facere tinnitum. Dico multum abesse, vt Hippocrates nobis contradicat, imo vero sententiam nostram cōfirmat, quoniam pulsationes, & palpitationes fiunt a flatibus, & consequenter tinnitus fit a flatibus. Præterea dicit Hippoc. in eo morbo cerebrum replere vacua aurium: quod facit solum beneficio flatuum.

Sed dicetis, cognoscimus palpitationes, & pulsationes fieri a flatibus, at flatus illi continētur intra venas, vel intra arterias: Igitur non fit tinnitus eo modo, quo explicasti. Dico licet flatus contineatur in venis, tamen cum sit copiosus, etiam extra venas continetur; Et quanquam solum contineretur intra venas, tamen dico, quod vasa illa mota, & palpitantia per partē post partem mouent aerem implantatum, & ita faciunt tinnitum; ad quod pręstandum non parū confert communicantia foraminum ossium auris, siquidem, vt monstrant anatomici, sunt quędā foramina obscura, per quæ fit communicatio auri, & cerebro, ita, vt vapores a cerebro facilius possint ad aures delabi.

Notate tamen Arist. 1. de hist. animal. c. 8. negasse hanc communicātiam foraminum: sed, vt ait Auer. 2. coll. c. 19. excusandus est Arist. in re anatomica, eo quod hęc ars suo tempore nō erat consummata, & ideo ipse quoque parum calluit eam.

Porro causæ externæ, & mediatæ multæ sunt apud Arabes, sed hæ præcipue, plenitudo stomachi, vel capitis, facta a causis externis, indigestiones, cruditates, exinanitio, tum per pharmaciam, tum per venæ sectionem, percussiones capitis, medicamenta venenata adhibita auribus, vt sulphur, argentum viuum, arsenicum; & hoc obseruate, quod videbitis experientia, vbi morbo gallico administratur argentum viuum, semper fere fieri aurium tinnitus.

Causæ externę & mediatæ.

Medicamenta quoque adstringentia auribus adhibita solent tinnitus efficere. Addit Alzaravius multum in aqua natatum; & certe illi, qui solent frequenter natare, solent etiam laborare aurium tinnitu, quoniam, vt dixi, aqua maxime offendit partes internas aurium.

Hydrargyri unctio causę tinnitus.

Differentia.

Tres solum sunt differentiæ apud Medicos in hoc affectu, alius essentialis vocatur, alius per consensum, alius antiquus, alius recens, alius continuus, alius interruptus, seu interpolatus.

Signa.

Signa tinnitus non aliunde comparari possunt, quam ex relatione ægri, eo quod huiusmodi sonus a nullo alio percipiatur, quam ab ægro. An vero tinnitus fiat ex acumine sensus, an fiat ex vaporibus, scribit Auerr. 4. coll. 48. non aliunde cognosci, quā ex redūdantia humoris, eo quod si nulla adsit in capite, vel corpore humoris redundantia, signum est tinnitum ab acumine auditus proficisci: sed hoc signum inefficax est, propter quod Gal. 3. de comp. sec. loc. ait, non esse admodum facile intelligere, an fiat ab acumine auditus, an a vaporibus, sed non paruo indigere artificio; quod acquiritur ex contemplatione externarum causarum, & primitiuarum.

Artificium hoc, vt est apud Gal. loc. cit. ita comparatur, vt si non adsint humores in capite, si medicamenta discutiētia flatium nō prosint, signum est fieri tinnitum ob sensus subtilitatem. Idem eo magis confirmatur, quando tempore sanitatis æger maxime valuerit auditu. Addit, quod etiam organum auditus apparet mundum, sine vlla sorde, aut recremento.

Si fiat a flatibus, artificium cognoscendi est, quia apparet redundantia in capite, tinnitus modo accedit, modo recedit; ad hæc vbi discutientia admouentur, tinnitus remouetur: deinde apparent etiam flatus in alijs corporis partibus,

Verum

Signa a quo humore fiat flatus.

Verum oportet insuper cognoscere, a quo humore fiat flatus: cognoscetis autem hoc, si, vt ait Gal. externas, & primitiuas caussas contemplemini ex.gr. si æger fuerit passus solis ardorem, febres magnas, & ardentes, capitis dolores calidos, si vsus fuerit cibis calidis, & siccis poteritis tuto caussas colligere, & humores, ex quibus fiunt flatus. Ex aduerso si æger passus sit frigus, morbos capitis frigidos; si victu pituitoso, & frigido sit vsus, erit signum humores facientes flatus frigidos esse. Hæ autem caussæ non aliunde poterunt cognosci, quam ex relatione, vel ægri, vel adstantium.

Prognostica superstitiosa.

Circa signa prognostica illud obiter dicendum, quod ait Melampus lib. de palpit. & Plin. lib. 28. cap. 2. credidisse antiquitatem, & vulgares (quod etiam fere hodie oraculum est) tinnitus aurium, siue dextræ, siue sinistræ præsagire aliquid mali, scilicet, vel propter insidias inimicorum, vel maledicentiam, vel aliquid huiusmodi. Sed hæc non sunt Medica: quod pertinet ad Medicum est, tinnitus antiquos esse curatu difficiles. Præterea ait Hipp. in Coacis prænot. & Celsus, quod illi tinnitus periculosi sint, & lethales, qui fiunt vna cum morbis acutis, cum febre pestifera, & ardente, cum epilepsia: eos vero minus graues esse, & salubriores, qui fiunt cum grauedine: medios eos esse, qui fiunt ex longa capitis inualetudine, neruorum diuturno dolore.

Curatio.

Curatio duplex est, alia, quæ debetur tinnitui facto ex subtilitate sensus, alia, quæ debetur tinnitui facto ex vaporibus. In curãdo tinnitu ob sensus acumen, vnus scopus est, acumen eius obtundere; modus vero obtundendi est, obtundere calorem, & spiritus, nam ait Auerr. 2. coll. 15. diuersum esse calorem, quo sentimus, & calorem, quo nutrimur. Probat hoc Auer. quia dũ dormimus nutrimur, non tamen sentimus; & quia potuisset aliquis dicere, quomodo est hæc diuersitas, nonne potest idem calor modo operari, & modo non operari, & ita idem calor conducere sensibus efficiendis, in somno vero nutritioni? Ait Auerr. hoc esse non posse, quia inquit calor, quo nutrimur, est in actu dum dormimus, calor autem, quo sentimus, est in potentia. In somno autem, si est in potentia calor, quo sentimus, & in actu, quo nutrimur, ait non posse eundem esse, quia eod. tempore non potest esse actu, & potentia: cum itaque diuersus sit calor, quo fit auditus, a calore natiuo, quo fit nutritio, scopus est, vt ille calor obtundatur. Obtunditur autem, vt animaduerto, tribus modis. 1. refrigerantibus, & narcoticis. 2. crassefacientibus, quia dum spiritus, & calor crassefiunt, omnino fit operatio eorum magis hebes. 3. est per dissipationem. Et ne videar vobis somnia narrare, habetis primo exemplum Gal. 3. de comp. sec. loc. c. de tinnitu, vbi ait se sæpe curasse huiusmodi tinnitum vsu succi mandragoræ, & papaueris. Rases quoque 3. contin. laudat succum hyoscyami, quem ait Serenum vocare herbam insanam. Qđ etiam incrassantia obtundant sensum auditus, habetis fere exemplum ab omnibus Arabibus, qui commendant pro obtundendo auditu cibos incrassantes. Quod etiam dissipantia calorem obtundant sensus, habetis exemplum a Serapione, qui ait in hoc tinnitu soluendo acetum maxime præstare, imo vero Auic. improbans vsum narcoticorum, ait melius esse, vt castoreum, & acetum dent, eo quod sua tenuitate dissipent spiritus, ita, vt fiant debiliores.

Curatio tinnitus ob sensus acumen.

Quomodo calor obtundatur.

1. Narcoticorum.
2. Incrassantium.
3. Dissipantium calore.

Sed dices, quisnam est ex his modis tutior? Meo iudicio, affectũ hunc non proprie esse morbosum dico, & molestum potius, quam damnosum, ideo si sustineri potest, laudo, vt nihil adhibeatur, quia non semper durat, & paucos videbitis durantes. Quod si nimis molestus sit, ita, vt vel ob delicias, vel ob aliud non possit sustineri, laudo, vt vtamini cibis incrassantibus spiritus, quia hoc tutius est, quam dissipare, aut hebetare calorem. Et quanquam Gal. dicat se vsum esse narcoticis, tamen si recte recordor, ille fuit rusticus, & vos etiam poteritis in istis corporibus vti narcoticis.

Curatio tinnitus a flatu.

Curatio facti tinnitus a flatu, non vna est, sed multiplex, & varia: si enim fiat ratione febris, aut ratione crisis, tutissimum est consilium Galeni, vt nihil adhibeatur, quousque morbus finitus sit, vel crisis: nam sæpe fit, vt finita febre, & perfecta crisi, simul etiam finiatur tinnitus, & hoc plerumque videbitis in actu practico.

1. In conualescentia.
2. A stomacho.

Quod si non finiatur, monet Celsus, vt primo victus instituatur exquisitus, qui attenuet, fiant frictiones, exercitationes, gargarismata, vt etiam in aures aliquid indatur, quod possit tollere hunc morbum, vt est succus radiculæ cum ol. rosarum, succus cucum. asinini, vti unguentum, & ol. laurinum. Ego vero soleo vti (& etiam commendat Gal. decocto absynthij, ol. rosatũ, cum castoreo, & croco. Vbi a stomacho fiunt flatus tota curatio conuertenda est ad curationẽ stomachi, vt scilicet ipse mundetur ab omnibus humoribus, a quibus flatus eleuantur.

Victus ratio.

Quod si, vt sæpe fit, flatus isti gignantur ex humoribus contentis, vel in capite, vel in locis instrumento auditus proximis, hic magnum studium est adhibendum: & primo victus instituendus, vt aer sit calidus, & siccus: fugiatur austrinus, & humidus. Idem etiam dicite de regione, & alijs pertinentibus ad hunc casum. exercitationes matutinæ commodæ sunt, & præsertim sub sole, si tamen caput sustineat. Cogitationes autem omnes ablegandæ, nam solent ægri macerari, cum cogitant multum de tinnitu. Frictiones omni tempore commodæ, pectinationes etiam capitis, præsertim capite exinanito: venus valde inimica, imo solet hęc sola excitare hos sonitus. Abstinendum a cibis crassis, & flatuosis, vt sunt legumina, carnes crassiores, lagana omnia, potti. Inter herbas lactuca, brassica: Inter fructus oleosi, vt amygdalæ, nuces, nuclei pinei, dactyli etiam, quia replent aures. Carnes autem conferunt, & potius assæ, quam elixæ, cibis semper cõmiscebuntur anisum, coriandrum, fœniculum.

Instituto victu deinde veniendum est ad præparandos humores, qui siue fuerint pituitosi, siue melancholici, siue biliosi, præparabuntur remedijs accommodatis: tum expurgandum. Et

ne

ne bis eadem repetam, in hoc casu conueniunt omnia præparantia, & purgantia, quæ diximus alias conuenire in auditu graui, & surditate. Illud tamen meminisse debetis, humores hos in profundis partibus latitare, & ideo expedire, vt non semel tantum, sed bis, & ter repetantur purgationes, & maxime si contumax sit morbus.

Sternutatoria num, conueniant.

Purgato corpore deueniendum est ad ea, quæ magis caput exsiccare possunt, vt sunt lotiones, gargarismata, masticatoria, & sternutatoria. De sternutatorijs tamen notate, nisi caput exquisite purgatum sit, numquam adhibenda esse, quia maxime concutiuntur aures; quia dum emunguntur nares, semper aures correspondent, quod si caput fuerit repletum, ex hac concussione trahitur noua materia ad aurem, & ita malum augetur. Conueniunt inclamationes voce factæ, etiam tubis, & alijs instrumentis, nam ait Arist. 32 par. probl. 9. tinnitus solui ab inclamatione, eo quod motus magnus extinguit minorem: Modus autem, quo fit, est, quia ex inclamatione vehementi incalescunt partes aurium, vbi sunt calefactę, facile flatus ibi existentes dissipant, & exsoluunt.

Inclamationes in aures num conferant.

Postremo deueniendum est ad localia aliqua medicamenta, in quibus duo notanda sunt, vt in tinnitu semper mitiora eligatis remedia, quia, vt alias docui, aures postulant blande tractari; & si absque necessitate valentioribus irritentur medicamentis, facile malum illis duplicatur. Deinde hæc remedia adhiberi debent dum corpus est ieiunum, & caput nō sit male affectum: Vnde notare debetis errorem multorum, qui mandant, vt remedia auribus indantur, dū eunt cubitum, eo enim tempore stomachus plenus est, caput etiam a vaporibus cibi aliquo modo affectum, vt potius nocumentum accedat, quam vtilitas. Et non est mirum, quod sæpe remedia frustrentur in his, quia importune adhibentur.

Error practicantium.

Genera horum medicamentorum sunt tria, fumi, instillationes, & collyria. Fumus hic a me inuentus est præstantissimus.

Fumus in tinnitu.

℞. Cymini.
Anisorum an. ℥. j.
Fl. Chamameli.
Fænug an. P. j.
Aq. communis lib. ij.
Aceti ℥. iij. M. & bulliant.

Sed in administratione horum fumorum notate, quod semper supina aure per fistulam debet intra aures trahi, postquam tractus est, debet custodiri auris, & propterea post receptum fumum replentur semper aures, vel gossypio, vel lana tenuissima.

Instillatio.

Instillationes autem multæ sunt, ego ita soleo componere.

℞. Ol. anisorum per alembicum extracti ʒ. iij.
Castorei ℈. j.
Hellebo. nigri ℈ ß. Ponantur in cortice cepę, deinde cortex ponatur ad lentum ignem, & ibi remaneat vsquequo absorbeat totum illud oleum. hoc facto deinde exprimatur cepa diligenter, & succo expresso addatur aceti optimi ʒ. j. ß. & guttatim tepidus auribus instilletur.

Et notate, vbi adsunt humores, qui faciunt flatus, acetum maxime conuenire, & ab omnibus Medicis laudari, quia non modo velut alia medicamenta ad partes intimas, verum etiam dissecat, incidit, & attenuat.

Collyrium.

Collyrium ita parate.

℞. Nitr. ℈. j.
Helleb vtriusque ℈. ij.
Cymini.
Pulu. anisorum an. ʒ j.
Gummatis, & albuminis oui q. s. pro formando collyrio, quod continuo detineatur intra aurem.

Cauteriorū vsus in hoc affectu.

Expertus ego sum cauteria facta in brachio, auri affectæ multum conferre, quia humores illi, ex quibus flatus fiunt, paulatim per hæc emissaria euacuantur, & his euacuatis nullus deinde flatibus relinquitur locus.

CAPVT XLII.

De dolore aurium.

SEquitur post tinnitum aliud vitium, quod in auditu fieri diximus, quando fit cum perturbatione, hoc vitium a Græcis dicitur ὀτάλγία, Latini omnes dicunt auris dolorem; Celsus vocauit auriculæ dolorem, Captum est hoc nomen, vt ait Galen. a. meth. ab ipsa parte affecta.

Nomen.

Sed antequam vlterius procedamus, notandum est hunc affectum a me attributum esse auditui, cum tamen sit potius affectus sensus tactus; quoniam sicuti dolores oculorum, ita quoque dolores auris, potius ad tactum, quam ad auditum pertinent. Cur autem ego inter vitia auditus recenseam, causa est, quia fit hæc affectio in penitissima instrumenti auditus parte, atque hoc est, quod inquit Galen. 3. de comp. sec. loc. nimirum inter tinnitum, auditum grauem, & dolores aurium nihil esse commune, eo quod auditus grauis, & tinnitus pertinent immediate ad sensum auditus, dolores autem ad sensum tactus.

[illegible]

Est

Est hic affectus symptoma in genere actionis tactoriæ deprauatæ, vt sunt etiam alij dolores. Morbi, a quibus dependent, sunt intemperies, & solutiones vnitatis. *Genus symptoma.*

Atque hinc tres oriuntur huius doloris differentiæ, quoniam alij dicuntur interiores, alij exteriores, eo quod morbus, a quo dependet hoc symptoma, vel est in internis aurium partibus, vel in externis. Alia differentia est, quia, vt ait Auicen. fiunt alij dolores aurium, cum pruritu, alij sine pruritu. Rursus alij sunt dolores continui, alij interpolati; nam ait Gale. & Rases, dolores aurium perinde, atque febres ipsas, fieri periodicos. *Differentiæ.*

Causæ dolorum aurium aliæ sunt internæ, aliæ externæ, & mediatæ. Internæ sunt inprimis morbi illi, de quibus dictum est, præsertim vero inflammatio, & tumor: adhæc sunt humores, modo calidi, modo frigidi, sunt postremo vapores. *Causæ internæ.*

Sed hoc in loco occurrit pulcherrima contemplatio: Quomodo possit fieri intra aurium partes intimas inflammatio. Nam constat apud Medicos, inflammationem esse sobolem humorum, & præsertim sanguinis. Iam vero si contemplemur aurium fabricam, videbimus, quod in instrumento auditus sunt ossa, & tunica quædam arida, quæ tympanum dicitur ab Anatomicis; in ossibus clarum est, quod non colligantur humores, neque sanguis, neque etiam in tunica arida, quia est expers venarum, & propterea non videtur locus humorum, & sanguinis collectioni. *Quomodo intra aures fiat inflammatio.*

In hac non trita speculatione ita statuendum iudico, quod nullibi internæ possunt oriri inflammationes, præterquam in hac tunica arida, in qua tametsi venæ sint admodum exiles, tamen tempore doloris paulatim dilatantur, & quo maior fit attractio materiæ ad ipsam, eo magis venæ distenduntur, & fiunt capaces sanguinis ita copiosi, vt possit fieri inflammatio in hac pellicula arida.

Inter causas externas primum locum videtur Galen. tribuisse aeri externo frigido, vt fit in longis peregrinationibus: & sane sæpe comprobabitis experientia fieri ab externa aeris frigiditate; sed aquæ etiam idem facere possunt frigidæ, vt si intra aurem ingrediatur frigida, videbitis statim oriri dolores. *Causæ externæ.*

Sed quæret aliquis, an etiam aeris caliditas ex se possit facere hunc dolorem? Galen. & Græci nullam huius mentionem fecerunt. Ex aduerso Auicen. Alzarauius, & omnes Arabes inter causas externas aurium posuerunt aeris caliditatem; immo Hippocra. 3. aphor. inter morbos æstatis recenset etiam dolorem aurium, vt & ipse videatur censuisse fieri hunc dolorem etiam ab externo aeris calore. *An aeris caliditas facere possit dolorē aurium.*

Mea sententia est, aeris calorem ex sese facere non posse aurium dolorem; ratio est, quia quantumcunque aer externus sit calidus, nunquā tamen est calidior cerebro, neque interna aurium parte, ita vt ratione huius caliditatis possit offendere; dico ex sese non offendere, quia potest per accidens facere hunc dolorem, hoc scilicet pacto; si aer externus calidus colliquet humores, & colliquati deinde in aures præcipitentur, sicque dolorem inducant; atque hoc modo tueri potestis. Hipp. dum ait, æstate fieri dolores aurium, primum quia æstate eliquatur pituita capitis; deinde, quia æstate multum bilis effertur ad superiores partes capitis, & præsertim ad aures.

Hinc quoque intelligere potestis, aquam feruidam auribus immissam, non ratione caliditatis offendere, sed quia vel vrit, & mordet, vel quia humiditatem relinquit in auribus, quæ deinde auditui inconueniat, & dolorem faciat. *Aqua cal. vt causet hūc affectū.*

Aliæ causæ numerantur ab Auicen. & primo animalcula, quæ ingrediuntur aures, quæ sæpe acerbissimos dolores inferunt: deinde lapilli, capilli, medicamenta, vt euphorbium, importune auribus illapsa faciunt dolores. Alzarauius ponit etiam quædam, quæ si aures ingrediantur, faciunt dolores, vt condysi, vel bacca lauri, sordes quoque, & sanies retenta solent facere dolores. Hæc de causis.

De signis, scribit Auicenna, hæc petenda esse ex signis surditatis, & grauitatis auditus, sed hæc signa Auicennæ parum docent; ea propter, quod ad signa generica pertinet, ea non aliunde comparare poteritis, quam ab ęgro: nam dolor iste semper acerbe admodum torquet ęgros, & eos adigit ad querelas. Immo Galen. 2. de comp. secun. loc. inter dolores corporis nostri acerbissimos, tres memorat, dolorem oculorum, aurium, dentium, quasi nulli possint istis equiparari. *Signa in genere.*

Signa indicantia causas doloris paulo latius explicari merentur: nam si dolores fiant ab externis causis, partim visu, partim relatione comparantur: visu, quoniam vel animalia, vel lapilli, vel capilli aures ingredientia faciunt dolores. Relatione, quando causę externæ prętesserunt, quę Medicum latent. Quod si fiat ab internis causis artificio cognoscitur; Primo enim si fiat a copia sanguinis, signa adsunt, caliditas, aurium dolor vehemens, dolor pulsatiuus; pulsatio temporum, rubedo faciei: pręterea percipitur ex refrigeratione, nonnihil leuari. Quod si alij feruidiores sint humores, cognoscitur ex vehementissimo dolore, & hoc sit perpetuum vobis, dolorem maximum semper a causa calida oriri. Ad hęc percipitur intensus calor intra partem, calida nocent, frigida delectant, & iuuant. Sunt etiam signa ab ętate, a corporis constitutione, & alijs. *A bile.*

Quod si fiat ab intemperie frigida, vna cum materia, vt ait Galen. signa habentur ex vita anteacta, vt si quis sit vsus cibis pituitosis, si versatus sit in aere frigido: adhęc si percipiatur frigus intra aurem, si calida applicata iuuent.

Quod si non ab humoribus, sed a flatibus extendentibus fiant dolores, hoc pręcipuum est argumentum, *A flatibus.*

M

gumentum, quod dolor non est continuus, modo accedit, modo recedit; discutientia prosunt.

Signa vero eius doloris, qui fit ab inflammatione, est vehementia doloris, dolor pulsatiuus, dolor, qui communicatur faciei, & fronti. Sed dices, si fit interdum dolor ratione cerebri, quomodo cognoscemus, an fiat dolor a cerebro, an ab aure? Hoc est argumentum efficacissimum discernendi, quod vbi ex cerebro fit dolor auris, totum fere caput dolet, præsertim vero facies, & frons, in dolore facto ab aure (nisi sit apostema, vel inflammatio) dolor solum est in aure.

Prognosticā. Signa prognostica sunt, quæ referuntur ab Hippocr. 3. progn. 13. & quæ omnia ab Auicen. confirmata sunt, scilicet quod in febre acuta, & continua, dolor auris perniciosus est, & lethalis, eo quod ex hoc dolore periculum est, ne cerebrum oblæsum delirium, & alias prauas ægritudines subeat.

Dolor auriū grauior quā oculorum. Quam Hipp. sententiam cum intelligeret Celsus, dicebat dolorem aurium grauem esse, immo grauiorem multo dolore oculorum, duabus rationibus; vna quod in dolore oculorum nullum imminet periculum delirij, secus in dolore aurium. Altera, quia ex dolore oculorum nūquam mors subsequuta traditur, sæpe vero ex dolore aurium, vt iure dixerit Celsus, dolorem aurium esse grauiorem dolore oculorum.

Sed hæc dicta putate de dolore interno, quia externus nullo modo est periculosus, quoniam videmus quotidie perforari ad delicias aures exterius, & tamen nullum dolorem inde cōsequi. Sed quanquam dolor hic semper periculosus sit, est tamen differentia, quia in aliquibus magis lethalis est, in aliquibus minus. In pueris ait Hipp. loc. cit. dolor aurium sæpe ad mortem deduci; senes autem ex aurium doloribus frequentius euadunt, & facilius.

Dolores aurium in pueris lethales, causa prima. Sed dices, quomodo fit, vt dolores aurium sint in senibus salubriores, quam in pueris? ait enim Gal 7. aph. quod in senibus omnia sunt periculosa, ob virtutis imbecillitatem. Dico quod licet sit maior virium imbecillitas in senibus, quam in pueris, sunt tamen grauiores aliæ causæ, quæ faciunt, vt dolores in pueris sint magis lethales, quæ causæ non sunt indignæ cognitu. Prima est, quam etiam significauit Hippo. & Auic. quod pueri non possunt ob sensus acumen sustinere dolorem, & propterea sub dolore, tanquam sub tormento intereunt; senes autem cum habeant sensus hebetes, & tardos, non ita percelluntur a doloribus, & propterea facilius tolerant, nec sub ipsis ita opponuntur.

Quod autem habeant sensus tardos, & hebetes, & presertim sensum tactus, & auditus, disputatum est a Plutarcho, primo quæst. conuiualium, questione septima, vbi ait, senes delectari mero; non alia ratione, nisi quia sensus tardos, & obtusos habent, ita vt non excitentur, nisi a re acuta: & probat exemplo sensuum, quia senes non percipiunt dolores, nisi sint valde acuti.

Deinde, quia senes a vulneribus, non ita dolent, & videbitis saucios senes non ita dolere, atque alios, quia sensus tactus in ipsis obtusus est; ita de auditu, quia cantores dum senescunt, semper amant acutiores voces, quia tantum a re acuta excitantur. Est itaque hæc prima causa, cur pueri magis offenduntur, quam senes, quia in pueris sensus magis sunt vegeti, in senibus obtusi, & tardi.

Secunda causa. Altera ratio, quia in pueris inflammationes, vel nunquam, vel rarissime ad suppurationem veniunt, in senibus veniunt ad suppurationem. Ratio est, quia natura puerorum, non potest diu ferre dolores, & ideo prius succumbunt, quam fiat suppuratio, senes autem cum possint ferre dolores, possunt etiam durare, donec inflammatio veniat ad suppurationem.

Senes quandoque ex aurium dolore intereunt. Dices, sæpe videmus, senes sub doloribus aurium interire. Dico hoc verum esse, sed id non est ratione doloris, sed quia malum facilius in senibus renouatur, & es recidiuis frequentibus accidit, vt etiam senes intereant, immo vero interdum etiam pueri sanantur, & tunc potissimū contingit, quando inflammationes suppurantur.

Curatio. Scopi. Curatio Cum hic morbus sit adeo lethalis, magnum studium adhibendum est, vt quam primum idoneis remedijs succurratur, & si quis est morbus, qui Medicum solicitum requirat, sane hic est. Communissimus scopus est, vt hoc symptoma prorsus amputetur: Modus autem amputandi alter est, quando tolluntur causæ, alter quando sensus, ita obtunditur, vt dolor non percipiatur. Inter causas tollendas est etiam differentia, quia interdum solum sunt internæ, interdum accedunt, & externæ, quæ vel faciunt dolorem, vel saltem conseruant. Vbi dolor sustineri non potest, ita quod adeo grauis sit, vt periculum immineat deterioris mali, certe debet Medicus dolorem reprimere, & si hoc ipsi non succedat ablatione causarum, recurrendum est ad alium modum, nempe ad stupefaciendum sensum: Verum in hoc etiam magna prudentia opus est, propterea quod, vt docui alias, omnia quæ impense refrigerant, sunt valde inimica

Narcotica suspecta. auribus: propter quod iure commendabat Galen. veteres, qui in tollendo dolore vtebantur opio torrefacto, eo quod torrefactio frangeret nimiam opij frigiditatem. Sed Galen. quanquam hoc commendant, præfert tamen opij cum castoreo mistionem, hac scilicet ratione, quod licet in opio torrefacto frangatur frigiditas, diminuitur simul, & ipsa facultas, eo quod ignis dum torrefacit, aufert spiritus, & facultates opij; in mistione autem opij, & Castorei, ait Galen. frangitur facultas opij, sed virtus eius, neque minuitur, neque amittitur.

In tollendis ijs causis, quæ dolorem aurium faciunt, cogitandum est inter alia, an solæ sint causæ internæ, an etiam externæ, quæ vel faciant, vel saltem foueant dolorem. Si sint internæ, adhuc considerandum est, an sola sit intemperies, an cum materia. Vbi sola est intemperies, primum instituendus est victus intemperiei contrarius: deinde veniendum est ad localia, quæ in omni dolore aurium debent esse, vel debilia, vel mediocria.

In calida

Curatio doloris ab intemperie calida.

In calida intemperie albumen oui mirifice commendatur ab Auic. Lac mulieris, vel solum, vel cum succo solatri, succus coriandri viridis, succus granatorum cum ol. rosaceo, oleum rosarum, vel simplex, vel lumbricatum.

A frigida.

In frigida autem optimus est succus cæparum, mixtus ad ignem, vna cum oleo, cui immersum sit vel piper, vel euphorbium: Castoreum cum oleo, commendatur maxime a Gale. oleum chamæmel. rutaceum, costinum. Succus orig. cum lacte mulieris, succus cæpæ cum adipe anserino. Vaporationes etiã maxime prosunt, & præsertim illæ, quæ fiunt ex absynthio, chamæm. origano. Rabbi Moyses 22. apho. laudauit ol. seminis cannabis, quia præter qualitatem manifestam maxime etiam a proprietate valeat. Auenzoar laudauit ol. vitellorum ouorum, qui ait nõ solum conferre in hoc dolore, sed in quocunque. Ante hos omnes Scribonius Largus commẽdauit picis florem, qui aliter dicitur Pissel æum. Immo testatur se quandoque vexatum esse hoc dolore, & nullum remedium sese expertum magis efficax.

Ol. sem. cannabis.

Si intemperies non fuerit nuda, sed cum materia, vel materia erit vaporosa, vel humorosa, si sit vaporosa, conuenit in primis victus, quem alias laudauimus in discutiendis flatibus: postea conueniunt ea medicamẽta localia, flatus discutientia, ol. sinapis cum assa fœtida, ol. anisorum, ol. liliorum, rutaceum.

Auctoris remediũ optimum.

Ego vero accipio cæpam, seu corticem cæpæ, in quo pono ℥. ij. vel iij. ol. chamæm. deinde addo ℈. j. pulu. anisorum, & tantund. piperis albi. iubeo, vt cortex super prunas ignitas contineatur, vsque quo totum oleum absorbeatur, deinde contundi, & exprimi succum, qui instillatus in aurem dolentem ex vaporibus, dolorem tollit. Hipp. 2. epid. sect. 9. ait si auris doleat, appone ventosam: quem locum exponens Gal. ait in com. hoc factu esse difficilimum, nisi ventosa sit magna. Sed Rases 3. cont. testatur hoc non ita difficile esse, & fieri posse, etiamsi nõ sit adeo magna, vt apponatur ventosa ignita.

Vẽtosæ usus.

Ab humoribus. 1. frigidis.

Si materia non sit vaporosa, sed humoralis, aut erit calida, aut frigida. Si frigida, prius instituto victu, quem in aliis similibus affectibus docuimus, præparandi sunt humores, & euacuandi eodem modo, atque in surditate a causa frigida.

Purgato corpore, & capite deueniendum est ad localia, pro quibus laudat Aetius nitrum tritum adustum, helleb. vtrumque, aristoloch: Ego etiam vtor huiusmodi medicamento:

Medicamentũ auctoris.

℞ *Succ. cæpar.*
Rutæ An. ℥. ij.
Mellis ℥. ij.
Castor.
Cymin.
Nitri an. ℈. ij M. ad lenium ignem, & bulliant parum, deinde instilletur liquor in aurem.

2. calidis.

Si materia sit calida, ante alia videndum est, an sit sanguinea: quod si fuerit sanguinea præsentaneum est remedium venæ sectio. Quod si sanguis non sit, sed alij humores, videndum est, an isti sint admixti sanguini, tunc enim etiam pertundenda est vena caphalica, sed detrahendum minus sanguinis. Quod si non sint misti, tum præparandi sunt, & euacuandi; vbi euacuatum est corpus, & caput, quamprimum vtendum est localibus, quę laudauimus in intemperie calida.

In dolore acerbissimo quid faciendum.

Sed dicetis, sæpe fit, vt hic dolor sit acerbissimus, ita vt æger non possit ferre vsq; ad expurgationem, estne tunc vtendũ localibus? Dico, quod tunc etiam in principio, non facta expurgatione, vtendum est localibus. Ratio est, quia ob dolorem imminet maius periculum, ne maior fiat attractio, & malum cerebro communicetur: Quę autem conueniunt localia, erunt ea, quę leniter, & blande mulcent dolorem, quæ stupefaciunt sensum leniter, & sine periculo.

Localia in principio.

Locus Gale. exponitur.

Hactenus de localibus conuenientibus in causis internis; circa quæ duo monendi estis; unũ quod monet Gale. 3. de comp. sec. loc. vbi scilicet dolor aurem maxime torquet, nunquam partem illam dolentem tangendam esse; quod intelligendum est, vt neque tangatur manu, neque vllo instrumento, quia pars suapte natura sensibilis maxime, ob morbum irritata est valde, quę si adhuc irritetur, malum deterius euadit; itaque si localia erunt adhibenda, vel per fumum, vel per leuem, & blandam instillationem.

Notanda.

Alterum notandum est, vt semper caueatis vsum ciborum crassorum; Curetis aluum lubricam esse, parum in cæna manducetur, & præcipue curandum, vt auris aliquo munimine defendatur a frigore externo.

Curatio a pcussione.

Si causæ fuerint externæ, quæ vel malum fecerint, vel faciant, vel foueant, aut erit percussio illata, vel corpus externum illapsum in aurem: In percussione, quæ dolorem fecerit, & facit, maxime prodest panis tritus, & melle immaceratus, sicque auri frequenter superpositus. Commendauit Galen. thus aceto eliquatum: vtiles sunt fomentationes ex decocto absynthij, cicutæ, agni casti.

Corpus illapsum auri.

In dolore facto ob corpus externum illapsum, videndum est quodnam sit hoc corpus, quod facit dolorem: Si sit aqua, antiquissimum est remedium oleum auri imponere, & aurem pronam seruare; hinc antiquitus factum fuit adagium in superbos, ferre oleum in auricula.

Oleũ extrahit aquam.

Sed dicetis, cur est, quod oleum extrahit aquam ex auricula? Aristot. 32. part. problem. 10. duas causas affert; vna est, quod oleum lubricam reddit aurem, per lubricam aurem facile effluit humor aqueus, quia facile adhæret auri propter lentorem, secunda, quia aqua facile adhæret oleo, itaque cum adhæret, vbi oleum exit, simul etiam aqua educitur. Hoc cum cognoscãt

vrinatores, solent oleo aures replere. Auicenna, & Mesues tres modos afferunt, quibus aqua ex auribus potest auferri. primus modus est, quem docuit Galen. 3. de comp. secun. loc. vt scilicet fiat fistula argentea, vel ossea, atque ipsa immittatur in aures, deinde fistula exugatur: nam in ea exuctione aqua ingreditur in fistulam; post hoc, ait Galen. oleum aliquod aromaticum auri indendum est. Et notate, dictum esse hanc fistulam debere esse argenteam, vel osseam, quia si ex arũdine fieret, præterquam quod arundo proprietate quadam nocet, vt dixi, etiam sua substantia exasperat aures. Idem quod fistula faciunt & corpora spongiosa auri immissa, & ego soleo accipere medullam milij indici, alij laudant sambuci, ex hac medulla facio collyria, quæ impono auri, hæc materia sua spongiositate exugit humiditatem ex aure, & ita exsiccat.

Tres modi eyciendi aquam.

Alter modus Auic. & Mesues est, vt excitetur tussis, vel vt impleatur auris aqua, & deinde velociter in pronũ vertatur auris, post aliquo radio tractetur interna pars auris. sic enim dicunt illi exire aquam, sed hoc non sum expertus.

Tertius modus, quem non inuenio apud Gal. est, vt capiatur cannulla anethi, quæ sit longa palmam vnam, media pars cannæ illinatur oleo, aut circumducatur gossypio, & in fine gossypij apponatur aliquis circulus, vel ferreus, vel alius, qui sit latus saltem digitum vnum; accipitur deinde canna, ex qua parte est denudata gossypio, vel sine oleo, mittitur in aurem; altera parte vritur, & sic ignis per partem, post partem communicatur auri, ita vt calore flammæ exugatur, & consumetur tota humiditas interna; & quia periculum esset, ne ignis serperet, adest circulus, qui prohibet, ne ignis ingrediatur aurem.

Possumus his modis attrahendi aquam, & alium adijcere, ex Galen. vt scilicet pede proximiori auri affectæ saletur; & auris versus terram inclinata teneatur; sic enim, & inclinatione, & concussu corporis fit, vt aqua destillat.

Quomodo alia corpora extrahẽda.

Si non aqua, sed aliud corpus aurem sit ingressum, & dolorem faciat, est Gal. præceptum, vt primo tentemus eluere aurem, quia ex elotione sola, quandoque exeunt hæc corpora; si non succedit hæc curatio, accipitur specillum, & ei circumponitur lana oblita Terebinthina succo, atque ita ponitur intra aurem; nam corpus adhærens lanæ ob tenacitatem terebinthinæ extrahitur, & sequitur specillum: Quod si vius terebinthinæ non placeat, Serapio commendat picem, cui etiam adhærent hæc corpuscula, & vna extrahuntur, quod si neque ista prosint, agendum est tussi, & sternutatorijs: nam ex sternutatorijs, vt alias dixi, vehementer concutiuntur aures, ex quo concussu expellitur, quicquid intra aurem positum est.

Quod si neque hoc succedat, & qui laborat, sit puer, omnes commendant, vt pedibus eleuetur, & caput concutiatur, quia etiam ex hoc situ exeunt corpora; si sit vir, extenditur corpus supra tabulam, & pars affecta ponatur prona, quo facto deinde tabula, supra quam positum est caput, modo tollitur, modo deprimitur, vnde fit, vt moueatur corpus intra aurẽ de loco, quod postmodum ferro aliquo potest extrahi. Quod si hæc non succedant, videndum est, si corpus frangi possit, vt est faba, cicer: quod si ita sit, frangendum est aliquo instrumento, quia diffractum facilius educitur. Sed quia inter frangendum solet auris exasperari, præceptum est, vt statim immittatur sapa, vel vinum intra aurem, quia huiusmodi liquores leniunt, & tollunt asperitates factas.

Animalia vt extrahenda.

Si corpus ingressum sit animal, a Galen. laudantur tria, vnum est scammonium aceto tritum & auri infusum. Alterum est, absynthij, seu peucedani succus. Tertium est sulphur, & nitrum tritum, & auri immissum: hæc non modo omnino interimunt animalia, verum etiam incidunt, & attenuant, ita vt facile postmodum exeant. Plinius lib. 28. capitu. 4. scribit, quod si animal ingrediatur aurem iuuat inspuere auribus: & hoc remedium non est irrationale, quia saliua hominis, & præsertim ieiuni, apud omnes Medicos putata est insecta animalia necare. Idem quoque ait, murium fel aceto eliquatum, & infusum enecare animalia, quod etiam apud Marcellum tanquam exploratissimum scriptum est. Quod si sordes aliquæ detentæ dolorem faciant, laudatur oleum nardinum, nitrum vstum, & pulverizatum, & acetum calidum. Hic est finis tractationis affectuum auris.

Sordes detenta.

D. HIERO

D. HIERONYMI MERCVRIALIS,

De Oris, & medij Ventris,

Hoc est, THORACIS, & partium in eo contentarum, affectibus.

Liber Secundus.

CAPVT PRIMVM.

De affectibus oris.

DE Oris affectibus tractaturi ante alia illud vos doceam, est necessarium os multas partes habere, & idcirco plurimos quoque esse affectus, de quibus hoc tempore sumus tractaturi, ante vero alia ordiemur ab ipsis dentibus, tanti enim refert affectus, qui exercet dentes, vt sæpe auxilio Medicorum egeat, & non immerito Aegyptij Medicos peculiares habuerunt, qui solis dentibus studium impendebant. Sunt vero affectus dentium, vt docet Galenus 9. de med. local. cap 8. alij occulti sensibus, alij vero manifesti, occulti sensibus sunt dolores, manifesti sunt corrosiones dentium, commotiones, denigrationes, attritiones, seu diminutiones, de quibus omnibus, pro vt tempus, & res postulat, sermonem habebo: Sed primo de dolore agendum est; quoniam (vt scribunt Celsus, & Serenus) hic affectus potest annumerari inter maxima tormenta, & idcirco opus habet solicita Medicorum diligentia. Galenus quoque ij. de Med. local. inter maximos dolores capitis, annumerauit dolores dentium, vt his rationibus debeamus & nos soliciti esse in hoc dolore cognoscendo. Fit dolor dentium tribus, aut quatuor modis, vnus fit ratione propriæ substantiæ, secundus fit ratione nerui, tertius fit ratione ipsius gingiuæ: possumus addere, & quartum, quando scilicet fit dolor, eo quod dens exire nequaquam potest: sed occurrit dubitatio, quæ notata est a Galeno loco citato, quomodo secundum propriam substantiam dentes doleant. Nam dentes sunt ossa, vt habemus ab Aristotele secundo, de generat. animalium, cap. 8. & a Gal. lib. de ossibus, sunt igitur ossa: sed ossa non sentiunt, igitur non videtur, quod dens secundum propriam substantiam dolorem percipiat. Attamen Galenus, quem omnes sequuntur, scribit se percepisse omnino dolorem dentis in propria substantia, dicēdum est id, quod dicit Galenus, dentes ipsos in propria substantia dolere: & quod dicebat dentes esse ossa, verum est quidem: sed sciendum dentes quatuor conditiones habere diuersas ab alijs ossibus; Prima conditio est, quod dentes ipsi non statim oriuntur, & præsertim in homine: ratio est, quia cum homo nutriendus est solo lacte pluribus diebus, natura ne frustra in ipso quicquam machinaretur, distulit generationem dentium: alia conditio est, quod dentes ipsi sentiunt. Cur vero natura indiderit dentibus sensum, hæc potissima est causa, quia debebant dentes denudati esse a carnibus, & omni velamine; vt itaque possent defendi, quia erant sine tutamine, necessarium fuit, vt sensum haberent, alioquin leui etiam de causa affecti fuissent.

Affectus dentium alij occulti, alij manifesti.

Quot modis fiat dolor dētium.

Cur dentes in homine præsertim, non statim oriantur.

Tertia conditio est, quod dentes soli inter ossa augentur, & augentur continuo, quod quidē factum est a natura cum summa prouidentia, quandoquidem dentes ex continuo ciborum attritu erant minuendi, vnde si continuo non augerentur; ita cito imminuerentur, vt non possent inseruire masticationi ciborum, & loquelæ: Quarta, & vltima conditio fuit, quod dentes sunt omnium ossium durissimi, carent foramine, carent medullis, quod quidem prudentissime etiam est factum, ne scilicet in conterendis solidioribus cibis facile læderentur: Cum igitur dentes sint ossa, atq; habeant necessario conditiones diuersas ab alijs ossibus non est negandum, quod secundum propriam substantiam dolorē sentiant. Dicitur hic dolor a Græcis ὀδονταλγία,

M 3 &est

& est symptomatum generea actionis tactoriæ læsæ corruptæ, quod genus morbi quidem reducitur ad morbum, vel in intemperie, vel in solutione continui, immo sæpe ad vtrosque. Causa vero huius symptomatis, aut est intemperies sola; aut intemperies cum affluxu materiæ, intemperies sola, aut calida, aut frigida, aut humida, aut sicca: nec mirari debetis, quod dicam dentes durissimos pati intemperiem siccam, quia in decrepitis, vt testatur Auicenna, vsque adeo exsiccantur dentes interdum, vt incredibili cruciatu afficiantur; Intemperies cum affluxu materiæ, aut est cum humoribus, aut est cum vaporibus, aut cum vermibus, nam & interdum innascuntur dentibus uermes, qui maximos dolores faciunt; a fluxu humorum vero, aut est humorum frigidorum, aut calidorum, & acrium, aut est a fluxu humorum simpliciter multorum, atque hic affluxus dentibus contingit, vel a capite demandante, vel a ventriculo: quia eleuantur vapores: qui itidem dentibus dolorem faciunt: Hæ sunt causæ internæ, externę causæ sunt omnes illæ, quæ faciunt fluxum humorum ad dentes, & quæ vitiant coctionem ventriculi; ex vitiata ventriculi coctione plurimi efferuntur vapores ad gingiuas, ad ipsos dentes, qui eas vehementer offendunt.

Causæ internæ. *Causæ externæ.*

Signa.

Signa doloris dentium, qui efficitur in propria substantia, vt docet Galen. loco citato, duo sunt. Vnum est profunditas doloris, quia percipitur dolor, veluti in centro ipsius dentis; præterea & nullum adest vitium in colore dentis, nullum in gingiuis.

Signa doloris ratione nerui, sunt profunditas doloris: & sine vllo vitio ipsius dentis, ac gingiuæ, ad hæc etiam dolor vehemens est, quasique dolor quidam stupefactiuus. Nam nostis ex Galeno neruos dolorem stupefactiuum facere.

Signa doloris ob gingiuas, clara sunt, quia ipsæ gingiuæ apparent, vel tumefactæ, vel aliqua alia affectione vitiatæ. Cognoscitur dolor dentis ex calida intemperie, ob ætatem, ob victum ante actum calidum, ex colore faciei rubro, ex sensu caliditatis ipsius oris: cognoscitur dolor a frigida intemperie, ex ætate, ex victu præcedenti, ex sensu frigiditatis, ex colore pallidiori, Signa humidæ intemperiei facientis dolorem; est laxitas ipsarum gingiuarū, & flacciditas dentis quædam, quanquam raro contingit, vt sola intemperies faciat dolorē, nisi acrimonia ipsi iungatur, Scitis enim humiditatem solam, secundum Gal. dolorem non facere.

Signa vero doloris ex siccitate, præcipue sumuntur ex ætate, quia fere iste dolor solum in decrepitis nascitur, ex his postmodum signis intemperierum simplicium conficiuntur, & signa compositarum.

Signa vero doloris, ex affluxu multorum humorū sunt sudor multus, dentis vacillatio, & copia excrementorū. Species quoq; doloris solet manifestare qualitatem humoris, Nam si dolor sit pungitiuus, denotat humorem facientem dolorem esse bilem, aut sanguinem.

Si a bile a sāguine. Si vero sit dolor benignus, pituitam, similiter si flauus sit color dentis, signum est bilis facientis dolorem, si vero color sit niger, indicatur melancholiam facere dolorem.

Si a pituita. *A flatibus.* Signum quod dolor fiat a flatibus habetur ex hoc vno, quod dolor ille citoeuanescit, & cito reuertitur, vbi namq; videtis dolorem statim sedari, & statim redire argumentum sit vobis dolorem illum oriri a flatibus existentibus, vel in cauea dentis, vel in radicibus ipsius.

A verme. Signa doloris facti a verme sunt corrosiones continuæ, videntur enim dentes corrodi, præterea apparet dolor modo magis, in vna parte, modo magis in alia: Si dolor fiat vitio capitis cognoscetis, ex repletione capitis, & ex grauitate ipsius.

Si ab ipso capite. *Ventriculo.* Si vero fiat vitio ventriculi cognoscetur ex affectibus ventriculi, Atque hæc sunt signa, quibus internoscere potestis omnes dolores dentium.

Prognost. Signa prognostica sunt, vt scribit Galenus quinto, de med. loc. dolores, qui fiunt ex siccitate, nullam vere recipere medicinam, Vnde diuinus Hippoc. in coacis prænotionibus dicebat, quod dentes exsiccari periculosum est, vbi etiam scribit, quod delirium, & febris valida contingunt ex dente corrupto.

Curatio. Curatio dolorum dentium. Sunt nonnulli, qui dicunt, quod vnica sit cura, si dentes extrahantur. Sed vt dicit Scrib. Largus, & Cæl. Aurel. falsum est hoc; nam auferre dentes, non est curare, sed partem ipsam abscindere, vnde nos curationem, non abscissionē debemus docere. Est vero curatio alia, quando fit ex vitio capitis, & ventriculi, alia quando non fit ex vitio alterius. Nam si fiat dolor vitio, aut capitis, aut ventriculi, vna curatio est, vt caput curetur, & ventriculus ipse, nam horum membrorum affectibus sublatis, aufertur dolor ipse, si vero dolor nō fiat vitio alterius partis, sed per essentiam habet duas curationes, quemadmodum docet Mesues, alteram vniuersalem, aliam particularem. Curatio vniuersalis est, vt si fiat dolor, ex sola intemperie, atque illa sit calida, debet alterari refrigerantibus, ob quod laudatur, vt oleum rosarum refrigeratum ore contineatur. Similiter soleo ego vti succo lactucæ, aut succo portulacæ. Si vero dolor fiat a sola intemperie frigida, curatio est, vt attemperetur dens ipse, & tota ea pars foueatur calefacientibus, vt est oleum anethinum ore detentum, similiter vitellum oui assatū, si quis mandat dentibus, leuat dolores ex frigiditate, medulla etiam panis recentis e furno extracti masticata dolorem hunc sedat.

Si fiat sola humiditate dolor, vini ablutio, aut aceti sedat dolorem. Si vero ex siccitate commendantur pinguedines, vt est gallinę pinguedo, butyrum dentibus illitum. Atque hæc breuiter est curatio dolorum ex nuda intemperie. Si vero fiant dolores cum affluxu humorum præcipua curatio est, si humores fluentes cohibeantur, id quod fit euacuationibus, ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, & huiusmodi adiutorijs, quæ apta sunt fluxum humorum intercipere.

Nam

Nam si fuerit sanguis, sectio venæ præstantissimum est remedium. Si bilis, aut pituita, ea medicamenta commoda sunt, quę bilem, & pituitam educunt, veluti sunt pilulæ Cochię, similiter si humor fuerit melancholicus, erit euacuandus medicamentis acommodatis eodem modo. Item cucurbitulæ, & frictiones valde prosunt, quoniam hęc omnia auertunt humores fluentes ad locum affectum. Nam Gal. lib. de facile parab. ad Solonem dicebat se expertum esse in doloribus dẽtium, quod allium appositum volę manus eiusdem lateris dolorem sedat, qua ratione in brachijs faciunt cauteria, vt impetus fluentium humorum tardetur. In omni dolore etiam necessaria est victus ratio. Sed eam vobis non tradidi, quia, pro vt humores erunt varij, qui faciunt dolorem, sic debet esse varia victus ratio, vt in calidis humoribus, & siccis sit victus refrigerans, & humectans, & contra Cæl. Aurel. tria videtur communia præcepta attulisse circa victum. Vnum est, vt vomitus fugiatur post cibum, alterum, vt Veneris vsus, Tertium, vt euitetur immodica vini potio, Atque ea est cura vniuersalis fere dolorum dentium.

Cura particularis duplex.

Cura particularis duplex est, alia vera est, alia mendosa appellata. Vera etiam cura particularis alia est, quæ debetur vbi secundum substantiam dens dolet, & hoc in casu, multa sunt experimenta apud Galenum, & Marcellum, & apud omnes alios, sed dicam, & ego aliqua, quæ probaui. Nam vbi secundum substantiam dens dolet, boracem appellatam, tam artificialem, quam naturalem, aceto maceratam, & dentibus attritam dolorem leuare, inueni. Similiter cera alba cum sale trito minutissime ad formam emplastri redacta, & denti circundata, leuat dolorem, radix quoque capparorũ, camphora, sandaraca, omnia hæc macerata aceto, leuant dolorem, & notetis, vbi dolor est ex substantia, debent medicamenta administrãda permisceri aceto acerrimo, alioquin medicamenta non penetrant, & consequenter non prosunt. si vero dolor fiat ratione nerui, hæc eadem medicamenta prosunt, & pręter hęc prosunt pyretrum, piper, cyperus. Si vero dolor fiat ratione gingiuarum, est aduertendum, quod medicamenta hæc eadem possunt dolorem mitigare, sed alio modo vsurpata. Nam gingiuę cum sint partes nobilissimæ, facile offenduntur a rebus acribus, & aceto. Vnde hoc in casu acetum, dicebat Aetius, est perniciosum, & loco aceti vtamini vino albo, vel nigro, vel vino, & mellę commixtis, addendo ea, quę diximus supra, Sunt alij, qui negligentes has curationes dicunt dolorem hunc tolli non posse, nisi dentes extrahantur. Sed ij refelluntur ab Herophilo. & Erasistrato, qui dixerunt se explorasse dentes extractos homines ad mortem perduxisse, vnde refert Erasistratus apud Cæl. Aurel. in templo Apollinis Delphici ad fuisse appositum instrumentum plumbeum ad extrahẽdos dentes, quod appellat odontagogon, vt intelligerent omnes, non esse dentes eximendos, nisi solo plumbo, id est quando ita corrupti sunt, vt fere sponte excidant: Itaque aduertatis, ne sitis præcipites in extrahendis dentibus.

Si dolor fiat ab humoribus calidis, & acribus, præter vniuersalem curationem sunt, & medicamenta particularia, veluti est, alga, myrthi baccæ, flores malorum granatorum, quæ aceto macerata sedant dolores, sic oleum lentiscinum, si ore detineatur, dolores valde mitigat, artemisia quoque aceta macerata frigida influens in dentes. Sunt etiam medicamenta, quæ possunt huiusmodi dolores tollere, veluti est sandraca, pyretrum aceto maceratum.

Est quoque & emplastrum quoddam, quo ego hoc in casu uti soleo.

℞. nitri ℥ j.
Pyrethri ℨ. ij.
Staphisagriæ ℨ. iij.
Terebinthinæ ℥ iiij ℳ. & fiat emplastrum. Hippocr. sexto, epidem. sectio. vj. in fine scribit, si a supercilijs tenuia fluxerint, postmodum piper adhibeto, &c. quem locum corrigit, & interpretatur Fuchsius, ut ibi. Ego uero puto intelligendum esse, quod si capite per oculos, uel nares, ad dentes tenuia fluant, & dolorem pariant, narcotica obsunt, nempe quæ obstruentia magis compingunt, & retinentur humores, unde augetur dolor, ut contingit Hegesippo, modo tamẽ humores potius caliditate, quam tenuitate non obsint, ex aduerso calida, ut piper aperiendo, & attenuando, ac educendo eos humores, prosunt. Quod si dens perforatus est, soleo partẽ ipsius piperis caueæ dentis imponere, & emplastrum circumdare denti. Oleum quoque rutaceũ, ore detentum expertum maxime hoc in casu prodesse, & aduertatis quod ex huiusmodi rebus, nõ solum parantur pulueres, sed & suffumigationes, ex rebus enim his in acto maceratis fiunt suffumigationes quædam, quæ dentes citissime liberant, quemadmodum si dolor fiat ex vermo a Galeno expertum est semen insquiami super carbones incẽsum, & eius fumo ore accepto prodesse; succus quoque cæparum, & porri denti dolenti adhibitus vermes enecat.

Sępe vsu venit, vt Medici doloribus ęgrotantium coacti proprias regulas egredi cogantur. Qui modus curandi, quamquam vsitatus sit, tamen non legitimus, sed mendosus habetur, id quod pręcipue contingit in curandis dentium doloribus, qui quomodo ratione secari debeant vidistis. Nunc videndum est, quomodo cura (vt dicunt Barbari) mendosa sit tractanda, Et est hęc cura non alia, quam ea, quę sensum dentibus adimit, vt dolorem non sentiant, cuiusmodi est opium, quod quidem frequentissime adhibetur. Modi quidem vtendi varij sunt, sed pręcipuus in vsu est, vt accipiatur opium ℨ ß. castorei tantundem, & simul commixta denti apponantur: sunt & ex veteribus, qui laudant opium lacte maceratum, qui etiam non parũ confert. Sed circa vsum stupefacientium, in dentibus curandis tria sunt obseruanda, Vnum est, vt nunquam vsurpentur hęc medicamenta, nisi exacte castigata, id est sola non adhibeantur, quoniam cum inimica sint naturę humanę, facile loco medicinę venena esse consueuerunt. Alterũ est,

vt postquam medicamenta hæc sedant dolorem, statim auferantur, alioquin longa mora solent incredibile damnum inferre. Tertium, & vltimum est, vt ad hæc medicamenta nunquam deueniatis, nisi prius cetera sint explorata, vel nisi acerbitate doloris cogant vos, ægrotantes administrare.

Sed dicetis sæpe vsu venit, vt nec proficiant quicquam hęc medicamenta; dico, quod vbi rationabilia medicamenta non prosunt, & stupefacientia vana erunt, nulla alia superest spes, nisi in eximendis dentibus, eximuntur autem dentes duobus modis, aut ferro, quod pertinet ad Chirurgos, aut medicamentis, quod pertinet ad Medicos physicos. Remedia quæ solent dentes extrahere, multa sunt. Sed quatuor, vel quinque vobis demonstrabo. Vnum est lac tithymali farinæ commixtum; secundum est syluestris cucurbita aceto macerata, similiter, & pyrethrū aceto maceratum, Galen. in lib. de facil. parab. memorat radicem lappæ herbæ, quam scribit appositam denti, ipsum educere. Sandaraca quoque aceto macerata; & artemisia dicitur eosdem effectus producere; Sed in eximendis dentibus duo præcepta debetis notare. Vnum est, vt nūquam dum dolor exercet, dens auellatur; neque ferro; neque medicamentis, quia sæpe ingeminatus dolor dentis, solet homines ad defectum animi, & mortem perducere; Alterum est, vt si medicamentis educere dentes vobis placet, caueatis, ne dentes sani a medicamentis tangantur; hoc obtinetur, si dentes proximi circumlineantur cera, ita prohibetur, quo minus medicamenta ipsos tangant,

Sequuntur alij affectus dentium, qui a Galeno, apparentes nuncupantur, & primus affectus est corrosio, videbitis enim dentes corrosos, & ita perforatos, vt tenui attritione frangantur, quod quidem præter dolorem solet oris fœtorem parere, vnde Medici affectum hunc debent curare; fit hic affectus, ex affluxu materiæ atræ, & corrodentis, siue biliosæ, siue pituitosæ. Hæc vero materia, aut a capite, aut a ventriculo mandatur ad dentes, aut in ipsis dentibus residet, quæ manat a capite plurimas externas causas habet, prima est insolatus, capitis negligentia, seu immodica cura, nam hæ matronæ dum capillos disponunt suis pharmacis calefacientibus; ita eliquant, & calefaciunt caput, vt videatis illas, dentes corruptos gerere. Huc etiam spectant regiones palustres, & quæ fluxionibus sunt obnoxiæ, nam Aethiopes omnium fere gentium habent maxime sanos dentes, non alia ratione, nisi quia capita ipsorum paucissimis scatent excrementis, quæ vero materia putrescens in dentibus relicta, facit corrosionem, vt plurimum est, ex negligentia hominum, nam qui habent raros dentes, sæpe inter ipsos detinentur cibi non commansi, qui nisi continuo expurgentur, corrumpuntur, & consequenter dentes contaminant, hac ratione dicebat Aristoteles 22. prob. sect. o. problem. 14. quod ficus maxime nocent dentibus, eo quia caro ipsorum lentore quodam adhærent dentibus, vbi deinde detenta putrescit, putrefacta dentes corrodit. Curatio huius affectionis tribus scopis absoluitur, primus scopus est, vt euacuentur humores, qui a capite descendentes putrefaciunt, quod quidem fit, vel venæ sectione, si opus sit, vel etiam pharmacia, si humores praui in capite, & reliquo corpore abundent. Secundus scopus est, vt materiæ illæ corruptæ, quæ dentibus inhęrent, auferantur, quod fit pluribus ingenijs, primus modus est, vt medicamenta exsiccantia, abstergentia, & consumentia affricentur; eiusmodi est nigella, gingiber, cappares in aceto cocti, aut muria. Notat Marcellus, si sub lingua quotidie, mane detineatur sal, dentes immunes putredine conseruari. Ex dictis medicamentis etiam conficiuntur, vel pulueres, qui affricantur dentibus, vel decocta, atque ita putredo omnis aufertur. Tertius scopus est, ut prohibeatur, ne putredo magis serpat, non enim solum necesse est, auferre materiam putridam, sed videndum est, ne noua putrefactio exurgat. Pro hoc obtinendo ea medicamenta vsu veniunt, quæ astringunt, & exsiccāt, cuiusmodi est galla, cyperus, camphora, iusquiamus, & storax; hæc etiam medicamenta modo in pulueres rediguntur, modo incenduntur, & hęc suffumigatio dentes ipsos tangit, atque ita immunes conseruat a putredine. Pro hoc scopo implendo sunt alij etiam duo modi in vsu, qui sępe vsurpantur pro nobilibus, & pro illis, qui dentes omnino eximere volunt. Est vero primus modus, vt pars putrefacta, id est pars illa dentis, quæ persenserat putredinem, vratur, aut auro, aut argento ignito. nam accipitur fistula aurea; & ignitur; atque pars contacta a putredine tangitur, vsque dum tota pars contaminata vratur. Sed quia sunt multi, qui pertimescunt ignem, pro his sufficiunt cauteria potentialia appellata, cauteria vero duo sunt, quæ in his casibus vsurpantur, vnum est olei vitriolis; aliud est oleum sulphuris, nam pars cæsa dentis, si sæpe, ac sæpius, huiusmodi oleis contangatur, facile fit, vt immunis, ab omni putredine euadat. Videbitis interdum etiam commoueri dentes, atque ita infirmos esse, vt quolibet contactu vacillent, neque etiam firmiter possint cibos ipsos conterere, qui affectus, a Gręcis, & Arabibus vocatur dentis commotio. Fit huiusmodi affectus interdum ex percussione, interdum ex humorum affluxu, quia adeo mollefaciunt gingiuas ipsas, vt moueantur dentes, perinde, atque mouentur arundines in terra paludosa. Fit etiam hic affectus, ex materia corrodente cauernas dentis, quæ corrosæ cum dilatentur, non ita firmiter ipsis inhærent, & hic affectus sæpe consequitur morbos acutos, & febres prauas, quare videbitis sæpenumero post has febres ægrotatos pati vacillationem. Fit etiam ex siccitate dentis, siccantur namque dentes, & radices, ita vt attenuentur, attenuati demum, cum totas cauernas non impleant, facile huc, atque illuc vacillant, & contingit vt plurimum in senibus. Cognoscetis causas vniuscuiusque affectus, ex proprijs signis; nam si a percussione, erit clarum argumentum, si humorum fluxione, & multitudine, videbitis gingiuas tumentes, laxas, flaccidas, si fiat ex corrosione, videbitis, carnes

gingi-

gingiuarum corrosas, præterea intelligetis ex morbis, qui præcesserunt; Si ex siccitate, similiter cognoscetis ab ætate, a morbis, qui præcesserunt, vt a phthisi, & hectica, nam hac ratione in phthisi, & hectica febre dentes mouentur. Si fiat dentis commotio ab extenuatione, ita vt radices sint exsiccatæ, est fere irreparabilis huiusmodi affectus, quia arduum est consumptarum partium ossearum, vel nerinearum humiditates reparare, & ideo, quando dentes mouentur, & caput, dicit Arist. 2. de gen. animal. prædicunt mortem futuram.

Si ex nimia humiditate hic affectus ortum ducat, auertendus erit fluxus frictionibus, cucurbitulis, ligaturis, purgationibus, quibus omnibus factis, deinde ad localia deueniendum erit, atq; primo vtendum erit ijs, quæ desiccant, & moderate astringunt, cuiusmodi est cornu ceruinum vstum, Thura, myrrha, pyrethrum, acetum scilliticum, post quorum medicamentorum vsum adhibenda sunt ea, quæ adstringunt, nam non sat est humiditatem præsentem absumere; sed operæpretium est, etiam prouidere, ne noua materia fluat; id quod efficitur medicamentis adstringentibus, cuiusmodi est mastiche, & decoctum balaustiorum, sumach, aluminis decoctum, lentisci, & plantaginis. hæc omnia prudenter exhibita mollitiem nimiam absumunt.

Si vero dentes commoueantur propter corrosionem factam in cauernis, hic etiam principio corpus, & caput purganda erunt, purgato corpore, & capite deueniendũ ad medicamenta, quæ exsiccant, cuiusmodi, est ærugo ferri, & æris, myrrha puluis origani, pul. arthemisiæ puluis parietariæ. Si ex percussione, Marcellus laudauit, ireos ipsum foueatur lacte; Sed quanquam lac aliquo pacto conferat, tamen non ea præditum est efficacia, quæ necessaria est. Idcirco deueniendum est ad medicamenta, quæ magis adstringunt, & dentes corroborant, cuiusmodi est decoctum ex galla, ex myrtho, ex corticibus granatorum, ex radice ytcos. quæ omnia decoquuntur in aceto, aut omphacio, aut in oleo lẽtiscino, & his fouentur dentes laborantes, & ita adstringuntur, vt facile recipiant pristinum statum.

Denigrantur etiam interdum dentes, aut liuescunt, aut flaui euadunt, qui omnes colores pręter turpitudinem, quam inferunt, non parum nocent valetudini. Vnde solicitus etiam fuit Galenus quinto de local. tradere modum, quo dentes ipsi dealbantur. Inficiuntur dentes prauis coloribus duobus modis, aut quia nutriuntur prauo alimento. i. vel alimento melancholico, vel bilioso, vel pituitoso, aut quia humores defluentes a capite adhærescunt dentibus, atque ita ipsos coloribus inficiunt, aut quia a ventriculo vapores putridi eleuantur; qui dentibus ipsi adhærentes, eos huiusmodi coloribus inficiunt.

Vnde colores dentium varij.

Fiunt colores dentium præter naturam multis de causis, vel ab humoribus, qui adhærescunt dentibus, & eos varie colorant, qui etiam interdum ita concrescunt, vt veluti terrã, & lapides circa dentes gignant. Fiunt quoque a vaporibus, a iecore, vel stomacho ascendentibus, propter quod in febribus videmus colorari dentes, interdum nigros, interdum pallidos fieri, sic etiam post vomitum, a cibo dentes varijs coloribus inficiuntur. Fiunt quoque colores a varijs edulijs, propterea referunt Arabes vsum mellis, frumenti cocti, & rerum dulcium dentes varijs coloribus inficere, si fiant colores præter naturam, ex vaporibus, curandi est ratio, vt quantum fieri potest, impetus vaporum cohibeatur, & prouideatur, ne flatus ascendant. Sin vero fiat nigredo ab humoribus; primo erit prouidendum, vt humores euacuentur, secundo, vt frictionibus, aut cucurbitulis cursus ipsorum impediatur, his peractis deinceps erunt administranda, ea quæ abstergunt, vt est spuma maris. Sal gemmæ, sal ammoniacum. Scribonius Largus Medicus docet compositionem quandam, qua scribit Messallinam Imperatricem vsam fuisse, quæ hæc est.

℞. Cornu Cerui vsti, & in cinerem redacti ℥.j.s.
Mastiches ℥.j.
Salis ammoniaci ℥.s. fiat puluis, & eo confricentur dentes.

Parantur etiam pulueres ex marmore, & cornu ceruino vsto, quæ maximam vim obtinent, in auferenda dentium nigredine, sed notate, quod vbi hæc medicamenta administrantur, necesse est, vt magna vi, & ieiuno stomacho dentes fricentur, magna vi, quia rustici non alia ratione dentes albos habent, nisi quia comedendo panes aridos, dentes maximę fricent. Patiuntur dentes quendam alium affectum, quem appellant latini Stuporem, aut congelationem. Marcellus appellat stridorem, & est, quando dentes veluti ligantur, vt non possint fungi officio suo, Quis sit hic affectus dixit Galenus secundo loc. aff. 6. & primo de symptom caus. quinto, le fere nescite. causas vero voluit esse Galenus, vsum rerum austerarum, & acerbarum, quarum esu dentes ita ligantur, & stupescunt, vt non possint fungi proprio munere. Sed præter a Galeno assignatas causas, sunt & aliæ; nam humores calidi contenti in ventriculo mittunt vapores ad dentes, merito quorum ipsi obstupescunt. Hippoc. in libro de humoribus, quem deinde secutus est Arist. 7. problem. sectio. probl. 5. voluit etiam hunc affectum fieri, ex solo visu alicuius manducãtis res acerbas, & austeras, quemadmodum, ex auditu attritionis ferræ, auditus quasi offenditur. Curatur hæc affectio, fricatione earum rerum, quæ dissoluunt humores illos acidos, aut vaporem, qui faciunt hunc affectum: Vnde laudatur maxime mastix, & masticatio nucleorum amygdalarum, nucleorum auellanarum, radix liquiritiæ. Galenus laudat etiam oleum calidũ, ore detentum; sed tanquam maximum emolumentum commendatur ab omnibus vsus portulacæ, & salis. i. vt portulaca affricetur cum sale dentibus. cur vero portulaca; & sal dentium stuporem tollant Aristoteles primo problem. 37. & 38. atque 8 problem. attulit hãc causam, quod portulaca suo lentore adhærens dentibus, in sese trahit humorem illum, qui dentes ligat. Sal

autem

autem sua vi dissoluit humores eosdem, vnde ipsi liberi euadunt, quod quidem ait Aristoteles non facere, neque cinerem, neque nitrum, eo quia hæc corpora suo pondere efficiunt, vt humores magis adhærescant; Contingit quoque, vt dentes sæpe non possint neque calidum, neque frigidum sustinere, & præsertim frigidum, nam Aristoteles, 33. particula problem. scribit dentes non sustinere frigidum magis, quam calidum, eo quod cũ sint natura frigidi, sunt enim ossei, atque poros angustissimos habent, parum caloris in ipsis continetur, vnde fit, vt facile a frigore lædantur, & hæc affectio contingit, aliqua intemperie, quæ si sit frigida, cognoscitur colore, nam videbitis colorem dentium albidiorem, & hæc affectio curatur granis lauri decoctis in oleo, aut in vino, alumiue, euphorbio, synapi, & etiam theriaca; Nam theriaca maxime efficax est, in tollenda frigida intemperie. Si sit ob calidam intemperiem, cognoscetis, ex flacciditate dentium, & curatur frictionibus factis cum rebus calidis, veluti est camphora, quæ affricata dentibus calida intemperie affectis ipsorum intemperiem tollit, similiter & oleum rosarum, sandali, succus portulacæ, mastix, lentiscus. Nam lentiscus mirificam facultatem habet, ad curandos dentes, & corroborandos, vnde consuetudo vetus non est spernenda, vt fiant dentifricia, ex lentisco.

De affectibus gingiuarum. Post affectus dentium Galen. 5. de comp. med. secundum loca. tractauit affectus gingiuarũ, immo ita commiscuit hos affectus, vt fere sub ijsdem verbis de vtrisque egerit, qui affectus plurimi sunt, sed præcipue duo a Galeno nominantur, vnus est, quem appellat epulidem, alter, quẽ appellat parulidem; Et præter hos affectus, est alius, qui mollificatio gingiuarum, appellatur, interdum etiam contingit gingiuas diminui, & excarnari, quem effectum sæpius videbitis.

Epulis quid. Epulis nil aliud est nisi excrescentia carnis super gingiuas. Paulus, & Aetius voluit hanc excrescentiam fieri supra dentes molares, & interdũ copulari febri. Iulius Pollux voluit fieri hunc morbum circa dentes, quos Hippocrates vocauit sophronistiras. Sed vt ego puto ex Galeno, & vt experientia probaui, hic morbus efficitur, supra omnes partes gingiuarum, verum est, quod frequentius efficitur supra dentes molares, quandoquidem gingiuę istę magis subijciuntur inflammationibus, & apostematibus.

[Par]ulis. Parulis vero, vt habetis apud Aetium lib. 8. cap. 24. Est tumor gingiuarum, qui nisi soluatur, solet sępissime ad suppurationem venire, & hic tumor efficitur a varijs humoribus interdum a sanguine, interdum a melancholia, interdum a bile, nonnunquam a pituita.

Sat est, quod semper fiat ab aliquo humore, quemadmodum epulis efficitur, solum ex luxuria naturę generantis carnem immodicam. Mollificatio gingiuarum est, quando gingiuę, ita sunt laxę, & flaccidę, vt si a rebus duriusculis tangantur, statim offendantur, & hęc affectio efficitur a copia humorum, vel ab humiditate, & vt plurimum a pituita, quę dispersa est per gingiuas. Diminuuntur autem, & corroduntur gingiuæ ab humoribus acribus biliosis, & erodentibus, vnde sæpe videbitis post febres acutissimas rumpi gingiuas, eo, quod humores acriores a natura sunt appositi in ea parte, atque eam corrodunt. Inuenio quoque hunc morbum fieri ratione lienis. Nam Hippoc. libro de inter. Affectibus, & in prorrhet. libro scribit, quod quicunque habent lienem tumidum, & magnum illis sæpissime corrumpuntur gingiuæ, & ratio est, quia a liene vapores atri mittuntur ad gingiuas, qui ipsas corrumpũt. Fit quoque in pueris dentientibus, vt gingiuæ aliquem affectum patiantur, quando dum erumpunt dentes, illi suo acumine pertundunt gingiuas, adeo, vt incredibilis cruciatus efficiatur, qui affectus in pueris non contemnendus est, quandoquidem ipsos in magna discrimina perducit, Signa vniuscuiusque affectionis facile innotescunt, nam in epulide videbitis dentes obiectos carne, vt impediantur in muneribus suis obeundis. In parulide, etiam adest dolor, tumor gingiuæ in aliqua parte, qui modo rubeus est, modo pallidus, modo subalbidus, pro ratione humorum peccantium. Mollificatio quoque gingiuarum apparet, quia tangenti facile gingiua cedit, videturque laxa, & flaccida, quod sæpe experiemini in illis, qui viuunt in Regionibus palustribus, nam hæc hominum genera sæpe hac affectione tentantur. Diminutio quoque habet clarissima signa, quia semper videntur quasi denudatæ radices dentium, quando vero perforantur gingiuæ dentibus exeuntibus, etiam habet indicia manifesta, quia tunc temporis pueri maxime clamant, febriunt, fluxibus alui laborant, & habent ora veluti ignea, vt etiam nutrices vix papillas in ipsorum ore continere queant.

De signis prognosticis horum affectuum, id mihi dicendum succurrit, quod scribit Hippoc. in coacis prænotionibus, quod si dens corrumpatur, abscessum gingiuæ solet facere, ibidem etiam scribit Hippo. quod in tabescentibus si cum alui fluxione adsint gingiuarum laxitates, & fluxiones, quod sit lethale. Curatio epulidis est, vt luxuria ipsius naturæ in generanda carne medicamentis compescatur, & propterea conuenit victus tenuis, & victus attenuatorius, deinde conueniunt etiam medicamenta localia, quæ exiccant, & astringunt, & quæ a Galeno quinto de simp. med. nuncupantur cathæretica, id est, quæ auferunt, & deprimunt carnem, cuiusmodi sunt flos æris, ærugo ferri, alumen.

Sed in vsu horum medicamentorum hoc debetis notare, quod non statim adhibenda sunt hæc medicamenta cathæretica. Sed procedendum est primo a mitioribus, deinde ad valẽtiora, primum igitur vtendum ijs, quæ astringunt, & exsiccant moderate, cuiusmodi est decoctum ex balaustijs, sumach, granis myrthi, corticibus granatorum, quod decoctum præterquam quod adstringit, exsiccat etiam ita, vt natura impediatur, quo minus in carne producẽda luxurietur. Myrrha etiam, & succus portulacæ, a Galeno 5, de comp. med. secundũ loca inter mitiora numerantur

merantur, post horum vsum veniendum est ad ea, quæ magis exficcant, & adstringunt cuiusmodi est alumen, diamoron, & ego soleo vti hac compositione.

℞. Diamoron ʒ ij.
Aluminis de rocca, liquidi, aut combusti ʒ. ij.
Sumach ʒ. j. ß. M. & hoc linimento caro supercrescens illinatur mane, & vespere, quo non conferente deueniendum ad ea, quæ valentissima sunt, & in hoc genere experimini etiam vnguentum Aegyptiacum, & memini me curasse rusticam mulierem his medicamentis, id est diamorone cum alumine, & vnguento Aegyptiaco. Parulis vero curatur ea curandi ratione, qua ceteri tumores, videlicet in principio curatur rebus repellentibus cum decocto rosarum, plantaginis, & Balaustiorum. Postea curantur exacto principio cum rebus, quæ dissoluunt, quod si tumor dissolui nequeat, auxiliandum est suppurationi, quia dicit Aetius, nisi iste tumor dissoluatur, necessario suppuratur, & pro suppuratione laudatur butyrum, & ego soleo passulas contundere, & deinde commiscere butyru, quod medicamentum auxiliatur suppurationi, & valde mitigat dolorem. Sed vnum adnotare debetis, quod notatum est a Gal. 5. de cõp. med. secundum loca, videlicet quod si appareat in tumoribus gingiuarum sanguinem abundare in capite, pertundatur vena cephalica, quia nisi plenitudo capitis diuertatur, vix obtineri poterit, vt vere sanentur tumores ij, quod si non plenitudo sed cacochymia appareat, veluti si factus fuerit tumor a bile, erit caput purgandum, quia nisi cacochymia auferatur, arduum est omnino hanc curationem perficere. Debetis quoque scire quod sæpe gingiuæ tument, absque vllo apostemate. Videbitis interdum tumentes gingiuas, nec tamen ibi aderit parulis; sed mera tumefactio gingiuarum, quo in casu, confert vitellus oui assatus, & contricatus, similiter fricatio salis. Gallæ quoque rediguntur in pulueres, & leniter gingiuis affricantur, sic enim exsiccant humores illos, qui faciunt tumores gingiuæ sine apostemate. Quod si cum apostemate videatis rubere gingiuas quemadmodum sæpius contingit, & plenitudo capitis appareat, erit inchoanda curatio a sanguinis missione, deinde erunt gingiuæ scarificandæ, vt sanguis educatur. Postquod erunt medicinæ affricandæ, cum rebus, quæ adstringunt, quo in casu valde vtilis erit puluis, ex rosis rubeis; & ex balaustijs. Succus etiam plantaginis in puluerem redactus, confert, quod si vultis pro auferendo rubore gingiuarum; etiam aliquam formam medicamenti; hoc ego interdũ vsurpare soleo;

℞. Aluminis aceto macerati ʒ. j.
Salis triti ʒ ij. M.

& affricentur vel

℞. Lentium vstarum ʒ. j.
Myrtillorum vstorum,
Vitrioli ʒ. ij.
Sumach,
Pulueris rof. ʒ. j. s. redigantur omnia in pulueres, & affricentur, & notate, quod hæc medicamenta non solum prosunt ad auferendum ruborem a gingiuis, sed conferunt etiã gingiuis sanguinolentis. i. iuuant quando ex gingiuis effluit sanguis. Sunt multi, quibus qualibet die sanguis ichorosus a gingiuis profluit, quod tædium hoc maxime curandum est his medicamẽtis, in mollificatione gingiuarum. Primo curandum erit vobis an hæc mollificatio sit multa, an pauca, si pauca erit sat sit vobis vti, aut pulueribus, aut decoctis adstringentibus, & exsiccãtibus, vt sunt decocta iam prædicta, decocta ex lẽtisco, myrtho, ex corticibus granatorũ. Laudat quoque alumen Auicenna, sed ego libenter abstineo ab alumine; vbi mihi mitius licet mederi. Si plurima sit mollificatio omnes fere nituntur hoc præceptum adferre; vt scarificentur gingiuæ; ex qua scarificatione quanquam profluat sanguis, profluunt tamen & ichores, qui efficiebant illam mollificationem, vnde facta post modum scarificatione tempus est vtendi adstringentibus, & exsiccantibus cuiusmodi sunt flos labruscæ, fructus tamarindi, omphacium, oleum lentiscinum cum alumine, aut chalcantho, & parari poterit, tale.

℞. Chalcanthi. }
Aluminis. } *an. ʒ. j.*
Pul rof. ʒ ij. cum omphacio fiat linimentum, & apponatur.

In diminutione gingiuarum nil aliud agendum, nisi vt si quid putrefactum illud auferatur, deinde detergantur optime, post modum adhibeantur, quæ carnem gignunt. Nam si velitis primo adhibere medicamenta sarcotica, numquam obtinebitur, nisi prius omnis putredo, & sordities ablata sit. Igitur postquam demundatæ fuerint, medicamentum erit commodum, quod fit ex thure, aristolochia rotunda, farina orobi, & radicis liliorum, quæ omnia simul commixta, & melle conglutinata, atque illata statim gignunt carnem gingiuarum. Quod si gingiuæ afficiantur ob dentium acumen, curandi ratio est, vt rebus relaxantibus gingiuæ relaxentur, vt scil. fiat patens aditus dentibus exeuntibus, quo in casu laudatur lac asininum, butyrum recens lotum, cerebellum etiam leporis.

CAP.

CAPVT II.

De Aphthis.

Nomen.

INter oris affectus sunt & quidam, qui videntur non vnam partem obsidere, sed totum ipsum os occupare, qui quidem affectus vlcerationes quædam sunt, in quibus nominandis magna anctorum varietas reperitur, dicuntur a Græcis ἄφθαι. Latini, cum non haberent nomen proprium, & ipsi aphthas nuncuparunt. Arabes fere omnes vocarunt aleola, licet Auenzoar Arabum princeps lib primo tract. 6. & 7. diuersus videatur fuisse ab Auicenna, quia Auicenna appellauit aleola proprie aphthas Græcorum, & vleerationes oris, vocauit vero Botor tumores infernos oris, sed sine exulceratione. Auenzoar diuerso modo nominauit, appellauit etiam Alcola, eos tumores quos Auicenna vocat boror, appellauit vero botor Auicenna Alcola. Aretæus med. ij. de acut. ix. dixit hæc vlcera, quæ Aphthæ vocantur, esse nuncupata vlcera Syriaca, & Aegyptia; eo quod sub his regionibus maximus sit horum morborum prouentus. Q. Serenus med. antiquus appellat aphthas offedinem; & Serenum secutus Isidorus lib. 4. Etymol. capit. 8. dixit offedines aphthas a Græcis esse vocatas, sed obseruandum circa hoc nomen offedinis, quod Marcellus lib. de med. & Apuleius in suo herbario appellarũt offedinem alium morbum oris, eum scilicet, quem Plin. lib. 25. cap. 3. appellauit stomachacē, est vero hic morbus stomachaces scilicet, quædam oris affectio, quæ tempore Germanici Imperatoris nata erat in Germania, ex potu cuiusdam aquæ fluuij, pro quo credēdo adducor, quia scribit Plin. pro hoc morbo inuentũ fuisse remedium ex herba Britannica appellata, quam & Apuleius, & Marcellus ad offedinem præstare tradunt. Vnde error est apud Cælium lib, 3. cap. vltimo, vbi scribit offediuem esse morbum, quo quis frequenter oscitat, quod quidem remotissimum est a veritate.

Aphtha quid.

Est vero aphtha, seu alcola, aut offedo, vlcus quoddam oris in summa superficie cutis cum ignea caliditate, sic enim descripsit Galen. lib. 6. de comp. med. secundum loc. cap. 4. quem omnes alij deinceps sunt secuti, addidit Pollux etiã præter vlcerationem adesse albedinem, sed hoc signum non est efficax, vt suo loco videbitis. Verum hoc in loco est illud animaduertendum apud Medicos antiquos hoc nomen aphtha nõ solum dictum esse de vlceribus oris, verumetiã de vleeribus aliarum partium Galen. lib. 9 de comp. med. secundum loca, & Paul. lib. 3. cap. 54. nominant aphthas etiam vlcera quædam testiculorum. Hipp. quoque secundo de morb. nominat aphthas quædam vlcera ignea, & calida pulmonis, adeo quod perpetuo hoc nomen significat apud Græcos vlcus.

Morbi gen°.

Locus affectus.

Est vero hic affectus morbus in intemperie, & in vnitatis solutione. Est quidem in intemperie, quia vt dicit Galen. est cum ignea caliditate.

Locus affectus satis patet quis sit, est enim tota interna oris capacitas, quandoquidem, vt docuit Cornelius Celsus lib 6. cap. 11. Primum incipit hic morbus a gingiuis, deinceps progagatur per linguam, & per totum palatum, tandemque depopulatur & vuam, & fauces totas.

Causæ immediatæ.

Causa immediata, & materialis, huius affectionis, est succus acris, calidus, & mordax, qui cutem alioqui debilem ipsius oris expungens, & dilacerans facit vlcerationem, sed hic succus triplex est, alter qui inest lacti, alter, qui proficiscitur a cibis vitiosis, vt ab alimentis actibus, atque salsis, Tertius est, qui oritur ex ipsis humoribus a capite ad os defluentibus, ex his omnibus nascitur ille succus, qui corrodēs cuticulam oris, & partium ipsius facit aphthas, & quia dixi succum hunc emanare ab omnibus humoribus, est illud sciendum, quod docuit Auicenna sexta tertii, videlicet ab omnibus humoribus emanare hunc succum, qui faciat aphthas, nam & sanguis, & humor melancholicus. & biliosus, & pituita salsa, atque acris possunt efficere hūc affectum, præter has causas internas, & materiales, sunt quoque aliæ remotiores ex quibus plerumque in adultis præsertim efficiuntur aphthæ.

Causæ externa.

Primo insolatio seu mora sub sole, nam experientia constat incalescentibus scilicet humoribus capitis, ita vt acriores efficiantur & in palatum postmodum descendant, vlcera fieri. Constitutiones quoque temporum, huc referuntur, dicit Auicenua loco citato quod cõstitutiones pluuiosę magnum aphtharum prouentum faciant. Regio quoque calida, & sicca, vnde Aretæus dicebat in Aegypto, & Syria hunc morbum maxime vagari, non solum ratione siccitatis illius aeris, verumetiam ratione ciborum calidorum, & actium, quibus incolæ vtuntur, & etiã ratione aquæ Nili, nam aqua illa, constat apud omnes, quod sit nitrosa. Temperatura etiã corporis calida, & sicca, sed magis calida, & humida, & præsertim ea temperatura, in qua caliditati copulata est humiditas salsa, & acris, in his namque temperaturis sæpissime suboriontur huiusmodi affectiones. Est pręterea, & ętas, de qua loquens Hippocrates tertio aph. 24. scripsit, quod infantibus præsertim lactentibus frequentissime obueniunt aphthæ, cur vero hoc sit, tres sunt causę, vna, quia sæpe vtuntur lacte ichoroso, salso, & acri, quod facile pertundit, & exulcerat eas partes, secundo, quia sæpe plus lactis sugunt, quam vt possint concoquere vnde in ipsorum ventriculis corrumpitur, a quo corrupto emanant vapores acres, & salsi, qui palatum percutientes ipsum exulcerant, quæ duæ causæ sunt propositę a Galen. 6. de comp. med. secundum loca, cap. 4. Tertia causa est dispositio palati infantium, habent enim partes oris omnes tenerrimas,

gratia

gratia cuius teneritudinis efficitur, vt facile a quouis humore dilacerari possint; & quanquam
dicam esse familiarissimum infantibus vexantur tamen & ipso etiam iuuenes præsertim ætate
florentes, quo. s. tempore calidiora sunt corpora. Exercitationes immodicę, labores immodicę,
& quæ caput nimis calefaciunt, consequenter huic morbo occasionẽ præstant, eius quoque
terum actu calidarum, Gulones. n. isti qui nequeunt expectare, quousque cibi refrigescat suæ
pœnas suæ importunitatis luunt, exulcerato scilicet ore ipsorum, febres pariter ardentes, & pe-
stiferæ faciunt aphthas, vt est Epid. 3. & ratio est, quia in his febribus adsunt humores putridi,
acres, & acuti, adsunt etiam plurimi vapores huiusmodi, qui omnes sursum petentes facile in
palatum feruntur, vbi eas partes alioquin tenerrimas offendunt. Aphthæ, vt reperio apud Me-
dicos sunt duum generum, aliæ sunt benignę, aliæ vero malignæ, & pestiferæ, benignæ aphthę
sunt, vt habet Aretæus, illæ, quæ sunt paruæ, sine pure, sine vllo humore, non profundæ, sine
dolore insigni; atque etiam sine calore, Pestiferæ vero sunt, quæ sunt latæ, quæque, vt dicit Ga-
lenus, serpunt, profundas partes depascuntur, & quæ manant quodam tabo, alias liuido, alias
nigro, alias pallido.

Differentia.

Signa aphtharum quanquam clara sint, quia inspicientibus poterunt facillime apparere illæ
exulcerationes cutis oris, tamen sunt tradenda etiã aliqua signa; nam si fuerint benignę, & mi-
tiores non apparebit color mutans, vel parum, nõ percipietur etiam calor, nullus apparebit tu-
mor; febres erunt leuiores, ęgri sustinebunt morbum. Quod si antiquiores sint, & iam factę pra-
ua vlcera, Erunt alia signa, maximus calor in ore, dolor acerrimus, febres acutæ, adest inquietu-
do, nam non possunt alicubi quiescere, sed huc, illuc aguntur, propterea adest oris fœtor, & vt
dicit Gal. ex Critone adest magna saliuæ copia; spiratio quoque est interdum vehemens, & fœ-
tida; interdum vox intercipitur, hæ sunt notæ aphtharum in communi, sed cognoscendi quoq;
sunt humores singuli, qui faciunt affectionem hanc: nam si facta fuerit ab humore melancho-
lico, erit color niger, vel liuidus, atque etiam profundius erit vlcus. Si vero fiant a flaua bile, co-
lor vlcerum erit pallidus, & citrinus, sed non erit, ita profundum vlcus. Si a sanguine color erit
rubeus, si vero a pituita, albus, vel subalbidus, & erit parum profundum, quemadmodum factũ
vlcus a sanguine omnium minime erit profundum.

Signa.

Circa prognostica scribit Aretæus, quod mors eorum, qui pereunt hac ęgritudine, est mi-
serrima, quia certe isti morbi dum incrudescunt, & serpunt, solent interdum vniuersum palatũ
ita excedere, & consumere, vt mallent ægrotantes mori quam sic viuere, quod potissimum in
Gallicis aphthis contingit, quæ omnium maxime pestiferæ sunt, & horrendæ. Celsus loco cita-
to scribit aphthas in pueris præsertim lactentibus, esse prauas, & malas, atq; sæpe infantes ipsos
consumere, in mulieribus vero, & viris scribit minus periculi inesse, sed contra hanc Celsi sen-
tentiam videtur esse Galeni sententia. 3. de comp. med. secundum loca, capit. 4. dixit aphthas
in infantibus, & lactentibus esse faciles curatu, atque ipsas solis adstringentibus curari, iisque le-
uissimis; pro hac contradictione, quicquid dixerit Altimarus, puto dicendũ, quod & Galenus,
& Celsus recte dixerunt. Galenus quidem, quia locutus de Aphthis, benignis, quales sunt in la-
ctentibus, quia hæ nondum inueteratæ, facile curãtur, Celsus vero videtur locutus de Aphthis
prauis, & deterrimis, quæ interdum ipsis lactentibus contingunt. Nam cum lactentes pueri nõ
possint cogi, vt adhibeant præsidia accommodata, facile fit, vt vlcera, quę medicamentis non
curantur, etiam hac ratione in lactenti-
bus vlcera praua deteriora sint quam in adultis. Aphthę, quę fiunt a causis externis, & remotis
sunt faciles, si a principio non negligantur, quæ vero fiunt ab influxu humorum præsertim pra-
uorum, sunt deterrimę 3. Epid. com. 3. tex. 12. testante Galeno Nigrę Aphthę sunt pessimę, &
lethales vt, & Galenus, & Auic. testantur, qui Auicenna dixit Aphthas nigras esse peiores, eas ve-
ro meliores, quę & albę, & citrinę sunt.

Prognostica.

Curatio affectionis huius duplex est, alia quæ debetur ipsis pueris, alia vero, quæ adultis. In
infantibus primo cogitandum, an proficiscantur Aphthæ vitio ventriculi corrumpentis lac, an
vitio lactis, non enim possunt in ipsis contingi alia ratione, quia capita ipsorum non scatent hu-
moribus, qui possint facere aphthas, Si fuerint vitio ventriculi corrumpentis lac, id erit, quia vel
plus lactis sugunt quam conueniat, vel quia ventriculum debilem habent, vt non possit conco-
quere lac. Si eueniunt ob nimiam copiam lactis, erit prouidendum, non ita sugant, & miror cõ-
suetudinem nostratum mulierum, quæ quoties infantes plorant, ipsis vbera præbeant, cum ta-
men præceptum antiquorum sit, non vltra tres vices esse præbenda pueris vbera, sugendum igi-
tur tantum, quantum necessarium, neque curandũ, vt ploratus infantium sedetur suo damno.
Si vero nascantur aphthæ vitio lactis, cum lac nil aliud sit, nisi sanguis nutricis conuersus in ip-
sum, & sanguis constet ex succis, & cibis, quibus nutrices vescuntur, ante alia prouidendum, vt
nutrices optimis cibis vtantur, ea propter præceptũ est a Medicis, vt nutrices abstineant ab acri-
bus, salsis, acidis, addo, & dulcibus, quia dulcia facile bilescunt, & vitiant lac, nec solum refert sci-
re, a quibus debeant, abstinere, sed etiam cura apponenda circa cibos exhibendos, vt. s. vtantur
vino paruo, cibis optimi succi, facilibus coctu, vt carnibus optimis, ab herbis, & fructibus ab-
stineant. Præsertim ne plus cibi quam conueniat sumant. sunt enim sæpe auidissimæ ciborum
nutrices. Si lac fuerit vitiosum erunt purgandæ nutrices, vt lac possit depurari. Itaque si vide-
bitis ex temperatura, ex colore lactis, ex victu præterito, quod dominentur in lacte ichores bi-
liosi, ij humores præparati erunt, euacuandi similiter, si melancholicis ichoribus abundat lac,
primo præparandi humores melancholici, & deinde expurgandi. Idem de alijs dicendum, in

nimia

nimia tamen sanguinis copia consulo, vt vena communis aperiatur, postmodum solis cibis, & edulijs refrigerantibus res agatur. Quanquam potissima curationis aphtharum puerorum ratio sit in nutricum euratione collocata. Sunt tamen quædam peculiaria remedia, quæ etiam ipsis pueris adhibita solent eos feliciter liberare, & quia ipsis duorum generũ aphthæ contingunt benignæ. s. & prauæ, ea propter duo sunt quoque ipsas curandi modi. Vnus qui in benignis aphthis adhibetur, alter vero, qui in prauis. Galen. refert in fine 6 de comp. med. secũdum loca se in pueris vsum esse lente cum pane, & medulla ceruina, aut bubula, sed sunt quoque & alia, quæ possunt similiter in benignis administrari, vt est succus omphacij, succus lactucæ, succus portulacæ commixtus melli. Nam mel in apthis omnibus videtur summopere commendari, tum quia abstergit leuiter, & exiccat, tum quia conseruat a putredine, ad hęc grata facit medicamẽta stomaticha, & in vita Hippoc. scriptum reperitur circa ipsius sepulchrum fuisse examen apũ, quarum mel adhibebatur feliciter ad aphias puerorum, succus similiter cytoniorum, & granatorum commendatur a Galen. & de succo granatorum estis monendi erroris in Dioscoride, habet enim in translatione Ruellij scriptum granata nocere oti, & gingiuis, quod tamen contrarium est, & auctoritati Galen. & etiam experientiæ. Vnde sciendum Ruellium deceptũ fuisse, quia nesciuit, aut saltem dormitauit in hac voce [illegible], quod enim apud Græcos significat oti ingratũ, ipse transtulit oti, & gingiuis inimicum, nam acida granata sunt quidẽ ingrata oti, sed nullo pacto lædunt. Fiunt quoque in pueris aphthæ prauæ, & malignæ, quæ requirunt medicamenta paulo validiora, & acerbiora; dico paulo, quoniam tanta est mollities in pueris, & tanta teneritudo, vt ægre sustineant medicamenta valentiora, igitur in his curandis iure Auic. nunquam voluit transire alumen, nam fructus myrticæ, fructus rubi, alumen, galla sine aceto, vel melle si incoquantur aut commixta simul omnia, aut per se sola possunt hęc genera aphtharum curare. Curatio porro in adultioribus, quoniam magis Medicis obediunt, maiori diligentia in victus ratione opus habent, vt scilicet, in primis abstineant a vino, a rebus calidis, acribus, salsis, vtantur cibis refrigerantibus, quales sunt succi pomorum asperorum, succi pyrorum syluestrium, cytoniorum, granatorum, sorborũ, mororum syluestrium, hi enim succi sicuti possunt facile sumi ab adultioribus, sic etiam mirifice prodesse comperiuntur. Pręter victum excogitandum, quinam sint humores, qui faciãt morbum: nam si sint humores calidi, vt sanguis, vel bilis, erit primum sanguis mittendus a vena Cephalica, prius tamen aluo lenita, post incumbendum pręparationi omnium horum, vt scilicet si pituita sit, pręparetur, & purgetur, similiter si bilis, & melancholia, expurgato corpore, statim deueniẽdum ad localia. Sed dicetis, ergo debet expectari applicatio localium, quousque corpus sit purgatũ? at periculosum hoc est, quia sępe huiusmodi morbi depopulantur ita palatum, vt fiant vlcera incurabilia; dico quod ante purgationem possunt aliqua administrari, sed mitiora, valentiora autem non nisi purgato corpore, aut saltem exinanito, & quia magni refert, vt sciatur quomodo sint medicamẽta aphtharum, & omnium vlcerum oris paranda, erunt tria aduertenda, vnum quod scribit Gale primo cap. 6. de medicamentis localibus, communis scopus componendi medicamẽta in aphthis, & reliquis oris vlceribus est, vt adhibeantur ea, quę possunt inflammationem sistere, periculum enim imminet, ne vel quolibet minimo vlcere inflammatio accendatur, & propterea euigilandum est, ne fiat inflammatio, quod fit rebus refrigerãtibus, & adstringẽtibus moderate, vt sunt succi dicti, secundum considerandum, quod in componendis medicamentis oris ante alia habenda est ratio partis affectæ, nam palatum, & os internum tres habent conditiones maxime considerandas, vna est, quod ea pars mollior, & rarior existit, quam omnis alia cutis corporis, vnde ratione huius conditionis debent semper, quãtum fieri potest, fugi medicamẽta acriora, qualia sunt mineralia, aut pulueres herbarum acriores; Secunda conditio quod cum sit prope instrumentum gustus, immo cum ibi instrumentum sit gustus facile percipit medicamentorũ ingratitudinem, & insuauitatem, propter quam conditionem debent, quemadmodum antiqui fecerunt, componi medicamenta cum aliquo succo, quo valeat insuauitatem medicamentorum emendare, propter quod veteres fere omnia medicamenta stomatica composuerunt, vel ex melle, vel sapa, vel succis aliquorum fructuum, qui non sint ingrati: Tertia conditio, quod in hac parte adsunt duo magna foramina, alterum, quod pertingit ad stomachum, alterũ quod ad pulmones, & Cor, ex quo fieri potest, vt medicamenta per os accepta destillent, vel in stomachum, vel in pulmonem, atque si sint venenata, & grauia, ea offendãt, quamobrem debet animaduerti, ne in medicamẽtis stomaticis adhibeantur pharmaca Naturæ inimica, quod Galenus intelligens dixit Chalcanthum. i. Vitriolum, non esse commiscendum in medicamẽtis stomaticis, nisi magna vrget necessitas, quia periculum ex eo imminet. Præterea dilĩgẽter quoque perpendendum est, quod in exhibendis huiusmodi medicamẽtis, & applicandis facienda est magna distinctio. vnde Crito Medicus, & etiam Archigenes damnati sunt a Galeno, quod pharmaca stomatica tradiderunt sine vlla distinctione aut ætatis, aut sexus, aut morbi. Vos igitur, ne in eundem, errorem incurratis tres distinctiones habere debetis vnam, quæ ad ætatem, quia vt dictum remedia alia cõueniunt pueris, alia adultis, alia senibus, secundam quæ ad corporis habitum, quandoquidem si curandum sit corpus molle, delicatum, quale est mulierum, & nobilium, semper mitioribus vtendum, si vero si curandum corpus robustum, vt rusticorũ, vel exercitatorum, poterunt adhiberi acriora, & valẽtiora remedia. Tertiã ipsius morbi, quia aut morbus erit in principio, aut in augmento, aut in statu, & declinatione, si in principio debent medicamenta repellentia esse solum, & astringentia, vnde in principio conueniunt succi;

vt

vt mororum, vuæ acerbæ, si vero morbus sit in augmento, vel statu, admiscenda cum adstringentibus modice discutientia, vt myrrha, Crocus, si vero morbus inclinare incipiat auferenda repellentia, & adstringentia, solisque discutientibus vtendum; distinguendum etiam circa morbos, vt in debilibus morbis debilia medicamenta exhibeantur, vt sunt mel, lac chalybeatũ, portulaca mellerincta, decoctum myrthi albi, & decoctum foliorum oleæ in vehementibus aphthis est decoctum ex myricæ fructu, & alumine, ex decocto rhois, malicorij, gallæ, ex medicamento Galeni de succo corticum nucum, quod medicamentum quomodo confecerit Gal. & quantas laudes ipsi tribuat, videre potestis 6. de comp. med. secundum loca, similiter alumen, galla, si aceto decoquatur, prosunt ad aphthas fortes quemadmodum & diamoron cum Croco, & myrrha, & ego soleo vti hoc medicamento in huiusmodi aphthis.

℞. Myrrhæ, & Croci an. ℨ. ij.
Diamoronis ℨ. j.
Pulueris rof. rubeorum ℨ. 1. m. & illinantur partes affecta.

In hoc medicamento est mel, quod cõseruat, & iucundum facit medicamentum, abstergit, est succus mororum, qui quidem adstringit, est pulu. rof. rubearum, quæ & ipsæ corroborant partem ac moderate exsiccant, Adest etiã Crocus, quod si quid in est crudi in morbo, potest illud concoquere, sed quia hæc omnia adstringunt, & periculum esset, ne ob id penetratio impediretur, additur myrrha, quæ vt loco citato Galen. ait, est veluti vehiculum, quod peruehit vires croci, & aliorum medicamentorum: In aphthis fortissimis, id est illis, quæ vere malignæ sunt, conueniunt & alia, videlicet ea, quæ possunt valenter exsiccare, ærugo, & vinum si simul bulliant, & deinceps tangantur vlcera hoc vino, efficacissima sunt ad debellendas has aphthas; similiter, galla, ærugo, & acetum. Quod si hæc non prosint, deuenitur ad chalcanthũ. Aphthæ interdum degenerant in vlcera putrida, quæ quidem a Græcis vocantur νομαὶ, & ἐσχάραι, seu depascentia vlcera, & crustæ; & quamquam Gal. in fine 6. de comp. med. secundum loca dicat huiusmodi aphthas non amplius appellari debere aphthas, tamen est etiam consuetudo Medicorum, vt ita nominentur, & propterea, earum quoque curatio tradẽda, in qua cetera cum aphthis communia sunt, peculiare hoc habent, quod cum putredo serpat, & depascatur longe, lateque palatum, necesse est vti ijs, quæ maxime exsiccant, & quæ crustam faciunt, sunt apud Gal. & veteres multa, quæ dicuntur medicamenta vrentia, seu cauterizantia, vt est chalcanthum, mysi, sori, chalcitis, quæ commixta, vel cum melle, vel cum alio liquore, ita exsiccant vlcera, vt comburant proinde ac ignis, & mirifice sistant fluxum ad illas partes. Modo cum in ore medicamenta hęc continere facile non possint eo, quod saliua, quæ frequenter excurrit, abluit medicamenta, vnde nõ potest imprimi ipsorum vis, idcirco sapienter institutũ a Medicis antiquis, vt in hoc casu, quãquam partis indicatio videatur refragari, hæc tamen escharotica adhibeantur, quia statim imprimunt vim suam, & ita, vt non possint, neque saliua, neque alio modo auelli.

DE RANVNCVLO. Similis his affectibus est, & alter, qui nascitur sub lingua, a Græcis appellatus βατράχιον Latini, & Medici, & Veterinarij, appellarunt Ranulam, qui morbus non modo in homine, & pueris, videtur, verum etiam in pecoribus frequentissimus est, eo enim sæpe tanquam lue, & peste afficiuntur, vt nisi succurratur, intereant. *Definitio.* Est vero tumor quidam præter naturam, vt plurimũ ex pituita sola, aut commixta humori melancholico, ortum habens, qui subtus linguam, ita interdum excrescit, vt impediat non modo locutionem, verumetiam interdum anhelitus viam, & nisi cito succurratur, etiã periclitatur, ne suffocet. Cognoscitur faciliter, quia si exeratur lingua, statim hic tumor sub ipsa apparet. *Curatio.* In curando vero hoc tumore, primo est habenda ea ratio, quam præscripsimus in aphthis, in hoc videtur differre, quia tametsi morbus sit pituitosus, & hac ratione non videatur adesse sanguinis mittendi indicatio, tamen omnes Medici in hoc conueniunt esse sanguinem mittendum, a vena cephalica, ratio est, quia morbus iste continuo crescit, & nisi fluxus materiæ reuellatur, periculum est, ne augeatur. Facta sanguinis missione monet Galen. vt est apud Rasem 3. continentis, & Auic. non statim deueniendum esse ad incisionem, ratio est, quia sub lingua sunt quædam venulæ, quæ si incidantur, ita facile comprimi non possunt, quin magnam sanguinis copiam mittant, ea propter primo adhibenda ea, quæ valent repellere fluxum materiæ, & materiam existentem exsiccare. Columella laudat, vt affricetur allium, & sal, alij Medici laudant gallam, & acetũ, atque etiam sal simul mixta, & affricata, quæ si non prosint, deueniendum est ad myrrham, alumen, atque iterum scarificandæ venę linguę, quia sic per scarificationem educta sanguinis portione succedit, vt morbus sistatur, sed quia hęc medicamenta sępe non ita proficere solent, cum morbus contumax sit, tunc duo sunt modi, quibus morbus iste tollitur, vnus est per ignem, & per cauteria, vt scil. cauterio, atque etiam igne pars illa tollatur, & humor vratur, sed quia pars hęc, est pars tenerrima, idcirco fugiendus est omnino ignis, & vstoria medicamenta, & tutius est deuenire ad secundum modum, nimirum incisionem tumoris.

Modus vero incidendi ranulas est, vt peracta purgatione, & omnibus alijs remedijs exploratis, & nil proficientibus accipiatur, vncinus, atque capiatur in summitate ipsa rana, & deinceps, cum gladiolo acutissimo abscindatur totus ille tumor, & statim, ac abscissus erit adhibeatur alumen, & sal mixta, & affricentur, quod si fluxus sanguinis maior sit, quam, vt sisti possit, etiam ad chalcanthum vstum deueniendum, & notandum, quod ad sistendum sanguinem fluentem etiam arterialem, nullum medicamentum efficacius est quam chalcanthum vstum, & soleo vti hoc modo,

℞. San-

℞. Sanguinis draconis ℥. ij.
Chalcanthi vsti ʒ. j. ſ.
Albuminis oui. q. ſ. Pro facienda consistentia. Et applicetur.

Nam hoc medicamentum experiemini, sistere statim quemlibet fluxum sanguinis.

CAPVT III.

De Tonsillis, & Vua.

INter partes oris sunt glandulæ quædam oris radici appositæ, non ob aliud, nisi vt saliuam gignant, & partes oris irrigent, ne aliquando arescant; Hippoc. lib. de glandulis fuit huius sententiæ, hanc partem a natura fuisse fabricatam, vt humores a capite diffluentes susciperet. Prope glandulas est quædam via inter os, & gulam, quæ a Græcis ἰσθμὸς nuncupata fuit, in quibus partibus fiunt quandoque tumores quidam, qui valde ægrotantes excruciant, & isti tumores diuersa nomina apud Medicos habuerunt, vbi partes vicinæ glandulis inflammantur, appellati sunt affectus isti παρίσθμια, vbi vero glandes ipsæ inflammationem patiuntur, vocantur a Græcis antiades, vt habetur 3. de sympt. caus. 4. & 3. aph. 26. Affectus antiadum nomine appellatus, vocatus fuit a Celso lib. 6. nomine tonsillarum, & alij latini eum secuti, eodem nomine vocarunt. Q. Serenus Medicus antiquus appellauit tolles. Dubitauit Altimarus, an sub nomine tonsillarum debemus apud Celsum intelligere antiadas, sed certe miror ipsum de hoc dubitasse, quandoquidem lib. 7. cap. 12. Celsus apertissime sic scripsit; tonsillæ, quæ a Græcis ἀντιάδες appellantur, &c. In hac eadem parte oris, est quædam pars palato superiori appensa, quam, vt docet Galen. lib. 6. de comp. med. secundum loca, appellarunt antiqui gargareona, & cionem, posteriores aliqui, qualis Rufus lib. 2. cap. 5. appellauit etiam hanc partem σταφυλήν, latini fere omnes modo nomine Græco gargareonem, modo Columellam, modo vuam appellant, hæc pars ab Aretæo lib. 1. acut. cap. 8. dicitur esse carnea. De vsu huius particulæ dissidium est inter auctores, Rufus Ephesius 2. de partibus hominum cap. 5. dixit hanc particulam exiguum vsum habere in corpore nostro, eo quod amputata hac parte homines nihil omnino læduntur. Sed Galen. 11. de vsu partium cap. 11. dixit tres vsus esse huius particulæ vnum, vt refrangatur aeris frigiditas, alterum vt vox reddatur elegantior, Tertium, vt impediat, ne puluis, aut fumus ingrediatur pulmones; hæc quoque pars non raro patitur tumorem, & destillationem, ita vt interdum contangat partem inferiorem, & impediat, nedum loquelam, verumetiam respirationem; Isti affectus Columellæ (vt reperio) multi extiterunt apud veteres Medicos, sed reducuntur potissimum ad quatuor, quia vel hæc pars tumet, & augetur in longum seruata rotunditate, qui affectus proprie appellatus a Græcis est κίων, latini Columellam vocarunt, vel augetur in summitate hæc pars, ita vt pars summa fiat crassior, sed rotunda, atque interdum alba, interdum liuida, vel subnigra, quo quidem tempore affectus appellatur σταφυλή, latinis vua, vt habetur apud Aretæum, & Gal. 6. de comp. med. secundum loca, & Alex. 2. probl. 3. Tertius affectus Columellæ, est quando augetur quidem tota illa pars, sed non seruat rotunditatem, immo potius est veluti complanata, vtrinque instar lori, & ita affectus appellatur ἱμάς, latini lorum possunt vocare. Quartus affectus, est quando aucta hæc pars desinit veluti in tenuem quandam membranam, nam sicut in vuæ summa pars huius Columellæ efficitur tenuis instar membranæ, a Græcis dicitur κρασπέδον, quidam putarunt ita dictum esse ad similitudinem radicis montis, sed puto dictum esse ad similitudinem fimbriæ, nam veluti fimbria appenditur vesti, quæ est tenuior pars, ita etiam hæc pars tenuis videtur veluti appensa radici Columellæ. Quis sit morbus vterque, non est quod scire laboremus, quia apparet esse morbum in mala temperie, & magnitudine aucta; locus affectus clarus est: de causis vero non est quoque controuersia, quia quod ad causas materiales pertinet, omnes fere sunt in hac sententia, quod tum ἀντιάδες, tum παρίσθμια, tum affectus Columellæ possunt fieri ab omni humore, sed potissimum casus vuæ, seu tumor solet fieri a pituita, atque hoc docuit Hipp. 2. de morbis, vbi dicebat vuam fieri, quando summa pars gargareonis aqua repletur, nam frequentissimum est apud Hippocratem nomine aquæ intelligere pituitam, quod etiam habetur apud Platonem in Timæo.

MORBVS quis.

Locus affectus.

Causę immediatę.

Causę vero mediatę, & antecedentes multæ sunt, primo enim frigus immoderatum, & calor immoderatus comprimendo, atque dissoluendo solent materiam pituitosam in eas partes præcipitare, crapulę quoque, exercitationes immodicę presertim, quę fiunt capite, & dorso inclinato, vt habetur, v. de tuend. val. 3. solent esse causę, temperatura quoque capitis, & plenitudo, hos morbos parere solent, ętas similiter, de qua dicit Hipp. 3. aphor. 26. quod tonsillę sunt pueris familiarissimę. Aretęus vero scribit, quod vua iuuenibus atque viris frequentissime contingit, pueris autem, & pubescentibus frequens est ea affectio, quę lorum nuncupata est: Signa omnium harum affectionum satis clara, & manifesta sunt sensui, nam si os aperiatur, & tonsillæ sint affectæ videbitis partes illas prope radices tumentes, multam pituitam expumantes, rubentes, & dolentes. Si Columella affecta sit, & videbitur tumens, ita vt, quandoque partem inferiorem contingat, impedita erit deglutitio, Vox non erit sonora, respirandi quoque aliqua difficultas aderit: Signa vero humorum dominantium ex coloribus habentur, quia si color fuerit pallidus, & dolor vehemēs, humor erit bilosus, si color rubicundus, & dolor adsit,

Signa.

erit

erit sanguis effector morbi, si vero ex melancholia, videbitis colorem subnigrum, vel liuidum; quẽadmodũ si pituita, color erit albidior; dolor exiguus, expuitio pituitosa plurima, & copiosa.

Prognostica. Prognostica harum affectionum primo sunt quod, vt dicebat Marcellus capit. 14. destillatio vueæ, & humor omnibus est periculosa, & quia sæpe molestas valetudines creat, vt phthisim, colliquationem, atque etiam alias affectiones. Nam isti affectus tonsillæ nempe, & columellæ quãquam nõ videantur ex se periculosi, sunt tamen periculosi, quia hos affectus alij peiores multo consequuntur. In lib. Hipp. de dentitione habetur scriptum, quod in tumoribus tonsillarũ aluus soluta, tussimsiccã solui, habebatur lex apud veteres, vt si quis habens antiadas venditus fuisset, posset venditori restitui, eo quod vitiosus esset, sed locus ille non est intelligendus de antiadibus propriè dictis, sed potius de scrophulis, vt enim scriptũ est in lib. de Glandulis, vbi in his decumbit materia pituitosa, atque ibi collecta indurescit, facit scrophulas, ita, vt apud Hipp. eo in libro idem sit locus scrophularum, & antiadum, Alex. 2 probl. 30. scribit, quod quibus gargareon abscissus est, ij fiũt phthisici, & affert rationem, quæ deprompta est a sententia Galeni, quod abscissa ea parte, refrigeratur pulmo, vnde sanguis in ipso fere congelascit, ac motus ipsius redditur difficilior, cum vero pulmo difficulter mouetur, inquit, quod conatur vehementius sese mouere, ex quo conatu fit, vt vasa abrumpantur pulmonis, vnde sequitur phthisis, hinc intelligitur error Rufi Ephe. libro de partibus hominis cap. 5. quando dixit amputata columella nullum detrimentum sequi. Arist. 1. de Historia animalium cap. 11. ait etiam strangulare.

Curatio. Curatio harum affectionum partim communis est vtrisque, partim vero peculiaris existit. Communis est ratio victus vtrique, vt scilicet ea victus ratio seruetur, quæ necessaria est, in curationibus omnium tumorum, præterea, vt vitentur omnes exercitationes vehementes; abstineant quoque, vt dicebat Aretæus a vino, cuius vice potare poterunt decoctum hordei, decoctum prunorum, aquam coctam simplicem, aut etiam aquam coctam cum vino granatorum, vel, si liceat, cum succo cytoniorum. Cibi, vt monuit Celsus, debent esse leues, & sorbiles, qualis est, succus hordei, farris, qui chondrus vocatur, seu alica, panis lotus tritus. Quod ad medendi rationem spectat, sunt quoque multa vtrisque affectibus communia, nam si morbus sit in principio videndum est, an vna cum humoribus peccantibus adsit sanguinis dominium, quo quidem stante, inchoanda curatio est, a sanguinis missione, ex vena cephalica, quod si aliquid prohibeat, quod minus sanguis mittatur, erit saltem vtendum cucurbitulis, vel collo, vel spatulis affixis, & ratio est, quia in principio duo sunt scopi, vnus, vt materia repercutiatur, alter vero, vt materia reuellatur, fit autem reuulsio tum venæ sectione, tum etiam scarificatione. Conueniunt etiam ligaturæ, frictiones; sunt aliqui, qui cauteria manibus statim apponunt, videlicet radicibus ipsarum manuum, quorum consilia non improbo, quia fit magna reuulsio humorum fluentium; vulgares Medici, & mulierculæ in antiadibus solent radices manus arcte contrectare, & comprimere; dicunt.n. nasci quasdam durities, in his partibus, quibus per compressiones dissolutis, fit etiam vt illi tumores curentur, & sane, quanquam ratio falsa sit, remedium tamen opportunũ est; eo quia per illã compressionẽ fit magna reuulsio, & attractio, vnde non est etiã quæque medicina vulgariũ penitus negligenda. Quod ad secundum scopum pertinet, vt scil. materia repercutiatur, fiunt varia medicamenta, quorum alia intrinseca sunt, alia extrinseca, intrinseca sunt gargarismata, & puluetes, quæ gargarismata ore contenta sua facultate constringunt partes illas, & humores irruentes repellunt, cuiusmodi sunt, quæ fiunt ex plantagine, galla, solatro ex. gr.

℞. Hordei.
Fol. Rosarum an m. ſ.
Fol. Plantag. p. j.
Summach.
Gallarum an ℥. ß.
Bulliant in ſ. q. aquæ communis ad consumptionem quartæ partis, deinde facta expressione.
℞. dictæ decoctionis lib. j ß.
Diamoronis ℥ iiij. m. & fiat gargarisma: apud Scribonium ſ. Largum habetur etiam medicamentum quod soleo vsurpare, vt
℞. Succi labruscæ lib. j.
Mellis optimi lib. iij.

Bulliant simul vsque quo acquiratur mellis cõsistentia, iste liquor siue solus ore cõtineatur, siue mixtus aquæ gargarizetur, proficit magnopere in curanda columella, cum antiadibus. Sed circa vsum huius medicamenti, scilicet gargarismatum, quatuor obseruanda. Vnum, vt nunquam digitis, aut alio instrumento partes affectæ tangantur, vt s. medicamenta hæc nunquam manibus applicentur, quia partes illæ cum sint tenerrimæ, facile exasperantur qualibet vel minima manuum contrectatione. Alterum ex Auic. quod antequam vsurpentur hæc astringentia, semper debet os aqua tepida ablui, & ratio est, quia nisi prius aqua tepida partes affectæ aperiantur, & rarescant non possunt medicamenta adstringentia penetrare, & hoc remedium est adeo necessarium, vt Auic. iudicauerit ob id bis repetendum esse. Tertium, vt in vueæ affectibus præter gargarismata adhibeantur extrinsecus medicamenta, quæ astringant, quia omni ingenio impetus fluxus materiæ a capite coercendus est, veluti sunt emplastrum ex galla, & alumine in aceto decoctis; quo in casu sal etiam magnopere laudatus est ab Auicen. non alia ratione (vt Nicolaus Florentinus exponit) nisi, quia sal si affricetur partibus exterioribus, aperit, & consumit humores pituitosos; vt postmodum facile pateat aditus medicamentis adstringentibus. Quartum est, vt Galenus monuit, quarto de comp. med. secundum loca, vt medicamenta,

quæ in vſu pro gargariſmatibus eſſe debent nunquam deuorentur,ſed ore contineantur, & tractentur; & vt nullum aliud medicamentum potabile exhibeatur,niſi purgans,quia medicamenta alia inter transeundum partes affectas exaſperant,vnde non niſi in neceſſitate purgationis capitis,debent adminiſtrari,pulueres huius intentionis quoque fiunt cuiuſmodi ſunt.

℞. Gallarum.
Nucleorum myrthi an. ℥. j.
Florum Roſarum rubearum.
Corticum granatorum an. p ß.
Redigantur in puluerem, & adhibeantur;

Modus vero adhibendi eſt,vt fiat fiſtula lõga; & his pulueribus repleat,deinde immittatur in os ita,vt ſit prope,vel Columellas,vel tonſillas,& deinde in eam fiſtulam inſuffletur; vnde pulueres adhærent parti affectæ, qui poſtmodum commodum præſtant.

Antiades,& vua,ſi ſint in initio opus habent medicamẽtis reuulſorijs,& repulſorijs,ſed, quia ſępe dolor inter initia maximus exiſtit, ea propter etiã ſtudendum eſt, vt dolor ſedetur, quapropter operæpretium ea admiſcere repulſorijs,quæ dolorem poſſint leuare. Inter quæ præcipuum eſt lac, quod adminiſtratur interdum purum, interdum chalybeatum, interdum commixtum alijs medicamentis repulſorijs. Quod ſi morbus augeatur, repulſorijs commiſcenda erunt ea, quæ diſcutiunt,veluti ſi myrrha,crocus,cyperus,mel,glycyrrhiza,acetum,oxyſacchara,& Gal. videtur maxime laudare ſuccum glycyrrhizæ melli commixtum.

In tonſillis curandis ſępe contingit, vt malum nulla medicina diſcuti poſſit, ſed locus magis tumet,dolor creſcit,& tandem affectus ad ſuppurationem properat, quo tempore neceſſarium eſt,vt Medicus ſtudeat affectui ipſi ſuppurando,ea propter tum intrinſecis, tum extrinſecis ſuppurationi,incumbendum erit,inter intrinſeca eſt decoctum caricarum, paſſularum, rad. lilij, & ſoleo vti hoc pacto.

℞. Caricarum
Paſſularum an. ℥. v.
Furfuris in petia ligati ℥. j.
Fænu græci,
Fol. maluæ an. p. ſ.

Fiat decoctio in ſufficienti quantitate Aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, & eo decocto abluatur os, & notandum, quod vbi ſtudium eſt Medici ſuperare affectum, debent hæc decocta multo tempore contineri, neque retractari, aut exagitari, eſt etiam illud animaduertendum, quod vbi debet ſuppuratio fieri tumorum tonſillarum ſemper commiſcenda erunt,quæ partem corroborant,cuiuſmodi eſt Sumach,Myrthus, Balauſtia, Lentiſcus,& ſimilia, debent etiam commiſceri, quæ dolorem leniant, & ratio eſt, quia dum iſti affectus ſuppurantur, fiunt dolores vehementiſſimi,ita, vt niſi dolor mitigetur, fiat maior humorum attractio; quæ vero leniunt dolorem,& poſſunt ſuppurantibus commiſceri, ſunt lac, amidum, tragacantha, glycyrrhiza fiunt quoque extrinſecus ad ſuppurandas tonſillas, qualia ſunt emplaſtra ex decocto caricarum, & farina tritícea ex tritico commanſo,ex Butyro,miſcentur hæc omnia ad formam emplaſtri, & collo circundantur. quanquam enim non ſunt admodum efficacia, poſſunt tamen aliquo pacto adiuuare maturationem.

Poſtquam tumor ſuppuratus fuerit,aut ſponte aperitur,aut a Medico aperiendus eſt,ſi a Medico,debet aperiri gladiolo acutiſſimo, & maxima dexteritate, ne ſcilicet pellicula glãdularum auferatur, quandoquidem ipſa ablata, priuantur glandulæ facultate gignendi ſaliuam; & vidi quendam nobilem, cui cum ſectæ fuiſſent tonſillæ imprudenter, perpetuo vitæ tempore laborauit ſiti ob rationem dictam; Poſtquam apertus fuerit tumor, eſt vlcus emundandum rebus abſtergentibus,& emundantibus,cuiuſmodi eſt mel cum lacte; mel cum decocto furfurũ,cum decocto hordei,ex quibus fiunt gargariſmata,quę tractata ore vlcus ab omni ſorditie emundãt. In vueæ quoque tumoribus ſi ad ſuppurationem tendant, eadem ratione medendi vtendũ eſt; ſed quia ſæpe contingit,vt tumor Columellæ, neque diſſolui, neque ſuppurari poſſit, ſed durus permaneat, eo in caſu ſunt medicamenta, quæ, & proprietate, & manifeſta facultate dicuntur duritiem tollere: Raſis ex Galeno aſſam fœtidam collo appenſam duritiem vueæ diminuere, Marcellus quoque Medicus ſcribit Hirundinem viuam cochleæ magnæ teſta incluſam;& collo appenſam duritiem Columellæ tollere. Sũt poſtea pulueres,qui eo modo,quo dictum ſupra, inſperguntur ſupra columellam,cuiuſmodi eſt puluis ex capitibus piſcium aſſatis,ſimiliter puluis anethi,piperis. A Galeno commendantur teſtudines terreſtres in puluerem redacti. Marc. ſimiliter laudat gallam,& ſalem,ſi in puluerem redacta columellę affricentur,vſu venit nonnũquam,vt columella,neque ſuppuretur,neque etiam indureſcat,ſed corrumpatur;Nam mortificatur calor natiuus,atque ita ea ſubſtãtia corrũpitur,quod quidem cognoſcitur ex colore, quia nigreſcit columella,quod ſi cõtingat,duo sũt modi curandi,vt 4. Methodi 30. a Gal. præſcriptũ; vnus eſt per medicamenta cauſtica,apponũtur.n.hæc,quæ partẽ mortificatã auferũt. Alter modus,vt ferro,& gladio abſcindatur pars emortua; ſed aduertẽdũ nũquã abſcindendã eſſe vuulã, niſi magna exigat neceſſitas, & ratio eſt,quia,vt ſcribit Hipp. 3. prognoſticorũ 33. ex abſciſſione vuulæ augetur ſæpe inflammatio,aut ſanguinis fluor magnus efficitur, vt nõ facile cõpeſci poſſit,alij dixerunt nõ eſſe auferendã vuulam,eo quia,vt habetur 11. de vſu partiũ ca. 11. offenditur vox,refrigerãtur pulmones,& offenduntur etiã a puluere,quod ad duas noxas pertinet;eſt ſane verũ. Sed quod vox lædatur ex abſciſſione vuæ;non eſt verum;quia vidi duos,quibus a morbo

Gallico

Gallico erat ablata tota vua,& tamen eleganissime loquebantur. Medicamenta,quæ exsiccẽt, & tollãt vuulam corruptam,aliqua sunt debiliora,aliqua sunt vehementiora.debiliora,sunt vt.

℞.Chalcanthi.
Alumnis.
Assæ Fetidę.
Salis ammonici an.℥.iij.

Cum acero seyllitico fiant trochisci,& tempore exigente apponantur,validius est vt.

℞.Fœniculi.
Calcis viuæ,an.℥.j.
Aphronitri.
Chalcanthi.
Floris æris an.℥.ij.terantur in puluerem,& lixiuio ficulneo subigantur,atque imponantur.

Hæc valida quidem sunt, sed nisi adhibeantur dextre, solent partea proximas lædere. Itaque necessarium est, vt partes vicinæ primum aliquo succo frigido illinantur, veluti est succus portulacæ,plantaginis,alioqui enim facile possint ab hac causticia offendi,quod periculum, cum vi dissent Cornelius Celsus,Paulus,& Auic.& Gal.magis probarunt,vt ferro ipsa vuula corrupta abscindatur; quia sic nullum periculum imminet partibus proximis, quomodo vero ferro sit amputanda,habetur apud Celsum,Auicennam,& Paulum tractatus diligentissimus.

CAPVT IV.

De tussi.

VBi materia destillationis labitur in pectus,duo frequentissima, & maxima vitia producere solet; Alterum est tussis,alterũ vero difficultas anhelitus: de vtrisq; tractatutus auspicabor, a tussi, quæ a Græcis dicitur βήξ, Latini vocant modo tussim,modo tussiculam,vt Cælius Aurelianus,aliqui tussedinem. *Nomen.*

Galen.2.de symp.cap 4.describens nobis tussim, dixit nil aliud esse quam vehementissimã efflationẽ, qua expellitur a partibus spiritalibus quicquid obstat. Auicen.10.tertij,tract.3.cap.1.definiens tussim, dixit esse motum naturę, qua nititur expellere quicquid lędit,a partibus pulmonum,& a partibus proximis pulmonibus. *Definitio.*

Circa quam definitionem nonnulla necesse est obseruare; primum est apud Auicennam, quemadmodum,& apud Galenum lib 2.de caus symp.cap.1. vocari naturam non simpliciter facultatem aliquam naturalem,sed quamlibet potentiam motricem,etiam voluntariam. Vnde non solum Gal.cap.34 lib.cit.scribit, hunc motum fieri a voluntate, verumetiam Auerr.7. coll.30.scribit tussim esse motum partim voluntarium,partim naturalem;siquidem etsi volũtas concurrat ad edendum hunc motum,& consequenter facultas naturalis expulsiua;attamẽ id facit vtraque facultas non sponte,sed coacta a re lædente. Et hinc est,quod tussis est symptoma pręter naturam,licet efficiatur,& a natura,& a voluntate.

Aliud notari debet, pulmones propter duas causas concurrere ad efficiendum hũc motum, qui dicitur tussis,vna est,quoniam,vt scribit Aristot.3.de par.anim.vbi tractat de pulm.pulmones in homine calidissimi sunt,propter quam caliditatem dicit idẽ Aristo.10.sect.probl.j.& 53. hominem maxime omnium animalium tussire.s.quia cerebrum humidissimum,& pulmones calidissimos habeat. Alia causa est quoniam,vt scribit Auerr.loco cit.pulmones exquisito sensu a natura prędíti sunt,ita,vt minimam quamlibet læsionem sentiant,& cõsequenter moueãtur ad eam expellendam. *Cur homo maxime tussiat.*

Modus autem,quo efficitur tussis, est, quod,vbi pulmones,vel partes aliæ spiritales aliqua re offenduntur,& natura,& facultas motrix mouet musculos thoracis motores, qui comprimentes thoracem spiritus,& in pulmonibus,& in partibus spiritalibus existentes, cogũt cumulatim exire per asperam arteriam,qui cum in vita impediũtur,quo minus exeant,redeunt iterum vnde iterum coguntur exire,iterum impediti redeunt; atque ita fit lucta inter rem impedientem, & spiritus exeuntes, donec superata re impediente spiritus exeunt, atque motum illum edunt, quem Galen.scribit similem esse sternutamento. *Modus tussis.*

Illud verissimum est,spiritus inter exeundum interdum propellere ante se id, quod impediebat,interdum autem non propellere,vel quia impedimẽtum non est mobile,sicut intemperies de qua mox loquar; vel quia id quod impedit,aut nimis tenue est, aut nimis viscidum,& lentũ; Ex his facile est intelligere,tussim esse symptoma in genere actionum motricum deprauatarũ, vt docet galenus lib.2.de symp. caus.c.primo, quod symptoma fit,vt audiuistis, tum a facultate expultrice naturali,tum a facultate motrice,& volũtaria,vt iure dixerit Auic 2.prim.doct.3.c. 1.tussim esse motum compositum ex voluntario,ac naturali. *Genus symptomatis.*

Morbus, quem sequitur hoc symptoma, secundum nonnullos, est tantum morbus in via, quod materia præternaturalis reperiatur in vijs spirituum,quæ deberent esse liberæ, & expeditæ.Sed licet non diffiteat etiam morbum in via tussim facere tamen certissimum est,tussim fieri quoque ab intemperie,tanquam a morbo. *Morbus a quo dependet.*

Cum autem duplex sit intemperies, vel cum materia, vel sine materia, omnis intemperies cum materia tussim facere potest; sed de intemperie sine materia dubium est, vtrum quælibet

 huius-

huiusmodi intemperies faciat tussim? Nam Galen. libro secundo, de sympt. caus. cap. 4. videtur tantum meminisse intemperiei frigidæ, Paulus Aegineta lib 3. meminit etiam siccę. Alex. Tral. vult etiam ab humida intemperie fieri tussim, sed obscurissimam. Ego statoq; a calida, & frigida intemperie euidentissime tusses fieri, siquidem de calida satis testatum faciunt febres ardentes, in quibus interdum fiunt tusses aridæ, vt dicit Hipp. 6. epid. com. 2. tex. 24.

Ceterum de humida intemperie, vitum, scilicet facere possit tussim, ita definiendum est, quemadmodum docere videtur Gal. 2. de symp caus. 4. nempe duas esse tussis species, aliam euidentem, quæ quodammodo assimilatur vomitui, aliam vero obscuram, quæ a Græcis appellatur [illegible] & assimilatur nauseæ, & sicut nausea interdum fit sine vomitu, sic huiusmodi tussis obscura interdum fit sine tussi euidenti. Nam si loquamur de euidenti, & manifesta tussi, non fit ab humida intemperie, sin de tussi, quæ vocatur [illegible] hæc fieri potest ab humida intemperie. Et hoc est, quod Gal. lib. 3. de arte, tex. 61. scribit, pinguia acida, & adstringentia esse tussiculosa; id quod etiam secundo, simpl. scripsit de oleo, & de butyro, quasi hæc omnia faciant tussim illam immanifestam, propter humiditatem, qua obducunt partes spiritales.

Causa interna. Causæ internæ, vel sunt humores, vel alia corpora impedientia vias spirituum. Humores aut defluunt a capite, & maxima parte pituitosi sunt, aut ab alijs partibus mittuntur in membra spiritalia, aut in ipsis membris spiritalibus colliguntur, quales sunt sanguinei, & biliosi, hæ enim partes, præsertim pulmones bilioso sanguine notriuntur. Melancholicus humor rarissime tussim facit, quia illis in locis non congeritur, neque etiam a capite facile descendit.

Alia corpora, vel sunt corpora grandini similia, scribit enim Galenus 5. de loc. affect. se interdum vidisse excretas grandines tussi, interdum sunt animalia, quæ Alex. Tral. in cap. de tussi, testatur se vidisse lapillos per tussim reiectos; interdum sunt animalia, quæ Alzarauius Arabs testatur se vidisse per tussim eiecta. Sed mihi hoc videtur admodum incredibile, vt in pectoris partibus possint generari, & detineri animalia, verum deceptus forsan fuit, quod animalia a stomacho cum tussi exeuntia, existimarit a pulmonibus emanare. Quidam interpretantes apud Hippocratem, 6. Epid. secundo, quid sit tussis ferina, dixerunt eam esse, quæ fit a lumbricis os ventriculi infestantibus. Sed Gal. hos refutauit hac ratione, quia sæpe lumbrici dilaniant os ventriculi sine tussi.

Mediata. Ceterum internæ mediatæ sunt omnes pene illæ, quas dixi facere destillationem, ætas senilis, temperamentum frigidum, & humidum, præsertim cerebri, habitus corporis, angustia pectoris.

Causæ internæ præter naturã multæ sunt, In primis febres magnæ, malignæ, vt habetis apud Hipp. in Coacis, febres hecticæ. Tumor etiam iecoris, & inflammatio facere solet tussim, item tumor lienis, & hydropicorum, testes etiam affectos, & inguina tussim excitare prodidit Hipp. in fine 4. epid.

Externa. Externa causa prima est aer frigidus, regio septentrionalis, hyems, venti boreales, de quibus testimonium habemus apud Hippocratem, tum lib. 3. aph. & tum maxime in lib. de aere, aquis, & locis. Præterea fumus, & puluis inter has causas recensentur, vigiliæ nimiæ, repletiones, potus valde frigidus. Habetur apud Hippoc. 5 aph. 24. qui scribit frigidum, vt est glacies, & nix, esse inimicum pectori, & tussim excitare; cibi nimium adstringentes, nimium acres, vt piper, pyrethrum, sorbum, cytonium; dum enim in stomachum feruntur per ipsum œsophagum, communicant qualitates proprias, ipsis vijs spiritalibus, atque ita tussim faciunt, qua ratione Arist 3. de partibus animal. 3. & post ipsum, Gal. probarunt aduersus veteres, atq; ipsum Platonem, nequaquam potum per arteriam ad pulmones deferri.

Differentia. Differentiæ tussis, quia alia humida, alia sicca, vel vetusta, vel recens, vel per essentiam, vel per consensum.

Signa tussis frigida. Omnes tusses facile cognoscuntur, sed opus est aliqua industria, vt cognoscantur causæ, ac differentiæ, quæ plurimæ sunt.

Si itaque tussis a sicca intemperie fiat, cognoscetur asperitate, & siccitate faucium, ac paruitate tussis; & sicuti tempore famis exacerbatur, sic etiã tempore repletionis, alteriusue humectationis sedatur, in hac nil expuitur. Signa humidæ, hoc est, illius, in qua expuitur, sunt humiditates illæ, quæ educuntur interdum copiosę, interdum non copiosæ, quæ si frigidę fuerint, cognoscuntur ex paucitate sitis, ex colore vultus, ex temperamento frigido, & senili, & iuuamento a calidis; si autem calidæ; percipietur calor circa pectus, aderit sitis, faciei rubedo, & magnitudo pulsus.

Quæ fiunt per consensum, cognoscuntur proprijs notis eorum morborum, vt inquit Auic. qui tussim inducũt, siue sint apostemata, siue vlcera, siue inflationes, aut ventriculi, aut iecoris, aut lienis, aut septi transuersi.

Prognostica. Hippoc. secundo, epid. sect. 1. non longe a principio documentum vtilissimum, & scitu dignũ reliquit, scilicet, vbi inflammati sunt testes, si superueniat tussis, inflammationẽ cessare; & econuerso, si quempiam exerceat sicca tussis, inflammationem testium superuenientem curare. Ex quo colligit magnus Hipp. inter partes spiritales, & genitales, maximum naturæ consensum, id quod confirmatum est a Gal. in Comm. eius partes, vt testatur Rabbi Moyses sect. 6. aph.

Ceterum omnis tussis vetusta, vt dicit Celsus, difficulter ei ditur; sed illud interest, quod si huiusmodi tusses rebelles, & vetustæ fiant a capite, exitiales sunt, vt docuit Hipp. 6 epid. com. secundo, 24. Dicit idem Hipp. 7. aph. 47. si hydropico superueniat tussis, mortem proximam esse.

Neque

Neque etiam prætereundum est illud, quod scribit Auic. 10. tertij cap. primo, & 2. nempe si tussis perduret, & sputum cohibeatur, perniciosissimum esse, siquidem materia retenta putrescit, putrescens pulmones vitiat, vnde sequitur phthisis, quæ morbus est perniciosissimus.

Victus ratio. Curatio tussis communem quendam scopum habere videtur, vt scilicet non tollatur causa effectrix tussis, quia hoc esset tollere vitam, natura enim est causa effectrix; sed debemus tollere causam irritantem naturam; quia vero causa molestans, est, aut in partibus spiritualibus, aut extra illas, scopus est, vt causam existẽtem extra partes spiritales aboleamus, hoc autem erit destruere morbos earum partium, quæ communicant hanc affectionem. Vbi causa est in partibus spiritualibus, siue sit intemperies, aut nuda, aut cum materia, siue humor, vel aliud quippiam, vt Lapis, grando, scopus erit præparare, incidere, attenuare, ac incrassare, vt materia illa possit auferri.

Pro quibus oĩbus obtinendis, necessaria erit, diligens victus ratio, vt scilicet fugiatur aer frigidus, & calidus, crassus, nebulosus, fumus, puluis, somnus, & vigilia moderata fiant, eligantur cibi coctu faciles, ac boni nutrimenti, nec non in quantitate mediocres, vel potius ad paucitatẽ declinãtes. Rases in capite de tussi pręcipit, vt fugiantur omnes cibi adstringẽtes, acres, & pingues.

Galenus in Com. supra primum de humoribus tex. 18. vt citat Rabbi Moyses 23. aphor. sect. scribit tussim, sternutationem, singultum, atque huiusmodi leues affectiones curari, cum homo sustinet, atque sese ab ijs, quantum fieri potest, motibus efficiendis abstinet, nam cum motus iste, vt audiuistis, fiat a voluntate, sed irritata, potest quis interdum non tussire.

Ceterum studendum est magis peculiariter curationem tussis cognoscere, quamobrem in primis cogitare oportet, a qua intemperie fiat hic affectus, scilicet, an a nuda intemperie, an vero ab intemperie cum materia. Si ab intemperie nuda, sola victus ratio in rebus non naturalib. magnopere conducet, ita tamen, vt contrarijs facultatibus sit semper intemperiei opposita. *A nuda intemperie.*

A frigida intemp. Si fiat a frigida intemperie, aer calidus parandus est, iuuat, vt monuit Celsus, clamare, legere alta voce: adhæc iuuat spiritum, quantum fieri potest retinere, id quod notatum habetis a Gal. 2. de sympt. caus. in fine c. 4. Et ratio est, quoniã spiritu retento magis calescunt pulmones, & pectus; similiter iuuat vsus vini generosi, vsus aromatum, & ciborum calidorum, vt nucleorum pini, amygd. aliqui laudãt nuces asiatas, iuuat etiã collum calefacere circũdando linteaminibus.

A calida. Ex aduerso si fiat a calida intemperie, aer frigidus paretur, iuuat quies animi, & corporis, taciturnitas, potanda est aqua, & cibi conueniunt refrigerantes; vnde pro potu aqua hordei vtilissima est, debent cibi in hoc casu etiam esse frigidi actu, sicut in frigidis debent esse calidi, & potentia, & actu.

A sicca. Si fiat a sicca, victus sit humidus, quocirca cõuenit ante cetera lactis vsus; sed non probo consilium Celsi, qui voluit allium lacti incoquendum, quia illud aufert vim illam praclaram lactis humectatoriam. Conuenit præterea malua, potus aquæ hordei, oua sorbilia, amygdalatum, Pilulæ Bechicę a Rasẽ compositæ continuo sub lingua. Laudat Rases fabas exsiccatas, & inter alia magnum auxilium afferunt balnea aq. dulcium, quib. 7. de med. loc. 3. scr bit cõsueuisse vti Phonascos, & Tragædos, ad irrigandum guttur, & asperam arteriam exsiccatam a cantu, & labore.

Ab humida. Pari pacto si tussis ab humida intemperie, exsiccandum moderatissime, & citra vllam acrimoniam, quare laudo vsum amygdalarum amararum.

Ab intemperie cum materia. Sed, vt dixi, raro occurrent vobis tusses a pura intemperie, propterea magis soliciti esse debetis, circa curationẽ tussis, quę fit ab intẽperie cũ materia, in qua curatione Medicus dẽt ad duo oculos dirigere, cum ad materiam fluentem in pectus, tũ ad quæ fluxit, & est causa immediata.

Indicationes. In materia fluente, vnicum studium esse debet, vt impediatur, quo minus præcipitetur in pectus. Quod autem spectat ad materiam fluxam, incumbere vos oportet, vt vel sensibiliter per tussim, vel insensibiliter euacuetur: Et quia euacuari non potest nisi præparetur, si tenuis sit incrassanda est; si viscida detergenda, si crassa incidenda, & attenuanda.

Verum materia fluens intercipitur duobus modis, vel si in aliam partem auocetur a pectore, vel si tarda, & iners ad motum reddatur.

Quomõ materia fluens est diuertenda. Auocatur materia destillãs a capite multis modis, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis scarificatis, & non scarificatis, clysteribus, potissimum autem cauterijs, quando alia remedia nõ profuerint, quæ vel efficiuntur in brachijs, vel supra commissuram coronalem, aut in occipitio. Nã primum vti solemus cauterijs brachiorum, quæ si non tollant morbum, confugimus ad cauteria capitis. Atque hic est modus auocandi materiam fluentem a capite ad pectus.

Intercipienda. Modus autem intercipiendi eandem materiam, id est, pigram, & ineptam motui reddendi, est, vt hæc materia crassa, viscida, & nullo pacto molesta reddatur, & propterea pro fine consequendo solemus vti medicamentis dulcibus, refrigerantibus, viscidis. Diacodion summopere celebratur in rotulis, & eclegmate; accommodatum est huic scopo, syr. de papau. pil. de cynogloss. ad mitigandas tusses, quia incrassant materiam fluentem a capite. Ego quoque soleo parare diatrag. cum succo farfaræ; nam huiusmodi diatrag. mirifice valet aduersus tussim. Et notate, pil. quas adhibemus noctu, non esse statim deuorandas, sed debere diu sub lingua retineri, ibi enim paulatim colliquantur, & colliquatæ in asperam arteriam defluunt. hæc veteres appellabant hypoglottida medicamenta. *Hypoglottida medicamenta.*

Pro materia fluxa prouidendũ est, vt ea euacuetur, quemadmodũ dicebã, vel sensibiliter, vel non sensibiliter, euacuatur tribus modis, per aluũ, per vrinã, & tussim; sed multo accommodatior est, & magis proprius ille modus, qui fit per tussim, cũ euacuatio p aluũ, & per vrinã magis

respiciat totum corpus, quam peculiariter pectus, quoniam vero lex est, ne pars peculiaris euacuetur, nisi prius totum sit euacuatum, propterea in hac curatione recte instituenda oportet in primis præparare materiam, quæ si frigida sit, sic præparetur.

Præparās in tussi frigida.

℞. *Fol farfaræ.*
Hyssopi.
Prassii, an. M j.
Liquiritiæ, ʒ ij f. decoct. s. a.

Deinde ℞. *d d ℥. iiij.*
Syr. de farfara.
Syr. de prassio an. ℥. j. M.

Præparans in tussi calida.

Si autem materia calida fuerit, hunc in modum eam præparate.

℞. *Hordei. P. j.*
Iuiubar n. x.
Fol. viol.
Capill vener an. M ß.
Liquiritia ʒ. ij. (Est enim liquiritia temperata, & propterea conuenit in vtraque materia) *f. decoct. s. a.*

Deinde ℞. *d. d. ℥. iiij.*
Syr. violacei.
Syr de iuiubis.
De liquiritia an ℥. ß M.

Hic obiter edocendi estis, quo pacto aqua hordei, quæ in hoc affectu plurimum iuuat, parari debeat. Auenzoar, libro primo, tract. 16. ca. 6. sectatus Galenū, in paranda aqua hordei vult hęc seruari, vt accipiantur duę partes aquæ, & vna hordei, hordeum vero sit purum, integrum, non contusum, & si diligimus vim abstersoriam, non decorticatum, deinde cōtineatur in aqua per horas duas, vel tres, & coquatur, vsque quo aqua colorem rubrum contrahat. Vnde potestis intelligere omnes fere aquam hanc, quam ægris proponunt non bene facere, eo quod nunquam sit rubra. Voluit Auenzoar hordeum debere esse integrum, quia veluti, inquit, semina, vbi integra sunt, propriam retinent virtutem; Fracta autem si terræ mandentur, nil producunt, sic, si ex fracto hordeo fiat hęc aqua, nequaquam virtus ipsius communicatur aquæ, nam hordeum fractum spoliatum est virtute propria attractiua. Laudat Auerr. 5. Collect. 31. hunc modum Auēzoaris, quem scribit fuisse post Galenum, omniū Medicorum Principem. Sed discors est Auerroes ab Auenzoare in quantitate aquæ, quia Auenzoar solum duas aquæ partes accipit, Auerroes autem viginti.

Sed dicetis, Cui hac in re credendū? Certe, Domini, cum Auerroes fuerit sectator Auenzoaris, in eam venio sententiam, vt putem contextum Auerrois, aut Auenzoaris corruptum esse; & propterea cum videam quantitatem ab Auenzoare traditam esse paucam, quantitatem autem, quam Auerroes nobis tradit esse nimiam, existimo potius media via incedendum esse, vt scilicet, quemadmodum in more positum est, accipiatur vna pars hordei, & decem aquæ.

Præparati humores necesse est, vt purgentur, ea propter frigidi humores purgari poterūt sic:

℞. *Pil de agar. Mes.*
Pil cochiarum, an. ℈. ij. ß M & cum Syr. de hyssopo. f. pil. v.

Purgans in frigida tussi.

Quod si æger malit potum.

Forma potus

℞. *decoct. pectoralis ℥. iiij.*
Agar. trochis ℈. iiij. Infundantur s. a. fiat expressio.

Deinde ℞ *Mellis viol solut ℥. iiij.*
Elect. de psyllio ʒ iij M & f. potus

Potio purgans in cal. tussi.

Si humores sint calidi, ita euacuantur.

℞. *Myrobal citrinorum, ʒ. ij.*
Sem. [illegible]rthami, ʒ iij.
Passularum, ℥. ß.
Fl. cordialium P. j. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. *d d ℥. iiij*
Rhab. elect ℈. iiij.
Spicæ gr iij Infundantur omnia s. a & f. express.

Adde *Syr. viol solut ℥. iij.*
Diaphanici ʒ. iij. M. & f. potus.

Forma pilularum.

Quod si velit æger pilulas:

℞. *Pil. de Rhab ℈. iiij.*
Trochis. violarum cum scam. ℈. ß.
Cum syr. viol. q. s. f. pilulæ. v.

Et aduertendum in vsu pilularum pro tussi, vt illę exhibeantur 4. vel 5. horis post cœnā, quādo sc. ventriculus nōdum ex toto vacuus est, quoniam tunc magis supernatant, & facultatem mittunt in pulmones, & asperam arteriam.

Purgato corpore, cum ea, quę faciunt tussim, non possint, perfecte euacuari, nec per vrinam, necesse est, vel sensibiliter per tussim peccantem materiam educere, vel insensibiliter.

Sed

Sed statim occurrit consideratio, vtrum melius sit euacuare humores facientes tussim sensibiliter, an insensibiliter. Hipp. 6. epid. 3. 1 t. scripsit, id quod suppuratur, recidiuam facere. Ex quo loco colligunt nonnulli grauissimi scriptores, euacuationem sensibilem, quæ ab Hipp. suppurationis nomine significatur, semper esse meliorem discussione, id est, insensibili euacuatione. Sed maior pars Medicorum putat longe præstantiorem esse euacuationem, quæ fit insensibiliter, & vtuntur hac ratione, quod natura semper, quantum fieri potest, tenet euacuationem insensibilem. Sed res sic definienda est, quod cum difficulter possint ea, quæ faciunt tussim, euacuari insensibiliter, multo melius, & facilius esse, vt euacuentur sensibiliter, hoc est, per tussim.

Num tussis insensibiliter euacuetur.

Remedia vero, quæ euacuant sensibiliter, a scriptoribus antiquis vocata sunt auxilia arteriaca, vt est 7. de med. loc. cap. 3. Huiusmodi medicamenta, quæ arteriaca vocata sunt, vt vtilitatem possint afferre, quemadmodum colligitur ex Galeno loco citato, opus est, vt in materia frigida quatuor conditiones habeant; in materia calida quinque. Primo enim medicamenta expectorantia, & arteriaca debent esse calefacientia, vnde si videbitis medicamenta veterum, composita sunt ex sulphure, euphorbio, &c. Secunda conditio est, vt habeant facultatem adstrictoriam. Ratio vna, quia modica adstrictio penetrationem iuuat, & propterea dicit Galenus, si misceantur crocus, & myrrha, magis penetrant, quia modica adstrictio croci iuuat penetrationem myrrhæ.

Arteriacorum medicamentorum conditiones.

Tertia conditio, vt sint aromatica, & desiccantia, tum quia aromatica grata sunt, tũ quia aromata dissecant, & vrinam prouocant, quod vtilissimum est in hoc negotio; propterea veteres propter adstrictionem moderatam adhibebant fœnicul. daucum, & cinnamomum. Quarta conditio est, vt habeant facultatem leuigandi, & emolliendi arteriam, nam cum propter tussim arteria semper sit exasperata, opus est, si materia debet per eam euacuari, vt asperitas suferatur, & consequenter, vt læuigetur; propterea in arteriacis pro materia calida est, vt calefacientibus commisceantur, quæ refrigerant.

Primo, quoniam in materia calida necesse est eam temperari, & castigari refrigerantibus.

Secundo, quoniam cum materia calida, vt plurimum sit tenuis, & aeris, opus est refrigerãtibus medicamentis illam incrassare, & acrimoniam obtundere, quamobrem miscentur cũ alijs medicamentis opium, mandragora, hyoscyamus; quæ omnia sua maxima frigefaciendi potestate, quod optatur, perficiunt.

Quod si materia fuerit frigida, in medicamentis cõponendis ad tussim miscenda tragacantha, glycyrrhiza, & alia huiusmodi, quæ aspritudines læuigare valeant. Iã dictis quatuor conditionibus in materia calida additur quinta, scilicet facultas stupefactoria.

Notare hoc in loco vos oportet pulcherrimum, ac vtilissimum documentum; si quandoq; placebit vobis vsurpare arteriaca veterum, quod consulo frequenter faciatis, debetis non more empiricorũ quiduis temere adhibere, sed expendere, quid in materia frigida conueniat, & quid in materia calida. Cognoscetis autem, quoniam in quibus refrigerantia ponuntur, & præsertim magna dosi, vt opium, mandrag. & hyoscyamus, omnia hæc deberis existimare composita esse aduersus materiam calidam; sicuti vbi nihil horũ adest, semper illa facta sunt aduersus humores frigidos; propterea Galenus quinto meth. tum quarto, de med. loc. vsque adeo celebrauit medicamentum illud suum diaspermaton, quod felicissime vsurpauit aduersus humores calidos, falsos, & acres, quippe absumendi erant per exsiccantia, & obtundendi per stupefacientia.

Diaspermaton Gal.

Ad eandem intentionem, quoque pertinet Loch. de papa. pilulæ, de cynoglossa dictæ, Apollonii confectio, apud Galenum loco citato optima est, & mihi sæpissime probata. Verum si materia frigida sit, vt dicta exemplis illustrem, laudatur summopere sulphur viuum in ouo deglutitum, aut etiam melli commixtum, verbi gratia.

℞ Sulphuris viui ℈. j.
mellis ℥. j. M.

Potest etiam misceri sulphur cum loch. de pino, de farfara. Ad exsiccãdam, & consumendã tussim mirifice confert hæc confectio.

℞. Diatragagan. ℥. j. ſ.
hyssopi ʒ. ij.
Cinnamomi.
Dauci.
Gingiber.
Seseleos, an. ℈. 5.
Croci gra. xij.
Succi Liquiritia ʒ. j. M.

In materia promiscua semen nasturcii cum melle, radix dragontheæ assa, vel elixa commanducata, radix brioniæ cum melle, hæc omnia mihi probata sunt ad tussim debellandam.

Gal. 4. de loc. affect. 8. tres casus narrat eorum, qui per tussim materiam grandini similem reiecerant, quos etiam curauit Athanasia, Ambrosia, Theriaca, Mithrid. & huiusmodi confectionibus calefacientibus, attenuantibus, desiccantibus.

Ceterum Trall. lib 5. cap. de tussi, damnat Galenum, quasi magnum errorem commiserit, vtens medicamentis calefacientibus, & desiccantibus; & damnat ipsum eo, quod omnes, quos scribit curasse se, perierint. Addit Alex. se vsum esse in simili casu medicamẽtis refrigerãtibus, & humectantibus, atque cũctos curasse. Sed vt Galenum tueamur, sciendum, omnibus, qui extus-

fiunt grādinosa corpora, vsque adeo malum perniciosum esse, & inhærens, vt pulmones putrefaciat, & propterea cum ad arcendam putredinem siccantia requirantur, iure Gal. vt occurreret huic putredini, exsiccantibus vsus est.

Neque valet, omnes, quibus medebatur Galenus, interijsse, quoniam, vt ipsemet testatur, vbi pulmones putrescere incipiunt, res prorsus irremedicabilis est. Quod si Alex. suos forsan seruauit, id contingit, quoniam in principio medicamenta adhibuit, cum putredo nondum pulmones attigisset. Itaque siue sint humores, siue materiæ grumosæ, grandinosæ, & lapideæ, melius est vti medicamentis dictis, quam propositis ab Alexand.

Pro tussi puerorum sunt etiam medicamenta peculiaria. Si enim fuerint lactantes, medicamenta exhibenda sunt nutrici; si non lactent, cōueniunt edulia ex lacte amygdalar. dulc. succos ipsa amygdal. Ocymum cum melle, succus farfaræ cum melle, aut diapenidijs. Et aduertite diligenter, vtrum pueri tussi laborantes, vermibus subiecti sint; nec ne; Si ijs obnoxij sint, vt plerumque contingit, semper debetis aliquid amari admiscere, ea propter laudauit Alexander mel. ros. quod habet nonnihil amaritudinis. Sin minus, tuto & indiscriminatim vti poteritis rebus dulcibus.

Quod si materia destillet a capite, prouidendum, vt ea sistatur, & exsiccetur, quare in hoc casu ceratum factum ex thure, & mastiche accommodatissimum est, si supra commissuram coronalem ponatur. Hæc de Tussi.

CAPVT V.

De difficultate anhelitus.

Nomen. GRæci hunc affectum Dyspnæam, quidam elegantiores Latini suspirium dicunt. Arabes quasi nomine abutentes, & pro vniuersali particulare pronunciantes, solent vocare Asthma, quod etiam animaduerto, & fecisse interdum veteres, sicut dendum est Gal aph. 46.

Dyspnæa. Sed vt possitis tuto versari in scriptoribus Medicis legendis, sciendum, difficultatis anhelitus tres differentias, siue tres gradus reperiri, quemadmodum scribit Cels. lib. 4. cap. 4. & Galenus loco citato, quando spiritus nec admodum difficilis est, nec strangulat, proprie solet appellari hic gradus dyspnæa. Secundus gradus est, quando non solum difficulter respirant, verumetiam cum sono, & cum strepitu respirant, & hic gradus proprie appellatur *Asthma.* Asthma. Tertius gradus est, quando præter ingentem anhelitus difficultatem ægri nequeunt supini decumbere, sed coguntur, vel erecti, vel sedentes manere; atque hic affectus proprie vocatus est *Orthopnæa.* orthopnæa; & Auerr. libro tertio, collect. 34. appellat erectum anhelitum.

Sed ne errare vos contingat, sciendum est, Galenum Dyspnæam interdum sumere pro peculiari, & propria specie, vt audiuistis, interdum pro voce communi tribus prædictis differentijs.

Asthmatis triplex acceptio. Pari pacto inuenio apud scriptores asthma tripliciter capi, primo pro quacūque anhelitus offensione, vt colligitur ex Galeni loco nuper adducto, & Rase quarto, cont. Ex Auicenna, decimo, tertij tract. primo, c. 39 secundo, pro difficili, & laborioso anhelitu, qui oritur, vel ex cursu, vel ex aliquo alio vehementi motu. Ita namque ab Aræteo, & Galeno septimo, de comp. med. local. cap. sexto, acceptum asthma inuenietis.

Tertio modo sumitur, pro ea anhelitus difficultate, quæ contingit cum strepitu, & sono, causato ab humoribus viscidis, & crassis existentibus in pulmone, & impedientibus, ne aer ingrediatur ad refrigerandum cor.

Differētia. Ex quibus omnibus potestis colligere tres esse proprias differentias eius difficultatis respirandi, quam tractate nunc intendimus, & non plures, nec pauciores; siquidem cum respiratio sit actio composita ex inspiratione, & expiratione, vel difficilius est expellere aerem quam attrahere, vt in prima specie, vel difficilius attrahere, quam expellere, id est, inspirare, quam expirare, vt in orthopnæa, vel tandem vtrumque cum difficultate peragitur. Vnde cum non possit alio modo, quam his tribus difficilis respiratio reddi, iure factum est, vt Celsus inter veteres loco citato, & Galenus tertio, de diff. resp. & alibi has tres differentias difficilis respirationis constituerit.

Paulus quidem libro tertio cap. 29. duos solum effecisse videtur, verum dicendum ipsum sub vna duas complexum fuisse, quemadmodum fecit Galenus sept. mō, de med. loc. 6 a quo sua accipit. Alij alias constituere, sed minus necessarias atque utiles, diuidentes hos morbos in recentes, uetustos; continuos, atque interpolatos. nam sunt, qui nō nisi stato quodam tempore vexātur, ut post unum, uel alterum, uel plures menses, alij uero semper anhelant, & suspirāt, qualem fuisse Horatium Flaccum dicunt.

Genus symptomatis. Est difficilis respiratio symptoma in genere actionum læsarum. Sed illud notandum, quod significat Auerr. 3 col. 39. l. omnes pene alias actiones tripliciter lædi, uel diminute, uel deprauate, uel ablate; respiratio tamen, ut notat Gal. & præsertim Auerr. id habet, ut tantum dupliciter lædatur, siquidem ablate non potest lædi, eo quod, ut sæpe dixit Arist. homo, & animalia bruta tamdiu uiuunt, quamdiu respirant, at si e medio tollatur respiratio, statim animal intereat.

Respiratio nō potest ablate lædi. Sed uideo statim dubitaturum aliquem esse, quod præfocatio uteri, ut habemus a Gale. 6 de loc. aff. c. 5. & a Laertio in uita Empedoclis, uocata est, & ab Heraclide, & ab Empedocle ἄπνους, quasi

quia huiusmodi ægritudo sit respirationis priuatio. Respondeo, præfocatio vteri est ita a veteribus nūcupata, non quia in ipsa sit penitus adempta respiratio, sed quia adeo exigua est, vt præfocatæ mulieres non videantur respirare. Sic Aristoteles vocauit quasdam aues ἄποδας, non quod sint penitus sine pedibus, sed quia habent exiguos pedes. Sic etiam dicunt plerique animalia hyeme latentia non respirare, quoniam ita debiliter respirant, vt sensui non appareat.

Morbus quē sequitur.

Itaque cum difficultas anhelitus non sit actio ablata, neque etiam diminuta, quādoquidem frequenter in ipsa respiratur, consequens est, vt sit actio deprauata. Et quia omnis huiusmodi actus sequitur aliquem morbum, videre oportet, quisnam sit hic morbus. Galen. enim quarto de locis aff. 7. & 7. de med. loc. capite sexto, nec non in lib. de diff. resp. scribit difficultatem anhelitus fieri, vel propter ingentem necessitatem, vt in febribus magnis, vel propter facultatis imbecillitatem, vel propter instrumentorum angustiam. Non fit difficultas, de qua loquimur, ob summam necessitatem, quia difficulter respirantes minime febricitant, quantum sit ex natura affectus. Non ob imbecillitatem facultatis, quandoquidem hoc contingit in moribundis, propterea sequitur, vt fiat propter angustiam instrumentorum, ita vt morbus nullus alios sit, nisi instrumentalis, id est, morbus in via, ob quod Auic. vocat ægritudinem pulmonis.

Causa Immediata.

Causæ immediatæ huius morbi, id est, angustiæ viarum spiritalium, solent esse multæ. Sed omnes in huiusmodi casibus reducuntur ad quatuor genera. Vel enim sunt humores, vel tubercula, vel pus, vel grumus, seu lapis.

Addit Aretæus spiritum etiam frigidum, seu flatum. Non esse flatum caussam difficultatis anhelitus, satis inde probatur, quod hic affectus diuturnus sit, non autem momētaneus, quemadmodum solet esse, qui oritur a flatibus. Non esse similiter pus, ex eo manifestum est, quia vbi difficultas spirandi nascitur a pure, fit ille affectus, qui vocatur empyema; de quo sermonem habebimus suo loco.

1. Humores.

Superest igitur difficultatem anhelandi oriri ab humoribus, & tuberculis, nec non etiam a corporibus grandinosis. Et vt primum de humoribus loquar, dicendum, qui sint hi humores, vbi sint, quomodo faciant hunc affectum, & qua ratione. Plures esse humores nemo vestrum ignorat, sed neque sanguis, neque bilis potest hanc difficultatem inducere, & propterea sequitur, eam fieri tantum ab humoribus pituitosis, viscidis, & crassis, siquidem, & diuturnitas affectus, & tota constitutio id cogere videtur. Hi vero isti humores aut a capite currunt in partes spiritales, aut mittuntur ab alijs partibus, aut in pulmonibus colliguntur. Sed sicut frequentissime a capite præcipitantur, ita rarissime colliguntur sponte in pulmonibus, quoniam pulmones nutriuntur sanguine bilioso, & tenui, vt nequeat succus crassus, & frigidus colligi ex huiusmodi sanguine, sed colligitur tantum, quando totus ægrotantis habitus pituitosus fit.

In quo loco pituita anhelitum impediat.

Locus vbi contētus humor anhelitum impedit, duplex est, Vel enim sunt rami arteriæ illius asperæ, qui vocantur Bronchia, vel sunt cauernæ, & arteriæ distributæ per corpus pulmonum. Nam humores in his locis contenti faciunt duplici de causa respirandi difficultatem, vel quia replentes cauitates impediunt, quo minus possit spiritus libere ingredi, & egredi, vel suo pondere grauantes corpus pulmonis efficiunt, ne illud possit moueri agiliter, quēadmodū oporteret.

Iam vero prędictus pituitosus humor si sit crassus quidem, sed non admodum copiosus, facit difficultatem anhelitus leuiorem, & interpolatam; si sit copiosior, & crassior, vt veluti ingypsatus sit, facit Asthma. Sin autem conuertatur hic humor in naturam grandinis, vel lapidis, quod vidisse se testātur Gal. Alex. & Alzarauius, fit alter affectus, qui vocatur χαλαζώδης de quo inter Græcos locutus est Aretæus. Veterinarij appellant hunc morbum in brutis pulmonariam.

pulmonaria.

Ratio vero, propter quam paucissimi sunt locuti de hoc affectu, est, quoniam rarissime in hominibus contingit, frequentissime in brutis, quoniam ex sententia Aristotelis, decimo, proble. homo frequentissime tussit, & per tussim euacuat humores pectoris; bruta autem cum prope omnia non tussiant, fit, vt humores retineantur in ipsorum pulmonibus; vnde indurati, & lapidescentes, χαλαζώδεις, & pulmonariam generant. Alia causa est tuberculum, quemadmodum clarissime docuit Hippo. secundo de morb. & Galenus quarto de loc. affect. 7.

Tuberculum autem quod facit anhelandi difficultatem, vel oritur in pulmonibus, vel in diaphragmate. Vtrobique propter duas causas spiritum intercipit: vel quia comprimit cauitates, & arterias, vnde nequit spiritus excurrere, vel pondere ita onerat pulmones, aut diaph. vt non possint libere moueri, neque inspirationi inseruire.

Atque hæ sunt causę internę, & immediatę illius morbi in via. Quoniam lędit actionem respirandi.

Causæ internæ mediatę.

Causæ internæ mediatæ sunt temperatura corporis, & pręsertim pulmonum frigida, & humida: habitus corporis, veluti est naturalis angustia, & strictura pectoris.

De sexu, & ętate animaduerto aliquam controuersiam. Nam scribit Cęlius Aurelianus, lib. 3. ca. 1. Cron. mulieres rarius tentari difficultate anhelitus, & inter viros magis senes, minus pueros, & iuuenes, & qui teneriore sunt corpore. Aretęus contra scribit mulieres cum sint frigidę, & humidę, magis tentari quam viros, & inter viros iuuenes minus quidem solicitari, sed frequentius interire, adeo, vt inter hos vetustos scriptores videatur controuersia.

Resolutio.

Ego sic conseo; mulieres propter menstruas purgationes magis immunes esse ab hoc vitio, sed quę non purgantur, vel propter ætatem, vel propter vitium aliquod, certe omnes hę magis expositę sunt difficultati anhelitus, quam viri.

Et ratio est, quia vt dicit Hipp. 2. epid. magna est communio inter partes spiritales, & genitales, vt

les, vt facile sit laborante vtero vitia communicari pectori, & consequenter oriri difficultatem respirationis.

De viris ita quoque statuo, senes, & præsertim qui constituti sunt in primo senio, vt est 3. aph. 21. magis difficultate anhelitus tentari.

Cur iuuenũ asthmata periculosiora quam senũ.

Ceterum iuuenes magis periclitari, etsi rarius tententur, propter tres causas. Primo quia iuuenes cum sint calidi, humores infixi pulmonibus ob calorem viscidiores, & tenaciores euadunt. Deinde quia iuuenes ob errores victus magis tentantur destillatione capitis. Tertio, quia enim iuuenes ob caliditatem plus frigidi aeris attrahant, fit, vt aeris frigore magis humores viscidi, & frigidi tales reddantur. Præter has internas, sunt aliæ causæ præternaturales, vt est retentio hæmorrhoidum, suppressio mensium, tumores viscerum, & inter causas externas primum locum habet aer frigidus, humidus, crassus.

Causæ præter naturales.

Vnde dicit Cælius Aurelianus, hyeme fieri difficultatem anhelitus, quemadmodũ Hip. 3. aph. dicebat autumno fieri.

Regiones septentrionales feracissimæ sunt horum morborum, & ideo inter has causas reponuntur. Studium vitæ. Nam scribit Aretæus, & est memoria dignum, eos, qui ad ignem artes faciunt, frequentius tentari Asthmate, & vbi tentantur, annum non perdurare.

Cibi frigidi, crassi, lenti, vt ostreacea, lagana, & omnia pistacea, crapulæ, potus vini generosi repletio præsertim vespertina.

Signa futuri asthmatis.

Morbos, qui fiunt per interualla, præcognoscere vtilissimũ est in medicina facienda. Itaque cũ difficultas anhelitus fit ex huiusmodi morbis, vtile est habere signa, quibus præcognoscere possitis hunc morbum futurum.

Sunt autem, natiua pectoris angustia, prauitas ipsius accidentaria, pigritia ad omnem motum, difficultas ad ascendendum, raucitas, calor nocturnus, nares aduncæ. Hæc enim signa sunt, quibus præcognoscere licet Medico futuram anhelitus difficultatem, præsentis affectionis signa, & primo, dyspnϾ, sunt spiratio densa, eaque modice citra sonum, vel anhelationẽ. Asthmatis, sunt spirationis magna difficultas, sonus, & strepitus in die, stertor in nocte, vox humida, & rauca, febris absentia, tussis continua, violenta, quod sputur paucum est, tenue, frigidum, & spumosum. Collum inter anhelandum tumet, hypochondria retracta, sudor circa frontem, & clauiculas, pulsus parui, densi, oppressi, addit Auicenna, tremuli, crura gracilia. Signa orthopnϾ sunt omnia prædicta, si ipsis addãtur, impotentia respirãdi, nisi erecta ceruice, facies pallida, sed genæ rubræ, oculi protuberãtes, velut in suffocatione, multi ac frigidi aeris desideriũ, ob quod sub dio esse, & aperto ore multum aeris trahere amant. Cum igitur morbus hic manifestus sit, & oculis conspicuus, quotiescunque in exercenda praxi vobis occurret, diligenter solum causas inuestigare debetis.

Si fiat propter destillationem a capite, vti sæpe contingit, iam habuistis signa, quibus cognoscere potestis destillationem. Si fiat ob consensum aliarum partium, similiter præcognosci potest signis indicantibus alias affectiones. Ceterum si fiat anhelitus difficultas, quod materia in pulmonibus sponte colligatur, cognoscitur, quia affectus perpetuus est, complexio, & ætas frigida, & humida, victus antecedens. Sed præsertim, quoniam, vt optime docuit Gal. 5. de loc. af. c. 7. hæc affectio fit non subito, vt facta a destillatione, sed paulatim, quemadmodum fieri consueuerunt omnes fere intemperies.

Signa tuberculi.

Si oriatur a tuberculo, vel pulmonis, septiue transuersi difficultas anhelitus, non adest stertor, nil expuitur, & quemadmodum obseruauit Gal. loc. cit. pulsus semper miruni in modum inæqualis est. Hipp. 2. de morbis, huius tuberculi duo alia signa proponit, s. dolorem quendam obtusum in initio, & erectæ ceruicis spirationem. Seneca, qui laborauit hac ægritudine grauissime, epist. 51. dicebat suspirium esse a Græcis vocatum mortis meditationem; quod hæc difficultas trahendi spiritum sit veluti quædam mors assidua. Vt propter hoc Medici etiam omnes putarint difficilimum esse morbum. Et Hipp. 6. aph. 46. dicebat eos, qui fiunt asthmatici gibbositate, ante pubertatẽ interire. Et Auic. scripsit iuuenes quidem difficulter ab hoc malo, senes autem nunquam euadere. Attamen valde mitior est, quæ fit per consensum partium inferiorum, quam quæ fit, vel a destillatione, vel ab intemperie pulmonum.

Prognosi. Suspirium mortis meditatio.

Curatio.

Curatio difficultatis anhelitus ex Gal. 6. de med. f. l. 7. in eo potissimum est collocata, vt materia, quæ impedit vias spiritus ex toto consumatur. Sed quoniam crassa, & viscida, & frigida est, opus est eam dissecare, attenuare, & modice calefacere.

Indicationes. Diæta.

Verum quoniam inanis esset hic labor, nisi simul fomentum huic materiæ subtraheretur, ideo opus est fomentum, quod a capite pulmonibus suppeditatur, penitus delere aut impedire. Pro quibus scopis obtinendis primo necessaria est accommodata victus ratio, aer nimium calidus, frigidus, humidus, siccus, vitandus. Siquidem ab vtroque excessu hic morbus suscipit incrementum.

Cæl. Aur. laudat, vt aer non obscurus, sed lucidus eligatur, & iure, quia in aere obscuro, qui solet crassior esse, dyspnæici male tractantur.

Et debetis hoc notare, vbi occurrit vobis curandus similis æger, vt statim, nisi quid prohibeat præcipiatis aperiri fenestras, & hominum multitudinem auocari, quoniam cum opus habeat copioso aere frigido, certe illum non possunt nancisci neque in obscuro, neque in magna hominum frequentia, dormiendum, & vigilandum moderate.

Celsus laudat, vt ægri dormiant capite eleuato. Sed intelligendus est de tempore accessionis

quoniam

quoniam vt alias docui, in præseruatione a catarrho vtilissimum est, dormire potius capite humili quã eleuato. Exercendũ est corpus moderatissime, & sub aere sereno, nullis vẽtis perflato.

An multus potus conueniat.

Aluus lubrica seruanda est, & abstinendum ab omni nimia repletione, & inanitione. Circa potum Gal. 7. de med. sec. loc. capite citato præcipit, vt in hac ægritudine multus sit potus, & vini tenuis, quoniam in curanda difficultate anhelitus oportet thoracem humectare, vt possit faciliter extendi, & inseruire respirationi.

Sed intelligendus est sano modo, quia potus vna vice copiosus sumptus nimis replet ventriculum, vt sua sponte difficultatem anhelandi faciat.

Quare intelligendus est Gal. quod potus sit multus quantitate discreta, non quantitate continua, id est, vt crebro, sed paululum potetur. Sic enim dicit Arist. 2. sect. probl. potum paulatim sumptum magis extinguere sitim, quam copiosum sumptum. Quia scilicet magis irrigat, & humectat.

Potus.

Vinum igitur pauciferum, & tenue erit. Sed si abstinẽdum sit a vino, licet loco ipsius vti aqua hordei, aqua mulsa, aqua pectorali, decoctione passularũ, & caricarum, id est, ficuum siccatum.

Cibus.

De alijs cibis ita deliberandem, vt laborantes vtantur cibis dissecantibus, & attenuantib. ideo panis optimus erit, cui immixtum sit anisi, vel fœniculi semen.

Num diuretica conueniant.

Sed debet semper esse recens, id est, vnius diei. Carnes similiter attenuantes esse debent, vt auicularum montanarum, hædi, pullorum.

A carnibus magnorum animalium, & vetustorum abstinendum est. Caseus, & omnia lacticinia fugienda, oua tremula, & sorbilia optima sunt. Abstinendum a leguminibus omnibus, & ab herbis, præterquam ab hyssopo, satureia, pulegio, radice petroselini. Hæc enim omnia iuribus incocta vim habent dissecandi, & attenuandi, atque etiã vrinam prouocandi, quod optimũ est in hac ægritudine. Fugiendi fructus crassiores, conueniunt autem passulæ, caricæ, amygdalę, pistacia. Summatim, vt dixi, vtendum cibis extenuantibus, dissecantibus, & vrinã prouocantibus.

Sed de prouocantibus vrinam dubitatio est, siquidem Gal. 5. simplic. 13. scribit, in educendo pure a pulmonibus, & a pectore diligenter vitanda esse ea, quæ vrinã prouocãt. Iam vero simile vẽ, educere a pulmonibus, & a pectore pus, & humorem crassum, & viscidũ, vt ob hoc nõ videatur consentaneum esse hic vti prouocantibus vrinam. Respondeo tripliciter, primo, quæ prouocant vrinam, duplicia sunt, vel multum calida, vel parum calida. Quæ sunt multum calida, certe non conueniunt, quia, vt dixit Gal. loco cit. resoluunt partes subtiliores, & dimittunt crassiores.

Atque de his etiam locutus est Auicenna, quando dixit, fugienda esse prouocantia vrinam, quæ sunt admodum calida. Sin autem loquamur de non admodum calidis hæc conueniunt, quia carent vitio damnato a Galeno. Secundo responderi potest aliud esse vti puris, & solis vrinam prouocantibus, aliud vero vti ijsdem vna cum alijs permistis medicamentis. Hoc secũdo modo possumus vti prouocantibus vrinam, primo modo nequaquam. Et hoc est, quod dicit Auicenna, in curanda hac ægritudine vitanda esse medicamenta, quæ tantum prouocant vrinam.

Tertio aliud est pus euacuare a pectore, & euacuare humores frigidos, & crassos. Nam cum in pure sit facta concoctio, partes terrestriores sunt quoquo pacto separatæ a subtilioribus, hinc facile fit, vt prouocantia vrinam proprio calore possint dissipare tenuiores partes, relictis solidioribus. Secus autem est in materia cruda, frigida, crassa, & viscida, in qua cum partes crassæ sint confusæ cum subtilioribus, non potest calor prouocantium vrinam dissipare materiã subtilem, & relinquere crassam. Vbi difficultas anhelitus præsens affligit, & ægri sint in ipsa accessione, primum opus est, materiam fluentem ad pectus, & attractam a calore ipsius reflectere, & in alias partes a pulmonibus auocare, similiter materiam fluentem intercipere, id est pigram, & ineptam descensui reddere, postremo necessum est materiam, quæ in pectore reperitur, & actu difficultatem anhelandi facit, detergere, & attenuare.

Paroxysm. asthmatis vbi tollendus.

Non facio mentionem desiccationis, quoniam in ipso paroxysmo nullo modo vtendum est medicamentis exsiccantibus, sed eo tempore studendum est, vt thorax humidus sit, & sequax, & obediens ad respirationem. Itaque pro deflectenda materia a pulmonibus conueniunt frictiones, ligaturæ, cucurbit. tum siccę, tum scarificatæ, clysteres. Pari pacto, si æger sanguine abundat, iuuat statim mittere sanguinem, venã secta, eo, quod huiusmodi euacuatione retardatur impetus materiæ defluentis ad pectus. Hic vbi difficultas anhelitus pertinax, & diuturna est, solemus confugere ad cauteria, quæ vel affiguntur brachijs, vel etiam affiguntur occipitio. Sed multo magis videntur iuuare cauteria supra commissuram coronalem infixa, quippe quæ statim, & immediate consumere possunt materiam a capite ad pectus defluentem.

Vena sectio.

Cauteria.

Fiunt cauteria, vel igne, vel medicamentis vrentibus, & vesicantibus; vel sinapismis, & dropacismis vti solemus, quemadmodum etiam puluis hic cum cera modica coronali commissuræ derasæ impositus valde iuuat.

Puluis suturę coronali imponedus.

℞. *Euphorbij. ʒ. ß.*
Sinapis ℈. j.
Sulph. viui ℈. ß.
Caryoph.
Stachadis.
Fl. rosarum an. ʒ. v. Puluerif. & misceantur.

Alterum quod in paroxysmo facere oportet, est, vt materia, quæ in pulmones ruit, retardetur, & cohibeatur. Hoc autem fit tum medicamentis internis, tum externis. Externa sunt, quæ vertici deraso adhibita vim habent sistendi, & retinendi materiam, cuiusmodi est hic puluis.

℞. Myr-

Puluis sistẽs & retinens materiam.

℞. Myrtillorum.
bl. rof. rub. an. ʒ. j.
Caryop. ℈. j. M. & f. pulvis.

Vt autem hic puluis detineatur, solemus iniecto pulueri superimponere ceratum aliquod simplex, quod adhæreat enti, & contineat puluerem. Intrinsecus ad sistendum fluxum ea sunt adhibenda, quæ incrassant: cuiusmodi sunt gummata, electuaria, veluti est styrax calamithes, diatrag. Et hoc etiam optimum est.

Trochisci sub lingua.

℞. Sacch. violacei ℥. j.
Boli armeni ʒ. j. M. & ore detineatur.

Sed vnum memor ad gnum monuit Galenus. septimo, de loc. affect. c. 6. scilicet his medicamentis minime committenda esse medicamenta, quæ nimium frigefaciunt, quoniam etsi materiam defluentem crassiorem reddant, tamen nimium refrigerãt pulmones, & propterea plus nocent quam prosunt. Vnde dicit Galenus veteres prudentes in his componendis medicamentis vitasse Mandragoram, Opium, Hyoscyamum, Psyllium. Addit etiam semen lini; sed mendosus est contextus, vt annotatum habetis a me in Galen. marginibus. Tertium, quod faciendum est in praxi, illud est, vt materia, quæ iam fluxa est, & spiritum impediendo difficultatem anhelandi producit, detergatur, extenuetur, & citra calefactionem exsiccetur, propter quod Galenus valde laudat oxymel scillit. & scillam ipsam: & ego huiusmodi auctoritate ductus soleo in ipso paroxysmo præbere lambendum huiusmodi liquorem:

Lambitiuũ.

℞. Oxym scillit. ℥. j.
Syr de farfara ℥. j. ß.
Ammoniaci ℥. ß. M.

Sed de scilla est non exigua contradictio inter Gal. & Diosc. Gal. enim loc. cit. scribit, medicamenta expectorantia debere esse secantia, & detergentia sine calefactione, cuiusmodi est acetum scil. & scilla. Ex quo loco colligere potestis secundum Gal. scillam non calefacere, aut parum. Ceterum Diosc. lib. 3. cap. 161. statim in primis verbis inquit scillam habere vim acrem, & igneam, siue vrentem, adeo, vt manifesta sit contradictio.

Scilla num vehementer calida.

Puto verbis Gal. hanc tolli posse, qui lib. 8. simplicium c. de scilla scribit, scillam non esse ad modum calefacientem, sed esse in secundo tantum gradu calidam; & addit, vtendum esse ea assa vel cocta, quoniam sic amittit omnem vim acrem. Ex quibus verbis elicio, scillam posse capi vel crudam, vel coctam. Cruda est, qualis est descripta a Diosc. cocta vero, qualis a Gal. 7. de locis, vbi dicit eam non admodum calefacere.

Curatio extra parox. Præparans.

Extra paroxysmum diligenter considerandum, vtrum difficultas anhelitus pendeat a pura destillatione, an potius ab intemperie frigida pulmonum, generante succum frigidum, & crassum. Si a sola destillatione originem habet, illi soli occurrendum est; quomodo autem destillatio capitis sit expugnanda, iam docui.

Si fiat a frigida intemperie cum materia frigida, & crassa; opus est materiam illam euacuare & deinde pulmones calefacere, & exsiccare. Sed quia præter materiam coniunctam est quoque materia antecedens tum in capite, tum in corpore, ideo huiusmodi materia promiscua, scilicet tum antecedens tum coniuncta, primum præparanda est, deinde expurganda. Pro preparatione conuenit hic syrupus.

℞ Fol prassii.
Hyssopi.
Pulmonariæ an. M. j.
Liquiritiæ ʒ. ij.
Sem. vrticæ ʒ. j. ß. f. decoct.

Deinde *℞. d d. ℥. iiij.*
Oxym. scillit. ℥. ß.
Syr. de prassio
De liquirit. an. ʒ. vi. M. f. potio.

Linimentum pectorale.

Quo tempore iuuabit etiam dum præparatur materia intrinsecus, aliquod linimentum adhibere pectori, quod possit emollire, & calefacere, & etiam modice extenuare, vt.

℞. Ol liliorum alborum ℥ ß.
Ol. amygd. dulc. ℥. j.
Succi viol.
Succi radicis altheæ an. ℥. ß.
Cum cera f. linimentum, quod etiam in paroxysmo vtile esse solet.

Deinde purgabuntur. Et si pilulis purgandum erit corpus.

Pilulæ.

℞. Pil de agar. Mes.
Aurearum an ℈. ij.
Trochisc. viol. cum scam. gr. vij. M. & cum oxymelle scillit. f. pil. N. ...

Boli.

Sed si bolus magis ægro placebit potestis ita ordinare.

℞. Elect. de psyllio. ʒ. iij.
Agar. trochisc. ʒ. j.
Diacat hol. ʒ. vij. M.

Et notum est, quod scribit Auic. de psyllio, nempe etsi frigidum sit, tamen in difficultate anhelitus

helitus maxime conuenire, propter arcanam proprietatem, sibi a creatore infixam. Si purgatio vna non sufficiat, repetenda est. Et purgato corpore deueniendum est ad medicamẽta tum externa, tum interna, quæ possint calefacere pulmones, & reliquos succos dissecare, & cõsumere. Inter externa remedia sunt emplastra, linimenta. Et fit emplast. apponẽdum pectori hoc pacto.

Emplas. pro pectore.

℞ Farinæ loliacæ.
Hordei an lib ß.
Ol. anethini.
Ol. amygd. dulc. an. ℥. viij.
Pulu violar.
Trassi an. ℥. ß. M. omnia ad ignem, & cum modico vini. f. emplastrum.

Intrinsecus sunt quoque multa, quæ post purgationem, & manifestis viribus, & proprietate conueniunt. Manifestis viribus conuenit scylla, nasturtium. Auenzoar laudat aromata, vt cinnamomum, macerem, caryophyllum, ex quibus possumus parare medicamentum, & lambẽdum offerre. Ex ter. soleo egu vti huiusmodi lambitiuo.

Lambitiũ in asthmate.

℞. Passularum enucleatarum.
Fænugræci an. ℥. j. ß.
Sapæ ℥ ij.
Aq. pluuialis ℥. iij. Bulliant simul vsque ad consumptionem aquę. Deinde transmittantur omnia per colum, & dictæ colaturæ adde.
Sulphuris viui.
Ammoniaci an. ℨ. iij.
Cinnamom.
Maceris an ℨ. j.
Puluerisentur puluerisanda, f. mistura.

Cuius capiendum est in ore cochlear vnum, & retinendus spiritus, quoniam sic materiæ huius portio vi quadam truditur in pectus.

Solemus tum extra paroxysmum, tum in paroxysmo vti quodam alio medicamento, quod efficacissimum est, & est aqua per alembicum, ex cochleis, siue limacibus extracta, in qua immaceratur botrys. De botryde enim scribit Dioscorides, eam prodesse mirifice asthmaticis, & anhelantibus. A proprietate oculta maxime valent lepusculi combusti, in cinerem redacti. Valent etiam lumbrici, qui hydrijs nascuntur combusti. Quanquam Galenus narrat, se non intelligere rationem, propter quam hæc animalcula iuuent Orthopnoicos. Conferunt etiam a proprietate pulmones animalium in puluerem redacti, præsertim cerui, quem laudat Scrib. Largus. Hoc tempore in frequenti vsu habemus pulmonem vulpinam, qui in pharmacopolijs detinetur, & solemus hoc pacto vti.

Aliud medicamentum.

℞. Pulu. liquirit. ℨ. ß.
Pulu. pulmonis vulpini. ℨ. j.
Sacch. violati ℨ. iij. M. & capiatur tribus, aut ad minus duabus horis ante cibum.

Si fiat difficultas anhelitus a tuberculo, vel pulmonis, vel septi transuersi, scribit Gal. medicamenta calefacientia, attenuantia, & exsiccantia conuenire; minime autem detergentia, ea propter his in casibus post totius purgationem deuenimus ad vsum, vel iuris galli, vel decocti Chynæ, aut salsæ, vel etiam ad vsum chalybis præparati, quoniam experientia compertum est, attenuare, & consumere humores.

Curatio difficultatis anhelitus a tuberculo.

Solemus etiam deuenire interdum in difficultate anhelitus, & persertim in difficultate, quæ fit ab humoribus crassis, ad vsum aquarum thermalium, & præsertim sulphurearum, quales sunt aquæ Aponitanæ. Nam, si sulphur tantopere commendatur a veteribus in dyspnæa, multo magis possumus etiam commendare aquas ipsas sulphureas. Sed interest, ne huiusmodi aquæ administrentur, quo tempore, vel paroxysmus instat, vel iam præsens est, quia cum sumantur in magna copia, distendunt ventriculum, &; inde augetur difficultas.

Thermæ sulphureæ.

Galenus autem, & Aegineta nonnulla significarunt in cunctis medicamentis ad difficultatẽ anhelitus obseruanda. Primum est, vt abstineatur a vinis omnibus, quę vehementer adstringũt, nisi tamen adstrictio iuuet penetrationem, vt in croco, quia quæ adstringunt, non solum; pectoris dilatationem impediunt, verumetiam materiam magis infigunt, & tenaciorem reddunt.

Alterum obseruandum circa medicationem huius affectus est, vt, quemadmodum monuit Aegineta, crebro medicamenta mutentur. Siquidem cum medicamenta differant; secundum gradus facile contingit, vt quod medicamentum non profuit sub vno gradu, prosit sub altero. Præterea solet natura longo vsu remedia sibi familiaria sibi reddere, ita, vt ab ipsa negligãtur, & propterea non conferant.

Tertium, & postremum est, vt semper medicamentis apponantur ea, quæ pectus respiciunt. Vnde Galenus examinans nonnulla medicamenta Critonis pure adstringentia, dixit in eo defecisse compositorem, quod non miscuisset pectoralia. Ob id dicit se solitum fuisse commiscere nasturtium, & sinapi, tanquam medicamenta pectori maxime familiaria.

Nonnulli practici veteres, vbi ægri difficultate anhelandi, strangulantur, laudant cauterium in thorace, quo scilicet ea parte pertusa respiratio reddatur facilior. Sed huiusmodi remedium semper valde periculosum esse putaui, vt ob hoc minime vobis id persuadeam.

Cauteriũ in thorace periculosum.

CAP.

CAPVT VI.

De exitu sanguinis ab ore.

Nomina.

Habet hic affectus diuersa nomina apud Græcos, sed parum inter se differentia. Hippocrates, communi quodam nomine sæpe hunc affectum appellauit sanguinis vomitum. Plerique alij Medici appellant sic affectus hæmoptoicos. Latini dicunt modo sanguinis sputum, modo sanguinis reiectionem, modo cruentum sputum. Et Cælius Aurelius vocauit fluorem sanguinis, quanquam appellat fluorem, vbi copiosus est; sputum vero vbi paucus, quod etiam alios Latinos fa ctitasse reperio. Quomodocunque sit, sanguinis exitus ab ore, est symptoma in genere excremētorum mutatorum. Et addit Galenus postremo ca. libro de diff. symp. esse excretum toto genere præter naturam, quasi vero a natura primario consilio nunquam expellatur sanguis. Et quia diximus omnia symptomata dependere a morbo, vel mediate, vel immediate, videndum nunc est, quomodo hoc symptoma dependeat a morbo. Diximus, & alias si recte recordamini, ex sententia Galeni omnia excrementa mutata dependere a morbo mediantibus actionibus læsis, qua propter debet, & hac ratione sputum sanguinis, cum sit excrementum mutatum, dependere a morbo per medias actiones læsas.

Genus symp.

Obiectio.

Solutio.

Sed obstat huic sententiæ ratio, quia vbi ex multitudine sanguinis, rumpitur aliquod vas, vt intelligetis, proculdubio non videtur huiusmodi exitus sanguinis dependere a morbo propter actiones læsas, quia huiusmodi exitus fit statim, & fit antequam vlla actio videatur læsa, ita vt non liceat dicere hoc sputum dependere a morbo propter viciatas actiones.

Dicerem nihilominus verum esse, quod a nobis iam constitutum est, scilicet semper excrementa mutata consequi morbos mediantibus actionibus læsis, & ad rationem iam adductam sic responderem; quod vbi a multitudine sanguis rumpitur aliquod vas, necessario in eodem instanti læditur actio facultatis retentricis, siquidem facultas vasorum retentrix dependet quidem a temperie, sed non tantum, verum etiam ab vnitate partis, quapropter vbi vnitas partis corrumpitur, statim etiam læditur actio retentrix.

Reducitur itaque hoc symptoma ad morbum, qui est vnitatis solutio mediante actione læsa facultatis retentricis. Quo fit, vt non male senserit apud Cælium Themison Medicus, qui reducebat omnes species fluoris sanguinis ad vulnera.

Differentiæ a loco.

Sunt huius affectus plures differentiæ, quarum aliæ capiuntur a loco, aliæ a modo solutionis vnitatis, aliæ a modo exitus sanguinis. A loco capiuntur, quia vbi sanguis ab ore persunditur, vel a partibus superioribus, vel ab inferiorib. deriuatur. Si a superioribus, a palato, aut a faucibus aut a gingiuis. Si procedat ab inferioribus, vel exit a iecore, vel a stomacho ipso, vel a liene, vel ex partibus spiritalibus, nempe aut ab aspera arteria, aut a pulmonibus, aut a thorace, aut a septo transuerso, vt docuit Aretæus.

Neque mirari oportet, quod & a thorace, & a septo transuerso per os sanguis reijciatur, quoniam a septo transuerso exit quidem rarissime, & exit eo pacto, quo scripsit Aretæus, & præsertim Gal. 3. met. exire a thorace. s. per membranam cōtingentem pulmones, per quā veluti resudās, & trāsiens sanguis e thorace in pulmones effunditur, & ex pulmonib. tussi per os reijcitur.

A modo solutionis vnitatis.

A modo solutionis vasorum sumuntur differentię, quia sanguis aut exit, inciso, sectoue vase, vel non secto. Inciditur autem vas tribus modis, aut per fractionem, sic videmus corpora neruosa hinc inde frangi; aut per diuisionem, quando scilicet gladio, vel aliqua alia re acuta vas ita diuiditur, vt sanguis emanet: aut per compressionem, sic vter repletus, si graui aliquo pondere comprimatur, & rumpitur, secatur. Exit vero sanguis vase non secto tribus etiam modis, vel quia ora vasorum reserantur, vel quia substantiæ vasorum ita rarefiunt propter tenuitatem aut calefactionem, vt per poros illius latiores iam redditos, sanguis nullo negotio egrediatur; vel postremo propter corrosionem. Nam vt videmus corrodi ipsos vtres a muribus interdum & exire liquores, sic etiam contingit, vt uena, uel arteria corrodatur, & sanguis exeat.

Asclepiades notatur.

Nec audiendus est Asclepiades, qui existimauit non posse sanguinem exire nec per raresfactionem, nec etiam propter oris vasorum reclusionem, eo quod sanguis suapte natura crassior sit, quam vt possit per substantiæ meatus angustissimos trāsire. Quoniam etsi vascula vasorum exigua sint, tamen impetu fluentis sanguinis paulatim dilatantur. Sicuti enim uidemus, ut exiguo foramine facto in marginibus fluminum, iis illud ingredientibus in immensum dilatatur, haud secus contingit in uasculis uenarum, ubi semel, uel modice aperiuntur.

Mediata.

Hæ sunt differentiæ a modo solutionis uasorum. Sunt, & alię a modo exitus, quia uel exit sanguis cum tussi, screatu, uel cum uomitu. Addebat Soranus, Fluores alios esse nouos, alios ueteros. Sed istę differentię Methodicorum non sunt admodum ęstimandę.

Causę sputi sāguinis aut sunt internę, aut externę. Internę alię sunt naturales, alię non naturales. Inter naturales causas, r. est temperatura calida, & sicca, habitus corporis athleticus plenus, angustia pectoris, strictura uenarum.

De sexu dicit Gal. 4. de loc. aff. c. 5, & alibi, uiros magis subiici huic malo quam mulieres, quia hę singulis mensibus purgantur. Si enim aliquę priuantur hac menstrua purgatione, facile in huiusmodi affectum incidere consueuerunt.

Est

Est quoque inter has causas, ætas, de qua sermonem faciens Hippocrates tertio, aphoris. 29. dicebat iuuenibus maxime fieri sanguinis expuitiones. Hũc apho. cũ interpretaretur Galenus, dixit iuuenes propterea subijci huic ægritudini, quoniam frequenter in victu errant. Sed pace Galeni Hippocrates exiguum quid docuisset nos, quoniam non solum iuuenes, verumetiam pueri frequenter delinquunt, & magis quam iuuenes. Quod si, vt dixit Galenus sola causa huius mali in iuuenibus posita esset in erroribus, multo magis deberet fieri in pueris, quod quidē non contingit vllo pacto. Igitur meliorem causam habuit Hippocrates, scilicet quod iuuenes habent calorem maximum semper circa cor, propter quem fit in ipsis sanguis biliosus, tenuis, & mordax. Vnde cum pulmones nutriantur sanguine communicato ab altero cordis sinu, fit, vt in iuuentute hic sanguis valde biliosus, & mordax attrahatur in pulmones, & in pectus, vbi postmodum facile producit vulnera, & apertiones vasorum.

Cur huic symptomati iuuenes magis subijciātur.

Causæ præternaturales internæ sunt tussis, vomitus, retentio hæmorrhoidū, menstruorum.

Causæ autem externæ sunt aer frigidus, & siccus, ventus aquilonaris, vt & Aretæus, & Auic. proposuerunt. Nam propter hunc aerem fit, vt ipso inspirato vasa pectoris, & arteriæ veluti quodammodo inducentur ita, vt dilatari cum non possint, & necessario frangantur. Atque hoc est id, quod scribit Hip. 5. aph. 24. s. frigidum, vt glaciem, & niuem rumpere venas, & pectori inimicum esse. Adhæc nimium otium, quo multiplicantur succi, solet esse causa sputi cruenti, quemadmodum nimia exercitia, & præsertim nimius cursus. Vnde seruus ille Plautinus, qui expuebat sanguinem dicebat domino suo, se ex cursu rupisse pulmonis ramicem. Nam veteres Latini, sicut etiam Hipp. appellabant venas pulmonum ramices, quemadmodum etiam appellabant varices.

Causæ præter naturales, Externa.

Locus Plauti exponitur.

Sic nimiæ vociferationes, eleuationes ponderum, retentiones spiritus, cōpressiones pectoris; propterea athletæ, & luctatores ob eiusmodi compressiones facile incurrunt hunc affectum.

Casus ex alto, percussiones, siue vulnera, &, vt ait Aretæus, decubitus super omnes res duras. Ita similiter inter has causas recensetur; nimius coitus, nimia repletio tam cibi, quam potus.

Postremo cibi omnes salsi, calidi, acres, vt allia, cæpe, raphani, præsertim si in frequenti vsu habeantur, quoniam cum, vt scribit Hip. 4. de loc. humores gignantur ex cibis, quibus vescimur, fit, vt si cibi sint acres, & salsi, similiter succi ex ipsis geniti sint acres, & salsi, ac propterea facili negotio solent ab ipsis vasa corrodi, & fieri sanguinis sputum.

Galenus 4. de loc. affect. 5. copiosissimus fuit in proponendis signis, quæ doceant, locum affectum in sputo sanguinis, nec id sine ratione, quia in hoc affectu curando tota vis posita est in cognitione loci affecti.

Signa.

Sunt autem signa, vel indicantia locum, vnde sanguis manat, vel indicantia modum solutionis continui, vel indicantia causas. Nam modus exitus sanguinis, qui erat tertia differentia a nobis posita, ita certus, & manifestus, est, vt non indigeamus signis. Nam siue exeat simplici expuitione, siue screatu, siue tussicula, siue tussi, facilimum est cognitu.

Itaque vt exordiamur a partibus superioribus, si sanguis prodeat a capite, cognoscitur, quia modo copiosus est, sed minime spumosus, modo exiguus; præcessit semper aliqua capitis affectio, aut grauitas, & titillatus quidam in faucibus percipitur, a quibus si sanguis exeat, cognoscitur, quia fauces rubeæ sunt; sicut etiam palatum rubet, si ipsum sanguinem profundat, & nullæ præcesserunt querelæ capitis, exit cum simplici screatu. Si a gingiuis fluat, cognosceris, quia gingiuæ tumidæ sunt, rubentes, & si digitis comprimantur, exprimitur sanguis.

A capite.

A gingiuis.

Ceterum, si a partibus inferioribus, & naturalibus effluat sanguis, cognoscitur varijs modis. Si enim a ventriculo sanguis profluat, aderit nausea, vomitus, reijcietur interdum, cum cibis, interdum pituitæ, aut bili commixtus.

A stomacho.

Ad hæc notat Aretæus, sic affectos semper despondere animum, & saliuarum fluorem copiosum habere. Corpus totum frigidum, pulsus languidos, ac raros esse, cum mordicatione, ac grauitate circa ventriculi regionem.

At si affluat a iecore, cognoscetur primum, quod sanguis, qui fluit, sit subalbidus, interdum flauus, & semper huiusmodi exitum antecedit aliquis iecoris affectus, nēpe tumor aut aliud vitium. Pari pacto si exeat a liene, niger est, crassus, & antecedit aliquis lienis affectus veluti inflammatio, tumor diuturnus.

A iecore.

A liene.

Atque hæc sunt indicia significantia exitum a partibus naturalibus. Sunt vero alia signa particularia, quibus cognoscimus sanguinem exeuntem a partibus spiritalibus; & primum vbi exit ab aspera arteria tussis adest, sed exigua, interdum solus screatus, quemadmodum etiam in faucibus existente vitio screatus fit. Sanguis exiguus est, tenuis, & dolor aliquis obscurus circa pectus percipitur, & asperam arteriam.

Ab aspera arteria.

Cæl. Aur. addit in his vocem raucam esse, & veluti fractam, & ratio est, quia parua ibi sunt vasa. Sed notate interdum sanguinem exeuntem a capite pertingere etiam in stomachum, & asperam arteriam, atque inde postmodum reijci per tussiculam; vt propterea hac in re debeat Medicus exercere ingenium, & iudicium in discernendo loco affecto.

Si fluat a pectore, cognoscitur, quia sanguis exiguus profluit, niger, coagulatus, grumosus. Siquidem cum longum iter emetiatur, necessario conglobatur, & nigrorem comparat. Accedit etiam, quod dolor circa thoracem percipitur. Si exeat a septo transuerso, quod tamen rarissime contingit, cognoscitur, vt scribit Cæl. Aur. & Aretæus, qui diligentissimi fuerunt in signis tradendis, quoniam dolor circa septum transuersum percipitur, atque dolor is est veluti

A pectore.

A diaphragmate.

luti circularis, siquidem diaphragma est veluti zona quædam cingens totam illam regionem.

Addit Auic. vbi sanguis profunditur a thorace, dum ægri expergiscuntur a somno, magis sanguinem effundere, quoniam in nocte inter dormiendum partes pectoris magis incalescunt, & consequenter vasa promptius reserantur.

A pulmonibus. Postremo si sanguis profundatur a pulmonibus cognoscitur, quia citra dolorem vllum copiosus exit, & interdum cum ramentis pulmonum, nam cum in pulmone sint vasa ampla, vt nostis ex anatome, & pulmo irrequieto motu eleuetur, vbi fit apertio in vase, necessario multus egreditur sanguis, isque floridus, & feruidus cum impetu, & vt scribit Galenus quarto de loc. affect. quinto, spumosus est, quasi vero spumosum esse sanguinem sit signum certissimum sanguinis a pulmonibus exeuntis. Sed idem Gal. 7. aph. 30. scribit duo adnotatione digna. Primum, non semper a pulmonibus sanguinem spumosum prodire. Quod videtur esse contrarium sententiæ priori. Aliud dicit Gal. etiam in Pleuritide sanguinem spumosum interdum expelli. Addo Hipp. in coac. præno. dicere, etiam a iecore interdum spumosum sanguinem profluere.

Sed hæc res ita definienda. Aliud est sanguinem esse totum spumam, aliud est, nõ esse totum spumam, sed spumæ commistum. In pulmonibus ruptis, & sanguinem effundentibus semper sanguis, vel est totus spuma, vel spumæ commistus; & propterea si quando Galenus negauit a pulmonibus effluere spumosum sanguinem intellexit de eo, qui totus sit spuma.

Nã semper spumosus sanguis profluit a partibus spiritalibus, nisi adsint affectus in hypochondrijs intra septum, quemadmodum nos monuit Hippocrates in coac. prænot.

A venis. Si a venis prodeat sanguis, cognoscitur eo, quod sanguis crassus est, niger potius, facile densatur, & cito cohibetur. Vnde male existimauit Asclepiades a venis nunquam exire sanguinẽ, qđ is crassus sit, & ora venarũ angusta. Si effluat ab arterijs, sanguis tenuior est, floridior, magis feruidus, & magno impetu fluit, non facile cohibetur, & ratio est, qa arteriæ continuo mouentur.

Ab arterijs signa solutæ vnitatis. Iam vero modi solutæ vnitatis cognoscuntur & ipsi proprijs signis. Nam si exit vase aliquo diuiso, effluit copiosus, crassus, & semper præcessit aliqua causa, vel secans, vel premens, vel distendens, vel incidens, vel aliud quid simile.

Diapedesis. Si profundatur vase dilatato, id est, per diapedesin, sanguis tenuis est, aquosus, exiguus, & habitus corporis flaccidus, & vitiosus est. Id enim hoc in casu contingit, quod scribunt Arist. 3. de par. anim. c. 5. & Theoph. in li. de sudore, nempe eos, qui sudant sanguinem, id pati, quoniam habitus ipsorum vitiosus, & sanguis tenuis, & aquosus. Vbi autem exit vase corroso, cognoscitur, quoniam sanguis in initio guttatim exit, & procedente tempore, prout foramen dilatatur, sic copiosior prodire consueuit.

Diæresis. Ad hæc corpus ægri male dispositum est, percipitur sæpe salsus sapor, aut æris in ore, præcessit victus prauus, veluti ex cibis acribus, allijs, & cæpis, salsis, vel dulcibus. Et aduertite, nũquam a ventriculo effundi sanguinem vase corroso, eo, quia acrimonia sanguinis, vel aliorum succorum semper obtunditur a cibis commistis.

Ad hæc substantia ventriculi admodum solida est, & dura, vt non facile exedatur ab humoribus salsis, & acribus. Nam Hip. lib. 4. morb. probare solebat substantiam stomachi animaliũ duram esse, quod Africani vtantur ipsis pro crumenis, & integumentis variarum rerum. Si effluat sanguis propter flatus extendentes, & frangentes vasa, cognoscitur, quia corpus vniuersum flatulentum est, & sanguis exit cum aliquo strepitu, sicut si exeat propter sanguinis multitudinem, cognoscitur ex habitu corporis athletico, & sanguineo, victu præcedente sanguinis ferace.

Sanguinis propter plethoriam exeuntis signa. Præterea, quia exitus sanguinis, & iucundus est, & vtilis, & quod caput est huius rei, sponte solet quiescere. Vbi debetis notare. Volusium illum Saturninum apud Plinium lib. 11. c. 38 cum singulis annis 33. ore effunderet ingentem sanguinis copiam, id non aliunde contigisse, nisi ob copiam. Et signum fuit, quia cum hoc symptomate attigit 90 ætatis annum.

Notandum. Debetis autem hic animaduertere, verum signum cognoscendi omnes exitus humorum an a multitudine, an ab alia causa proficiscantur, illud vnicum esse, quod quoties ob multitudinem spontanea sit euacuatio, semper fere solet sponte desinere. Secus autem quando non a copia, sed a praua succorum qualitate.

Notat autem Aretæus vnum memoria dignum, & est, eos, qui profundunt sanguinem ab ore, fere esse sine spe, & semper mærere, quia quicunque vident se instar hostiarum iugulari, non possunt nisi maxime timere, & mærere. Sed illud, inquit, omni admiratione dignissimum est, vbi minus est periculi, ibi plus esse desperationis, & vbi plus est periculi, ibi plus esse spei. Cuius tamen rei eam affert rationem; quia ij, qui deterius habent, sunt, quorum pulmo affectus est, qui cum sensu careat, aut eum valde obtusum habeat, non mirum, si ægri minus doleant, ac per consequens non ita timeant, aut tristentur, quamuis casus in se periculosior. Ex aduerso, qui asperam arteriam aut fauces sanciatas habent, quia dolor magnus percipitur, timent, mærent multum, etiamsi minus sit periculi.

Prognost. Quare summa ratione a diuino Hipp. 5. aph. 25. scriptum est, sanguinem ab ore emanantem, vndecunque exeat, malum esse, præterquam, si, vt animaduertit Gal. in com. effluat a narib. vel si, vt dicit Auic. effluat a multitudine sanguis Hippoc. 7 aphor. 47. scribit, si sanguis vomitu reijciatur, & æger sit cum febre, lethale esse, Sin autem sit absq; febre esse salutare, & curari frigidis, & astringẽtib. Ceterum, si a partibus spiritalibus profundatur sanguis, multo deterius est, quã si a naturalib. Et de hoc fluore loquẽs Hip. 7. aph. 15. inquit, a sanguinis sputo, pus; a pure, tabes, a tabe mors. Verumtamen est quoque aliquod discrimen in reiectionibus sanguinis a partib. spiritalibus,

ritalibus, quandoquidem deterius est exire sanguinem a pulmone, quam vel ab aspera arteria, vel a thorace, & in reiectionibus, a pulmone exitialissima est, quæ fit vase corroso.

Cur pulmonum vlcera insanabilia.

Ratio huius est, quam attulit Gal. 5. meth. 8 scilicet pulmonem, sicut & alias partes vulneratas egere quiete non motu; atque pulmones irrequieto motu agitantur, quare nulla est spes, vt vulnera sanentur. Præterea vlcera pulmonum opus est, vt expurgentur. Sed expurgari non possunt, nisi per tussim. Imo vero tussis semper magis aperit vulnus, & ideo iure dixerit Gal. huiusmodi pulmonum vlcera esse penitus insanabilia.

Ceterum quæ fiunt in thorace, sunt minus mala. Primum quia thorax magis carnosus est, venas paruas habet, & postremo quia sanguis, qui effluit a thorace, & arteria facile delabitur in thoracis spacia, vnde potest facilius extra duci.

Qui vero e pulmonum vasis egreditur, non ita cito in concaua pectoris labitur, sed sępe retinetur, intra cauernas pulmonis, qui totus caro quędam laxa est.

Curatio.

Curatio, vt docet Gal. 5. meth. secundo, præcipue sita est in sanguinis fluentis retentione, & propterea cum varij sint modi solutæ vnitatis, propter quam efficitur sanguinis reiectatio. Gal. 7. de med. sec. loc. 4. initio hunc in modum scribit. In sanguinis profluuio pręcipuum est periculum, ne fluat immoderate, & ideo curationem rectã postulare, vt si vascula sint reserata, agatur medicamentis adstringentibus, si fracta medicatio instituatur cõglutinantibus, Sin fluat ob corrosum vas oportere mederi renutrientibus. Quamobrem operę pretium est intelligere, primũ a qua parte profluat sanguis, deinde quo pacto; vtrum scilicet aperto an relaxato, an corroso vase.

Indicationes.

Quomodocunque autem sit, in primis diligentissime studendum est, curationẽ, & accommodatam victus rationem præscribere; ea propter eligere primum conuenit aerem, qui neque frigidus, neque calidus admodum sit, sed moderatus. Vnde veteres, vt est 10. simpl. cap. de terra Lemnia, & apud Cellum, & Pli. consueuerunt huiusmodi ægros mittere in Aegyptum, non solum propter nauigationem, verumetiam propter cæli illius constitutionem.

Diata.

Dormiendum est quantum fieri potest, quia somnus comprimit omnem euacuationem. Si fluat sanguis a capite, dormiendum est humili capite: si a pectore, capite eleuato; Rases laudat, & bene, vt dormiatur supine potius quam prone. Ab omni motu corporis abstinendũ est, a clamore, a cantu, & ab omni pectoris, & capitis agitatione. Similiter vitandus est sol, puluis, & fumus Gal. 3. com. in lib. Hipp. de morb. & ante Galenum Cælius Aurelianus, pręceperunt, vt diligenter conseruentur ægri ab omni aspectu rerum rubearum, quasi ille aspectus imaginationẽ moueat, & imaginatio, vt dicit Cęlius florẽ sanguinis prouocet. Abstinendum est ab omni animi agitatione, ab ira, a nimio coitu, quo cognoui iuuenem nobilem pene extinctum hac ægritudine. Et quanquam viuat adhuc, tamen infirmissima est valetudine ob ingens sanguinis profluuium ex immoderata venere. Abstinendum a crapulis, aluus mollis seruanda est.

Aspectus rerũ rubearum cur noxius.

Potus.

Pro potu abstinendũ a vino, vel vtendum est paucitero, & adstringenti. Loco vini optima est aqua chalybeata, rosacea, & pura, aqua plantaginis, vinum cytoniorum, granatorum. De aceto controuersia est, an conueniat in hac ægritudine. Aliqui veteres damnarunt eo, quod adstringat, & tussim excitet. Sed in hac re sentiendum est cum Trall. qui voluit, acetum cõuenire, sed minime acre multum, & in eo profluuio, quod non fit corroso vase.

Cibus.

Ex cibis optimus est panis azymus, abstinendũ a cibis salitis, & a sale ex toto, ab aromatibus, a cibis acribus. Inter carnes optimæ sunt intestina, cerebella, pedes vitulorum, & porcellorum.

Carnes perdicum, damarum, leporum præsertim. Videtur a nonnullis cõmendari caro suilla. Et notate pro hac re histotiam Domini philosophi apud Suidam, qui cum reiecisset sanguinem, consuluit oraculum de medicina, quod respondit, vt carne suilla vteretur, ac quotiescunque vtebatur, sanguinem nõ reijciebat: ubi eam dimittebat, statim fluor sanguinis sequebatur. Ex piscibus optimi sunt, qui glutinosi. Vnde aliqui concedunt anguillas. Sed multo melius est concedere cochleas, testudines, polypos, & huiusmodi alios, qui sunt carnibus glutinosis. Lac optimum est, præsertim chalybeatum. Refert enim Trall. se plurimos curasse solo lactis vsu. Et Democrates ille Medicus apud Galenum curauit mulierem Romanam solo lactę capræ lentisco nutritæ; propter hoc etiam caseus recens non salitus vtilis est. Similiter etiam oxygala. i. lac acidum, gelatinæ sine aromatibus optimæ sunt, tum carnium, tum piscium.

Philosophi historia.

Ex herbis optima est plantago, portulaca, acetosa, & inter fructus conueniunt aurantia mala, granata, mespila, mora, sorba, cerasa acida. Post conuenit semper sacch. ros. diaciton. sine aromatibus, elect. de pomis, de ribes.

Pręsentis, vel imminẽtis. fluxus curatio.

Instituto victu dẽt deinde Medicus cõsiderare diligenter, an fluxus pręsens sit vel imminens oĩs cura & diligentia adhibenda, vt statim cõprimatur, quod fit cũ internis, tum externis remedijs, i. cõueniunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, lotiones pedũ, & præsertim testiculorũ aqua gelida. Cõuenit ẽt missio sanguinis, quæ facienda est crebro, sed in pauca quãtitate, & modo ab vna parte, modo ab alia mittatur sanguis, & e. ad mensuram duarum vnciarũ pro singula vice. Conueniunt etiam extrinseca tum capiti, si a partibus superioribus exeat, tũ pectori, si a partib. spiritalibus, tum stomacho si a naturalib. Capiti conuenit huiusmodi irrigatio fronti, & collo:

Irrigatio pro fronte, & collo.

℞. Ol. ros. omphacini. ℥. iij.
Aq. rosarum.
Plantag.
Portul. an. ℥ ij.
Aceti ℥. ß. M.

Inductio thoracis.

In extremis casibus solemus etiam deuenire ad vsum gypsi aqua rosacea macerati, & appositi temporibus, & fronti.

Si a partibus spiritalibus, solemus adhibere huiusmodi emplastrum.

℞. Ol myrthini.
Ol. cyton. an. ℥. ij.
Aq. myrthi.
Portul.
Plantag. an. ℥. ij.
Fol. portul.
Plantag.
Myrthi.
Rubi. an. M ij.
Cort. granator ℔. j. ß. Bulliant omnia simul, deinde pistentur diligenter, & addito modico cera f. emplastrum, & pectori apponatur.

Linimentū.

Haud secus factitandum est, si sanguis effluat a partibus naturalibus, in quibus administratur huiusmodi linimentum.

℞. Ol mastich.
Ol. aneth. an ℥. j.
Pulu. corall rub. ʒ. ij.
Acacia.
Hypocystidis.
Boli armena an. ʒ. ß.
Vini adstringentis parum. M. & cum cera modico f. vnguentum, quo obducenda sunt hypochondria, & præsertim regio ventriculi.

Num ligatura conueniant.

De ligaturis, vtrum conueniant apud Cæl. Aurel. disputatum reperietis. Nam Asclepiades, quem secutus est Scribonius Largus putauit ligaturas artuum non solum in hoc casu esse inutiles, verumetiam perniciosas. 1. quia, vbi fiunt ligaturæ, sanguis propellitur intro, & consequenter versus locum affectum, vnde magis profluuium excitatur. Deinde quia ligaturæ, quæ fiunt, aut debiles sunt, aut validæ, Si debiles, dicit inutiles sunt: si validæ tormenta potius quam medicamenta appellanda sunt. Postremo dicunt Asclepiades, & Scribon. id fieri, vt etsi fluxus compescatur, dum partes ligatæ sunt, nihilominus, cum relaxantur, fluorem magis excitare. Atque ita hi scriptores damnabant ligaturas.

Sed quemadmodum scribit elegantissime Celsus, vbi experientia testimonium præbet medicinæ, sunt abijciendæ rationes, vt propter hoc cum experientia quotidiana doceat, ligaturas prodesse, ab his minime sit abstinendum, & præsertim, quia rationes prædictæ omnino vacuæ sunt. Nam ligaturæ fiunt extremis partibus, vt cum vulnera sint in partibus remotissimis, & intimis, minime metuenda sit repulsio sanguinis ad interiora. Et quanquam ligaturæ fortes efficiantur, & propterea torqueant, verumtamen ille dolor, & illud tormentum iuuat, neque fluor magis excitatur, si paulatim, & non confertim ligaturæ dissoluantur.

Id quod de medicamentis externis docui, de internis quoque existimandum est, scilicet, vt omni studio prouideatur, quo statim fluxus sanguinis cohibeatur. Et quanquam Erasistratus dixit a leuioribus semper debere inchoari: attamen in fluxu sanguinis ab ore, in quo posita est vita humana, statim ad ea præsidia confugiendum, quæ efficacissima sunt.

Gargarismus.

Itaque si sanguis a capite prodeat, & gargarismatibus, & electuarijs conandum est comprimere fluentem sanguinem. Exempli gratia huiusmodi gargarismus vtilis erit:

℞. Fol. rubi.
Arbuti.
Lentisci.
Myrthi. an. M j f. decoct. s. a & cum decocto crebro colluatur os, & gargarizetur.

Eclegma.

Sic etiam fiunt eclegmata, quæ ore detenta sanguinem fluentem sistunt. Diacodio cum bolo armeno solemus frequenter vti. Sic etiam soleo vti huiusmodi eclegmate.

℞. Sacch. rof. antiqui. ℥. j. ß.
Elect. de sorbis. ℥. ß.
Pulu. acacia.
Polygoni an. ℈. j.
M cum syr. myrthino f. elect.

Curatio sanguinis fluentis a partib. inferius.

Si non a capite, sed ab infernis partibus sanguis profundatur, primo diligenter considerandum, an sanguis conglobatus, & grumefactus in ventriculo reperiatur, siquidem, cum huiusmodi sanguis venenum fit, in primis studendum est, huiusmodi grumos dissoluere. Et propterea solemus statim exhibere vel poscam cum Mumia, vel oxymel. Coagulum etiam leporinum valet mirifice.

Post hæc deueniendum est ad ea, quæ magis fluentem sanguinem adstringūt. Et laudatur a Gal. 7 de loc. terra Lemnia, terra Samia. Laudatur etiam radix symphyti, siue enulæ syluestris, & rusticæ. Prę ceteris, vbi sanguis vomitu reijcitur, magnopere laudatur vsus succi portulacæ. Neque valet, quod dicit Aretæus, huiusmodi succum non posse a ventriculo sustineri, quandoquidem id quidem verum est de succo puro, & simplici accepto. Sed si corrigatur cum sacch.

& fiat

& fiat syr.de portulaca in pharmacopolijs vocatus,certe optimum medicamentum est.

Pari pacto imminente sanguinis fluxu a partibus spiritalibus statim præter remedia extrinseca proposita, & præter venæ sect. deueniendum est ad ea, quæ maxime astringunt, & quę alijs non conferentibus solent frigiditate summa inducere soporem;sed in componendis, & vsurpãdis huiusmodi nonnulla pręcepit Gal.5.de med.loc.primo; vt si fieri potest, semper ante vsum ipsorum fiat aliqua euacuatio per sanguinis missionem. Deinde,quia hęc medicamenta longe penetrare debent,necesse est,vt admisceantur medicamenta,quę penetrent,& adstringentiam producant in pectus. Tertio,vt medicamenta stupefacientia,id est,quę pure sint narcotica,nũquam vsurpentur,nisi in maxima necessitate. Et ideo male faciunt,qui statim admittunt pil.de cynoglossa. Ego enim soleo feliciter vti post factam aliquam euacuationem,& fluente sanguine,& non fluente huiusmodi medicamento,quod non est adeo frigidum.

Laudatissimum medicamentũ astoris.

> ℞.*Sem.hyosciami albi ℥.ij.*
> *Sacch.viol.℥.ij.*
> *Syr.de portul.℥.j.M.& f.elect.*

Cuius singula vice sumuntur 2. vel 3.drachmę: & sumuntur tam mane,quam vesperi.

Hæc est vtilis ratio,qua medendum in curatione sanguinis fluoris, vbi paroxysmus iam imminet. Sed postquam fluxus iam compressus est,non debet Medicus admodum fidere,sed omnino pręseruare,& causę effectrici occurrere. Vnde in primis videre oportet, quę sit causa, & vbi sit,vtrum scilicet in capite,an in partibus naturalibus,an potius in spiritualibus.

Expectare a refrigeratio ne.

Et quia nimis longum esset exercere hanc praxin in singulis;sat erit,vt nũc exerceamini circa curationem sanguinis fluentis a partibus spiritalibus;in quibus complures sunt causę. Si a refrigeratione pectoris oriatur, Gal.5.meth.suo exemplo monstrat,primo secandam esse venam; deinde adhibenda esse medicamenta calefacientia pectori,cuiusmodi est Thapsia,& intus vtendum esse adstringentibus.

Obiectioni occurritur.

Nec mirum,quod Galenus in causa frigida statim confugiat ad venæ sectionem, quoniam huiusmodi remedium non adhibetur a Galeno,tanquam euacuatorium,quia hac ratione minime conuenit,sed adhibetur potius tanquam reuulsorium. Si fiat vase,vel aperto,& fracto,vel per resudationem ad venę sectionem,frictiones,ligaturas, & alia proposita auxilia statim deueniendum,tum ad adstringentia,tum ad agglutinantia;ita tamen, vt prius semper cacochymia in corpore toto auferatur.

A corrosione.

Et quoniam cetera vulnera partium spiritalium solent facilius curari, illud autem, quod fit per corrosionem,& pertinacissimum,& pene incurabile est. Ea propter sicut Galenus diligentissimus fuit quinto meth.in tradenda huius curatione;ita operæ pretium est, vt paulo diligentius huiusmodi curatio tradatur. Galenus videtur totam hanc curationem quatuor potissimũ complexus fuisse,purgatione corporis,corroboratione capitis,vsu medicamẽti diaspermaton, venæ sectione,& renutritione. Nam capitis curam pręcipuam voluit esse gerendam, quod plerũque fluor sanguinis, qui fit a pectore vase corroso originem ducat a fluxione capitis. Igitur quo ad venæ sectionem pręceptum dat Galen.ne temere statim ad hoc auxilium confugiatur, quandoquidem solent sæpe corpora in his casibus esse exinanita,& uires debiles.

Curatio per epicrasin quid.

Vnde dicit expendendum, vtrum aliqua sanguinis redundantia adsit. Quia si adest, statim detrahere oportet sanguinem. Sin minus iubet prudenter, vt curatio per epicrasin vocata fiat, id est,vt primum corpus renutriatur,& renutritum paulisper euacuetur, deinde iterum reficiatur,& iterum modice euacuetur. Sic enim sępius repetita hac operatione sanguis depuratur salso,& prauo succo. De purgatione autem, in qua Galenus magnam vim posuit medicationis, ita decernendum est,vt aluus leniatur hoc pacto.

Purgans lenitiuum.

> ℞.*Pulpæ Thamar.℥.iiij.*
> *Diasebesten siue scam.℥.iij.*
> *Fl.Cassię ℥.vij M.& f.bolus.*

Post lenitam aluum, nisi periculum sit in mora præparandi sunt humores.

Pręparans.

> ℞.*Fol.plantag.*
> *Rubi.*
> *Lentisci.*
> *Portulac.an.M.ß.f.decoctio in iure pedum vituli.*

Et deinde. ℞.*d.d.℥.v.*
> *Syr.myrth.*
> *De portul.an.℥.j.M.*

Et nota,pręparantia medicamenta debere semper in his casibus esse adstringentia, quoniam facile,& frequenter solet fluxus renouari. Pręparati humores deinde sunt expurgandi. Gal.lib. iam citato laudat pil.suas ex agar,aloe, scam.colocynth. bdellio. Sed nos solemus loco harum pilularum vti cocchijs. Sed siue his siue illis vtamur,optimum est.

Diaspermaton mire laudatur a Gal.

Post purgationem Galen.videtur tria spectasse in perfectione huius curationis. 1. vt medicamentis exsiccantibus, & refrigerantibus pulmonis vulnus sanetur 2. ut capiti, unde plerumque solet oriri hoc uitium,diligenter prospiciatur. 3. ut pars, quæ exesa est, in pulmone reficiatur. Pro primo commendauit maximopere medicamentum diaspermaton. Quinimo quinto meth.cap.9.& 13.appellat hoc medicamentum interdum solenne,interdum appellat suum. Sed plerique putarunt, huiusmodi medicamenti descriptionem nobis minime relictam fuisse.

Sed ego puto, hoc medicamentum illud esse, quod habetur 7. de med. loc. c. 5. Et inducor in hanc sententiam, tum, quia illud diaspermaton constat ex seminibus, ex aromatibus, ex opiis: quæ omnia conferre certum est in hoc affectu, tum, quia Gal. scribit Cassiam ingredi in suum diaspermaton, quemadmodum etiam ingreditur in illud, quod habetis 7. de loc. Quamobrem hortor vos, vt pro medicamento diaspermaton Gal. celebrato, accipiatis semper illud, quod describitur sub Andromacho authore libro citato, quemadmodum nos facimus.

Pilula de cynoglossa. Caput curantia. Loco huius medicamenti possumus etiam vti pil. de cynoglossa vocatis: nam in hoc casu fido his pilulis, & medicamento Galeni, quia sæpius feliciter vsus sum. Sunt aliqui practici, qui vtuntur oleo de Charobo vocato, nec infeliciter, cuius ℨ. j. cum ℥. ij. aquæ plantaginis, vel rosarum exhibent, quater vel quinquies. Qua ratione etiam conuenit oleum chalcanthi, simili modo datur, non tamen eadem dosi, nam datur minus multo, vt sunt duæ, tres, quatuor ue guttæ; nam dicit Gal. chalcanthum esse ex numero adstringentium. Potestis vti, & illo medicamento ex hyoscyamo, quod vobis proposui. Pro capite curando præ ceteris laudauit Gal. medicamentum ex Thapsia, cum studium ipsius esset exsiccare pituitam cerebri, ne in pulmones iriat. Sed Tral. in ipsum inuectus est. Et quia hac de re locuti sumus, quando curationem catarrhi salsi tradebamus, nolite id eadem repetere.

Partem consumptā qua reficiant. Postremum erat, vt reficiatur pars consumpta, ad quod præstandum victus ratio videtur esse sufficiens, qui eius generis esse debet, vt optime alat, facile coquatur, & nihil excrementi producat. Has conditiones habere præ ceteris ab omnibus Medicis existimatū est lac; de cuius vsu, & electione luculentissime scripsit Galenus quinto meth. duodecimo, vbi illum scopum habendum esse docet, vt lac efficiatur, quod facultatem habeat adstringendi, & siccādi. Vnde scribit, *Lactis vsus.* tales ægros consueuisse ad Tabias mitti, locum prope Neapolin, vbi pecudes pascentes herbas, & frutices adstrictorios simile lac reddunt. Itaq; vbi vos hoc lac administrare debetis, si similē locum habere non potestis, curetis saltem vel capram, vel asinam, quarum lacte vtendum est, nutriri hedera, lentisco, rubro, meliflophyllo, polygono, plantagine, atque alijs huiusmodi rebus, quæ vi pollent adstringendi, & deficcandi.

CAPVT VII.

De Phthisi.

Nomen. Sanguinis reiectionem, vt dicit Hippo. sequi solet alter affectus, qui ab Atheniensibus dicitur modo φθόη, modo φθίσις. Barbari plerique voeant phthisin. Latini appellant tabem. Sed circa nomen huius affectus duo sunt notanda. *Not. 1.* Vnum est, apud Hipp. reperiri hęc duo nomina, tabem, & morbum tabificum; vt morbus tabificus, quantum ego puto, plerumque significet quālibet corporis extenuationem, & consumptionem. *Morbus tabificus vt a tabe differat.* Nam Gal. 1 epid com. 2. te. 17 scribit. Hip. tabidos vocasse non tantum, qui vera tabe, id est, vlcere pulmonum consumuntur, verum etiam illos, qui qualibet alia occasione extenuantur, & contabescunt. Id quod etiam inter alios veteres videtur credidisse Aretæus.

Not. 2. Aliud memoriæ mandandum est, quod scriptum a Galeno 1. com. ad lib. de victu in morbis acutis 8. tex. 8. nempe Gnidios Medicos, quos secutus est Celsus lib. 3. cap. 22. nomē phthisis tribus morborum generibus tribuisse 1. vocasse phthisin eam affectionem, quę aliter a Græcis vocatur ἀτροφία, in quo significato videtur Aristot. quoque accepisse tabem 28. probl. 1. vbi scribit, Dionysium tabe extinctum esse.

Præterea appellasse etiam tabem vlcus pulmonum. Postremo Celsum eodem nomine vocasse cachexiam, id est, malum corporis habitum. Nonnulli mirati sunt, veteres appellasse cachexiam tabem, quandoquidem malus habitus est potius tumor, & auctio corporis, quam extenuatio. Sed puto non respexisse carnes in huiusmodi appellatione vsurpanda, sed potius colorem, qui solet esse cadauerosus, siue (vt ait Cæl. Aur.) mortuosus. Hip. 2. de morbis facit dorsalem phthisim, & in qua expuitur. Quomodocunque sit, vera tabes, de qua loquor, definitur a Galen. 7. aph. 16. quod sit summa extenuatio corporis cum lenta febre, ex vlcere pulmonum insanabili.

Definitio. Nam si spectemus Græcum vocabulum φθίσις, vnde phthisis dicitur, proprie significat consumptionem, & extenuationem, vt propterea cachexia, non possit sub hac definitione complecti. Dicitur eum febre lenta, ad differentiam earum consumptionum, quæ fiunt a febribus ardentibus, & colliquantibus. Nam sunt quædam febres vsque adeo vrentes, & colliquantes, vt breui dierum spacio corpora mirum in modum consumant, & extenuent. Sed hę febres non sunt lentæ, sed potius celeres, & acutę.

Postremo additur ex vlcere pulmonum insanabili, eo quod, vt habemus lib. de defin. med. fit etiam quædam tabes, quæ sequitur vlcera asperæ arterię, & thoracis, sed hæc abusiue phthisis dicitur. Ex his colligere potestis, morbum hunc esse triplicem, scilicet malam intemperiem, solutam vnitatem, & imminutam magnitudinem.

Genus morbi. Est mala intemperies, quoniam, vt audiuistis, fit cum febre, quę semper ex sui natura est calida, & sicca; soluta vnitas: prout semper cū ulcere est, est morbus in magnitudine deficiente, quia semper extenuatur corpus, & diminuitur secundum latitudinem. Sed quanquā in hoc affectu

repe-

reperiantur tria morborum genera, potissimum tamen est vlcus pulmonis, eo quod ex vlcere fit inflammatio, quæ febrem inducens, efficitur, vt calor natiuus languescat, languidus calor natiuus membrorum non potest attrahere alimentum, neque conficere, adeo quod membra proprio alimento orbata contabescunt. Vnde licet quoque colligere, locum proprie affectum in phthisi vere esse pulmones.

Locus affectus in phthisi.

Sed dubitari possit, quo pacto in extenuatione totius corporis locus affectus proprie sit pulmo, quandoquidem Gal. in cap. 1. lib. de marasmo scribit fieri non posse, vt corpus extenuetur, nisi prius cor exsiccetur, vt cum phthisis sit extenuatio, & consumptio totius corporis, videatur potius pendere ab ipso corde, quam a pulmonibus.

Sed facile respondetur, verũ esse, initium exsiccationis pendere in toto corpore semper a corde, sed incrementum, & progressus exsiccationis pendere non semper a corde, sed etiam ab alijs partibus, a ventriculo, iecore, pulmonibus, vt scribit Galen. 8. meth. 10. Ratio vero, propter quam cor non exsiccatur, secundum proportionem totius corporis, est, quoniam natura studiosissima vitæ animalium inseruit cordi potentissimam attrahendi facultatem, propter quam semper cor validissime ad se trahit alimentum, ob quod conseruatur diutissime ab insigni exsiccatione.

Et hinc est, quod si corpora marasmo extincta secentur, cor ipsorum minime omnium extinctum inuenitur. Igitur hæc est ratio, propter quam cor exsiccatur quidem in tabe, sed non est causa progressus, & augmenti extenuationis, & exsiccationis. Fit autem hic affectus ab omnibus causis iam immediatis, quam mediatis, a quibus monstrauimus fieri sanguinis electionem, præsertim vero fit a pituita destillante a capite in pulmones.

Quomodo a catarrho fiat phthisis.

Modus autem, quo fit phthisis ab hac causa præclare explicatus est ab Hipp in lib. de glandulis, vbi scribit, pituitam descendentem a capite in pulmones, in ipsis interdum retineri, & retentam putrescere, putrescentẽ vero exedere pulmones, atque ijs exulceratis fieri tabes, quæ ad sanitatem nunquam perducuntur. Atque de hac loquitur idem septimo aph. 38. quando scripsit, si pituita in pulmonem delabens vigesimo die detineatur, in pus conuerti. De eadem quoque locutus est Auicen. in capite de phthisi, cum scripsit tabem quandoque fieri pituita in pulmonibus retenta, atque ijs paulatim contabescentibus.

Præterea inter causas mediatas recẽsetur & sexus a Galeno, qui scripsit mulieres hoc morbo promptius tentari quam viros, quod cum humidissima corpora habeant, & ideo fluxionibus maxime obnoxia, vbi illæ humiditates in pulmones alioqui humidas præcipitantur, repente putrescunt, & ex putredine tabem faciunt. Aetas quoque, de qua Hipp. loquens 5. apho. 9. inquit A 18. anno vsque ad 36 fieri phthises, quod intelligendum est, vt plurimum.

Causa antecedentes.

Postremo, inter causas antecedentes propriæ huic affectioni duæ sunt, vna ex habitu corporis, alia ex hæreditate seu contagio. Nam apud Hippocratem 3. epid. frequenter dicitur habitus corporis phthisicus, vt est pectus angustum, & sparulę instar alarum, & collum oblongum. Inter causas antecedentes phthisis, vt dicebam, recensetur hæreditas, quandoquidem Hippo. secundo prorrhet. inter morbos, qui hæreditate comparantur, adnumerat phthisin, siue tabem.

Recensetur quoque contagium quoniam Arist. 7. probl. 4. inter morbos contagiosos adnumerat quoque phthisin, quemadmodum, & Gal. 1. de diff. feb. cap. 2. vbi scribit periculosam esse conuersationem cum ijs, qui phthisi laborant, vt non immerito Hippo. 3. epid. 3. inter morbos pestiferos illius constitutionis connumeret tabem.

Phthisis morbus contagiosus.

Est quoque inter huiusmodi causas abscissio vuæ, siue columellæ, i. illius partis, quæ propendet in gurgulionem. Nam Alex. 2. probl. 5. dicebat, propterea tentari a phthisi eos, qui priuati sunt columella, quoniam aer frigidus, minimeque ab vuula temperatus, thoracem ingrediens, pulmones plus quam par est, refrigerat, imo sanguinem ipsum quasi congelat; sanguis vero cõgelatus efficit vt pulmones difficilius moueantur, & propterea cum facultas magna vi conatur eos mouere, contingit, vt frangantur venæ, & propterea consequatur vlcus pulmonis, & phthisis. Scribit Hipp. 5. aph. 13. si æstas fuerit sicca, & aquilonia, ac autumnus australis, fieri tabẽ. Vnde licet colligere aeris constitutionem phthisis, quandoque causam esse. Sic refert Hippo. 2. de morbis, quandoque & ab immodico labore, & immodica venere phthisin oriri.

Priuati columella, facile phthisin incurrunt.

Neque ignorare oportet, quod scribit Plin. lib. 7. cap. 2. nempe in Aethiopia esse gẽtem quandam Pharnacam, cuius sudor solo contactu tabem inducit. Sunt etiam nonnulla, quæ proprietate quadam efficiunt phthisin, vt narrat Gal. 1. de medicamentis cap. 1. de lepore marino, quẽ scribit proprietate naturæ pulmones exulcerare, & consequenter inducere phthisin. Atque hæc de causis.

Differentiæ.

Circa differentias phthisis inuenio diuersas aliquantisper scriptorum sententias. Talis tres differentias fecisse videtur author 2. lib. de morb. & internis affectibus, vna est ex labore, altera ex pituita in pulmones descendẽte, tertia, & postrema talis species ab ipso vocata dorsalis, quasi exsiccato primum dorso ac lumbis oriatur, quam scribit accidere sponsis, & qui frequenti Venere vtuntur. Auicenna autem quatuor species constituit, vnam ex vlcere pulmonum, alteram ex vlcere asperæ arteriæ, tertiam ex vulnere pulmonis, quartam & postremam ex vulnere asperæ arteriæ. Altimar. in c. de tabe, nescio qua ratione, & Gal. authoritate 3. aph. 13. compulsus dixit tres esse tabis differentias, nempe vnam, qua corpora tabescunt quacunque de causa, alteram ex vlcere pulmonum, tertiam ex naturali propensione corporum ad suscipiẽdam hanc ægritudinẽ. Sed vt libere dicam, neque ratio neq; Gal. authoritas potest mihi persuadere propensionẽ

ad phthisin posse facere peculiarem differentiam: siquidem illi, qui naturalem dispositionem habent ad hanc ægritudinem, æque sunt subiecti phthisi ex vlcere pulmonum, atque ex destillatione, vt ob hoc non possit esse diuersa differentia.

Propria, & vera tabes. Quapropter puto ego hanc rem ita decerni debere, nempe aliam esse propriam, & veram tabem, aliam communem, & impropriam. Propria & vera tabes est, quæ vel fit exulcerato pulmone propter destillationem acrem, & salsam, vel exulcerato propter aliquam aliam causam. Atque de hac tantum est locutus Gal. c. r. ep d. Communis autem, & impropria tabes est, quæ fit vel a destillatione putrescente tantum, & non exulcerata, vel aliqua alia de causa corpus con sumente. Vnde videre non possum, quo spiritu ductus Auic. 10. tertij tr. 4. c. 18. in fine dixerit, vnā esse speciem phthisis, quando pituita viscida, & crassa labitur in pulmones, cor impedit, & anhelitus difficultatem facit. Siquidem phthisis proprie non habet anhelitus difficultatem, imo facilem anhelitum. Propter quod huiusmodi ægritudo ab Auic. commemorata potius inter species difficultatis anhelitus, quam phthisis collocanda est. Et puto falsum fuisse Auic. aut interpretem ex malo intellectu primæ speciei tabis propositæ ab Hippocr. 2. de morb. vbi scribit, fieri quidem phthisin a pituita crassa, & viscida in pulmones præcipitata, sed putrescente, non autem anhelitum impediente.

Communis & impropria.

Signa. 1. ab actionibus læsis. Signa tabis capiuntur ab actionibus læsis. Nam vt habemus ex Hipp. 5. epid. in hist. Hecasonis in Omilo, & ex Rase lib. 4. cont. phthisici, præsertim, quando morti sunt proximi solent mente errare. Ad hæc visus debilitatem habent, eo, quod spirituum inopia ob consumptionem laborant. Anhelitus, vt notat Galen. 1. de loc. affec. est fœdus, & obscurus, præsertim, quando phthisici iam sunt morti proximi: ita n. adeo debiliter respirant, vt vix respirare videantur, quia calor naturalis iam pene extinctus est. Pulsus languidus est, celer, durus, paruus, obscurus. Ab excrementis mutatis capiuntur similiter complura tabis indicia, id est phthisici solent facile sudare, eo, quod facultas retentrix eorum valde debilis est.

2. ab excrementis.

Præterea, vt habemus ex 5. epid. in hist. cuiusdam mulieris, quæ tabefacta interijt, aluus interdum fluida est, interdum suppressa, & dura, quia facultas expultrix non potest præ debilitate assidua sufficere excretionibus. Solent etiam phthisici nocturnis pollutionibus frequentissime tentari. Et huius rei attulit rationem Arist. 3. probl. 31. vbi scribit phthisicis effluere crebro semē, & fieri pollutiones nocturnas, quoniam in ipsis fiunt colliquationes acres, quæ ad vasa spermatica pertingentes excretricem facultatem irritant.

Ad hæc sputa phthisicorum grauia sunt, & fœtida. Atque Medici pro explorandis sputis phthisicorum sequentes Hipp. 5. aph. 11. solent ea vel inijcere supra ardentes carbones, vel infundere in vas aqueum. Et animaduerti vnum memoratu dignum apud Hippoc. in coacis prænot. vbi videtur significasse, apud Medicos nonnullos morem fuisse explorandi hæc sputa in aqua marina, & in vase æneo. De vase æneo certe firmam rationem non inuenio. At de aqua marina est aliqua ratio, quandoquidem & apud Aristot. in sect. probl. ad mare attinentium, & apud alios scriptores certum est aquam marinam pondera facilius sustinere, quam aquam dulcem, vt forsan ob hoc veteres ad explorandam sputorum tabidorum grauitatem antepofuerint aquam marinam dulci, quanquam Aretæus monuit nec male, hæc signa esse plerumque fallacia, & propterea alia attendenda esse.

Cur defluāt pili. Phthisici habent, & alia duo signa pertinentia ad excrementa mutata. Primum defluuium capillorum. Cum enim in ipsis exhausta sit pene omnis humiditas, fit, vt pili ea humiditate priuati decidant, perinde ac arbores in terra exsiccata arescunt, & cōsumuntur. Secundum, quod pediculi in ipsis copiosi generantur, cuius rei attulit rationem Alex. præscripto loco, videlicet propter corruptionem excrementorum factam a calore putredinali, & febrili.

Cur pediculosi.

3. a qualitatibus mutatis signa. Postremo capiuntur signa phthisicorum ab accidentibus, siue qualitatibus mutatis. Etenim extenuantur, & consumuntur in phthisicis omnes partes tam spermaticæ, quam non spermaticæ, quanquam spermaticæ minus videantur contabescere, & extenuari. Præterea habent semper phthisici febrem lentam, & quæ magis exacerbatur siue molestat noctu quam die, atque hoc propter varias causas. Primum, quia noctu fiunt maiores colliquationes. Deinde, quia fiūt maiores euaporationes. Tertio, quoniam propter silentium, & vacationem sensuum a diurnis curis, solent cuncta mala nocte acerbiora videri quam die.

Difficultas. An febris tabidorum semper sit hectica. Vtrum autem febris hęc tabidorum semper sit hectica febris, dubitatum est a nonnullis. Sed sum ipse in ea sententia, initio febrem non necessario hecticam esse, at in progressu, fieri non posse, quin febris lenta perdurans depascatur humores alimentales, partes solidas, & consequenter febrem hecticam inducat. Nec valet, quod Hippo. 2. epid. scribit phthisicos, quandoque esse absque febre, & cum debili tantum caliditate, quoniam Hippoc. eo in loco minime sermonem habet de vera phthisi, sed de tabe cōmuniter accepta, nisi magis placet loqui de principio phthisis, aut per febrem magnam, quemadmodum sæpe consueuit Hipp. loqui. Facies, vt dicunt Arabes fornatilis est, vel, vt Terentianus ille inquit, cadauerosa, & color charopus, siue glaucus, vt habetis apud Hipp. 3. epid. sect. 3.

Habent phthisici inter alia signa genas rubentes, rugitum ventris, pedes tumidos, & vngues curuos, propter quos scribit Gal. & ante, Hippo. appellasse phthisin morbum ferinum eo, quod vngues phthisicorum curuentur perinde ac vngues ferarum.

Cur vngues curui. Cur autem tabidi habeant huiusmodi vngues, explicat Alex. 1 problem. 18. vbi scribit phthisicis carnes, quibus adhærent vngues consumi, atque ijs consumptis, cum non habeant sustentacu-

stentaculum vngues,& sint terrei, necessaria curari.

Signa nũ vlcus sit in pulmone.

Porro vtrum vlcus sit in pulmone, an in aspera arteria, cognoscitur quoniam vbi ulcus est in pulmone, omnis abest dolor, & vna cum pure excernuntur frusta pulmonum. Vbi autem vlcus est in aspera arteria, dolor percipitur circa ipsins regionem, & excernuntur ramenta cartilaginosa arteriæ. Sunt qui dicunt, si vlcus sit in parte dextra pulmonis, melius decumbere ægros super eam, quam aduersa. Et inter hos est Cassius Medicus 6. probl. med. qui scribit in affectibus pulmonis, iecoris, lienis semper dolorem percipi in latere, in quo nõ decumbitur, eo quod vlcera affecta veluti suspensa manent, sicque maiorem inducunt dolorem. Sed dico ego Cassij sentẽtiam solum veram esse in visceribus, quæ tumore afficiuntur; iam vero in tabe quęcunque illa sit, nullus est tumor, ac propterea non est necessarium, vt huiusmodi signum adsit.

Prognost. Cur vlcera pulmonis insanabilia.

Vlcera pulmonum, vt scribit Galen. 5. meth. & 4. de loc. aff. ca 8. sunt prorsum insanabilia. Et Auicen. conatus est huius rei multas afferre rationes. Verumtamen potissimæ sunt tres allatæ a Galeno 5. method. scilicet, quia vlcera indigent quiete, pulmo autem perpetuo mouetur. Deinde vlcera putrida necesse est expurgare: non expurgantur vlcera pulmonum, nisi per tussim; a tussi vlcera magis refricantur. Postremo si remedia adstringentia administrentur, non penetrant in pectus. Si calida, penetrant quidem, sed augent inflãmationem, si calida, & humida, augent putrefactionem, adeo quod vlcera omnia propter has causas, sunt curatu difficilia.

Sed video statim dubitaturũ esse aliquem, si phthisis vera est prorsus incurabilis, cur & Hipp. & omnes fere Medici proposuerunt curationem phthisis? Nam videtur supervacaneum tradere curationem illius ægritudinis, quæ penitus sit incurabilis. Respondeo, propter multas causas Medicos inductos fuisse ad docendam phthisis curationẽ. 1. quia scilicet, vt inquit Auer. 7. col. sæpe in medicina fiunt monstra, vt desperati etiam sanitati restituantur. Et Hipp. 2. de morb. videtur omne genus phthisis curabile aliquo modo fecisse. Deinde proponitur curatio a Medicis vt, si non possint phthisici integræ sanitati restitui, saltem præseruentur. Nam scribit Auic. se vidisse mulierem a 3. annis phthisicã ope medicinæ præseruatam. Scribit Petrus Aponensis esse aliqua medicamenta, quę a proprietate phth sin curare putantur, vt propter hoc non temere faciant Medici, dum veræ phthisis curam proponunt.

Auenzoar etiam narrat se audiuisse a pastoribus, quod oues vlceratę secundum pulmones diuino quodam instinctu quærunt herbas, vt sibi medeantur, quibus inuentis ab hoc morbo liberantur, & inquit hoc cognouisse Pastores ex cicatricibus pulmonum, quas in mortuis ouibus viderunt.

Aretæus scribit, senes rarissime tentari phthisi, verumtamen si forte corripiantur non perdurare, sed interire. Contra iuuenes, & pueros pingues, carnosos & mulieres frequẽtius tentari sed magis euadere. Quanquã, vt est a. prorrh. mulieres, & virgines, quãdo menstrua nõ fluunt, vix vnquam seruantur. Et habetis apud Galenum lib. de Venæ. S. aduersus Erasist. historiam cuiusdam virginis, quæ ob menses retentos tabida obijt.

Si vlcera sint in aspera arteria facilius curantur, nisi sint vetusta, & exederint cartilagiues. Nã cartilagines discissæ, & excisæ nunquam restituuntur, cum sint puræ spermaticæ partes. Vbi tabidis contingit fluxus alui, & pilorum defluuium, penitus actum est, nec mors longinqua est. Scribit Hippo. 5. aph. 10. autumnum tabidis esse inimicum, id quod scribit 6. epid. 7. 12. vbi addit etiam, ver esse inimicum tabidis, quo tempore folia ficus similia sunt cornicis pedibus. Et miratus sum quãdoque, quod Gal. in com. aphor. citato dixerit, sese nescire, de qua tabe locutus sit Hipp. cum mihi videatur, ipsum clare locutũ esse de qualibet tabe, siue fiat a capite, sine prima originc a pulmone. Siquidem autumnus sua natura est aduersus omnibus morbis, & pręsertim diuturnis; vt cum omnis tabes sit morbus diuturnus, hac ratione omni inimicus sit autumnus.

Curatio. Diæta.

Curatio tabis tres scopos præcipuos habet, vt expurgetur vlcus, vt reficiatur pars consumpta, & vt vlcus consolidetur. Ad quos scopos implendos requiritur debita victus ratio, aer imprimis siccus, propterea, quod dicit Aretæus phthisicis vtilissimum esse, quantum fieri potest, nauigare, eo, quod sicut vlcera externa nauigantium, quemadmodum scribit Aristo. in probl. de mari, siccantur & facile sanantur: sic vlcera pulmonum tacta frequenter ab aere marino, & sallo sanantur, aut saltem præseruantur. Hinc est, quod veteres mittebant phthisicos in Aegyptum potius propter nauigationem, quam ob illud cælum. Plinius, qui scripsit quatuor lib. de re medica

De aere pulcherrima.

capite de phthisi, magnopere laudat, vt tabidi viuant in saltibus, vbi pix nascitur, eo quod aer ille exsiccet, & conglutinet vlcera pulmonis.

Dormiendum moderatissime. Abstinendum a motu, præterquam a gestatione. Cæl. Aurel. laudat, vt phthisici exerceant vocem. Habebant enim veteres inter alia exercitia etiam illud vocis vt nos monstrauimus in gymnastica nostra. Sed hoc minime laudare possum siquidem cantus, & clamor cũ moueat magis pulmones, cõsequẽter refricat vlcera pulmonũ. Imo, Auic. 10. tertij tr. 4. c. 21. peculiariter voluit phthisicis prohibere omnem clamorẽ, & vocis contentionẽ, vt iure Sosymus Plinij ille libertus renouauerit vlcus pulmonum, cum voci operam daret.

Oportet phthisicos alacri animo viuere. Præcipiunt aliqui, & iure, ne Medici sint admodũ solliciti in mollienda tabidorum aluo, quoniam solet faciliter alui profluuiũ his cum magno detrimẽto excitari. Cibi debent esse omnes sorbiles, quia masticatio incommodat affectis pulmonibus. Fieri possũt ptisanę varię pro phthisi ex hordeo, ex alica siue farre. Soleo ẽt ego parare ex milio, quod facultatẽ exsiccandi non ignobilem habet. Hipp. 2. de morb. laudat cremorẽ lentis,

quia lens refrigerat, & exsiccat. Quare potestis etiam vos huiusmodi cremorem vsurpare. Aues contusę, carnes hędinę, vitulinę contusę conueniunt. Et vt magis detergere possit, licet lac modo amygd. modo nucleorum pini, modo etiam caprinum admiscere. A proprietate prę ceteris

Cancri fluuiatiles.

maximo commendantur cancri fluuiatiles. Sed circa cibum duo sunt obseruanda. Vnum est, vt edulia mutentur, quia cum in ipsis facile appetitus imminuatur, nisi varietate ciborum sustẽtetur appetentia, facile abhorrent cibos. Aliud est, vt cibus sępe exhibeatur, sed in modica copia, quoniam cum facultas coctrix in phthisi sit valde imbecilla, oportet, vt sustentetur vires, copiam ciborum iustam exhibere, sed vt concoqui possint cibi, in pauca quantitate.

Potus.

Pro potu autem conuenit aqua fluuialis cocta, qua etiam possunt omnia fercula coqui; Conuenit quoque aqua hordei, Item aqua cocta cum glycyrrh. Vinum etiam austerum, sed pauciferum, mulsa optime diluta. Nec valet, quod Gal. 10. meth. & cap. 9. de Marasmo, dixit extenuatis, & marasmatis non conuenire mel, quia in his corporibus aridis, & febriculosis facile inflãmatur, siquidem Gal. loquitur de melle solo, non autem, de melle aqua castigato, vt est mulsa, præsertim quando fit ea quarta vel quinta parte mellis ad aquam.

De vsu lactis.

Pro reficienda parte ab vlcere consumpta omnes anteponunt ceteris remedijs lac, de quo licet pridie nonnulla sint dicta, nunc tamen nonnulla supersunt dicenda, circa ipsius vsum, scilicet, quod lac administrandum sit, quomodo, quantum, & quando. Lac humanum ceteris omnibus melius esse nullus in controuersiam vocabit. Post humanum est tum caprinum, tum asininum; ita tamen, vt capræ, & asinæ alantur illis cibis, qui commodi sunt, vt alias monstraui. Et

Error apud Serenũ correctus.

notate, apud Serenum Medicum errorem esse, quoniam cum in curatione phthisis commendat carnem asinę, legendum est loco carnis lac.

Modus administrandi hoc remedium est, vt, si fieri potest, lac ex ipsis mammis ægri sugant, quod si negetur, secũdum est, vt prouideatur, quo lac statim, atque expressum est, sorbeatur, ne mutationem ab aere patiatur.

De quantitate ita decernendum est, vt incipiatur ab ℥. ij. plus minusue, & augeatur dosis vsq; ad ℥ vj. prout apparet ventriculum lac recte conficere.

Tempus capiendi est 5. horis ante alios cibos. Et notandum, vt sumpto lacte ægri, nec dormiant, nec moueãtur, quoniam somno fiunt maiores in caput euaporationes, motu fit potius confusio, quam recta distributio, præterquam quod motus impedit etiam perfectam coctionẽ. Plerique laudant, vt commisceatur mel, ne acescat in ventriculo. Sed multo iucundius est saccharũ quam mel, tametsi in initio vlceris forsan melius est mel, quippe quod magis absterget. Pro qua etiam intentione solemus vti, & confectutis, & morsellis, qui grati sint, & nutrimẽtum

Morselli.

optimum præstent. Ego enim soleo hoc vti.

℞. Carnis caponum ℥ j. ß.
Carnis testudinis.
Cancrorum fluuiat. an. ℥. j.
Sem. papau.
Melonum.
Nucleorum pini.
Amygd. dulc. an. ℥. ß.
Tragac.
Gummatis ana. ʒ. j.
Cynnamomi.
Caryoph.
Sem. fœn. an. ℈. j.
Sacch. fini in aq. rosar. dissoluti q. s. f. morselli, ℞. a.

Quorum capiuntur duę, vel tres drachmæ tribus horis antè prandium, & post bibitur iusculum, vel capi, vel vituli, vel alterius laudabilis carnis.

Post hæc cogitandum est, de remedijs chirurgicis. Nam Hipp. 5. epid. 6. in historia viri illius in Emadis narrat, se in eo ægro vidisse, cuncta alia remedia fuisse vana, confugisse ad sanguinis missionem, & misso sanguine vsque ad animi defectum curasse illum tabidum.

Habemus etiam historiam relatam a Gal. 6. epid. illius mulieris, quæ erat mirum in modum extenuata; & cui se cum magna vtilitate detraxisse sanguinem in magna copia narrat, vnde motus quidam Leonardus vocatus, qui scripsit de curatione per sanguinis missionem, ausus est non solum laudare eam in phthisi, verumetiam testatur se plurimos hoc remedio persanasse. Sed veritas est, in vera phthisi nunquam cogitandum esse de vlla sanguinis missione.

Neque valet auctoritas Hip. aut Gal. siquidem Hip. si curauit illũ virum, minime erat verus phthisicus, sed consumptus, & extenuatus propter ingentem dissipationem, quę fiebat a nimio calore. Vnde sanguinis missio non absq; ratione sibi contulit: quemadmodum in Romana illa contulit, quoniam ex suppressis mensibus inciderat in eam corporis consumptionem. Adeo vt nugatus sit, qui putauit in phthisica ægritudine conuenire sang. missionem.

Curatio tabis a vitio capitis.

Vbi fit tabes capitis vitio solent Medici cõfugere ad cauteria super commiss. coronalem. Sed nisi hoc initio adhibeatur, superuacaneum est. Celsus lib. 3. c. 22. commendauit exulcerationes factas subtus mentum in scapulis, in mammis. Praxagoras quoque apud Cæl. Aurel. 2. de diut. pas. c. vlt. laudauit exulcerationes ad euocandas materias, & pulmones excitandos. Sed puto potius Celsum intelligẽdum esse de empyemate, quam de phthisi. Et nisi fallor, caput illud Celsi

est

est valde contaminatum, quia miscet paralysin cum Empyemate: quæ ægritudo distat nõ minus, quam cœlũ, & terra. Nam Aegin. lib. 6. c. 44. laudat easdem exulcerationes in Empyemate.

De alijs remedijs Diocles apud Cæl. Aurel. laudauit in phthisi vomitũ. Sed si Hipp. 4 aph. 8. damnat vomitum in ijs, qui dispositi sunt ad suscipiendam phthisin, multo magis damnandus est in illis, qui iam phthisi sunt capti. Sed quid dicemus ad eundem Hippo. qui lib 2. de morbis, manifeste commendauit helleb. in phthisi? Respondeo, veteres potuisse multo securius helleb. administrare, quam nos possumus, quia vt sæpe dixit Gal. Hip. & omnes veteres diligentissime præparabant helleb. vt blande purgaret, nec læderet: præterquam, quod si recte animaduertentur verba Hipp. eo in loco minime loquitur de vera, & perfecta tabe.

Circa purgatione phthisicorum notanda.

Cum igitur non liceat, neque vomitum facere, neque grauiter purgare tabidos: si quando opus est lenire aluum, quod tamẽ faciendum est, & parcissime, & prudenter, ne alui fluor subsequatur, potestis exhibere, vel mannam, vel mel rosat. sol. vel ius ex prunis dulcibus: ita tamen, vt blande, & parce aluus ducatur.

CAPVT VIII.

De Angina.

Nomina.

DEstillationem capitis solet quoque consequi ille affectus, qui nuncupatur a Latinis angina, a barbaris squinantia. Et quoniam hæc res apud Græcos satis implicita, & obscura est, breuibus docebo nomina Græcorum, quibus appellant huiusmodi ægritudinem. Nam, vt scribit Trall. capi. de Angina, & Aretæus lib. pri. acut. cap. 7. Græci solent communi nomine omnem speciem anginæ vocate synanchen.

Ceterum, qui proprie, & distincte loquuntur, alias appellationes faciunt. Nam, aut hic morbus fit in larynge, aut in faucibus. Qui in larynge, aut efficitur in musculis internis, aut externis. Si nascatur in internis, proprie appellatur κυνάγχη, aut λυκάγχη, vel quia canes, & lupi frequenter tentantur hoc morbo, vel quia ægri sub hoc tormento exeũt linguam, perinde, ac canes, & lupi. Si oriatur in externis, secundum Auic. & Paulum Aegin. vocatur παρακυνάγχη.

Definitio.

Dixi secundum Paulum, & Auic. quia Cæl. Aure. scribit vocari παρακυνάγχην, quoties altera tantum pars laryngis afficitur. Si hæc affectio fiat in faucibus, aut fit in partibus internis, aut externis, vocatur συνάγχη, vel ὑάγχη, eo, quod sues creberrime huiusmodi ægritudine laborant. Vnde apud Plautum in Trinummo, nescio quis dicebat sues angina interire acerrime; sin in externis, vocatur παρασυνάγχη. Atque hoc pacto potestis versari in intelligendis Medicis Græcis. Nam definiebat Praxag. nil esse aliud, quam præfocationem vehementem ex tumore; siue tumorem faucium, & laryngis vehementer perforantem. Veritas autem est secundum Gale. & omnes Græcos, proprie hunc morbum nil aliud esse, nisi inflammationem, vel faucium, vel laryngis, siue, vt definiebat Soranus, est difficultas transuorandi, atque præfocatio acuta, ob vehementiam tumoris faucium. Dicitur præfocatio acuta, vt distinguatur a tonsillis; additur ob tumoris vehemẽtiam, ad differẽtiam affectionis ex laqueo. Ex quo facile potest vnusquisq; comprehẽdere, quis sit proprie locus affectus in hac ægritudine, necnon etiam quis affectus sit, quandoquidem, cum, vt intellexistis, sit inflammatio, necessario sequitur, vt sit morbus in magnitudine aucta, in mala intemperie. Addo etiam morbum esse in via. Et ratio est, quia respiratio in hac ægritudine impeditur, & læditur immediate ab angustia viarũ spiritualium, quæ angustia plane morbus est in via.

Morbi genus.

Fit autem hic morbus ab humoribus, qui vel colliguntur paulatim in ipsa parte, quæ afficitur, vel a capite in eas partes mittuntur. Sunt autem humores, qui faciunt hanc inflammationem vel acres, & biliosi, vel sanguinei, vel pituitosi. Sed vtrum melancholici succi faciant quoque hanc ægritudinem, dubitatum inueni. Nam Constantinus Aphricanus Medicus olim celeberrimus manifestissime negauit anginam fieri posse ab humore melancholico, impulsus hac potissimum ratione, quod humor melancholicus suapte natura sit tardus, frigidus, & pene immobilis: angina vero sit morbus acutissimus, calidissimusq; & propterea minime morbus acutus, & calidus videatur fieri posse ab humore tardo, & frigido,

Causæ. Num ex melancholia fiat.

Constantino videntur fauisse Galen. qui, vbi loquitur de causis anginæ, ferme nunquam meminisse videtur alterius humoris, quam biliosi, sanguinei, & pituitosi. Auic. 9. tertij cap. de angina, contradixit anginã quoq; fieri ab humore melancholico, sed quam rarissime. Pro resolutione dico, anginã, vel fieri in larynge, vel in faucibus. In larynge nunquam fieri potest, ab humore melancholico, sed tantũ ab humore bilioso, & sanguine, quia in hac parte vasa sunt, tam angusta, vt non sint capacia humoris crassi, & lenti, cuiusmodi est humor melancholicus. Si autem loquamur de ea, quæ fit in faucibus, dico hanc fieri posse, etiam ab humore melancholico, quia ibi vasa sunt ampliora, vt recipere possint humorem melancholicum. Quod scribit Constantinus Aphricanus, humorem melancholicum non posse morbum acutum producere, verum quidem est aliqua ex parte, sed minime ex toto verum, eo, quia tametsi ratione sui hic humor faciat morbos longos, attamen ratione loci facit morbos acutos, & perniciosos.

Igitur hoc verissimum est, anginam fieri frequentissime ab humoribus calidis, & acribus,

quemad-

quemadmodum teſtatum habetis apud Galen. Com. 3. Apho 22. Rarius fit angina a ſanguine; rariſſime a pura pituita. Immo vero, quæ efficitur a pituita potius ſpuria eſt angina, quã vera: Dico a pura pituita, quoniam a ſanguine pituitoſo certe fit frequentius.

Cauſę media ta, interna.

Cauſæ mediatæ, ſed internæ, ſunt ſexus, de quo ſermonẽ habens Cæl. Aurel. ſcribit frequentius viros exerceri angina, quã mulieres: & inter viros frequentius tentantur iuuenes, quã pueri, & ſenes: Habitus corporis inter has cauſas connumerandus eſt. Nam, qui habent caput magnum, collum breue, caput, & corpus plenũ ſanguine, faciliter, & frequenter tentantur angina.

Ex cauſis præternaturalibus eſt violentus vomitus, a quo exacerbatæ fauces facile inflammantur; hæmorrhoides retentæ, menſtrua retenta Hipp 2. epid. 2. Gale. 4. de loc. aff. 3. ſcribit luxari, quandoque vertebras ſuperiores intro, & ex hac luxatione fieri anginam.

Cauſę exter na.

Cauſæ externæ complures quoque ſunt, inter quas primum locum obtinet aer calidus, & humidus, frigidus, & humidus.

Scribit enim Hipp. 3. aph. 16. vbi fiunt imbres frequenter graſſari anginas. Sic in regionibus humidis graſſantur hi morbi. Potiſſimum autem fiunt vere, & autumno, vt eſt apud Hippo. 3. aph. 20. & 22. Refrigeratio capitis, exercitatio, quæ fit capite ad terram inclinato, clamores, vociferationes, quæ magnam vim habent ad producendas anginas. Sicut, & potus vini meracioris, ſtrictura colli, cibi calidi, & potus calidi actu. Vnde qui non poſſunt expectare, vt edulia refrigerentur, facile incurrunt in hanc ægritudinem.

Sunt quoque nonnulla, quæ ſcribit Auic. facere a proprietate anginam, vt ſunt fungi, nimius eſus ceraſorum, eſt etiam quoddam medicamenti genus Andacocca dictum.

Signa.

Futura angi na.

Signa. Anginam optimum eſt præcognoſcere, antequam adueniat, quoniam cum ſit morbus pernicioſiſſimus, niſi præcaueatur, ſolet repente homines iugulare. Igitur vbi videbitis aliquem ſine manifeſta cauſa vix poſſe mouere collum, vix poſſe deglutire, difficulter reſpirare, deſtillatione laborare, & calorem inſuetum circa fauces, & laryngem percipere, ſtatim ſuſpicari debetis, ne fiat angina.

Facta angi næ ſigna cõ munia.

In larynge.

Factæ autem anginæ aliæ ſunt ſigna communia, alia vero particularia. Communia ſigna ſunt, ſecundum Hipp. lib. 2. de morb. inſignis difficultas deglutiendi, loquendi, reſpirandi, & ſtertor. Hæc omnia ſunt ſigna communia omni anginæ in genere. Ceterum, ſi morbus ſit in larynge, cognoſcetis, quoniam prȩter ſigna antedicta ęgri vix vident, parum audiunt. Si in ore videatis, nihil apparet tumoris, nihil ruboris: & tamen dolor adeſt non exiguus, calor quoque non obſcurus: torpor articulorum, inquietudo tanta, vt nequeant ęgri loco conſiſtere, nec locum accommodatum reperire.

Si fiat in faucibus, cognoſcetis, quia ſi intueamini fauces, apparet rubor, calor, ad tactum dolor excitatur vehemẽs. Ad hęc adeſt inſignis difficultas deuorandi, & ſi malum augeatur, ſiue in larynge, ſiue in faucibus, augentur etiam huiuſmodi ſymptomata, & non modo augentur, verum, vt notat Cęl. Aurel. noua oriuntur, etenim oculi prominentes redduntur, ſanguinolẽti, & rubentes, fit venarum extenſio, linguę extra dentes emiſſio, articulorum gelidus torpor, vocis amputatio, pulſus celerrimus, denſus, iacendi in quacunque figura difficultas, aliquibus caninus oris ſonus, aliquibus oris ſpumatio. Ceterum ſi fiat inflammatio in partibus externis, ſiue faucium, ſiue laryngis, cuncta ſymptomata relata, multo mitiora ſunt. Neq; enim adeſt tanta difficultas deuorandi, neque tanta anhelitus difficultas, non adeo loquela impeditur. Et vt ſummatim dicã, multa ex relatis ſymptomatis deſiderantur in angina, quę fit in partibus externis.

Vtrum ſemper adſit febris.

Sed dubitatur, vtrum ſemper anginam comitetur febris. Hipp. enim in 2. de morb. tradẽs modum generationis anginę, ſcribit aliquando fieri cum febre, quaſi vt plurimum ſine febre. Idẽ quoque ſcriptum habetis a Gal. 4. aph. 25. necnon a Cęl. Aurel. 3 de acut.

Ex altera parte angina eſt morbus acutiſſimus. Et Gal. 1. aph. 2. ſcribit, nec non. 3. de difficultate ſpirandi, febrem inſeparabilem eſſe a morbo acuto. Quod ſi quandoque Galen. dixit morbos aliquos acutos eſſe ſine febre, vt apopl. & epilep. minime tamen connumerauit anginã inter huiuſmodi morbos. Reſpondeo, febrem aut eſſe accidens purum, aut morbum eſſentialem; febrem, quę eſt accidens, vt ſcribit Gal. 5. aph. 66. veteres non dignatos eſſe nomine febris.

Signa angi- næ. A bile.

Vnde phrenitin, & pleuritin non appellabant febrem, etſi febris perpetuo cõiuncta ſit his morbis: propterea quoties veteres Medici dixerunt, anginam eſſe ſine febre, locuti ſunt de febre eſſentiali, non de ea, quæ accidens: quia apud ipſos hęc non erat vera, & legitima febris. Vel dicere poſſumus, anginam aliam eſſe propriam, & legitimam, aliam ſpuriam. Legitimę ſemper copulatur febris, vel accidentalis, vel eſſentialis: angina ſpuria ſępe eſt ſine febre: quia fit a pituita, fit extrinſecus, vnde iure febris illi nulla coniungitur, aut admodum exigua, & de hac loquutus eſt Hippocr. Galen & alij. Si fiat angina ab humoribus bilioſis, & acribus cognoſcitur, quoniam febres maiores ſunt, ſitis maxima, amaror, & acrimonia percipitur in ore, dolor inſignis eſt, & ſi ora ſpectentur, colore pallido infecta ſunt: tumor tamen eſt exiguus. Si efficiatur a ſanguine, cognoſcitur in primis ętate iuuenili, complexione ſanguinea, vultu ſanguine repleto, calor, & dolor inſignis eſt in faucibus, tumor maior, febres magnæ. Si efficiantur a pituita, cognoſcetur ſimiliter ætate, & complexione pituitoſis. Nulla eſt coloris mutatio in faucibus, exiguus dolor, tumor effatu dignus, exiguus calor, febris aut nulla, aut ſatis languida.

A sãguine.

A pituita.

Prognoſt.

Omnis angina pernicioſa eſt, non tamen neceſſario lethalis, vt iure Hippocr. lib. primo de morb. connumerauerit anginam inter morbos dubios, qui neque ſalutem, neque necem inferunt; attamen omniũ pernicioſiſſima eſt illa, quę fit in larynge, & prętertim in intima parte.

De hac

De hac enim loquens Hippocrates 3. lib. progn. dicit iugulare ante quartum diem.

Securior autẽ est angina, quæ fit in partibus externis, siue sint paries faucium, siue laryngis. Sed circa hoc quoddam documẽtum affert Cęl. Aurel. scilicet vt animaduertamus, an tumor, seu erysipelas, extrinsecus apparens prius morbo adfuerit, an posterius, an cum ipso morbo. Si posterius bonum est, quia significatur morbum ex intimis partibus ad exteriora manasse, si vero affuerit prius morbo, vel simul concurrerit, omnia mala significantur. ratio, quia tam intus, quam extra morbus est.

Postremo si materia anginæ ad pectus vertatur malum, quia, vel intra septem dies moriuntur, vel si has effugerint, & eadem materia in thoracem ruat, suppurantur, vt docet Hippocr. 3. progn. & 5. aphor. 10.

Curatio indicationes. Curatio eosdem scopos requirit, quos requirunt aliæ inflammationes, scilicet, vt prouideatur, ne inflammatio augeatur, & vt quæ facta est, omnino aboleatur. Febris coniuncta anginæ, cum sit accidens consequens inflammationem, nullam requirit propriam curationem, sed tollitur ad ablationem inflammationis. In hac ægritudine, quæ acutissima est, non requiritur diligens victus inuestigatio, siquidem opus habet tenuissimo admodum victu, vnde vini abstinẽtia perpetua esse debet, pro cibo, vel succus hordei subtilissimus, vel mulsa, vel panatella ex aqua tenuissima. Sed percunctabitur aliquis, quomodo debeat Medicus se gerere in nutriendo; quoties æger non potest deglutire. Id enim solet frequentissime contingere in angina. *Victus ratio.*

In hac necessitate, aut vi liquida panatella immittenda est in os, aut clysteres immittẽdi sunt facti ex ptisana, carne contusa, ex ouo, & iure. Nam alios docui, secundum veteres Medicos clysteres nutrire. Siquidem natura in summis necessitatibus amantissima vitæ humanæ vtitur pro sustentando corpore admirabili prouidentia, vt faciat partes alendas attrahere miro modo ab intestinis.

Victu bene instituto conuertendum est studium omne ad prouidendum, ne inflammatio augeatur continuo humorum fluxu, ea propter statim conandum est reuellere, & retardare impetum materiæ frictionibus, ligaturis, cucurb. siccis, pręsertim autem clysteribus acribus, quos Aretæus mirum in modum commendabat in hac ægritudine. Sed præ ceteris omnibus maxime solet prodesse sanguinis missio, de qua nonnihil controuersiæ videtur, siquidem Celsus lib 4. cap. 4. & Rases 9. ad Almanf. scribunt, mittendum esse sanguinem, si plenitudo adsit, sin minus, oportere vti medicamento purgante. *Venę sectio.*

Ceterum omnes fere alij Medici Græci putarunt, in omni angina mittendum esse sanguinẽ. Et ipse quoque sum in hac sententia, etiam citra plenitudinem corporis mittendum esse sanguinem, modo nihil prohibeat, eo, quia morbus est validus, plerumque sanguineus, & si non vniuersalis, saltem particularis semper repletio, seu plenitudo adest.

Differen. Nam vsque ad animi deliquium secanda venę. De quantitate mittendi sanguinis Aretæus, & Auic. putarunt mittendũ vsq; ad animi defectum. Sed licet Galen. quandoque, vt 1. aphor. dixerit, in omnibus magnis doloribus mittendum esse sanguinem vsque ad animi defectum, verumtamẽ in hac ægritudine, vbi maximum periculum imminet, nõ possum laudare eam sanguinis missionem, quæ vires maxime deterit. Itaque multo securius est, mittere pluribus vicibus, quam secus: id quod forsan significare voluit Hippoc. 4 de acut. tract. 30. quando scripsit, sanguinem mittendum esse a brachijs, quantũ velit, copiose quidem detrahi sanguinem, sed non vnica vice, nec confertim.

De loco ita decernendum, vt si vel hæmorrhoides, vel menses sint suppressi, ab infernis partibus sanguis dematur: sin minus, mittere oportet a brachijs, & primum a brachio eius partis, quæ magis affecta est, deinde ab altero brachio. Obseruandum id, quod monent Aretæus, & Aetius, vt semper foramen amplum in pertundenda fiat vena, quia sic inflammationis incendium maxime minuitur. Secta vena si malum adhuc pergat, solemus confugere ad cucurb. quæ apponuntur dorso scarificatæ, & si his remedijs non superet malum, Hippo. loc. cit. & 2. de morb. præcipit, vt veniatur ad incisionem venarum sub lingua, & Arist. 8 de histor. cap. 21 monstrat morem fuisse porcariorum, vt cum sues tentarentur hoc morbo, sibi sanguinem demerent missis subtus linguam venis. *Hipp. locus.*

Cal. Aurel. reprehendit Hipp. Verum Cæl. Aurel. lib 3. acut. cap. 4. in duobus criminatur Hipp. primo, quia superius dixit sanguinem esse mittendum ab ambobus brachijs, siquidem (ait is) copiosa sanguinis missio animi defectionem facit.

Præterea damnat incisionem venarũ sub lingua. 1. quia hac sanguinis missione maior fit attractio sanguinis ad partem affectam. 2. quia cum in hac missione sanguinis oporteat collum ligare, periculum imminet, ne ægri magis strangulentur. Postremo, quia solet sanguis copiose effluere, nec potest coerceri, id quod valde periculosum est.

Sed pace Cælij huiusmodi accusationes aduersus Hippoc. nullius prope sunt momenti. Nam sectio vtriusque brachij, si fiat in pauca copia, & prudenter quemadmodum vult Hippoc. nullum detrimentum inferre potest. Similiter sectio venarum linguæ adhibita, post vniuersalem euacuationem nullo modo attrahere potest nouam materiam, aut saltem non ita vt effatu dignum nocumentum accedat, immo scarificationes linguæ videntur magis posse attrahere, quas tamen ipsemet Cælius commendat cap. 3. eiusdẽ libri. Præterea laqueus bene adhibitus, quemadmodum eleganter docet Oribasius lib. 7. Collect. cap. 9. non auget inflammationem. Sicuti etiam si prudens sit minister facile sit, vt sanguinis fluor statim arceatur medicamentis accommodatis, vt sunt pili leporini, aloe, cum albumine oui, sanguis drac. bolus armen.

Si æger

Si æger post sanguinis missionem deuorare potest, ex Hipp. præcepto vtendū est purgatione. Immo, Alex. Trall. narrat se eadem die misisse sanguinem, & corpus purgasse, neq; male; quia aduersus celerrimum, & acutissimum morbum certandum est celeriter, & medicamentis vehementissimis, propter quod forsan Alex. vsus est scammonico. Quanquam, si libere loquendum est, vsus medicamenti adeo efficacis in morbo calidissimo nō placet: nisi dicamus scammoneum veteribus vsitatissimum, multo melius parari consueuisse, quam nunc. Igitur potus, qui præberi potest purgatorius sic erit:

Potus purgatorius.

℞. Elect. de psyllio ℥ iij.
Mannæ.
Mellis rosſ solut. an ℥. ij.
Decocti pectoralis q. s. m. & f. potus.

Purgato corpore cōuertendum est studium ad medicamenta, quæ possint magis immediate, tum repellere materiam irruentem, tum consumere eam, quæ fluxit. Atque hoc facere solemus, tam internis, quam externis medicamentis. Hipp. lib. 2. de morb. intern. vtitur suffumigio quodam ex medicamentis acribus, quod per fistulam iubet attrahi ore; sed Cæl. Aurel. reprehendit Hipp. etiam in hac re: neque ego possum commendare admodum hoc consilium, siquidem omnia suffumigia propter vim igneam acrimonia quadam pollent, qua locum affectum magis exasperant, & feriunt. Vt tanto minus amplectendum sit hoc auxilium, si ea medicamentis calidis, & in initio, vel augmento morbi efficiatur suffumigium.

Num suffumigia conueniant.

Quare magis laudo vsum gargarismi. Sed quod esse debeat gargarismā, non ita certum est. Hipp. enim 4. de acutis 30. manifestissime præcipit, vt sint calida gargarismata; & 3. de morbis componebat gargarismata ex medicamentis calidis, adeo vt Hippoc. sententia, nōn solum intelligenda sit de medicamentis actu, verumetiam potentia calidis. Sed nisi intelligatur Hippoc. de angina facta ab humore pituitoso, & de ea, quæ iam tota consummata est, certe huiusmodi consilium valde periculosum est.

Et propterea multo tutius est, ita procedere in vsu gargarismatum, vt alia in initio, alia in augmento, alia in statu, & in declinatione vsurpentur. Initio, & præsertim quando nondum quicquam materiæ fluxit, sed tantum futura angina timetur, vtendum est gargarismo pure frigido, & repellente, vt est istud.

Gargarism. In augmento.

℞. Flo. rof. rub. P. j.
Fol. plantag.
Rubi an. M. j.
Sumach.
Balaustiorum an. ℥. ß. f. decoct. f. a.

Deinde *℞. d d lib. ij.*
Dia moronis ℥. iiij. M. & f. gargarismus.

In augmento possumus prædictis addere ea, quæ aliquantisper discutiunt, & concoquunt. Eiusmodi sunt flo. chamom. caricæ, furfures, fol. origani. In statu sunt administranda ea, quæ sine vlla adstrictione, vel repulsione concoquunt, & dissipant. Vnde Galenus 6. de med. loc. vtebatur myrrha, croco, & sapa: scilicet, vt simul attenuaret, & dissiparet humores fluxos. Vos quoque potestis vti huiusmodi decocto.

In statu.

℞. Fol. satureiæ.
Orig.
Chamæm. an. M. j.
Caricas nu. x. f. decoctum, & hoc decocto f. gargarisma.

Sed notandum est, dum huiusmodi gargarismata dissipantia vsurpantur, vt diu ore teneantur, quo possit materia fluxa melius coqui, & dissipari. In declinatione postmodum iis vtendum est, quæ habent vim adhuc maiorem attenuandi, dissipandi, & exsiccandi, vt est sinapi, piper, pyrethrum, nitrum.

Hæc enim omnia in puluerem redacta solemus per fistulam paruam insufflare in fauces, & quod dixi de medicamentis internis, simili pacto cogitare oportet de medicamentis, quæ extrinsecus administrantur, quæ id potissimum habere debent, vt nunquam adstringentia, & repellentia sint. Siquidem si repellentia, & adstringentia extra etiam in initio administrentur, nemo non videt periculum imminere, ne materia repellatur intus ad partes affectas. Hinc non sine ratione veteres, & recentiores practici extrinsecus, in curanda angina adhibent stercus humanum, caninum, mel anacardinum, cyminum, caricas, &c. quæ vim habent attrahendi ad externas partes.

Notare debetis circa externa remedia, vt semper calida actu apponantur, & vt crebro permutentur, siquidem feruor inflammationis adeo exsiccat medicamenta, vt inefficacia penitus reddantur.

Sunt apud Medicos in vsu aliqua remedia, quæ putantur conferre a proprietate; & inter alia est hirundo exsiccata saleconditta, & in puluerem redacta. Cellus, & Scrib. Largus, qui dixerunt hoc remedium esse vulgare, magnis laudibus, vt potentissimum extollunt. Est enim in consuetudine accipiendi huius pulu. ℥ j. vel ij. cum sapa, vel melle violato.

A proprietate in angina conuenientia.

Practici plerique male veterum consilium intelligentes existimant, beneficium hoc tribuendum quoque esse nido hirundinis. Sed veritas est, hanc vim habere auē, non nidum. Aretæus, & Cæl. Aurel. ex sententia Asclepiadis proponunt, vt in extremo periculo strangulationis incidatur aspera arteria, vt per foramen possit spiritus reddi, & ita suffocationis periculum euitari.

Apertio asperæ arteriæ.

Sed

Sed non potest mihi hoc placere tanquam nimis periculosum. Nam preterquam quod ex vulnere additur inflammatio inflamationi, habet etiam hoc remedium illud malum, vt vulnus asperæ arteriæ, vel nunquam, vel ęgerrime coalescat. Cum igitur Hippo. præceperit Medicum exercendum esse in eo, vt non lædat, si non iuuet, certe ab hoc auxilio est abstinendum.

CAPVT VIIII.

De Pleuritide.

Nomen.

ANginã sequitur alter morbus, neque loco neq; natura multũ ab ipso remotus, qui vno tãtum vocabulo a Græcis vocatus est Pleuritis. Barbari appellarunt modo pleurisin, modo pleuritidem, nomine Græco. Celsus elegãtissime, & pleriq; alii Latini maluerũt appellare lateris dolorem, & Serenus Medicus testatur populariter vocatũ esse telum, eo, quod instar teli cuiusdã dolor pũgitiuus fiat, quemadmodum hodie non dissimiliter, vocatur a populo, la punta.

Definitio.

Est hic affectus breuiter definitus a Gale. 6. aphor. 33. 4. de causis pulsuum. 8. & 5. de loc. aff. 3. quod sit inflamatio membranæ costas succingentis. Auicen. 1. tertij tracta. 4. cap. 1. addidit in Pleur. inflammari etiam interdum musculos costarum, tam internos, quam externos. Sed si, & nominis rationem, & Galenum sequamur, vera Pleuritis est ea sola, qua inflammatur membrana, quæ a Græcis Pleura vocatur.

Morbi genus.

Atque hinc duo colligere potestis, vnum non bene Latinos expressisse hãc ægritudinem nomine doloris lateris: quia dolor lateris fit quidem ab inflamatione membranæ, sed plerumq; fit sine vlla inflammatione, vel a flatu, uel ab aliquo alio humore. Alterum Pleuritin esse morbum in mala intemperie, quemadmodum omnis inflammatio, in aucta magnitudine, quia tumor, & in solutione continui, ut satis testatum facit dolor, qui perpetuo comitatur, ut non mirum sit adeo grauem esse, cum ex tribus morborum generibus conflatus sit.

Locus affectus.

De loco affecto disputatur apud Cæl. Aurel. Nam Herophilus, nescio qua ratione, existimauit locum affectum esse pulmonem, Cęl. Aurel. respiciens febrem, putauit locum affectum esse totum corpus. Sed ueritas est, affectum locum esse membranam, qua cinguntur costæ.

Vtrum autem dextrum latus, an sinistrum frequentius, est res tum obseruata, tum etiam ratione aliqua confirmata. Primum enim Rufus, Rases, & Auic. videntur testari, frequẽtius fieri pleuritin in latere sinistra. Ratio etiam videtur hoc confirmare; quandoquidem latus dextrũ, cum sit calidius sinistro, sua hac caliditate consumit humores, ut uel difficulter colligantur in tumorem, uel collecti faciliter dissipentur, ac finiantur.

Causa.

Causæ effic. huius tumoris nullæ sunt aliæ. nisi humores, uel paulatim collecti in affecta parte, vel ab alijs partibus eo transmissi. Ceterũ, qui potissimum humores Pleuritim faciant, a Scriptoribus medicinæ inuenitur diuersimode definitum. Verumtamen, si sequamur, quæ scribit Hipp. lib. de loc. in homine, & 1. & 3. de morb. similiter Galen. 6. aph. 33. & Auicen. loco citato, huic in modum definienda est huiusmodi controuersia: scilicet veram pleuritin plerumque fieri ab humore, vel bilioso, vel sanguineo; raro autem a pituita, vel a melancholia.

Nam quando Hipp. 6. aphor. 35. scribit eos, qui acidum eructant, non admodum fieri Pleuriticos, vt interpretatur Galen. nil aliud nos docere voluit, nisi rarissime fieri pleuriticos, vel a melancholia, vel a pituita. Siquidem acidus ructus consequi solet, vel melancholiam, vel pituitam; quorum humorum, & non aliorum proprius est sapor acidus. Vt hac ratione huiusmodi ructus habentes rarissime capiantur a pleuritide, quia in ipsis abundet, vel melancholia, vel pituita, quæ raro faciunt Pleuritin.

Causa vero, propter quã & pituta, & melacholia raro faciãt Pleuritin explicata fuit ab Aui. loc. cit. vbi scribit hos humores pigros, & crassos existẽtes, haudquaquã facile moueri, & in mẽbranis colligi, in quibus tamẽ, & biliosi, & sanguinei succi promptius, & frequẽtius colligũtur.

Difficultas notanda.

Præter has causas pleuritidis internas, & immediatas sunt quoq; aliæ internæ, sed mediatæ, imprimis ætas, de qua Cæl. Aurel. scribit, senes faciliter tentari, difficulter iuuenes, difficilime autem pueros. Sed dubitari merito potest, qui fiat, vt Pleuritis sit effectus humorum calidorũ: & tamen in ætate frigida, qualis est senectus, frequentius gignatur, quam in iuuenili ætate, quæ & biliosa est, & calida. Respondeo, in iuuenibus non ita facile fieri Pleuritin, quoniam calor ipsorum, & præsertim pectoris, adeo potens est, vt humores consumat, & dissipet, priusquam in tumorem colligantur. Id ius etiam videntur habere pueri.

Ceterum, senes alia ratione capiuntur facile Pleuritide, quia cum suapte natura tussiculosi sint, fit vt perdurante tussi pectus vehementer patiatur, in qua motione membrana dissoluitur a costis, atque diuulsa primum repletur flatibus, mox sanguis flatum sequens replet cauum diuulsum, atque ita tumorem faciens Pleuritin procreat.

Cur pleuritis senis minus periculosa, quam iuuenum.

Sed illud notandum hanc Pleuritidum senilem, minus interficere senes, quam iuuenes, propter duas potissimum causas, 1. quia senes, cum habeant pectus frigidum, non insigni inflammatione tentari possunt, 2. quia cum a natura plerumq; frigidi non habent opus magno expiratu, & propterea non coguntur mouere pectus, nec consequenter tumorem augent.

Contra autem in iuuenibus, in quibus præterquam, quod fieri soleant ingentes inflammationes,

tiones, contingit, vt vehementer respirent, & magna huiusmodi respiratione inflammationem augeant. Sexus pariter inter has causas recensetur, nam viri frequentius tentantur, præsertim, quando hæmorrhoides retentæ.

Huc spectat habitus corporis, quippe illi, qui sunt corporis habitu duro, qui billosi sunt, qui aluum adstrictam habent, facile morbo laterali tentantur.

Nam, si verum est, quod scribit Hipp. lib. de aere, locis, &c. nempe illos, qui habent aluum lubricam non tentari pleuritide, verissimum quoque sit, oportet, eos quorum alui sunt adstrictæ promptiores esse ad suscipiendam Pleuritin.

Rufus inter causas Pleur. antecedentes connumerauit vomitū. Sed raro accidit, vt a vomitu hic morbus fiat. Ceterū, inter causas externas Pleur. Hipp. in lib. de aere, aquis, &c. numerauit regiones septentrionales, constitutiones temporum aquilonares, & frigidas, tempora anni: propter quod dicebat 3. aph. autumnū, & hyemem producere Ple. minus autē ver, nisi frigidū sit, & minime omnium æstatem. Nimias exercitationes, corporum labores, quemadmodum etiam potus frigidos, & potus meraciores, ad hunc affectum producendum, plurimum valere.

Vinolenti facile tētātur pleuritide. Nam Arist. 3. probl. 1. dicebat vinolentos facile tentari a Pleurit. Sed causa, quam huius rei attulit Hipp. 1. de morb. multo melior est, quam Arist. vt semper suspicatus sim, locum illum mendosum esse, & loco pleuritidis legendum esse paralysis, siquidem compertissimum, nimio vini vsu homines fieri paralyticos, seu resolutos. *Quatuor causæ Celso.* Summatim Celsus lib. 4. cap. 6. complexus est omnes causas pleuritidis, sub quatuor generibus, quando scripsit Pleur. fieri a frigore, ab ictu, a nimio cursu, & a morbo, sub morbo, vt ego credo, omnes causas internas, comprehendit.

Signa. Signa Pleur. adeo firma, & propria sunt, vt Galen. lib. 12. meth. 7. dixerit, & Pleur. & Dysenteriam habere signa scientifica. De his signis copiosissime tractarunt Aretæus, & Cæl. Aurel. qui fuerunt semper ditissimi in signis ægritudinum distribuendis. Ceterum, nihil videtur sat esse, vt omnia signa Pleur. ad tria genera redigantur nempe alia sint diagnostica, alia distinctiua, alia prognostica.

Diagnostica ab actionibus læsis. Signa diagnostica sumuntur ab actionibus læsis, ab excrementis, & accidentibus mutatis. Ab actionibus læsis, quia in pleuritide vera semper offenditur caput, & mens, vt scribit Gale. 4. de dig. expuls. & 4. de caus. puls. 8. nam cū caput sit in alto positum, fuligines, quæ a partibus inflammatis, & humoribus putrescentibus attolluntur, recipit: illæ vero si sint biliosæ, pungunt, stimulant, atque dilacerant, & sic delirium faciunt, vnde Serenus Medicus dicebat.

Cum subito dolor insanus furit incitus ictu.

Sin vero sint pituitosæ, instar nebulæ cuiusdam cerebrum obtenebrant, grauant, sicque soporem inducunt.

Atque hinc est, quod iure Cæl. & Aretæus inter alia signa Pleur. coma, & soporem connumerant. Similiter, & a motrice læsa accipitur aliud, scilicet tussis, quia vapores, & humores transmissi in asperam arteriam, & impedientes excursum spirituum efficiunt hanc luctam naturæ, eo, quo docui alias, modo.

Ex actionibus vitalibus alia duo signa sumuntur, vnum est spiratio difficilis, videlicet parua, & frequens, nam cum inflammatio sit prope cor, & pulmones, illæ partes necessario opus habent magna respiratione ad hoc, vt refrigerentur. sed quia dolor prohibet, quo minus fiat magna dilatatio instrumētorum, & consequenter respiratio magna, idcirco magnitudo suppletur frequentia, atq; ita respiratio fit parua, & frequens. Alterum signum est pulsus durus, tensus, inæqualis, frequens, serrinus, & densus. Fit enim pulsus durus, & densus, quoniam, vt scribitur 2. de loc. aff. vbi partes neruosæ, & membranosæ inflammantur pulsus fiunt tensi, & duri.

Fiunt etiam hi pulsus inæquales, tum propter inobedientiam instrumentorum, tum quia in inflammatione semper est aliquid suppuratū, & aliquid crudū: sit densus, & frequens cum ratione magnitudinis nequeat arteria multum dilatari, & necessaria sit magna euentatio, magnitudinem pulsationum resarcit frequentia, & celeritas. *Ab excrementis.* Ab excrementis mutatis capiuntur indicia, quia etsi fiant interdum pleuritides quędam siccæ, in quibus nihil expuitur; attamen magna ex parte fiunt humidę, & in ipsis expuuntur varia, vnde cognoscitur potius causa morbi, scilicet humor, quam morbus.

3. Ab accidētibus mutatis. Postremo capiuntur signa ab accidentibus mutatis duo: scilicet febris acuta, & dolor pungitiuus. De febrē, scribit Galen. 3. de cris. & 1. aphor. 1. quod licet continua sit, attamen maxima ex parte refert tertianam. Hippoc. 3. de morb. addebat, febres magis vexare noctu.

Cur autem febris comitetur Pleur. ratio desumi potest ex cap. 7. lib. de constit. art. vbi scribebat, si digitus inflammetur, non fieri febrem, neq; etiam si frigidus morbus prope cor nascatur.

Sed si inflammētur partes cordi proximæ, non modo fieri febres, verumet ā magnas, & acutissimas, vt ob hoc iure acuta febris inter signa pleuritidis recenseatur. Dolor pungitiuus, quem Serenus appellabat insanum dolorem, fit in pleuritide, quoniam vt docet Galen. lib. 2. de loc. aff. 3 vbi membranæ inflammantur, non fiunt pulsatorij dolores, sed tantum pungitiui.

Itaque colligitur sex esse signa, quibus pleuritis dignoscitur, capitis, & mentis affectu, tussi, difficultate anhelitus, pulsu duro, & serrino, febre acuta, & dolore pungitiuo. Reliqua signa proposita a Cęlio, & ab Aretęo, nempe sitis, venarum rubor, inquietudo, & alia, non sunt cōmemorata a scriptoribus Gręcis, & pręsertim a Galeno, quoniam non constituunt essentiam, & ideā pleuritidis, vt colligitur ex Galen. 3. de cris. cap. 4.

Difficultas. Sed dubitari ab aliquo potest, cur Galen. 5. de loc. aff. quinque tantum signa videatur vera, & legitima,

legitima proponere, de tussi autem dicat, eam non perpetuo comitari. Rases autem tria tãtum signa profert, dolorem, febrem, & tussim. Præterea dubitatur cur Galen. non vbique mentionem fecerit insignis cerebri affectus. Respondeo, signorum pleuritidis aliqua esse, quæ proprie constituunt, & semper eius essentiã; alia vero, quæ nõ semper, sed frequentissime; quæ speciem pleuritidis constituunt, sunt dolor pungitiuus, febris cõtinua, difficultas anhelitus, nec non etiã pulsus durities, & inæqualitas. Tussis frequentissime quidem comitatur Pleur. sed, si recte animaduertantur verba Gale. loc. cit. non est perpetua. Et hoc maxime refert scire in actu practico; quia Medici interdum falluntur in dignoscenda pleuritide, cum non animaduertunt tussim.

Affectus etiam capitis, neque proprium symptoma est, neque etiam frequentissimum; sed frequenter quidem fit, & propterea, si quando Galen. videtur tacuisse aliqua ex prædictis signis, factum esse putandum, quod signa tantum propria, & pathognomica perquirat. Ad Rasim dicendum, ipsum eum solius curationis rationem haberet, breuitatis amantissimum extitisse, & ideo ea tantum signa attulisse, quæ principaliter ad curationem faciunt.

Cur vero pleuritici fere omnes, vsque adeo cupiant vinum, vt & hoc videatur inter alia symptomata, atque signa peculiaria recensendum, nulla mihi potior causa assignanda videtur, quã quod sitis illa proficiscatur ratione siccitatis, atque caliditatis partium spiritualium non naturalium, quæ partes spirituales cum sint magis absconditæ, quam vt potu irrigari queant, sane vinum magis, quam vllus alius liquor ad eas pertingit, ac irrigat, accedit, quod vtuntur pleuritici potibus dulcibus, qui præterquam quod non belle extinguunt sitim, etiam faciunt, vt aliquod abstergens, & penetrãs, quale est vinum, optetur. Nisi dicamus fieri proprietate quadam, vt in prægnantibus, dum carbones appetunt.

Signa distinguentia, alia distinguunt Pleuritidem falsam a vera, alia distinguunt Pleuritidem a morbis similibus.

Dignotio pleur. veræ a falsa.

Distinguitur primo, vera ab ea, quæ fit a flatu, quoniam nec dolor continuus, nec febris magna, nec pulsus serrinus in illa est, vt in vera. Distinguitur quoque ab ea, quæ fit extrinsecus, quoniam, vt dicit Paulus, prætesquam, quod in ipsa non est tussis, nihil expuitur, pulsus non est durus, si quis etiam manu locum affectum tractet, statim dolor subsequitur. His adnumerandum est signum, quo cognoscitur extrinseca ab intrinseca, quia in extrinseca, decubitus supra locum affectum dolorificus, & difficilis est, quia valde premitur, in intrinseca vero minus, quia nõ premitur pars, nec suspenditur tumor, cum si in alterum latus decumbas, suspendatur tumor, atque ita grauans, & deprimens membranam, cruciatum facit. Quod si superior pars membranæ sit affecta dolor pertingit ad clauiculam, si inferior ad hypochondria, si in medio, ad mammas inclinabit dolor. Si longe, lateque protendatur, & superiorem, & inferiorem partes affectas esse, argumentum erit. Signa porro distinguentia ab alijs morbis similibus, sunt primo, quæ distinguunt a peripneumonia, quoniam in hac dolor, aut nullus est, aut admodũ exiguus, pulsus mollis, non durus, nihil expuitur effatu dignum, difficultas anhelitus, multo maior est, quam in Pleur. Ab inflammatione iecoris, quoniam in hac pulsus mollis est, non durus, tussis exigua, & sicca, difficultas anhelitus pauca, interdum adest singultus, &, vt colligitur ex Gal. 8. de med. loc. cap. de aff. hepatis, in inflammatione iecoris solet fieri fluxus colliquatiuus, qualis in febribus pestiferis, ac morbis prauis videri solet.

A peripneumonia.

Ab inflammatione hepatis.

Sed nonne potest etiam tactu distingui a pleur. inflammatio iecoris? Respondeo si inflammatio sit in parte concaua, non posse tactu percipi inflammationem iecoris: Sin autem sit in parte conuexa, neque etiam potest percipi tactu, aut visu, nisi sit admodum insignis, eo, quia, vt ex anatome intellexistis, tres magni musculi superpositi sunt iecori, qui impediunt, quo minus inflammatio illius visceris appareat, aut manibus, aut oculis. Et hoc est, quod Galen. 4. de loc. aff. in historia illius Medici Siculi gloriatur se cognouisse, id quod alij Medici cognoscere non potuerunt.

Postremo distinguitur Pleur. a difficultate anhelitus, & Empyemate, quoniam in difficultate anhelitus, non est dolor pungitiuus, non acuta febris, tussis humida est cum sputis crudis, viscidis, & crassis. In empyemate vero non adest pulsus durus, & serrinus, & inæqualis, non anhelitus difficultas, nisi obscura. Et, quod caput huius rei est, in Empyemate sputa sunt semper copiosa, purulenta, quæ neque febrem, neque alia symptomata minuunt, & si moueatur thorax illius, qui laborat Empyemate, percipitur fluctuantia materiæ purulentæ, modo huc, modo illuc, contra quam fit in Pleuritide.

A difficultate anhelitus, & empyemate.

Inter signa distinctiua reponuntur ea, quæ indicant, & causas, & tempora Pleuritidis. Indicantia causas sunt potissimum colores sputorum. Dixi potissimum, quoniam & ætas, & temperamentum, & victus, anni, sunt quoque signa causarum pleuritidis. Itaque si sputa flaua sint, indicatur fieri Pleur. a bile: si rubra, a sanguine: si alba, a pituita: si nigra, a melancholia. Iam vero tempora Pleur. vt docuit Galen. 1. de cris. 5. maxime omnium docentur, ab ipsis sputis, quandoquidem, vbi sputa, vel nulla sunt, vel exigua, cruda, & difficilia, signum est pleuritidem vix inchoatam esse, si sputa multa, crassa, sed cum aliqua difficultate eiecta, præterea colorem aliquo pacto mutarint, signa sunt inchoatam esse maturationem, & idcirco augmentum adesse. Sed quæret aliquis, an augescente morbo accidentia augeantur? nam ex vna parte videtur veritati consentaneum. Ex altera vero quoque verisimile videtur, cum materia incipiat euacuari, debere quoque symptomata, quæ sub illa fiebant diminui. Dico accidentia intendi, quia licet materia minuatur, tamen augentur febres, & quæ remanet, cum coquatur magis dila-

An augescẽte morbo symptomata augeantur.

gis dilatatur, magis incalescit, & propterea fiunt dolores acerbiores, & capitis affectus maiores. Quod si dolor minuatur, sputa concocta appareant, nec non facilius, & promptius educantur, iure colligi potest, morbum in statu esse, quemadmodum si dolore sublato sputa sint, pauciora, & meliora, certum est Pleuritin iam declinare.

Pleuritis in quos morbos conuertatur.

Ceterum, contingit interdum, vt pleuritis, neque soluatur, neq; interimat, sed in aliũ morbũ conuertatur. Vnde pertinet ad Medicum diligentem, posse cognoscere, quomodo, & in quos morbos sit conuertenda. Hippoc. primo de morb. non longe a principio sermonem habens de ijs morbis, qui conuertuntur in alios, dicit Pleur. cõuerti in Causum, & Empyema. In lib. quoque de aff. dicit interdum conuerti in Peripneumoniã, id quod puto intellexisse Celsum lib. 2. cap. 8. quando scripsit post pleur. fieri vitia pulmonis. Sed licet verum sit, Peripneumoniam, quandoque fieri ex Pleur. illud tamen certissimum est, quod scriptum reliquit Gal. 7. apho. 11. vbi scribit, raro conuerti in Peripn. id est in pulmonum inflammationem.

Cur autem raro contingat, apertissima mihi videtur ratio, quia si pleuritis magna sit, prius iugulat, quam conuertatur in alium morbum: sin exigua, perfecte soluitur, nec in alium conuertitur: Sin medio pacto sit, hæc affici solet a succis pituitosis, & crassis. Vnde potius in Empyema, quam in Peripn. conuertitur.

In Causum.

Igitur si Pleur. conuertenda erit in Causum, cognoscitur, eo, quod sitis vehementissima succedit, æstuatio magna est, dolor minuitur, & dolore minuto, reliqua symptomata fiũt sæuiora.

In empyema, vel peripneumoniam.

Si dolore diminuto febris augeatur, genæ rubeæ euadant, æger supinus libenter iaceat, signũ est, Pleur. conuertendam esse in Peripneumoniam. Gal. com. 2. in lib. de nat. hum. dicit, si dolor lateris non mitigetur, neque per sputum, neque per aluum, neque per vsum rectum medicamentorum, expectandum esse empyema: sicut expectandum est asthma, si dolore, & alijs symptomatis minutis, adhuc anhelandi difficultas perdurat.

Progn.

Signa prognostica nunc tractanda. Pleuritis citra omnem controuersiam est inter morbos acutos, & Hipp. in primo de morb. Pleur. connumerauit inter morbos dubios, id est, qui nec certam salutem, nec certam mortem promittunt. De his enim, & pleuritide præsertim, loquens 5. aphor. 8. dicebat, Pleur. si 14. die non expurgetur, conuerti in empyema. Sed Aretæus dicit, non 14. sed si vigesimo die non purgentur, pleuritidem transire in empyema.

Circa quam sententiam duo notanda, vnum quod, vt scribit Galen. in interpret. illius aphor. Hipp. nomine suppurationis, non solum intellexerit verum empyema, sed quamlibet suppurationem.. Alterum est, dies illos 14. ab Hipp. commemoratos non esse numerandos a primis morbi diebus, sed a primis diebus, in quibus ægri incipiunt expuere: etenim Anaxion. 3. epid. com. 30. tex. 79. cœpit expuere decimoseptimo, & liberatus est trigesimo quarto. Sed a vigesimo vsque ad 27. non expuebat, ita vt 11. solum fuerint dies, in quibus expuit; quare manifestum nullam in Hippocrate esse contradictionem.

Pleur. humida, tutior sicca.

Pleuritis, in qua expuitur semper melior est, & securior, quam ea, in qua nihil expuitur, & quæ ab Hipp. 3 de morb. vocata est sicca. De hac enim sermonem faciens Galen. 5. de loc aff. 2. dicebat pleuritidem crudam, aut iugulare, aut longo tempore durare. Sic ea Pleur. in qua sputa cito, & faeliter fiunt, cocta exeũt; & vt ait Auic. cum paucodolore semper secura est, præsertim, vbi appareat flaua bilis permista, vt ait Hippoc. 2. progn. 43 & 44. pleuritis cum pulsu duro, paruo, ac crebro, lethalis est authore Gale. 4. de præsag. ex puls. quemadmodũ si alui fluxus superaccesserit, malum, vt 6. aphor. 16. Sed circa sputorum colorem, est non leuis controuersia. Hippoc. enim loco sup. cit. & 3. de morbo videtur biliosum ceteris præferre in bonitate. Galen. vero lib. de const. art. cap. 15. & 16. sermonem habens de sputis, dicit deterrima esse nigra, & melancholica, mitissima esse sanguinea, & quæ sunt inter hæc media, participare mediorum conditionem. Sed clarius idem Galen. 6. epid. com. 3. tex. 44. interpretans sententiam Hippoc. qua dicit sang. miss. impediri a sputo sanguinis, dixit propterea impediri hoc auxiliũ magnum a pleur. sanguinea, quoniam pleuritis omnium securissima, & mitissima est, quod etiam traditum est 3. com. in lib. de humor. 33. vbi notate, desiderari in eo. com. quandam historiam; quam refert se ibi scripsisse Galenus. Ceterum Cornelius Celsus auctor grauis lib. 4. cap. 6. scribit morbum lateralem tolerabilem esse, si pituita excernatur, grauem autem si sanguis. Immo Hippocr. 2. prog. 46. fluxiones decumbentes inter se comparans, sanguineas in salubritate omnibus anteponit, post pituitosas, hisce postponit biliosas. Pro qua controuersia tollenda dicendum puto, quæ expuuntur, vel sincera expui, vel permixta. Sincera omnia quæcunque, sunt mala, sed minus ceteris mala est excretio pituitæ. Vnde Cornelius Celsus comparans eam cum excrementis sanguinis, dixit, pituitæ esse tolerabilem, sanguinis vero grauem. Inter permixtas vero est differentia ponenda, quoniam, vel permixtæ sunt sanguini, vel bili, vel melancholiæ, ita vt minima, aut exigua sit humoris portio sputi respectu. Nam si sit sanguinis permixtio, est sane omnium mitissimus morbus, ob humoris benigni, a quo fit, permixtionem, Si sit biliosa permixtio, est quoque optimum indicium, non quod fiat morbus ab humore mitissimo, sed quia indicium est, concoctum esse, atque calorem natiuum optime valere, cum permisceat valde humores sputo. Ita quod sputum sanguineum, & biliosum possunt diuersis respectibus optima dici, primo, quia fit ab humore mitissimo, & qui facile coquitur, secundo, quia est indicium coctionis, caloris, ac naturæ roboris, & hoc est, quod dicebat Hippoc. in Coac. prænot. pleuritides biliosas, simul & sanguineas cito iudicari, & salutares esse.

Disputatur vtrum pleuritis sinistri, an dextri lateris sit deterior. Nam Rasis lib. 3. continputauit

potauit eam, quę fit in dextro latere, esse deteriorem altera, eo, quod locus dexter sit nobilior sinistro. Et hanc sententiam forte mutuatus est ab Hippoc. 2. de morb. vbi loquens de Empyemate dixit, optandum esse, vt hic morbus fiat in sinistro latere. Sed ex altera parte idem Hipp. 5. epid. narrat historiam cuiusdam, qui cum tentatus esset pleuritide sinistri lateris, mortuus est. Atque forsan Hipp. mentionem fecit lateris sinistri, vt doceret mortẽ magna ex parte ratione loci secutam esse. Ceterum Auicẽna 10. tertij tr. 4. cap. 1. postquam dixisset varias fuisse hac de re sententias, videtur huiusmodi rem ita determinasse, quasi pleuritis sinistri lateris ratione loci sit deterior, verum facilior resolutu ob partis calorem. Contra autem esse de dextra parte, quæ ratione loci videtur esse melior, sed difficilior solutu. Hanc Auicennæ resolutionem multis rationibus probare non possum. 1. quia supponit partem sinistram, esse nobiliorem. 2. quia supponit eam esse calidiorem. Nam cum cor sit collocatum in medio thoracis, & in dextra parte sit iecur, in sinistra lien, videtur potius dextra pars nobilior quam sinistra. Vnde Arist. dicebat dextram partem semper nobiliorem esse sinistra. Præterea falsum est, sinistram partem esse calidiorem, quandoquidem, cum in ipsa sit lien, qui est viscus frigidum, & in dextra iecur, rationi consonum videtur, dextram esse calidiorem, id quod etiam dixit Hipp. in lib. de sacro morbo, vasa dextræ partis esse ampliora, quam sinistræ.

Itaque pro resol. huius rei dicendum, Pleur. considerari posse, vel secundũ symptomata, vel secundum curationem; si secundum symptomata ipsam expendamus certe eam, quæ fit in dextra deteriorem esse dico, quoniam ob iecoris viciniam maiores febres, anhelitus difficultas maior, tussis maior. Sin autem expendamus ipsam secundum curationem, curatio dupliciter fieri solet; vel per resolutionem, vel per suppurationem. Si de curatione loquamur per resolutionem, melior est ea, quæ fit in dextra: quandoquidem ob partis caliditatem, facilius materia resoluitur in ea parte, quam in sinistra. Sed si loquamur de curatione per suppuratione͂, certe melior est in sinistra, quia ea pars tutius, & facilius secari, & vri potest. Et hoc est, quod Hipp. 2. de morbo loquens de Empyemate dicebat optandum esse, vt suppuratio fiat in sinistra parte, quoniam potest ea pars tutius secari, & vri, quod faciebant veteres in curando Empyemate.

Curatio.

Sequitur curatio diligens, non solum, quia vtilissima, & necessaria est, sed etiam, quia præclaras, & difficiles contemplationes habet.

Scopi.

Scopi præcipui in pleur. sunt quos proponebat Galen. 13. meth. cap. 2. in omni genere inflammationum, scilicet, vt prouideatur, ne inflammatio augeatur, & vt ea quæ facta est, tollatur. Et quoniam dolores solent non modo nouas inflãmationes producere, verum etiam productas mirum in modum augere, surgit tertius in pleur. scopus, vt dolor mitigetur.

Diæta.

Pro quibus scopis implendis ante omnia debet semper Medicus victum accommodatum instituere, sc. vt aer sit temperatus, abstineatur ab omni motu tam animi, quã corporis, vt aluus mollis conseruetur, vel mediocribus, vel leuibus clysteribus. Clysteres enim acres in omni interna inflammatione perniciosi sunt, eo, quia acrimonia remediorum partes inflãmatæ semper magis exasperantur.

De potu, abstinendum est a vino.

Num vinũ conueniat in pleuritide.

Neque valet, quod Hipp. 3. de morb. pleuriticis vinum etiam dulce commendat, quoniam hoc quidem sustineri potest in declinatione morbi, sed in alijs temporibus vinum pleuriticis venenum est. Et aduertite lib. illos de morb. sub Hipp. nomine publicatos, quantũ ego puto, non esse magni Hip. sed potius alicuius Medici Cnidij. Nam Hip. initio li. de acutis damnat Medicos Cnidios, quod ęgrotantium victus veras regulas ignorarent. Loco autem vini conuenit pro potu aqua hordei, decoctum glycyrrh. decoctum pectorale, mulsa facta cum passulis, prout. scilic. æger magis, vel minus hunc aut illum potum appetit. Nota, debere semper potum pleuriticorum calidum esse, quandoquidem omnia frigida pectori maxime aduersa sunt.

De cibo diuersas veteres habuerunt sententias. Diocles Medicus nobilis. existimauit pleuriticos non esse alendos ante vndecimam diem. Praxagoras non ante sextam. Hipp. secundo, de victu acut. tex. 10. & 11. etiam vsque ad 7. diem vult leuissimis sorbitionibus pleuriticos esse detinendos, quasi septima dies sit terminus incrementi huius affectus. Nostra tempestate vix licet vlli Medico tanta inedia ægros detinere; quandoquidem, vbi alia causa pereunt ęgri, imputatur Medico, quod interimat subtractione cibi.

Sed ne decipiamini in intelligendis veterũ scriptis, sciendum, Veteres tres habuisse species rerum, quibus cibabant ægros, Potum, sorbitionem, & cibũ, potus erat veluti aqua mulsa. Sorbitio, vt succus ptisanæ. Cibus, vt ptisana, panis, oua &c.

Qando veteres loquuntur de cibo, vt nutrimento, intelligunt de tertia specie, nam proprie illud nutrimentum nuncupabant, reliqua vero, vel nomine potus aut sorbitionis complectebã tur. Vnde Hipp. & alij locuti sunt non de sorbitionibus, sed de nutrimento, quo post septimam tantum diem vtebantur.

Nos itaque imitantes Hippocratem nutriemus vere pleuriticos, aut potius cibabimus primis septem diebus, vel aqua mulsa solum, vel sorbitionibus aut ex hordeo, aut ex farre, vel lacte amygdalino.

Est modus ab Aretæo monstratus, vt scilicet panis contundatur, atque ita contusus cribretur, & farina illa per cribum excolata, aqua coquatur, & in cibum præbeatur. Remittente autem sese morbo, licet paulatim etiam augere cibum, videlicet aut ad oua, aut ad iuscula, vel simile quid transeuntes.

Victu instituto ex tribus scopis in pleuritide propositis, operæ pretium est, vt Medicus eligat primum eum, qui magis vrgere videtur. Et quia plerumque dolor est, ea propter dicebat Auicenna, quod didicerat ab Hippocrate, studendum esse, dolorem sedare. Sic enim Hippocrates secundo, de acut. atque etiam in libro de morb. primum, quod in pleur. aggrediebatur, erat, vt dolorem sedaret, ac propterea fomentis tum humidis ex ol. & aqua, tum siccis ex anetho, ex milio torrefacto, ex sale vtebatur. Nonnulli fuerunt, qui hac in re criminati sunt Hipp. quod nulla præmissa euacuatione localia etiam calida contra regulas medicinæ adhibuerit.

Hipp. a quibusdam impugnatur.

Cæl. Aur. & Soran. dānaruot etiam, quod vsus sit, & sale, & milio torrefacto, sale, quia, dicūt huiusmodi corpus exasperare inflammatas partes; milio torrefacto, quoniam odore ipsius milij dicunt ægros magnopere lædi. Sed quod ad primum pertinet, Hippocrates, vt ego puto, propter duas grauissimas rationes vsus est fomentis calidis initio. primo, vt exploraretur vtrū pleuritis esset ab humoribus, an a flato. Neque valet, quod scribat Altimarus esse alienum a grauitate Hippocra. non statim cognoscere, siquidem etiam si Medici statim cognoscant morbos, nō tamen statim cognoscunt causas etiam nobilissimi Medici, & ideo licet statim explorare, si nō ideam morbi, saltem causas, 2. ratio, quod vsus est tepefactorijs medicamentis, fuit, vt dolorem leniret. Nam cum dolor, vt audiuistis, sit causa, & generationis, & augmenti inflammationis, debet solers Medicus tantisper indulgere sedando dolori, donec cognita causa possit maioribus auxilijs ipsi occurrere, propterea sapienter quidem fecit Hippocra.

Ad Cælium, & Soranum dicendum est, meras esse nugas; quia falsissimū est, si sal prodēter, & in exigua copia administretur, posse sua acrimonia locum inflammatum magis exasperare. Sicut etiam, si milium torrefactū administretur prudēter, minime odore offendit. Posset offendere, si corā ægris torrefieret. Sed si longe ab ipsis torrefactum administretur, nequaquā lædet.

Post dolorem sedatum, vel post studium adhibitum in ipso sedādo, debet Medicus statim se conuertere ad alios scopus explendos. Et primo prospicere debet, ne inflammatio augeatur, id quod fit materiam fluentem a loco affecto auertēdo. Auertitur materia a loco affecto duobus ingenijs, vel repellendo, & repercotiendo, vel per partes diuersas attrahendo.

Repellentia num habeāt locum.

De repellentium vsu est lex Galeni 13. metho. & omnium, ne in inflammationibus pectoris adstringentia, & repercutientia extrinsecus adhibeamus. Ratio est, quia cum in pectore sint viscera principalia, periculum est, ne materia a partibus extimis in ipsa viscera repellatur. Auicenna, tamen decimo, tertij tract. 5. cap. 2. videtur excipere tres casus, in quibus liceat vti repellentibus, id est, frigidis, & adstringentib. 1. quando materia fluens est pauca. 2. quando tota materia est in fluxu; nihil autem fluxum est, 3. quando aliqua præcessit euacuatio.

Verum, quia huiusmodi casus maximam diligentiam, & subtilitatem postulant, multo tutius videtur mihi esse Hip. consilium, qui etiam inchoante malo nō repercutientib. sed potius calefacientibus, & discutientibus vsus est. Vnde vos quoque potestis, si dolor insignis sit, statim admouere loco dolenti aut vesicam aqua, & oleo semiplenam calentibus, aut fouere cum spōgijs decocto anethi, mal. meliloti, aut cum fomento ex milio, & furfure calentibus.

Reuulsoria quæ conueniant.

Postquam minime licet in pleur. repercutientibus generationem, & augmentationem inflammationis prohibere superest, vt id agatur tractione ad contrariam partem. Id quod præcipit Auic. in curatione pleur.

Fit autē tractio ad contrarias partes, vel calefaciendo contraria loca, vel dolorem inducendo, vel locum aliquem vacuum reddendo, vel opera medicamentorum attrahentium.

Primus modus trahendi est, quando fiunt balnea partibus extremis, & frictiones, hic etenim partes illæ calefactæ attrahunt in sese humores, qui fluunt ad latus affectum, ratione vero doloris fit tractus materiæ, quando, vel opera ligationis alicuius membri, vel contritione, vel exulceratione etiam pars, quæ dolore affecta est, ad sese trahit humores fluentes, atque hi duo modi trahendi etiam in pleuritide possunt impleri.

Tractus vero, qui fit opera medicamentorum hic in principio nō conuenit, eo quod, vt infra dicetur, medicamenta purgantia attrahentia humores in huius morbi curatione minime conueniunt.

Tractus per vacuum fit, quando partes corporis nostri exinaniuntur, & a natura statim implentur, quæ vacuū abhorret, vnde necesse est, vt locus vacuus alteri loco pleno adimat, & propterea natura, vt impleat vacuum locum, vtitur humoribus qui fluunt, & hac ratione fit, vt fluentes humores alio trahantur.

Instrumenta autem, quibus per vacuum fit attractio, duo sunt, vnum Cucurbitulæ, alterum sanguinis missio, nā, & cucurbitula, si in principio pleuritis prodenter administretur, accōmodata est, quia fluentis humoris impetū coercet, sed potissimū instrumentū est sanguinis missio.

De vena sectione.

Vnde, cum hoc negotium sanguinis mittendi in pleur. sit maximi momenti, præsertim in facitanda medicina operæ pretium est, vt quatuor hac de re tractemus, primo, vtrum semper in pleur. expediat sanguinem mittere, & cum dico semper, intelligo accedentibus omnibus consentientibus, idest, viribus, ætate, & reliquis, quę in sanguinis missione exiguntur, secundo, quo tempore sit mittendus sanguis, tertio, a quo loco, quarto, quæ mensura debeat seruari.

Vtrū sēper expediat in pleuritide sanguinem mittere.

Circa primum offert se difficultas. Hippoc. imprimis non solum ab alijs, verumetiam a se ipso mirum in modum diuersus inuenitur. Lib. enim de loc. in homine, & in 3. de mor. cum diligenter curationem variarum pleuritidum sit persecutus; attamen de sanguinis missione altum silentium habuit. In lib. de Coacis prænot. dixit, si in dolore lateris febris exigua sit absque alijs

signis,

signis, perniciosum esse sanguinem mittere, a. lib. acut. t. 10. qui locus mirum in modum omnes Med cos fatigauit, scripsit, si in pleuritide dolor pertingat ad claniculam, secandam esse internam cubiti venam, Sin dolor pertingat ad hypochondra, omittendam esse sanguinis missionē, & purgandum per medicamentum. Idem Hip. 6. epid. com. 3. tex. vlt. & 3. de humor. t. 33. sermonem habens de ijs, quę impedire solent sang. miss. inter alia inquit, si sputa cruenta fint, prohiberi a pleu. quem locum dum exponeret Gal. dixit, iure Hip. vetuisse sanguinis detractionem in pleur. apparentibus sputis cruentis, quoniam hęc pleur. mitissima est, scilicet, quę fit a sangu. & ob hoc minime auxilium generosum postulat, quale est sanguinis missio.

Ex quibus locis satis compertum esse potest, Hipp. in hoc negotio mittēdi sanguinem haud quaquam habuisse vnam sententiam. Sed preter Hip. Gal. quoque non videtur semper constans fuisse.

Siquidem 11. meth. cap. 11. vbi tradit regulas curandi omnes inflammationes per reuulsionem, scripsit in omnibus inflammationibus, non solum vtilem, sed etiam necessariam sanguinis missionem.

Et ne quis posset sibi proponere inflammationes partium inferiorum, dixit, si supra renes inflammatio reperiatur, mittendum esse a partibus superioribus. Sin inflammatio fit infra renes, a partibus infernis, vt Gal. consuluerit, in omni inflammatione mittendum esse sanguinem, vt propter hoc videatur ex ipso colligi etiam in pleur. quæ insignis est inflammatio requiri hoc auxilij genus.

Ceterum idem Galenus in explicationibus locorũ Hippocratis, & libro de acutis, & 6. epid. & libro de hum. vt tuetur Hippocra. videtur interdum recessisse a lege iam proposita, interdum vero ei adhęsisse. Auic. 1. tertij tract. 5. cap. 2. diuersam, & ipse sententiam tum ab his, tum a seipso habuisse videtur. Scribit enim, si sanguis in pleur. abundet, mittēdum esse. Si alij humores, purgandum esse. Et quia Hippo. locus secundo, de acut. tex. 10. valde ipsum solicitum tenebat, dixit dolore ascendente ad iugulum mittendum esse sanguinem, descendente ad hypochondria, vel purgandum esse, vel simul purgandum, & sanguinem mittendum. Vt voluerit Auic. etiam dolore descendente ad hypochondria mittendum esse sanguinem.

In hoc difficultatum diluuio scio, & recentiores, & vetustiores Medicos vehementer laborasse, & fere nihil nobis ita certum reliquisse, quin adhuc liceat continuo dubitare. Dicam tamen, & ipse quid putem, & opinandum, & agendum esse hac in re. primo, enim suppono, apud omnes veteres, vt antea docui, duplicem habitam esse pleuritin, vnam ueram, & legitimam, alteram vero spuriam. Vera pleuritis, vt audiuistis, est, quę fit in vera membranæ costas succingentis inflammatione. Spuria est, quæ alijs modis, & alijs de causis efficitur.

In vera pleur. ita statuendum est, semper mittendum esse sanguinem, nisi quid prohibeat; & hoc auxilium potius amplexandum esse, quam purgationem, propter 3. causas, 1. quia in vera pleur. semper est febris acuta, & vehemens. Febribus acutis, & vehementibus medicamēta purgantia esse inimica clarum ita est, tum ratione, tum veterum auctoritate, vt non sit opus probare, 2. quoniam in vera pleuritide semper acerbissimus fit dolor, dicit autē Gal. 1. aph. 23. in dol. omnibus vehementibus nullum esse magis efficax, & præsentaneum remedium, quā f. m. etiā vsque ad animi defectum, tertium, quoniam, vt scribit Galenus tertio de acut. decimo, vbi par vtilitas speratur ex purgatione, & sanguinis missione, semper anteferenda est sanguinis missio, quia tutius auxilium est, cum sit magis in Medici potestate, quam medicamenti exhibitio. Accedit his, & aliud a Gal. significatum, inueniri innumeras hominum proprietates, ob quas ægri non admittunt purgantia absque euidenti detrimento.

Quid in pleuritide spuria sit agendũ.

In spuria, & illegitima pleur. ita agendum, vt si dolor inclinet ad hypochondria, medicamentum exhibeatur, si vergat ad clauiculas, sanguis mittatur.

Hæc quantũ ego puto, est resolutio, quā sequi debetis. Sed modo videre oportet, quo pacto duce hac resolutione possimus existimare Hippocra. sapientissimũ nullibi hac in re peccauisse.

An dolore ascēdēte ue na secanda, descēdente purgādum.

Et vt primum versemur circa locum a. de acut. maxime omnium tritum, & disputatũ Cęl. Aur. & Soranus damnarunt senem, qđ dixerit, dolore vergente ad hypochondria, non esse sanguinem mittendũ, & damnarunt hac ratione, qm̄, id si verum esset, sequeretur in doloribus podagricis minime quoque mittendum esse sanguinem. Sed hæc ratio vana est, quandoquidem aliud est loqui de pectoris interna inflammatione, aliud de extremorum, inflammatione.

Sed oportet vt adhuc melius eo in loco mentem Hipp. perscrutantes nostræ resolutioni accommodemus.

Auctoris interpretatio.

Hic enim ab initio secundo, de acut. vsque ad tex. vndecimum, habet hunc discursum, & satis copiosum; scilicet, vbi offertur dolor lateris, statim tentandum esse dolorem fomentis calidis tam siccis, quam humidis dissoluere; eo quod non solum dissoluant dolores alios, verumetiā, quod præcipue dissoluere soleant dolores ad clauiculam ascendentes. Vbi inquit Hippocrates tentatum sit his auxilijs dolorem soluere, si res non successit, si dolor adhuc pergit, abstinendũ est a fomentis, vt quę importune vsurpata lædant pulmones, & diligenter videndum, an dolor ad clauiculam ascendat, an tendat ad hypochondria, si ad clauiculam, pręcipit mittendm esse sanguinem, si ad hypochondria, purgandum esse.

Iam vero ex hoc Hip. discursu colligo etiam pleuritidem, in qua dolor ascendit ad iugulum quandoque spuriam esse, quia vera pleuritis, quomodo posset non solum finiri calidis fomentis, verumetiam non augeri?

P 2 Cum

Cum igitur exploratum est ab Hippocrate dolorem non finiri fomentis, necesse est, vt iudicetur ab ipso, inflammationem seu pleuritidem, nō esse spuriam, & opus habere alio auxilio: atque si vergat ad superiora, huiusmodi auxilium, siue sit vera pleuritis, siue spuria, debere esse sanguinis missionem, eo quia, vbi aliquā ratione afficiuntur costæ superiores, nullo pacto possunt vtilitatem percipere ex vsu purgantium, & cum sit necessarium aliquod auxilium, & illud magnum, relinquitur nullum aliud, nisi sanguinis missio, & eo maxime, quia hoc auxilium si non alia ratione conueniret, saltem conuenit propter dolorem, quia eum non potuit finiri fomentis, opus est, vt tentetur eius sublatio sanguinis missione.

Dolor tēdēs ad hypoch. nūquā est vera pleuritis.

Ceterum si dolor tendat ad hypochondria, dixit Hipp. purgandum esse, propter duas causas, vt puto, i. quoniam in costis infernis nunquam fit vera, & exquisita pleuritis. Alia causa est, quia cum ibi non fiat, & exquisita, & vera pleuritis, signum est dolorem fieri ab humoribus extra membranas existentibus, imo vero etiam quandoque extra pectus, hoc est infra diaphragma.

Vnde dolore iis in partibus existente, cum ad ipsum finiendum sit opus auxilio magno, sane sanguinis missio non est vtilis, quia humores sunt alieni prorsus a natura sanguinis, & sunt extra vasa; propterea multo sanius est medicamento purgante dolori occurrere, & humores peccantes exinanire, quam euacuare sanguinem.

Et, vt dubitanti alicui, quomodo materia, quæ in pectore inflammationem facit, possit per medicamentum euacuari, satisfiat: dico Hippocratem hoc consilio, non tantum voluisse materiā in pectore existentem educere, quantum conseruare naturæ ipsius impetum, vt scilicet ille Naturæ motus, qui ad inferiora vergit, per partium inferiorum purgationem adiuuetur: vel ēt, quia longo vsu ipse obseruaret magis in his casibus prodesse purgationē, quam venę sectionē.

Quanquam non omnino a ratione alienum videtur, vt etiam vergente dolore ad inferiora, mittatur sanguis saltem a partibus inferioribus, propter causas superius a me enarratas.

An venā secanda in sputis cruētis.

Erat alter Hippocratis locus sexto, epid. comm. 3. text. vlt. & 3. de humor. t. 33. vbi & Hippocrates, & Gal. docuerunt, in pleuritide non esse sanguinem mittendū, quoties sputa cruēta sunt.

Quæ sententia iure multos Medicos solicitos habuit, siquidem non solum contra rationem videtur, verumetiam contra communem, & quotidianum Medicorum vsum, quippe qui tūc multo magis mittunt sanguinem in pleuritide, quando sputa sanguinolenta excernuntur. Hinc Franc. Valesius, qui non ita pridem præclare interpretatus est libros Hippoc. epidemicos, dixit, Hippocratem in ea sententia minime loqui de impedimento mittendi sanguinem, sed loqui de impedimento curationis, vt voluerit Hippocrates nos docere, vbi cruenta expuuntur, curationem impediri a pleuritide; quippe cum cruenta expuitio requirat adstrictoriam curationem, pleuritis autem potius requirit laxatoria.

Hæc Valesij interpretatio est quidem veritati admodum consentanea, verumtamen quia expressissimis verbis, Hippocratis, & Galeni interpretationi refragatur, hoc tempore minime a nobis æstimanda est, ideo puto, & ipse quemadmodum Galenus, Hippocratem diserte nos monere, vt vbi cruenta sputa, & pleuritis adest, minime sanguis mittatur.

Cur igitur Medici quotidie secus operantur, vt tunc potissimum sanguinem mittant, quando sputa sanguinolenta conspiciuntur? Respon. cruenta sputa, quæ in pleuritide reijci solent, aut esse pure sanguinea, aut non, sed permista.

Vbi sputa pure sanguinea sunt, certe nullo pacto conuenit sanguinem mittere, 1. ea ratione quam proponit Gal. scilicet, quia morbus est mitissimus, & propterea non exigit vehementissimum remedium. Alia ratio est, quia vbi sanguis purus excernitur, & sanguis mittatur, etiam si parce, periclitantur vires; & hoc est, quod scribebat Hippoc. in Coacis, nimirum in lateris dolore, si febris sit exigua, & signa non adsint, sangu. missionem lædere, nam vbi sanguis facit pleuritidem, semper febris exigua est. Hoc itaque pacto intelligendus est Hip. quando scribit impediri sanguinis missionem in pleuritide, quoties sputa sunt pure, & syncere sanguinea.

Ceterum si sputa minime sint syncera, sed permista, tunc necessarium est omnino mittere sanguinem, quia huiusmodi sputa arguunt morbum esse acutissimum, & periculosissimum. Et de hoc sputo intelligendus est Hippo. in Coac. prænot. quando dixit sanguinolenta sputa, & liuida initio periculosa esse.

Et hæc etiam fuit Galeni sententia, vt colligere licet ex 4 de tuend. val. 4. vbi scribit, in sanguine mittendo diligenter notandam esse permistionem sanguinis cum alijs humoribus, quia si sanguis ita permistus sit ceteris humoribus, vt excedat, mittendus est sanguis, atque etiam in copia, quandoquidem sanguis commistus ceteris humoribus magnopere periclitatur, ne deterrimam corruptionem nanciscatur.

Sin autem permistus quidem sit alijs humoribus, sed non, vt excedat, tunc mittendus est quidem sanguis, sed parcius.

Ad alia loca Hipp respondetur.

De loco 3. de morb. & in lib. de loc. in hom. non debemus esse solliciti, quia, vt docuimus in nostra censura Hip. illi libri non sunt ita germani, vt debeamus inconcussam fidem ipsis habere, quanquam alioqui antiqua doctrina, nec etiam ignobili pleni sunt. Possumus etiam dicere auctorem illum forsan tacuisse sanguinis missionem, quia eam tanquam præcipuum, & ab omnibus comprobatum, & receptum auxilium sciuerit. Hic igitur videre potestis, quomodo sit accipienda Hip. sententia de sanguine mittendo, vel non mittendo in pleuritide.

Quo tempore sit vena in pleuritide secanda.

Nunc videndum, quo tempore Heraclides Tarentinus apud Cæl. Aur. fuit eius sententię, vt semper prima die iniiciatur clyster, secunda vero die sanguis mittatur.

Metho-

Methodici voluerunt secundum dogmata sua, mittendum esse sanguinem intra tertium diem. Galen. 13. meth. in pluribus capitibus, vbi tractat de inflammatione eam sententiam videtur habuisse, vt quam citissime fieri possit, in omni inflammatione mittatur sanguis. Aretæus etiam dixit, in hoc auxilio minime cunctandum esse, propter duas, vel tres causas, tum quia febris est acutissima, & Hippoc. dicebat in acutis statim mouendum esse, si quid mouendum est.

Cur statim sanguis mittendus.

Præterea dolor solet esse immanis, vt propter hoc properandum sit ad illud auxilium, quod in dolore solet esse præsentaneum, 3. quia tussis, dolor, febris, difficultas anhelitus, in pleuritide consueuere vires admodum prosternere, vt nisi cito administretur hoc auxilium, postmodum solet a viribus impediri; propterea vos quoque debetis statim clystere, si opus sit, aluum paulisper citare, deinde statim sanguinem mittere.

Sed video aliquem esse obiecturum, Cur igitur Hipp. 3. in 3. epid. in hist. Anaxionis octaua die misit sanguinem. Gal. & alij plerique respondent, hoc forsan fecisse Hipp. quoniam non initio, sed serius fuit vocatus.

Ego autem dico, Hipp. forsan; etiam si initio vocatus fuisset, non ante misisse sanguinem. Siquidem diuinissimus senex inter alia præclarissima ingenij dona illud habuit, vt mirifice præcognosceret morbus futuros, morborum naturas, & euentus, vt ostendunt diuina ipsius hac de re monumenta.

Igitur cum cognouisset, Anaxionem duraturum esse vsque ad 37. & principium illius morbi longum futurum, siquidem durauit vsque ad 17. diem, quo tempore cœpit expuere, hinc factum, vt minime statim, sed post septimam in medio principij secare venam voluerit. Veruntamen quomodocunque sit, fateor, si non ante conceditur sanguinem mittere, posse etiam hoc fieri, & in augmento, & in initio status, modo tamen vires sustineant, & morbus magnus sit.

De loco mittendi sanguinem.

Erat tertium caput de loco mittendi sanguinem, quæ tractatio propterea semper difficilis habita est, quoniam non tantum antiquissima fuit lis inter Arabes, & Græcos, verumetiam inter ipsosmet Græcos fuit quoque ingens controuersia; cum alij ab opposito latere, alij vero ab eodem, sanguinem mittendum esse contenderent.

Quia vero multa sunt scripta excellentium virorum, in quibus disputationes, fuse tractatas videre potestis, tantum sententiam meam diserte, & dilucide explicatam vobis dabo.

Auctoris sententia. Suppositio 1.

Pro qua proponenda necesse est nonnulla tanquam firma, & certa supponere. Primum sanguinis missionem tres potissimum fines inter Medicorum operationes habere, vnus, vt per eam reuellatur, & fluentium humorum impetus retardetur, alter, vt humores, qui fluxi sunt, euacuentur, tertius, vt simul, & reuellatur, & euacuetur.

2.

Secundo supponere oportet vbi reuellendum est, quemadmodum docet Galen. & Oribas. de reuuls. & præsertim Gal. 13. meth. & lib. de curat. per sanguinis missionem, necesse est, vt a remotissimis partibus sanguis trahatur, ita tamen vt rectitudo seruetur, quod Hip. dixit, κατ' ἴξιν: rectitudo autem attenditur penes longitudinem, & penes latitudinem, quemadmodum docet Gal. 3. lib. de fract. t. 10. vbi autem euacuandum est, debet fieri sang. missio a propinquis partib. Ceterum vbi, & reuellere, & euacuare simul oportet, tunc in sanguine mittendo locus est eligendus, qui nec admodum remotus, nec admodum propinquus sit loco patienti.

3.

Tertio magnopere differre, vtrum morbus sit in principio, an in progressu, quippe cum secundum tempora morborum varientur remedia.

4.

Quarto sciendum, plurimum referre, vtrum in corpore, quod affectum est pleuritide, sit copia sanguinis, vel sponte coaceruata, vel propter sanguinis aliquam suppressionem. Potest vltimo loco, & illud addi, valde referre, ad quem locum inclinet magis dolor, an ad hypochondria, an vero ad iugulum.

5.

Concl. 1.

His suppositis iam has propositiones tanquam firmas, & ratas habeo, quia rationibus, & autoritatibus Gal. ac aliorum nituntur. Prima propositio est, quando tota materia influxa est, si copia sanguinis adsit coaceruata ob aliquam sanguinis suppressionem, nempe hæmorrhoides, vel menstruas purgationes, tunc sanguinem mittendum esse a partibus infernis, id est, a saphena, quo pacto si Auic. locutus est, quando commendauit huiusmodi venæ sectionem, certe quantum ego puto, prudentissime locutus est.

Concl. 2.

Præterea si morbus sit in initio, ita vt nihil materiæ fluxum sit, & in corpore sanguis copiosus sit sponte coaceruatus, tunc sanguis mittendus est a latere opposito loci affecti, quia tunc opus est sola reuulsione, & per secundum suppositum reuulsio melior fit a partibus longinquis, quam a proximis.

Et hoc pacto est intelligendus Archig. apud Aet. Aretæus, & Arabes, quicunque commendarunt venæ sectionem ex opposito latere.

Conclus. 3.

Ceterum si morbus non sit in principio, sed in progressu, atque adsit plenitudo sanguinis, vel etiam si non sit insignis plenitudo, sanguinem mittere oportet ab eodem latere, quemadmodum Hippoc. 4. acutor. 73. Et ratio est, quoniam vbi morbus est in progressu, ita tamen vt adhuc augeatur, certum est opus esse non solum reuellere fluentes humores, verumetiam sanguinem fluxum, qui distendendo dolorem facit euacuare.

Vnde cum venæ sectio, per secũdum suppos. quæ est media inter proximas, & remotissimas, cuiusmodi est vena cubiti eiusdem lateris, vim habet euacuandi, & reuellendi, hinc est, quod vtilissimum est, imo necessarium sanguinem mittere ab eodem latere.

Et quod hæc fuerit Hippoc.sententia, quando dixit secundo Acutorum,tex.decimo, mittẽdum esse sanguinem in pleuritide scilicet in principio accepto secundum latitudinem, potest intelligi, quia vult vt mittatur sanguis vsque quo permutetur color, vt scilicet ex hac venæ sectione euacuetur sanguis,qui fecit tumorem, & inflammationem.

Ex quibus omnibus debet colligi hoc veluti necessarium quoddam corolarium, quod in pleuritide frequentissime debemus sanguinem mittere a latere affecto,ratio est,quia semper,vt dicebat Conciliator, vocamus ad curandos pleuriticus peracto principio, quãdo inflammatio partim facta est,& partim fit. Hinc Galen.libro de curan.ratione per sangu.miss.cap.16.dicebat sectionem venæ lateris oppositi in pleuritide aut exiguam,& obscurissimam, aut tardam vtilitatem adferre. nam videns Galen. Medicos curare pleuritidem semper fere transacto principio, non mirum, quod ipse experientia ductus exiguam vtilitatem adferre dixerit, quoniam cum hoc tempore opus sit sectione venæ,quæ euacuet,& diuertat,quę vero in latere opposito fit,solum diuertat,verissima Galeni doctrina,parum iuuare,aut tarde.

De mensura sanguinis in pleuritide mittendi Hip.nonnullis visus est sibi contradixisse,quandoquidem 2.de acut.t 10.præcipit,vt mittatur sanguis donec,vel rubeus exeat,vel pro rubeo liuidus.Sed 4.de acu.t.74.postquam dixit mittendum esse sanguinem, a latere affecto, dixit quoque mittendum esse habita ratione temporis anni, virium, & aliorum, quæ requiruntur: subiungit,si dolor vehementissimus sit, etiam vsque ad animi deliquium mitti debere.

Mẽsuras sãguinis mittendi.

Ex quo loco atque experientia Galen. deinde primo apho.23. in fine dicit, ad dolores vehementes mitigandos nullum esse magis præsentaneum remedium venæ sectione, vsque ad animi defectum.

Aur. &c. reprehẽdunt Hippoc.

Cæl.Aur. & Aretæus, & Archig. apud Aetium hac de re in tribus Hip. damnare ausi sunt.1. quod sibi ipsi discors fuerit, cum aliter definiat mensuram sanguinis mittendi in 2. lib. aliter in 4.lib.de acutis. Præterea, quod voluerit expectandam esse permutationem coloris sanguinis in liuidum, & hac ratione vtuntur, quod sæpissime contingat, nihil sanguinem fluentem mutari: adeo si semper expectanda esset huiusmodi mutatio, interdum prius æger interiret quam sanguis mutaretur. Tertio, quod male consuluerit mitti debere sanguinem vsque ad animi defectum,quia in pleuritide necessarium est,vt vires conseruentur,imo vero dicit Gal.vnicam spem salutis in pleuritide collocatam esse in virium robore. Quo fit, vt si sanguis mittatur vsque ad animi defectum,vires fractæ non possint in posterum vim morbi sustinere.

Defensus Hipp.

Verum quod pertinet ad primam accusationem, si mens Hippoc.spectetur, minime sibijpsi dissentaneus est,quia sententia eius tota,& simul coniuncta,hæc est, vt quia euacuandus est sanguis,qui inflammationem facit,eo vsque euacuetur,donec aliqua pars illius sanguinis exeat.

Quod si interdum contingat non exire,vel non posse exire,vult Hippocrates,vt tum nõ expectetur mutatio,sed mittatur tantum sanguinis,quantũ permittunt ætas, tempus anni,vires, &c.

Quod si vires ferant, & ætas,atque alia, & tamen dolor vehementissimus sit, tunc sapientissimus senex laudat, vt sanguis vsque ad animi defectũm mittatur. Vt si ita coniungamus dispersas Hip.sententias, magnopere sibi consentiat.

Quod ad secundam, & tertiam accusationem spectat, Gal. qui vidit experimentis minime correspondere sanguinis illam mutationem in varios colores, dixit, sat esse, vt expectetur aliqua mutatio.

Quam sententiam magnopere probo; neque tamen improbandus est Hippocrates,qui cum multa posteris ex sola obseruatione reliquerit,etiam hoc præceptum,quãtum ego puto, ex suis diligentissimis obseruationibus nobis attulit. Verumtamen qui hodie factitant medicinã parũ videntur curare hoc mensuræ sanguinis documentum; & ratio est,quoniam nos non ita audaces,& confidentes in mittendo sanguine sumus,quemadmodum erant veteres,apud quos ℥.10. id est,vna hemina erat minima mensura,quæ apud nos fere maxima est.

Num ad lipothymiam mittendus sanguis.

De animi deliquio,certe sum, & ipse huius sententiæ, in pleuritide omnino respuendum esse huiusmodi consilium, quia opus est, tum propter dolorem, tum febrem, tum propter tussim, validis viribus, quæ sane esse nequeunt, si tortio copiose sanguis mittatur. Ea propter siue hoc Hippocrates, nobis ex obseruatione dederit, siue temperamenta, & consuetudines corporum, quæ ipse curabat,hoc permitterent,nostra tempestate perniciosum, nedum inutile est.

Rases 4. contin. dixit, sanguinem mittendum esse habita ratione febris, difficultatis anhelitus,magnitudinis,& vehementiæ doloris,& tussis, vt vbi malum sit vehementius,tum plus sanguinis adimatur,contra minus,si minor morbus inueniatur. Atque hæc lex metiendi sanguinis mensuram,posita est in iudicio Medici,qui mensuram definire potest,habitis his rationibus.

Post sanguinem missum Hippocrates, siue alius auctor 4.de acut.t.75.iubet, vt inijciatur clyster;& si dolor infra vergat ante quartam diem vel in ipsa quarta die purgetur.Circa quod cõsilium duo sunt videnda; Cur Hippoc.post sanguinis missionem,& non antea iubeat inijci clysterem;secus enim hodie operantur Medici.2. Cur Hipp.quartam diem præfiniat purgationi.

Cur clystere post.v.s.vtatur Hipp.

Circa primum dicendum, Hipp. consilium de clystere post sanguinem missum adhibendo, minime præfinire,vt etiam ante sanguinis missionem non possit fieri.

Imo vero cum perpetua sit lex, ne mittatur sanguis priusquam sint exonerata intestina, puto Hippocratem,supponere,antequam mittatur sanguis,vt nisi sponte fluat aluus, sit liquanda, & mouenda clystere, quem tamen laudat etiam post sanguinis missionem, vt magis exoneratum corpus, possit non solum sustinere, verumetiam minuere dolorem; quandoquidem

dem

dem scimus etiam euacuationes per pharmaca non parum conferre doloribus leniendis.

Quamquam etiam puto eadem ratione hoc fecisse, vt possit melius præparari corpus ad purgationem, quandoquidem alias dixit in aph. corpora, quæ purganda sunt, prius fluida esse facienda.

Ratio etiam, propter quam Hippocrat. quatuor dies præfiniuit purgationi, triplex est, primo, vt maior certitudo habeatur, vtrum pleuritis sit legitima, an illegitima; id quod ego colligo, quoniam vult purgandum esse, si dolor infra vergat, quod quidem est, perinde ac si dicat, purgandum esse, si pleuritis fiat ab humoribus extra pectus.

Cur 4. diem Hip præfiniat purgationi.

Altera ratio est, vt ad purgationem præfinito temporis spacio possit corpus præparari. 3. vt a missione sanguinis recreatæ hoc interuallo vires, possint tutius purgationem ferre. Vnde videre potestis, quanta prudentia locuti sint veteres, & quam diligenter ipsorum documẽta sint expendenda.

His omnibus peractis, in finienda pleuritide superest, ut industria Medici in eo potissimum versetur, vt materia, quæ facit inflammationem, euacuetur, non modo externis, verum etiam internis. Externa remedia eas conditiones potissimum habeant, vt pectus emolliant, quo possit sufficere, & tussi, & difficultati anhelitus.

Debent etiam facultatem blandam habere discutiendi humores illos insensibiliter, & propterea fiunt inunctiones ex sem. lini, ex ol. viol. ex. ol. amyg. dulc. anethino. Laudant etiam theriacam diatessaron, quæ vim habet discutiendi, propterea potestis vos hanc iniunctionem primis diebus parare.

Linimẽtum pectoris.

℞. Ol. sem. lini.
Ol. viol. an. ℥. ß.
Cymini. ℈. ß.
Cera parum. M. & f. linimentum.

Vt autem magis discutiat, hoc linimentum efficax est.

Aliud.

℞. Theriaca diatessaron ʒ. j. ß.
Ol. aneth.
Ol amyg. dulc. an. ℥. ß.
Succi brassicæ, ʒ. iij. M. & f. linimentum.

His propositis scopis fiunt etiam Emplasmata ex farinis, & ol. consimilibus.

Interna remedia debent, & ipsa tria præstare. 1. vt viæ pectoris parentur, & dilatentur, quo scilicet materia morbifica educi queat. 2. vt materia præparetur, id est, si crassa sit, & viscida, detergeatur, incidatur, & attenuetur; sin autem tenuior sit, vt paulisper crassefiat; nam sicut crassior materia difficilius educitur, sic si tenuior sit, elabitur, ac vim expultricem quodam modo effugit.

Pro parandis vijs, hoc est, pro humectando, & dilatando pectore, vtimur ol. amyg. dul. cum modico sapæ, aq. pectorali, quæ tepida, & in pauca quantitate, sed frequenter sumitur, vt ore detineatur, ac paulatim in asperam arteriam illabi permittatur; vtimur etiam quibusdam alijs liquoribus, vt in materia crassa.

Syrupus pector. in materia crassa.

℞. Syr de hyssopo.
De prass.
Oxymel. simpl. an. ℥. j. M.

In materia tenui.

Syrupi in materia tenui.

℞. Syr. de papauere. ℥. ß.
De intubis ℥. j. M.

Quod si difficulter expuant ægri, vt tussis excitetur, & frequenter expuere cogantur, solemus etiam addere oxym. simpl. vel syr. acetosum simpl. Pro præparanda materia, attendendum si crassa sit materia, vtimur huiusmodi Syr. vel summo mane, vel etiam omni tempore paulatim.

Præparans materiam crassam.

℞. Fol. capill. veneris.
Fol hyssopi.
Betonicæ an. M. ß.
Liquiritiæ ʒ. ij. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Oxym. simpl. ℥. ß.
Syr. capil. veneris.
Syr. de hyssopo an. ʒ. v. M.

Et pro hac expectoranda siue educenda materia vtimur eclegmatibus, siue electuarijs; Ex. gr.

Elect. ad expectorãdum in materia crassa.

℞. Amygd. dulc. ℥. j.
Dia penidij ℥. ß.
Succi liquiritiæ ʒ. j. ß.
Cum syr. de hyssopo q. s. fiat elect.

In materia autem tenui, & subtili solemus similibus vti serapijs

Præparans materiã subtilem.

℞. Fol. hyssopi P. ß.
Fl. violarum M. j.
Caricar. N. v.
Iuiubar. N. x. f. decoctio.

Deinde ℞. d.d. ℥ iiij.
Syr. de iuiubis.
Syr. de papauere.
Syr. violati an. ℥ ß. M.

Elect. expectorans in materia tenui.

Electuarium autem pro materia tenui simile potest ordinari.

℞. *Sacch. violacei.*
Diadragacanthi. an. ℥. ß.
Loch pini.
Loch farfarae an. ʒ. j.
Cum syr. de iuiubis f. elect.

A proprietate cōferētia.

Solent practicantes admiscere tum syr. tum elect. puluerem dentis apri, quasi a proprietate occulta huiusmodi puluis mirifice valeat, & ipse quoque soleo interdum cum fructu hoc remedium vsurpare, quia vim habet extenuandi, & exsiccandi, vt postulante vsu bene omnino adhibeatur.

De vsu purgantium in pleur.

Postremum est, vt de medicamentis purgantibus paucula dicam, nam veteres, qui vtebantur frequenter validissimis medicamentis, etiā in pleuritide similibus medicamentis vsi inueniuntur; sed cum hęc medicamenta calida sint, & febres pleuritice acutissimę, & interdum ardentes sint, cōsulo omnino, vt ab vsu similium medicamentorum abstineatur, & loco ipsorum vel syr. viol. sol. vel cassia, vel manna, quę cum gummi sit, pectori amica est, vel quopiam alio blando medicamento utamini. Ab ijs quoque abstineatis, quę aliquam vim adstrictoriam habēt, vt sunt tamar. myrobal. qui etsi aluum subducant, habent tamen vim adstrictoriam coniunctam.

CAPVT X.

De Peripneumonia.

Nomen.

INter inflammationes partium spiritualium cōnumeratur & alia, quae a Grecis vocatur περιπνευμονία, seu περιπνευμονία, Latini vocant modo nomine Graeco, modo appellant pulmonis inflammationem: aliqui etiam vocarunt pulmonariam. Nomen autem hoc, vt scribit Gal. 2. meth. deductam est a parte affecta.

Definitio.

Est Peripneumonia, secundum sententiam omnium Graecorū, & praesertim Aretaei, & Aetij, inflammatio pulmonis cū febre acuta. Ex quo colligere licet, esse morbum in magnitudine aucta, in intemperie, nec non etiam in continui solutione.

Genus morbi.
Locus affectus.

De loco proprie & peculiariter affecto discordes fuerunt veteres: Alij enim putarunt vniuersum corpus esse locum affectum, vt Soranus, & Cael. Aurel. alij vero tantum pulmones: sed, & postremi hi in varias sententias distracti sunt. Diocles putauit venas proprie affici in Peripneumonia, quia humor, qui inflammationem facit in venis continetur. Praxagoras voluit proprie affici eas partes pulmonum, quibus alligantur dorso; forsan ea ratione inductus, quod dolor maxime in illis partibus oriatur. Asclepiades cum videret ingentem anhelandi difficultatem in hoc morbo, credidit locum proprie affectum esse bronchia pulmonum, per quae solet potissimum impediri respiratio.

Ceterum sum huius sententiae, in peripneumonia affici per se parietes vasorum, & partium magis neruosarum, communicari autem affectum toti pulmoni, & praesertim partibus proximis illi parti, quae inflammata est; haud secus atque diximus contingere cerebro in phrenitide.

Nisi etiam dicere placeat, pulmones essentialiter, tum secundum vasa, tum secundum substantiam affici, secundum vasa, quia humores, qui tumorem faciunt, in vasis continentur: secūdum substantiam, quia videtur etiam toto pulmonis substantia permutata, & aucta.

Causae internae & immediata.

Causae huius inflammationis internae, & immediatae, vt est secundo, de loc. affect. 9 & 6. apho. 33. sunt omnes humores. Sed hac etiam in re non ignobilis offertur dubitatio, siquidem Galen. quarto, de caus. puls. capite 12. diserte scribit, pulmones non posse tentari vllo humore ab humore biliosu, quia cum huiusmodi humor sit tenuissimus, & maxime mobilis, facile elabitur a venis pulmonum, ita vt non possit colligi, nec in tumorem eleuari, quemadmodum faciunt humores crassi. Idem Galen. 4. de loc. affe. scripsit, Peripneumoniam frequētissime fieri a pituita, ab alijs humoribus rarissime. Magnus Auerz. li. r. suae med. tract. 1 1. c. 2. dixit, Peripneumoniam nequaquam fieri posse ab humore melancholico, eo quia huiusmodi humor propter sui aciditatem non sustinetur a pulmonibus, sed ab ipsis longe lateque repellitur. Auerrh. etiam 4. coll. ca. ni fallor 52. professus est, huiusmodi morbum fieri frequentissime a sanguine, nūquā a bile, quia haec propter sui naturam, & ob pulmonum humiditatem non potest neque fundi, neq; fusa facile colligi. Ab alijs humoribus inquit Auerrh. fieri, sed raro. Vt in hac re quot sunt scriptores, tot videantur esse sententię.

Num a bile & melāch.

Resolutio.

Veruntamen duo supponatis. Vnum, duplicem esse Peripneumoniam, aliam quę sequitur, alios morbos, aliam vero, quae fit a principio, nec vllum antecedentē morbum sequitur. Alterum humores efficientes Peripneumoniam, vel colligi in pulmonibus paulatim, vel ad pulmones aliunde corriuari: in pulmonibus colliguntur excrementa biliosa maxima ex parte, quia vt

audiui-

audiuistis, pulmones nutriuntur sanguine bilioso. Vnde Conci. solebat reprehendere Mesuen, quod dixerit, excrementa, quæ colliguntur in pulmonibus, esse pituitosa.

His hoc modo constitutis, dicendum est, peripneumoniam, quę fit incipiendo, fieri a bile, vnde eum, vt dicit Serapion, hęc Peripneumonia rarissime contingat, hinc fit, vt etiam rarissime fiat a bile. Atque ita interpretãda est Galen. auctoritas 4. de caus. puls. Quæ vero fit post alios morbos, potest fieri, tum a sanguine, tum a pituita, tum a melancholia. Sed differentia est, quia a melancholia rarissime fit, propter causam allatam ab Auenzo. & etiam, quia hic humor non multiplicatur in pulmonibus, neque ad eos facile mittitur. A pituita fit frequentissime, vt est 4. de loc. affect.

Quare notare debetis, Galenum, dum inquit non fieri, nisi ab humoribus viscidis, & crassis, loqui de Peripneumonia consequente alios morbos, vt pote, quæ frequentius contingit, quãdo vero Auenzoar scribit fieri a sanguine, vel puro, vel bilioso, loquitur de ea, quæ fit inchoando. Sic, dum Auerroes ait, nunquam fieri a pituita, intelligendũ hoc est de pituita syncera, & pura quia etiamsi a capite in pulmones affatim precipitetur, ibidemque tussim, ac anhelitus difficultatem causare soleat, vix tamẽ, imo ne vix quidem fieri potest, vt ab ea, quæ est humor frigidus inflammatio oriatur, atque adeo magnum incendium, quale est in peripneumon. Et si quando Galenus dixit fieri a pituita, loquutus est de sanguine pituitoso.

Num a pituita oriatur peripn.

Concludo igitur, dicendũ, frequentissime fieri a pituita, deinde a sanguine, tertio a bile, rarissime, a Melancholia.

Causæ mediatæ, & externæ sunt fere omnes illæ, quas audiuistis esse pleuritidis, addunt nonnullas Hippocrates primo de morbis, & libro de aere, aquis, & locis, necnon Cœlius Aurelianus. Hippocrates quidem ebrietatem, vsum carnium immoderatum, & aquarum mutationes, propter quod dicit in regionibus lacustribus, & paludosis fieri frequenter Peripneumoniam ob aquarum vitium. Cælius vero addit venena: nam lepus marinus si forte deuoretur, solet pulmonem exulcerare naturæ proprietate, & consequenter inflammationem visceris producere. Addit quoque medicamenta ex Opio, ex Hyosciamo. Addo, & ego clamores, quia cum in his laborent pulmones, facile incenduntur, & inflammationem contrahunt.

Causę mediatæ, & externæ

Signa distinctiua sunt ea, quæ ipsam distinguunt a difficultate anhelitus, tum a Pleuritide. Distinguitur enim a difficultate anhelitus, quia in hac est capitis affectio, non febris, non genarum rubor, quæ omnia reperiuntur in Peripneumonia. Distinguitur a Pleuritide, quia in Perip. multo maior est anhelandi difficultas, adest genarum rubor, nullus adest dolor pungitiuus, imo nullus fere dolor, quia vt dicit Aretæus pulmones, cum sint plene sensus expertes, nec habeant musculos, neque neruos sensui inseruientes, non possunt, neque sensum participare, neque etiam dolorem pati.

Signa distinguẽtia a diffi. anhelitus. & a pleuritide.

Sed oritur difficultas, quia Hipp. lib. de locis in homine ponens differentiam inter Peripneu & Pleuritidem dicit, in hoc differre, quia in Peripneumonia dolor est in vtrisque lateribus, in Pleuritide dolor est tantum in uno latere. Præterea idem Hipp. in primo, de morb. inquit, rem memoria dignam contingere in affectibus pulmonum, quoniam sicut in ceteris partibus dolores fiunt maiores, dum pus conficitur, quam confecto iam pure, vt est 2. aph. sic in affectibus pulmonis contrarium contingit, & præsertim in Peripneumonia, in qua cõfecto pure fiunt dolores acerbiores, quam dum conficitur pus. Vt ex his omnibus facile liceat colligere, pulmones sensus non esse expertes, & in ipsorum inflammatione fieri dolorem.

Obiectio.

Sed respondeo dolorem in Peripneumonia posse intelligi adesse, vel ratione partis affectę, vel ratione aliarum partium compatiẽtium, si intelligamus dolorem adesse ratione ipsius pulmonis, hoc falsum est, quia pulmo vix dolet, imo vix sentit, & prudẽter dicebat Cellus, quod in Peripn. plus reperitur periculi, quam doloris: Si vero intelligatur dolorem inueniri ratione aliarũ partium, hoc quidem verum est, quia (vt dicebat Hipp.) pulmones dum in tumores attolluntur, vtraque latera contãgunt, ex quo contactu latera dolent. Hæc est ratio doloris in Peripneumonia, quanquam non defuerint, qui alia ratione dolorem inueniri in hoc affectu dixerunt, nimirum ob membranas, quibus pulmones costis, & dorso alligantur, nam cum pulmones maiores effecti deprimant has membranas, necessario dolorem faciunt, quod tum non est ratione pulmonis, sed ratione partium proximarum.

Iam vero signa propria Peripneumoniæ sunt, delirium, & Coma; nam prout vapores, vel crassiores, vel acriores sunt, qui in cerebrum attolluntur, sic modo delirium, modo soporem inducunt.

Signa propria

Pręterea est tussis sicca, difficultas anhelitus immanissima, & talis, vt miseri ægri præ hac difficultate nequeant quiescere, nec respirare, nisi erecti.

Pulsus, vt est in introduct. ad pulsus, & 4. de caus. puls. magnus est, ob inflammationis magnitudinem, languidus ob vires fractas, mollis ob mollitiem pulmonis affecti; est quandoq; etiam dicrotos, id est, bis pulsans.

Pulsus.

Præterea sputa Peripneumonicorum modo subbiliosa, modo subcruẽta sunt, nunquam autem copiosa: genas habens rubentes, ita vt dicat Rases, eas videri veluti depictas. Causa autem huius coloris est, quia aer, qui in pulmones recipitur, ob incendij vim ignitur, ignitus fertur in ora, in vultum, atque secum ducens sanguinem eas partes merito rubras, & sanguineas reddit: quę etiam est causa, vt quemadmodum dicit Nicander, lepus marinus, qui vulnerat pulmones ruborem genarum inducat.

Sputa.

Cur genæ rubeant.

Pręterea

Præterea est in Peripneumonia ingens grauitas thoracis, calor totius corporis insupportabilis, color corporis flauus, sitis ingẽs. Addo ex Arist. 27. probl. 4. & ex Plut. 7. symp. quæstio. prima maximum vini desiderium, cuius euentus rationem adferens, inquit sitim in animalibus oriri potissimum ob pulmonis incendium, vt, quæ animalia calidiores pulmones habent, magis etiã sitientia sint. Vnde cum Peripneumonia, & pleuritide pulmones maxime flagerent, fit consequenter, vt sitis incredibilis excitetur. Quoniam vero sitis est appetitus frigidi, & humidi, non cuiusuis, sed illius, quod maxime potest huiusmodi desiderium explere, hinc fit, vt Peripneumonicus exoptet maxime vinum, tum ob magnitudinem sitis, tum, quia vinum cum sit humidum corpus, & maxime penetrans, potest magis, quam aqua, dicit Arist. irrigare pulmones, & consequenter desiderium, & sitim explere.

Gazæ errores duo.

Sed notate vos, qui literas Græcas ignoratis, Gazam alioqui virum, & interpretem grauissimum duos errores in eo problemate commisisse. Vnum, quia cum deberet traducere Peripn. transtulit anhelitus difficultatem, nam ignarus medicinæ, putauit, quia in peripneumonia fit anhelitus difficilis, eandem esse vtrumque affectionem. Alterum, quia vbi Arist. dicit pulmonem fieri calidum διὰ τὴν θερμασίαν, id est, ob calefactionem, siue incendium, putans hanc esse veluti quandam nugationem transtulit instrictionem, vocabulo, quod nunquam alias audiui, nisi, vt suspicor, sit etiam error in textu latino.

Signa causarum.

Signa causarum præcipue sumuntur a colore eorum, quæ expuuntur, quoniam si sputa sint alba, insipida, signum est a pituita fieri, si flaua, a bile, si rubra a sanguine, & si nigra a melancholia. Addo a temperamento, ætate, ratione victus anteacta, summatim ab ijs, quæ indicant humores dominantes, in causarum cognitionem vnumquemque facile deduci posse.

Et sicut diuersę sunt causæ Peripneumoniæ, sic diuersi oriuntur effectus, nam ea Peripneumonia, quæ oritur a pituita, & melancholia est cunctis diuturnior, sed, quæ a pituita, blandior, quæ a bile, deterrima, vt, & quæ a sanguine non admodum bona est. Iuuenes, & consistentes magis iugulantur, quam senes, quia calidiores cum sint, non solum maiores inflammationes contrahunt, sed, & peiora accidentia sustinent.

Prognostic.

Omnis Peripneumonia est morbus acutissimus, ita, vt interdum quarta die, sæpe septima, nonnunquam decimaquarta iugulet. Hippocrates, in Coacis prænot. scribit peripneumoniam, quę fit post pleuritidem, securiorem esse ea, quæ fit a principio. Cælius Aurelianus contra hanc Hippocratis sententiam, inquit periculosiorem esse, quæ fit post Pleuritidem, quam, quæ fit a principio, & ad hoc probandum vtitur duabus rationibus. Vna quia illa peripneumonia fit cum viribus fere a morbo præcedente superatis, vnde hac ratione debet esse periculosior; Quis enim non videt, si morbo magno alius magnus morbus superaccedat, necessarium fore, vt fractæ antea vires, penitus extinguantur.

Altera ratio est, quia in pleuritide iam consumpta sunt omnia remedia, vnde cũ succedit peripneumonia, non possunt amplius auxilia semel administrata adhiberi. Pro huius difficultatis solutione, dicendum puto, Peripneumoniam dupliciter posse considerari, vel quo ad causas, vel quo ad accidẽtia; si consideretur quo ad causas, profecto peripneumonia, quæ succedit pleuritidi est mitior, quam ea, quę fit a principio, quandoquidem, vt supra etiam monui, dũ de pleuritide agerem, non est difficile pulmones iam a pleuritide perturbatos nouum aliquem morbũ concipere; sed, vt a principio pulmones inflammentur, id minime fieri potest, nisi ingentes, imo grauissimæ causæ accedant.

Signa morituri perpneumonici.

Si vero, quo ad accidentia consideretur, profecto perniciosior est ea, quæ fit post pleuritidem eo, quod, vt dicebat Cælius, contingit hãc fieri viribus omnimodo prostratis, & remedijs ex parte incassum prærogatis. Aretęus, inquit, si peripneumon. comitentur vigilię, somni praui, tardi, & soporosi, imaginationes confusæ, pulsus minimi, vngues liuidi, extremorum frigiditas, atque mentis inconstantia, lethale; contra si, vel larga sanguinis per nares effusio adfuerit, vel alui profluuium, vel vrinæ purulentæ, quasi necessarium sit, si quisquã debeat ab hoc morbo seruari, vt altero horum signorum seruetur.

Sed dicetis quomodo fluxus alui potest esse signum salutis in peripneumonia? scribit enim Hippocrates sexto Aphorism. decimosexto, quod in pleuritide, & peripneumonia, si alui fluxus superueniat, lethale est.

Num fluxus alui in perip. bonus.

Respondeo cum Galeno Hippocratis sententiam Intelligendam de magna inflammatione, & ante morbi coctionem, quia si morbus sit mediocris, & appareant signa coctionis, tantũ abest fluxum alui esse lethalem, vt potius sit salutaris; in magna vero Peripneumonia est lethalis quia non euacuatur materia morbifica, & indicium est, iecur valde incensum esse, cum faciat hunc alui fluorem.

Notandum illud, quod apud Plutarchum habetur in quæst. nat. quęst. 26. vbi scribit ex sentẽtia Mnesithei Medici tãtopere a Galeno 1. ad Glauconem celebrati, eos, qui in principio inflammationis pulmonum cæpas concupierant, ea morbo seruatos: qui vero ficus optabãt, interiisse.

De causa huius rei, nihil aliud refert nisi, quia appetitus temperamentum, temperamentum vero affectus consequatur.

Curatio.

De curatione consentiunt omnes Medici eandem esse, cum curatione Pleuritidis. Verumtamen, sunt quædam etiam in hac peculiaria; primum circa victum, vt eligatur aer temperatus, nec admodum lucidus, ea propter iubebat Celsus sępius, & per interualla aperiri fenestras, præsertim dum morbus remittitur.

Sed

Sed de aere, volo, noretis errorem, qui reperitur in Auerr. lib. 7. collect. c 9. vbi scribit, Peripneumonicos consueuisse mitti in Aethiopiam, & Arabiam: quod longe abest ab omni ratione, cum neque acuties morbi, neque natura patiantur, aut longum iter, aut plagas cæli vsque adeo seruidas; vnde pro Peripneumonicis debetis intelligere phthisicos, vel Empyicos, quos alias intellexistis consueuisse mitti in Aegyptum. Abstinendum ab omni motu, præsertim a clamore, imo a quolibet sermone. Aluus mollis seruanda est, & de cibis conueniunt omnes, debere esse extenuantes, propter quod plerique laudant vsum mellis cum ptisana.

Victus ratio.

Locus Auer rho. corrigitur.

Hipp. 3. de mor. laudat dulcia, sed magnopere dubito, quoniam si verum est, quod dicit Gal. plerisque in locis, dulcia aduersari iecori, & lieni inflammatis, idem quoque dicendum videtur de inflammato pulmone.

Num dulcia conueniant.

Verum respondeo, neque mel, neque dulcia conuenire sola, sed permista, sc. vt crassiores cibos extenuent. Soleo commendare, vt potius iura tenuissima parentur cum hyssopo, cum origano, cum satureia, atque deinde his iusculis liquetur ptisana, sic enim absque vsu mellis fit cibus, & ptisana extenuatoria. Panis etiam lotus conuenit cum Sacchato, similiter nuclei pinei cum saccharo.

Summatim prohibentur omnia aeria, amara, adstringentia, & Gal. 1. de acutis, 18. etiam acida prohibet.

Vnde non possum laudare Auic. qui acetum cõmendat, quod teste Rase 4. cõtin. Peripneumonicis est aduersissimum. Neque valet, quod Paulus Aeginera vtatur amygd. amaris, quia vtitur cũ amylo, vt nimia viscidiras amyli corrigatur facultate amygd. amararum abstersoria.

Debet autem cibus offerri sæpe, sed in exigua quantitate, ne augeatur multo cibo anhelandi difficultas.

Pro potu conuenit aq. hordei cum sacch. vel simplex, vel etiam admisto iulepo violaceo. Aliqui commendarunt pro potu vinum granato. dulcium, sed cum adstringentia omnia sint inimica huic affectui; & Gal. 8. de med. loc. scribat, etiam dulcia granata adstringere, non possum commendare. Nam & Auic. siquando vtitur granatis dulcibus, vtitur ad compescendum fluxum alui superuenientem importune in pleuritide. Debet autem potus paulatim, & exiguus sumi, nec vnquam frigidus, nam si nimio potu irrigantur valde pulmones, suppeditatur somentum ipsi inflammationi, quemadmodum quando oleum suppeditatur igni.

Potus.

Post victum cogitandum est de s. m. in qua re est quoque controuersia: nam Asclepiades noluit vnquam mittendum esse sanguinem, tum, quia nullus adest dolor, tum quia sanguis tenuis est. Sed hæ rationes non valent, quia etsi dolor a s. miss. sæpe leniatur, non tamen valet, non conuenire hoc auxilium absente dolore.

De venæ sectione in peripn.

Preterea etiam si sanguis tenuis sit, venæ tamen pulmonum exinanitæ faciunt, vt pulmo possit liberius moueri, & consequenter melior reddatur spiratio. Auic. voluit mittendum esse sanguinem, si adsit plenitudo. Sed ego sum in ea sententia, nisi peripneumonia fiat a pleuritide, & in ea antea fit missus sanguis, & summatim, nisi quid impediat, optimum esse sanguinem mittere, si non ob aliud, saltem, vt euacuatis venis pulmonum refrigerentur, & consequenter leniores fiant.

Locus sanguinis mittendi est a vena interna illius cubiti, vbi apparet magis dolor, aut cubiti dextri. Et quantitas metienda est secundum magnitudinem symptomatum, & virium, ita tamen, vt semper caueatur animi defectus. Si non liceat secare venam, consugiatis ad cucurbitulas tum scapulis tum thoraci adhibitis. Sed non desunt, qui hoc damnant, eo, quod periculum sit, ne per cucurbitulas magis trahantur humores ad pulmones.

Quæ vena secanda.

Veruntamen hallucinantur isti, quoniam si verum est, quod frequentissime scribit Galenus cucurbitulas attrahere a profundis partibus, negari non potest, quin cucurbitulæ thoraci, & scapulis adhibitæ attrahant ab intimis pectoris partibus ad cutem, & ad extimas, & in hoc genere vtiles quoque sunt circa artus, & extrema, leues frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ siccæ.

Post hæc pergente morbo solemus vsurpare purgantia, sed hac quoque in re opus est, summa prouidentia, quoniam medicamenta paulo grauiora, inutilia, & perniciosa sunt, tum quia augent febrem, tum, quia impediunt magis respirationem, atque etiam sputa, propterea iure Auic. laudabat cassiam cum passulis, quæ vel potu, vel bolo administrari potest. Manna etiam optima est, exemplum vobis sit eiusmodi.

De purgationis vsu.

℞. *Fl. cassiæ* ℥. *vij.*
Mannæ electę ℥ *iij.*
Passul per colum extract. ℥. *ij.*
Pulu. liquirit.
Sem. fænic. an. ℈. *ij. Misc.* hoc enim purgat præsertim pectus, & pulmones, habet aliqua extenuantia, & quia Cassia flatuosa est, & hæc vitari debent in Peripneumonia, admiscentur ea, quæ vim habent flatum adimendi.

Purgans cõueniens.

Post purgationes deinde deueniendum est, ad ea, quæ expectorant, & faciliter materiam a pulmonibus deducunt.

Vnde omnia pene, quæ commendauimus in pleuritide ad prouocandum sputum, eadem quoque in peripneumonia conueniunt. Peculiariter dicit Gal. de simpl. med. a. cõuenire in omnibus apostematibus pectoris, mel, & butyrum simul mista. Sed notandum, ne butyrum sit vetustum, si quãdo placebit vti, quoniam si antiquum fit, acrimonia nõ careat, quæ Peripneumonicis

Mel et butyrum pectori amica.

nicis inimica est. Similiter etiam extrinsecus conueniunt ea, quæ emollire possunt, & nonnihil temperare feruorem pectoris, & pulmonis, quemadmodum esset hæc inunctio toti thoraci, & anterius, & posterius adhibita.

Linimẽtum.

℞. Ol. amygd. dulc.
Ol. viol. an. ℥. j.
Butyri recentis ℥. j. ß.
Succi maluæ.
Succi lactucæ an. ʒ. vj.
Cum modico aceti, & cera f. linimentum, & toti pectori tepidum illinatur.

CAPVT XI.

De empyemate.

Nomen.

POst pleuritidem, & peripneumoniam solet fieri alter affectus in pectore, qui a Græcis vocatur ἐμπύημα, sicut laborantes hac ægritudine appellantur empyici, Latini modo suppurationem, modo vomicam dicunt. Sed circa nomẽ duo notanda. Vnum suppurationem, modo vomicam apud Medicos Latinos cõplecti suppurationes in quacunque corporis parte factas, vt colligitur ex Celso lib. 3. c. vii. & ex Cæl. Aur. lib. 5. de diut. pass. Alterum apud Medicos Græcos nomen empyematis modo commune esse ad omnes suppurationes, vt, & Latinis vomica, modo peculiariter designare eam, quæ fit in thorace. De priore significatu locutus est Gal. 1. progn. 40. & Aretæus primo chro. passio. 8. De secundo locutus est idem 5. aph. 15. & 2. progn. 60.

Est autem empyema collectio materiæ purulentæ in thorace: materia autem purulenta interdum acris, fœtida, & turpis est, interdum benigna. Et cum colligitur in thorace, vel in dextra parte, vel in sinistra colligitur, vel in vtraque.

Genus morbi.

Est autem hic affectus morbus in numero, vt docet Gal. lib. de diff. mor. c. 8. Quanquam si ea, quæ alias docuit Gal. de morbo in numero expendamus, minime talis est, quia morbus in numero vere fit a materia naturali excedente, vt est sextus digitus, non autem a materia morbosa, qualis est purulenta. Itaque soleo interdum hunc potius morbum appellare in via, quia non tantum in empyemate impeditur via thoracis, quæ debet esse expedita, verumetiam huiusmodi impedimentum est causa læsionis anhelitus.

Locus affectus.

Locus affectus citra omnem controuersiam, est thorax.

Causæ.

Causas huius, Hippoc. in lib. de loc. in homine reduxit ad tria genera, ad defluxum, seu catarrhum, ad vlcus, & ad contusionem. Aretæus addidit alias, vt tussim, sanguinis effusionem; sed fere semper atque efficitur empyema, aut originem ducit a defluxu, de quo Hipp. 7. aph. 38. dicit materiam a capite destillantem, si videlicet in thorace retineatur, transire in suppurationem; aut ab aliquo vlcere, quod, vel sequitur inflammationẽ, vel sequitur vulnus, vel aliam apertionem vasorum; vt omnes causæ, tum internæ, tum externæ, quæ conueniunt ad destillationem producendam, aut ad vlcus efficiendum, possint appellari causæ empyematis.

Signa futuri empyematis.

Cognoscitur hic affectus futurus, vt docet Hipp. 2. progno. & Galen. 1. quia, vbi pleuritis, aut peripneumonia debitis auxilijs adhibitis perdurat, & adhæc febres, & rigores subsequuntur, simulque grauitas in thorace apparet, tunc suspicari oportet omnino malum in empyema esse desiturum.

Præsentis.

Vbi autem iam factum est empyema, cognoscetis proprijs signis. Primo tussis perpetua adest, quæ dum efficitur murmur in pectore percipi solet, quod Cæl. Aur. venustissimo quodam vocabulo appellauit ὑδαλισμός, quasi murmurantis aquæ fragorem. Et huiusmodi strepitus maxime persentitur, quando thorax huc atque illuc vertitur, vt monuit Galen. 4. de loc. aff. 8. Præterea empyici nullum appetitum habent, difficultate anhelitus laborant, & præsertim quando pus retinetur.

ὑδαλισμός.

Quomodo sputa purulenta cognoscantur.

Sputa purulenta sunt, sudor totius corporis adest; Sed quia opus est ingenio, & iudicio, vt discernantur sputa purulenta a non purulentis, tria signa vobis proponam, vnum, ex adspectu, quia phlegma habet colorem magis albicantem, pus vero cum sit confectum a calore, habet eundem velut cinereum ex odore, quia illud omni prauo odore caret, hoc autem præsertim, si carbonibus inijciatur, tetrum, ac fœtidum euaporat odorem. Tertium, & vltimum est, si sputa in vase aqueo ponantur, quæ si supernatare contingat, argumentum est phlegmatis, si vero fundum petere, puris indicium.

Huius ratio, credo, est, quia phlegma cum sit quid crudum, necessario flatus habet, ac aerem inclusum, qui efficit, vt materia illa non possit subsidere; Pus autem cum sit a calore confectũ, ac per consequens omni flatulentia priuatum, non mirum, si sua crassitie fundum petat.

Et quia Medici, qui vulgares non sunt, debent etiam præcise cognoscere, in qua parte thoracis pus contineatur, ea propter adhoc cognoscendũ solemus, & alia tria signa adhibere, primo, vt diligenter aduertatur, in qua parte maior grauitas percipiatur; quia vbi hæc est, ibi quoque pus adesse timendum est, secũdo, ex decubitu, quia super partem vbi pus est, facilius multo ægri decumbunt, quam super partem aduersam, quandoquidem si pus sit suspẽsum, magis grauat, & molestat, 3. lutum: nam si lutum supra thoracem vniuersum extẽdatur, fit, vt qua parte latet

pus,

pus, ibi magis exsiccetur, quod 1.probl.6.vel 7.significatum est, & ab Hippoc.lib.de affect.

Prognostic. Signa prognost. passim habentur apud Hipp. secundo, prognost.73. quinto, & septimo aph. atque in comm. primo, Galen. Inter quæ signa illud primũ est, empyemata, quæ sequuntur peripneumoniam, & pleuritidem, esse deterrima. Veruntamen, vt colligitur ex Hipp. lib. supra citato tex.79. Seniores potius intereunt, rationem adfert Galenus, quia enim in suppuratione ex pulmonia, aut pleuritide opus sit magnis viribus, vt repurgentur, & hę in senibus desiderẽtur, necessario sub morbo intereunt.

Fiunt plerumque empyici etiam phthisici, & diligenter Auicẽna, in cap. de empyemate proponit signa, quibus cognoscere possimus, quando empyici fiant phthisici, & est, quando collũ maxime extenuatur, quando tempora canescere incipiunt, pedes tument, vngues curuãtur, & tandem quando incipiunt illa signa, quæ audiuistis in capit. de phthisi.

Curatio. Curatio empyematis tota posita est in puris e thorace extractione: extrahitur autem, vel insensibiliter, vel sensibiliter. Et sensibiliter, vel per tussim, vel per aluum, vel per vrinam.

Diæta. Ad quos scopos explendos mirum in modum facit victus siccans, extenuans, & detergens. vnde aer siccus, vt ob hoc iure dixerit Auerr.7. collect. consueuisse mitti empyicos in Arabiã, & Aethiopiam, ob cæli siccitatem.

Potus. Dormiendum moderate. Aluus quotidie nisi sponte fluat, irritanda. A vino non est abstinẽdum, nisi febris magna sit, sed vinum pauciferum esse debet, aut aqua mulsa cum hyssopo.

Cibi. Cibi sicci, & extenuantes sint, propterea auium carnes laudantur, quæ coquuntur cum asparago, hyssopo. Gal. laudat allium coctum, laudantur cæpe, & porta. Alex. Trall. videtur commẽdare fructus; sed notandum in Latino interprete esse errorem, quia deest particula negatiua, quam habet textus Gręcus. Amygdalę tamen, pistachia, & alia huiusmodi, quę extenuant, & exsiccant, vtilissima sunt. Deinde studium ad puris e thorace eductionem conuertendum.

Pus maturantia. Sed antequam ad materiam remediorum descendatur; debet Medicus cogitare, vtrum pus vere maturum sit, an adhuc crudum, quod si crudum sit, maturandũ; in quo genere intra sumptum butyrum, & mel vtile est. Extra fiunt emplasmata ex violis, & maluis coctis, butyro, farina triticea, rad. altheæ cocta, & ceteris, quæ putantur magnopere conducere ad pus maturandum.

Vomicã rumpentia. Vbi pus factum est, oportet vomicam rumpere, quo possit exire pus, atque ad hoc solemus, vti varijs, nam sternutationem, & vomitum laudat, & iure, Cæl. Aur. quia motu illo apostemata matura sæpe diffinduntur. Sit intus huiusmodi decoctum.

Potus vomicam rumpens.

℞. Foliorum hyssopi M. ij.
Squillæ ℥. j.
Coquantur diligenter.

Deinde *℞. d. d. ℥. v.*
Syr. de prassio. ℥. j.
Oxym. scillit. ℥. ß. M.

Hoc enim potus genus sumptum, dum calet, miram potestatem habet frangendi vomicam, vt quoque stercus caprinum, melle, vel oxym. scillit. dissolutum, & thoraci adhibitum.

Topica. Postquam rupta est, studendum educere pus, vel sensibiliter, vel insensibiliter. Sensibiliter, si fieri potest, melius est, quia, vt habemus ab Hippocrate sexto. epid. tertio, melius, & felicius euacuantur abscessus sensibiliter, quam contra: tametsi non desint Chirurgi, qui statim atq; habẽt aliquod apostema, illud insensibiliter discutere aggrediuntur. Sensibiliter euacuatur, vt dixi, per tussim, uel per aluum, uel per urinam. Si magis appareat tussis, ijs agendum est, quæ lambendo, & tussim excitant, & materiam expectorant, ut est syr. de prassio, de hyssopo, & mel oxym. scillit. Simile quoque lambitiuum parare soleo.

Lambitiuũ ad expurgationẽ puris.

℞. Amygd. amararum ℥. j.
Loch farfaræ ʒ. iij.
Pulueris hyssopi.
Prassii.
Liquiritię an. ʒ. ß.
Cum oxym. q. s. Misce f. lambitiuum, quod paulatim sumitur, & deuoratur.

Si magis per aluum, clysteribus acribus, aut medicamentis purgãtibus aluũ cieat Medicus; quemadmodum si ad vrinam inclinet natura, multo melius est vrinam prouocantia adhibere, ita tamen, vt si febris vrgeat, dimittantur, quæ pure diuretica sunt, quoniam hæc, vt est 5. & 4. simpl. sunt admodum calida, & sicca.

Insensibiliter pus dissipantia. Si neque per tussim, neque per aluum, neque per vrinam purgentur, tum deueniendum ad ea, quæ insensibiliter dissecandi, & dissipandi vim habent, tam intus, quam extra adhibita. Intus confect. Mithrid. Athanasia: Ther. aut vetusta, aut media, vim insignem habent consumendi, & dissipandi pus. Veruntamen in vsu etiam harum cõfectionum Medicus, si febris adsit, ipsarum calorem castiget, verbi gr. misceat Theriacam vetustam cum sacch. rosato antiquo: vt:

℞. Theriacæ antiquę ʒ. j.
Sacch. rosat. antiqui ℥. j.
Pulu. hyssopi. ℈. j. M.

Addidi pulu. hyssopi, quia semper medicamentis pus educentibus e pectore opus est miscere, quæ peculiari virtute pulmones, & pectus penetrant, vt est Hyssopus.

Extra etiam adhibentur, vel fomenta, vel empl. quę desiccant. Spõgia imbuta, vel lixiuio, vel

aq.

aq. marina, & thoraci imposita, valet. Fiunt etiam decocta ex aromatibus, vt:

℞. Acori.
Cal. odorati.
Spicæ.
Cinnam. an. ʒ. j.
Ligni aloes ʒ. j. ß.
Fol. hyssopi.
Prassij an. M. j ß. f. decoct. s. a.

Deinde in eam immaecerentur, panni linei, atque hoc decocto imbuti supra partem, vbi est pus extendantur, donec exsiccentur, qui deinde modo plus, modo minus, renouentur, prout ferre potest æger cum vtilitate.

Vbi neque internis, neque externis medicamentis eduei potest pus, veteres audacissimi, & nobilissimi Medici in his casibus solebant venire ad incisionē, & adustionem; Nam inter costam, & costam, qua parte pus inest incidebant, & pus non confestim, sed paulatim educebant. Et puto ego repertum esse hoc auxilium casu, & experientia; nam Pli. lib. 7. c. 50. narrat quendā Phaleræum vomica laborantem, cum desperatæ salutis esset, mortem in acie quæsisse, atque ibi casu contigit, vt transfosso pectore, qua parte vomica erat, pus exierit, & sernatus sit. Neq; puto, quod veteres vsi essent eo remedio tam frequenter, nisi interdum aliquos sanassent.

Apho. Hip. laus. Et memoria dignum est, vt quæcunque vobis legere contingit apud Hipp. in aphorismis præcipue, omnia non solum oracula ratione inuenta putetis, sed etiam experientia confirmata, vt cum de hoc remedio non solum loquatur Hip. in aph. verumetiam regulam det, vt, vbi secantur, vel vruntur suppurati, pus nō confertim, sed paulatim exire permittatur, credatis certo hoc remedium non esse, neque præter rationem, neque præter vsum ab Hippo. propositum. Atque hic nostrarum lectionum hoc tempore finis est.

CAPVT XII.

De affectibus cordis.

Cor duo eximia cōsecutum. CVm Deo fauēte, lectionibus nostris vsque ad affectus cordis processerimus, illud vnū præfari oportet, nobilissimū hoc viscus, quod appellatur cor, duas res eximias a natura, siue potius a naturæ opifice Deo, esse cōsecutū: Vnū, quod in cunctis animantibus mediā corporis sedē adeptū est, nisi tamen excipere placeat asellum piscē, quē ex sententia Arist. Athenæus lib. 7. Clemens Alex. 2. pedagog. c. 1. & Aelianus lib. 6. de animalibus c. 3. cor in vētre habere prodiderūt. Cū enim medius locus, & fortissimus sit, vt propterea Pythagorici cētrū appellarint Iouis atcē, iure cor, quod futurū erat vitę domiciliū, in media sede collocatū est. Alterū, quod dicit Hip. in 4. de morb. substantia cordis solida atque dura fabricata est, & vt dicit Plato in Timæo, multis atq; magnis stipatoribus circūcincta, adeo, vt hoc viscus, & maxime omniū iniurijs resistat, & consequenter paucissimis morbis consumatur.

Morbi cordis. Quæ omnia eo tendunt, vt intelligatis, morbos cordis paucissimos esse, eius tamen momenti, vt in medicina facienda pauca sint, quæ cognitioni horum affectuum sint anteponenda.

Ad vos itaque filij amantissimi pertinebit, studijs atque vigilijs vestris mecum laborare, vt non solum vobis ipsis, sed & hominibus cunctis vtiles esse possitis. Ego vero, quātū in me erit, operam dabo, vt neque publice, neque priuatim quicquam desideratis, quod ab amantissimo, & præceptore, & patre expectandum sit.

Quicunque morbos cordis tractauerunt, siue sint Græci; siue Arabes, siue Latini, duos fere solos cordis affectus sibi proposuerunt; syncopen scilicet, & palpitationem, quam plerique appellare maluerunt tremorem: Auenz. lib. 1. tract. 12. circa initium, plerosque alios morbos his addit, quemadmodum, & Auerr. lib. 3. coll. cap. 25. inter morbos cordis cardiacam collocauit. Sed vtcunque sit, nos primum de syncope; deinde de palpitatione verba faciemus.

Difficultas. Priusquam autem aggrediar, dubium non vulgare dissoluendum est; nam si spectemus cordis corpus, non solum similare, sed etiam organicum; vt propterea nulla ratio suadere videatur, ipsum cor debere esse alienum ab ijs morbis suscipiendis, quos suscipiunt alia similaria corpora; quo sic stante, non solum hi duo, sed complures alij, a Medicis erant pertractandi.

Accedit ad hæc auctoritas Gal. qui 5. de loc. affec. c. 2. clarissime docuit, a plerisque alijs morbis cor tētari, vt ob has rationes videatur ad nos spectare, etiam de alijs morbis cordis tractare.

Ex altera parte est Hipp. qui lib. 4. de mor. dicit, cordis corpus solidum, & durum esse, ac propterea neque a morbo humorali, neque ab vllo alio morbo tentari. Vt ob hanc Hip. auctoritatem videatur superuacaneus labor tractandi morbos cordis.

Resolutio. Vt hic nodus dissoluatur, duo nos scire oportet. 1. aliud esse, tentari ab aliquo morbo, aliud aliquem morbum sustinere; nam dicuntur sustineri hi morbi, quia tametsi grauiter afficiāt, atq; tamen non interimunt necessario. Aliud notate, qod memorię mandauit Aegineta lib. 3. c. 34. quod aliud sit morbos pati per se, aliud per consensum. Cor, vt dicit loco cit. Paulus, non patitur vllum morbum essentialem, quia, etsi tentetur huiusmodi morbis, prius tamen interit animal

vel

vel homo, quam possit medicina adhiberi.

Itaque non est mirum, si Medici tractationem morborum per essentiam cordis reliquerint, nempe quos non sustineat ipsum cor. Atque hoc voluit docere Arist. quando 3. de par. anim. cap. 4. scripsit, cor nullum affectum violentum sustinere, pro affectu violento non alium intelligens, nisi, qui essentialiter cor afficit, hoc est, per essentiam. Verontamẽ sustinet, & patitur morbos per consensum, inter quos præcipuus est syncope, & cordis palpitatio, de quibus agemus.

Cor tantum sustinet morbos per consensum.

CAPVT XIII.

De syncope.

VOcata syncope a Græcis, a Latinis concisio dici potest, Seneca transtulit Concisuram. Corn. Celsus lib. 7. cap. vlt. recusans vti Græco nomine, appellauit animæ defectionem; Ceterum Aretæus auctor antiquissimus libro de acutis d. 3. dicit syncopen a Græcis vocatam ὀξύνετον, quasi dicat cito iugulantẽ. Cæl. Aur. lib. 2. de acut. pass. vocat cardiacã, quẽadmodũ, & alij pleriq; Latini scriptores.

De nomine.

Ceterum priusquam vlterius progrediamur, vt possitis in auctoribus prudenter versari, circa nomen huius affectus animaduertere debetis, quæ apud istos Practicos facile nõ inuenietis, primũ est, Latinos, & Græcos scriptores in vsu huius vocis cardiacæ diuersos extitisse: Latini cardiacã videntur fere semper intellexisse eam syncopen, quæ fit a stomacho, imo vero Celsus lib. 3. suæ med. cap. 19. putauit apud Græcos cardiacam significare syncopen ex languore stomachi, cuius ratio adferri potest ex Auerroe nuper citato, vbi scribit sæpius syncopen ventriculi vitio oriri, quam alia vlla causa. Ceterum Galenus duodecimo, meth. 5. & quinto, de loc. affect. secundo, manifestissime demonstrauit, cardiacam appellari eam syncopen, quæ fit vitio solius cordis, sicuti stomachica syncope vocata est, quæ fit vitio stomachi.

Alterum notandum est, neque apud Hip. neque apud Arist. neque apud Theophr. aut alios ex veteribus reperiri hanc vocem syncopes; eum autem affectum appellarunt modo apsychiã; modo Lipothymiam, modo Lipopsychiam.

Ceterum scriptores, qui floruerunt paulo ante tempora Galen. vt ego puto, vocem hanc syncopes inuexerunt.

Tertium notandum, quod licet veteres scriptores syncopen intellexerint sub nomine lipothymiæ, seu lipopsychiæ, a posterioribus tamen insignis facta est differentia inter syncopen, & lipothymiam.

Differentia syncopes a lipothymia.

Nam, vt ego reperi apud Medicos, quatuor sunt, in quibus syncope, & lipothymia differũt. Vna est lipothymiam affectum virtutis sensibilis, & motricis, syncopem autem esse passionem etiam vitalis facultatis.

Altera est, quam attulit Galen. libro primo, ad Glauc. 14 sc. lipothymiam semper præcedere syncopen, & esse veluti imperfectam syncopen, sicuti syncope est consummata, & perfecta lipothymia, vnde Paulus libro 3. cap. 34. dicebat fieri syncopem cum resolutione, lipothymiam, cum sudore.

Tertia differentia est, in lipothymia ægri mente, & cogitatione valent, quemadmodum, & dixit Aristot. 3. cap. libri de somno, & vigilia; in syncope autem ægri mentem, & rationem omnem amittunt. Quarta est, quam attulit Aetius Tetr. 2. cap. 101. scilicet syncopen contingere etiam dormientibus; defectionem autem animi, siue lipothymiam non fieri nisi in vigilantibus.

Ceterũ video vos hic dubitare, quomodo fieri possit, vt dormientes syncope tententur, quãdoquidem dormientibus sensus, & motus quasi ligati sint, adeo, vt non videantur amplius posse corripi ab eo affectu, quo sensus, & motus pene abolentur. Respondeo dormientes alios esse, qui naturaliter dormiunt, alios, qui præter naturam; naturaliter dormientes, a syncope prorsus sunt immunes, corripiuntur autem illi, qui præter naturam dormiunt, hoc est, qui somno morboso detenti sunt. Vnde iure Aetius loc. cit. hac voce καταφερομένους vtitur, quasi significare volens, non dormientes, sed eos, qui cataphora, hoc est, somno morboso correpti sunt, &c.

Quo dormientibus contingat syncope.

Est autem syncope ex Theoph. in fragmentis, quæ habemus περὶ λειποψυχίας, priuatio seu refrigeratio caloris natiui circa locum respiratorium. Methodici vero, vt est apud Cæl. Aur. definiunt syncopen esse tumorem cordis.

De definitione.

Ceterum Aretæus loco cit. definiuit syncopen esse dissolutionem nexus naturæ. Corn. Celsus lib. 3. cap. 19. dicit Cardiacam (ita appellat ille syncopen) esse nimiam corporis imbecillitatem, quod languente stomacho multo sudore digeritur. Auerrh. 3. coll. cap. 25. definiuit syncopen esse subitum regressum caloris ad cor, ita, vt membra regi nequeant. Sed hoc in tremoribus etiam fit.

Breuissime omnium, & accõmodatissime videtur Gal. noster definijsse l. 12. meth. 5. in initio, vbi dicit, syncopem secundum veterum sententiam esse celerem virium lapsum, seu vt videtur interpretatus Aegi. coaceruatum viriũ lapsum. Iure enim dictus est lapsus celer seu coaceruatus, quia si paulatim labantur, & præcipites ruant vires corporis nostri, perit quidem homo irremediabiliter, sed non tentatur sycope, nisi enim coaceruatim, & subito ruant vires, syncope fieri non potest. Dictum est virium; quia non tantum vis sensibilis, & motrix labitur, quem-

admodum

admodum in animi defectu, verumetiam labitur vitalis, ita, vt vere omnes vires sub hoc affectu præcipites cadant.

Vnde satis mirari non possum oculatissimum Auic. qui lib. 3. fen. 11. tr. 2. c. 2. dum fusissime, & diligentissime syncopen definiens, dixit in ipsa labi facultates sensibiles, & motiuas, de vitalibus autem nullam facit mentionem.

Itaque ex hac difinitione satis est perspicuum, syncopen esse symptoma in genere actionum omnium læsarum facultatis, vitalis, & animalis; ac locum proprie affectum in syncope nullũ alium esse, nisi cor ipsum, vt copiosissime disputauit Aretæus, quod pati quandoque etsi essentialiter, vt audiuistis, morbus nequeat, in syncope tamen, aut sępe, aut saltem plerumque per cõsensum affici consueuit.

Syncopes quomodo proprius affectus cordis.

Est sane, vt dicebam, syncope proprius affectus cordis, & quanquam dixerim plerumq; fieri per consensum a reliquis membris, tamen cum facultas vitalis, cuius proprium domicilium est cor, magnam ruinam patiatur in syncope, quis non videt hunc affectum proprium esse cordis.

Neque valet, quod syncope curetur remedijs stomacho adhibitis, quia, vt dicit sapiẽter Aretæus in apoplecticis adhibentur remedia capillis, neque tamen quispiam dixerit vnquam apoplexiam esse affectum capillorum.

Nunc tempus est causarum contemplationem aggredi. Theoph. in lib. de defectu animi, lipothymiæ causas omnes reduxit ad calorem, & ad frigus immodicum: neque male, quoniam, cum definierit, vt audiuistis, lipothymiam, siue syncopen esse caloris priuationem, atque calor natiuus extinguatur tum frigore, tum calore immenso, iure non erãt ipsi quærendæ aliæ causę quam calor, & frigus immensum.

Auic. diligentissimus fuit in proponendis omnibus causis syncopis, similiter Gal. 12. meth. 5. sed vt dicit Rabbi Moyses 6. aph in ijs explicãdis paulo cõfusior esse videtur: Ea propter, vt hãc rẽ facilime percipiatis, conabor ex nostra methodo omnes causas ex rei ipsius natura ꝓponere.

Quæ sit essentia virium.

Audiuistis autem syncopem esse subitũ virium lapsum, itaque videre oportet, quæ sit essentia virium, & vbi positæ sint vires. Gal. 5. de loc. aff. 7. & 1. de præsag. ex puls. 4. explicatissimis verbis docuit, essentiam virium nullam aliam esse, nisi temperamentum partium solidarum, & 2. ad Glauc. 2. dicit essentiam virium nullam esse, nisi calorem natiuũ. Si hæc omnia simul copulemus, habebitis temperamentum, & calorem natiuum idem esse apud Gal. & cõsequẽter essentiã virium corporis nostri non aliam esse, nisi ipsum temperamẽtum, seu calorem natiuum.

Temperamentum forma est quædam seu actus. Vtrum autem forma sit substantialis, an accidentalis, non postulat hic locus, vt disputemus. Illud compertissimum est, siue sit forma substantialis, siue accidentalis, necessario collocatum esse in aliquo subiecto. De hoc subiecto videtur diuersimode meminisse Gal. 5. de lo. af. 7. cũ dicit, vires corporis nostri positas esse in solidis, in humoribus, & in spiritib. 12. meth. 5. dicit, positas esse vires in solidis corporib. & in spiritibus.

Sed hæc diuersitas in verbis Gal. nihil æstimanda est, quia pro spiritibus, seu sub nomine spirituum possumus intelligere ipsos humores, in quibus habitant spiritus.

Donec itaque harmonia humorum, & spirituum incolumis est vires semper valent. Vbi autem hæc harmonia dissoluitur, vires tanto magis præcipites ruunt, quanto celerius fit hęc dissolutio. Et hoc est domini, quod Aretæus definiens syncopen dixit esse dissolutionem nexus seu harmoniæ naturæ.

Internę.

Causæ, quæ hanc harmoniam corrumpunt, aliæ sunt internæ, alię externæ: rursus internarũ aliæ sunt immediatæ, aliæ mediatæ: & mediatarum causarum aliæ sunt naturales, aliæ præter naturales.

Immediatæ.

Causæ internæ immediatæ proponuntur a Gal. 5. de loc. aff. in initio c. 2. vbi scribit cor essentialiter affici tum ab intemperiebus, & simplicibus, & compositis, siue etiam ab inflammatione, & ab erysipelate, adeo, vt dicere possimus, immediate affici cor ab intemperiebus, siue simplicibus, siue cum materia. Et hoc multo melius est dicere, quoniam, vt ipse docuit Auer. 3. collig. cap. 21. huiusmodi sunt tumores, qui non lædunt immediate actiones cordis, sed lædũt mediantibus morbis similaribus, hoc est, mediante intęmperie. Has itaque intemperies, dicit Gal. loco cit. sequi cardiacam syncopen, sicuti stomachica syncope sequitur affectus stomachi.

Nec quicquam obstat, quod Arist. dixerit 3. de part. animal. 4. bilem non approximari cordi, & propterea non posse a materia fieri morbos in corde, qui faciunt syncopen, quoniam Hip. li. 2. de morbis, vbi tractationem habet de cerebro corrupto, manifeste docet, fieri syncopen, vbi pituita, & bilis labũtur in cor. Nam labi humores in cor impossibile est viuo homine; & hoc voluit dicere Arist. atque non est impossibile, & bilem, & pituitam cordis capsulam ingredi, atque sic syncopas inducere, quod dixisse Hipp. semper putaui.

Mediatæ. Naturales.

Causæ internæ, sed mediatæ, complures proponuntur nobis ab Auic. atque Galeno, imprimis est sexus, ætas: nam scribit Auic. mulieres, & decrepitos huic affectui maxime obnoxios esse. Temperamentum, & habitus corporis inter has caussas est, siquidem, qui corpus delicatum habent; & vt dicit Cæl. Aurel. lacteum, facile tentantur syncope.

Non naturales.

Causæ mediatæ præternaturales sunt febres ardẽtissimæ, in his videbitis sæpe laborantes syncope acerbissime verari: euacuationes omnes, tum sanguinis, tum sudoris, tũ fæcum, si immoderatæ sint, syncopas inducunt. Vulnera thoracis, cerebri inter has causas recenseri possunt.

Externæ quoque causæ complures, & a Galeno, & ab Auic. proponuntur, vt æstus immoderatus, vigiliæ immensæ, animi motus vehementissimi, vt gaudia immoderata, dolores immo-

derati,

derati, rimotes subitanei, repletio quoq; immodica, ob quã crudi, & copiosi succi cumulantur. Præ ceteris autem venena, & qualitates omnes venenatæ syncopen inducunt. Vnde si legatis Nicandrũ, videbitis complura esse genera venenorum, quę sua praua qualitate syncopen inducunt: quę omnia ideo syncopen faciunt, quia vel harmoniam dissoluunt corporum solidorum, vel spirituum ipsos scilicet dissipans, diminuens, diminuendo, aut confertim cogendo.

Argẽterius reprehensor Galeni.

Hęc autem etsi verissima sint, ac ex intimis doctrinę Gal. fundamentis capta, nihilominus Ioan. Argenterius contradicendi Gal. cupidissimus lib. de caus. sympt. 1 a. totam hanc doctrinã euertere conatus est, atque demonstrare, Galenum non intellexisse veram syncopis generationem. Et quoniam videbat Galenum inter alias causas syncopis fere antepoluisse intemperiem cordis, primum duabus rationibus hanc sententiam Gal. destruere conatur: deinde propriam sententiam proponit.

Argumentum.

Primum argumentum est, syncopen fieri subito, & propterea verissimum esse, causam ipsius esse subitaneam, at intemperies non fit subito, sed longo tempore: Ergo nõ potest, inquit, fieri syncope ab vlla intemperie.

Secundum argumentum Argenterij est: Si fieret syncope ab aliqua intemperie, fieret potissimum a calidissima: Sed in febribus ardentibus, a quibus maxime flagrat cor, non fit semper syncope, sed raro, Itaque non potest syncope fieri ab vlla intemperie.

Postquam Argenterius his argumentis inuectus est aduersus Gal. proponit suam sententiã, scilicet syncopen non posse fieri ab vlla alia causa, nisi ab ea, quę celerrime omnium mouetur: sed spiritus maxime omnium mouentur: Itaque a spiritibus solum potest fieri syncope. Cum autem spiritus, vt sint virium fundamenta, opus habeant quadam harmonia, & proportione, inquit Argenterius citissime multis de causis hanc harmoniam dissolui, & propterea multis de causis vitio spirituum syncopen oriri.

Refut. argumentorum Argenterij.

Sed sicuti puto Gal. hac in re nos non fefellisse, ita quoque semper putaui Argenterij argumenta admodum firma non esse: Nam intemperies duobus modis considerari potest, vel secundum vniuersam latitudinem, vel secundum huius latitudinis supremum gradum. Si consideretur secundum totam latitudinem, verissimum est intemperiem fieri longo tempore, vt dicitur in fine 2. lib. de sympt. caus. Sed si cõsideremus intemperiem secundum supremum gradum, huiusmodi gradus celerrime induci potest, ita vt propter hanc celeritatem etiam syncopen pariat.

Ad primũ.

Hoc autem, domini, receptissimum etiam apud Gal. intelligere potestis ex 2. cap. lib. de vtil. respir. in quo loco scribit Gal. calidas intemperies subito, & celerrime fieri, non quod vniuersum intemperamentum subito fiat, sed supremus ille gradus. Quare cum Argenterius hanc veritatem non sit assequutus, facile in hunc turpissimum errorem lapsus est.

Quod autem dicit de febribus ardentibus, fateor raro fieri, vt in ijs syncope contingat, verum tamen fit interdum. Causa autem cur non fiat continuo in febribus ardentibus, est, quia vbi semel hę febres incrementum susceperunt, diu ęqualiter in eo incremẽto perdurant, quare cum ad supremum illum gradum caliditatis non semper perueniant, fit etiam, vt non semper syncope sequatur.

Ad secundum.

Quod autem dicit postremo Argenterius, vniuersam syncopes affectionem esse tribuendam spiritibus, facile ego concedo, neque Gal. negauit namque quis non videt, vbi corpus cordis immense flagrat, aut quopiam alio grauiori morbo tentatur, etiam spiritus ipsos violari? Quare quęcunque causa effectrix sit syncopes, verissimum est semper spiritus violari. Sed hæc spirituum vis impedita, atque hęc ruina, non per se, neque sponte in spiritibus efficitur, sed efficitur, vel propter intemperiem, aut propter humores, aut propter alium quempiam affectum, qui spiritus harmoniam destruens illico vires pręcipites agat.

Tractatio de syncope vsque adeo implicata, & impedita est, vt non sit mirum tot dubitationes in ea oriri: nam diximus ex Gal. inter causas syncopis, primum fere locum tenere intemperiem, & tumores cordis: quod si verum est, qui fieri potest, vt queadmodum dicebamus, cor non tentetur vllo morbo. Præterea non videtur verum, omnem syncopen per consensum oriri. Sed quod magis dubium videtur, est, quia vulgatissima est omnium Medicorum sententia, actiones lęsas semper sequi aliquem morbum. Atqui ea syncope, quę fit propter nimium gaudium, vel nimium timorem, non videtur vllo pacto sequi morbum. Itaque dabitur aliqua insignis lęsio cordis, quę a morbo non dependet.

Vt hæ dubitationes tollantur, quę etiã supra aliqua ex parte sunt sublatę, scire oportet, morbos omnes formam suam habere per propria tempora, scilicet principium, augmentum, statũ, & declinationem. Vbi huiusmodi morbi priuantur maiori parte horum temporum, non proprie, appellantur morbi. Vnde, si qui morbi inchoati vix, statim finiunt, non habent verum characterem morbi: secus autem est, si saltem ad augmentum, aut ad statum perueniant.

Quo constituto respondendum est, morbos qui tentant cor, non habere perfectam formam, quia vt dicit Galen. 2. cap. lib. 5. de loc. aff. statim, atque incipiunt, homines iugulant, & propterea licet syncope cardiaca, sequatur huiusmodi morbus, ea tamen non tractatur a Medico, quãdo non expectat auxilia medicinæ, vt dicit Gal. Et hoc est, domini, quod voluit significare magnus ille Auer. qui lib. 3. collect. c. 21. dixit, cor quidem compati propter affectus aliorum viscerum, sed ipsum nõ communicare affectus suos alijs visceribus, siquidem affectus essentiales cordis non possunt durare vsque ad augmentum, ita vt cetera viscera ipsi compatiantur.

Quod postremo dicebam, actiones læsas sequi morbos, prudenter intelligendum est, siquidem actiones, quæ læduntur, vel sunt permanentes, vel sunt momentaneæ: quæ permanentes sunt, necessario semper aliquem morbum sequuntur: Ceterum, quæ momentaneæ, non est necesse, vt semper morbum sequantur, cuiusmodi est syncope.

Possumus etiam alio modo respondere, scilicet etiam syncopen, quæ fit ab affectibus animi, sequi morbum aliquem: siquidem in corporibus, quæ propter animi effectus patiuntur syncopen, adest aliqua morbosa dispositio, quę statim ob animi affectus transit in morbum, vel instrumentalem, vel similarem.

Hoc autem verum esse, ex eo colligere potestis, quia non omnes propter nimium gaudium incidunt in syncopen, sed rarissimi, adeo, vt soli illi syncopen incurrant, qui habent morbosam aptitudinem ad suscipiendum hunc affectum. Est, & aliud, quod potest hoc indicare, quod etiã illi, qui syncopen incurrunt propter animi affectus, post sedatam syncopen, remanent morbosi, & impediti. Ex hac tandem contemplatione suboriuntur variæ syncopis differentię, inter quas pręcipua hęc est, quod alias syncope fit in corde per essentiam, alias per cõsensum: & quæ fit per cõsensum, aut a cerebro, vt dicit Hipp. lib. 2. de morb. aut a stomacho, aut iecore, aut per consensum ab vtero: quemadmodum docuit idem Hipp. lib. 2. de morb. mulierum.

Differentia.

Signa.

Signa alia sunt, quę distinguunt syncopen a similibus affectibus, alia diagnostica, alia vero prognostica. Signa distinctiua non est opus repetere amplius, quandoquidem iam intellexistis, in quibus differant animi defectus, & syncope. Ceterum signa diagnostica alia sunt, quæ indicant futuram syncopen, alia vero quę ostendunt pręsentem. Futuram syncopen cognoscere, maxime pertinet ad Medicum petitum, ex Aretæo; immo vero tantum pertinet ad Medicum hoc cognoscere, vt Rabbi Moyses 6. aph. dixerit, nisi Medicus pręcognoscat futuram syncopen, esse interfectorem ęgrorum.

Diagnostica.

Capiuntur hęc signa futurę syncopes, tum a causis antecedentibus, tum ab actionibus læsis. A causis antecedentibus, vt si ęger sit delicatę complexionis, si femina, si laboret febri ardente, vel pestilentiali, si vulnus habeat in thorace, si euacuationes insignes patiatur, si marasmo syncoposo detineatur, signum est futuram esse syncopen, & propterea Medicum & timere, & prospicere debere.

A causis antecedẽtibus.

Quod dico de his causis, idem quoque putare debetis de omnibus alijs antecedentibus, siue internis, siue externis. Et quia memini marasmi syncoposi, scire debetis Gal. in lib. de marasmo cap. 5. & vlt. proponere genus marasmi, seu febris marasmodis, in qua cum semel facta est insignis syncope, semper remanet quædam dispositio, & aptitudo ad syncopen faciliter suscipiendam, ita vt ob hanc aptitudinem appellarit Galen. marasmum syncoposum. Igitur vbi videbitis huiusmodi marasmum, semper vobis expectanda erit syncope.

Ab actionibus læsis sumuntur signa futurę syncopes, quia vbi oculorum hebetudo adest, vbi fastidium frequens videbitis, atque pulsus fit obscurus, paruus, & rarus, semper expectanda est syncope. Et notate, quod inter omnia signa, quæ testantur nobis statum cordis, nulla sunt efficaciora, quam sint ipsi pulsus, vt docuit nos Auer. loco citato.

Ab actionibus lęsis.

Signa quæ præsentem indicant, vel indicant eam, quæ per essentiam est, vel eam, quæ per consensum: essentialis syncopis signa, sunt extremorum frigiditas, anhelitus debilitas, amissio operationum virtutis animæ sensitiuæ, proiectio corporis partium huc, atque illuc, sudor frigidus. nam scribit Gal. primo de præs. ex pul. 4. eos, qui conuulsionibus male tractantur perire calidos, qui vero syncope, viuere etiam vehementer frigidos. Aræteus inter alia signa, videtur recensere, & hoc vnum, quod polleant interdum mente, & sensu, sed Domini, hoc signum potius est debilitatis cordis, quam veræ syncopis.

Præsentis syncopes signa.

Cognoscuntur causæ faciliter ob ipsam præsentiam, quia, siue fiat syncope vitio cordis, cognoscitur subitanea morte, siue fiat vitio stomachi, cerebri, aut aliorum viscerum, cognoscitur per signa indicantia illos affectus, quæ habebitis suo loco. Pariter cognoscuntur omnes causæ externæ, tum relatione ægrorum, tum accurata ipsius Medici contemplatione.

Signa causarum.

Circa hæc signa tria problemata scitu vtilia, & iucunda occurrunt. Primum est, cur in syncope adeo refrigerentur corpora, & tamen simul sudẽt sudore frigido, nam cum in hoc affectu vires sint vehementer fractæ, non videtur esse locus sudori, qui fit vi summa.

Secundum problema est, cur illi, qui syncope tenentur, cum sint infirmissimi, nesciant tamen quiescere, sed semper huc, atque illuc membra proijciant.

Tertium problema, qua ratione dixerit Aræteus in syncope homines valere intellectu, & cogitatione, cum tamen nos dixerimus, in syncope omnes facultates ruere.

Ad primum respondent aliqui, in syncope ideo refrigerari corpora, secundum superficiem, quoniam calor initio ad cor sese confert, vt propterea externa membra depauperata hoc calore, refrigerentur, possimus quoque dicere calorem extremorum extingui. Sudere autem dicuntur, quia vis retentrix excrementorum infirma cum sit, non potest continere excrementa, & propterea sponte ea diffluunt, ac cum transeat per membra refrigerata, consequenter refrigerantur.

Aliorum sententia. Vnde sudores frigidi.

Sed puto ego aliam rationem, & meliorem dari; nam ad faciendos sudores, non solum requiritur, vt facultas retentrix permittat, verumetiam necesse est, vt fortitudo virtutis expultricis auxilietur; quare cum in syncope natura omnes vires suas intendat, veluti extremo quodam malo oppressa, non est mirum, si etiamsi sit infirma, expellat tamen sudorem, ad quam expul-

Auctoris iudicium.

sionem

sionem, præter permissum facultatis retentricis, duo alia etiam conspirant, scilicet laxitas meatuum, & tenuitas ipsius materiæ, quæ materia propter tenuitatem cum non possit resistere iniurijs externi aeris, facile fit, vt ab eo refrigeretur, & propterea non tantum in syncope apparẽt sudores frigidi, quia transeat per partes refrigerantes, quãtum, quoniam non possunt ob suam tenuitatem resistere aeri externo, quo minus ab illo refrigerentur.

Ad secundum problema Galen. in fine lib. primi, de motu musc. accommodatissime omnium causam veram huius rei attulit, vbi scribit, eos qui tenentur syncope cardiaca, aut stomachica, etiamsi imbecillimi sint, non quiescere, sed huc, atque illuc iactare membra, propterea quod vis ipsorum, & facultas motrix, vsq; adeo infima est, vt non possint sustinere onus ossium, & corporis, & propterea illud ipsis contingere, quod contingere solet infirmis baiulis, qui etiam leuissimum onus cum ferre non possint, nituntur illud modo huc, modo illuc transferre. Sic enim ait Galen. facultas motrix cum nequeat inuenire rectam figuram, & situm, in quo ab onere corporis non grauetur, conatur subinde locum mutare, & propterea huc, atque illuc membra proijcit, vt scilicet inueniat commodum aliquem situm, quod tamen nunquam assequitur.

Vnde inquietudo in syncope.

Erat tertium problema, cur in syncope, siue animi defectu, vt scribit Aretæus omnes aliæ facultates lædantur, ratio autem, ac intellectus valeant. Cuius rei rationem esse puto, quia motrix, & sensatrix facultas opus habent spiritibus, vt clare docuit, plerisque in locis Galen. præsertim autem lib. de locis aff. 7. cum itaque in syncope spiritus magnopere violentur, non est mirum, si sensus, & motus pene aboleantur, ratiocinatio autem, & intellectus cũ non egeãt ita spiritibus, sed solo cerebri temperamento, rationi consentaneum est huiusmodi operationem in syncope non lædi.

Cur in syncope ratio valeat.

Omnis syncope mala est, sed pessima omnium est illa, quæ fit in corpore inualido, quæ vetusta est, & quæ confirmata. Cognoscitur autem syncopen esse confirmatam, quia color viridis euadit, & collum perinde, ac strangularis inflectitur.

Prognost.

Scribit Hippocr. 2. aphor. 41. Qui frequenter, vehementer, & sine causa manifesta exsoluuntur, cito pereunt. Quibus in verbis docere vult, eos, qui summa, ac vehementi syncope corripiuntur, esse irremediabiles. Cuius rei affert rationem Galen. in com. scilicet, vbi concurrunt hæ tres conditiones, vt fiat exsolutio frequens, vehemens, & sine causa manifesta, id totum esse argumentum virium maxime inualidarum. Et notate, pro causa manifesta apud Hippocr. non tantum esse intelligendum causam externam, verumetiam internam, modo manifesta sit.

Quid p causam manifestam intelligat Hipp.

Omnis syncope, quæ fit per essentiam in corde, exitialissima est: quæ fit per consensum, non omnis est exitialis, quia quæ fit a cerebro, & quæ fit a stomaco languente, sunt quidem periculosæ, sed aliqui seruantur ab his, sicuti etiam seruantur ab ea syncope, quæ fit vitio vteri. Syncope ex vulnere thoracis lethalis est, quæ autem fiunt ex animi affectibus, si ægri sint robusti, periculo vacant, aut non sunt adeo lethales: sed si fiant in corporibus pinguibus, non audacibus, non validis, periculosiores sunt.

Curatio syncopes, duplex est: alia in ipso paroxysmo, alia extra paroxysmum, & quidem, siue consideretur ante accessionem, siue post, eadem fere est. In accessione oportet tantum respicere symptoma, hoc est, reficere spiritus exinanitos, & reuocare calorem, a corde, ad partes extimas. Extra paroxysmum præseruandum est corpus ægri, ne incidat in syncopen, & vires fractæ sunt omni diligentia, & prudentia reficiendæ.

Antequam huius rei practicam audiatis, eximendus est scrupulus: nam Gal. 12. meth. 5. dicit, affectus, qui paulatim labuntur in habitum præternaturalem, pertinere ad artem tuendę valetudinis, eos autem, qui subito labuntur in eundem habitum, pertinere ad artem curatoriam. Hoc si verum est, non videtur tractatio syncopis, & tractatio febrium hecticarum pertinere ad curatoriam artem, quando alter affectus fit subito, vt syncope, alter autem fit paulatim, vt febris hectica. Sed Galen. in eod. lib. meth. tractat hos duos affectus.

Difficultas ex Gal.

Resolutio huius rei habenda est ex vera verborum Græcorum Gal. interpretatione, nam quicunque callent literas Græcas, si Galenum propria lingua loquentem audiant, longe diuersam sententiam habet in illis verbis, quæ talis est, affectus, qui exigui sunt, subijci arti tuendæ valetudinis, affectus autem magnos, præternaturales subijci arti curatorię. Quę sententia verissima est, & ab ipso Galeno reperita in fine lib. 7. meth.

Vbi itaque occurret vobis, quod sępe continget, aliquis detentus syncope primum ad auxilia omni syncopi communia confugiendum est, scilicet ad reuocandum calorem natiuum a corde, & ad recreandos spiritus. Reuocatur calor frictionibus, primum mediocribus, deinde grauioribus partium extremarum: similiter ligaturis, quę fiunt, & in brachijs, & supra genua, vellicationibus aurium, & narium, fricatione pectoris, odoramentis naribus appositis, cuiusmodi sunt moschus, ambra, citra, rosa, violę, pulegium, & maiorana, aceto macerata.

Curatio syncopes prǫsentis.

Sed in appositione odoramentorum duo documenta necesse est habeatis, vnum, vt si ęger afficiatur morbo calido, veluti febre ardente, frigida odoramenta adhibeantur, vt rosa, camphora, flores citri, sandali. Sin autem ęger frigida potius ęgritudine detineatur, adhibenda sunt odoramenta calida, vt caryoph. cinnam. moschus, ambra.

Duo documenta circa appositionẽ odoramentorum.

Alterum documentum est, vt si mulieres sint, quę syncope detineantur, in ijs non adhibeantur odoramenta naribus, sed potius graues odores, vt castoreũ, assa fętida, ruta: & ratio est, quo-

nam vterus mira quadam naturæ conditione delectatur iucundis odoribus, ita vt si ij appona-tur naribus, sursum moueatur, & præfocationes, syncopas, aliaque mala inducat.

Ob stomachi vitium.

Si in syncopen delapsus sit æger ob vitium stomachi, conandum est excitare vomitum, quod fieri potest penna, aut digitis in os immissis. Galen. 12. metho. 6. laudat etiam, vt præbeatur hydrelæum, ad excitãdum vomitum. Sed Auerr. 7. coll. cap. 16. 17. damnat huiusmodi consilium, eo quod vomitoria stomachum alioqui imbecillum, magis afficiant. Sed pace, Auerr. non intellexit, aut noluit intelligere Galeni consilium; nam laudat hoc Galen. in illis, tum qui propensi sunt ad vomendum, tum maxime qui acribus humoribus vellicantur, & mordentur: nam ol. & aqua præterquam, quod blandissime vomitum concitant, obtundit etiam acrimoniam humoris biliosi.

Spiritus reficientia.

Præter hæc in syncope studendum est reficere spiritus. Et quia syncope est subitus lapsus, oportet etiam subito reficere ipsos spiritus; in qua nihil est præstantius, quam ipsum vinum, aut panis vino maceratus. Post vinum est mel, & saccharum, nam scribit Gal. 3. de ratione victus mel reficere vires paulo minus, quam vinum.

Vtrũ vinũ conueniat.

Sed circa vini vsum posset quispiam dubitare, vtrum in omni syncope conueniat: Nam Galen. 1. ad Glauc. 14. & 12. meth. 5. nec non Auicen. 11. tertij cap. de syncope videtur eac pereab vsu vini eos, qui laborant capite, qui patiuntur inflammationes, qui habent febres ingentes, & alios quosdam. Respondendum est, extra paroxysmum, non esse omnibus concedendum vinum, & præsertim in casibus exceptis a Galen. & ab Auicen. sed in ipsa accessione, cum sit necesse statim reficere spiritus, & nihil hoc faciat perinde, atque vinum, opus est illud adhibere. Auerr. 7. collect. 17. scribit, Saracenis lege prohibitum fuisse vinum, ac nemini vnquam concessum, nisi syncope correptis, quasi vnicum remedium syncopis sit in vino, quemadmodum Plin. lib. 23. cap. 1. testatum etiam reliquit.

Curatio extra paroxysmum.

Extra paroxysmum, vt dicebam, studendum est, & reficiendis viribus fractis, & auferendis illis causis, quæ possunt syncopen renouare: in omnibus autem operæ pretium est cor magna diligentia custodire: & ratio est; quoniam, vt audiuistis, in quacunque syncope grauiter semper cor afficitur. Videndum autem erit in corroborando corde, vtrum affectus, & temperamentum calida sint, an vero potius frigida vel saltem temperata.

Fomentatio frig.

In calido temperamento, aut calido affectu, corroborate poteritis cor fomentatione huiusmodi.

℞. Aq. rosarum.
Aceti an lib. j.
Fl. citri ℞ *j.*
Sandalorum omnium ℥. j. & ß.
Camphoræ ℈. ij f. decoct. irrigetur cor cum panno macerato. Possunt similiter parari sacculi ex iisdem rebus, & gestari supra collum.

Fomentatio calid.

Ceterum si affectus, & temperamentum sint frigida, vel potius temperata poteritis huiusmodi fomentationem adhibere.

℞. Aq. flo. citri lib. j.
Vini odorati lib. j. ß.
Caryoph.
Croci.
Cinnam. an. ℈. j.
Moschi.
Ambræ an. gr. iij. M. omnia & f. fomentum.

Post quod fomentum poteritis etiam huiusmodi inunctionem adhibere.

Inunctio.

℞. Theriacæ antiquæ ʒ. ß.
Pulu. caryoph. ℈ ß.
Pulu. sem. citri ℈. j.
Moschi gr. iij. Cum modico vini f. linimentum.

Diæta.

Ad hæc in omni syncope conuenit victus, qui reficere possit spiritus, & habitum corporis condensare, ita vt calor natiuus non expiret. Vnde extra paroxysmum magna diligẽntia est adhibenda in victu accomodate instituendo, quippe cum huiusmodi victus maxime valeat ad amputandas omnes causas externas, quæ syncopen inducunt.

Aer.

Itaque eligere oportet aerem serenum, lucidum, ab omni inquinamento, ac sordibus depuratum, potius frigidum, quam calidum: & si is non possit haberi, arte parandus est, irrorationibus factis aq. rosar. aq. citri, aceto, spargendi sunt etiam odores per cubilia, & inter cetera laudantur ab Arabibus, & poma, & persica, quasi huiusmodi odoribus cor mirifice confirmetur.

Somnus. Quies.

Sic etiam prouidendum est, vt ægri placide, & tranquille dormiant, vt quieti maneant, & ab omni immoderato animi affectu arceantur.

Cibus, & potus.

Circa cibum, & potum debet etiam non exigua adhiberi diligentia, vt nisi quicquam prohibeat, vinum adhibeatur potens, odoratum, clarum, mediocre, vt fercula omnia sint, quemadmodum dicit Corn. Celsus, eius naturæ, vt alant, neque onerent, de qua viuendi ratione elegantissimũ habetis librum ab Actuario conscriptum, de spiritibus, in quo proponit diligentissime oẽt cibos, qui valent ad reficiendos spiritus. Habetis etiam Auer, qui in lib. de viribus cordis, locupletissime proposuit omnia ea, quę magnopere faciũt ad corroborãdos & recreãdos spiritus.

Præ

Præ ceteris vero maxime laudat Auiceo. aquam carnis, hoc est, consummatum ipsum vocatum; quippe quod valeotisſime nutrit, necnon mirifice cor ipsum consolatur, & præsertim, quando conficitur cum ijs medicamentis, quæ cordialia sunt.

Aq. carnis.

Contingit interdum, vt qui syncope tentantur, nequeant per os nutriri, & propterea in magnis dubijs versetur Medicus. Quo in casu non tantum Arabes, verumetiam pleriq; Græci, & Latini consulunt, vt per clysteres nutriantur, quod videre potestis apud Celsum, Oribasium, Cæl. Aurel. Itaque poterunt parari clysteres, ex iure, vitellis ouorum, vino; & Celsus laudat etiam ptisanam; quanquam Cæl. Aurel. in hoc damnat vsum ptisanæ, quod nimium lubricam reddat aluum. In omni etiam syncope commendatus est a Medicis vsus irrigationum faciei. Cuius rationem explicans Theoph. in lib. de animi defectu, dicit, hoc ideo prodesse, quoniam spiritus per faciem maxime exinaniuntur, vt opus sit irrigationibus eos cohibere. Solet autem esse in vsu irrigatio faciei, cum aq. & aceto, cum aq. rosacea, cum aq. simpl. gelida. Hæc fere vniuersalia sunt in omni syncope conuenientia.

Irrigationes faciei cur conferant.

Si per essentiam fiat syncope in corde, vt audiuistis, nihil est cogitandum de auxiliis, quia certo, & cito pereunt. Sed si fiat syncope ab humoribus crudis, cum hæc difficilima sit, atque inducias præbeat, opus est prudentissime ipsam tractare, & in primis studendum est diligenti victus rationi, scilicet, vt victus sit attenuans, hoc est, calidus, & siccus, & facile nutriat. Et Gal. in hoc casu concedebat vinum, nisi adsit febris ingens.

Curatio syncopes per essentiam.

Et notate contra eos, qui in febribus facile vinum concedunt, quia Gal. in syncope, vbi vires sunt infirmæ, & vbi humor crudus est, negat vinum esse dandum, si adsit febris, tantum potest febris præsentia ad prohibendum vini vsum.

Aliud etiam notandum, etsi vires debiles sint, vbi tamen syncope fit ab huiusmodi humoribus, abstinendum esse a cibo, quantum fieri potest, eo, quia corpora in his casibus facile ferunt ieiunia. Adhęc intus, & extra vtendum est ijs medicamentis, quę minime naturam fatigant, sed attenuant, & dissipant. Vnde vsus Oxym. vsus syr. de absynthio, vtiles sunt, ita tamen, vt quem admodum dicit Galen. in ęstate frigidum, in hyeme calidum prębeatur.

Postularet necessitas hoc in casu, vt extenuati humores euacuarentur, sed quia vires non ferunt, ea propter Gal. vtitur frictionibus, iuxta eam regulam, quam ipse attulit 4. de tuend. val. 4. vbi scribit, si necesse sit corpus euacuare, & fieri non posse, neque venę sectione, neque pharmacis, confugiendum esse, vel ad frictiones, vel ad inediam. Fricandę autem sunt corporis partes blandissime ex 12. meth. 6. Et hoc in casu solemus adhibere salem tritum, nitrum, pulegium, solemus etiam olea discutientia, vt est oleum aneth. camomel. adhibere.

Frictiones.

Si fiat syncope ab euacuatione, sistenda est aluus, quemadmodum si fiat a sudore, omni studio compescendus est sudor. Et soleo ego vti albumine, atq. ros. & bolo armeno, hoc pacto.

Si fiat syncope ab euacuatione.

℞. Albuminis oui n. iiij.
Aq. ros. lib. v
Boli armeni. ℥. ß. M. omnia diligenter, & cum spongia irrigetur corpus.

Si hęc non conferant, solemus etiam deuenire ad vsum gypsi, aqua plantaginis, vel omphacio eliquati.

Pari pacto si fiat syncope ab ęgritudine alicuius membri, vt propter ventriculum, corroborandum est os ventriculi ol. mastich. cytonio.

Syncope ob imbecillitatem ventriculi.

℞. Ol. mastich.
Cytoniorum an. ℥. ß.
Pulu. corall. rubeorum.
Polij montani. an. ℈. j.
Ceræ parum. M. pro linimento.

Si fiat ab vtero, prouidendum est ipsi vtero suis remedijs, vt suo loco dicetur. Sic si fiat ab aliquo animi affectu, danda est opera, vt omni ingenio huiusmodi affectus tollatur. Summatim post syncopen debet totum Medici studium huc conuerti, vt causæ effectricea syncopis abolcantur, vt cor corroboretur, & vt spiritus consumpti reficiantur.

CAPVT XIIII.

De Palpitatione.

HAEC sola tractata est a Rase, & id ideo factum, mea quidem sententia, quia palpitatio est affectus magis diuturnus, & propterea Medici operam magis desiderat.

De nomine.

Dicitur hic morbus ab omnibus καρδίας παλμός: Marcellus vocat cordis saltationem, Serapio Caphoram, Auicen. & omnes Arabum sectatores, Cordis tremorem, sed male, quia tremor longe alius est affectus, quam palpitatio. Veteres quidam, vt Galen. 1. diff. puls. 20. ait, motum omnem arteriarum consueuerunt vocare palpitationem. Posterioribus sęculis nomen hoc accommodatum est peculiari affectui, quē cum definiret Gal. lib. de palp. & trem. capitu. 5. & 2. de sympt. capitu. 2. dixit palpitatio nem esse dilatationem, & constrictionem partis palpitantis, seu elationem, & depressionem prætcr naturalem.

Ascendere, & descendere, & deprimi, & attolli differunt.

naturalem. Vbi notandum, aliud esse rem aliquam ascendere, & descendere, aliud esse deprimi, & attolli, seu eleuari; quia in motu priori locus fere permutatur, in posteriori nulla fit permutatio, quando partes palpitantes solum dilatantur; vel deprimuntur, tum non dicuntur mutare locum.

Palpit. & tremor differunt.

Et hinc patet differentia, quæ est inter palpitationem, & tremorem, quia in tremore cum motus fit sursum, & deorsum, fit loci mutatio, in palpitatione vero nequaquam.

Est, & alia differentia a Gal. posita, quia tremor fit a virtute debili, palpitatio autem non est necesse, vt fiat a virtute debili.

Est igitur palpitatio depressio, & eleuatio, præter naturam facta. Ex quo possumus inferre corollarium, quod etiam infert Gal. loco cit. omnes eas partes esse palpitationibus obnoxias, quæ possunt dilatari, & constringi: eas vero, quæ neque dilatari, neque constringi possunt, vt ossa, cartilagines, &c. palpitationem non ferre.

An cerebrum sit palpitationi obnoxium.

Dubitatur, an cerebrum sit palpitationi obnoxium. Ex vna parte cerebrũ non videtur palpitare, quoniã palpitatio est motus, in corpore autem fit motus per villos, & cum in cerebro non sint villi, non erit motus, ac per consequens nulla palpitatio. Accedit, & aliud, quod Galen. recensuit omnes partes, quę palpitationi subijciuntur, & cerebri nullam fecit mentionem.

Ex altera autem parte videtur cerebrum palpitare, quia est corpus molle, foraminulentum, & spongiosum, vnde facile in ipsum ingreditur, & egreditur aer: Igitur palpitabit. His accedunt duæ auctoritates antiquorum: Prior Melampodis auctoris antiquissimi, qui vixit tempore Ptolomæi Regis, & scripsit lib. de palpitatione, qui adhuc habetur vbi inter alia membra palpitantia connumerat etiam cerebrum. Et Plin. lib. 7. cap. 16. scribit Zoroastri cerebrum vsq; adeo palpitare consueuisse, vt integumenta capitis proijceret, quod scribit fuisse certissimum præsagium futuræ ipsius scientię.

Qualis motus cerebri sit ingenitus, secundum Gal.

Dicendum hoc nomen palpitationis dupliciter accipi posse, & communiter, & proprie: communiter pro omni motu arteriarum, quemadmodum nuper diximus ex Galen. proprie autem pro affectu iam definito. Si communiter accipiamus, cerebrum palpitat, quoniam, vt docuit Galen in lib. de instr. odoratus, in lib. de vsu part. & Auic. lib. 3. cap. de palp. sicuti pulmones mouentur moto thorace, ne detur vacuum, pari pacto motis arterijs cerebri mouentur membranæ, & motis membranis mouetur cerebrum, atq; hic motus est ille, quem Galen. in fine lib. de instrumento odoratus, scribit cerebro esse ingenitum. Si proprie accipiamus, cerebrum expers est huiusmodi palpitationis, quia corpus ipsius prorsus ineptum est ad motum, quantum sit ex sese, ita vt substantia ipsius per se non possit attolli, nec deprimi.

Et quando definitio ipsius rei, nihil aliud est, nisi explicatio quædam generis communis per suas differentias, ea propter oportet, vt hoc genus commune palpitationis per differentias palpitationi cordis conuenientes explicemus. Aristot. lib. de resp. cap. 19. definiuit palpitationem nil aliud esse, nisi impulsum calidi in corde, propter refrigerationem excrementitiam, & colliquatiuam. Quæ definitio exprimit quidem magnã ex parte palpitationis naturam, sed non integre, & perfecte. propterea dicendum est, Palpitationem cordis, nil aliud esse, nisi eleuationem, & depressionem corporis vehementem, & inordinatam, ita vt functiones cordis lædantur.

Arist. definitio.

Auctoris definitio.

Diximus esse eleuationem, & depressionem, eo, quia, vt intellexistis, sic definitum est genus palpitationis, vt propterea, quemadmodum diximus palpitationem in vniuersum differre a tremore, sic etiam intelligatis palpitationem cordis rem longe diuersam esse a tremore. Vnde magnopere hanc rem confudisse videtur Auicen. qui, lib. 3. f. n. 11. tr. 1. cap. 1. in primis verbis dixit, tremorem cordis, seu palpitationem esse motum tremulum ipsius cordis. Nam non solum in eo, quod auditis differunt tremor, & palpitatio, verumetiam in alia re maxime distinguuntur, quoniam tremor, vt luculentissime docuit Gale. lib. proprio, semper fit a facultate motrice voluntaria, palpitatio nunquam fit a facultate motrice, sed semper a morbo: vt clarissime dixit Galen 2. de sympt. caus. cap. 1.

Auicenna notatur.

Dictum est esse eleuationem, & depressionem vehementem, & inordinatam, quoniam semper, vbi cor palpitatione tentatur, non solum vehementer, verumetiam, vt audietis, vehementissime mouetur, ita vt non solum thorax proijciat interdum tegumentum, verumetiam, vt costas ipsas cor vehementi illo motu frangat, aut saltem incuruet.

Additum postremo, ita vt lædat functiones cordis, quoniã sæpe propter timorem, aut propter aliquam passionem cor inordinate mouetur, verumtamen huiusmodi vehemens motus nõ dicitur vere palpitatio, eo quia, etsi aliquantisper videatur hic motus incommodus esse, non insigniter tamen lædit actiones ipsius cordis, quemadmodum lædit vera palpitatio.

Fern. definitio impugnatur.

Hinc duo colliguntur vnum non approbandam esse sententiam Fernelij, qui dicebat palpitationem esse concussionem cordis, cum vehementi diastole, & systole molestam. Etenim hi motus sunt naturales, & proprij ipsi cordi, palpitatio nequaquam. Pręterea vehemens fit systole, & diastole, ac in magnis febribus, vt in motu illo simili palpitationi, quem scribit Galen. 4 aphor. 65. nonnullos Hippoc. interpretes appellasse Cardiogmon; non tamen motus illi sunt palpitatio, quia non fiunt per dilatationem, & compressionem, sed per ascensum, & descensum, qui est motus naturalis.

Alterum hunc affectum esse symptoma in genere actionum lęsarum; quia vero lęduntur actiones, & deprauatæ, & diminutæ, & ablatæ, in hoc affectu cordis ablata operatio non dicitur,

nec

nec diminuta, quia non solum mouetur cor, sed vehementer mouetur; superest igitur, vt sit symptoma in genere actionum deprauatarum: Hæc vero actio motus est: Igitur erit motus deprauatus.

An palpitatio sit motus deprauatus.

Sed hic grauis est dubitatio, quomodo palpitatio possit esse motus deprauatus: Ex vna parte videtur, quod talis non sit, quia si esset motus deprauatus fieret a parte motrice, deprauate operante, sed non fit, ergo non potest esse deprauatus.

Quod autem non fiat a facultate, est perspectissima Galeni sententia 2. de symptom. caus. 1. aliquos motus fieri a natura, aliquos a solo morbo, & inter hos enumerat Gal. conuulsionem, & palpitationem. Vnde si palpitatio non fit a natura, sed a solo morbo, non potest dici motus deprauatus.

Ex altera parte videtur dici motus deprauatus, quia nisi ita statuamus, vix inueniemus, sub quo genere sit ponenda palpitatio. Est symptoma: non excrementum, non dispositio corporis, erit ergo actio læsa. Et cum actio læsa, neque diminuta, neque ablata sit, erit igitur deprauata. Accedit, quod palpitatio est motus a natura partis factus, vt expellat, id quod nocet, & superuacuum est: si sit hic motus, vt expellatur, quod noxium est, quanquam videatur alia ratione totus præter naturam, non est tamen ratione finis, quia hoc motu, natura partis intendit expellere noxium.

Resolutio.

Respondeo dupliciter, primo, quod palpitatio dupliciter potest considerari, vel in vniuersali, vel in particulari, vt in corde: si primo modo, palpitatio est opus solius morbi, non naturæ, quoniam talis motus in alijs partibus corporis efficitur solum a flatu, qui in introitu, & exitu suo deprimit, & dilatat partes, nullo concurrente naturæ motu. Et sic dicitur, palpitationem non esse verum symptoma, atque ideo non esse necessarium, vt referatur ad aliquod ex his generibus. Si autem in corde consideratur, dico palpitationem esse motum deprauatum.

Neque mirandum, quod ego separem palpitationem cordis ab ea, quæ in alijs fit partibus, etiam Galen. 2. de sympt. caus. 2. dicit palpitationem cordis, & arteriarum esse diuersam ab aliarum partium palpitatione.

Sed vnde est hoc discrimen: In corde, quod futurum erat principium totius vitæ, natura indidit expultricem longe excellentiorem, quam in vlla alia parte, vt sic non permitteret quicquam sibi appropinquare, quod noxam inferret: cum igitur in corde facultas expultrix sit excellentissima, dico, quod in palpitatione necessario hæc facultas insurgit, atque sic vna cum morbifica causa natura motum illum facit, vt scilicet expellat, quam celerrime a fonte vitæ omnia nocumenta.

Secundo, respondeo duplicem motum reperiri, vnum naturalem, qui dicitur esse actio deprauata, & symptoma verum: Alterum non naturalem, & ratione huius motus præternaturalis potest dici opus morbi. Esse autem hos duos motus in palpitatione, Galen. loco citato, testatus est.

A quo morbo depẽdeat palpitatio.

Sed quia symptoma omne dependet ab aliquo morbo, disputatum est a multis, quisnam sit morbus, a quo immediate dependet hoc symptoma. Altimarus fuit huius sententiæ, frigidam intemperiem, & solutionem continui morbos esse, a quibus emanet hoc symptoma. Sed hæc sententia minime probatur, in primis non probatur, quod sit frigida intemperies, quia sæpissime cor ardet, & tamen palpitat: Immo fuit Gal. sententia, & Pauli, fieri interdum palpitationem a feruentissimo sanguine, quapropter non possumus dicere frigidam intemperiem esse semper morbum, a quo immediate prouenat hoc symptoma. Neque possumus dicere esse solutionem continui, quia eam cor non patitur, vt probat Arist. 3. de par anim. 4. namque in animalibus nunquam est expertum, cor vllam habuisse cicatricem: etsi aliqui fabulentur, ceruum viuentem esse visum, qui sagittam in corde diu gestauerit.

Non a solutione continui.

Sed demus Altimaro, cor interdum pati solutionem continui, dico tamen, in palpitatione cordis, nequaquam continuum solui, quoniam dicitur continuum, cuius partes termino communi iunguntur, in corporibus, quæ patiuntur palpitationem, adsunt cauitates, quæ cum explentur, & exinaniuntur, faciunt palpitationem: sed vbi sunt cauitates, non est vnio, neque continuitas.

Auctoris iudicium.

Dico igitur, morbum, a quo immediate oritur palpitatio, esse morbum in via; eo quia semper vbi pars palpitat, aliquis meatus illius partis repletur, & inanitur: sed hoc est contra Altimarum.

Obiectio.

Non fieri autem palpitationem ab intemperie frigida, hoc videtur esse contra Galen. lib. de rigore, palp. cap. 5. & 2. de sympt. caus. vbi docet palpitationem semper fieri aliqua parte refrigerata: Igitur videtur vera esse sententia Altimari.

Respon.

Dico veram esse sententiam Galeni, semper enim fit palpitatio aliqua parte refrigerata, scilicet in palpitatione aliarum partium, citra palpitationem cordis. Est & alia responsio, scilicet palpitationem cordis, fieri semper aliqua parte refrigerata, non ipsius cordis, sed aliqua parte corporis, quoniam cum fiat palpitatio a flatibus, flatus autem non generentur in corde, sequitur, vt ex alijs partibus in cor mittantur. Sed obijciat quis, si flatus oriuntur semper ab aliqua corporis parte refrigerata, atque in corde non generantur, sequeretur palpitationem semper fieri per consensum: Respondeo, non fieri flatus in corde, quia non potest cor, salua vita, ad tantã refrigerationem peruenire, vt gignat flatus. Scimus enim ex Arist. & Gal. flatus fieri a frigiditate, & quidẽ aliquo modo insigni: cũ autem in corde sit vita, & calor, non potest hæc insignis frigiditas

locum habere, ac consequenter flatus gigni, nisi dicamus in corde hebetari calorem natiuum a calore præter naturam.

Ad Hippoc. & Arist. dicendum, eos voluisse, frigiditatem esse occasionem, non autem verum morbum inducere.

Morbus igitur, a quo immediate ortum ducit palpitatio, non est alius, nisi morbus in via: Verumtamen morbus hic causas plures, & diuersas habet; aliæ enim sunt vniuersales, aliæ materiales, aliæ efficientes.

Causa efficiens. An omnis intemperies sit causa palpitationis. An fiat ab intemperie calida.

Causa efficiens huius morbi est intemperies cordis, quæ cum alia sit composita, alia simplex, seu pura, alia cum humoribus, consideratione dignum est, an omnes hæ intemperaturæ sint causæ palpitationis? De intemperie cum materia non videtur esse dubium, solummodo dubium est an omnis intemperies cum materia faciat palpitationem. De frigida apud omnes constat esse palpitationis causam; sed de calida est dubium, an & quomodo facit palpitationem, Quod non videatur facere, illud primo argumentum probat, quod omnis palpitatio curatur calefacientibus, exsiccantibus, & extenuantibus, Quod si ita est, non videtur fieri palpitatio ab intemperie calida.

Aliquando symptoma curari.

Respondeo, fit palpitatio etiam ab Intemperie calida, nec multum valet ratio, quod curatur omnis palpitatio calefacientibus; nam vbi symptomata magis vrgent, quam causæ, medicamenta accommodantur ipsis symptomatibus, contempta causa. Exemplum extat Galen. 5. meth. in casu illius Romanæ, quo in casu in capite intemperato calido Gal. vtebatur calefacientibus, scilicet quoniam materia, quæ faciebat morbum, maxime vrgebat. Igitur Galen. iure omne studium conuertebat ad illam absumendam, sic dico, cum materia, quæ parit hoc symptoma, sit ea, quæ plurimum vrget, requirit omnem Medici diligentiam: Itaque iure in corde calido vtuntur Medici medicamentis, quæ possunt absumere materiam efficientem hoc

Quomodo calida causa faciat palpitationem.

symptoma. Clarum est igitur, non solum ab intemperie frigida, palpitationem fieri, sed etiam a calida. Puto ego nullam aliam esse causam, quam propter ebullitionem, & efferuescentiam; sicut enim videmus vasa aqua plena, dum feruent, interdum disrumpi, quoniam non possunt dilatari; sic quoniam nimio cordis calore, vel sanguis in ventriculis, vel alius humor in præcordijs feruet, tunc cor dilatatur, ex qua dilatatione fit concussio, & ille motus. Et hæc de intemperie cum materia.

An a nuda intẽperie fieri possit cordis palpitatio.

Dubium adhuc est de temperatura pura, & sine humoribus, an etiam possit esse causa huius effectus? Auic. sententia est, posse palpitationem fieri a nuda intemperie, atque eam sic explicuit, quod cum nuda intemperies cordis vires deprimat, necessario ex virtutis vitalis infirmatione sequatur ipsa palpitatio, & tremor. Galen. vero 3. de præsag. ex puls. 4. contrarium videtur statuisse, vbi dicit intemperiem nullam sine humoribus posse facere palpitationem cordis.

Pro reconciliatione horum statuendum est, palpitationem, vel posse considerari pro vera palpitatione, vel pro ea, quam omnes Arabes, sub nomine tremoris sunt complexi. Si proprie sumatur palpitatio, nullo modo potest fieri a nuda intemperie; sin vero pro tremore, tunc fieri potest ob rationem ab Auicenna assignatam.

Causa materialis.

Causa materialis palpitationis, secundum Gal. 2. de symp. caus. est materia vaporosa, & crassa: & quanquam hoc non dixisset Galen. tamen ratio cogit hoc affirmare, quandoquidem cum partes, quæ sua natura sunt immobiles, debent moueri, necessarium est, vt moueantur ab aliqua re, quæ in nostro corpore moueatur: ea vero, quæ mouentur, sunt spiritus, & ea quæ naturam spirituosam habent, appellabat Hipp. impetum facientia.

Non posse esse spiritus.

Si sic est, non possunt esse spiritus soli, qui moueant has partes, quæ palpitant: palpitant enim, quando replentur: superest igitur, vt ab aere, vel ab aliqua materia vaporosa repleantur. Quapropter dixit Galen. causam palpitationis esse vaporem crassum. Sed quoniam vapor crassus est ex materia corporea, videndum, ex qua hi vapores fiant; fiunt autem ex omni humore, sanguine, vtraque bile, adde, & ex humore aquoso. Itaque nulla est humoris species in corpore nostro, ex qua non possint produci flatus, qui faciunt palpitationem. Et hæc de palpitatione in communi.

Causa materialis palpitationis cordis.

De cordis vero palpitatione statuendũ, quod fuerint aliqui, qui putarunt, palpitationes semper fieri ex vaporibus: Auic. vero vult eas interdum fieri ex vaporibus, interdum vero ex humoribus. Paulus lib. 3. cap. 34. voluit fieri ex sanguine. Nec est dicendum, quod ideo voluerit fieri ex sanguine, quoniam ex eo generantur vapores: esset enim absona hæc sententia. Dico igitur palpitationem cordis, quæ fit per essentiam in corde, raro fieri a flatibus, plerumque autem ex humoribus; sicuti quæ fit per consensum, semper fere fit a flatibus, eo quod flatus geniti in alijs partibus, cum sanguine in cor transmissi, palpitationem faciant.

Quomodo ex humoribus fiat palpitatio

Dicet aliquis, quomodo fiunt ex humoribus? Respondeo, quia in ventriculis cordis semper est materia sanguinea, quæ modo est pituitosa, modo sanguinea, modo melancholica, modo biliosa: etsi Aristot. dicat, bilem non approximare cordi; nam ipse de syncera bile loquebatur: scimus enim in capsula cordis semper a natura contineri humorem aquosum, isti humores cum sint in corde, & quasi coessentiales, ratione intemperaturæ feruent, ex quo efficitur talis motus cordis.

Nec credat quis extra cauitates cordis in substantia posse vapores infigi, qui faciant palpitationem, vt in alijs partibus fit, propterea quod hoc valde absonum est, fecit enim natura substantiam cordis durissimam, & quasi impenetrabilem, & si nunquam est impenetrabilis caro

cordis,

cordis, eo magis quando est affectum passione cardiaca, & palpitatione: propter quod veteres Medici, vt est apud Plin. lib. 11. cap. 37. putarunt cor eorum, qui veneno interimuntur, & eorum qui cardiaca tentantur, comburi non posse.

Quod autem in capsula cordis contineatur humor, propter quem interdum fiat palpitatio, docetur apud Gal. 5. de loc. aff. 2. vbi hanc rem simul exemplo docet. Hæ sunt igitur causæ materiales palpitationis cordis, sc. humores, & vapores: sed humores palpitationem faciunt per essentiam, vapores vero per consensum.

Causa antecedentes. Interna. Externa.

Præter has causas ab Auic. annumerantur aliæ antecedentes, quarum aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Inter internas annumerantur apostemata, vermes: inter externas venenum potum, vel ab animalibus eiaculatum. Rases 7. cont. annumerat etiam animi passiones, de qua re video aliquam apud scriptores differentiam. Auic. qui has palpitationis causas effusissime enumerauit, videtur tacuisse animi passiones.

Ex altera parte est auctoritas Aristotelis, 3. de histor. animalium 5. damnantis Platonem in Timęo dicentem, naturam effecisse pulmonem, vt in palpitationibus sese extendens cor non allideret materiæ duræ, sed molli; duobus vtitur argumentis Aristoteles, vnum est, solius hominis cor inter alia animalia, palpitatione tentari, & hic notare potestis errorem Marcelli, qui lib. de Medicam. cap. 21. remedium proponit non solis hominibus sed & ceteris animalibus proficuum. Alterum in multis animalibus brutis pulmonem longe a corde distare.

Ex hoc discursu patet Aristotelem voluisse, palpitationem fieri ex affectibus animi, cum inquit, soli homini cor palpitare, quoniam solus homo spe rei futuræ teneatur. Eandem sententiã habet Gal. in lib. de resp. cap. 9. vbi definiens cordis saltum, dixit, esse calorem naturalem in corde vehementiorem, propter frigiditatem excrementitiam, & colliquatiuam: quemadmodum in cordis palpitatione etiam contingit, & ex alijs morbis, & ex timore. Ex quibus colligimus, etiam ex animi passionibus fieri palpitationem, vt autem tueamur Auicennam, dicendum videtur aliud esse cordis saltum, aliud palpitationem, de saltu cordis manifestum est fieri ex animi passionibus, imo vero huc alludens seruus ille Plautinus Euclio in Aulularia dicebat, cor sibi facere artem ludicram, & emicare præ metu. Atque de hoc saltu videtur fecisse verba Aristot. Vera autem palpitatio, quæ fit in corde, non fit a passionibus animi, & ideo cum de hac loqueretur Auic. non est mirum, si silentio præterijt animi passiones. Vel dicendum, Auic. locutum fuisse tam de saltu, quam de vera palpitatione, & sub doloribus constrictiuis complexum fuisse etiam animi passiones.

Signa. Ex relatione. Ex aspectu Medici.

Signa palpitationis cordis alia habentur ex relatione ægri, alia ab assistentibus, alia ab aspectu Medici, & ex complexione. Ex relatione habentur hæc, quod cor videtur tremere, atque in syncopen ruere, interdum vero ægri non videntur respirare posse. Ex aspectu Medici hæc habentur, quia Medicus; si tangat pulsum, arterias videbit tremere, & concuti, si tangat mammam sinistram, motus vehementissimus est, concussio insignis apparebit, imo vero interdum motus iste vsque adeo vehemens, vt cor, & costas a proprio loco cedere cogat, & interdum tegumenta ipsius regionis cordis proijciat longe, nonnunquam arterias dilatet, & aneurismata inducat. Quare & ex his signis potest percipi, quod sit palpitatio.

Signa ab humoribus.

Particularia autem signa vniuscuiusque speciei palpitationis vario modo se habent. Quod si fiat ab humoribus, pulsus erit admodum lenis, & mollis, videbiturque cor veluti in aqua natare, præsertim quando palpitatio fit ex humore in pericardio contento. Si humor iste sit sanguineus, pulsus velox erit, atque in toto corpore apparebunt signa sanguinem indicantia. Si sanguis erit biliosus, pulsus erit velocior, & vehemens erit sitis, & linguæ siccitas. Si autem pituita, pulsus erit mollis, nulla sitis, & signa in corpore apparebunt, quæ pituitam indicabunt. Similiter si palpitatio fiat a melancholico sanguine, color liuidus, & melancholicus erit, timores, & cogitationes ægrum vexabunt. Si a flatu, in pulsu parua erit mutatio, sed hoc signum præcipuum erit, quod palpitatio parum durabit, neque transibit horam, & modo abibit, modo recurret.

Signa a flatu.

Signa ab intemperieb. Signa per consensum.

Quod dixi de humoribus, idem dicendum de intemperiebus, quæ sunt cum humoribus coniunctæ, eo quod signa, quæ incidant palpitationem ab hoc vel illo humore, eadem possunt etiã indicare, fieri ab hac aut illa intemperatura. Sed si fiat per consensum, modus cognoscendi erit, vt inuestigetur, an iecur, cerebrum, ventriculus, pulmo, sit affectus, quoniam quodcunque ex his membris videbitis affectum, vbi palpitatio succedit, necessario est per consensum, ex illo membro affecto. Quod cum aliqui non animaduerterent, grauiter errarunt in iudicando, vnde palpitatio summi Principis sumeret principium. Omnis cordis palpitatio si sit cum febre, & cũ syncope, lethalis est. Quæ sententia pro firma, & vera habetur a Rasi, 7. cont. cap. de palpit. Similiter si ea sit vehemens, & frequens, vt docet Gal. & Auic. fere semper in syncopen, & tandem in mortem desinit. Dicebat Gal. 5. de loc. aff. 2. tales morbos plerumque contingere adultis, intra 40. & 50. ætatis annum, nec se vidisse hoc morbo tentatum quemquam, qui 50. ætatis annũ excessisset, quoniam Cor dicebat Aristoteles, & Galenus graui vllo morbo macerari nequit. Sic ego fatalem quasi diem prædixi in Illustrissimo Cardinali Vrsino, qui ante quadragesimũ nonum ætatis suæ annum obijt. Palpitatio post longas ægritudines cum nausea, & vomitu biliosoi, mala est, tum ex sese, tum quia significat non solum cor grauiter esse affectum, verum etiam os ventriculi.

Prognost.

Curatio.

Curatio palpitationis duplex est, alia in paroxysmo, alia extra paroxysmum. In paroxysmo

oportet

In paroxysmo. oportet spiritus ipsos reficere, virtutem sopitam reuocare, atque simul etiam prospicere, ne palpitatio in syncopen desinat. *Post paroxysmum.* Post paroxysmum debet Medicus causas omnes amputare, ne redeat paroxysmus. Et quia cor, & vires mirifice languent, opus est cor ipsum corroborare, & vires recuperare.

Pro omnibus his scopis obtinendis necessarium est remediorum materias inuenire, quæ sumuntur, a fonte diætetico, a pharmaceutico, & chirurgico.

Diæta. Diæta seu victus ratio maxime necessaria est in hoc casu, quare ante omnia alia extra paroxysmum incumbendum huic rectæ viuendi rationi.

In paroxysmo necesse est omnia ea remedia adhibere, quæ diximus in syncope conuenire, scilicet frictiones, ligaturas, irrigationes, perfusiones, & vini vsum.

Aer. Circa victus rationem extra paroxysmum primum ratio est habenda aeris: debet autem aer, sicut & omnis alia ratio vitæ, vim habere extenuatoriam, vt dicebat Gal. quare eligẽdus erit aer siccus, serenus, nebulosus omnino fugiendus: *Somnus.* parce dormiendum. Et aduertite, omnes, qui palpitationi sunt obnoxij, nunquam debere dormire solos, quia hic morbus noctu solet interdum adeo repente, & impetuose inuadere, vt nisi succurratur celerrime, periculum immineat suffocationis. *Exercitia.* Sunt qui damnant exercitationem corporis, eo quod incendantur partes spirituales, & consequenter facile palpitatio oboriatur. Sed sum alterius sententiæ, scil. moderatam exercitationem cõferre, quia causam materialem, nimirum flatus, & humores absumit. *Animi pathemata.* Fugiendi sunt graues animi motus, præcipue timor: abstinendum est ex toto a Venere, & a repletionibus nimijs. *Vinum.* Vinum mediocre sit, odoratum, generosum, vetus potius quam recens: & si vinum concedere non liceat, aq. cum coriandro, cum cinnamom. accommodata est. Nec dicas potum pertingere tantum ad partes naturales non ad cor, quandoquidem, vt scriptum est ab Hipp. in lib. de Corde, & Galen. de placit. Hipp. & Plat. etsi maxima pars potus in stomachum pertingat, transcolatur tamen & portio per cannam pulmonis ad cor, ita vt non sit timendum, quin a potu accedat maxima vtilitas cordi, & pulmonibus.

Panis. Carnes. Oua. Panis condiatur aniso, coriandro, fœniculo. Carnes auicularum, & venationis, vt docet Celsus, optimæ sunt. Iuuat autem cum carnibus semper ea coquere, quæ vim habent extenuandi, cuiusmodi est satureia, serpillum, pulegium, anethum, fœniculum. Oua tenera optima sunt.

Pisces. Fructus. A piscibus abstinendum est, nisi pisciculos salitos cum origano cõcedamus. Similiter etiam omnia pastilla, omnes fructus fugere oportet, nisi placeat concedere persica, mala cotonea, pistachia, nucleos pini.

Remedia Chirurgica. Venæ sectio an conueniat. Pars affirmans. Victu instituto transeundũ est ad chirurgicã remedia, quæ cum magnopere referant ad hãc curationem recte instituendam, opus est summa diligentia. Nonnulli sectatores Galeni existimarunt, in omni palpitatione mittendũ esse sanguinem, & adducuntur auctoritate Galeni, qui lib. 5. de loc. aff. a. dixit, omnes qui passi sunt palpitatiooem cordis, a venæ sectione iuuamentum recepisse. Inducuntur etiam auctoritate Auic. qui a 1. tertij tr. 1. cap. 7. dicit, venæ sectionem vtilem esse in omnibus cordis affectibus.

Pars negãs. Ex altera parte non desunt argumenta, quibus probari potest, venæ sectionem non conuenire, primo quia vires infirmæ sunt, & suo hoc affectu solent vehementissime pati. Præterea omnis palpitatio fere efficitur in causa frigida, quare non videtur venæ sectio conueniens.

Resolutio. In hac re, ita puto agendum: In palpitatione omni spuria venæ sectio cõfert, & ratio est, quia vt scribit Gal. efficitur hęc palpitatio ab incendio, & inflammatione cordis, aut partium ad cor attingentium. In inflammationibus, & incendijs nullum est remedium adeo efficax, & præclarum, quemadmodum est sanguinis missio, vt dicit sæpe Galen. & pręsertim in 1. aph. 23. In vera autem debet sagax Medicus diligenter animaduertere, vtrum fiat a sanguine, vel saltem sit in corpore sanguinis copia, an vero fiat ab alio humore. Si sit a sanguine, vel cum copia sanguinis, in corpore, nisi aliquid prohibeat, venę sectio mirum in modum adiuuat. In omni alia vera palpitatione, quacunque sit, perniciosissimum esse puto venæ sectionem adhibere.

Cucurbitulæ. Rectæ administratio cucurbitulæ. Rases. Auic. Si sanguinem mittere non liceat, consueuerunt plerique practicantes confugere ad vsum cucurbitularum scarificatarum. Verum in administratione huius auxilij non exigua etiam est inter Medicos aliquos controuersia. Rases maximus experimentator lib. 7. contin. vbi tractat de palpit. scribit, cucurbitulas scarificatas dorso adhibitas tollere cordis tremorem. Auic. autem 4. primi doct. 5. in cap. de cucurb. scribit, cucurbitulas dorso applicatas aliqua bona facere, sed ventriculum lędere, & cordis tremorem inducere, ita vt inter hos duos grauissimos scriptores apertissima videatur contradictio.

Solutio auctoris Rases Auic. conciliatur. Pro qua tollenda dupliciter responderi potest, vno modo, cucurbitulas adhiberi posse vel repleto corpore, vel corpore exinanito: si adhibeantur corpore repleto, fieri potest cordis palpitatio, & ratio est, quia a corpore repleto vi cucurbitularum dorso adhibitarum, trahitur materia ad ipsum cor, & consequenter occasio præbetur palpitationis generationi. Contra autem si exhibeantur corpore exinanito, siquidem, præterquam quod non trahitur materia ad ipsum cor, si quæ prope ipsum est, extrahitur tota ad cutim, & circumferentiam, dicit enim Gal. 13. meth. cucurbitulas attrahere a profundis partibus. Alio modo responderi potest, cucurbitulas, quæ adhibentur, varijs modis administrari posse, vel enim administrantur magnæ, frequentes, & cũ multo igne, vel administrantur paruæ, & cum paruo igne. Priores possunt facere cordis palpitationem, quandoquidem aptę sunt incendium producere circa cor, & consequenter palpitationis occasionem præbere: posteriores vero non solum ineptæ sunt producẽdæ palpitationi, imo

vero

vero eam curare omnino valent, Sic etiam maxime valent in palpitationibus, vt ego sum expertus felicissime, cauteria adhibita. Quæ cum possint varijs, & diuersis in partibus administrari. Si a capite defluens materia palpitationem efficiat, vt dicit Hipp. melius est cauteria facere in superioribus partibus, & ego in hoc casu soleo commendare, vt cauterium in dextro brachio efficiatur. Sin autem palpitatio fiat vel per essentiam in corde, vel per consensum a partibus infernis, multo melius est cauterium in cruribus infigere, quæ possunt vel supra genua paulo, vel subtus genua effici.

Cauteria.

Et quod dico de cauterijs, idem quoque putatote dictum esse de vesicantibus, quia in diuturnis, & frequentibus palpitationibus etiam hæc adhibita magnam vtilitatem afferre solent. Sed vnum expertus sum multo melius esse in his casibus fugere vsum cantharidum, quippe quę ob facultatem ipsarum veneficam habent quandam proprietatem cordi aduersariam, adeo in hoc casu adhibebitis, vel Ranunculum vocatum, vel flammulam Iouis, vel synapi acerrimo aceto maceratum, &c.

Vesicatoria.

Cantharides in hoc affectu uitandę.

Post negotium chyrurgicum cogitandum, vtrum palpitatio fiat a sanguine, an ab alio humore: si enim fiat a sanguine, oportet & internis, & externis remedijs prospicere, vt causa aboleatur. Quare accommodata erit hęc medicina intrinsecus:

Materia medicinales.

℞. Sem. omnium frigidorum an. ℥. ß.
Specierum cordial. temperat. ℈ iij.
Anisorum.
Croci an. ℈. ʒ. Cum aq. rosarum f. morselli, & coquantur f. a. Vsus horum est, vt quolibet mane ʒ. ʒ. vel ʒ. 1. deglutiatur, & paulo post modicum vini odorati assumatur.

Extrinsecus poterit cordi hæc perfusio administrari

℞. Fl. citri.
Arantiorum an. P. j.
Fl. rosarum P. j. ß.
Aqua Melissæ.
Enduiæ.
Acetr. an. lib j.
Moschi gr. iij.
Santalorum omnium an. ʒ. j. Bulliant f. a. & cum spongia, vel panno f. cordi præfusio.

Eadem ratione succurrendum erit alij palpitationi, quæ originem ducit ab incendio cordis.

Quod si malum oriatur, vt plerumque fieri solet, a pituita, studendum est, & præparare, & expurgare huiusmodi materiam; deinde cor corroborare. Sed illud documentum memoria tenere debetis, quod tradit Auicen. f 1. tertij, tr. 1. cap. 7. scilicet in omni medicamento, quod cordi administrandum est, siue sit purgans, siue alterans, debere admisceri cordialia, duabus rationibus; vna est, quia huiusmodi remedia sunt veluti vehicula perducentia eorum vim purgatoriam in cor. Alia cordialia sua facultate, ita corroborant hoc viscus, vt a prauis qualitatibus medicamentorum non lædatur. Si igitur lenire aluum optabitis, hunc in modum poteritis constituere:

Curatio eius quæ fit a pituita.

℞. Elect. lenitiui.
Diacathol. an. ʒ. vj. M. cum facc. f. bolus.

Leniens.

Vel si parandus erit potus, in hunc modum præscribetis:

℞. Decocti cordialis ℥ iiij. ß.
Mellis ros. solut. ℥. v. M. & f. potus.

Potus.

Item pro pręparandis humoribus.

Præparans.

℞. Fol. Vmeetoxici.
Beton.
Scariolæ.
Cuscuta an. M ß. f. decoct. f. a.
℞. d d. ℥. iiij.
Syr. de cortic. citri.
Mellis ros. simpl.
Syr. de menta an. ℥. ß. M.

Postquam præparati sunt humores, sic euacuantur:

Euacuans.

℞. Sebesten. num. xij.
Fol. senæ ʒ ij.
Passularum ℥. ß.
Sem. citri ℈. j.
Aq. melissæ ℥. v. Infundantur omnia f. a.

Deinde fiat dilutum Expressioni adde:

Elect. de psyllio.
Elect. ros. Mesue an. ʒ. ij. ß.

Postquam euacuati erunt humores, studium conuertendum erit ad cor, & spiritus conseruandus, & propterea hęc medicamenta intus erunt optima.

Elec. corroborans cor.

℞. Conser. saluiæ.
Cons. rosarum an. ℥. j.
Nucis myristicæ.
Caryoph.
Calami odor. an. ℈. ß. Misce cum syr. de cort. citri f. mixtura. Cuius ℥. ß. singulo die sumatur paulo ante prandium, & cœnam.

Extrin-

Extrinsecus accommodata erit hæc inunctio:

Topica.

℞. Theriacæ optimæ ʒ. j.
Scordij.
Nucis moschatæ.
Cinnamom an. ℈. ß.
Croci.
Moschi an. gr. iiij.
Vini aromatici ℥. j. M. omnia ad lentum ignem, deinde cum panno, vel spongia foueatur regio cordis.

Theriaca cõmendatur.

Et animaduertite Domini, in veris palpitationibus, quæ fiunt a materia frigida, theriacam magnam vtilitatem afferre, præsertim extrinsecus: & ab Augustissimo Imperatore Maximiliano audiui, dum apud eum essem in illa palpitatione, quæ ipsum magnopere turbauit, nullum remedium vtilius inuenisse ipsa theriaca.

Quando dixi de humore pituitoso, id quoque existimandum est de humore melancholico, vt scilicet prius præparetur, deinde expurgetur, & postremo cor corroboretur.

Si fiat palpitatio per consensum, vnica curationis ratio est, vt pars affecta, quæ malum communicat, diligentissime curetur, & simul cor ipsum corroboretur. Atque hęc sunt, quę dicenda erant de ęgritudinibus contingentibus cordi.

D. HIE-

D. HIERONYMI MERCVRIALIS,

DE INFIMI VENTRIS,

Partiumque ad eum pertinentium affectibus,

Liber Tertius.

PROLEGOMENA.

POST vitia facultatis animalis, & vitalis, sequitur vt vitia naturalis facultatis explicentur, duabus de causis, primo, quia situm partium expẽdamus, membra, quibus hæc facultas sita est, in extremo corporis sunt, vt hac ratione situs horum vitiorum locum hunc expostulet. Deinde, quoniam si vniuscuiusque dignitatem expendamus, hæc facultas naturalis est omnium ignobilissima, de qua sermonem habens diuinissimus Plat. in Timæo dicit, conditores nostros brutalem animam in partibus inferioribus, tanquam ad præsepe collocasse, vt ibi pascatur, neque strepitu ac clamore suo ducem nostrum a suo munere deflectat. Quod etiam cum cognouissent Stoici, animam hanc vegetatiuam, & naturalem, potius naturam, quam animam vocare voluerunt. Sic etiam plurimi secuti Paterpianum hæreticum dixerunt, animam seu facultatem vitalem, & animalem a Deo creatas esse, naturalem ab Antitheo. Naturalis autem facultas duo munera apud Medicos, & Philosophos habet, vnum, vt per nutritionem, & auctionem indiuiduum conseruet, alterum vt speciem humanam. Membra quæ facta sunt propter speciei conseruationem, vt genitalia, & vterus, cum sint posita in fine ventris nostri, vltimo loco eorum vitia declarabuntur; quæ vero conseruant indiuiduum, primum sibi vendicant locum. Hæc autem sunt: stomachus, iecur, lien, intestina, renes, inter quæ stomachus primas obtinet, &, vt dicit Serenus, rex est totius corporis: igitur de eius vitiis primo agendum.

CAPVT I.

De vitiis stomachi.

APud Medicos, & Philosophos stomachus, tria significat. Primo partem illam, quæ est a radice linguæ, vsque ad os ventriculi. Secundo os ipsum ventriculi, quod Galen. 7. aph. 56. a veteribus abusiue vocatum fuisse καρδίαν, seu cor. Tertio significat locum illum, in quo cibi digeruntur, & hæc vsitatissima omnium est appellatio apud Medicos, tum Græcos, tum Latinos. Seneca epist. 91. & Vegetius lib. 2. Veterinariæ cap. 40. appellarunt hanc partem Aqualiculum, qua voce Theodorus Gaza abusus est in vertendo Arist. 1. de hist. animal. cap. 13. Sed hæc ad rem nostram parum. Cum autem secundum situm primum se offerat œsophagus, vt rite vitia eius declaremus, necesse est, vt videamus, quæ sit hæc pars, & quo munere sit dotata. Hippo. in lib. de anath. dicebat, œsophagum esse fistulam quandam, ex radice linguæ vsque ad os ventriculi pertingentem. Vsus eius est, vt sit quasi via, per quam cibi ingrediantur ventriculum, & exigente vsu egrediantur: propter quem vsum natura sagacissima fecit hanc partem lubricam, & leuem, vt facile possent cibi transgredi in ventriculum, & ab illo rursus regredi per vomitum.

Acceptiones stomachi.

Vsus stomachi.

Operatio autem huius est duplex, vt Gal. 5. de loc. aff. loquitur, prima, quam Latini deuorationem, Barbari autem deglutitionem appellant: cui operationi inseruit tunica longis uillis donata, nam hæc operatio fit per attractionẽ. Altera est, ut in uomitu auxilietur expulsioni, & ideo habet alteram tunicam uillis per latum disseminatis plenã, qui inseruiunt expulsioni. Videtur igitur hæc pars, & usum, & operationem habere. Addidit Rufus Ephesius gulã ex sese facere examen ciborum, & potuum cum sit exactissimo sensu prædita. Quare colligere potestis degluti-

Operatio.

tionem

tionem nequaquam fieri ratione vacui, vt Democritus, & eius sectatoer uolebant, neque fieri grauitate, & pondere ciborum, vt alij censebant, sed vt Gal. docet propter attractionem. quæ iota perficitur per villos rectos, & longos per partem illam disseminatos.

Vitia, quibus stomachus tentatur.

Postquam, & vsum & operationem habemus, non erit nobis arduū intelligere vitia, quibus hæc pars tentatur, vnum est, quod ad vsum pertinet, quoniam vias impediunt, alterum quoniā operatio impeditur, hoc est, quando homo neque potest deglutire, neq; vomere. Hæ operationes vomitus, quo ad hanc partem, dupliciter vitiantur, nam vel nullatenus deglutire potest, vel deglutit quidem, sed cum molestia, atq; cum aliquo impedimento. Hęc igitur sunt stomachi vitia, quæ quoniam sunt symptomata in genere actionum læsarum, (nam & vsus læsus quodammodo ad actionem reducitur) actiones autem lęsę cum symptomata sint, necessaria, a suis morbis dependent. Primo igitur videndum, qui sint morbi, qui operationem, & vsum huius membri impediunt, vel offendunt: sunt autem morbi, vel essentiales, vel per consensum.

Essentiales quia primo lædunt operationes, sunt obstructiones, intemperies omnes, tum simplices, tum compositæ, solutio continui, vt sunt vlcera, & vulnera, atq; morbi in figura, vt asperitas, & læuitas. Morbi vero efficientes per communicantiam, aut sunt in toto corpore, & communicant suum malum œsophago, vt in fine ægritudinum longarum, & febrium acutarum, in quibus cum facultas motrix valde sit labefactata, non potest opitulari deuorationi: quod experimur nō raro euenire in febribus paruis, & pestiferis: aut communicatur malum ab alijs partibus, vt a cerebro, sic in phrenitide, & lethargo videmus impedire deglutitionē, quare princeps pars cum sit affecta, non potest huic operationi famulari, aut etiam communicatur ab aliquo mēbro vicino læso. Veluti in angina, & affectibus iuguli, in his omnibus cum partes vicinę sint affectæ, & propterea communicent malum gulæ, eius operationem impediunt.

Causa vitiorū stomachi. Interna, immediata.

Causæ harum ægritudinum, quæ vitiant œsophagum, aliæ sunt internæ, & immediatæ, aliæ externæ. Interna & immediata est primo res omnis, quæ oppilat, & obstruit, vt sunt humores crassi, viscidi, terreni, simlesq; cibi, nam vidi ego aliquando impeditam fuisse deglutitionem ob pomum, quod quidam solidum deglutierat: similiter inter causas internas est, quando parietes œsophagi simul coarctantur, & coniunguntur, vt fit in luxationibus vertebrarum spinæ. Etenim si quando spondyli, & vertebræ luxantur, comprimunt œsophagum, & consequenter deglutitionem impediunt. Similiter contingit in deglutitione rerum venenatarum, vt sunt fungi, & multa alia, quæ a Nicandro referuntur impedire deglutitionem.

Mediatæ.

Mediatæ causæ sunt omnes res aliæ, quæ possunt vel intemperiem producere in stomacho, vel exulcerare, vel exasperare, vel alio modo afficere eam partem. Vnde oriuntur differentiæ horum vitiorū, quia deuoratio est, vel per consensum impedita, vel per essentiam, vel est antiqua, vel recens. Postremo vel impeditur solius cibi, vel solius potus, vel vtriusque ratione simul.

Problema.

Sed dubitabit forsan aliquis, quomodo fieri possit, vt deuorentur cibi solidi, & non potus, & res liquidæ? Constat quidem si œsophagus impediatur ita, vt tamen remaneat aliquis meatus, quod amplius deuorari quidem non possint res solidæ, & graues, sed liquidiores, & humidiores tantum, similiter si exulceratus sit œsophagus a rebus solidis irritatus, & natura dolore irritationis affecta non sinit pertransire res solidas, at liquida quoniam transeunt, nec irritāt partem, propterea nullo modo impeditur transitus eorum. Veruntamen cur solidæ res deuorentur interdum, & non etiam liquidæ, huius rei tres causas inuenio.

Prima, quia virtus attractrix est debilis, vt cum cibum liquidum attrahere non possit, tamen solidus suo pondere, & grauitate pertranseat. Sic dicit Gentilis Medicus, se vidisse vnum, qui deuorauit pomum, non tamen potuit res liquidas deuorare.

Secunda est exsiccatio epiglottidis: contingit enim interdum, vt epiglottis adeo exiccetur, vt perpetuo aperta sit, id quod contingere solet in corporibus marasmatis, ut res solidæ deuorentur, quoniam pertranseunt suo pondere, nec ingrediuntur sua magnitudine asperam arteriā: at res liquidæ aperta epiglottide ingrediuntur asperam arteriam, & hinc deuorandi fit difficultas.

Tertia causa est, quādo stomachus nihil cooperatur ad potum, sed ad solum cibum: fit enim sępe, ut stomachus appetat cibum solidum, & non potum: & hoc tempore quando stomachus auxiliatur rebus solidis attrahendo, non autem poculentis, impeditur deuoratio rerum liquidarum, & non solidarum.

Signa.

Signa, quibus in vniuersum cognoscitur deuorandi impedimentū, sunt per se clara, & Medicus ipse intueri potest, & æger ipse narrare poterit suas miserias; at paulo difficilior est cognitio causarum, & morborum particularium, a quibus hæc vitia proficiscuntur.

Signa vitij deuorationis ab intemperie.

Si enim fiat vitium deuorationis ab aliqua intemperie, quod Gal. 5. de loc. aff. 5. docuit, languor, & debilitas percipitur in deuorando, per totum œsophagum, sine dolore, angustia, aut ullius adstrictionis sensu. Accedit etiam id quod dicit Gal. quod qui laborant propter intemperiē, si supini permaneant maiorem difficultatem percipiāt, si sint erecti minus afficiantur, quia ut in supino non auxiliatur grauitas rei deuoratæ, sic in recto maxime auxiliatur. Si intemperatura sit calida, noscitur quoniam pręter signa uniuersalia adest rubedo faucium, sitis, & febris, ad hęc, ab usu frigidorū percipit utilitatem, & uoluptatem. Si ab intemperie frigida, nullus adest rubor, nulla caliditas; uel exigua, paucissimus dolor, nulla sitis, nec febris præterquam, ut dicit Gal. si fit cum materia, & humore frigido, interdum dum suppuratur materia, adest febris diaria. Si intemperatura sit humida, cognoscitur, quoniam nulla adest sitis, maxima pituitæ expuitur copia, & fauces totæ uidentur scatere humore. Ad hęc percipitur utilitas ex usu rerum siccarum.

Si fiat

Si fiat ab intemperatura sicca, sitis aderit maxima, & siccitas faucium, sique partes illæ humectentur, maximam vtilitatem percipient ægri.

Signa tumoris.

Si fiat malū tumore, duo vel tria sunt diagnostica signa, vnum quod in ipsis faucibus percipitur strictura quædam, alterū quod hæc difficultas deuorandi non sit in tota fistula, sed solū in altera parte, ita vt impedimentū non sit æquale. Si humor sit calidus, aderit febris, siccitas summa, feruor in faucib. si sit frigidus, neq; sitis multa, neq; magna caliditas, neq; feruor aut rubor.

Sed quæritis, cur vbi fiunt difficultates deuorandi a causa calida, febres non sunt admodū calidę, hoc autem videtur rationi repugnare, vt morbum calidum non comittętur febres calidæ prętcrea dicit Galen. vbi sit morbus causa calida, adesse magnam caliditatē sensu. Igitur videtur consonum, vt febres adsint calidæ. Respondeo, ex sententia Auic. apud Galenū pro febribus calidis debere intelligi vehementes, ita vt intelligendus sit Galenus, febres non comitari vehementes deglutitionis impedimentum a causa calida, quoniam pars hæc, vt dicit Auicenna valde remota est a corde, quod est fons vitæ, & remota a cerebro. Itaque cū sit remota a visceribus præcipuis, iure fit vt caliditas nō possit valde communicari, & proinde febris magna fieri.

Possumus etiam dicere ex Gal. fuisse vocatas febres calidas respectu sitis, ita vt si comparetur febris siti, non videatur admodum esse magna, quia sitis minor quam pro ratione caliditatis.

Signa difficultatis deuorandi ex vlceribus.

Si deuorationis difficultas oriatur ex vlceribus œsophagi, (nam vt docet Auenzoar, fiunt vlcera in hac parte tum ex medicamentis, & cibis acrioribus, & calidis, tum etiam ex febribus pestilentis) cognoscitur, quoniam dolor est in collo, & inter spatulas, quod quidē non fit, vbi exulceratum est os ventriculi. Addite vos, quod dicit aliquando Gal. quod quando acida, vel acria deuorantur, aut etiam adstringentia, incredibiles oriantur cruciatus, dixit tamen Auer. non sēper dolorem persentiri, vbi deuorantur, vel acida, uel acria, sed esse hanc differentiam, quoniam si res acidæ, uel acres sint paruæ, & qualitas sit obscura, nullus dolor percipitur, sed tantū percipitur, vbi res sunt magnæ, & acetosæ, uel magnæ, & acres.

Cur gulæ dolor sēper cōmunicetur diaphrag.

Circa hanc rem notate ex Galen. quod ubi dolet gula, dolor fere semper communicatur diaphragmati: ratio est quoniam diaphragma alligatur dorso, ad dorsum autem stomachus pertingit. Si fiat ex uulnere hoc signū aderit, quod sit exitus sanguinis, qui si exeat per corrosionē, dolor adest, si per reseruationem, nullus persentitur.

Progn.

Signa prognostica apud Hipp duo extant. Primo quod omnis deuoratio uiolenta, id est, quæ magno impetu efficitur, semper est mala secundum relatum in 4. aph. 35. quod si difficultas deglutiendi adsit, & collum uerti non possit lethale est. Explicat rationem Gal. quoniam vbi hæc signa adsunt, signum est uirtutem esse ferę emortuam, & iugulatā a siccitate. Deglutiendi difficultas propter apostema, ait Auicenna, est curatu admodum difficilis. Et ut ait Auenzoar li. 2. tr. 10. c. 18. difficultas deglutiendi, quæ oritur a frigiditate, & ex neruorū mollificatione, incurabilis est: quod si curari debet, necessaria est subita medicamentorum applicatio, alioqui breuissime moriuntur.

Summatim omnes deglutiēdi difficultates sunt difficiles curatu, propter tres causas. 1. quoniam locus affectus lubricus est, ea propter medicamenta facile diffugiunt, & dilabuntur. 2. nec addi possunt extrinsecus medicamenta, vix enim possunt peruenire ad locum affectum. 3. cum omnis affectus indigeat quiete, fere semper per partem affectam aliquid defluit, quod curationem omnino impedit, Succedit curatio, quæ tota posita est in morborum, a quibus dependet sublatione, itaque si morbus sit obstructio, ratio curationis est, vt tollatur obstructio: si intemperies, curandum, vt ea per sua contraria tollatur: si vlcus, aut vulnus, vt cōsolidetur, & repleatur sed hæ indicationes vniuersales non faciunt ad Medicum, sed ad Chirurgum.

Curatio. Notabilia in omni fere deglutitionis difficultate.

Quapropter ad particulares morborum curationes est deueniēdum, quæ vt recte a nobis instituantur, est necessariū, vt sex memoriæ mandētur, quæ in omni fere deglutitionis difficultate sunt necessaria. primum omnia medicamenta, seu omnes cibos, qui accommodantur ad hunc effectum, debere esse eiusdem naturæ, cuius sunt medicamenta ventriculo accōmodata, vt scilicet perpetuo habeant vim aliquam aromaticam, atque corroboratiuam, ratio est, quia vētriculus, & œsophagus sunt fere eiusdem naturæ, habentq; vnam & eandem tunicam; quo fit, vt eadem expostulent medicamenta. Et tamen hac in re nonnihil differentię, quoniam cum ventriculus, & præsertim ipsius os sit membrum nobilius, ipsi debentur medicamenta magis aromatica, & magis corroborantia.

2. Notandū vt medicamēta sint viscida, vt quando œsophagū pertrāseunt, possint adhærere, etenim nisi habeant hāc facultatē diffugiunt, & si non adhęrent, nihil vtilitatis afferre possunt.

3. Quod quæcunque sumuntur, siue sint medicamenta, siue cibi, debent paulatim deuorari, atque id potius supino corpore, quam erecto, eo quod si hoc ita fiat, medicamenta diutius morantur in gula, & per hanc diuturnam moram imprimunt etiam suam facultatem magis.

Ex quo colligendum, post medicamenta, quæ exhibentur in hunc vsum, nunquā esse quid liquidum potandum, eo quod si statim aliquid superbibatur, medicamentum totum abluetur.

Quarto notandum ex Hal. 13. meth. 17. medicamenta, quæ gulæ sunt accommodata, debere apponi supra dorsum, scil. per spinalis medulæ longitudinem. Ratio est, quia stomachus perrepat per eam partem, vsque quo pertingit ad ventriculi os, etiam si medicamenta applicarentur parti anteriori, vel non penetrarent vnquam, si essent debilia, vel si essent fortia, primo offenderent spiritalia membra, quam ipsi œsophago auxiliarentur.

Quinto, quod & Auerr. notauit, medicamenta, & cibos debere esse tepidos, nam vterque

excessus

excessus calorem natiuum labefactar, a quo salus omnis dependet.

Sexto notandum, si debet hæc pars curari, vt in quiete teneatur, & a nulla re irritetur, ea propter omni studio est incumbendum, vt nihil a capite defluat per eam partem, quod facile obtinetur per ligaturas, frictiones, & cucurbitulas, ac omnia alia, quę Medici ad auertendū materias excurrentes cogitarunt. Nunc particularia aggredior.

A calida intemperie. Dixi totum curationis huius scopum positū esse in hoc, vt morbus auferatur, quare si morbus sit intemperies calida, ante omnia victus ratio est instituenda frigida. Eligendus est aer frigidus, quiescendum, dormiendum, potus frigidus, vt aqua hordei, cibi refrigerātes, vt hordia, in quibus sunt decoctæ herbę, ptisanæ etiam succus accommodatus.

Quod si cum intemperie adsit aliqua sanguinis abundantia, cito ad phlebotomiam veniendum. Si venam secare non liceat, cucurbitulæ sunt apponendæ: sed est notādus locus, ne dorso affigantur, quia cum cucurbitulæ calefaciant, & vt dictum est cum œsophagus sit in dorso, sine dubio augebitur intemperies, si cucurbitulæ affigantur: itaque natibus, & lūbis sunt affigēdæ.

Præter hęc sunt, & alia medicamenta, ad tollendam intemperiem calidam, inter cetera hoc vnum est, quod ore sumitur.

℞ Mucilag. psyllij.
Succi granatorum.
Iulepi viol. an. ℥. j.
Aq. Solatri.
Portulacæ.
Nymphææ an. ℥. iij. Misc.

Lac acetosū

In difficultate deuorandi a causa calida maxime extollunt Auicenna, & omnes Auicennæ sectatores vsum lactis acetosi, sed vt intelligatur, quomodo vtendum hoc remedio, necesse est scire, quomodo fiat acidum lac, & oxygala. Colum. libr. 12. cap. 8. & Plin. lib. 28 c. 9. & Gal. 3. de alim. fac. cap. de oxyg. multos mōstrant fuisse modos, quibus fiat: sed inter alios duo sunt. 1. cum lac in vase angusto ponebatur, cui addebant aquam, & conquassabant, donec concresceret lac, tandem concretum auferebant, & sale addito conseruabant.

Quomodo fiat oxygala

2. Fiebat & alio modo, quādo lacti recenti lac acidum addebāt. Sed quid esset lac acidū apud Arabes non satis intelligitur, puto tamen id fuisse, quod Gal. 7. meth. & in libro de cibis boni, & mali succi, vocabat Melcam. Modus quo fiebat explicatur a Costan. lib. 18. de re rust. vbi scribit consueuisse homines vas mundum accipere, atq; supra carbones ponere, deinde infundere acetum, quod efferuescebat, donec absumeretur, vbi erat absumptum acetum, in id vas conijciebant lac, & ibi per diem, & noctem conseruabant, tum auferebant, coque vtebatur, & vocabāt, vt dixi Melcam, seu lac acidum.

Sed dicet aliquis vestrum, quando & Auicenna commendat lac acetosum in deglutitione læsa ob causam calidam, quonam debemus vti? Dico licere vti vtroque, & ratio est, quoniam si loquamur de oxygalacte, Gal. & Paulus commendant in causa calida, pro curanda intemperie ventriculi calida, dictum autem est, eadem quæ conueniunt ventriculo esse etiam vtilia œsophago. Si loquamur de Melca, propter sui crassitiem, tenacitatem, & frigiditatē conuenit in curatione partium ob adustionem laborantium.

Topica. Præter hęc, quæ intus exhibentur, sunt etiam alia medicamenta, quæ extrinsecus applicantur, vt est hoc:

℞. Mucilag. psyllij.
Succi Solatri. an. ℥. iiij.
Ol. rosarum ℥. j.
Puln. rosrub. ʒ. j. ß.
Vini albi ʒ. ij.
Ceræ parum. Misce & f. linimentum.

Ab intemperie frigida. Si intemperies fuerit frigida, contraria ratione est agendum: aer est eligendus calidus, mouēdum corpus, vigilandum, loquendum, canendum; competit etiam potus vini generosi, conueniunt aromata, & tandem omnis victus sit calidus. Præterea administranda, tam intrinsecus quam extrinsecus quædam medicamenta, in hunc modum.

℞. Cinnamomi.
Piperis.
Caryoph. an. ℈. ß.
Succi maior. ʒ. ß.
Mastichis ʒ. j.
Mellis ʒ. ij. Misce.

Extrinsecus etiam conuenit eadem ratio medicamentorum: laudat Auic. ol. nardinum, ol. amygd. amar. & poteritis vos sic parare.

Linimentū

℞. Ol. amyg. amar.
Ol nardini an ℥. ß.
Ol de piperib. ℥. ß.
Pulueris absynthij ʒ. j.
Ceræ parum, f. linimentum.

Ab intemperie humida. Si sit intemperies humida, uictus instituendus siccus in cibo potius assa sunt edenda, quam elixa,

elixa, & tandem omnes cibi actu, & potentia debent esse exsiccatorij; pro medicamentis internis laudatur usus tripheræ, theriacæ, myrobalan. chebul. vino conditorum. Potest etiam hoc componi.

℞. Anisi.
Spicæ.
Caryoph. an. ℈. ß.
Myrrhæ ℈. j.
Mellis q. s. fiat mixtura.

Et notate has confectiones potius fieri debere melle, quam saccharo, quia si debent esse viscidæ, vt adhæreant, magis præstat ad illud mel, quam saccharum. Extrinsecus conuenit ol. de piperibus, & ol. anisi.

Ab intemperie sicca. Si intemperies sit sicca, victus debet esse humidus, aer humidus, dormiendum, & quiescendum, balnea aquæ dulcis sunt accommodata; in potu vinum debet esse oligophorum, minime adstringens, sed potius leue; cibis debent incoqui omnia, quæ humectant, vt maluæ, lactuca.

Ad deglutiendum optimum est diapenid. d. atrag. sacch. violaceum molle. Extrinsecus vero conueniunt ol. nymph hæa, violatum, & de vitellis ouorum.

A tumore. Vbi sit difficultas ab aliquo tumore, magna est adhibenda cura, vt recta instituatur curatio. Primo Medici mandant, vt in hoc casu fugiatur vomitio, quia materia, quæ educitur per vomitum, vbi in transitu scopulum inuenerit, adhæret, & propterea tumorem auget; quod si talis nõ sit, quæ possit adhærere, exasperat, & corrodit interdum, vt bilis, ita, vt vndequaque nocumentum afferat.

An repercutientia conueniant. Sed est dubitatio, an in curatione tumorum œsophagi sit vtendum medicamentis repercussorijs. Auic. huic sententiæ inhæret, vt in omni tumore a principio sit medicinis repercussorijs, & adstringentibus vtendum, sed loquitur de externis. De intrinsecis alia est quæstio: alij enim aliam sententiam secuti sunt. Quoniam Auic. videtur regulam quãdam vtilem tradidisse, quod vbi a tumoribus redduntur viæ angustæ, semper sit dilatandum, atque vtendum medicamentis potius emollientibus, quam repercutientibus, ita, vt hinc, & inde variæ fuerint sententiæ.

De repercutientium vsu, quia res hæc non est exigui momenti, statuẽdum est, in nullo tumore œsophagi vnquam esse vtendum solis maxime repercutientibus, quia periculum esset, ne ex vsu horum angusta via magis coarctaretur; veruntamen vtendum est repercutiẽtibus permixtis medicinis discutientibus, ita, vt si morbus sit in principio, repercutientium quantitas sit paulo maior, si in augmento minor; in statu vero prorsus repercutientium, & adstringentium vsus remoueatur. Exempli gratia, in principio conueniet hoc medicamentum.

Medicamentũ conueniens in principio.

℞ Ol. rosati.
Succi plantag. an. ℥. j.
Ol. amygd. dulc.
Ol. chamæm. an. ℥. ß.
Myrrhæ ℈. ß. Misce.

In augmẽto. In augmento hoc erit accommodatum.

℞. Ol. rosati.
Chamæm. an. ℥. ß.
Bdellii.
Ammoniaci an. ʒ. j.
Croci ℈. j. M. f. linimentum.

In statu. In statu omittere oportet adstringentia, & repercutientia, quapropter non erit in vsu oleum rosatum, sed poterit quis hoc vti medicamento.

℞. Ol. rutacei.
Chamæm. an. ℥. j.
Butyri ʒ iii.
Ammoniaci ʒ. ij.
Piperis albi ℈. ß. M. f. linimentum.

Ab humore calido. Si deuorandi difficultas oriatur ab humore calido, victus ratio ea esse debet, quam declaraui, vti fit ab intemperie calida. Inter cetera commendant Medici in hoc casu succum granatorum, & succum ptisanæ, pro potu. abstinendum vero ab omnibus calefacientibus.

Quod si materia sit sanguinea, sanguinis missio est necessaria, in reliquis vtendum ijs medicamentis, quæ supra dicta sunt, quæ discutiant, & repercutiant in principio, in augmento, quæ minus repercutiant, & magis discutiant in statu omnia medicamenta debent esse discutientia. Hæc dico, si tumor calidus, potius ad resolutionem, quam ad maturationem procliuis. Quod si potius ad maturationem sit aptus, hæc remedia sunt accommodata, quæ maturationem festinãt, inter cetera conueniunt decoctum ficuum aridarum, decoctum iridis, & hoc.

Tumorẽ maturans.

℞. Fol maluæ P. j.
Rad. iridis ℥ ß.
Ficuum aridarum ℥. j.
Aq. communis lib. ij. Coque donec spissescant, deinde spisso decocto est vtendum.

Si tumor sit ex materia frigida, debet ratio victus calefactoria esse: sanguinis missionis nullus est vsus, & præ ceteris non est vtendum medicamentis extrinsecis, quæ adstringant, aut repercu-

 tiant,

tiant,verum,& in principio,& in augmento semper vtendum est his,quæ cõcoquant, & discu tiant,vt est farina hordei,fœnugręc.chamom.bdellium. Et extrinsecus quidem tali linimento.

℞.Ammoniaci.℥.ß.
Ol.chamom.℥.ij.
Fœnugr.℥.ß.M.f.emplastrum.

Intrinsecus vero fœnugræci decoctum conuenit.

Curatio vlcerum in gula. Post eruptionem apostematis solent relinqui in gula vlcera, quæ alias etiam sponte oriũtur in ea,necesse est itaque,vt habeatur in hisce casibus curandi vlcera ratio. Curãdi autem vlcera duplex est scopus,vnus,vt abstergantur vlcera;alter,vt postquam absterfa sunt, consolidentur.

Ad mundificandum vlcera requiritur,vt medicamenta sint abstẽrgentia,verum quãdo hęc intro sumuntur,non paulatim haurienda sunt,sed celerrime,& magno cum impetu,quoniam si abstergendæ,sunt sordes in vlceribus,quo magis medicamenta decurrunt per gulam,eo magis sanãt,& detergunt vlcera. Aqua hordei,& mel rosatum,tum decoctum lupinorum cũ melle rosato,medicamentum est ad detergendum accommodatum. Et aduertite, hæc medicamẽta debere esse naturæ nostræ familiaria,eo quia cum in ventriculũ ingrediantur , atque ibi permaneant,sane nisi sint amica naturæ,poterunt quidem prodesse gulæ,sed nocebũt ventriculo.

Medicamenta consolidantia,cum debeant diu permanere, vt operẽtur,supra locum affectũ debẽt quoque mista esse rebus viscidis,& tenacibus,veluti si syr.myrtinus, & lac acetosum misceantur cum thure,myrrha,& talibus medicamentis,quę citra mordacitatem consolidãt. Est enim sententia Galeni in medicamentis omnibus,quæ per os ingrediuntur,fugiẽda esse ea,quę consolidant,sed cum mordacitate quadam,vt est ærugo, lythargyrium ægris flos,&c.

Quomodo ægri tractãdi,qui non possunt deuorare. Sed quomodo ægri sunt tractandi,si nulla arte,aut ingenio quicquam possunt deuorare,cũ tamen maxime hoc sit necesse? Refert Fernel. mulierem se vidisse , quæ per duos menses nihil deuorare potuerit,propter hunc affectum,& tandum mortua est. In his casibus inuenienda aliqua sunt remedia. Auenz.lib. 1.tract. 10.ca.18.tres modos recẽset,quibus ęgris succurrere licet.

Primum, vt fiat fistula,quæ sit ex vna parte angusta,& ex altera lata, & qua parte est angusta intromittatur in gulã,per latiorẽ partem infundatur lac,vel vitelli ouorum eliquati in brodio.

Et quia sæpe fit vt dum sic mittitur fistula in os,vomitus excitetur,inquit Auẽzoar,vbi hoc fit,educitur fistula,& rursus apponatur,sin vero iterum excitetur,rursus educatur , quousque æger fiat assuetus,vt per fistulam nutriatur.

Secundus,vt ægri ponantur in vase pleno lactis,vel brodij,atque ita detineatur. Sed iste modus videtur mihi superuacuus,quoniam quamuis arteriæ per corpus dispersę attrahant aerem, atque etiam interdum aquas transmittant tenuissimas,tamen neque lac, neque substãtias crassiusculas possunt in se trahere .

Clysteres alimentales, Attamen melior omnibus modus est per clysterem,vt singulis mane,& vesperi clysteres immittantur facti ex brodijs optimis,& lacte,aut ptisana,& carnibus eliquatis,& ouorum vitellis Et quoniam posset quis obijcere Auenzoari,tales res per clysterem immissas nõ nutrire,quoniam Galen docet,clysteres non ascendere ad intestina superiora .

Respondit Auenzoar,clysteres medicamẽtosos nequaquam ascendere ad superiora intestina,propterea,quod attractrix intestinorum nihil auxiliatur,quandoquidem medicamẽta omnia naturali facultati sunt aduersa,secus contingit,vbi clysteres alimentares infunduntur, quia tunc facultas attractrix intestinorum famulatur,& eo magis,quoniam in extremis necessitatibus natura conatur vndiquaque cibum haurire . Itaque melior est omnibus nutriendi modus qui fit per clysterem.

Si fiat difficultas ex re aliqua obstruente,curandũ est,vt res illa vomitu,vel haustu potius copioso emittatur. Exempli gratia,si os aliquod,vel spina deuorata,impediat deglutitionem, oleo copiose potato succurri potest.

Si vermes impediant,agendum est medicamentis,quę vermes necant. Si sit pituita crassa, & viscida,vtendum medicamentis incidentibus,vt oxym.scillitico;sed,vt dixi,medicamenta, hęc debent in magna quantitate hauriri.

Fiunt etiam a Medicis pilulæ plumbeæ,quæ filo alligantur,& deinde prębentur deuorandæ Hæc enim instrumenta abigunt materias in gula,deinde filo retrahuntur. Fiunt etiam fistulæ, quæ in necessitate auferunt materias illas a locis,quę obstruunt .

CAPVT II.

De affectibus ventriculi,& primum de cardialgia.

CVm post gulam sequatur immediate vẽtriculus,ordo & naturę,& doctrinę postulat,vt post hęc vitia gulę,de vitijs vẽtriculi tractemus. Quem dicit Theodorus Priscianus libro secundo,suę medicinę facile vitia suscipere ob potestatem quam sortitus est aliorum membrorum sibi famulantium. Et Hipp. 1. de dięta assimulabat ventrem mari,quod recipit,& aquas dat,vt cum etiam ipse cõmunicet corpori,& recipiat,quę corpus ingrediũtur,necessarium videatur, vt sit obnoxius omnibus malis,quæ corpori accidere possunt.

Habet

Habet autem ventriculus tres partes, superiorem, quæ appellatur stomachus, & frequentissime, vt dicit Gal. καρδία, siue cor, vt dixit quoque Lucretius. Inferiorem, quæ appellatur fundus, & quam existimo a Seneca, & a Vegetio appellatam esse aqualiculum, vt supra ostendi. Habet, & tertiam partem, nempe totum interstitium, & spacium, quod est inter os, & fundum. Cum autem vnaquæque harum partium peculiaribus morbis exerceatur, ordinis ratio exigit, vt primum de generibus vitiorum oris ventriculi agamus. Vitia oris ventriculi ex 5. de loc. aff. 6. quatuor sunt, cardialgia, nausea, singultus, & omne genus vitiorum, quæ circa appetitum oriuntur.

De nomine.

Appellatur cardialgia varijs nominibus, a Græcis vocatur καρδιαλγία, & καρδιωγμὸς: Celsus appellauit affectum hunc, interdum nomine Græco cardiacam, interdum bilem ventriculi. Arabes vno nomine, videntur vsi, nempe dolore ventriculi, sed vere dolor ventriculi non solum præsentem affectum significat, sed multos alios.

Circa autem nomen duo sunt notanda, vnum est, quod monuit Gal. 4. aph. 65. vbi scribit, hæc nomina Græca, cardialgiam, cardiacem, & cardiogmon interdum confundi, & vnam rem designare, interdum vero varias res significare.

Alterum est, nomen hoc καρδιωγμὸν tria apud Hipp. & Gal. significare, 1. affectionem quandam similem palpitationi, vt docuit Gal. loc. cit. & Erotianus in onomastico Hip. 2. significatio ponitur ab Hipp. 4. de morbis, vbi scribit, bilem nullum alium morbum inferre proprio folliculo, nisi cardiogmon, adeo, vt manifeste Hipp. doceat cardiogmon esse affectum vesicæ fellis.

Sed dubitari hoc loc. potest, quomodo fieri possit hic affectus, in vesica bilis, siquidem Alex. 1. problem. 40. scribit, bilem mordere quidem omnes alias partes, sed propriam vesicam non mordere, ob quandam naturæ, quam cum ipsa habet, proprietatem; quod si verum est, non videtur cardiogmos affectus esse folliculi bilis.

In hac difficultate a nemine proposita, sæpe dubitaui locum illum Hipp. mendosum esse, & eo maxime, quod apud nullum alium scriptorem reperitur, cardiogmon esse affectum huius partis. Sed vt dimittamus hunc responsionis modum, dicere soleo, Hippoc. eo loco populariter esse locutum; nam scribit idem ibidem pueros vocare hepar καρδίαν, quod tamen non apud omnes est vsu probatum; sed fieri potest, vt hæc consuetudo loquendi apud aliquos populos extiterit, nisi dicere velimus, pro bile seu folliculo bilis intellexisse Hippoc. ipsum iecur, cui implantatur, quasi cardiogmos sit passio ipsius iecoris, quando scilicet iecoris parenchyma mordetur a bile. Tertia significatio est, quando cardiogmos designat affectum hunc præsentem, qui cardialgia nuncupatur, & qui, vt dicit Gal. 4 aph. 17. & secundo, de plac. 8. nihil aliud est nisi morsus oris ventriculi, factus ab humoribus acribus, & mordacibus.

Differ. cardialgiæ ab anxietate.

In qua re manifeste intelligere potestis, cardialgiam, quod vulgares ignorant, esse affectum longe diuersum ab eo affectu, qui ab Hippoc. vocatur ἄση, & a nostris anxietas. Quandoquidem anxietas, vt dicit Galenus, in explanatione linguarum Hippoc. nihil aliud est, nisi quidam æstus, seu quoddam incendium oris ventriculi, ob quod æger non potest quiescere, sed modo hunc, modo illum locum mutat; ita, vt cardialgia sit dolor ex morsu facto ab humoribus acribus, in anxietate non sit dolor, sed tantum æstuatio. Vnde etiam corrigere debetis errorem, qui est in traductione. Hipp. 4. de victu acutorum, tex. 90. vbi hanc vocem ἄσην, Vasæus turpiter interpretatus est, cibi fastidium, cum potius interpretari deberet anxietatem.

Galenus tertio, de fac. natural. cap. duodecimo, damnans eos, qui tollebant facultatem expultricem, hoc argumento vtitur, quod, & in nausea, & in cardiogmo, satis appareat, facultatem expultricem inueniri. Vnde videtur Galenus docere, cardialgiam esse opus facultatis expultricis. Sed hæc res maxime dubia est, quandoquidem cardialgia est pura tristis sensatio, facta ab humoribus acribus, vt non videatur locum habere operatio facultatis expultricis.

Pro hac difficultate a nemine proposita, dupliciter responderi potest; vno modo, Gal. eo in loco pro cardiogmo non intelligere cardialgiam, sed palpitationem cordis, quæ est opus etiam facultatis expultricis. Alio pacto, etiam in vera cardialgia facultatem expultricem solicitari, non apparere autem, eo, quia tristis sensatio maior est, quam sit operatio facultatis expultricis, quã facultatem operari in cardialgia tradidit Alex. 2. probl. med. 33. Itaque cardialgia symptoma est in genere actionis læsus deprauati.

Locus affectus.

Locus affectus, vt docuit Gal. primo, de symp. caus. septimo, nullus est alius, nisi os vẽtriculi, vt iure dixerit Galenus loco citato, cardialgiam esse proprium symptoma oris ventriculi, bene verum est, in cardialgia cor etiam insigniter affici, sed hoc accidit propter magnam conuenientiam, vt dicit Gal. quæ est inter hãc partem, & ipsum Cor. Alex. loco citato potius tribuendum dixit viciniati; sed cum, vt dicebat Plato in Timeo, membra naturalia sint valde separata a vitalibus, puto ego non propter vicinitatem cor compati ori ventriculi, sed potius ob excellentiam sensus, qua os ventriculi præditum est, & ob quam cordi passio facile communicatur.

Cur afficiatur cor ĩ cardial.

A quo morbo fiat card.

Morbus autem, a quo fit huiusmodi symptoma, quod dolor est oris ventriculi, nullus alius est, nisi solutio continui. Vnde sensus ipse, qui certissimus est rerum iudex, testari in hoc affectu potest, longe errasse peripateticos, qui dolorem semper a mala intemperie proficisci crediderunt.

An a sola ĩtẽperie possit fieri.

Sed dubitari hic video, vtrum præter solutionẽ continui possit mala intemperies facere hũc dolorem. Nam Auicenna, & eius sectatores existimarunt etiam a sola intemperie, fieri istum affectum. Sed ex altera parte ratio, & experientia docet, fieri non posse a nuda intemperie. primo, non ab humida intemperie, teste Galeno secundo, de localibus cap. de dolore capitis,

vbi scribit, intemperiem humidam nunquam facere dolorem, secundo, a sicca non posse fieri, patet, quia, vt tradidit Galenus libro de vtil. respir. sicca intemperies longo tempore necessario introducitur, cardialgia fit subito. Præterea si fieret a sicca, in febre hectica, in marasmo ventriculi appareret frequenter cardialgia, quia tunc maxime exsiccatum est os ventriculi: sed nunquam fere fit cardialgia in his affectibus, qui sunt siccissimi.

Tertio a frigida non posse fieri manifestum, quia tametsi Hippocrates dixerit frigus mordax est, & Galenus tertio, de temperamentis cap. quarto, pituitam quandoque frigidam actu, reijci vomitu, nihilominus in corpore viuente nunquam potest esse frigiditas actualis vsque adeo insignis, vt mordeat, & solutionem continui faciat. Quarto statuendum est idem de calida, quandoquidem diximus calidam intemperiem facere quidem anxietatem, sed non cardialgiam. Quamobrem concludendum, veram cardialgiam, quæ fit cum dolore oris ventriculi non posse fieri a nuda intemperie vlla, sed solum ab intemperie cũ humoribus acribus, & mordacibus, qui soluentes continuum, in ore ventriculi morsum, & dolorem inducunt.

Neque obstat, quod Arabes dixerint, cardialgiam, seu ventriculi dolorem fieri a quacunque causa continuum soluente, siue sit flatus, siue humor, quoniam cũ duplex sit cardialgia, & proprie accepta, & communiter. Illa semper fit ab humoribus acribus, & mordacibus. Sed cardialgia communiter accepta, hoc est, & pro ea, quæ veræ, ac propriæ similis, fit ab omni causa soluente continuum, vt dicebant Arabes. Atque hoc etiam pacto intelligendus est Gal. 8. de localibus 4. vbi scribit, a cibis corruptis, & crudis fieri cardialgiam.

De causis. Internę causę, & immediatę. Igitur causæ internæ, & immediatæ, quę veram faciunt cardialgiam, sunt humores acres, & mordaces, vt biliosi, melancholici, pituita acida, & salsa.

Mediatæ. Causæ vero internæ, sed mediatę sunt, prima ętas, de qua loquens Theod. Priscianus libr. 2. suę med. dixit, iuuenes magis tentari cardialgia, quam senes. Sensibilitas oris ventriculi, cõplexio quoque calida, & sicca.

Externę causę. Inter externas autem sunt illę, quę possunt facere humores acres, ac mordaces, vel continuũ soluere, aut intemperiem aliquam inducere. Similiter calores immodici aeris ambientis, frigora immodica; hæc enim omnia flatus, aut vapores efficere in corporibus nostris possunt, & veram cardialgiam causare. Huc etiam spectant longa ieiunia, authore Hippoc. 2. de rat. victus, vbi dicit, eos, qui non prandent, tentari interdum cardialgia. Venena etiam hunc affectum inducunt, ea, quæ intus sumuntur, & ea, quæ extra inferuntur. Narrat enim Nicander, morsum illius serpentis hæmorrhoi inferre cardialgiam.

Quomodo ieiuniũ hũc affectum inducat. Sed duo occurrunt hic problemata, primum, qua ratione ieiunium possit hunc affectum inducere. Secundum, cur fiat, vt aliqui statim post cibum corripiantur cardialgia, aliqui vero nõ statim post cibum, sed multas post horas.

Pro primo duobus modis responderi potest. 1. est acceptus ab Hipp. lib. 4. de morbis, quo in loco scribit ventriculum veluti thesaurum quendam dispensare toti corpori cibum, & vbi vacuus est, veluti quendam creditorem repetere a toto corpore.

Qua sententia Hippoc. constituta, dico in ieiunantibus interdum os ventriculi morderi, quia vacuus ventriculus, cum attrahat ab vniuerso corpore, si bilem inueniat, trahit ad sese, bilis vero tracta cum petat superiora, os ventriculi dilacerat, & mordet.

Alius modus est ex Arist. 13 probl. 7. vbi quærens rationem, propter quam ieiunantium ora male olent; inquit ideo esse, quia aer cõtentus in vacuo ventriculo ob motum incalescit, atque ita calefactus humores, & flatus, & pituitam putrefacit, vnde fætor sequitur. Pari pacto in hoc casu dicere possumus, in ieiunãtibus putrefieri humores vẽtriculi, putrefactos acres, & mordaces euadere, ideo, eleuati interdum in os ventriculi illud corrodant, & cardialgiam inducant.

Pro secundo dicendum est, ideo interdum excitari cardialgiam statim a cibo, quoniam humores, qui in fundo ventriculi quieti manebant, ingressu cibi statim sese attollunt, & ad os ventriculi accedentes illud mordent; cęterum, in alijs cum cibus conficitur, solet halitus, & vapor ater, & mordax eleuari, qui impetens in os ventriculi, atque illud mordens cardialgiam facit.

Signa. Signa vniuersalia, quibus hæc affectio cognoscitur, sunt inquietudo, motus corporis, quod cum quiescere nequeat, huc atque illuc vertitur.

Comprehenditur etiam, quoniam magno vtuntur spiritu, suspiria frequentia edunt, & præ ceteris dolorem infra diaphragma circa os vẽtriculi persentiunt. Nam Gal. 2. de plac. 8. & 3. demonst. vt est apud Nemesium in lib. de natura hominis cap. 10. probans timorem nõ fieri in corde, vtitur hac demonstratione, quod in cardialgia, quæ fit a timore, dolor nõ appareat in corde, neque circa cor, sed subtus septum transuersum. Adeo, vt inter signa vniuersalia, & præcipua veræ cardialgiæ sit dolor subtus diaphragma, qui dolor non percipitur in anxietate.

Quod si efficiatur a causa calida, hoc est, ab humoribus calidis, acribus, & mordacibus, adest feruor circa os ventriculi, sitis, morsus, & dolor insignis, in ore apparet amaritudo, vel salsedo.

Ad hæc pulsus densi sunt, obscuri, imbecilles. Sudor fit circa frontem, apparent vomitus biliosi, atri, salsi, & dolor modo reuertitur, modo abit, præsertim cum sit malum a bile, a iecore in ventriculum effusa.

Ab humoribus frigidis. Si fiat ab humoribus frigidis cognoscitur, quia nullus adest sensus caliditatis, nulla sitis, dolor minor, & sensus. Sapor in ore acidus, vomunt acidos humores, aut melancholiam, pulsus inæquales. accedit etiam his ætas, regio, & ratio victus.

Si a flatu, vel alijs humoribus, cognoscitur, quia adsunt ructus, distensiones ventriculi, nec

dolor

dolor permanens est, sed modo fit, modo recedit.

Si a vermibus, cognoscitur continua rosione illius partis, oris fœtore, ætate, vt in infantibus, ea, quæ excernuntur, & ea, quæ per os reijciuntur, solent esse veluti recrementa vermium.

Omnis cardialgia mala est, dicit enim Plin.lib.25.cap.3. omnes dolores malos esse, veruntamen asperrimos esse omnium iudicatos, primum, qui fiunt a vesica, secũdo, qui fiunt in stomacho, adeo, vt inuenti sint, qui ob cardialgiam sibijpsis vim intulerunt, vt testatum nobis reliquit Plin.lib.36.c.24. Est tamen differẽtia, siquidem dolores ventriculi, qui fiunt a causis externis, & qui fiunt propter sensus illius partis acutiem, minus mali sunt, quanquam, vt optime notauit Trall. si causæ externæ uehementes sint etiam dolores uentriculi facti ab ijs, mali sunt.

Si cardialgia frequens, ac magna, cum febre continua, fuerit, exitialis est, ut inquit Hippoc.4. Aphor.65. Mirabitur hic forsitan aliquis cur dixerim, cum febre continua, nam rationi consentaneum uidetur, ut illa perpetuo adsit, quia causa calida, est morbus acutus, & qui cito iugulat. Verum diligenter notandum, id quod docet Auic. bilem scilicet, ac ceteros humores, qui cardialgiam faciunt, uel multos esse, ita, ut diffundantur per uniuersum corpus uel paucos; si pauci solum, fit cardialgia, & non febris, nisi forsan tertiana, quæ ex se nunquam est lethalis.

Si uero copiosi sint humores, procul dubio febrem inducunt, & malum, non sine maximo vitæ discrimine terminatur.

Si a vermibus, pessima quoque est; quandoquidẽ cum vermes perfundant os ventriculi, vulnus insanabile faciunt. Dicebat Hipp.7.aph. in cardialgia, si extrema frigida sint, lethale esse. Et in coacis prænot. scribit cardialgiam, quæ frequenter senibus contingit subitam mortem minari. Eodem authore, cardialgia diuturna, summopere periculosa, quia signum est fieri ab aliqua inflammatione.

Indicationes. Scopi vniuersales.

Scopi curationis huius mali alij sunt vniuersales, alij particulares; vniuersales sunt, vt quam citissime fieri potest, hoc symptoma tollatur. Cum enim graue sit, & vires destruere soleat, si cito non succurratur, summa pernicies est, solet autẽ symptoma tolli, vel sublatis causis, vel temperatis, aut correctis; in cardialgia vtrumque præstandum erit, vt causę si fieri potest, tollantur, vel saltem, vt corrigantur, ne vsque adeo lædant.

Cum autẽ causæ sunt humores acres, & mordaces, ratio postulat, vt os ventriculi corroboretur, ne ab humoribus vim patiatur. Ad hæc ipsi humores, vel sunt vacuandi e uentriculo, vel sunt deflectendi, uel sunt temperandi. Et propterea quamprimum contigit accedere ad hos egros studendum est os uentriculi confirmare medicamẽtis internis, & externis, acrimoniam, & mordacitatem humorũ obtundere, uel eos euacuare, aut frictionibus, ligaturis, clysteribus, cucurbitulis, uesicantibus, in aduersam partem deflectere.

Scopi particulares.

Atque hi sunt scopi uniuersales, sed, quia particulares morbos curamus, in primis notandũ est, vtrum humores, qui faciunt cardialgiam, sint calidi, an frigidi: & calidi, utrum firmati sint in uentriculo, an ad uentriculum mittantur ab alijs partibus.

Si enim mittantur, totum studium conuertendum est ad reuocandos huiusmodi humores a stomacho, ubi præ ceteris confert usus clysteris, & frictionum, cucurbitularum, inferni partibus adhibitarum. Conferũt etiam uesicantia, & Archig. octauo, de medicamentis local. apud Galenum magnopere laudabat usum spongiarum aceto acerrimo imbutarũ, & supra genua adhibitarum, donec bullas excitet, quod est proprium uesicantium medicamentorum.

An venæ sectio conueniat.

Posset quæri, vtrum, vbi humores calidi mittuntur in ventriculum, & præsertim a iecore, cõuenire possit sanguinis missio? In hac re ita decernendũ, si vires validæ sint, & corpus aliqua ex parte sanguine abundet, magnopere conferre ad auertendos humores, sanguinis missionem.

Sed notandum mittendum esse sanguinem ab inferois partibus, & potius per cucurbitulas sacrificatas, quam per venę sectionem, quia cucurbitulæ sacrificatæ non modo sanguinem minuunt, & simul etiam peccãtes humores, verumetiã magna vi attrahunt, & reuellunt humores fluentes ad ventriculum.

Diæta.

Sin humores in ventriculo firmati sint, primũ instituenda victus ratio legitima; ideo in primis aer frigidus siue temperatus eligatur, dormiendum, quantum fieri potest, nam dolores omnes solent a somno magnopere demulceri: motus omnis immoderatus, tam corporis, quã animi, fugiendus, & pręsertim timor. Scribit enim Gal.2. de plac. timorem attrahere bilem in ventriculum, & consequenter cardialgias inducere, quemadmodum etiã faciunt immodici labores. Aluus semper mollis seruetur. Et notate quod scribit Hipp.2. de diæta, alui exinanitionem attrahere capite. & consequenter sensus depurare, ac homines agiles reddere, & in huiusmodi casibus nihil efficacius clysterum vsu. Exemplum sit.

Clyster.

℞. Hordei P.j.ß.
Fol. maluæ.
Lactucæ.
Betæ an. M.j.f. decoct. s.a.

Deinde *℞. d.d. lib.j.ß.*
Diaphœniconis ℥.iij.
Ol. violati.℥.v.
Salis ʒ j. Misce.

Potus.

Soleo etiam loco decocti vti sero quocunque. Vitanda est omnis repletio. Loco potus aqua hordei simplex cum vino granatorum, vel cydoniorum. Vinum etiam subadstringens oligo-

phorum conuenit. Et Gal. 3. de local. 4. ex Archigene laudabat quodcunque vinum placet ægrotanti. Sed ne vos fallat hoc cōsilium, notandum in his casibus, vbi præsertim febris abest, & vbi ægri respuunt omnes cibos, cogi Medicos blandiri ægris, & concedere interdum quodcunque placet. Secus autem cum humores calidi, & acres sint, abstinere a vino oportet.

Cibus. Cibi tres debent habere conditiones, vt refrigerent, vt obtundant acrimoniam humorum, & vt os ventriculi corroborent. Quare ad refrigerandum conuenit vsus ptisanæ hordeaceæ, vsus lactucarum in iure coctarum.

Pro obtundenda acrimonia conuenit vsus lactis acetosi, vsus chondri; hoc est, farris; quem chondrū dicit Gal. 4 de tu. valet. 4. acres humores corrigere; conuenit etiam panis non fermentatus, quia licet alioquin pessimus sit, acrimoniam obtundit. Et hoc modo intelligēdus est Celsus, quando lib. 2. cap. 24. in stomachi valetudine commendat vsum panis non fermentati.

Pro corroborando ventriculo conueniunt ea, quæ modice adstringunt, vt sunt cytonia, mespila, citrum, præ ceteris granata, vel eorum succus. Habetis enim historiam apud Hipp. 2. epid. sec. 2. illius mulieris, quę cum laboraret cardialgia, curata est polenta, & succo granatorum, qui cibus vim habet, & obtundendi humores, & corroborandi os ventriculi.

An adstringentia cōueniant. Sed video dubitari posse, qui fieri possit, vt in hoc casu proposita sint adstringentia, siquidem Galeni est sententia 8. de loc. 2. vbi examinat medicamenta Andromachi, adstringentia nō conuenire in affectibus stomachi, in quibus praui humores superant, sed potius conuenire ea, quæ purgant, qualis est aloe. Respondeo, affectus ventriculi, vel coniunctos esse cum prauis symptomatibus, vel esse absque vllo symptomate insigni: illi occurrendum esse symptomati, neglecto paulisper affectu.

Sin autem sit affectus seiunctus a prauo symptomate, tunc ipse affectus curandus est. Cum igitur Gale. loquatur de simplici affectu cum humoribus, sed sine symptomate, iure damnat e vsum adstringentium, quæ in cardialgia, vbi est prauum symptoma, summa cum ratione proposita sunt.

Vomitus. Instituto victu statim cogitandum est, vtrum æger sit pronus ad vomitum, necne; si pronus, studendum, vt vomat, sed blandis remedijs agendum est, veluti digitis inunctis, aut penna oleo dulci illita, aut oleo rosaceo iuri commixto. Si non sit pronus ad vomitum, prouidendū, vt clysteribus acrioribus humores euacuentur per intestina. Exempli gratia.

Clysteres acres.

℞. Decocti maluæ, & myrobal. lib. j. ß.
Hieræ colocynth. ʒ. iij.
Mellis rosati ℥ ij.
Ol communis ʒ. vj.
Salis ʒ. j. ß. Misce.

Purgantia qualia conueniant. Si clysteribus etiam nequeant humores euacuari, enitendum est hoc facere medicamentis. Galenus loco citato videtur commendasse vsum aloes, pro euacuandis calidis humoribus, a ventriculo. Trall. laudat non solum vsum aloes, verumetiam hieræ, quæ calidum medicamentum est. Sed in cardialgia, vbi graue, & perniciosum symptoma est, puto multo tutius abstineri ab his calidioribus, & vsurpati ea, quæ tepidiora, & mitiora sunt, vt sunt tamarindi, cassia.

℞. Pulpa tamar. ʒ. vj.
Fl. cassia. ʒ. vij M. cum sacch. f. bolus.

Et notate, hoc in casu multo melius esse, vt medicamenta in boli forma exhibeantur, quippe, quæ ob diuturniorem moram, & vim emplasticam, non solum euacuant, verumetiam acrimoniam humorum obtundunt.

Corroborantia os ventriculi. Intrinseca. Humoribus euacuatis, studendum est corroborationi oris ventriculi, medicamētis tum intrinsecis, tum extrinsecis. Intrinsecus conuenit hæc confectio.

℞. Conf. rosarum antiqua.
Cytonij sine speciebus an ℥. j.
Corallorum rubrorum.
Boli armeni.
Pulu cort. grana an ʒ ß. puluerizatis puluerizandis f. mixtura, cuius capiatur singula vice ad quantitatem minoris nucis.

Experimentum in anxietate, & cardialgia. Et notate experimentum, quod nunquam fallit, & in anxietate, & cardialgia est, quādo symptoma vrget, ut offeratur mica panis intincta, uel in uino granatorum, uel cytoniorum. Extrinsecus autem hæc inunctio.

℞. Ol mastic.
Myrthini an ℥ ß.
Succi cytoniorum. ʒ vj.
Mastichis.
Sumach. subt. pulver. an. ʒ j.
Cera parum M. fiat linimentum.

Curatio cardial. in causa frigida. Si cardialgia fiat a causa frigida, uidendum est, utrum æger sit uomitui dispositus, an non. Si enim facile uomat, studendum est uomitui, eo quod hac ratione malum citius, ac facilius finiatur. Iuuat autem ad excitandum uomitum usus oxymel simplex, usus succi raphani, usus mellis cum iure. Sin autem nō facile uomat æger, enitendum est clysteribus intestina exinanire. Et in hoc casu conueniunt clysteres paulo acriores, quam in causa calida.

℞. Fol. Betæ.
Centaurij.
Parietariæ an. M.j. f. decoct. f.a.

Deinde *℞. d d lib.j ß.*
Hieræ Logadij ʒ.iij.
Mellis rof. folut. ʒ. iiij.
Ol. rutacei ℥.iiij.
Salis ʒ.j f. clyster.

Si etiam hunc in modum res non fuccedat, deueniendum eft ad medicamenta purgatoria; & fic nullum eft accommodatius, quam hiera, commendata in his cafibus a Galeno. Itaque hoc modo præfcribi poteft;

Medicamenta purgatoria.

℞. Diacathol. ʒ. vij.
Spec. hieræ ʒ.iij. f. boli.

Veteres adminiftrabant hieram picram, vel cum aqua accommodata, in febribus, vel cum vino extra febres. Sed infuauiffimus eft hic bolus, & dicit Afclepiades commendatus ab omnibus, hac in re, debere Medicum curare tuto, cito, iucunde.

Purgato corpore deueniendum eft ad ea, quæ calefaciunt, & corroborant ventriculum, vt eft zedoaria, nux myriftica, cinnamom. theriaca, diafpoliticon. Et hæc confectio accommodata eft;

Calefacientia, & corroborantia ventriculũ.

℞. Sacch rof. antiqui ʒ.ij.
Specierum arom. rofati.
Diafpolitici an. ʒ.j.
Pulu. coriandr. ℈.ij. M.

Extrinfecus conuenit inunctio ex oleo de piperibus, caryoph. His autem femper copulanda victus ratio compar, calefaciens, extenuans, vnde, & vinum generofum, fi non adfit febris, commendatur, & vfus rutæ, ferpylli, cinnamom. coriandrorum.

Si cardialgia fiat a flatu, is medicamentis difcutiatur, propterea vfus diacymini, diatrionpip. diacalam. in hoc cafu accommodatiffimus eft; Extrinfecus conuenit hoc fomentum:

Curatio cardia. a flatu.

℞. Fol. calami.
Origani an. M.j.
Fol chamom. P.ij.
Cymini.
Anifforum an. ℥.ß.
Aq. fænic.
Cinnamom. an lib.ij.
Vini optimi lib.iij. Bulliant fimul, & cum fpongia fiat fomentum.

Laudant aliqui in hoc cafu vfum frequentem allij, vt Auicenna in curatione doloris ftomachi, & Gal. 12. meth. c. 5. dicebat allium flatus maxime difcutere, fed auctor 4. de rat. victus, text. 90. damnat, quafi faciat ventriculi æftuationem, & dolorem. Diofcorides quoque loquens de cæpis, dicebat anxietatem generare; cum vero cæpæ, & allia parum diftent viribus, ac natura, videtur dicendum allium eandem habere naturam, accedit Ariftotelis authoritas 13. probl. 6. vbi inquit, allium flatus producere. Ita, vt hinc, & inde videantur effe fententiæ contrariæ, propterea hæc fit refolutio, vbi in ventriculo non folum adeft flatus, verumetiam ingens copia humorum crudorum, tunc abftinendum effe ab vfu allij. Vbi autem foli flatus fuerint ab humoribus tenuibus progeniti, magnopere allium conferre.

An vfus allij conueniat.

Si fiat cardialgia a venenis, conandũ eft ea a corpore tollere, vomitu, clyfteribus, deinde vtendum eft Antidotis proprijs, ther. mithrid.

A venenis.

Si fiat a ieiunio, prouidendum, ne ægri vnquam patiantur famem, & in his cafibus confulere foleo, vt femper aliquid cibi fecum gerant, ne reperiantur famelici fine viatico, præfertim pruna exficcata, quæ maxime ori ventriculi fuccurrunt.

A ieiunio.

Si fiat ob excellentiam, & acrimoniam fenfus, ea funt adhibenda, quæ vim habent obtundendi.

Ob excellentiam fenfus.

Sunt, quæ a proprietate putantur conferre, propofita ab Archigen. Marcello, Trall. quæ certe non funt afpernanda, vt corallus appenfus fupra ventriculum. Et fortan inuenta eft hæc confuetudo, vt corallia pueris fupra ventriculum geftentur, ad vitandam cardialgiam, in quam fæpe ex voracitate incurrunt. Cochleæ marinæ in puluerem redactæ, & in aq. vel vino fumptæ fimilem facultatem habere putantur.

A proprietate cardialgiam tollentia.

Fuerunt, qui commendarunt tunicas internas ventriculorum gallinæ in puluerem redactas, & fumptas, fed hæc remedia Gal. 11. de fimp. med. facul. fcribit fe expertum quidem fuiffe, fed vana deprehendiffe. Quoniam vero de ventriculo gallinæ fermo incidit, obiter volo vos docere quid de illo exiftimem. eft locus Gal. lib. de cibis boni, & mali fucci cap. 6. vbi fcribit ventriculos gallinæ, & anferum effe optimos, veruntamen, fi intimius contemplemini, quæ fit horum ventriculorum natura, videbitis hos effe cibos coctu omnino difficiles, craffos, & malos; quare in eam venio opinionem, vt iudicem locum illum fuiffe deprauatum: antiqua enim interpretatio habet non ventriculos gallinæ effe optimos, fed alas.

Dubitari poffet, vtrum in extremis Cardialgijs, vbi dolor acerbiffimus, & moleftiffimus effe folet, conueniant ea, quæ ftupefaciendo dolorem adimunt. In qua re fic decernendum iudico.

An narcotica conueniat.

Si causa Cardialgiæ sit frigida, abstinendum est ab vsu stupefacientium, quia refrigerãt, ventriculus autem refrigeratus est irremediabilis pernicies. Si fiat a causa calida, & dolor magnus sit viresque validæ, licebit vti blandissimis stupefacientibus, teque Nicolai, Theriaca.

At si dolor non sit magnus, & vires infirmæ, stupefacientia, tanquam venena fugiantur. Et hoc est, quod dicit Galen. 8. de comp. sec. loc. 3. in stomachicis non vtendum esse mandragora, & alijs huiusmodi, quæ sunt aduersa nostræ naturæ. Sic Auerr. 7 collig. 26 dicit, ventriculũ magnopere præseruandum esse ab immodice refrigerantibus, propter duas causas vna, quia vẽtriculus cum sit membrum nerueum, & consequenter frigidum, si tractetur remedijs refrigerantibus, facile frigidos morbos incurrit, quia quodlibet membrum capitur facile ab eo morbo, ad quem natura inclinatur. Secunda causa est, quia ventriculus est membrum, cuius actio communis est toti corpori, ea propter magna vtendum prudentia, vt actio hæc incolumis conseruetur, adijcit Auerroes eo in loco male fecisse Galen. qui dixit plus periculi esse in euacuando ventriculum, quam in alterando, cum secus res sese habeat.

CAPVT III.

De Nausea.

Nomen. ALter affectus sequitur, qui a Græcis dicitur modo ναυτία modo ναυσία, Latini nostri Græcos imitati, appellant Nauseã. Quod vocabulum scribit Plut. 6. sympt. 8. deductum esse a nauigantibus, eo quod nauigantes sæpe huiuscemodi affectu exerceantur. Sunt, qui appellant ἀνατροπὴν, nos subuersionem; sed inuenio a plerisque hanc differentiam poni, quod nausea contingere soleat ante cibum, subuersio autem post cibum.

Definitio. Nausea, vt docuit Galen. 5. de loc. affect. 6. est continua, & frequens ad vomitum propensio quam tamen non sequitur vomitus. Vnde alij maluerunt dicere irritum, vel vanum vomendi desiderium.

Hinc patet esse symptoma, in genere actionum oris ventriculi læsarum, & locum affectũ esse os ventriculi, contra quam est in vomitu. Læduntur autem in nausea tres oris ventriculi actiones. 1. tactoria facultas, qua percipitur in nausea molestia, & grauitas, cum sit praua sensatio, quę pertinet ad tactoriam facultatem læsam. 2. vis appetitoria, eo, quia nauseabundi appetunt, quod non deberent, nam vomitum desiderant, nec appetunt, quæ deberent, plerumque enim cibum refugiunt. 3. vis expultrix, quoniam facultas expultrix conatur id expellere, quod molestum est, sed minime potest id commode, & facile facere, quia, vel læsa, vel impedita est.

Locus affectus. *Quæ actiones ventriculi lędantur in nausea.*

Sed petet a me aliquis vestrum, an in hoc affectu præter facultatem expultricem, lædatur etiam retentrix, & an hic motus, sit motus præter naturam. Breuiter respondeo retentiuam, & expulsiuam facultatem ita esse natura comparatas, vt sibijpsis inuicem famulentur, quia dum expultrix operatur, retentiua non retinet, & dum retentiua retinet, expultrix non operatur: atque hoc fit plerumque in omnibus naturæ operibus. Itaque compertum esse debet, in nausea omnino lædi etiam facultatem retentiuam, quia grauata, & stimulata a re nocente, non potest retinere, & ideo facultas expultrix excitata operatur.

Obiectio. At cur ergo Gal. loc. cit. tãtum meminit facultatis expultricis? quia opus expultricis facultatis in nausea euidentissimum est; operatio retentiua non est ita manifesta, neque sensu apparet.

Responsio. De altero autem dico, nauseam esse partim naturalem, partim vero præter naturam; est naturalis, quia fit a naturali facultate, quę est expultrix, & propterea dicit Gal. loc. cit. nullum animal neque hominem didicisse nauseam, sed hoc omnes facere edoctos ab ipsa natura. Dicitur autẽ præter naturã, quia, tametsi sua sponte, & a naturali facultate fit, non tamen ab illa sponte operante, neque naturaliter, sed stimulata, & impulsa ab obiecto præter naturam, quod est res lædens, adeo, vt dicere possimus, respectu agentis, nauseam esse naturalem motum, respectu autem obiecti, esse præter naturam, & propterea necessario sequi aliquem morbum, qui est, vel solutio continui, vel aliqua intemperies praua, frigida, calida, sicca, humida, atque ea, vel pura, & nuda, vel aliquibus humoribus coniuncta.

Ratio propter quam intemperies nauseam facit, hæc potissimum est, quod omnis intemperies reddit imbecillam facultatem expulsiuam, quæ deinde stimulata, cum nequeat res noxias expellere, nauseam necessario inducit. Haud secus vnitatis solutio facit nauseam, quandoquidem cum expultrix facultas stimuletur, motum illum, qui nausea vocatur, edit.

Video autem aliquem statim dicturum, nõ esse necessariũ, vt semper symptoma hoc a morbo dependeat, etenim inter causas, quæ nauseam faciunt, adnumeratur cibi multitudo, inter cibi autem multitudinem, & nauseam, nullus morbus intercedit, quare videtur hoc symptoma interdum fieri a causa externa sine morbo, soleo respondere induci, in os ventriculi intemperiem, quæ licet non sit habitus, quippe, qui longo tempore fit, est tamen σχέσις, siue habitudo, itaque compertissimum esse potest, nauseam fieri, vel ab intemperie, vel solutione continui.

Causæ immediatæ. Causæ autem horum morborum sunt immediatæ, vel humores, vel vapores, & illi, aut tenues, & acres, aut viscidi: tenues faciunt nauseam, quoties expultrix oris ventriculi stimulatur quidem, sed propter imbecillitatem non potest humores noxios expellere. Frigidi autem, & viscidi,

scidi, eo quia etsi facultatem expulsiuam excitent, attamen cum tenacissime hæreant, non facile diuelli possunt; & hinc est, vt nitatur quidem facultas expultrix, sed in vanum, vnde sequitur nausea: Id tamen notandum, vbi humores mordaces, & acres sunt, nō solum nauseam, verumetiam Cardialgiam fieri.

Causæ mediatæ Internæ. Causæ Internæ mediatæ sunt, ætas iuuenilis, sexus muliebris, acuties sensus oris ventriculi. Præternaturales autem febres, præsertim pestiferæ, inflammationes, vt iecoris, cerebri, postremum autem renum: nam renes vbi, vel inflammati sunt, vel lapillis obsessi, raro contingit, quin inducant nauseam. Et obiter notate, hoc esse signum ad dignoscendos morbos renales, a colicis, nam in lapide renum, perpetuo, vt infra audietis fit nausea, in colica non ita, ratio est, quia inter ventriculum, & renes maior est sympathia, quam inter colon, & ventriculum.

Externę. Externæ causæ sunt aer æstiuus, somnus decliui capite factus, nimij corporis motus. Dicebat enim Arist. 2. problem. 28. eos qui laborant, & sudant, si refrigerentur, vel ab aqua, vel a vento, statim nausea tentari. Nauigatio, & præsertim in mari, causa est nauseæ; crapulæ, & nimiæ ciborum repletiones, cibi pingues, & oleosi, fungi, & inter venena Nicander Cerussæ hoc tribuit, vt faciat nauseam.

Cur nauigatio excitet nauseam. Quæstione dignum est, vtrum, & cur nauigatio hanc facultatem habeat excitandi Nauseam. Nam Hip. 4. aph. 14. videtur hoc totum tribuere motioni, eo quod nauigantes cum inæqualiter moueantur, humores, qui in ipsis sunt, agitati, os ventriculi lædunt.

Sed etsi hæc ratio Hip. aliquo in casu accommodari possit, non est tamen vniuersalis. Qui nauigant in mari, non magis mouentur quam illi, qui nauigant in fluminibus, & tamen, qui in fluminibus nauigant, non tentantur nausea. Præterea, si sola motio faceret nauseam, non deberent omnes ita pati, quia non omnes ventriculum habent humoribus ita plenum, vt agitati a nauigatione debeant hunc affectum parere.

Itaque Plut. in quæst. natural. cum forsan has difficultates gustasset, dixit, propterea nauigantes in mari magis vexari nausea, quam nauigantes in fluuijs, tum quia odore tetro maris offensus odoratus stomachum agitat, & ad eum humores trahit, tum etiam, quia in mari nauigantes magis timent, vt timor etiam magnopere faciat ad generandam nauseam in nauigantibus in mari. Scitis enim ex Gal. 2. de plac. 8. timorem trahere bilem in ventriculum, & consequenter nauseam valde excitari.

Signa. Nausea cognoscitur tum ex ipso aspectu, & præsertim ex vultu nauseantis, tum maxime ex relatione ægrotantis. Ceterum an fiat per essentiam, an per consensum, cognoscitur, quia essentialis nausea, vt dicit Alex. continua est, non autem ea, quæ per consensum accedit, & illud in nausea, quæ fit per consensum, apparere semper aliqua signa illius affectus, qui facit communicantiam nauseæ.

Quæ fit a causa calida, cognoscitur siti, amarore, vtilitate ex vsu frigidorum. Quæ a frigida, hoc pacto, quia nulla aderit sitis, sapor acidus apparebit. Vbi ab humida intemperie, cognoscetis propter ventriculi laxitatem, ac sputorum multitudinem. In sicca nulla adsunt sputa, sed sitis fere perpetua.

Prognost. Omnis nausea essentialis mala est, quia non solum indicat præsentem affectionem ventriculi affecti ab humoribus, verumetiam, si sit in conualescentibus nausea continua, est infallibile signum recidiuæ, quia huiusmodi nausea indicat prauos humores inesse ventriculo, qui nequeunt extirpari, & ob id minantur renouationem morbi.

Nausea, quæ fit in febrib. pestiferis pessima est, & signum exitiale, quia indicat ventriculum a pestiferis humoribus tentari, nec dicendum nauseam interdum fieri propter motus criticos, ac proinde non esse perpetuo malam, quia pestilentiali febre nunquam vera crisis expectanda, eo modo quo in biliosis, ac puris tertianis. Sic etiam pessima est, quæ fit ab inflammationibus cerebri, iecoris; non adeo mala ab affectu renum.

Curatio. Curatio nauseæ posita est tota in ablatione causarum, sunt autem causæ, vt audiuistis, vel mala intemperies, cum prauis humoribus, vel solutio continui facta a prauis succis. Quare ratio curationis postulat, vt intemperies tollantur, praui humores, vel euacuentur, vel attemperentur, & vt solutio vnitatis adimatur.

Indicationes. Quod si hæ causæ non sint in ipso ventriculo, sed in alijs partibus malum communicantibus, scopus est, vt partibus mittentibus prospiciatur, & vt frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, cauterijs, impetus humorum, vel vaporum ab ipso ventriculo amoueatur. Quo etiam in casu summopere mihi probantur calefactiones ac refrigerationes extremorum, exulcerationes ipsorum, Archigenes apud Gal. 8. de medicamentis local. cap. 4. inter cetera remedia commendat, vt spongia aceto acerrimo imbuta extremis alligetur, ibique contineatur vsquequo bullæ excitentur. Ex quo loco notare debetis, vbi humores a partibus intimis, & visceribus sunt auellendi, magnopere conducere vesicatoria nuncupata extremis adhibita. Sed obijciet vestrum aliquis, qua ratione fieri possit, vt in vna, eademque affectione prosint calefactiones extremorum, & refrigerationes, videtur enim rationi absonum vni ac eidem affectioni contraria conferre. Respondeo cum Auicenna, hoc quidem mirabile esse, veruntamen ratione non carere, quandoquidem calefactiones iuuant, quia euacuant a ventriculo, est enim proprium caloris ad se trahere, refrigerationes autem conferunt, quia humores, qui vellicant ventriculum per refrigeratoria remedia temperantur, atque quieti redduntur, ita vt suo motu, atque transcursu non possint ventriculum lædere.

Est

Victus ratio.

Est autem in omni pene nausea communis quædam ratio vitæ, quæ nihil pene diuersa est ab eo victu, quem instituimus in Cardialgiæ curatione: sunt tamen quædam particularia notanda, primo vt somnus, quantum fieri potest, concilietur; dicit enim Auicen. in nausea curanda esse studendum somno, quoniam hæc est radix curationis, secundo illud peculiare est, vt in nausea adstringentia adhibeantur, præterquam vbi fit a prauis humoribus; id quod prudentissime monuit Gal. 8. de medicamentis local. 3. nam si adstringentia adhibeantur, vbi ventriculus obsidetur a prauis humoribus, quis non videt, necessario vi adstringentium humores prauos magis compingi, & magis ventriculo infigi. Locupletissimam syluam horum ciborum habetis apud Galenum ex Archigene. Sed notate, non omnia, quæ commendantur stomachicis eo in loco, conuenire in nausea: cum enim sit peculiaris affectus, non postulat omnes eos cibos, qui stomachicis conueniunt. Summatim vt dix., in nausea curanda omnes cibi conueniunt, qui in Cardialgia, quia communes pene sunt causæ.

An conueniāt adstringentia.

Quapropter si fiat nausea, vel a flatu, vel a causa calida, vel a causa frigida, ne inutiliter eadem repetam, tota ea ratio curationis amplectenda est, quam audiuistis in Cardialgia.

Tria autem hoc loco, & vtilia, & necessaria sunt, quæ paulo diligentius tractare oportet. 1. vtrum quando nausea fit a prauis humoribus, sit potius alterandum, an euacuandum. 2. vtrum conueniat vnquam in nausea sanguinis missio. 3. quomodo, vel euacuandum, vel alterandū sit.

Circa primum variæ, & diuersæ videntur extitisse Medicorum sententiæ. Alij enim prætulerunt alterationem, alij euacuationem, & vnusquisque proprias rationes, & proprios duces secutus est. Sed in huiusmodi digladiatione satis erit vobis compertum habere, quid hac in re faciendum sit. Itaque diligenter primum considerare oportet, vtrum humores, qui faciunt nauseam, sint insigniter praui, an sint mediocriter praui; vbi sunt insigniter praui, cum nequeāt ad meliorem frugem deduci, necessarium videtur omnino illos euacuare, quia est sententia Galen. quod valde recessit a naturali statu, nec corrigi potest, omnino esse a corpore amouēdum. Sin autem non sint adeo insigniter praui, videndum est, vtrum sint acres, & mordaces, an viscidi, & crassi.

Si peccent propter acrimoniam, obtundendi sunt, & attemperandi, propter quod conuenit ptisana, amylum, chondrus, polenta, cum succo granatorum. Et Alex. pro attemperandis humoribus huiusmodi, laudauit aquam tepidam. Sed dicetis, aq. tepida vsurpatur ad excitandum vomitum, cur igitur Alex. non vomitum excitare, sed humores aq. tepida attemperare studet? Notate aquam tepidam, si copiosa sumatur, excitare quidem vomitum, ceterum si in exigua copia bibatur, non vomitum facit, sed attemperat; & hoc pacto ipsam laudauit Alex.

Aq. tepida humores attemperat.

Sin autem humores sint viscidi, & crassi, attenuandi sunt, & incidendi, & in simili casu valde iuuat vsus oxym. syr. acetosi simpl. hyssopi, & aliarum rerum, quæ vim attenuandi, & incidendi habent.

Vtrum venæ sectio conueniat.

De venæ sectione inuenio quoque aliquam inter auctores dissensionem, nam si videamus Gal. 1. ad Glauc. 14. Aetium, & Paulum, qui Galenum sectati sunt, in ea videntur fuisse sententia, vbi nausea sit, abstinendum esse ab omni sanguinis missione. Ex altera parte Auic. scribit, interdum nauseam, & vomitum curari sola sanguinis missione, imo vero Matthæus de Gradibus, vir sua tempestate celeberrimus, vbi interpretatur Rasem de nausea loquentem, narrat mirabilem historiam, scil. sese vidisse quandam mulierem, quæ acerbissima nausea exercebatur, nec vnquam poterat alio auxilio liberari, nisi sanguinis missione, adeo vt cogerentur Medici, etiāsi bis in mense vexata fuisset, toties sanguinem mittere. Vnde intelligi potest interdum sanguinis missionem conferre ad nauseam curandam.

In hac re vt possitis esse resoluti, ita decernendum est, nauseam, vel fieri per essentiam in ventriculo, vel per consensum; facta per essentiam, omnino respuit sanguinis missionem, quia causa nata posita est in ea parte, vnde sanguis missus nihil attrahit aut attrahere facit, cum non sit affectus venarum. In nausea, quæ fit per consensum, secus est: quandoquidem siue fiat propter inflammationem cerebri, vel renum, vel iecoris, certissimum est præsidium sanguinis missio; sic etiam, post nauseam ad præseruationem, phlebotomiam adhibitam plurimum iuuamenti adferre confido, & sic intelligendum Auicennam, ac alios esse puto, qui venæ sectionem commendarunt; at in præsenti nausea minime tale remedium possum laudare, nisi forsan nausea originem duxerit a vitio sanguinis, quare, vt ad experimentum Matthæi respondeam, in eam venio sententiam, sanguinem scilicet in illa muliere fuisse vitiosum, qui cum multiplicaretur, vt fieri solet in mulieribus, transmittebat ad ventriculum ichorem, vel vaporem, qui faciebat nauseam, eapropter iure, misso sanguine impetus ichorum, ac vaporum retardabatur.

Quomodo euacuādum sit.

Postremum illud est, vt si euacuare oporteat prauos humores, primum videatur, an æger sit pronus in vomitum, an potius sit pronus ad euacuationem intestinorum: si ad vomitum dispositus, nihil commodius est, quam eum prouocare, eo pacto, quo diximus in Cardialgia, præterquam quod licet in nausea paulo validioribus vomitorijs vti, propterea quod non ita vires deterit nausea, quemadmodum Cardialgia. Sed si æger felicius, & facilius per aluum euacuetur, tunc veniendum ad vsum clysterium acrium. Si neque clysteribus malum finiri possit, nitendū est noxios humores si crassi sint, prius extenuare, incidere, & detergere, denique euacuare per pharmaca. Sed hac in re monuit. Trall. abstinendum esse ab ijs medicamentis, quæ magnopere calefaciunt, & exsiccant, quia periculum imminet, ne ventriculus contrahat hecticam, seu intemperiem calidam, & siccam, & propterea in hoc genere nihil accommodatius inuenitur hiera, quæ tamen, & ipsa nocet, si adhibeatur in intemperie calida ventriculi.

CAPVT

CAPVT IV.

De singultu.

Cuius partis affectus sit.

INter affectus oris ventriculi recensuit Galen. 5. de loc. aff. 6. alium, qui ab Hipp. Aristo. & aliis Medicis Græcis vocatur modo λυγμός, modo λύγξ. An autem sit oris vētriculi affectus, an aliarum partium, dubitari potest. Gal. citato loco iā, & 6. aph. 39. manifeste docet, singultum esse affectionem propriam oris ventriculi. Alij vero omnes Gal. sectatores dixerunt, singultum esse passionem ventriculi, & Alex. Trall. non videtur alium cognouisse locum, quam totū vētriculum, imo vero ipse Gal. 2. de symp. caus. 6. ait, vt tussis fit in pectore, ita singultum fieri in gula, & ventriculo, adeo vt inter Gale. & alios videatur esse contradictio. Accedit auctoritas Auic. qui definit singultum fieri in ore ventriculi, ventriculo, & gula.

Altimarus qui gustauit hanc difficultatem, dixit in singultu semper affectum esse os ventriculi, sed non semper afficit ventriculum, nonnunquam etiam gulam, adeo vt hic doctiss. vir velit in omnibus his locis fieri singultum, sed præcipue in ore ventriculi.

Altimari sententia in duobus mihi non probatur. 1. cum dicit indifferenter, fieri præcipue singultum in ore ventriculi, quoniam si hoc esset verum, necessarium esset fateri, omnes alios scriptores errasse, qui dixerunt singultum fieri in ipso ventriculo. Et quod male id constituerit, est & alia ratio non spernenda, quæ desumitur ex Galen. 5. de loc. aff. 6. vbi manifeste docet singultum in ore ventriculi fieri tanquam in propria sede. Nec dicendum, quod Gal. dicat præcipue, dicit enim fieri eo pacto in ore ventriculi, quo fit Cardialgia, nausea, & appetitus; sed hæ passiones fiunt in ore ventriculi. Quare necessarium est fateri, singultum etiam semper fieri in ore ventriculi.

An singultus fiat in gula.

In altero est deceptus Altimarus, qui scripsit, singultum fieri in gula interdum. Quod sane in gula fiat singultus per consensum, vt fit a iecore, & a cerebro, certum est, sed quod vertitur in controuersiam, est, An quomodo in ventriculo, & eius ore fit singultus, sic fiat in gula? Hoc asseruit Altimarus, & alij, sed nulla ratio est, vt eorum approbem sententiam. 1. quia mouetur gula nullo alio motu preterquam attractionis: singultus est longe diuersus ab hoc naturali motu. 2. potissima causa, quæ facit singultum, est humor acris, & mordax; isti humores nequaquam possunt tentare gulam, quoniam natura fecit gulam lubricam, vt non possint humores illi adhærere. 3. his omnibus accedit, si in gula fieret singultus, procul dubio fieret, quādo impeditur deglutitio, cum non sit potior causa ad stimulandam gulam, quam cum in gula læditur deuoratio. At hoc nunquam probatum est experientia, simul impediri deglutitionem, & simul gulam tentari singultu: Singultus igitur in gula minime fit.

Ad Gal. loca respon.

Nec me mouet Rasis auctoritas, qui 5. cōt. ait, si velociter aliquid deuoratur, fieri singultum, vt memoriæ prodidit Alex. 7. probl. 45. quia cum fit singultus ex deuorationis velocitate, nō fit propter gulæ læsionem, sed quoniam cibo velociter ingesto vntriculus grauatur, & dum nititur expellere quod grauat, facit singultum.

Pro resolutione huius difficultatis, 1. decernendum est, an os ventriculi vera sit sedes singultus. Singultus autem dupliciter potest considerari, vel secundum suas causas, vel secundum sui essentiam; secundum causas ita statuo, singultum tam esse in ore ventriculi, quam in ipso ventriculo: & hoc est, quod interdum Galen. & alij dixere, singultum modo fieri in ipso vētriculo, modo in eius ore, quia causa efficiēs huius passionis modo est in ipsius ore, modo in ipsius corpore. Si secundum suam essentiam consideretur, dico illum esse in ore ventriculi solum, quia origo huius motus semper perficitur ab ipso ventriculi ore; explicat Gal. causam, quoniam os ventriculi sensu acerrimo pollet, ea propter idipsum est, quod primum sensione læsionis mouetur ad extrudendas causas lædentes.

Sed quid dicemus ad Gal. 2. de symp. caus. 6. & 7. aphor. 3. quibus in locis dicit, singultū in gula fieri? Pro mea parte dico, verba Gal. male interpretata occasionem dedisse huic errori, dicit enim Gal. fieri singultum secūdum stômachum. Iam vero, vt docet 3. de loc. aff. stomachus significat apud omnes Medicos os ventriculi. Si hoc est verum, igitur interpretanda sunt hæc verba, secūdum stomachum, nō in gula, sed in ore ventriculi, vt interpretatus est vetus interpres. Ideo eo in loco dicit Gal. non in gula fieri singultum, sed in ore ventriculi.

Auic. notatur.

Ad alium locum in 7. Aph. idem est dicendum, pro stomacho intelligendum esse os ventriculi. Sic interpretandum esse Gal. facile est demonstrare, etenim qui huius fuere sententiæ, nempe quo in gula fiat singultus, dixerunt hoc fieri raro, eo tamen in loco Galen. eum fieri inquit, vt plurimum in stomacho. Si igitur pro stomacho interpetari debemus gulam, & non os ventriculi, sequetur fieri vt plurimum in gula, quod est contra ipsos. Ad Auic. dicimus eum in hunc errorem incidisse, eiusque sectatores, male intelligentes Galeni verba, nec rem expendere volentes.

Locus Arist. explicatur.

Concludo igitur singultum, & in ore ventriculi, & in ipso fieri ventriculo, secundum causas, at secūdum principium motus, tantum in ore ventriculi, in gula vero non nisi per consensum.

Et hinc intelligitur Aristot. 33. probl. 1. vehementer fuisse hallucinatum, quod dixerit singultum in

tum in partibus spiritalibus fieri, quoniam non magis singultus originē habet in pectore, quam in calcaneis; nisi ad tuendum Arist. velimus dicere, quod pro singultu aliam affectionem intellexerit, de qua inferius loquemur, quemadmodum eum tuetur Petrus Aponensis.

Definitio.

Singultus est, vt docet Gal. locis nuper a me citatis, motus ventriculi deprauatus, & conuulsorius, ad expellendas res noxias factus. Est quidem ventriculi motus, quia est purus naturæ effectus. Nam 2. de symp. caus. 1. dicitur esse opus solius naturæ, hoc est, solius facultatis expulsiuæ: quemadmodum etiam dicit Auerr. 3. collig. 18. nam esse motum, & opus solius naturæ, ex eo intelligere licet, quia non est positum in libertate nostra, vel facere singultum, vel sistere, vt hinc perspectum sit, esse purum naturę expultricis motum.

Est etiam motus deprauatus; nam ventriculus nullum alium motum naturalem habet, nisi constrictionem, & dilatationem circa cibum: & quamuis in singultu ventriculus constringatur & distendatur, attamen magnopere differt, quia contractio, & dilatatio ventriculi circa cibum blanda est, & nullo pacto violenta; at quæ fit in singultu, tota iniucunda est, & violenta. Et vt hunc motum exacte teneatis, imaginemini motum in singultu ventriculi esse valde similem motui chordæ in arcu: Nam primo contrahitur chorda, vbi contracta est, fidimittatur, magno impetu, & strepitu extenditur, haud secus ventriculus, qui primum vbi læditur ab aliqua re, contrahitur, & paulo post cessans a contractione magno impetu extenditur, & strepitum illum edit.

Qualis motus sit in singultu.

Est non solum deprauatus, sed conuulsorius, siue vt dicit Mesue spasmosus, nam si res exacte examinetur, singultus non est vera conuulsio, sed motus similis conuulsioni. Non est vera conuulsio, primo quia conuulsio est propria passio musculorum, aut partium habentium musculos, secundo vera conuulsio contrahit musculos versus originem: At singultus cum sit ventriculi, non est musculorum, quia ventriculus ex toto musculorum est expers. Pręterea in singultu ventriculus contrahitur in sese, non contrahitur circa principium.

Ex hac singultus Anatome intelligere licet, singultum esse symptoma in genere actionum deprauatarum. Antequam ad causas descendamus, duo problemata explicanda sunt: primo quisnam sit morbus vehementior, singultus, an vomitus, secundo cum ab iisdem causis efficiatur vomitus, & singultus, cur interdum tamen fit singultus, & non vomitus, interdum contra, vomitus, & non singultus.

An vomitus, an singultus vehementior.

Circa primum, medicinæ scriptores non exiguam faciunt controuersiam; Galen. enim 6. aphor. 39. statuit, singultum, & vomitum eiusdem generis inter se esse, attamen cur singultus sit vehementior motus ipso vomitu, hanc affert causam, quoniam natura in singultu nititur expellere, quod substantiæ ventriculi est impactum; in vomitu id expellere conatur, quod est in spacio diffusum; sed quia ad extrahēdam materiam infixam maiori motu est opus, quam ad eam, quæ in spacio diffusa est, ideo fit, quod in singultu maior fit motus, quam in vomito.

Ex alia parte Auic. quatuor argumentis impugnat hanc opinionem. Prima ratio; quia nititur probare, non esse maiorem motum singulto, vomitu, est propterea quod vomitus etiam fit ad extrahendam materiam infixam, quoniam non omnis vomitus fit propter materiam in spacio diffusam, sed etiam propter materiam in substantia contentam, ideo propter hoc non videtur singultum vehementiorem esse vomitu,

Secunda ratio, verum non esse, quod omne id fortius agat, quod nihil expellit, quam sit id, quod aliquid expellit; ea propter neque verum esse, singultum esse vehementiorem, quia a singultu nihil expellatur, a vomitu autem sæpe expellatur.

Tertia ratio, singultum præcedere vomitum, cum autem illud quod præcedit aliud, sit debilius illo, quod sequitur, ex consequenti singultus erit debilior vomitu. Quarta ratio, fieri singultum a parua causa, & ideo necessarium esse, vt sit paruus effectus, fieri autem a parua causa, inde apparet, quoniam a modico humore, vel grano piperis, fit singultus, vomitus autem non nisi a graui causa.

Hæ sunt rationes, quibus Auic. conatus est reprehendere Galenum, & alios, quorum dissidium, vt concilietur, dicendum est, motum vnum altera esse fortiorem, dupliciter intelligi posse, vel quo ad virtutem mouentem, vel quo ad corpus motum; si primo modo consideretur, plane est singultus vomitu vehementior, quia facultas expultrix, quæ mouet singultum, robustior est quam sit ea, quæ mouet vomitum. Si consideretur secundum corpus motum, dico vomitum esse vehementiorem, hic enim fit cum corpus ventriculi contra naturā mouetur sorsum, quoniam quod est conuexum, fit concauum. In singultu autem non sic mouetur ventriculus, sed extenditur solum, & contrahitur, sic vomitus est vehementior singultu. Et hoc modo dixit Auic. alio modo singultus est vehementior vomito, vt dixit Galen.

Secundū problema erat, cur sit quod humoribus acribus in ventriculo existentibus interdum fiat singultus, interdum vero nausea. Alimatus putauit hanc esse causam, quod interdum mordacitas humorum sit maior, interdum minor; quando maior est, fit singultus, quando minor, fit nausea. Hæc ratio mihi non probatur; quia interdum nausea maiorem parit molestiam, quam singultus. Deinde videmus sæpe post nauseam excerni humores acres, & mordacissimos post singultum non, quare colligi potest, non fieri singultum, semper a maiori mordacitate, sed interdum etiam nauseam.

Ergo est hic reddenda eadem ratio, quam reddit Auer. lib. 1. tr. 18. cap. vlt. vbi scribit, fieri singultum, quia materia, quæ mordet, in vnum tantum locum fixa est, ad quem locum cum totus ventri-

ventriculus contrahatur, fit singultus, fieri autem nauseam, & vomitum, vbi materia mordens non in vno loco est, sed in pluribus.

A quo morbo depēdeat singultus.

Singultus, cum sit symptoma in genere actionis læsæ deprauatæ, a morbo dependet, vt ab intemperie: hæc autem intemperies modo est pura, modo cum humoribus coniuncta. Sed dignū est inquisitione, An omnis humor intemperiei copulatus faciat singultum? Auenz. dicit non fieri a pituita fluida. Cuius sententiam cum maxime probem, statuo singultum fieri solum ab his humoribus, qui non modo acres, sed etiam viscosi sunt, vt tenaciter hæreant.

Causæ singultus apud Hipp. 6. aphor. 39. sub duobus generibus sunt comprehensæ, dum ait. Conuulsiones fieri a repletione, aut inanitione. Similiter hoc Hipp. oraculum cum Galen. 8. de med. loc. magna cura examinaret, tria silentio non prætereunda docuit. 1. In omnibus fere exēplaribus Hipp. manuscriptis referta fuisse illa extrema verba, scilicet, similiter, & singultus. Ex quibus Galen. verbis intelligere possumus, etiam in aliquibus exemplaribus desiderata fuisse hæc verba.

Alia causa sing. præter inanitionē, & repletionem.

Secundum quod docet Gal. est, dubium esse an verum sit, quod scribit Hipp. singultum ex superpurgatione fieri; Et quoniam Galen. videbat arduam esse quæstionem, dicit se illam omittere voluisse, & alias inuestigare. Tertio inquit Galen. verum esse, conuulsionem fieri ex repletione aut inanitione, illud tamen de singultu non ita esse perspicuum, eo quoniam præter inanitionem, & repletionem multæ aliæ inueniuntur causæ, quæ similiter vere singultum videntur efficere.

Inter cetera dicit Galen. ichores acres, & succos medicamentosos eos esse, qui faciunt singultum; neque tamen ad inanitionem aut repletionem rediguntur; nam si quis deglutiat piper, & vinum superpotet, aut diatrionpip. singultu corripietur. Cibi corrupti, vt in pueris, & alijs, etiam faciunt singultum, Frigus denique extremum, & internum. Neque tamen hæc reduci possunt vere ad repletionem aut inanitionem.

Gal. male reprehendit Hipp.

Itaque Gal. videtur in duobus magnum Hipp. arguere. 1. quod non ponat omnes causas singultus. 2. quod ponat eam, quam ponere non deberet, scilicet, exinanitionem: his Galeni dictis possumus & alia duo adiungere, quæ habet 6. Aphor. 13. scilicet singultum proprie fieri a plenitudine, raro ex inanitione, alterum singultum puerorum reduci ad genus plenitudinis. Sed non satis Galen. nostrum mirari possum, qui adeo facilis fuit, in reprehendendo Hip. qui vt ipsemet Galen. testatur sæpissime, mira quadam breuitate omnia ad artem pertinentia conscripsit. Vnde non est mirum, si Hip. loc. citato idem fecit, vbi nequaquam scribit singultum fieri solum ex repletione, & inanitione, sed eius sententia fuit, omnes singultus potissimum, vel ab inanitione partium, vel a plenitudine fieri.

Sed demus Galeno, Hipp. voluisse, duo solum hæc causarum genera extare: dico quod propter hoc non est reprehendendus, quandoquidem si res exacte perpendatur, videmus omnes causas a Galeno in medium allatas, non vt dicit Altimarus, ad inanitionem partim, & partim ad repletionem referendas esse, sed omnes ad repletionem. Hoc autem verum esse, vt intelligatis, singulatim eas expendemus. Frigiditas primum facit singultum, quia vt dicebat Galenus poros, & meatus claudit, vbi pori sunt clausi, idem dicit retineri excrementa, quæ retenta faciunt singultum. Hoc si verum est, quis negabit a frigore fieri repletionem, & ab ea deinde singultum.

Acres humores, vbi infixi sunt tunicis ventriculi, faciunt etiam conuulsionem, propterea quod plenitudinem quandam inducant: nam sicuti vasa dicuntur inania, quoniam carent eo, quod continere deberent, simili modo debent dici plena, quoniam continent id quod non debent: ea propter quando in ventriculo sunt humores acres, manifestum est ibi esse aliquam plenitudinem.

Piper deglutitum aut panem, vel aliud quiduis deuoratum singultum facere, non ob aliud est, vt dicit Alex. 1. probl. 45. nisi quia ventriculus onere grauatus, vel re aliqua mordente stimulatus, nititur deponere quod grauat, & stimulat, & propterea, reducitur huiusce modi nixus, & singultus non ad aliud genus, quam ad plenitudinem. Itaque clare videtur, Hipp. maxima laude esse dignum, qui sub plenitudine, & inanitione mira breuitate complexus est omnes singultus causas.

Cur Gal. dubitarit an fiat a superpurgatione singultus.

Sed dubitatur, Cur Gal. in dubiū reuocarit, an fiat a superpurgatione? Puto hoc esse factum, quia vere singultus a superpurgatione rarissime fit, & ideo corrigendus Tral. lib. 7. ca. 13. quo in loco interpres addidit particulam negatiuam, quæ non est in textu Græco: facit enim vt Alex. dicat, non raro ex inanitione singultum fieri, cum tamen ex rei veritate, & mente Alex. dicat raro ex inanitione singultum fieri.

Causa autem, propter quam efficitur raro singultus ex superpurgatione, est, quia vt singultus fiat ex siccitate, magna opus est exsiccatione ventriculi, ad quam antequam perueniant ægri, contingit plerumque, vt intereant. Et quotquot vidi singultientes ex siccitate immodica, & febribus ardentib. omnes citissime periere. Imo Thucyd. & Lucretius referentes illam miram febrim Atheniensium a Gal. celebratam, inter alia pessima signa ponunt singultus.

Causæ remotæ. Crapula. Timor.

Inter causas mediatas, primo sese offert nobis corporis aptitudo, quia Gal. & Auic. prodiderunt eos facile singultibus tentari, quorum ventriculi sunt valde sensibiles. Inter causas remotiores, prima est crapula annumeranda, præsertim quando velocissime editur, & bibitur. Auēz. & alij inter has connumerant timorem, quoniam in timore ventriculus refrigeratur, & tū hūc

edit

edit motum. 2. modo singultum dixerunt fieri a timore, quoniam cum homines timent, in panniculis cerebri generatur quidam motus conuulsiuus, quo motu per sympathiam communicatoori ventriculi, fit singultus. Sed Arabum rationes admodum mihi videntur infirmæ, illa autem grauior est, quæ sumitur ex Galeno 2. de plac. 8. & alibi, quibus in locis scribit Gal. ex timore transfundi bilem in ventriculum, qui facit morsum, ita quoque dicimus, hanc eandem bilem ori ventriculi adhærentem singultum inducere.

Venena. Sunt inter has causas aliæ, præsertim vero sunt venena, vt quæ proprietate quadam singultum inducunt, vt Nicander de vipera, de Echino, de Rubetis scribit.

Cur pueri post fletum singultiant. Sed hic duo sunt notanda. 1. Cur sit quod pueri post fletum singultiunt. 2. Cur a frigore gignatur singultus. Quo ad primum Gordonius putauit hanc esse causam, quia dum plorant, ventriculus malis repletur humoribus, qui deinde vellicantes ventriculum, faciunt singultum. Sed hæc ratio mihi tanto authore videtur indigna, quoniam pueri etiam optimo habitu præditi, & tenerrimi, dum plorant, singultu tentantur. Nec dicendum, quod in his sint humores vitiosi, nec quod in fletu gignantur: qui enim potest breuissimus fletus humores ante benignissimos reddere acres, & malignos? Sunt igitur nugæ. Singultus autem puerorum non est ille, de quo loquimur, licet appelletur a Latinis singultus, nam ille nulla alia de causa efficitur, nisi, quoniam dum plorant, spiritus in pulmonibus retinentur, propter aliquos humores delabentes in asperam arteriam, vel quoniam pueri obliuiscuntur respirare præ ira, vt faciunt phrenitici, postquam cohibitus est ille spiritus, vbi erumpere nititur, facit tumultum, & motum illum, qui dicitur singultus; de quo intelligenda est forsan Arist. sententia, qui sectio. 33. prob. primo ex spiritu in partibus circa pulmonem tradidit fieri singultum. Quare vana est illorum opinio, qui existimant, eandem esse de pueris singultientibus reddendam rationem, quæ redditur de hoc singultu morbolo.

Cur singultus a frigore fiat. Ad secundum, cur singultus a frigore fiat, Auicen. 13. 3. tr. 5. cap. 20. tres attulit rationes, propter quas fit singultus a frigore. 1. quia vbi friget ventriculus, humores tenacius illi inhærent, & ideo magis vellicantes, singultum faciunt; secunda ratio est, quoniam frigus condensat corpus, vbi autem condensatur, ventriculus retinet excrementa, quæ retenta faciunt singultum.

Tertia. Quia frigus suo excessu vehementer lædit ventriculum, quo læso sequitur ille motus. Sed hæc mihi displicet, quoniam si hoc esset, sequeretur, quod vehementer refrigerantia, vt opium, & aqua frigida, deberent facere singultum, quoniam suo excessu ventriculum lædunt. Verum longe abest, vt ab his rebus licet maxime frigidis inducatur singultus.

Signa. Hic affectus non eget signis, vt cognoscatur, quandoquidem nemo est, qui ipso aspectu statim non intelligat, vbi hoc symptoma aliquem torquet. Verum si fiat, vt interdum contingit, ex superpurgatione, cognoscemus, quoniam semper aliquæ præcesserunt purgationes, & euacuationes, fluxus, febres ardentes, adest macies corporis, & faciei, & vtilitas etiam percipitur ex rerum humidarum vsu.

Verum si fiat singultus ex repletione, cognoscemus, quoniam percipitur grauitas in stomacho, tensio ventris, adest ructus, & interdum nausea. Et si fiat ab acribus humoribus, continuo etiam morsus percipitur, ex vomitu quoque leuabitur æger, vt docet Rases. Et si humor calidus sit, percipitur in ore amaror, adest sitis, caliditas in gula. Si frigidus, neque caliditas, neque siccitas oritur: si a cibo ac potu, intelligemus ex relatione ægri, & astantium. Si propter oris ventriculi sensum exquisitum, cognoscemus, quoniam qualibet de causa, vel leui, tentatur singultu. Vbi vero fit propter consensum, cognoscemus, quoniam vel fiet propter inflammatum cerebrum, & aderunt signa inflammationis cerebri, vel propter iecur inflammatum, dicit enim Celsus, si singultus præter consuetudinem frequens, & continuus sit, indicare iecinoris inflammationem. Sed qua ratione iecur inflammatum inducit singultum? Ea ratione, quam attulit Auerrhoes, quoniam in inflammatione iecoris generatur multa bilis, gignuntur humores virulenti, & acres, qui a iecore per venas mesaraicas in ventriculum transmissi, illi adhærent, deinde per consensum singultum inducunt.

Iecur inflãmatũ inducit singultũ.

Singultus omnes, qui fiunt ex iecoris inflammatione, ex sanguinis effusione, & ex vomitu bilioso, lethales sunt, vt testatur Hippoc. & Galen. 4 & 5. aph. Veruntamen notandum, non omnes singultus, qui fiunt post vomitum, æque malos esse, quoniam singultus post vomitum fieri possunt, propter nimiam euacuationem, vel quia adsint reliquiæ humorum mordacium, qui mordendo faciunt singultum. Si ex superpurgatione fiat, semper lethalis est. Si propter acrium humorum reliquias, non semper lethalis.

Cur singultus senibus superpurgatis lethales. Singultus, qui superueniunt senibus superpurgatis, lethales esse scribit Gal. in com. aph. 41. sect. 7. & propter duas causas inquit tales singultus non solum esse malos, sed pessimos 1. quia omnis superpurgatio est mala 2. quia in senibus omnia sunt grauia, & periculosa, scil. propter ætatis imbecillitatem. His etiam tertiam causam addo, quod in senibus ratione ætatis, propter natiuum humidum, quod est admodum imminutum, si accedit superflua purgatio, malum hoc duplicatur: & ideo singultus propter has purgationes mali sunt. Vbi illi fiunt propter animi deliquium, in conuulsione, & in affectibus soporiferis, semper proxima est mors.

Curatio. Circa curationem tria sunt nobis notanda. 1. esse aliquos leues, & faciles singultus, qui Medici opera non egent, vt sunt singultus puerorum, & aliorum multorum, quorum omnium Erysimachus Medicus apud Platonem in conuiuio tria singultienti Aristophani remedia dedit.

1. Re-

Leuium singultum remedia.

I. Remedium est, vt sternutamentum prouocetur, dicit enim Hippocrat. 6. aphor. 13. singultum superueniente sternutamento finiri. Galen. autem in com. afferens rationem, inquit esse ideo, quoniam illo concussu humores infixi singultum facientes, elidantur. Verumtamen Arist. 33. sect. problem. 1. videtur aliam causam dedisse, cur a sternutamento curetur singultus, quoniam inter cerebrum, & pulmonem est conuenientia, ita vt concusso cerebro concutiatur pulmones, & sic finiatur singultus. Nicolaus Florentin. miratus est, cur Arist. hanc causam attulerit, dicitque sternutamento finiri singultus, & non eructationem, quia singultus fit a materia, eructatio a flatibus. Iam vero ex concussione facilius est, vt materia elidatur, quam flatus. Fateor hanc rationem esse consentaneam veritati. Verumtamen Arist. sententia non est de hoc singultu, sed de illo, de quo sum locutus superius, quem dixi fieri ob spiritum retentum in pulmonibus.

Retentio spiritus tollit singultum.

II. Spiritus retentio iuuat quoque ad tollendum singultum, præsertim eum, qui factus est a frigiditate, quoniam retentio spiritus calefacit non solum partes spirituales, verumetiam naturales: calefactis his partibus extinguitur causa singultus.

Aquæ potus.

III. Aquæ potus est etiam remedium, quod leuat eos singultus, qui fiunt ob acrimoniam humorum, quoniam acrimonia, & tepore, & humiditate aquæ valde attemperatur.

Sunt quoque præter hos alij modi soluendi singultum, enumerati a Gal. 1. de humor. vbi dicit esse quosdam motus leues, qui abstinentia, & tenui victu curantur, vt tussis, & singultus, qui motus, si homines abstineant ab his faciendis, & seipsos cogant, ac vim inferant naturę, tolluntur, secundum quod dicit Gal. est, vt animaduertatur, an singultus per consensum, aut vero per essentiam fiat. Si enim fiat per consensum, curationis ratio erit, vt ea pars curetur, quæ malum communicat. Tertium est, veram, & exquisitam curationem deberi tantum his singultibus, qui sunt contumaces.

Curatio singult. a causa frigida.

Ratio autem curationis, vt dicit Trall. tota posita est in sublatione causarum, quoniam symptoma ex sese nunquam vrget, solum causa est, quæ Medici exigit studium. Quare si singultus factus sit a causa frigida, ante omnia ad superandam causam instituendus est victus, aer calidus, & siccus, motus, clamores, & vociferationes conueniunt, & etiam extremorum confricationes, eorumque ligaturæ, balnea calida, irasci, & solicitum esse maxime conducit in causa frigida. Accedit cibus, & potus, qui sunt instituendi calefacientes, & exsiccantes, & vt tales reddantur miscenda sunt semina odorata, aromata, herbæ odoratæ, vt sunt pulegium, menta, anethũ, origanum, quæ omnia ad finiendos singultus sunt accommodata. Galen. & Aetius commendant vsum Castorei, tum olfaciendo, tum cum aceto bibendo. Idem pręstare putarunt, & semen rutæ; aquę frigidę super faciem, inopinata irroratio magnopere cõuenire putatur, eo quod hac irroratione subita, calor coaceruatur, qui coactus magis calefacit, & proinde causam tollit. Præter hęc sunt confectiones, emplastra, linimenta, cerata, quæ, vbi contumax fuerit singultus, magnopere iuuant, vt hæc:

Cõfectio pro singultu.

℞. Cyperi.
Iunci odorati,
Caryoph. an. ℈. j.
Castorei ℈. ß.
Sem. anethi.
Rutæ an. ʒ. j.
Fol. puleg.
Mentæ.
Absynthij an. ʒ. j. ß. Terantur omnia diligenter, & cum melle q. s. fiat mixtura s. a.

Obseruandum ergo hoc in loco, medicamenta, quæ præparantur aduersus singultum, debere omnia, vel cum melle, vel cum saccharo fieri, eo quia sic confecta diutius adhæreant ventriculo, vnde magis iuuant.

Exhibentur extrinsecus fomentationes aut sacculi ex his seminibus, & herbis odoratis, sunt, & empl. & cerata, quæ ideo magis prosunt, quia diutius inhæreant. Vos poteritis parare sic.

Emplastrũ.

℞. Enulæ.
Rutæ.
Mentæ.
Absynthij.
Mastich.
Cumini.
Zinzib.
Ammeos an. ʒ. x. Pistentur omnia diligenter, deinde cum vino, & sapa excipiantur, ac in forma emplastri imponantur calida ventriculo.

Quoniam autem hæc emplastra non possunt perpetuo super ventriculum detineri, in singultu contumaci quædam habenda sunt cerata, vt,

℞. Bdellij.
Sagapeni.
Opopan.
Ammon.
Euphorbij an. ʒ. ij.

Mastichis ℥.j.
Cinnamomi.
Castorei.
Ligni aloes.
Piperis longi an. ʒ. viij.
Infundantur omnia gummata, & resina in aceto, fiatque ceratum.

Hæc si non conferunt, videndum est an præter intemperiem frigidam adsint humores; qui si adsunt, præparandi sunt, & ad eos præparandos laudat Rabbi Moyses hæc tria, puleg. calamenth. & caryoph. & sic conficiuntur.

Curatio singult⁹ ab humore frigido.

℞. *Fol. Pulegii.*
Anethi.
Iunci odorati, an. M j. decoct. f. a.

Deinde ℞. *d. d. ℥. iiij.*
Mellis rос. simp.
Syr. de ment. } *an. ℥. j. misce.*

Vbi sunt præparati, erunt euacuandi, agar. trochisc. diacathol. pil. de tribus, hiera etiam maxime confert.

A causa calida.

Si causa fuerit calida, contraria ratione ineunda est curatio, primum vt instituatur victus, qui refrigeret. Ex cibis, & potibus laudat Auerr. lactucam, & cucurbitam, & inquit succum lactucæ tenuem esse, instar aquæ, succū vero cucurbitæ esse crassiusculum, & propterea humores crassos producere. Aquæ gelidæ vsus est etiam vtilis ad finiendos eos singultus, qui oriuntur a causa calida.

Notandum hic est ex Auer. vt vbi vtendum est aqua commisceatur mel despumatum, quoniam mel non despumatum nocet ob acrimoniam ventriculo, eo magis quando causa est calida, quia sæpe habetis apud Galenum, mel conuertitur in bilem.

Melle despumato vtendum in ventriculis.

Gal. in 8. de med. local. ex sententia Asclep. laudat stupefacientium vsum, sed in vsu horum debemus esse cauti, præsertim in affectibus ventriculi, quoniam vt inquit Auerr. magnum imminet periculum, si ventriculus paulo plus refrigeretur. Sed quæritur, quando vti liceat talibus medicamentis, & in quanta dosi? Primo poterit quis vti theriaca recenti, aut Philonio, sed in parua quantitate, vt non excedat ℈. ß. aut ℈. j. vsus diacod. syr. de papau. multum conferunt.

Quod si calidæ intemperiei copulati sint humores, vel vomitu, vel per aluum excernantur. Si autem neque per vomitum, neque per anum feliciter possint expurgari, est deueniendum ad ea, quæ acrimoniam attemperant, vt sunt pruna, vsus Tamarindorum, lactuca, portulaca, succus granat. vsus ptisanæ. Galen 4. de tu. val. ait far mirifice attemperare humores acres, & mordaces. In hoc etiam casu si alia non conferant, vsus stupefacientium est accommodatus, ratione prius dicta.

Ex nimia purgatione.

Si vero singultus fiat ex nimia purgatione, & propter siccitatem, in vsu habenda sunt balnea aq. dulcium circa stomachum, brodia pinguia, carnes contusæ, præsertim testiculi gallorum contusi, lac amygd. & tandem quicquid natum est restituere humiditatem. Cum autem propter siccitatem fit, Auerrh. laudabat vt manus mollis, & delicata retineatur perpetuo super stomachum. Si fiat a flatibus, & vaporibus, conueniunt omnia illa, quæ discutiunt, & dissipant flatus. Conuenit vsus allij, diacym. anis. coriand. quæ non modo intrinsecus accepta, verumetiam extrinsecus prosunt. Si fiat propter sensus oris ventriculi subtilitatem, vsus stupefacientium est accommodatus, vt scilicet ille sensus qui vehementior est, obtundatur.

A flatibus.

Propter oris ventriculi subtilitatē.

Et notate circa potum, in omni singultu curando, vt semper quicquid potatur, siue sit vinū, vt in causa frigida, siue aqua, vt in calida, semper paulatim, & guttatim potetur, quoniam humor guttatim delabens, magis irrorat, & causam effectricem singultus attemperat.

Alex. laudat incantationes.

Si rationalia medicamenta non iuuent, Alexand. ne æger destituatur remedijs, laudat vt adperiapta, & incantationes deueniatur, & vtitur testimonio Galen. qui in his, & similibus casibus non videtur neglexisse horum medicamentorum genus, quia si non iuuant, nocere tamen non possunt: Laudat multa Alexand. vt cyminum alligatum, castoreum. Alyssos mire commendatur, & a Diosc. & Plut. 1. sympos. problem. 3.

CAPVT V.

De vitijs appetitus in genere.

QVemadmodum vitia appetitus postremum locum habent in tractatione vitiorum oris ventriculi, sic si commoditas, & necessitas cognitionis horum vitiorum expendatur, primum locum habere videntur, præterquam quod appetitus, cum sit propria operatio oris ventriculi, consequenter videtur tractatio vitiorum ipsius eximia, & vtilissima esse.

Quomodo fiat appetitus naturalis.

Vt autem hæc vitia diligenter cognoscere possitis, operæ pretium erit cognoscere, qua ratione fiat appetitus naturalis. Siquidem vt obliquum cognoscitur cognito recto, sic appetitus præter naturam cognoscitur, si cognoscatur appetitus naturalis.

Galen. 1. de sympt. caus. 7. docet, ad generationem appetitus naturalis quinque necessario requiri.

requiri. 1. vt membra totius corporis inaniantur. 2. vt inanita membra attrahant a venis. 3. vt venæ attrahant a iecore. 4. vt iecur a ventriculo. 5. vt ventriculus exsugat, & titillet os suum.

Sed priusquam progrediamur, duo occurrunt consideratione digna. 1. hunc discursum videri contrarium Gal. quippe qui 3. de natural. fac. 13. scribit, prius exinaniri ventriculum in generatione famis, quam inaniantur reliqua membra. 2. vt videatur an hic appetitus sit actio naturalis, an præter naturam. Esse eum præter naturam, illud docere videtur, quod appetitus est molestia quædam, quandoquidem fit per exsuctionem oris ventriculi, sed molestia, & exsuctio sunt res præter naturam: Itaque appetitus videtur esse res præternaturalis. Quod fortasse cum cognouisset Plut. 6. problem. conuiual. dixit, appetitum esse germen quoddam morbi.

Pro resolutione primi dicendum, ventriculum duobus modis nutriri, vno modo per irrigationem chyli; alio modo per sanguinem contentum in venis. Si priorem nutritionem consideremus, hæc efficitur priusquam membra corporis exinaniuntur: Et de hac loquitur Galen. 3. de fac. natural. loco citato. Sed si consideremus secũdam nutritionem, prius exinaniuntur reliquæ corporis partes, quam hic sanguis conuertatur in substantiam nutriti.

An appetitus naturalis vel præter naturam.

Quoad secundum, in appetitu duo considerantur. 1. actio illa, deinde finis. Si chylificatio appetitiua secundum actionem expendatur, cum hæc actio fiat per quandam oris ventriculi solutionem, minime dubitandum, quin sit quodam pacto res præter naturam, quemadmodum dicebat Plato in Timæo, & Phædro, omnem indigentiam esse rem molestam, & præter naturam. Ceterum si spectetur finis, propter quem fit appetitus, naturalis est: cum enim continuo corpora nostra exinaniantur, & consumantur, oportuit, vt natura prospiceret cibis, & alimentorum confectioni. Iam vero quia animalia poterant a voluptatibus, & contemplatione ita occupari, & abduci, vt obliuiscãtur cibos capere, necesse fuit, vt natura machinaretur hũc appetitum per quem animalia cuncta auocãtur ab alijs rebus, & cibum capere coguntur; itaque facile videre est, hac ratione appetitum actionem naturalem esse.

Quot modis appetitus uitietur.

Debet autem hæc actio, si integra futura est, non solum esse circa conueniens alimentum, verum etiam in debita quantitate, & debito tempore. Vbi itaq; hæc actio appetitus vitiatur, vel est, quia fit circa obiecta peregrina, & absurda, vel quia maior aut minor est, quam deceret, vel quia non fit debito tempore; vt iam pateat, quot sint vitia, quæ circa appetitum contingunt, scilicet deprauatio, diminutio, ablatio, aut immoderãtia. Et ut ordine progrediamur, primo de vitioso, & deprauato appetitu loquar, quando scilicet appetuntur res secundum qualitatem ineptę, & sanitati contrariæ.

CAPVT VI.

De deprauato appetitu, seu de pica.

De nomine.

Hic affectus ab Arist. 7. de hist. animal. cap. 4. vocatur κίσσα, a Gal. κίττα, Latini appellant picam. Vnde autem sit deductum hoc nomẽ, demonstrat Aegineta, & alij, qui hunc affectum ita vocari scribunt ab aue, quæ a Latinis dicitur Pica, & comedit terrã: qua ratione potuit morbus iste, in quo terra desideratur, sic vocari; nos malumus sic vocatum esse, quoniam sicuti hæc auis alis vario colore depictis est ornata, sic variæ, & diuersæ res in hoc morbo appetuntur.

An pica, & malacia idem.

Omnes qui hactenus de hoc morbo scripserunt, hanc habuerunt sententiam, a Plinio dictã esse Malaciam, imo Altimarus nescio quo auctore motus, dixit a Græcis vocari μαλακίαν. Sed quanquam isti ratione habent pro se, scil. quia Plinius eũ nunquam appellauit picã, sed malaciam: verumtamen vt ipsos non sequar duabus rationibus moueor, vna, quod malacia proprie significet mollitiem: iam vero mollities stomachi est alius morbus a pica: est enim langour quidam, & laxitas, propter quam nec ventriculus appetit cibos, nec cõtinere potest. altera quia Plin. ad malaciam laudat malicorium: sed malicorium est medicamentum adstringens, quod conuenit quidem in laxitate ventriculi, sed non in pica: quapropter sum huius sententiæ, malaciam alium esse affectum a pica,

Hermolaus Barbarus.

Et propterea puto, Hermol. Barbarũ grauissimũ scriptorem, duos cõmisisse errores. 1. quod voluerit animi affectiones esse malaciã in prægnãtibus. 2. quia existimauit, picam, defectionem animi, & malaciam vnum eũdemq; esse affectum in mulieribus, cum tamen sint tres affectus.

Notandus hic est error in codice Pliniano lib. 23. cap. 6. vbi legitur, Malicorium in malacia prodesse, quoniam gustatum mouet infantem, vbi legendum erat, quia gustatum mouet famem: nam qui linguæ latinæ non sunt ignari facilime videbunt, hanc meam emendationem conuenire.

Natura, & definitio pica.

Est itaque pica appetitus præter naturam, in prægnantibus potissimum, ob quem absurdas res cupiunt, ut carbones, calcẽ viuam. Dixi in prægnantibus potissimum, quia fit interdum etiam in viris, vt testatur Gal. 1. de sympt. causis 7. ego semel vidi puerum haud aliter terram comedentem quam panem.

Est autem pica symptoma in genere actionum deprauatarum. Morbus quem sequitur, intemperies est, non quidem nuda, sed prauis humoribus coniuncta.

Locus affectus.

De loco affecto est controuersia apud Galenum, a nemine animaduersa: nam 5. de loc. aff. 6. inquit, vitia appetitus proprie esse oris ventriculi, ita vt locus affectus in pica nullus alius ponitur a Galeno, quam os ventriculi. Idem confirmat 1. de symptom. caus. 7. Ceterum in dicto

S loco

loco scribit, locum affectum in pica esse tunicas ventriculi imbutas humoribus prauis; Quam sententiam recipit quoque Aetius, ita vt facile videre liceat, Gal. modo dixisse os ventriculi, modo tunicas ventriculi in pica affici.

Pro cuius solutione dicendum puto, aliud esse statuere locum affectum, aliud causam affectus. Si velimus statuere locum ipsius affectus, nullus alius est, quã os ventriculi, quia ibi fit prauus appetitus, vbi fit naturalis appetitus. Sed in ore ventriculi fit appetitus naturalis, tanquam in proprio instrumento; Igitur, & ibi fiet appetitus non naturalis. Si locum affectum constituere velimus, quo ad causam affectus, dico esse tunicas ventriculi, quia isti humores non possunt diu consistere, & adhærere ori ventriculi, quoniam cum praui sint humores, facerent & alia sæuiora symptomata, vt cardialgiam, & nauseam. Quare dicendum, hos humores plerumque esse infixos tunicis ventriculi, qui causa sunt huius appetitus.

Altimarus & Fern. notantur.

Et hoc dicebat Galenus fieri picam in mulieribus, affecto ore ventriculi, quia ab humoribus infixis tunicis ventriculi vapor, & qualitas praua communicatur ori vẽtriculi, vnde fit iste corruptus appetitus. Quare non possum laudare Fernel. qui dixit fieri hunc morbum propter humores oblitos ori ventriculi, nam neque ratio hoc persuadere potest, neque Gal. vnquam docuit.

Causæ immediatæ.

Causæ immediatæ huius affectus, vt ex dictis colligitur, sunt humores praui contenti in tunicis ventriculi. Hip. enim in Coac. prænotion. censuit, prauum colorem, & terræ cupiditatem indicare sanguinis corruptionem, & exsolutionem virium.

Antecedentes mediatæ.

Iam vero causæ antecedentes, & mediatæ plures sunt, est complexio naturalis frigida, & humida, frigida, & sicca, id est, melancholica, retentio menstruorum, & hæmorrhoidum suppressio in viris, vt retulit Serapio. Causæ externæ, otium, vsus prauorum ciborum, alui adstrictio.

Sed cur potissimum in mulieribus prægnantibus vsque ad tertium mensem fiat, causa exposita est a Galeno, 1. de symptom. caus. 7. & Trall. 2. prob. item ab Auicenna. 13. tertii tr. 2. cap. 12. qui omnes dicunt, talem affectum ideo prægnantibus accidere, quoniam menses sunt suppressi, & fœtus cum sit paruus, non potest consumere sanguinem retentum, quo fit, vt per corpus distribuatur, distributus in ventriculum corruat, ibi corruptus alienam qualitatem contrahat, atque ita appetitum corrumpat, post tertiũ mensem eundem cessare, quoniam fœtus iam grandior consumit sanguinem retentum, ita vt non possit in corpus distribui, neque in ventriculo corrumpi.

Problemata tria proponuntur.

Hæ causæ sunt certe his auctoribus dignissimæ, sed circa ipsas tres oriuntur dubitationes. 1. quomodo fœtus dum nutritur, post tertium mensem possit cõsumere sanguinem superfluum, & excrementitium, ita vt non corrumpatur, siquidem Galenus dicit libro de semine, & fœtus conformatione, fœtum nutriri solum sanguine puriori; Si hoc est, excrementitius relinquetur, retentusque corrumpetur, & sic multo magis debet corrumpere appetitum.

2. Vnde oriatur appetitus rerum adeo externarum: vt scilicet aliæ mulieres appetant carbones, aliæ gypsum, aliæ calcem: est enim res maxime admiranda.

3. Cur fiat, vt populi aliqui vescantur carnibus Elephanti, alij locustis: & circa hoc dubitari potest, an isti populi sani sint, quoniam si sani essent, proculdubio appetitum naturalem haberẽt: quod autem nõ sit naturalis talis appetitus, probatur, quia fames naturalis est instituta propter indiuidui conseruationem: Igitur etiam appetitus naturalis destinatus est a natura ad nos conseruandos, & nutriendos; iam vero carnes Elephantum, & locustarum non videntur ex natura esse; & probatur, quoniam refert Agatarchides, populos qui vescuntur locustis cito mori, atque quodam horrendo morbo corripi, propter vsum carnis huius animalis.

Vnde oriatur appetitus rerum externarũ. Auic. opinio.

Ad primum respondeo, verum esse, fœtum nutriri optimo sanguine, non tamen propterea hoc sequi, quod post tertium mensem remaneat sanguis excrementitius, qui debeat corrumpi, eo quoniam vt ibidem Galenus tradit, hoc tempore mulieres parum comedunt, multum vomunt, ita vt ex inedia, & vomitu consumatur quicquid inest sanguinei excrementi, simulque sanguis optimus qui superfluus est, inaniatur.

Ad secundum dico, id solutu difficilius esse, ob varias scriptorum sententias: Auic. huius fuit sententiæ, quod Pica fiat ab humore non familiari seu consueto, & propterea requiri aliquod contrarium, quod huiusmodi humorem extinguat, aut corrigat; & propterea quęcunque mulieres appetunt, appetere vt remedia. Obijciat quis Auic. contrarietatem hanc non reperiri: Respondent aliqui pro Auic. hanc contrarietatem esse occultam, & sensibus nostris immanifestã, ita vt sententia Auic. sit, appeti res diuersas, propter humores, non consuetos in ventriculo existentes, qui exigunt contraria, vt remedia.

Refutatio.

Sed hæc sentẽtia mihi non probatur, propter multas rationes: vna, quia si verum esse, appeti has res tanquam res contrarias, sequeretur, vbi fruuntur mulieres rebus optatis, semper melius habituras, sed experientiæ hoc repugnat, quia sępenumero contingit, vt quanto magis rebus tantopere desideratis fruantur, tanto magis lædantur. Altera ratio est, quod si demus humores hos non consuetos admittere, & requirere contraria, peto ab Auicenna cur mulieres non potius exoptent contraria consueta, quam insueta; nam semper cupiunt res a consuetudine remotissimas, propterea peto ab Auicen. cur si isti humores exigunt contraria, potius hæc exoptent, vt pote gypsum, carbones, calcem, quam alias res, sunt enim multa, quæ possunt esse contraria his humoribus, & tamen ea non appetunt, sed hæc peculiaria; præterea videmus ex vomitu, quod mulieres euomunt humores acidos, nihilominus tamen res acidas appetunt, ita vt nõ sit dicendum tali appetitui contraria esse, vt remedia.

Tralliani opinio.

Trall.lib.2.problem.63. aliam sententiam secutus est, scribens huiusmodi appetitus fieri in mulieribus, nō ratione contrarietatis, sed similitudinis, vt scilic. appetant carbones, quoniam in ventriculo sunt humores carbonibus similes, & sic de alijs; quam secuti sunt omnes recentiores Medici.

Refutat.

Quæ tamen Alex. sententia mihi non probatur, & tribus potissimum rationibus moueor. 1. quoniam si verum esset, fieri propter similitudinem humorum, sequeretur, vt si fruantur rebus optatis, semper malum augeretur, eo, quod simile a simili augetur: sed contrarium apparet, quoniam refert Fernel. se quendam nobilem virum vidisse, qui cum appeteret calcem, & insignem eius copiam esitasset, nullum nocumentum accepit.

2. Si consideremus res, quæ optantur a pręgnantibus, nullam prorsus similitudinem habent, neque habere possunt, cum humoribus; quæ enim similitudo calcis esse potest, aut carbonum, cum humoribus.

3. Videmus prægnantes vomitu reijcere res modo acidas, modo salsas, neque tamen simile quid concupiscere. Quare Alex. sententia multa patitur absurda.

Plutarchus

Plutarchus in quæst. natural. quæst. 26. censuit oriri ex intemperie corporis, propter quā humores vertuntur in qualitates acres, dulces, aliasque insolitas, & absurdas. Fuerūt aliqui, qui huius problematis rationes reddentes, dicunt, ex humoribus corruptis in pręgnantium stomacho quoddam veneni genus generari, quo prægnantes dementantur, & illa appetunt, quæ appetere non debent, vt accidit commorsis a cane rabido, qui cum delirant, mēte male iudicantes timēt aquam, quam non deberent timere. *Alia opinio.*

Refutat.

Sed neque hæc sntia admodum firma est, propterea, quod difficile admodum est intelligere, qua ratione in prægnantibus corrupti sint humores, & hæc faciant potius, quam in alijs. Adhæc contingit sæpissime corrumpi vehemēter humores in corporibus pręgnantium, vt apparet ex vomitu, & alijs morbis, neque tamen semper huiuscemodi appetitibus tētantur. Vltimo, quod quæritur, cur potius appetant mulieres calcem, & carbones, quam aliud quid, ex horum sententia intelligi non potest, qui putant propter mentis alienationem hoc sequi.

Auctoris iudicium.

In re, vt puto, difficilima quid dicam certe non habeo, nisi refugiam ad sacram illam anchoram qualitatum occultarū, scilicet, quod tales affectus in prægnantibus non aliunde oriri possunt, nisi a qualitate occulta humorum exortorum in corpore, & stomacho pręgnantiū: nam videmus quosdam proprietate occulta abhorrentes quædam ciborum genera, vt refert Petrus Apon. de quibusdam Germanorū populis, qui abhorrent pisa; & ego habeo puerum, qui a primis natiuitatis diebus abhorruit a caseo, adeo, vt neque odorem eius ferre possit, cū sit alias sanissimus, & non possum ego existimare hoc aliunde contingere, quam propter qualitatem aliquam occultam. Et quod dico de hoc, pariter de alijs pueris, qui terrā frequenter appetunt, intelligendum est; id enim aliunde sane non potest proficisci, quam a qualitate occulta, & secreta.

Cur quidam populi victitent ex locustis.

Tertium problema de ijs erat, qui appetunt carnes humanas, & crudas, de illis, qui victitāt ex locustis, vnde nam hoc oriatur, & an debeant dici corpora sana. Huius problematis solutio allata est a Pluta. in quæst. natural. vbi quærens, cur nonnulla animalia cū male valeant, certos q̄rāt cibos, vt canes gramē, testudo origanum, sues cancros: inter alia, quæ dicit, hanc potissimū videtur afferre rationem, quia appetitus consequuntur naturales temperies corporis, & prout varię sunt temperaturæ, sic etiam fiunt appetitus diuersi, vt, inquit, euenit in prægnantibus. *Plutarchi Responsio.*

Dicendum est similiter, hos populos, qui hisce delectantur cibis, ideo eos appetere, quia peculiares quasdam habent temperaturas, merito quarum varij fiunt, & diuersi appetitus, quæ temperaturę etsi sint extra naturam, non est tamen existmandum, non esse hos homines intra sanitatis terminos constitutos. Et hoc est, quod Arist. 7. eth. 5. dicit, hos homines, qui delectātur carnibus humanis, & ferinis, habitus ferinos gerere.

Cur potius absurdi cibi quam potus appetantur.

Sed cum iam his problematibus satisfactum, dubium restat, cur sit, quod prægnantes, & interdum etiam viri, appetant adeo absurdas res, quo ad cibos, & non adeo absurdos potus. Respōdeo id quoque cōtingere, vt potus absurdi desiderentur, prout docuit expresse Gal. 2. de symp. caus. 7. sed cur raro id fiat, cogitaui, quæ esset huius rei ratio, cum a nemine hoc disputatum inueniam; pro hac vice nullam potiorem inuenio causam, quam, quod sicuti naturaliter dispositi omnes magis variorum ciborum generibus vtūtur, quam potuum, sic fieri, vt pręter naturā affecti potius errent in varietate ciborum insuetorum, quam in varietate potus. Sed de his, & alijs scitu dignissimis tractabitur, cum de inappetentia, & fame canina sermo habebitur.

Signa.

Signa huius affectus ex sola ægrorum relatione comparātur, quia audiemus semper, & viros & mulieres hæc sua desideria inculcantes, adsunt anxietates, & morsus ventriculi, emaciantur eo quia si fruantur optatis, non nutriuntur, si optatis careant, anguntur, ita, vt quacūque ratione emacientur.

Prognostica.

Malum sane hoc est periculosum, quoniam, vt Rases dicit, subsequuntur nauseæ, Cachexiæ, hydropes, vermium generationes, & alia plurima mala pene lethalia: Estque notādum ex Aui. facilius curari ægros eos, qui appetunt acida, & acuta, quam qui terram, & carbones.

Curatio.

Curationis ratio tota posita est in euacuatione humorum, & in malæ temperiei correctione, ad quam omnium maxime conducit viuendi ratio recte instituta, vt sit aer temperatus, nullo modo crassus somnus, qui humores concoquat, procuretur: animi accidentia vehementia vitētur, nimia quies, & nimium otium obest: sit moderata exercitatio, aluus lubrica pręsertim clysteribus seruanda, quia hoc pacto a ventriculo leuissime humores praui educuntur. *Victus ratio*

Potus. Potus debet esse iucundissimus, vt est vinu odoratum, suaue, potens, generosum potius quã tenue, nam vina generosa non solum dissipant, & exsiccant humores, verumetiam eos simul cum prauis qualitatibus corrigunt, & hebetant. Sic cibi debent esse optimi succi, panis semper conditus aniso, coriandro, caryoph. vel cinnam. Carnes auium omnium sunt accommodatissime presertim columbarum assatarum, quia non manifesta solum qualitate, imo potius qualitate occulta aduersus prauos appetitus faciunt. Vitandæ autem sunt omnes carnes crassæ, & viscidę, vnde agninę, caprinæ, & similes non laudantur, propter suam crassitiem, & viscidıtatem.

Portulaca. Rabbi Moyses 20. aph. scribit, portulacam a proprietate occulta valere contra appetitus depruatos. Ad idem valet etiam sinapi.

Denique cibi omnes condiendi sunt aromatibus, & ita cõditi maxime conferunt. Laudat Auicen. in secunda mensa vinum amygdal. Laudat etiam rutam, quam tũ ipse, tum alij in hoc casu maxime prodesse scribunt.

Ruta. Sed dubium est de ruta, quia Plut. 3. symp. 1. ex sententia Medicorũ scribit, rutam esse vocatam a Græcis πήγανον, eo quod πήγνυσι, i. condensat semen, propter quod dicit nocere prægnãtibus. Igitur cõtradictio est inter Plut. & Auic. Respon. prægnantes posse duobus modis intelligi, vel quæ vtero iam gerant, vel quæ concipere cupiunt: si de prioribus loquamur, ruta non nocet prægnantibus, imo sua siccitate, & virtute illa exsiccatoria consumere potest prauos humores ventriculo inexistẽtes, sed si loquamur de illis, quę cupiunt concipere, nocet, quia impedit conceptum condensando semen, imo nocet animæ, quia est species homicidij, vt locutus est Tertull. Ad hæc pyra, cydonia cocta, & cinnam. conspersa iuuant. *An ruta prægnantib. conueniat.*

Sed quid si hæc omnia non iuuarent mulieres? Auicẽna & alij duos nobis modos proposuerunt, quibus his extremis casibus succurrere possumus. 1. vt quæcunque optantur ab ipsis, conspurcentur & fœdissime parata offerantur, vt si cupiant carbones, elixentur vna cũ fimo, stercore, atque vrina, atque ita illis offerantur, vt scilicet horrore rerum fętidarum perculsæ deponant desiderium.

2. Modus, & forsan ciuilior, vt parentur edulia ita, vt assimilentur rebus optatis, vt si petierint calcem, fiant edulia ex carne, & saccharo, ita vt constructa æmulentur calcem, si carbones, parentur in forma carbonum.

Victu instituto statim ad prauorum humorum expurgationem veniendum, & primo si vomitu possunt educi, melius est expurgare vomitu quã re alia. Nec moueat vos authoritas Alex. qui uidetur damnasse vomitum in prægnantibus, quoniam cum pręcipio uomitum, non uehementẽ, sed moderatum puto, nec uideo uehemẽtes etiam motus usq; adeo in prægnãtibus esse damnandos, quandoquidem experientia comprobatum est, multoties pręgnãtes laborare uomitu, nunquam tamẽ, uel raro abortire. Probatur igitur uomitus ex decoct. raph. butyro, aqua tepida cum aceto.

Sed si non poterit fieri, vt uomitu humores expurgentur; videndũ an prægnantes sint ante tertium mensem; si in tertio, est Hipp. oraculum, has mulieres non esse medicamentis purgantibus tractandas. Sin autem sint extra tertium mensem, poterunt purgari: tum igitur sic humores parentur.

Præparans.

℞ *Fol. rutæ.*
Melissæ.
Acetosæ.
Origani. an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde ℞ *d. d. ℥. iiij.*
Oxym simpl.
Syrup. de menta.
De beton. an. ℥. ß. M. & f. potio quæ accõmodatissima erit ad præparandos quoscunque humores in uentriculo appetitum corrumpentes.

Purgans. Præparati autem erunt purgandi, quoniam in his casibus, in quibus qualitates occultæ operantur, Medici non possunt esse certi, quod genus humorum præcipue peccet, ea propter medicamenta componenda sunt, quæ possunt omne humorum genus expurgare; ut est hoc.

℞. *Agar. trochisc.*
Rhab. electi. an. ℈ ij ß.
Cinnamomi.
Macis.
Squinanthi. an gr. v.
Diarrhod.
Confect. hameck an. ℥. ß. M. & f. bolus. quod medicamentum ad deuorandum hoc in casu erit præstantissimum.

Linimentũ. Vbi euacuati sunt humores, studendum est soli ablationi intemperiei, quod consequemur medicamentis intrinsecis, & extrinsecis. Extrinsecus hoc utemur linimento.

℞. *Ol. rutæ.*
Ol mastich.
Ol. Caryoph. an. ℥. iij.
Macis.
Polij.

Ladani an.℈.ß.
Moschi gr.iiij.
Ceræ parum. M. & f. linimentum.

Similiter ex rebus odoratis, quæ possunt exsiccare, componemus fomentationes, vt est hęc:

Fomentum.

℞. *Ligni aloes.*
Croci.an.ʒ.ij.
Fl. rosarum.
Chamom an.P.ß.
Fol. absynthij.
Rosarum an.li.v.
Vini albi li.ij.M.& cum spongia fomentetur ventriculus.

Intus conueniunt Diamoscus, Diambra, Theriaca, Mithrid.dianisum, Diacoriandrum. Soleo ego vti hoc medicamento felicissime.

Experimentum in Pica.

℞. *Sinapis.℈.ß.*
Ossium columb. assatorum & in cinerem redactorum.ʒ.j.ß.
Sem portulacæ ʒ.j.
Cinnamom.℈ ij.
Succi cydoniorum ℥.ij.
Sacch.albissimi ℥.iij.f. mixtura in duplici vase ad lentum ignem, & huius capiatur vna vice summo mane.℥.ß.

Notandum postremo est, in parandis omnibus ferculis, & medicamentis, conferre, vt in his casibus omnia nitide, & suauiter componantur, ideo quoque licet alicui hæc medicamenta in duplici vase coquere, quod semper vtilissimum est, eo enim medicamenta redduntur suauiora, & vtiliora.

CAPVT VII.

De inappetentia.

QVomodo appetentia in animalibus induceatur, variæ fuerunt philosophorum opiniones. Emped. dixit eam fieri ex inopia alimentorum. Democr. ex dissonãtia meatuum, & corpusculorum. Maior pars recte sentientium fuit eius sententiæ, quod fames oriatur ex defectu alimenti, & hanc habuerunt Arist. & Plato: famem enim & sitim esse tristitiam quandam dixerunt.

Est igitur essentia appetentiæ, & tota eius natura indigentia quædã; sed quoniam præter indigentiam & inopiam, ad inducendam famem concurrunt duæ aliæ actiones scil. oris ventriculi suctio facta propter indigentiam, & suctionis perceptio, ideo tota appetitus essentia in hoc est, quod sit perceptio suctionis in ore ventriculi, facta ex indigentia, Itaque vbi non est suctio, vel si fit, non percipitur, dicitur appetentia destrui, & diminui, ita vt si nullo modo percipiatur, neque fiat suctio, dicitur a Galen. ἀνορεξία, vt testatur 1. de sympt.caus.7. dicitur ab Hipp ἀποσιτία, vt idem Gal. testatur in lib. linguarum, & vt dixit Hipp.4. Aphor.17.

Appetitus essentia in quo cõsistat.

Altimarus Græcæ linguæ ignarus, putauit apud Hippo. idem esse ἀποσιτίαν, ἀνορεξίαν, & ἄσην seu anxietatem: sed anxietas non minus distat ab inappetentia, quam cælum a terra: nã ἄση est corporis quædam inquietudo: sed Altimarus fuit deceptus ab interprete Hipp.4.acut.90.& 5.aph. 61. qui pessime fuit interpretatus vocem illam.

Est itaque inappetentia, seu ἀνορεξία, quando nec a facultate naturali, nec animali appetitur cibus, & est quando nullo modo percipitur suctio oris ventriculi. Vbi vero suctio fit quidem, sed obscurissime, ita vt naturalis facultas appetitrix non moueatur, sed solum facultas animalis, fit appetitus diminutus, vel appetitus deiectio, & a Galen. dicitur δυσορεξία Galen. primo epidem.comm.1.tex.29. dicit, eos qui habent appetitum deiectum dici ab Hippoc. ἀσίτους, alios vero qui non solum nihil appetunt, sed oblatos cibos respuunt aut offerri recusant, vocari ἀποσίτους.

Ἀνορεξία: quid.

Δυσορεξία. quid.

Itaque differt deiectio appetitus ab inappetentia, quoniam in inappetentia neque voluntarie neque naturaliter mouentur homines ad capiendum cibum; in deiectione autem appetitus, etsi naturaliter non moueantur ad capiendum cibum, mouentur tamen electione seu voluntate, quia etsi non appetunt cibos, non tamen respuunt oblatos.

Inappetentia igitur, & deiectio appetitus (de his namque simul agemus) sunt symptomata in genere actionis naturalis, & appetitricis læsæ: læditur autem facultas appetitrix ablate in inappetentia, diminute vero in deiectione appetitus.

Locus affectus est os ventriculi, cum enim hæc pars sit instrumentum famis, & appetitus naturalis, necessario est sedes vitiatæ appetentiæ. Morbus autem, a quo dependet hoc symptoma, est intemperies ventriculi, tam cum materia, quam sine materia. Materia autem vel in ipso vẽtriculo generatur, aut aliunde ad ventriculum transmittitur, dicebat enim magnus ille Auerr. 3.collect.32. quod cum omnis operatio naturalis fiat a temperatura partis, necessario etiam corrumpitur, & destruitur operatio ab intemperatura eiusdem partis.

Locus affectus.

A quo morbo dependeat.

Cur fiat a frigid. intemp.

Sed dubitatio est, vtrum inappetentia fiat ab omni intempetie, tam a calida, quam frigida. Tral. lib. 7. & Aegin. lib. 3. cap. 37. manifestis verbis docuerunt, anorexiam fieri tum a frigida, tum a calida. Sed duas his contrarias sententias inuenio. vnam qua ostenditur fieri a frigida tantum, alteram quam demonstratur solum fieri a calida. A frigida lædi, hoc est, auferri, & imminui, probatur ex Auicen. quod frigida intemperies destruat, & imminuat operationes, calida autem deprauet, & corrumpat. Cum igitur inappetentia, & appetitus diminutus sint operationes ablatæ, & diminutæ, videtur constituendum esse fieri a sola intemperie frigida. Huic sententiæ videtur fauere auctoritas Aristot. 2. de Animal. quando dixit famem esse appetitum calidi, & sicci.

Cur a calida intemp.

Ex altera parte est auctoritas Galeni & Auic. Galeni quidem, quia is in arte med. tradens signa frigidi, & calidi ventriculi dicit, frigidum ventriculum bene appetere, & male concoquere, contra calidum: vt videatur certa Galeni sententia, inappetentiam fieri potius a calida intemperie. Idem 1. de sympt. caus. 7. dicit, melancholiam sua frigiditate appetitum facere, id quod etiam multo luculentius tradidit Auic. 1. 3 trac. 1. cap. 5 6. dum inquit destrui, & imminui a frigido, corrumpi vero seu deprauari a calido, quare inappetentia, & appetitus diminutio nequaquam ab intemperie calida fiunt.

In hac dubitatione dicēdum puto, intemperiem aut modicam esse, aut insignem: si insignis sit, quęcunque sit siue calida, siue frigida, destruit, & appetitum imminuit: si autem non insignis intemperies, dico frigidam potius facere appetentiam, quantum sit ex sese, & calidum facere inappetentiam, non quidem quia refrigerent, vel calefaciant, sed quia frigida intemperies corrugat, & exsugit os ventriculi, sicuti calida relaxat, emollit, & replet, quæ actiones incōmodant magnopere appetitui.

Causæ inappetentiæ.

Galenus & Auic. satis confuse & implicite, proposuerunt causas inappetentiæ, sed quia hunc affectum quotidie Medici præ manibus habent, vtilissimum est, omnes causas indagare, & cognoscere; propterea vt facilius memoria tenere possitis, eas sub sex capitibus diserte, & proponere, & declarare conabor. Nam non fit appetentia, vel quia non euacuatur corpus, nec vlla fit resolutio, vel quia non fit exsuctio oris ventriculi; vel quia si fiat, non percipitur, neque sentitur, vel quia instrumentum omnium operationum nempe calor læditur, vel quia humor melancholicus, quem dicunt Arabes mitti a liene per venam in os ventriculi, ad excitandam famem, non mittitur, vel quia peccatur in cibis, aut quantitate, aut substantia, aut qualitate, aut tempore, aut ordine, aut præparatione, & condimento.

1. Quia non euacuatur corpus.

Non euacuatur neque resoluitur corpus, vel quia nimis plenum est, vel quia nimis obstructum. Fit autem plenum corpus, si vel retineātur euacuationes consuetæ, vt menstruorum, hæmorrhoidum, vel si retineantur fęces & excrementa: nam scribit Hipp. 4. de morbis ex retentis fęcibus repleri corpora, & morbos ex plenitudine oriri: repletur præterea vbertate, & copia succorum, & præsertim crudorum humorum: nam hac ratione possumus reddere causam effectuum quorundam mirabilium, relatum enim est a Dino Medico fuisse mulierem quandam suo tempore, quæ septem annis sine vllo appetitu, & cibis vixerit. Albertus etiam Magnus narrat, fuisse multos qui & 6. & 7. & pluribus mensibus sine cibo vixerunt. Sed quod omnem admirationem superat, est quod narrat Olym. de sententia Aristot. hic enim in com. ad Phœdonem Plat. scribit, Arist. testatum esse, se vidisse quendam, qui toto suæ vitæ tempore, nec comedit, nec dormiuit, & addit, hunc quoties nutriri voluit, sese exposuisse soli. Et Plut. 8. sympos. 9. refert auiam Thimonis Philosophi duobus mensibus consueuisse singulis annis in Sicilia latere in cauernis sine cibo. Et certe illud fieri potest, vt aliqui homines inueniantur vsque adeo pleni crudis, & frigidis humoribus, vt possint, & viuere, & consistere pluribus mensibus atque annis sine appetitu, & cibo externo.

Otium quoque ex causis est, quibus repletur, & cōsequenter sine appetitu sit, vnde cum Socrates ambulabat, dicere solebat, ea exercitatione sibi obsonare famem, quasi motus appetitū faciat, & otium inappetentiam.

An frigus externū sit causa inappetentiæ.

Obstruitur autem corpus, ita vt inappetentiam faciat, vel vsu balneorum adstringentium, vel aliqua alia causa obstipante. Auicen. hic numerat etiam frigus externum.

Sed in Auic. apparet contradictio; nam 13. tertij trac. 1. cap. 7. scribit frigus externum appetētiam excitare, & probat exemplo populorum septentrionalium, qui famelici esse solent. Idem etiam scriptum est ab Hipp. in lib. de aere, aquis, & locis, imo ratio docet ita rem se habere: siquidem frigore externo calor naturalis augetur, & consequenter corpus magis euacuatur, & appetit, vt inde animalia hyeme melius habere competiantur.

Vt autem hæc contradictio tollatur, dicendum est, non quodlibet frigus inappetentiam facere, sed illud, quod pręter constipationem inducit etiam facultatis mortificationem. Alterum genus causarum, quod scilicet non fiat suctio oris ventriculi, oritur, vel quoniam facultas expulsiua membrorum expellit, & cum expellat, non potest attrahere a membris, quoniam hæ duæ facultates, expultrix & attractrix, raro simul operantur, hoc autem dicit Auic. contingere in febribus, in quibus non fit appetentia, quoniam membra expellunt, & cum expellant, non possunt attrahere: quanquam multæ sunt aliæ causæ, cur in febribus non fiat appetentia, scilicet immodica sitis, & intemperies, & multa alia de quibus hic non est dicendi locus, vel quoniam attractrix facultas debilis facta est: fit autem debilis propter duo, scilicet intemperiem, & immodicam euacuationem præsertim vero sanguinis.

Quo-

Quod autem suctio non sentiatur, [quod erat tertium genus causarum] fit, vel, quoniam facultas sensatrix non mittitur a cerebro, vel quoniam non dimittitur a neruis, vel quoniam non recipitur a stomacho. Non mittitur a neruis, vel quoniam cerebrũ ipsum patiatur, vt in phrenitide, & melancholia, in quibus non fit appetentia, quoniam facultas sensatrix ob cerebri ęgritudinem non transmittitur ab ipso: aut non mittitur a cerebro, quoniam alio deflectitur facultas quam ad ventriculum, vt est in mœroribus, in profundis cogitationibus, nam & qui mœrore capti sunt, & qui profunde cogitant, non appetunt.

Vel non dimittitur a neruis; nerui enim sextæ coniugationis sunt canales, per quos sensatrix facultas mittitur ad os ventriculi, vbi hi nerui ita compressi sunt; vt facultas permeare non possit, fit inappetentia.

Stomachus læditur 1. per essentiam.

Vel quia stomachus non recipit, non recipit autem propter multas causas, vel, quoniam est læsus per consensum, aut per essentiam. Per essentiam læditur, quando aliqua insigni intẽperie affectus est, quando humoribus prauis repletus, quando a vermibus infestatur. His omnibus de causis efficitur, vt stomachus recipere non possit actum & efficaciam appetitricis facultatis.

2. Per consensum.

Per consensum, quando afficitur aut propter affectum iecoris, aut meseraicarum venarũ, aut gulæ, renum, intestinorum, vteri, aut totius corporis. His omnibus modis afficitur stomachus, vt nullo modo recipiat facultatem appetitricem, & appetentia non inducatur.

4. Quia calor natiuus est offensus.

Quartum genus causarum inappetentiæ est earum, quæ calorem natiuum offendunt; cum enim calor sit verum & immediatum instrumentum omnium animæ operationum, si lædatur, necesse est operationes lædi. Læditur autem calor vel dissipatis, aut imminutis spiritibus, vt in immodica lætitia, coitu, ieiunio longo, & similibus. Sic etiam in timore ac mæstitia insigni, potu rerum frigidarum, aut venenorum natiuus calor fere extinguitur. Læditur præterea, ab immoderantia caloris præter naturam, hinc in febribus fiunt inappetentiæ, quia natiuus calor violatur a calore febrili.

5. Quia impeditur melancholię ingressus in os ventriculi.

Quintum genus est causarum impedientium melancholiæ ingressum in os ventriculi. Fuit enim Arabum hæc receptissima sententia, naturam a liene fabricasse venas, & ductus quosdam in os ventriculi, per quos trasmissus melancholicus succus appetitum inducit itaque si obstruantur hi ductus, ita, vt sanguis melancholicus non pertingat ad os ventriculi, aut idem sanguis per alias partes, vt per anum, vel per vterum in immẽsum euacuetur, certum est appetitum magnopere lædi.

6. Quia peccatur in cibis.

Postremum genus est causarum pertinentium ad cibos; nam sicuti cibi crassi, & pingues appetitum destruunt, sic etiam cibi dulces; dicebat.n. Arist. 22. probl. 8: cibos dulces appetitũ tollere, eo quod vẽtriculum statim, & nimium repleant. Sic si plures cibi sumantur quam par sit, incommodant appetitui, quemadmodum si nimium calidi actu. Haud secus etiam incõmodãt, si tempore importuno sumantur, vt si nouus cibus ingeratur priusquam prior sit confectus; si indebito ordine, vt si pinguia, crassa, dulcia edulia prius sumantur, quam acida, & acuta, appetitum labefactant. Sic male parati cibi, vt vel frixi, vel nimio butyro aut ol. cõditi, aut nimia pinguedine. Addit Auic. appetitum offundi, si cibi consueti nimis offerantur, aut si ministrentur a seruis immundis, sordidis, fœtentibus, turpibus, vt a Mauris.

An consueti cibi inappetentiam faciant.

Sed de cibis consuetis est quidam scrupulus adimendus, nam Auic. scribit, consuetos cibos inappetentiam facere. Sed contra scribit Hip. 2. aph. quæ consueta sunt minus offendere, quam insueta. Præterea Aristot. 22. probl. manifeste scribit, panem cibum vsitatissimum, homini nunquam fastidium inducere, quanquam Rabbi Moyses 10. sect. aph. scribat, ex sententia Gal. inuẽtum esse aliquem, qui abhorrebat panem, & hunc curatum esse medicamentis. Dicendum est quæ consueta sunt, vel sunt naturalia, vel non naturalia. Si non sint naturalia, vtique fastidium pariunt ciborum, & de his loquitur Auic. si autem sint naturalia, secus est, quia naturalia, vt dicit Arist. loc. cit. nũquam fastidiũ pariunt; & propterea disertissimus Theoph. lib. 4. de Hist. plãt. cap. 10. dicit frumentum esse cibum a natura homini datum sicut hordeum equis.

Habetis igitur catalogum causarum inappetentiæ, tam internarum, quam externarum, circa quarum considerationem sex occurrunt pulcherrima, & scitu vtilissima problemata.

Sex problemata.

1. Cur fit quod aliqui priusquam cibos edãt, nullum appetitum habent, quam primum autem edere incipiunt, statim appetunt.
2. Cur ex aduerso alij priusquã edant appetũt, vbi vero edere incipiũt, statim appetitus sedatur.
3. Cur alij delectentur dulcibus, alij pinguibus, alij acidis, nonnulli amaris.
4. Cur acida, & acria edulia excitent appetitum.
5. Vtrum necessarium sit læso appetitu, simul etiam lædi gustum.
6. Cur, quo magis ieiunatur, eo sæpe fit, vt appetitus minor fiat, quod tamen non deberet esse.

Cur appetitus inter edẽdum crescat.

Ad primum Auic. proponit duas causas, vna est, dum cibus sumitur, qualitatem eam quæ impedit os ventriculi, ab ipso cibo elui, & emendari, & propterea appetitum reuiuiscere, altera ob ingesto cibo facultatem attractricem, quæ veluti sopita iacebat, excitari, & excitatam os ventriculi sugere, ac propterea appetitum oriri.

Cur edere incipientib. appetitus prosternatur.

Contra autem contingit, vt appetitus qui prius aderat, destruatur, vel quia ex cibo ingesto vapores eleuantur, qui os ventriculi inficientes consequenter appetitum destruunt. Vel fit vt cibi præcipitati in fundum ventriculi, humores terros ibi existentes sursum attolli faciant, vbi percutientes os ventriculi, appetitum prosternunt. Quanquam etiam potest esse hoc ipsum, propter qualitatem ipsorum ciborum, vt si cibi crassi, pingues, vel naturæ aduersi sumantur.

Cur alii aliis saporum differentiis oblectantur.

Ad tertium dicendum id, quod dicit Galenus primo de sympto. cau. sexto, homines, qui optime constituti sunt, & corpus temperatum habent, delectari dulcibus, & iure, quia dulcia temperatura sunt, & propterea temperatis corporibus amica, & iucunda sunt. Quæ igitur corpora recedunt ab huiusmodi temperamento, prout magis vel minus recedunt, sic hos vel illos sapores magis amant, & magis quærunt. Vnde qui habent stomachum nimis tenuem, & sensibilem abhorrent acida, acria, acuta, quia ab his ventriculi ipsorum nimis tenues offenduntur, & veluti lancinantur. Contra qui habent stomachum, obductum humoribus viscidis, crassis, & lentis, amant acuta, acida, acria. Et hæc est ratio, cur senes, vt in præcedentibus etiam notauimus, amant vina generosa, & acuta, quia cum habeant ventriculum obductum frigidis, & lentis humoribus, nisi a re acuta ipsis excitetur appetitus, non percipiunt, neque delectantur.

Cur acria excitent appetitum.

Et hæc est etiam causa [respondeo ad quartum] cur acuta, & acria excitent appetitum, quia sua aciditate, & acrimonia non solum extenuant humores, & dissecant, verum etiam sua acuitate pungunt, & stimulant os ventriculi, vnde postmodum appetitus oritur, quemadmodum dicit Plut. 6. sympos. 2.

An læso appetitu etiam gustus lædatur. Fernel.

Quo ad quintum problema. Fern. clarissime dixit interdum contingere, vt læso appetitu etiã gustus lædatur. Sed vt huius veritas a vobis intelligatur, petenda est a notione vtriusque. Audiuistis, quid sit appetitus, gustus autem nihil aliud est, nisi operatio animæ sensitiuæ circa sapores: nam vt docuit Arist. in lib. de sensu, & sensi. & 2. de part. animal. c. vlt. gustus datus est a natura animalibus, vt appetitus dirigatur, nisi n. appetitus animalium gustu gubernaretur, fieri posset, vt quodcunq; obiectum appetitum animal sumeret, atque ita detrimentum perciperet. Vt igitur vitaretur hoc periculum, & malum, prospexit natura animalibus gustum, cuius operatio interdum fit cum voluptate, interdum sine voluptate: læso appetitu læditur semper operatio gustus cum voluptate: sed operatio simpliciter ipsius gustus, id est distinctio saporis a sapore non necessario semper offenditur.

Cur autem læso appetitu lædatur gustus operatio, quæ fit cum voluptate, ratio est, quia vera gustus sedes, ac organum est in summitate linguæ, ex Arist. locis citatis iam vero os ventriculi, & lingua communem tunicam sortiti sunt, propterea cum in appetitu semper lædatur os ventriculi, communicatur læsio linguæ, & hinc instrumentum gustus, ita afficitur, vt neque percipere, neque discernere sapores valeat, cum voluptate.

Ad sextum problema respondendum est, id quod respondent Phauorinus, & Erasist. apud Gellium lib. 16. c. 3. nam Erasistratus Medicus in lib. diuisionum scribit, appetitum fieri non solum, quia intestina, & stomachus exinaniantur, verumetiam, quia vacua permanent, & cum natura vacuum, & cauum replere studeat, fit vt appetitus excitetur. Itaque dicit Erasist. vbi homines multum ieiunant, fit vt caua intestinorum, & stomachi simul cõcidant, atque ita hæ partes coarctatæ appetentiam tollant, & impediant. Addit Erasist. Scythas cũ volebant ieiunare, nec ab appetitu stimulari, consueuisse fascijs arctissime stringere stomachum, & intestina, adeo vt cauitates nullæ relinquerentur: Itaque videre potestis, quæ sit ratio, cur quo magis ieiunatur, tanto minus appetatur.

Signa inappetentiæ.

Signa inappetentiæ habentur ex relatu ægri. Similiter & causæ externę: sed quia complures sunt causæ procatarcticę, operæ pretium est diligentissime eas indagare, & diligenter ægrum percontari.

A causa externa. A causa interna. Calida. Frigida. A defectu resolutionis. Progn.

Causę internæ paulo maiori diligentia opus habent, vnde si inappetentia fiat a causa calida, cognoscetis, quia fiunt ructus nidorosi, sitis, desiderium rerũ frigidarũ, & inappetentia magna.

Quod si intemperiei coniungantur humores calidi, cognoscetis ratione oris ventriculi, amarore, vomitu bilioso, nausea, & si pituita salsa sit, sapore, & salsedine oris cognoscitur.

Si fiat a causa frigida, ructus acidi sunt, nulla percipitur sitis, calida exoptantur, & iuuant, inappetentia minor, nisi ita excedat frigiditas, vt penitus mortificet facultatem.

Si fiat propter defectum resolutionis, eo scilicet, quod corpora non exinaniantur insensibiliter, nec soluãtur, cognoscetis, quoniam multę fiunt egestiones, ad hęc corpora in otio viuunt, non exercentur, aut aliquã ex euacuationibus cõsuetis dimiserunt, vt phlebotomiam, vt coitũ: nã multi sunt, qui cum consueti sunt venerem exercere, si dimittant, appetitum etiam amittũt.

Summatim ad cognoscendas omnes causas inappetentiæ, necessarium est, & quę pręgressa sunt, & quę consecuta diligenter perspicere.

Quo ad progn. Hip. in lib. de arte veteri dicit, famem habere vim magnam ad perdendum, & debilitandum. Quæ sententia similis est illi, quam habuit 2. aph. vbi scripsit, bene se habere ad cibos, semper bonum esse: nam si hoc verum est, etiam vera negatiua propositio, non bene se habere, semper malum esse. Pessimum autem est, si sit inappetentia sine febre, si duret, aut si in conualescentibus, in declinantibus morbis, cum virium infirmitate fiat.

Nam dicit Auic. huiusmodi inappetentiam necessario recidiuam indicare; & ratio est, quia si vires infirmę sunt reficiendę, id fieri non potest sine cibo, vbi deest appetitus, aut cibi non sumuntur, aut sumpti nil prosunt.

Discrimẽ inappetentiæ.

Est tamen in generibus inappetentię nonnihil discriminis, minime mala omnium ea est, in qua non appetuntur cibi, sed tamen sumuntur; deterior si nec appetantur, nec sumantur, nisi cum abominatione: deterrima omnium, & perniciosissima est, quando nec appetuntur, nec vllo pacto sumuntur, vel sumpti reijciuntur. Cuius exemplum est in epid. apud Hippoc. de filia Orionachis, quę cum inappetentia occubuit.

Exitialissimę

Exitialissimę inappetētię.

Exitialissimę sunt omnes illæ inappetentię, quæ fiunt per inflammationem iecoris, vt habetis apud Hipp.1.in 3.epid.non minus exitiales sunt illę, quę fiunt in febribus pestiferis, de quibus sermonem habens Gal.3.in 3.epid.com.58.dicit eos, qui laborabāt in ea peste inappetentia perijsse, quod potius eligerent mori, quam cibum caperent, tanta erat inappetentia facta ob virosissimos succos os ventriculi obsidentes.

Curatio.

Curatio diminuti, & ablati appetitus eadem est, & propterea vtriusque curationem vnam proponam, si prius id vos monuero præsidia omnia, quæ adhibentur destructo appetitui, debere esse valentiora, quam quæ diminuto adhibentur. Scopus autem præcipuus est, vt causa effectrix inappetentię aboleatur. Et quia eiusmodi causæ solent in ventriculo impressionem insignē facere, ideo secūdus scopus est, vt causa ablata ventriculus corrigatur, & corroboretur. Quare si ventriculus afficiatur per consensum, ante omnia prouidendum est, vt illę partes a morbo vindicentur, quæ malum communicant. Si causæ sint externæ, omnes submouendæ, & medicamentis, cum internis, tum externis in ventriculo succurendum est.

Extrinsecus conuenit inunctio, & fomentum factum ex absynthio: Intus vero multa sunt, quæ ad excitandum appetitum proponuntur. Gal.6.de tu.val.6.compositionem proponit ex aceto, succo cytoniorum, zinz.& quibusdam alijs, quæ quoniam satis grata gustui est, nec difficilis paratu, mihi semper mirifice placuit. Vnde hortor etiam, vt vos, postulante vsu huiusmodi confectionem administretis. Valet etiam vinum absynthicum, quod apud plerasque gentes in vsu esse solet. Et Galen.in lib.de Theriaca ad Pis.narrat, sese cuidam vetulæ, ni fallor, appetitum pene ablatum restituisse solo absynthij vsu.

Victus ratio.

In omni genere inappetentiæ est quędam ratio victus communis, quam præ ceteris instituere oportet, vt scilicet aer temperatus eligatur, dicit Hipp.4.in epid.20.aquam, & vigilias voraces esse, hoc est, facere homines appetentes, & voraces: itaque vigilare optimum est: exercendum est corpus, & mane, & vesperi, aluus fluida sit. Sunt qui criminantur balnea, tanquam appetitum destruentia, sed Oribasius x.medic.collect.cap.7.& Aetius ex sententia Agathini referunt, & iure balneorum vsum appetitum concitare, scribunt enim Titum Imperatorem non potuisse cœnare, nisi prius lotus fuisset.

Potus autem in assuetis debet esse aqua, aut uinum generosum, odoratum, & uetustum, abstinere oportet a cibis oleosis, pinguibus, a butyro, quod solet inappetentiam facere, utendum est aromatibus moderate: nam dicit Auic.inter aromata crocum id habere, vt inappetentiam faciat, asiccantibus potius utendum, quam alijs, in his acetis, aceto, succo citri, aut succo granatorum, cappares, oliuæ, acetaria omnia, ad appetentiam faciendam conferunt. Quo in genere laudo auiculas aceto conditas, columbas, inter fructus, etiam illi, qui sunt odorati: qui aciditatem habent, neque crassæ sunt substantiæ conferunt.

Obseruatio.

Circa victus rationem sunt quædam obseruanda, 1.ut multum temporis inter cibum unum & alterum semper interponatur, sic enim ventriculus magis exinanitus appetere solet, 2. Antequam cibus capiatur, semper prouidendum, ut diligenter os ægri abluatur uino odorato, 3.curandum, ut arceantur vasa immunda, cibi male conditi, fætentes, fumosi, atque, ut omnia grata, & iucunda sint, quæ offerunt. Quapropter laudo, ut cibi fiant odorati; nam quemadmodum scribit Galen.3.de medicamentis loc.3.ea, quæ sunt grati odoris, omnia appetitum producere possunt, aut saltem eligantur, qui magis palato sunt accepti, dicebat enim Hippocr.cibum paulo deteriorem, sed suauiorem, semper esse præferendum insuauiori, licet meliori.

Cogendi ęgri ad cibum.

Si hæc auxilia non conferant, magnopere increpandi sunt ægri, vt quod non faciunt amore, faciunt timore: sunt enim aliqui, qui timentes mortem, si ea ipsius prędicetur, solent rebus suis consulere. Scitis, quod scribit Galen.3.in 3.epid.58. scilicet in ea peste eos tantum fuisse seruatos, qui sibiipsis vim inferentes cibum capiebant.

Curatio ex causa cal.

Instituto victu deinceps deueniendum ad causas inappetentiæ expugnandas. Et primum cogitare opus est, an a causa calida, an a frigida proficiscatur. Si a calida fiat, & intus, & extra refrigerare oportet. Laudat Auice.succum granatorum, sic etiam laudari possunt acetaria ex rebus refrigerantibus, vt ex Oxalide, endiuia: extrinsecus ol.rosaceum, omphacinum, ventriculo illitum vtile est.

Si causæ, seu intemperiei calidæ coniuncti sint humores, illi protinus euacuandi, quocirca, si vomitu reiici possunt, nihil melius excogitari potest, prouocabitur hic, vel penna illita oleo, vel digitis, vel aure, & aceto, vel mulso cum aqua. Trall. hoc in casu damnat mulsi vsum pro excitando vomitu, quia latenter inducat intemperiem in ventriculum; sed cum intemperies longo tempore, & frequentibus actibus introducatur in hoc casu nil videtur esse metuendum, siquidem semel, aut iterum vsurpatum mulsum, vel melicratum, non potest intemperiem introducere,

Si vomitu res peragi non possit, & materia potius ad aluum inclinet, eam medicamentis euacuantibus purgare oportebit. Ex.gr.

℞.Sacch.rosacei ℥.v.
Pulu.myrobal.chebul.ʒ.j.
Pul.rhabar.℈.iiij.M.& f bolus.

Vel *℞.Myrobal citrinorum ʒ.ij.*
Sebesten n xij.

Sem. citri ℈.j.
Fl cordial. P. j ſ decoct. ſ.a.
℞. d d ℥. iiij.
Rhab. electi ℈. iiij.
Spica gr. iv infundantur ſ.a.
Deinde facta expreſſione adde ſyr. roſ. ſolut. ℥. iij. M. pro potu.

Euacuatis humoribus calidis, poſt corroborandus erit ventriculus, exterius ol. myrt. roſ. omphac. Intrinſecus talis confectio conuenit.

℞. Succi granatorum.
Succi cytoniorum. an. ℥. j.
Succi ſeu acidi citri ℥. ß.
Carnis pomorum acidorum in vino coctorum, & per colum tranſmiſſorum ℥. j. ß.
Sacch fini albi lib. ij. M & f. confectio. Cuius portio ante cibum accepta appetitum recreare ſolet.

Si fiat a cauſa frigida, vniuerſa victus ratio ad calidum declinare debet, deinde opus eſt calefacere, & intus, & extra: extra ol. nardinum, de menta, de ſpica, caryoph. vtilia ſunt, intus autem conuenit diaſpolliticum, diatrionpip. aromat. roſatum.

Quod ſi frigidi quoque humores frigidæ intemperiei coniungantur, opus eſt eos præparare, & præparatos euacuare: quia vero ſæpius audiuiſtis, quomodo ſint præparandi, & euacuandi huiuſmodi humores, non eſt opus eadem inutiliter repetere. Illud tantum moneo, vt quotieſcunque pręparandi vobis erunt humores in ventriculo exiſtentes vtamini ſyrupis, verbi gratia, Melle roſ Oxymel. ſimpl. & comp. ſed ſine aqua, ſeu decocto; nam hoc pacto diutius in ventriculo remanent, & humores melius pręparantur; at ſi humores extra ventriculum, tum expedit, aquas, vel decocta ſyrupis admiſcere, quia ita magis penetrant. Poſtquã autem euacuati erunt, Diacydonium Galen. de quo ſum antea locutus, mirifice cõfert, quemadmodum etiam conueniunt illa externa linimenta, quæ nuper commendaui in cauſa frigida ſimplici.

Si fiat inappetentia propter repletionem, & propter prohibitam aliquam reſolutionem, videndum eſt, vtrum corpus ſanguine exſuperet, & numquid ſi retenta aliqua familiaris, & naturalis euacuatio, vt hęmorrhoidum, vel menſtruorum, vel ſanguinis narium. Si corpus plenum ſit, & ſit aliqua retenta euacuatio, ſtatim confugiendum eſt ad ſanguinis miſſionem: & mittitur, vel a baſilica, vel a pede, vel ab hæmorrhoidibus, prout videbitur, facta eſſe retentio in hac, vel in illa parte.

Si ſanguis mitti non poſſit, dicit Galen. 4. de tu. val. 4. multa alia auxilia eſſe, quæ euacuant, & veluti ſanguinis miſſionis, vicem gerunt, huiuſmodi autem ſunt exercitationes corporis ingentes, frictiones frequentes, & graues, præterea inediam; nam ſcribit Galen. ſe cuidam mulieri, quæ inappetentia mire laborabat inediam bidui imperaſſe, & hoc vnico auxilio ipſi appetitum reſtituiſſe.

Quapropter vos quoque poſtulante vſu poteritis modo exercitationibus, modo inedia, eam plenitudinem diminuere, quæ appetitum minuit, & deſtruit.

Quod ſi fiat inappetentia propter aliquam aliam ventriculi malam affectionem, vt antea dictum, ſemper proprijs remedijs erit ſtudendum illi malæ affectioni, & deinceps os ventriculi roborandum.

Poſtularet locus, vt poſtquam de appetitu diminuto, & ablato verba faciemus, ſimul etiam loqueremur de corrupta, & ablata ſiti, itemque de diminuta. Verum de deprauata ſiti nullus auctor, quicquam tradidit, eo quod rariſſime fit, vt homines abſurdos potus deſiderent, quemadmodum abſurda edulia. Et ratio huius eſt, quoniam cum potus animalibus inſeruiat tantũ, vt vehiculum, quemadmodum dicit Hip. in fine lib. de alim. & Galen. 4. de vſu part. non fertur appetitus noſter in tot genera potuũ diuerſorum, in quot fertur genera ciborum, vt propterea in huiuſmodi deſiderijs non peccetur. De diminuta, & ablata ſiti etiam non loquar, quia ſi res exacte æſtimetur, in ſanitate non eſt error parum, vel nihil potare, quia poteſt homo, & viuere, & ſanus eſſe, etiamſi parum, aut nihil bibat.

Docent hoc animalia complura, quæ viuunt ſine potu: docet etiam Ariſtot. qui apud Apollonium in lib. de mirabil. ſcribit, Andronem quendam toto vitæ ſuę tempore nihil potaſſe, & continuo vſum eſſe carnibus ſalitis. Itaque propter has rationes non erunt de his verba facienda. Tranſeamus igitur ad aliud genus appetitus, quod in exceſſu eſt poſitum, nam de deprauato appetitu, ſecundum qualitatem egimus, de alio, qui ſecundum quantitatem eſt iam agemus.

CAPVT

CAPVT VIII.

De ingenti fame, & excessu appetentiæ.

TAlis appetitus, vt inuenio apud scriptores, est duplex: vnus est, qui a Græcis κυνώδης ὄρεξις dicitur. Latini omnes, atque Arabes vocant caninum appetitum: & sciendum est, hoc vitium vocatum esse duobus nominibus. Suidas auctor Græcus scribit, hunc affectum esse φαγέδαιναν. Quod si huius auctoritas non placeat, habetis & alios. Cæl. Aur. lib. 3. pass. chron. 3. testatur hunc morbũ dictum esse Phagedænam. Plin. etiã lib. 26. cap. 11. idem testatur, & Galen. lib. de diff. med. & in 3. epid. tex. 37 dicit, eundem affectum a quibusdam dictum esse Phagedænam. Vnus itaque est morbus in appetitu immoderato vocatus fames canina, alter, quia Græcis dicitur βούλιμος, Aeoles vocant πούλιμον, vt testatur Plut. 6. sympt. 8. *De nomine.*

Caninus appetitus nihil aliud est, nisi insatiabilis edendi cupiditas, in qua ægri edunt multũ, sed aut vomitu reijciunt, aut per aluum excernunt, vt faciunt canes. Vnde nomen deductum est. Galen. 6. de loc. aff. 3. narrat Seleucidas aues, quæ vescuntur locustis, huiusmodi cupiditate cibi laborare, quia sicuti frequenter locustas edunt, ita quoque eas excernunt. *Definitio Canini appetitus.*

Βούλιμος autem est magna fames, quam sequitur animi deliquium, & dico sequi animi deliquium, quia hæc fames non durat, vt Caninus appetitus, sed vbi contingit animi defectus, statim fames desinit. Arist. 8. probl. 4. tractans de hoc morbo, quærit rationem, cur in bulimo contingat ἀδυναμία, & ἀθυμία, quod idem est, ac si quærat, cur hanc famem sequatur deliquium. Respondet, in hac fame fieri colliquationem, quæ præcipitata in ventriculum, facit impotentiam, præcipitata vero in pectus, facit ἀθυμίας. Sed hæc ratio Aristot. Medicis non placet, quia hæc fames non fit a calore, ita vt colliquatio sequatur, & præsertim quia, cum fiat subito, minime ex colliquatione oriri potest: Itaque multo satius dicamus fieri deliquium animi, quia in hac fame spiritus affatim, veluti strangulantur, & dissipantur. Nam si memoria tenetis, dum tractabamus de syncope, diximus hos affectus pendere a vitio spirituum. *Βούλιμος. Cur in bulimo deliquiũ.*

Ex descriptione horum affectuum duo colliguntur vnum, non omnem voracitatem, aut edendi cupiditatem esse, vel appetitum caninum, vel bulimum, siquidem complures sunt, qui vsque ad miraculum edere solent, quemadmodum olim, & de plerisque alijs, & de Bœotiæ populis relatum est, quos, fuit opinio, bardos, & insensatos extitisse ob immensam voracitatem, nam hi homines cum coquant cibos assumptos, & in præsenti nullum detrimentum sustinrãt, fame præter naturam non tentantur, sed id ipsis contingit, vel propter ventriculi, vel propter iecoris vastitatem. *Non omnis voracitas symptoma.*

Alterum non exiguam differentiam esse inter caninum appetitum, & bulimum; nam in canino appetitu semper edendi desiderium perdurat, reijcitur cibus, vel per vomitum, vel per aluum, & nullus animi defectus apparet: contra in bulimo non perdurat appetitus, sed quamprimum contingit deliquium animi, illico cessat omnis fames, quemadmodum docuit Gal. 2. aph. 21. *Differunt caninus appetitus, & bulimos.*

Sunt hi affectus symptomata in genere actionum læsarum, & quia, vt sæpius dictum, actiones læduntur, vel quia ablatæ, vel diminutæ, vel deprauatæ, non exigua quæstio est, quomodo actio appetendi in his affectibus sit læsa. Gal. 1. de sympt. cau. 7. quem secutus est Auer. 3. collig. 32. & fere omnes alij scriptores, manifeste docent, in his affectibus lædi appetitum deprauate. Sed contra hanc Galeni sententiam est discursus ipsiusmet Gal. in 3. de sympt. caus. cap. 1. vbi enumerãs multa actionum deprauatarum genera, videtur hoc significasse, eas dici actiones deprauatas, quæ versantur circa qualitatem vitiosam, & non circa quantitatem; id etiam ratio nominis videtur significare, scilicet eas esse actiones deprauatas, & corruptas, quæ in qualitatibus vitiatis sunt collocatæ. Ratio autem, qua etiam probatur non posse esse actiones deprauatas, est hæc, quia si appetitus caninus immoderatus esset actionis deprauatæ symptoma, similiter etiã esset, & diminutus appetitus; probatur, quia magis, & minus in eodem prædicamento sunt ponenda, contrariaque sub eodem semper genere collocantur. Sed diminutus, & immoderatus appetitus sunt contraria, ergo sub eodem erunt genere; quare si secundum Galenum immoderatus appetitus est in genere deprauatæ actionis, in eodem quoque erit diminutus. Hæc ratio tantum valuit apud ingeniosissimum Argenterium, vt ille in 3. capite lib. de symp. generibus probauerit hac in re deserendum esse Galenum, & constituendum quartum genus actionum læsarum, in quo reponi possint actiones vitiatæ per excessum. *Genus symptomatis.*

Sed vt placita Medicorum receptissima tueamur, sciendum est in primis actiones rectas, & optimas vocari, quæ fiunt ab optima temperatura, quæ autem non proficiscuntur ab optima temperatura, aut nullo pacto fieri, & sic actiones auferri, aut non fieri recte: hæc diuisio est necessaria: porro, quia omnis actio debet fieri quando oportet, & quomodo oportet, propterea quæ actio deficit ab optima, est, vel quia non fit quanta oportet, vel non fit, quomodo oportet: quæ non fit quantum oportet, iure merito vocata est actio diminuta, sed quæ non fit, quo pacto oportet, vocatur actio deprauata. Præter hæc tria genera actionum læsarum, si recte æstimetur res, nullum aliud reperiri potest, vt iure merito summus vir Galen. & ante ipsum alij statuerint, non alia esse genera actionum læsarum, quam hæc tria.

Cum

Cum itaque appetitus caninus non debeat dici actio optima, & integra, aut naturalis aucta, quoniam quemadmodum suppolui, omnis actio integra necessario oritur a perfecta temperatura partis: vnde cum in appetitu canino temperatura ventriculi sit corrupta, nequaquam dici potest, quod talis actio sit aucta, quoniam hæc aucta ab optima temperatura proficiscitur. Veruntamen cum appetitus caninus sit vitiata actio, sed non secundum quantitatem, quia sit plusquam deberet, non autem minus, hinc est, vt omnes, & caninum appetitum, & magnam famē in genere deprauatarum actionum collocarint, vt nemo nos possumus huiusmodi actiones, si recte expendantur, potius referre ad qualitatem, cum pertineant ad modum operandi.

Et propterea nihil valet argumentum vsque adeo æstimatum ab Argenterio, siquidem appetitus diminutus est actio peccans in quanto, caninus est actio peccans in modo, quia deprauato modo appetunt, quolibet tempore appetunt.

Locus affectus. Locus affectus nullus alius est, nisi os ventriculi, ex Gal. apertissime 6. de loc. aff. Morbus in appetitu canino est intemperies cum humoribus, & solutio continui, quæ solutio fit ab ingenti exsuctione oris ventriculi: pari pacto in bulimo morbus est intemperies cum solutione continui; nam si, vt dicebamus, in appetitu etiam naturali est aliqua molestia, multo magis existimandum est, hanc molestiam reperiri in appetitu immenso præternaturali.

An in hoc affectu necessaria sit exinanitio. Sed examine dignum est, Vtrum in hoc appetitu sit necessaria exinanitio: nam ex vna parte videtur esse necessaria, siquidem diximus, famem esse perceptionē suctionis factæ propter inanitionem in ore ventriculi. Deinde videtur hoc docuisse Galen. 2. aph. 21. vbi scribit, inanitionem, & famem præcedere in bulimo deliquium animi. Ex altera parte non videtur necessarium in bulimo reperiri hanc inanitionem, 1. quia, vt dicit Cleomenes apud Plut. 6. simpos. 8. curatur bulimus modica panis portione. Similiter, vt scribit Arist. loc. cit. si bulimo detento modicum panis offeratur, statim redit, quod contigisse quoque Bruto relatum est. Præterea narrat Plut. asinos, & equos, quando gestant ficus, & poma incidere in hoc animi deliquium, quod tamen non est existimandum originem ducere ex inanitione. Addo bulimum subito fieri, indigentiam vero, ac inanitionem longo tempore.

Dicendum est breuiter, & in bulimo, & in appetitu canino necessario requiri aliquam inanitionem, sed cum duplex possit esse inanitio, vel totius corporis, vel solius ventriculi, inanitio totius minime necessaria est, sed saltem necessaria est inanitio ventriculi: de qua loquens Gal. dixit semper præcedere animi deliquium esuritionem, non autem sequi, licet enim os corrugetur, tamen vbi animi deliquium est, non percipitur corrugatio, & ideirco præsente bulimo non fit fames, sed antecessit, immo Actuarius Medicus 1. meth. med. cap. 20. dicebat eos, qui bulimo laborant, cibos abhorrere, quia licet adsit indigentia, & oris ventriculi corrugatio, attamen, cum non sentiatur propter spiritus deficientes huiuscemodi corrugatio, non fit fames. Ad rationes igitur dicendum, non valere, quod modico pane exhibito bulimos sedetur, quoniam, vt scribit Arist. parua est hæc inanitio, paruus est lapsus a statu naturali ad præternaturalem, vt propter hoc nihil mirum sit, si etiam paruo auxilio huiusmodi malum finiatur. Quod etiam dicebatur de equis, & asinis, nihil ad rem facit: nam affectus, quem eo tempore hæc iumenta videntur sustinere, non sunt appetitus immoderati, neque bulimi, sed est alia passio, vt scribit Cleomenes, eueniens propter arcanam proprietatem: quanquam neque audiui, neque vidi vnquam huiusmodi affectum in hisce belluis contingere.

Ad postremam rationem dico, indigentiam, si accipiatur pro præuia dispositione ad famem, procul dubio tempore indigere, & fieri tempore, at si sumatur pro illo vltimo gradu, nemini dubium, quin ille subito introduci possit, vnde in bulimo indigentia dispositiua præcedit, sed gradus ille vltimus subito fit.

Causa. Galenus in tradendis causis canini appetitus visus est sibi contrariari, siquidem, 1. de causis sympt. 7. dixit causas canini appetitus tantum esse, vel acidos humores, vel totius corporis resolutionem, 2. autem aphor. 21. inquit caninum appetitum etiam a frigida intemperie ventriculi oriri. Sed facile soluitur contradictio, si aduertamus id, quod ibi scripsit Galen. appetitum caninum dupliciter capi, pro appetitu descripto, & communiter pro omni immodico appetitu: primo modo si capiamus, fit ab humoribus acidis, & a nimia inanitione: sed si accipiamus communiter, fit etiam a frigida intemperie. Sunt itaque causæ, acidi humores, & nimia corporis resolutio.

Internæ causæ immediatæ. Acidi humores, vel gignuntur in ventriculo, vel mittuntur ad ventriculum a cerebro, & potissimum a liene, nimia vero resolutio, aut fit a vermibus, vbi scribit Alex. & Auic. & hinc est, quod ætas puerilis, & senilis, solet obnoxia esse huiusmodi appetitui: fit præterea ab imbecillitate retentricis ventriculi, quæ pendet, aut a laxitate ventriculi, aut ab aliqua intēperie eiusdem. Fit postremo a calore immenso, & hinc est, quod post febres interdum appetitus caninus oritur ob incendium febrile, relictum in ventriculo. Atque hæc sunt causæ internæ, & immediatæ.

Externæ causæ. Inter externas est aer nimium calidus, & feruidus, & nimium gelidus. Nam Hipp. in lib. de aere, aquis, &c. scribit eos, qui inhabitant plagas frigidas, edacissimos esse. Vigiliæ etiam, vt Hipp. 6. epi. com. 4. tex. 20. scribit, vigilia vorax, & aqua vorax: appellat enim voraces, quia ab his fiunt homines edacissimi. nimium otium, & nimiæ exercitationes occasionem huic malo præbent: otium, quia gignit acidos humores, exercitatio, quia exinanit corpora. Sunt etiam cibi frigidi, & acidi, qui inducunt huiusmodi morbos.

De causis Bulimi. De causis Bulimi ingentem inuenio dissensionem; Aristot. 8. probl. 4. Alex. Trall. lib. 7. cap. 4.

dixerunt,

dixerunt, causam immediatam esse immensum ventriculi calorem; nam scribit ab aere frigido ambiente calorem ventriculi augeri, auctum mirifice depopulari alimentum ventriculi, qui deinceps alimento exhaustus, veluti corrugatur, vnde fit fames, & a fame sequitur impotentia, & consequenter animi deliquium.

Altimari sententia.

Recentiores, inter quos Altimarus, putarũt bulimum fieri propter refrigerationem insignẽ oris ventriculi, adeo vt secuti sint sententiam ab ipso Philosopho, & Alex. plane dissentaneam. Altimarus, qui sæpe res exacte non examinauit, & Galeni interdum scripta oscitanter legit; videtur adductus vnica Gal. auctoritate, & Aetij. Nam Gal. 1. de sympt. caus. 7. scribit bulimum fieri ab indigentia, impotentia, & ventriculi refrigeratione. Ex hoc itaque loco putauit Altimarus colligi, fieri bulimum refrigerato ventriculo, eo quod propter refrigerationem corrugetur, corrugatus exugatur, exuctus famem faciat, & consequenter animi deliquium.

Refutatur.

Sed aut ego nihil video, aut Altimarus, & alij grauissime errarunt, non solum enim ratio cõtra ipsos est, verumetiam neq; Gal. neq; Aetius ipsis quicquam fauent. Sunt autem quatuor rationes, quæ videtur mire facere aduersus Altimarum. 1. Quia Bulimus, vt testatur Aristo. Plut. & experientia, curatur statim oblato pane: quæro itaque, qua ratione in ventriculo admodum refrigerato possit panis ita statim actuari, vt illico recreet, & reficiat homines deficientes?

2. Compertum est in hanc ægritudinem labi ea corpora, quæ sunt robusta; si robusta corpora sola tentantur, vbi refrigeratus vẽtriculus est, nullum robur est in corpore, dicebat enim Hip. ventriculo languente statum totius corporis corruere.

3. Solet magnus Hipp. venari naturam affectuum ex curatione, quæ est certissima demonstratio; iam vero si fieret bulimus a refrigeratione, curaretur a calefacientibus, sed tãtum hoc abest, vt asserit Ael. etiam aliquos vsu opij hanc ægritudinem curasse.

4. Cum bulimus fiat ab aeris frigore, si etiam refrigeraretur ventriculus, necessarium esset, vt refrigeratio insignis fieret illius partis; iam vero internas partes refrigerari a frigido aere ambiẽte, præter omnem experientiam, & rationem est.

Videatis eruditissimum com. Galen. lib. 6. epid. com. 5. tex. 27. ibi enim Gal. declarans, qua ratione ab externo aere durentur feces in corpore, inquit, præter alia præclara, minime durari feces in corpore, quomodo durantur a frigore res externæ, quia impossibile est tantam fieri frigiditatem in intimis corporum, vt vi ipsius duretur quicquam. Quomodo autem duratio fiat, explicat dilertissime id quod mirifice facit ad explicationem propositam; inquit enim ab aere frigido ambiente calorem interdum augeri, auctum cibos conficere, atque succos, & humiditates partim distribuere, partim dissipare; vnde postea feces priuatæ hac humiditate siccantur.

Ex quo discursu compertum esse potest, nugas esse, quas dicit Altimarus, scil. quod a frigore externo refrigeratur immense ventriculus, ita vt propter frigiditatem faciat hanc famem.

Neque auctoritas Gal. proposita quicquam valet: nam si videatur textus Græcus, ipse scribit hunc appetitũ fieri ab indigentia, impotentia, & refrigeratione. Quam rem, & quæ Galeni verba dum considero, hoc mihi persuadeo, totam vim sententiæ positam esse in ordine verborum, scil. quod calefacto prius ventriculo propter frigus aeris externi, fit dissipatio, & inanitio alimẽti, post hanc indigentiam fit impotentia, eo quod exinanito ventriculo spiritus paulatim dissipantur, & resoluuntur, post impotentiam calor, qui prius erat auctus, incipit languescere, & introducitur frigiditas, scil. calore natiuo hebetato, quæ frigiditas non solum inducit inappetentiam, verumetiam faciat abominationem cibi, vt dicit Actuarius.

Puto igitur vobis iam persuasum esse causam bulimi immediatam, & internã esse calorem immoderatum ventriculi, vt dixerunt Arist. & Alex.

Externę causę.

Externę causę sunt aeris immensa frigiditas, ambulatio per niues, & loca frigidissima. Habetis enim exemplum Bruti, qui cum Dyrrachio in Apolloniam iret per loca niuosa, incidit in hanc famem, & nisi hostes pane sibi succurrissent, forsan interijsset.

Signa.

Cognoscitur appetitus caninus, quia ægri desiderant, appetunt, & sumunt continuo cibos, assumptos reuomunt, aut statim reijciunt, & quanto plus vomunt, tanto magis appetunt: decolores sunt, emaciantur, & siue cibos capiant, siue non capiant, semper male habent.

A resolutione.

Si fiat propter resolutionem, cognoscetis, quia præcesserũt, vel euacuationes, vel exercitationes, vel sudores, vel febres, vel alui fluxus: adest sitis, languor virium.

A vermib.

Si fiat a vermibus cognoscitur tum alijs vermium indicijs, tum maxime ætate puerili, atque etiam totius corporis macie: nam scribit Gal. in lib. de Ther. ad Pisonem, vermes mire corpora emaciare, eo quod depopulentur alimentum corporis, atque illud contabescere faciant.

Ab acidis humorib.

Si fiat ab acidis humoribus cognoscitur aciditate oris, corrosione ventriculi, vomitu pituitoso, acido, carentia sitis, habitu corporis melancholico.

A frig. intemperie. *A calida intemperie.*

Quod si humoribus copulata sit frigida intemperies, cognoscitur, tum quia frigiditas circa ventriculum percipitur, tum quia remedia calorifica iuuant. Contra si coniuncta sit calida intemperies, cognoscitur siti, calore ventriculi, amarore, vtilitate rerum frigidarum.

Progn.

Scribit Hippoc. 2. aph. 4. satietatem atq; famem, si modum excesserint, perniciosissima esse, nam non solum perniciosa sunt, quia appetitum auferunt: verumetiam quia solent desinere in irremediabiles morbos, vt Cachexiam, hydropem.

Caninus qui fit per resolutionem, si a principio cognoscatur, & accommodata adhibeantur remedia, & tuto & cito curatur: sed qui fit post febres, aut alios morbos, semper reciduum morbi futurum esse indicare solet, quantum ob huiusmodi appetitum ægri plurimum comedere

dere

dere cogantur; nec assumpta coquere possint, contingit necessario, vt excrementa copiosa cumulentur, quæ deinceps obstructiones renouantia, consequenter febres renouare solent. Dicũt Arabes, si vino accepto fames leniatur, & ægri statim ad se redeant post animi deliquium, certissimum signum ægritudinem finiendam esse, quia vbi vinum ita penetrat, vt statim collapsas vires renouet, signum est ventriculum non esse ita obsessum ab humoribus, quin sperare liceat totum bulimum alijs præsidijs posse auferri.

Curatio.

Cum appetitus caninus diuersus sit a magna fame, par est etiam, vt vtriusq; curatio sit diuersa. Et cum appetitus caninus symptoma sit, sui ablationem indicat, quæ cum fiat per causarum ablationem, omne studium curationis huc conferendum est, vt causę huius appetitus tollãtur; & quia causę diuersę sunt, debet quoque diuersus esse curandi modus. Sunt tamen quędam communia, omnibus generibus causarum tollendis accommodata.

Præcepta cõmunia.

1. vt aer eligatur, qui nec frigore, nec calore excedat, & potius somno, quam vigilijs studeatur. Secũdo vt ægri quantum fieri potest, ab omni cogitatione edendi arceantur; nam multum valet in hoc appetitu, vt ægri occupentur in alijs cogitationibus, sic enim, & famis, & appetitus molestia non percipitur; habetis exemplum apud Platonem in Phædro de illis, qui occupati in contemplatione cibos negligebant, & in cicadas conuertebantur.

Tertio vt edulia præponantur pinguia, oleosa, butyrosa. Quocirca natura sagacissima, illis, qui in Hollandia degunt magnam butyri largita est copiam, vt eius vsu, sunt enim homines voracissimi, inextinguibili, qua continuo ferme detinẽtur, fami resisterent. Sed hoc in loco occurrit proponendus Plinij locus, qui multos fatigauit. is enim lib. 11. cap. 54. inquit, Mori esuriendi semper inexplebili auiditate, animalium vni homini. De qua te cum interdum percunctatus essem Florentię Hieronymum Taurinum, virum & doctrina, & medendi peritia, ac animi candore singularem, hãc per scripta mihi responsionem attulit, quæ quoniam grauissima est, haud quaquam Lectorem esse defraudandum putaui.

Perillustri, & Excellentissimo Hieronymo Mercuriali Hieronymus Taurinus. S. D. Plinij dictum, loco a te citato, quomodo sit intelligendum, merito dubitatur, nam si de violenta fame, quę ex alimenti penuria fit, loqui Plinium existimaretur, vt in obsidionibus, & annonæ defectu, cæli vitio, sæpe hominibus accidit, absurda profecto esset interpretatio, postquam non homini soli, immo nec animalibus tantum, sed stirpibus, plantisque ipsis quodammodo necessario eueniat hæc indigentia, deficiente quo alantur; viuentia enim omnia eo vsque vitam protrahere necessum est, quousque alimẽto fruantur; eo autem destituta necesse est intereant; præterea verba illa, inexplebili semper auiditate, vitium fere perpetuum notant, quod minime famis a penuria factæ competere potest. Nec si de morbosa fame Plinium loqui exponamus, vera esse eius sententia poterit, cũ caninus appetitus, & bulimos, quibus immoderate famescunt homines, vt neque perpetui sunt affectus, neque semper lethales, ita nec homini tantum contingunt, cum caninus ideo appelletur appetitus, quia canes eo affici consueuerunt. vnde legitur in sacris literis, famem patientur, vt canes. In hanc igitur veni sententiam, his verbis voluisse Plinium, hominum ingluuiem detestari, vt sæpe solet humanos mores carpere: nam cum cetera animalia tunc tantum alimentum inquirant, & capiant, cum fame premantur, solus homo, & alimento indigens comedit, & non indigens repletus obruitur, non tantum comedens, vt viuat, sed viuens etiam, vt comedat, veluti etiam multa ingerit, vt vomat, & post vomitũ repleatur. Hinc excogitata tot gustus incitamenta, vt iam sopitum appetitum titillantia, & famem prius exsatiatam, inexplebili esuriendi auiditate facerent, vt ad extremum repleti adhuc fame laborare putaremus: vide quantum rerum per vnam gulam transiturarum permisceat, inquit Seneca, luxuria terrarum, marisque vastatrix: vere igitur asserere possumus inexplebili auiditate ciborum, & potuum solum hominem inter animalia detineri, cum modo esuriat propter indigentiam, modo vero a plenitudine non minus: illa consueta, & a natura hac arte, & industria accersita, appetens priori, vt calori pabulum præbeat: altera vt gulæ blandiatur, & sic dum esurire cessat, esuriendo adhuc consumitur; veram esse causam, quod plus appetat homo, quam animalia reliqua faciant, quia plus caloris habeat, fateor: verum quomodo calor dum habet, quod satis sit, immo quando magis quam par sit, oneratur: fames vrgere adhuc possit, non video: nisi dicatur, vt Plinium sensisse reputo, quod cessat in corpore, augetur in animo. fallaci igitur imaginatione irritata cupiditate atque auiditate ciborum homo ex vita ad mortem esuriendo semper delabitur.

Tuum est vir excellentiss. explorare an verum, mihi probata capessere fas erit. Vale Florentiæ. Hæc ille. Idem etiam dico de dulcibus, quippe quæ, vt scribit Arist. 22 probl. 3. solent citissime satiare, replere, & appetitum auferre. 4. est, vt offerantur cibi tepidi, nam tepor ciborum, & præsertim potuum, solent abominationem inducere, & huiuscemodi appetitus ardorem, vt docet Auicenna, eneruare. Postremum est, vt ægri comedant festinanter: siquidem, vt dicet Dosarius Medicus, celeriter edentes attrahunt multum aeris, qui replens appetitum mirifice imminuit.

Curatio a resolutione.

Peculiariter vero si appetitus caninus fiat ob eximiam resolutionem, videndum est, vtrum a uermibus inanitio proficiscatur, & si id fit, præter alias curationes, quæ ipsis debẽtur, illud quoque prouidendum est, ut continuo utantur, & amaris, & oleosis, siquidem oleum egregie uermes interimere solet.

Si fiat resolutio ob imbecillitatem retentricis, cum hęc facultas ab omni intemperie profi-

cifcatur,

ciscatur,& presertim ab humida,vt docuit Galen.in 1.& 2.de fac.natural.ob id studendum est vt vnaquæque intemperies per propria cõtraria tollatur,& pretertim ea tenendum est,vt,& aromatibus,& vnctionibus,quas alias docui,calefacere,& exsiccare valeamus.

Ob imbecillitatem retentricis.

Hic oriri dubium posset,vtrum vini vsus in hoc appetitu conueniat. Nam Hip.2.aph.21.scribit,a vini meri potu famẽ curari. Et dicit Gal.loqui ipsum de appetitu canino, atque de eo, qui fit ab intemperie frigida, vel succis vitiosis,vt quotiescunque ab intemperie frigida violatur facultas retentrix, videatur conferre vini vsus.

An vinum conueniat.

Sed ex altera parte Hipp.qui in lib.de arte vetere scribit,vinum generosum vires debilitare,& Gal.7.meth.dixit vinum generosum vires debiles ferire. Accedit,& illud,quod veteres ad excitandum appetitum solebant vinum vetus,& generosum præpotare:r vt his rationibus vinum in appetitu curando non conuenire videatur.

Dicendum est,considerari posse appetitum,vel, vt symptoma est,vel secundum suas causas, si consideretur primo modo, non conuenit vsus vini,nõ enim directe,neque per se facit ad tollendum hoc symptoma;sed si secundũ suas causas consideretur, magnopere cõuenit eo quod adimit intemperies frigidas,simul etiam humores acidos, & pituitosos.

Si resolutio facta sit propter intemperiem aliquam calidam, vera curationis ratio est, vt intemperies ventriculi per frigida remedia tollatur,& hoc est, quod scribit Trall.libr 7.cap.4.aliquos curasse magnam famem usu opij: id quod etiam proditum habetis apud Diuum Basilium in hexametro, in quo refert multos se nouisse, qui immoderatas appetentias cicutæ vsu frenarent.

Si fiat propter humores pituitoso acidos, præcipua, & uera ratio curationis est, ut humores præparentur,& præparati exinaniantur. Et quanquam similia remedia habuestitis in tractatione de pica,poteritis tamen seq.adhibere ad præparandum,

Ab acidis humoribus. Præparant.

℞.Fol.betonica.
Menta.
Orig.
Pulegij an.M ß.
Liquiritia ʒ.j.f decoct.f.a.
℞.d.d.℥.iiij.
Syr.de liquiritia.
De menta.
Mellis rof.simpl an.℥.ß.M.

Preparati humores purgabuntur,& ad eos expurgandos omnium accommodatissimum remedium est hiera quæcunque,& prælertim tamen hiera Laponis descripta a Gal. aut simplex Galeni.Ex.gr.

Præparati.

℞.Hiera Laponis ʒ ii.
Diacathol.ʒ.vij.M.fiat bolus.

Et notandum,in his affectibus uentriculi semper utilius esse administrare remediũ in forma solida quam liquida.

Calefaciẽtia vẽtriculum.

Postquam euacuati sunt humores,conuertendum studium est ad calefaciendum,& roborãdum uentriculum, internis,& externis remedijs,internis conuenit usus diamoschi dulcis,diazinzib.diatrionpip.diagalangæ theriaca etiam antiqua accommodatissima est: hæc enim omnia maxime possunt calefacere,exsiccare, & corroborare uentriculum,ab humoribus acidis maxime violatum.

Sic etiam extrinsecus licebit adhibere,& ea fomenta,& eas inunctiones,quas docui cum de pica tractarem.

Extrinsecus. Curatio Bulimi.

Ceterum Bulimi curatio,vt docuit Galẽ.ex Archigene,8.de medicam.local.3.duplex est,alia in paroxysmo,hoc est in ipso animi deliquio,alia extra paroxysmũ. In ipso paroxysmo studium Medici esse debet,vt fricationibus,punctionibus,ligaturis,odoramẽtis ægri ab ipso symptomate,& paroxysmo liberentur.

In paroxysmo.

Circa odores,atque alia facienda in paroxysmo, sunt nonnulla breuiter notanda. Vnum est, vt si vobis contingat in aliquo loco, vbi non sit copia remediorum,debere quicquid ad manus venit,administrari,& herbas,& radices, & terram ipsam,nam vsque adeo inferunt animi deliquia,vt nullas inducias præbeant.

Not.

Secundo notandum,vt nõ statim exhibeatur cibus postquam a deliquio est ereptus æger,sed paulisper tradetur,deinde cibi offerantur:& si res vrgeat statim recreare,id agendũ est,vel odore vini,vel odore panis recentis,& nihil magis præsentaneum ad subleuandos ægros.

Tertio,vt cum primum restitutis a deliquio cibi offeruntur,ij sint,qui alant,& facile coquantur, vt est panis in vino, panis in aqua laudatus a Paulo,ius, aqua carnis. Vnde intelligere potestis, mendosum esse contextum Galen.vbi scriptum est,restitutis a bulimo dandas esse Cochleas,nam huiusmodi cibus sua natura difficillimus coctu est, ita, vt ineptus videatur statim nutriendo.

At quomodo igitur Arist.8.probl.4.scribit,huiusmodi bulimum curari subita panis oblatione,id quod etiam exemplo Bruti docuit: Notandum hanc famem insignem duo tempora habere,vnũ paulo prius,quam accedat deliquium animi,alterum vero in ipso deliquio. Paulo ante deliquium conuenit oblatio panis,quippe quæ prohibet, ne homo in deliquium labatur.

Quãdo panis offerendus in bulimo.

Et hoc pacto intelligendus est Arist.& omnes alij, qui dixerũt a bulimo liberari homines sola panis

la panis oblatione; in deliquio autem minime conuenit, eo, quod, vt dixi, tum facultas coctrix ventriculi admodum labefactata est, vt impossibile sit eam vtilitatis quicquam ex pane percipere.

Sed circa hæc sunt quædam obseruanda. 1. ante deliquium animi ventriculum feruidum esse, in deliquio, & post deliquium esse imbecillum, & refrigeratu: ac propterea tametsi ante deliquium liceat ventriculum refrigerare, vt dixit Alex. loco a me citato nihilominus post deliquium necesse est ipsum potius calefacere.

2. Quod tametsi conducat ad tollendum hunc appetitum, quandoque ventriculum refrigerare, magna tamen prudentia hoc agendum est, tam, vt dicit magnus Auerr. 3. col. cùm ventriculus sit communis minister totius corporis, & propterea egeat calore naturali copioso, maxime periculosum est ipsum paulo plus refrigerare, quam conueniat, vt hac ratione, & opium, & cicuta, &c. sint in his affectibus vitanda.

3. Notãdum eos, qui huic fami obnoxij sunt, debere semper ferre secum aliquid, quo possint sese postulante necessitate ab hoc graui infortunio tueri; vnde commendandi sunt illi, qui cum iter ingressuri sunt per loca frigida, & niuosa, præpotant, & sese ipsus cibis onerant.

Asclepiadis mira opinio. Cibo præparato humana corpora sustentari, apud omnes constantissimum est; sed in quo loco fiat hæc præparatio, discordes fuerunt Medici antiqui. Asclepiades nouorum dogmatum inuentor, dixit cibum in ventriculo nullam recipere præparationem, sed crudũ, & rudem perferri ad partes nutriendas, Quæ sententia ex eo refutatur, quod si animalia tribus, vel quatuor horis ab accepto cibo exenterentur, oculis apparet in ventriculo cibum, quo aluntur, præparari.

Ceterum de modo præparationis adhuc veteres discordarunt. Erasistratus putauit cibũ præparari per attritionem, Plisthonicus autem Praxagoræ sectator, existimauit præparari cibum per putrefactionem, in quam sententiam impulsus videtur, quod videret, & Empedoclem, & Hipp. & alios veteres præparationem ventriculi, metaphorice vocasse putrefactionem. At sententias horum luculenter habetis confutatas a Galen. 3. de sympt. caus. 2. vbi simul docet, præparationem ciborum esse ipsissimam coctionem. Sed de his postea.

Notandum in bulimo, vt in eius principio licet magnus sit calor, tamen, vt dixi, post animi defectum non refrigeretur ventriculus: ea propter eo tempore satagendum est vẽtriculum moderate saltem calefacere, veluti si fomentum fiat huiusmodi.

Moderate calefaciens ventriculũ.

℞. Fol. menta.
Pulegij.
Origani an. M. ß.
Ladani.
Ligni aloes an. ℥. j.
Croci. ℈. j.
Gall. mosch. gr. iiij.
Aq. communis.
Vini optimi an. li. iij. bulliant s. a. & cum spongiola f. fomẽtum ori ventriculi atq; regioni cordis.

cui conuenit etiam, quoniam non ventriculus modo, sed & cor læditur. Rates cuiusdam auctoritate scribit, pullos columborum assatorum ieiuno datos curare bulimum.

Præterea notandum, vt omnes ij, qui obnoxij sunt huic fami, semper studeant: vt potius saturitatem, quam nimiam euacuationem habeant.

Qualia purgantia conueniant. Quod si humores fuerint in ventriculo, qui indigeant euacuatione, totis viribus incumbendum est, vt euacuentur. Et circa purgationem tria sunt notanda. 1. quod medicamenta in hoc morbo administranda non sunt vehementia, sed debilia, ita, vt cor potius respiciant, quam, quod vehementer soluant, huiusmodi est rhab. syr. ros. syr. viol. tamarindi. 2. not. vt offerantur in pauca quantitate. 3. vt semper quædam adstringentia medicamenta commisceantur.

CAPVT IX.

De immoderata siti.

EST sententia Hipp. 6. epid. a Gal. confirmata 2. de tu. val. 2. cibum natura semper præcedere potum, ita, vt rationi consentaneum fuerit, vt vitia, quæ in appetitu cibi contingunt, præcederent vitia, quæ contingunt in appetitu potus. Vnde cum de illis hactenus tractauerimus, consequens est, vt de his etiam agamus.

Vnum est autem, quod præcipue consueuit a Medicis tractari, sc. sitis immoderata; est enim hoc vitium frequentissimum, ita, vt & per se solum, febrib. coniunctum, & alijs morbis, plerumque contingat. *Definitio.* Sitis itaque immoderata nihil aliud est quam appetitus immoderatus materiæ potulentæ, ex tristi sensatione.

Dico ex tristi sensatione, quia nunquam anima appetitiua mouetur ad quærẽdum potum, nisi excitetur ab hac tristi sensatione.

Dixi etiam immoderata, quia qui laborant hac siti, non solum quantitatem optant immoderatam, & continuam, sed etiam discretam, quoniam appetunt, & multos potus, & multis vicibus potare. Est tamen notandum hanc potus immoderantiam non simpliciter esse ita accipiendam,

piendam, sed respectu hominum, nam quod vni est multum, potest esse paucum alteri, eo quod hæc immoderantia attenditur penes læsionem sanitatis, & hoc est quod dicebat Galenus 1. de sympt. caus. 7. deprauatum esse appetitum potus, quando desideratur potus, qui, & quantitate, & qualitate obsit valetudini. Dicitur vltimo materiæ potulentæ, quia qui laborant siti immoderata optant non hoc, vel illud potus genus, sed quemcunque, aut saltem diuersa potus genera. Vidi ego hac siti laborantem, qui propriam vrinam optabat, & bibebat, vt materiæ potulentæ lutæ dicatur, non autem vini, vel aquæ.

Est hic affectus symptoma in genere deprauatæ actionis animalis. Quando autem sit deprauata actio, declaraui supra, cum monstraui, quo pacto caninus appetitus sit actio deprauata.

Loc. affect. Locus affectus nullus alius est, quam os ventriculi, nam sitis vitiosæ idem est locus, qui etiam naturalis, os ventriculi est locus sitis naturalis, ergo, & vitiosæ. Inter antiquos fuerunt aliqui, qui existimarunt, potus ad pulmonem pertingere, & consequenter sitis locum esse ipsos pulmones: ex Plut. in contradic. Stoicorum: & in sympos. videre est, vbi scribit hanc sententiam inter Poetas secutos esse Euripidem, Eupolim, Alcæum, & Eratosthenem, inter Medicos, Hip. & Philistionem, & inter philosophos Platonem.

Sed quod spectat ad Hip. verum est in lib. de corde sub Hip. nomine edito, reperiri hanc sententiam, sed iste liber non est genuinus Hipp. Imo lib. 4 de morbis, multis rationib. Hip. siue Polybus refutauit hanc sententiam, quas rationes postmodum accepit Arist. 3. de par. animal. 3. De Platone certum quoque est, non habuisse hanc sententiam, de quo videatis Gal. 8. de plac. vir. & lib. 3. de acut. 10. quib. locis probat Gal. Platonem multis in locis scripsisse, potum non ad pulmonem, sed ad ventriculum pertingere, & si visus est vnquam dicere, quod pertingat ad pulmonē, intelligendum est, vel pertingere rarissime, & violentia magna, vel aliquid potus transcolari ad pulmonem, non autem pertingere. Est itaque verissimum, locum affectum in siti immodica non esse pulmonem, sed os ventriculi.

Quem morbum sequatur hoc symptoma. Morbus quem sequitur hoc symptoma, est mala intemperies, tam materialis quam sine materia; quæ autem sit huiusmodi intemperies, est magna consideratione dignum. Gal. 6. de loc. aff. 3. quem Alexand. & Paulus sunt secuti, ita sentit, quod sitis immoderata fiat, a triplici genere intemperierum, scilic. a calida, & sicca, sicca tantum, & calida tantum.

Aduersus Galeni sententiam fuit Auerr. 3. coll. 32. quo in loco manifeste scribit superfluam sitim fieri tantum a calida, & sicca intemperie. Fauit Auer. Arist. sentētia, qui in 3. de anima scribit, sitim esse appetitum frigidi, & humidi. Quare necessarium est fateri, sitim immoderatam fieri a calido, & sicco. His accedit auctoritas Gal. in art. med. vbi ait, sicci ventriculi signum esse, sitire, quasi dicat a siccitate fieri sitim. Alia auctoritas est in lib. de inæq. intemperie, cum dicit, sitim fieri a siccitate corporis, manifeste docere videtur, fieri sitim a siccitate.

In hac controuersia breuiter dicēdum, sitim immoderatam fieri a caliditate, & siccitate oris ventriculi, sed diuerso modo, scil. quoniam interdum siccitas superat caliditatem, interdum caliditas siccitatem: interdum caliditas, & siccitas sunt æquales. Quo constituto facile est conciliare loca Gal. dixit enim sitim fieri a caliditate, & siccitate, & quandoque a siccitate sola.

An a frig. et humiditate. Sed dicet aliquis, esse sententiam Auicennæ a nimis frigiditate fieri sitim. Et quanquam dici possit frigore nimis augeri calorem, atque ita aucto calore fieri sitim.

Verumtamen negari non potest, quin adsit cum niue humiditas, vnde probari potest, sitim excitari etiam a frigiditate, & siccitate, vel saltem cum humiditate; præterea humores salsi, & biliosi faciunt sitim, sed humores humectant, itaque non fit sitis a siccitate tantum. Item in hydrope adest etiam multa humiditas in corpore, quod totum aqua plenum est, attamen hydropici vehementer sitiunt, itaque non semper a siccitate fit sitis.

Dico breuiter, semper cum siccitate copulari sitim: sed siccitas dupliciter consideratur apud Medicos, vel pro priuatione cuiuscunque humiditatis, vel pro priuatione solius humiditatis alimentalis: quando dicimus sitim semper copulari siccitati, intelligimus siccitatem non pro priuatione cuiusque humiditatis, sed alimentalis. Ex his facile est respōdere ad dubitationes, quod enim dicitur de niue, dico niuem facere sitim, quoniam frigore humiditas alimentaria exprimitur a ventriculo, qua expressa postmodum os ventriculi siccitate corripitur, & sitim inducit.

Quomodo humores biliosi. Sic etiam dico humores biliosos inducere sitim, quoniam eorum calore humiditas alimentalis consumitur, qua consumpta inducitur sitis. Aut aliter responderi potest de hydrope, in ea oriri sitim, propterea quod cum humiditas, vel propter obstructiones, vel propter attractricis imbecillitatem non possit penetrare in membra, ipsa vero orbata proprio humido exsiccantur, exsiccata exsugunt ab ore ventriculi, quo exsucto, iure merito efficitur sitis. *Cur in hydrope sitis.*

Itaque certissimum illud esse debet, morbum, a quo proficiscitur sitis immoderata, esse intemperiem calidam, & siccam, tam cum materia, quam sine materia.

Causæ. Causæ autem, quæ efficiunt hunc morbum, aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Internarum aliæ sunt in ventriculo, aliæ in toto corpore, aliæ in partibus corporis. *Internæ. In ventriculo.* Causæ in ventriculo existentes sunt humores biliosi, salsi, dulces, & tandem omnes humores calidi, imo humidum alimentale dum feruet, inducit sitim, vt Gal. & Auicenna testantur.

In toto corpore. Causæ in toto corpore existentes sunt febres, quæ cum depascantur humidum per totum corpus dispersum, depascuntur, & ventriculi humidum, quo consumpto inducitur sitis.

In corporis partibus. Causæ internæ, quæ in corporis partib. inueniuntur, sunt variæ affectiones membrorum, & viscerum. Viscera, quæ in primis efficiunt sitim, sunt cor, & pulmo. Arist. l. 3. de par. anim. dicit,

animantib. habentibus sanguineum pulmonem, datam esse vesicam, quoniam sunt sitibunda: quasi dicat Arist. pulmonem maxima ex parte esse causam sitis. Similiter dicendum de iecore, liene, & renibus. Est autem modus, quo hæc membra sitim inducunt, quoniam propter eorum viscerum caliditatem calefit, & exsiccatur os ventriculi, quo incalescente inducitur sitis.

Gal. in art. med. cap. 64. tradens modum, quo ex siti iudicium ferendum sit de ventriculo calido, dicit non solum contemplandum esse ipsum ventriculum, verumetiam alia viscera, præsertim cor, & pulmonem, a quib. non raro efficitur sitis. Ex quo constat, secundum Gal. sitim fieri etiam a corde, & pulmone. Similiter etiam Galen. 5. de loc. aff. de iecore sermonem habens inquit calidas, & siccas eius intēperies inducere sitim, nec solum calidas iecoris intemperies hoc facere conspicuum est, verumetiam apostemata, & humores.

An frigidū iecur possit sitim inducere.

Sed dubium est, an etiam frigida iecoris intemperies possit sitim inducere. Ex vna parte id fieri non posse videtur, quoniam fit sitis a calida, & sicca intemperie. Ex altera parte est Auic. qui tradidit, fieri sitim etiam a iecoris frigiditate. In qua controuersia dicendum est iecoris frigiditatem per se non facere sitim, sed per accidens, quia vbi refrigeratum est iecur, humiditas neque attrahi potest, neque dispensari corpori, ideo sequitur, vt corporis partes humiditate priuatæ trahant a ventriculo, & sic inducant sitim.

Alia etiam ratione sitis aduenit, quia gignuntur multæ obstructiones in venis meseraicis, quæ cum non permittant transitum humorum, fit vt corpus exhaustum, & priuatum humiditate, siti corripiatur. Similiter contingit in gula, quæ exsiccata etiam inducit sitim. Et memini me vidisse hominem, qui adhuc viuit, laborantem perpetua siti propter siccitatem relictam in faucibus a lue Hispanica. Sic cerebrum inflammatum inducit sitim. Causant quoque sitim omnes euacuationes nimiæ.

Sitis a lue venerea.

Sed optabitis intelligere, propter quam causam fiat, vt nonnulli sitiant duabus, vel tribus horis ab accepto cibo? Imo sunt aliqui, qui vbi cibus coquitur, semper solent maxima siti laborare. Causa huius est, quoniam vbi stomachus laborat in concoquendo, calor natiuus turbatur, & a sua temperatura decedit, vnde augetur, & auctus mittit vapores in os ventriculi, qui exsugentes humidum alimentale, in eius partibus sitim inducunt. Et non modo sitim inducit iste calor propter vapores, verumetiam propter feruorem, merito cuius caliditas coniuncta ori ventriculi sitim parit.

Cur aliqui sitiant ab accepto cibo.

Externę causæ sitis.

Hæ sunt omnes causæ internæ efficientes, a quib. sitis dependet. Plurimæ autem sunt externæ, quæ ad sitim inducendā conspirare solent. 1. Aer calid. & siccus: experientia enim quotidiana probatur, homines magis sitire æstate, hac ratione etiā balnea consueuerunt sitim inducere.

Balnea sitī, & inducūt, & sedant.

Sed circa balneum id notandum est ex Cassio, sc. balneum interdum sitim sedare, interdum vero augere. Sedant sitim balnea, quando sitis oritur propter siccitatem totius corporis, sc. humectato corpore a balneo, communicatur humiditas ori ventriculi, & sic sedatur sitis. Augetur autem interdum sitis, propter sudores abundantes in balneo, propter quod Plin. refert, veteres sæpe consueuisse balneis vti, vt magis sitirent, & maiorem potandi voluptatem acquirerent.

Vigiliæ etiam sunt inter has causas, ita, & timor quoque ab Arist. 2. probl. 3. ponuntur inter causas sitim excitantes. Sic exercitia magna, locutiones, cantus; item cibi omnes, & potus calefacientes, & exsiccantes, vt sunt cibi salsi, & acres, vt allia, & cepæ. Hip. 1. de acutis reponit inter alias causas vsum panis calentis; quare debent omnes, qui sustinent sitim, vsum eius vitare. Quanquam sum in dubio an veteres ederint panem calentem, an vero frigidum, vt nos facimus; sed de hoc alias.

Aqua salsa potata sitim mirifice generat. Gal. etiam 1. de sym. caus. 7. refert fuisse aliquos, qui propter potum aquæ salsæ maxima siti sunt cruciati, & mortui. Medicamenta calida, & vehementia, & vini generosi potus, huc quoque spectant.

Sunt etiam venena, quæ vehementem sitim inducunt, inter cetera est venenum viperæ, nam commemorat Gal. se vidisse a siti cruciatos homines, qui vinum biberunt, in quo mortua esset vipera. Serpens etiam, qui a Græcis Dipsas vocatur, suo veneno incredibilem sitim efficit. Nicander refert de scorpio, eius quoque venenum sitim accendere.

Venena sitī efficientia.

Sed dubitatur quanam facultate, talia venena sitim inducant, an quoniam inducunt intemperiem calidam, & siccam, an vero propter quid aliud? Alex. 1. probl. 15. quærens causam, cur sit quod theriaca sitim leuet in illis, qui propter hæc venena sitiunt; inquit non ideo esse, quoniam Theriaca refrigeret, & humectet, sed quoniam sua proprietate venenum illud extinguit, a quo sitis oriebatur. Vnde colligimus ex Alex. sententia, sitim fieri in his a proprietate consequente naturam venenorum.

Signa.

Signa fere omnia comparantur ex ore ipsius ægri: nam si vllum est symptoma, quod cogat ægrum id manifestare, est sitis: dicebat. n. Plato in Philæbo, sitim esse tristitiam, & solutionē, & corruptionem: post quem Arist. 28. prob. quærens, cur sit quod magis delectentur sitientes in bibendo, quam esurientes in edendo? Respond. id esse ideo, quoniam magis angimur, & cruciamur a siti, quam a fame. Itaque sitim immoderatam facile possumus colligere ex ægris ipsis, sic quoque ex adstantium relatione non est difficile cognoscere causas primitiuas, veluti etiam, quando fit sitis per consensum ab aliqua parte, cognoscitur ex signis partis laborantis; vt si fiat a renibus, cognoscitur feruore renū, ac multitudine vrinæ; si fiat a iecore, cognoscitur ex rubore vrinæ, & ardore dextri hypochondrij, colore flauo; si a pulmone, & corde, cognoscitur ex signis partis laborantis, quoniam vt Gal. dicit, illi percipiunt ardorē circa pectus, respirant frequenter,

Sitis per consensum.

& val-

& valde sedatur sitis sola aeris frigidioris inspiratione. Sitis autem, quæ oritur, ab ipso ventriculo, cognoscitur proprijs signis, quoniam si sit calida intemperies, non percipitur vlla grauitas in ventriculo, nullus est alius sapor, & potu frigidæ sedatur. Si fiat ab intemperie cum humore salso, cognoscitur ex sapore salso existente in ore, & stomachi grauitate. Ita si fiat ab humoribus biliosis, amarore oris, nausea, mordicatione ventriculi. Si autem fiat propter stomachi dolorē, cognoscemus in primis, quoniam nulla alia ex causis relatis aderit, neque qualitas ciborum, neque vlla alia causa externa. Ad hæc adsunt; eructationes fumosæ, grauitas capitis, oculorum obtenebratio, flatus, inflammatio circa ipsum ventriculum, pulsus debilis est, & densus.

A ventriculo.

Progn. quæ habentur ex siti, pauca sunt, sed hoc est potissimum, quod sitis quāquam sit molestissima, ex se tamen nunquam hominem iugulat: propter quod non satis mirari possum Altimarum dicentem, quandoque siti homines perire, ductus auctoritate Gal. quem sane perperam intellexit: Gal. enim 1. de sym. cau. 7. inquit, quosdam ex potu aquarum salsarū incurrisse profluuium alui, & mordicatione affectos ita tandem perijsse. Nam nō vult Gal. hos perijsse ex siti, sed propter alui fluxum, & mordicationem cum siti, sed non propter sitim. Similiter si quis sitiens multum potet, & ex illo pereat, illa mors non est adscribenda siti, sed alijs erratis. Quare sitis neminem iugulat.

Prognostic.

Dicebat Hip. 4. aph. 19. quod qui purgantur, vbi sitiunt propter medicamenta purgantia, signum est perfectam esse purgationem. Sed notādum est, ne vos hoc decipiat, quoniam sæpe fit vt sitiant, qui medicamenta assumpserunt, priusquam facta sit purgatio, sc. quando medicamēta sunt valida, & calefacientia, quoniam ratione caliditatis exsiccant humiditatem oris ventriculi, & sitim inducunt: sic etiam contingit, vt perfecta purgatione non sitiant, eo quia cum humores salsi, & biliosi sunt euacuati, non solum non inducitur sitis, immo quæ prius inerat extinguitur, Hippoc. etiam dicit, in omnibus morbis pectoris optimum esse non sitire.

An sitis purgationi superueniēs sit signū bonum.

In curatione affectionis huius vnus est scopus, vt affectus, & morbus, a quo hoc symptoma dependet, tollatur. Dico esse vnum scopum, quoniam hoc symptoma nunquam habet rationē causæ; nunquam enim ita vrget Medicum, vt morbo neglecto studium conuertere debeat ad sitim extinguendum. Est igitur vnica hæc indicatio potissima, vt tollatur morbus. Sed quoniā in tollendo morbo sæpe diu moratur Medicus, atque interim æger magnopere cruciatur a siti, ideo necessarium est scire, quomodo sit placanda sitis, vsque dum ablata sit causa.

Indicationes.

Contra sitim multa proponuntur a Medicis, tum simplicia tum composita medicamenta, Gal. n. 7. meth. in cura sicci ventriculi concedit potum a cibo, ad leniendam, & mitigādam sitis molestiam. Hip. 6. epid. com. 3. duo saluberrima præcepta reliquit ad extinguendam sitim. alterum vt os clausum contineatur. alterum, vt sileatur, etenim silentium, & oris clausio leniunt sitim quamcunque, propterea quod humiditas colligitur in faucibus ex ore clauso, quæ paulatim os ventriculi irrorando sitim delet.

Hip. ad placādā sitim.

Sic vbi sitis est ex caliditate, & æstu faucium circa pectus, nullum est salubrius remedium, quam aerem frigidum ore trahere. Nec tunc illud mirum est, quod dicit Hugo Senensis, se vidisse aliquos, qui cum sitirent ex labore, liberati sunt siti, sola mora facta in locis subterraneis, quia hoc vulgatissimum est, vt qui sic sitiunt, quiete, & aeris frigore liberentur.

Berillum, & crystallum ore contenta, quidam dicunt sitim placare non solum proprietate occulta, sed manifesta, quoniam cum corpora sint gelidissima, ratione frigiditatis sitim extinguunt; Putamina, & pulpa cydoniorum, cucurbitæ ramenta, lactucæ folia, ore contenta sitim leniunt. Item notandum illud Auic. vt quando cetera non prosunt, aqua frigida destilletur supra linguam, ita vt inclinato capite lingua possit humectari, neque tamen aqua ventriculum ingrediatur.

Corallū, & crystallum.

Est dubium, an aqua leniat magis sitim, an vinum aqua temperatum? Ex vna parte est Hip. 6. epid. vbi scribit, naturæ calidæ quies, & aquæ potus. Ex altera parte est idem Hip. in lib. de salubri diæta 30. vbi ait, quod qui sitiunt debent abstinere a laboribus, & vinum bibere aquosum, & frigidissimum, quem locum cum exponeret Gal. dicit melius esse hoc præceptum de vino, ad extinguendam sitim, quam præceptum de aqua, quia in vino aquoso non solum adest frigiditas, & humiditas, quę possunt sitim extinguere, verumetiam adest vis penetrandi a vino tributa, propter quam aqua dum magis penetret, & humectet, consequenter sitim citius finiet.

An aqua magis leniat sitim an vinum.

Respondeo quod vbi sitis efficitur ex sola caliditate ventriculi, tunc melius finitur a potu aquę, cum in hac abolenda non sit opus penetratione, propterea facile maiori frigiditate, & humiditate affectus vincitur. Sin sitis oriatur vel a caliditate totius corporis, vel ex alimētis, melius est in eo casu, vt aquę addatur vinum, eo quoniam cum opus sit penetratione, vt sci. membra exsiccata recreentur, vino generoso vti optimum est.

Medicamentum quo ego soleo vti ad extinguendam sitim tale est:

Medicamentum ad sitim.

℞. Sem. psyl.
Cydoniorum an. ℥ j.
Aq. communis lib. ß. Macerentur omnia per noctem, deinde diligenter quassentur, post sublatis seminibus adde sacch. viol. ℥. ß. Conquass. iterum diligenter, dein. de vsu postulante paulatim sorbeatur, & ore contineatur.

Sitis, quę fit a causis externis, eam postulat curationem, vt causę externę ex toto deleantur: sic enim vbi fit sitis ex balneis, alijsue huiusmodi causis externis, omnis curatio posita est in sublatione harum causarum. Haud aliter si fiat ab aliqua intemperie membri affecti, curati

Curatio sitis a causis externis.

non potest, nisi affectio a membro malum communicante auferatur. Si enim a pulmone, aut corde inflammato oriatur sitis, hæc erit ratio curādi, vt aer frigidus attrahatur, qui solus potest curare sitim: si vero ortum ducat sitis a medicamentis purgātibus, curatur somno, cibis humidis, & coctu facilibus. Auic. monet ne multum potetur, & vt potus sit multum frigidus, quoniam qui sic patiuntur sitim, ventriculi facultatem infirmam habent, vnde a nimio potu, & cibo vehementer offenduntur.

Sitis a pulmone.
A purgantibus.

Porro sitis quæ habet causas in ventriculo, quoniam fit essentialiter in stomacho, maiorem postulat diligentiam: attamen cum hæc fiat vel a sola intemperie, vel ab intemperie cum humoribus aliisue causis, est quædam ratio communis obseruanda, sc. vt fugiatur omnis aer calidus, & siccus, ignis, fumus, ira, timor, exercitatio, cursus.

Sitis p essentiam curatio.

Abstinendum a vinis generosis, & dulcibus, imo vitanda omnia intense dulcia, quandoquidem omnia illa sitim duabus de causis faciunt. 1. quoniam potus dulces illico attrahuntur a membris, vnde fit vt ventriculus remaneat priuatus humore, & propterea sitis fiat: & hoc probatur quotidiano vsu, vina enim dulcia quanto plus bibuntur, tanto magis sitim inducunt. 2. quoniam cum a iecore trahantur citissime, ac simul trahantur humores crudi, qui in venis meseraicis obstructiones facientes, in causa sunt, vt humores non penetrent in corpus, & membra exhausta sitim inducant.

Lac siticulosis malum.

Lac etiam fugiendum est, quandoquidem vt Hipp. 5. aph. 64. docet, lac dare siticulosis malum est; quem locum Gal. explicans dicit, lac non tantum noxium esse hominibus natura sitientibus, verumetiam illis, qui ex accidenti, & tempore sitim habent. Vbi notandum est, aliquos esse a natura ita comparatos, vt perpetuo sitiant.

Fugienda omnia acria, salsa, amara, adhibenda vero quæ humectant, & refrigerant. Inter cibos laudatur ptisana, succus papaueris, vel cucurbitæ, carnes agninæ, carnes pullorum, oua cruda, oleraque refrigerantia sunt accommodata, vt lactuca, portulaca, cichorium, sonchus, præsertim recentes fructus, vt pruni, & ficus. Et notādum errorem esse apud Aetium lib. 6. cap. 4. vbi laudat ficus siccas pro siti extinguenda, quod falsum est, quoniam ficus aridæ potius sitim inducunt, propterea legendum virides, ita enim habet codex vetus manuscriptus.

Potus nec debet esse multus, nec paucus: nam Gal. 7. meth. laudat, vt etiam a cibo qui sitiunt, parum bibant, scilicet vt placetur sitis, & molestia omnis mitigetur. Ad hanc rem pertinet locus Hipp. 3. in 6. epid. com. 28 qui locus quoniam pulcherrimus est, & a nemine tractatus, propterea breuiter de eo dicam. Est Hipp. oratio tribus verbis comprehensa: Cibi paucitas sine siti, & lassitudine. Sententiam hanc obscuram in com. veteres interpretes ita intellexerunt, quod voluerit senex docere, paucitatem cibi leuare seu inhibere sitim, & lassitudinem in pituitosis: verum contrarium fieret in illis, qui biliosi sunt, & inaniti. Probat hoc Galenus auctoritate Hippoc. 1. de mor. acutis, vbi Hippocrat. sæpe damnat ieiunium in biliosis.

. Interpretatio quam affert Gal. est, vt voluerit nos commonfacere senex, in mutationib. vitæ semper habendam ante oculos cibi paucitatem, & sitis carentiam, & lassitudinis absentiā. Sed Galenum fuisse virum diuinissimum negare non possum, cogor tamen in hoc ab eius placitis recedere: Nam primo interpretatio eius videtur satis dura, & vi quadam accommodari dictis Hip. præterea, si examinemus phrasin ipsius Hipp. vbi coniungit verba feminini generis cum verbis neutri generis, semper vult verba neutri generis esse resoluēda cum verbis actiuis. Exemplum idem dicit 6. ep. d. ex sententia Galen ἀγρυπνίη λεπτόν, significāt. vigilia homines graciles facit, ita hoc loco, cum vtatur ead. phrasi melius est, vt dicamus ὀλιγοσιτίη id est, cibi paucitas, sitis, & lassitudinis carentiam inducit, vt puto ego veteres optime intellexisse.

Gal. damnatur.

Sed quid dicemus ad rationem Gal.? Respondeo talem vocem ὀλιγοσιτίην esse in prædicamento relationis, nam paucum, & multum vt alias docuit Gal. 9. non solum esse in prædicamento quantitatis, verumetiam relationis: quare cum dicimus paucum cibum, vel possumus referre ad multum cibum, vel ad moderatum: eo in loco Hippoc. dicit cibum paucum, conferens ipsum ad multum; nam idem est hoc in loco, quod dicit Hippocrat. atque illud quando scribit, non satiari, non pigrum esse ad laborem; ita vt paucitas cibi perinde sit, ac non satiari cibis.

Quo sic constituto, facile est respondere rationi Gale. sc. non satiari cibis æque lassitudinem, & sitim prohibere in biliosis, quam in phlegmaticis; nemo enim est, qui nesciat, biliosos omnes si multum cibum capiant, & sitim, & lassitudinem incurrere. Quare iuxta hoc Hipp. præceptum præstantissimum, & constantissimum est, moderantiam cibi, remedium esse sitis accommodatissimum.

Hæc quæ dixi hactenus, communia sunt in curatione cuiuscunque temperaturæ facientis sitim. Nunc videndum quænam intemperatura vigeat, an calida an vero sicca, quia si magis sicca vigeat, erit potius vtendum humidis, quam refrigerantibus, si vero calida, potius refrigerātibus.

Dubitatur, an in siti a sola intemperie conueniat potus aquæ frigidæ, vt remedium? nam Auicen. fesse videtur dicere, frigidum aquæ potum in ventriculo calido, & sicco augere sitim, ratio autem contrarium exigere videtur, quoniam si causa calida est, & sicca, remedium vt sit frigidum, & humidum oportet. Respondeo, conuenire aquā frigidam, præsertim si, vt præcipiunt omnes Medici, addatur aquæ modicum aceti. Sunt tamen tres casus, in quibus aquæ frigidæ potus non conceditur. 1. quando meatus, & vasa in corporib. ita sunt angusta, vt retineant aquam in hypochondriis, ne penetret. 2. quando pauca omnino aqua potatur, sunt enim multi, qui non possunt multū aquę frigidę sumere, & in his potus aquę frigidę auget sitim. Et ratio est

Aquę frigidę potus quibus obsit.

quia

quia quemadmodum fabri ferrarij, vt magis accendant ignem, irrorant, & aspergunt aquam, sic caliditas, & siccitas ventriculi immoderata, frigida aqua conspersa, magis excitatur, & sitis augetur. 3. quando venæ meseraicæ ita sunt obstructæ, & occlusæ, vt non permittant penetrare aquam ipsam, vnde fit, vt retenta aqua fiat veluti materia, & fomes ipsius ignis. Quare his tribus casibus exceptis, frigidæ aquæ potus conuenit copiosus, pro extinguenda siti, quæ fit a calida, & sicca intemperie sine materia.

Curatio sitis a materia. Si fuerit intemperies sicca cum materia, potissima curandi ratio est, vt illa materia tollatur, deinde intemperies corrigatur. Quare si materia erit biliosa, necessario prius præparanda est, si opus sit: deinde eam euacuare oportet medicamētis peculiariter bilem educentibus. Similiter si materia fuerit pituitosa salsa, erit præparanda illius medicamentis solitis, & vbi erat præparata, proprijs remedijs educenda est, quibus factis deinde ad mitigandam intemperiem accedendum.

Intrinseca remedia. Proposita sunt a Medicis plurima medicamenta, tā intrinseca, quam extrinseca. Intrinseca sunt varia Zerapia, & varij potus, vt Zerap. de papau. de granatis, de nymphęa, de iuiubis cū aq. hordei. Varij etiam succi laudantur, vt Cichorij, lactucę, & omnium herbarum, quæ refrigerāt.

Topica. Extrinsecus etiam multa exhibentur, & extremis ipsis, & capiti, & ventriculo. Extremis adhibentur lotiones, quæ mirifice interdum conferunt ad extinguendam sitim, vt sæpe abluantur manus, & pedes aq. dulci. Similiter laudant Arabes vnctiones ex oleo viol. de nymph. de cucurbitis.

Ventriculo etiam adhibentur medicamenta ad ipsum refrigerandum. Sed notandum eos non probari, qui hoc in casu immodice refrigerantibus vtuntur, eo quoniam ventriculus non sustinet, quare sat erit vti emplastro.

Emplastrum cōtra sitim.

℞. Ol. de nymphea.
De violis.
De cucurb an. ℔. ß.
Succi lactucæ
Endiuiæ an. ℥. iij.
Fol. lactucæ.
Endiuiæ.
Solani an M. ß. bulliant simul, & pistentur, factoque catapl. ventriculo apponatur, tali enim extrinseco medicamento poterimus citra vllum periculum intemperiem calidam, & siccam ventriculi extinguere.

Sunt etiam alia lenta vocata, quæ extrinsecus applicata putantur sitim auferre. Inter cetera narrat Albertus Magnus gallum antiquum in iecore lapidem habere, quem gestatum collo sitim omnino auferre, scribit.

Obseruationes ad sitim. Circa ea, quæ interius exhibentur ad sitim extinguendam, tria diligenter sunt animaduertenda. Primo quod medicamenta potulenta debent in multa quantitate accipi, vel frequentissime sunt sumenda. Hoc præceptum non modo tradit Auicenna, verumetiā Aristoteles 1. probl. 23. vbi quærens Aristot. cur potus magnus, & confertim acceptus non extinguat sitim, vt facit potus paulatim sumptus: inquit eam esse rationem, quoniam potus copiosus, & aceruatim sumptus sua grauitate statim a ventriculo labitur, hinc nō humectatus ventriculus, non leuat sitim ex aduerso, si paulatim sumatur, permanens in uentriculo, sitim leuat.

Cur panis uino maceratus magis sedet sitim. Secundo notandum, ea quæ potu sumuntur, debere aliquid viscīditatis habere, vt ea communicetur partibus exsiccatis: & hoc est, quod dicit Aristoteles 1. problemate, panem aqua, vel vino maceratum magis sitim tollere, quam vinum, & aquam tantum, quia panis propter lentorem magis adhæret ventriculo, & magis humectat, vinum autem fulum magis, & citius diffluit, & ideo non humectat, nec consequenter ita facile sitim tollit.

Tertio notandum, vt medicamenta sint grata, & suauia, quia ita a membris, & partibus exsiccatis maiori cum voluptate trahuntur, & consequenter sitis magis, & citius finitur.

An biliosis cōueniat aqua potus. Dubitatur an in biliosis corporibus conueniat aquæ potus? Ex una parte uidetur conuenire quoniam aqua est frigida, & humida, bilis vero calida, & sicca. Est etiam auctoritas Archigenis apud Aetium, & Auicennam, & Serap. qui scribunt omnino conuenire aquam frigidam in siti facta a bile. Ex aduerso est Hippocrates 3. de victus ratione 31. & 3. de fract. 26. ubi scribit, aquā in biliosis naturis conuerti in bilem. Si igitur in naturis biliosis aqua conuertitur in bilem, non uidetur remedium accommodatum ad extinguendam sitim, quia auget bilem.

Pro resolutione huius dubij dicendum, uel esse ventriculo affixam, vel natantem in ipso bilem; si natans sit, conuenit aquæ frigidę potus, si uero sit infixa, minime, quia aqua frigida magis infigit, & congelat bilem in uentriculo. Vel possumus respondere, aquam frigidam in pauca quantitate non conuenire, quoniam retinetur, in multa quantitate conuenire, quia euacuatur, & secum ducit bilem.

Ad Hippocratem autem dicendum est, (etsi Galen. hoc non docuerit) ipsum eo in loco verba facere de aqua, non vt de medicamento, sed ut de potu quotidiano: quia aqua vt medicamētum sumitur in magna quantitate, & id facit, quod dixi; aqua uero in potu quotidiano, cum capiatur exigua quantitate, nocet, vt iam monstratum est.

Sed diceris, estne verum, quod in siti facta a pituita salsa melius sit uti aqua calida, vt docuit Rases, & Auicenna, quam frigida? Dico salsam pituitam, quæ facit sitim, duplicem esse posse, vel subtilem, uel crassiorem: si fuerit subtilis, conuenit frigidæ potus, eo quod leui negotio

frigida extinguit totum illius calorem, & salsedinem: si crassa sit pituita, non conuenit frigidæ potus, quia frigida magis congelat, & crassefacit: ex aduerso calida magis abstergit, & extenuat, ideo Diosc. laudat anisum, Arabes allium, & cepam.

An salsa cõueniat.

Num salsa conueniunt? Alex. enim dicit se vidisse quandoque curatam esse sitim vsu salsorum. Albertus etiam magnus scribit granum salis sub ore detentum expertum esse sitim finire. Dicendum pituitam salsam quæ facit sitim, vel esse paucam, vel multam, illa potest finiri vsu salsorum, hæc nequaquam, sed potius obest vsus eorum.

CAPVT X.

De vitijs facultatis retentricis ventriculi, vt cæliaca passione, & lienteria.

Ratio ordinis.

Coctionem esse ventriculi actionem propriam, nemo fuit, qui dubitauit, quæ operatio vt facilius perficiatur; tres aliæ actiones a natura huic sunt adiunctæ, appetitus, retentio, & expulsio. De vitijs appetitus supra documus, superest vt de alijs operationibus vitiosis verba faciamus, hæc autem vitia non sunt per compendium proponenda, nam vt Galenus dicit 1. de puls. diff. difficilis est hæc tractatio iuuenilibus animis, & valde inimica. Vt autē hæc ordine tradamus, quemadmodum natura voluit, vt primum appeteret animal, deinde retineret, tum coqueret, vltimo expelleret, sic nos post vitia appetitus, secundo loco de facultatis contentricis morbis tractabimus.

Retētio quādo vitiose fiat.

Fit hæc operatio vitiose, quando uel breui tempore retinentur cibi in uentriculo, uel nihil cibi retinetur, si breui tempore, fit morb. cæliacus, si uero nihil retineatur cibi, fit aliud morbi genus, quod Gal. 6. aph. 1. & 4 aph. 12. & Cornelius Celsus appellarunt resolutionem, Latini aliqui uocarunt læuitatem intestinorum, qui hoc morbo teneantur, a Cælio Aureliano sunt appellati ventriculosi.

De nomine Lienteriæ.

Plinius lib. 12. cap. 27. appellauit cæliacos, Rabbi Moyses 17. aph. appellat ventrosos, vt & Arabes fere omnes. Alij appellarunt hunc affectum fluxum stomachicum.

Sed ut in auctoribus medicinæ tuto versari possitis, tria sunt circa nomen huius affectus obseruanda. Primo, apud Corneliū Celsum, & apud Græcos Scriptores, & Actuar. diuersos esse cæliacos affectus.

Nam Celsus lib. 4 cap. 12. statuit hunc affectum esse proprium portæ ventriculi, atque fieri sine dolore, & in ipso aluum astrictam; sed quod magis miror, est, illum dixisse, hunc affectū vocatum esse chiliaceon, nam omnes Græci, qui de hac re scripserunt, multum abest vt hunc affectum faciant proprium pylori, imo omnes in ipso statuunt, excrementa esse fluida, multaque, huncque esse fluxum ventris.

Actuarius lib. 1. soę medicinæ cap. 20. affectus cęliacos vocat omnes eos, qui ex intemperie ventriculi ortum ducunt. An vero Plinius secutus sit Celsum in hoc affectu nominādo, vt Hermolaus voluit, an vero sectatus sit Græcos, non est tempus neque locus hic definiendi.

Secundo notandū, quod Aręteus, & plerique sub nomine Lienterię complex: sunt affectum illū, qui succedit dysenteriæ, de quo affectu, cum suo loco agendum sit, nihil hic dicemus.

Differētia inter liēteriā & cęliacam passionem.

Tertio notandum apud Galenum, & alios doctissimos scriptores esse differentiam inter liēteriam, & cęliacum affectum, quia in illa cum sit pene extincta facultas retentrix, cibi excernūtur secundum qualitatem, & quantitatem penitus immutati. In cæliaco vero affectu exeunt cibi indigesti, sed non prorsus immutati, quia cum aliquantisper retineantur, aliquam mutationem omnino nanciscuntur.

Definitio vtriusque.

Est itaque affectus lienteriæ nihil aliud quam subita excretio ciborum immutatorum, secūdum quantitatem, & qualitatem, vt docet Galenus 6. Aphor. 1. Dico esse celerem excretionē, quoniam statim fere cibus sumptus eijcitur, cum debeat tantum 3. die exire, vt docuit Hip. li. 4. de morbis.

Dico, etiam secundum quantitatem, & qualitatem, quoniam non modo, & color, & sapor, & omnis alia sensilis qualitas reseruatur in cibis, qui exeunt, verum conseruatur etiam copia, & quantitas, quæ fuit assumpta.

Sunt tales affectus, vt dicit Galenus 4. de sympt. diff. in genere actionis retentricis læsæ, & in genere excrementorum mutatorum, quoniam excernuntur ea, quæ, & qualia non debuerunt, & facultas retentrix tam in cæliaca, quam in lienteria est offensa.

Difficultas.

Dubitatur, cur non potius dicatur hoc vitium facultatis coctricis, quam retentricis, eo magis quod potissima differentia excrementorum est, vt sint incocta.

Num coctricis vitium sit lienteria.

Notare, vt coctio perficiatur, necessarium esse aliquod temporis spacium, in quo si frustretur coctio, consentaneum est facultatem coctricem esse læsam. Vbi autem tale tempus non conceditur, læsio hæc non est asscribenda coctioni, sed temporis paucitati. Id autem in lienteria contingit, in qua cum non retineatur cibus tempore debito, & sic crudus exeat, est potius retentricis facultatis quam coctricis peccatum.

Quare hinc patere potest, errasse Aretæum, & Cœlium Aurelium, & post ipsos Auerrho. 3. col. 16. qui omnes existimarunt huiusmodi affectum siue symptoma, esse potius coctricis facultatis quam retentricis.

Cum igitur hæc duo symptomata sint facultatis retentricis peculiaria, id inter ipsa interest, quod in cœliaco affectu retentrix facultas est diminute læsa: in lienteria prorsus ablata, ex 3. de sympt. caus. 4.

Sed duo hic oriuntur dubia. Primum est Galenum in tertio epid. 55. scribere, lienteriam esse symptoma retentricis debilitatæ. *Num expultricis.*

Deinde idem Galenus tertio de symptomat. causis secundo, recensens vitia facultatis expultricis, enumerat inter ipsam lienteriam. Igitur hoc vitium non videtur retentricis, sed expultricis facultatis esse.

Respondeo, vt Galenus sexto aph. 1. docet, liententericam affectionem duplicem esse, primam quæ fit ab acrimonia humorum: secundam vero communiter dictam lienteria, quæ fit sine vlla mordacitate, est vitium facultatis retentricis, & de hac loquimur hoc loco, & locutus est Galenus, quando dixit, esse vitium retentricis facultatis: ea autem, quæ fit ex humoribus acribus, vitium est facultatis expultricis, & de ea locutus est Galenus, quando dixit esse vitium facultatis expultricis.

Pariter si accipiamus lientericam affectionẽ primo modo, est symptoma abolitæ retentricis operationis: sin autem communiter, prout scilicet comprehendat etiam cœliacam affectionem, procul dubio est vitium, etiam debilitatæ retentricis operationis. *A quo morbo depẽdeat. Locus affectus.*

Morbus, a quo proferuntur hæc symptomata, præcipuus est mala ventriculi temperatura, ad hæc vlcus, & tumor. Locus autem affectus, vt habetis apud Gal. 6. de loc. affect. 2. nullus alius est, nisi ventriculus, & intestina: id tamen interest, quod locus, qui primario est affectus, ventriculus est, intestina autem secundario: & sic intelligendus est Galenus cum dixit, ventriculum simul, & intestina lædi in cœliaca affectione: quod in hac concedere possumus, quia etiam nomen ipsum Græcum demonstrat primo affici ventriculum: sed de lienterica affectione videtur cõtrarium esse statuendum, quia hoc nomen Græcis indicat hunc affectũm esse proprium intestinorum. Respondeo id quod dicit Gal. 6. aph. 1. veteres Medicos primum appellasse lientericam affectionem illam, quæ sequitur cicatrices intestinorum, ab hac deinde affectione transtulisse etiã nomen ad affectionem ventriculi, quo in loco eos damnauit Galenus tanquam male facientes, quod ascripserint nomen affectus intestinorum affectui, qui proprie nascitur a ventriculo.

Dixi præcipuum morbum a quo pendent hæc symptomata, esse intemperiem: sed dubitabitur, an quæcunque intemperies possit hæc symptomata inducere. Auerrhoes 3. colla. 12. in ea fuit sententia, huiusmodi symptoma sequi tantum intemperiem frigidam, aut humidam, & frigidam, quam sententiam antiquam fuisse testatur Auic. 16. tertij tr. 4. cap. 2. *An oĩs intẽperies possit hæc sympt. inducere.*

Ex altera parte est auctoritas Galeni 3. aph. 39. & 4. Aphor. 12. vbi simpliciter dixit, has affectiones, fieri ab intemperie, quasi fuerit sententia Galeni nullam esse intemperiem, a qua non possint fieri hæc symptomata. Accedit etiam Auicen. auctoritas, qui loco citato testatur, has affectiones consequi etiam calidam intemperiem.

Accedunt his duæ rationes. Vna quoniam omnis operatio naturalis efficitur a temperie; igitur a vitiata quacunque temperatura offenditur operatio retentricis. altera, quia medicamenta calefacientia sæpe inducunt has affectiones, ideo id agunt propter calidam intemperiem.

Dicendum breuiter, fieri hæc symptomata ab omni intemperie, sed illud interest, quod sæpius fiunt ab intemperie frigida: interdum etiam calida, nam vt testatur Auerrhoes 3. coll. 20. operationes naturæ fiunt a calido commensurato, quare etiam calidum incommensuratum aptum est vitiare, & destruere operationes naturæ.

Causæ horum affectuum immediatæ sunt humores, qui modo faciunt intemperiem, & conseruant, modo vlcera, modo tumores. Ceterum humores, qui hos morbos faciunt, interdũ colliguntur in ipso ventriculo, interdum aliunde ad ipsum mittuntur Hippocrat. libro de affect. de hac affectione verba faciens, scribit, eam fieri a destillationibus capitis, quasi dicat, hanc affectionem non aliunde oriri, quam ab humoribus a capite in ventriculum delapsis. *Causæ immediatæ.*

Ceterum vt experientia, & auctoritates aliæ testantur, potest etiam citra destillationem hoc symptoma fieri. Quid igitur dicemus ad Hip. ita sentio, Hip. eo in loco proposuisse sibi tractare eas affectiones, quæ rarius eueniunt, non autem populares, & vulgares: nam si totum librum percurramus, videbimus eum semper causas morborum diuersas proponere. Itaque cum sit hic scopus Hippoc. & rarius contingat hanc affectionem oriri a destillatione capitis, non est mirum, si hanc tantum causam proposuit, omissis alijs. Et hinc intelligimus humores, qui faciunt, & conseruant cœliacam actionem, interdum a capite originem ducere.

Mediatæ vero causæ, vt Cælius Aurel. statuit, in primis sunt omnes indigestiones, & cruditates frequentes, morbi longi, qui cum ventriculi facultatem semper infirment, iure in his affectibus gignendis causam præbent. Præterea sunt medicamenta venenata, narrat enim Auenzoar lib. 2. tr. 1. cap. 5. herbam quandam inuenit, quæ lienteriam faciat. Potus aquæ frigidæ, nimia ciborum copia, & summatim, quæ vel refrigerare possunt ventriculum, vel exulcerare, inter causas reponuntur, quæ has affectiones inducunt. *Causa mediata.*

Quæ vt testatum habetis in 6. de loc. aff. quatuor indicijs dignoscuntur 1. ꝙ cibi exeunt indigesti, 2. quod exeunt sine dolore, 3. ꝙ exeunt aquosa excrementa. 4. quod corpora extenuantur,

& contabescunt. Sed notãdum eo in loco Hip. dicere, cibos excerni imputrefactos; quod vt optime intelligatur, sciendum illud est, quod docuimus in nostris varijs lectionibus apud veteres Medicos, & Philosophos concoctionem dici putrefactionem: itaque non mirandum, si quandoque legamus apud Hip. cibos putrefactos, imputrefactos, ventriculum putrefactorium, aut similia, quæ omnia coctionem, non autem veram putrefactionem indicant. Hæc ergo erunt signa, quando videbitis cibos statim excerni, sine dolore, atque corpus contabescere. Quod si malum a causis præcedentibus fiat, nullo alio cognoscitur, nisi ex relatu ægri, & adstantium. Vt si fiat a nuda intemperie, eaque frigida, nulla erit sitis, fæces immoderatæ, cibus præcedens ex rebus frigidis, & alia attestabuntur. Si oriatur ab intemperie calida, aderit sitis, excrementa fiunt fætida, ætas, victus ratio, tempus anni, temperamentũ, atque alia, caliditatem indicabunt. Quod si fuerit cum humoribus, hi cognoscentur ex excrementis, quia plerumque cum his cibis immutatis exire consueuerunt etiam humores illi, qui in causa sunt mali; vt si fuerint humores calidi, apparebunt, fæces flauæ, percipietur ardor, & inflammatio. Ex aduerso si fuerint frigidi, nullus erit sensus in ano, humores aquosi misti erunt cum fæcibus.

Signa.

Quando lienteria vitio ventriculi fiat, aut intestinorum.

Sed quæritur quomodo discernendum sit, quando hæc affectio oritur a ventriculo, aut ab intestinis. Dico potissimam esse rationem, quod vbi hoc malum fit ab intestinis, excrementa semper habent aliquam chyli formam, quia tunc retinetur in ventriculo cibus tamdiu, donec aliquam chyli formam acquirat. Cum autem efficitur a ventriculo, quando vel nihil, vel pauco tempore in ipso retinetur cibus, necessarium est, vt aut nihil immutetur, aut non ita, vt consequatur chyli formam. Cum autem virtutis retentricis operatio in tribus sit posita, scil. vt complectatur cibum debito tempore, debito modo, & quo vsque concoctio perficiatur: si vel nullo modo, vel debiliter complectatur, efficiuntur vitia prædicta, scil. cæliacus morbus, & lientericus, qui quomodo sint cognoscendi, diximus.

Affectus vẽtriculi rarus.

Cum autem hæc facultas nõ complectitur cibum debito modo, efficitur illud vitium, quod apud scriptores adhuc nullum nomen habet, & est quando ventriculus cibum complectitur non quiete, vt deceret, sed motu quodam tremulo. Cognoscitur hoc vitium, vt docet Gal. lib. de diff. symp. solum a diligenti, & solerti Medico, atque ægrotante, quoniam ægri percipiunt ab accepto cibo angustiam quandam, quemadmodum tremorem cordis, & ventriculi, qui vix explicari potest, & percipi. Sed hoc vitium cum habeat fere easdem causas, quas habent duo alia vitia supra monstrata, non est necessarium in hoc explicando diutius immorari.

Cur interdũ potus retinẽtur, non cibus.

Est problema speculatione dignum, cur fit, vt narrat Nicol. Florent. quod interdum non retineatur cibus solidus, sed potus? narrat enim ille auctor, se quendam vidisse, qui tametsi quotidie multum vini potaret, tamen cibos tantum solidos excernebat immutatos. Alij vero sunt, qui excernunt tantum potum, retinent autem cibum solidum, vt in diabete contingit. Hoc problema quod a nullo tractatum est, difficilem explicationem, & solutionem habet, dicam tamen meam sententiam.

In diabetica passione ratio, quare statim excernatur potus, non autem cibus, est propter vehementem facultatem attractricis, & renum, & iecoris, vt suo loco dicetur. Hac causa constituta, puto propter eandem contingere, vt interdum excernantur solum cibi solidi, retineatur autem potus, scil. quoniam iecoris facultas attractrix valida nititur attrahere, quia vero cibus solidus indigestus est, ita vt non possit penetrare ad iecur, fit, vt solum pars potulenta, quæ non requirit coctionem, attrahatur a iecore, pars autem solida indigesta derelicta in intestinis, excernatur. Sed dicet aliquis, igitur erit necessarium vt multitudo vrinæ appareat, quemadmodum in diabetica passione. Dico non esse necessarium, quia naturæ prouidentia fit, vt membra destituta cibo, & solidiore nutrimento rapiant ad se humidum, & fluidum, vt eo nutriantur.

Prognost.

Omne vitium retentricis facultatis est malum, eo quia vt Hippocrates in libro de morbis scribit, desinunt hæc vitia plerumque in hydropem, atrophiam, & alia mala lethalia. Quam Hippocratis sententiam mutuans Celsus lib. 4. dicit pessimum esse, vbi ventriculus non est cibi tenax, eo quod soleant membra alimento destituta destitui, & consumi. Aetius lib. 9. cap. 33. liẽtericam affectionem, quæ ab autumno per totam hyemem durat, ait esse difficilem curatu, hoc enim tempore consueuerunt corpora nostra calidiora esse; quare si eo tempore frigida intemperies ventriculi non sedetur, plane arduum est eam alio tempore extinguere.

Quanquam autem hæc omnia vitia sunt mala, sunt tamen inter ipsa quidam gradus, quoniam vt docet Galen. 6. aph. vitium, quod fit a frigida intemperie, est omnium curatu difficilimum, eo quia, vt Gal. dicit 7. meth. omnis frigida ventriculi intemperies est difficilima. Ratio difficultatis in curatione est, quia nunquam læduntur a frigida intemperie insigniter operationes, nisi sit summa: quare cum in cæliaca passione retentrix facultas sit læsa vehementer, necessarium est intemperiem, quæ lædit, esse summam.

Secundo loco mala est cæliaca, & lienterica passio, quæ fit a frigida, & humida intemperie. Nec mirandum, difficiliorem esse intemperiem solum frigidam, quam frigidam, & humidam, quoniam vbi humores copulãtur frigidæ intemperiei, non est necessarium, eam esse adeo vehementem, & magnam. Tertio, quæ ex vlcere, & stomachi tumore ortum ducit. Quarto, & vltimo est vitium, quod fit a calida intemperie.

Fuit Hipp. sententia 6. aph. 1. diuturnæ lienteriæ si ructus acidus superueniat, esse bonum: quem locum cum exponeret Galen. dixit, in re dictum esse in diuturna. Nam sæpe in lienteria solent fieri ructus acidi, præsertim si a frigida intemperie cum humoribus fiat, verumtamen

tamen huiusmodi ructus nequaquam bonus est, quoniam nisi tollatur, signum est, nondũ perfectam esse sanitatem. Quare necessarium est, vt appareat in diuturna lienteria, ita tamen, vt prius non adfuerit. Causa, propter quam talis motus bonus est, vt Hippoc. ait, est, quoniam significat calorem natiuum, qui prius cibum non alterabat, iam validiorem esse factum, ita, vt incipiat alterare, & coquere.

Sed dicet aliquis, cur Hip. scribit ructum acidum esse bonum, an quia ructus, an quia acidus? Dico bonum esse, quoniam ructus, quandoquidem ructus cum sit vapor factus a diminuto calore, procul dubio bonum est, calorem aliquem esse, qui prius non erat. Addit autem Hippocr. eam vocem acidus, quoniam plane in hoc morbo vix fieri potest, vt ructus nidorosus vnquam gignatur.

Curationis Scopi.

Curationis harum ægritudinum communis scopus est, vt retentricis facultatis tonus restituatur: id autem fieri nequaquam potest, nisi causæ, quæ destruunt hoc robur, auferantur: ita, vt scopus præcipuus sit, vt omni diligentia causæ de medio tollantur, quæ facultatem retentricem offendunt. Cum autem plures sint causæ, quæ hoc malum faciunt, frequentissima omnium est frigida, & humida intemperies. Igitur huius præcipue curationem tradam: in qua perficienda illud est animaduertendum, quod in omnibus alijs morbis curandis est obseruandum, vt si quę sint causæ extraneæ omni diligentia amputentur, deinde, vt diligens victus ratio instituatur.

Humidæ intẽperiei curatio. Diæta.

Aer sit calidus, & siccus, somnus prouocandus, quoniam non tantum iuuat retentionem omnium rerum, verumetiam auxiliatur coctioni. Motus omnes animi vehementiores fugiendi, ira, timor, motus corporis sit moderatus, quia, vt quies soluit animal, & torpidum reddit, ita si corpus nimis moueatur, fiunt maiores excretiones, ob maiores motus, balnea aquarum dulcium, obsunt. Auic. enim recte dicit, hæc auxilia valde relaxare, & sic expulsiones omnes augere.

Pro potu conuenit vinum generosum, subadstringens, aqua pluuialis cum coriandro præparata. Dicit enim Auic. coriandrum opitulari ad retinendum in ventriculo cibum. Quare inter cibos, coriandro præparatus panis opitulatur plurimum, carnes item gallinarum antiquarum conueniunt, & ius ipsarum, quod scribit Gal. 10. de simpl. med. adstringere aluum: poterunt omnia fercula condiri, & præparari aromatibus, vt aniso, caroyph. cinnamom. fœniculo. Lac conuenit etiam, sed coctum, vt docent omnes Græci.

An vitellũ oui conueniat.

Alex. Trall. quem secuti sunt fere omnes posteriores, laudat in hac affectione vitellum oui assatum, & aceto conspersum. Sed non possum hoc cibi genus laudare, quia non tantum curandum est, vt cibi retineantur, sed, vt etiam concoquantur. Iam vero vitellus oui assatus difficilis est concoctionis, & vbi non concoquitur, solet ex eo gigni perniciosissimus sanguis. Quare cum alia sint accommodata remedia, magis laudo, vt ab hoc abstineamus.

Si fiat malum a causa calida, contraria ratione victus erit incedendum. Aer eligatur frigidus, & siccus, somnus moderatus, omnes animi affectus leuandi: proinde conuenit aq. chalybeata, cui potest admisceri, vel syr. myrthinus, vel rob. de berberis, vel succus granatorum acidorum. Pro cibo conueniunt carnes prædictæ, sed fructibus, & herbis refrigerantibus, & adstringentibus conditæ, vt est plantago, acetosa, cydonia, pruna acida, & quæcunque adstringere, & refrigerare possunt. Sunt autem in quacunque causa circa victum quinque obseruanda. 1. vt cibi semper ægris offerantur, qui ipsis magis placent, Hipp enim 2. aph. suauiorem cibum, & potum, quamquam deteriorem, præferendum iudicauit meliori, sed insuaui. Ratio, quoniam ventriculus grata edulia magis amplectitur, & tenacius continet. 2. notandum, quod monuit Cellus, abstinendum quantum fieri potest, ab egerendo, nam non debent illi quælibet, vel nimia etiam prouocatione se ad illam conferre, sed abstinere, & quasi sibiipsis vim inferre: sic enim natura coacta assuescit paulatim sponte retinere cibos. 3. notandum, vt parce comedatur, præsertim vero in die. 4. vt vel parum, vel nihil bibatur, ferunt enim eorum hac passione æstate affici, & a natura edoctos esse, vt nihil bibant, quo tempore sunt ægroti. 5. vt fluidi cibi omnino fugiantur.

Circa victũ quinque notanda.

Vbi fuerit victus institutus, si humores malum facientes, mittantur, vel a iecore, vel a liene, prouideatur ne hæc membra mittant, dicit enim Hipp. lib. de aff. curationem esse, vbi materia a capite defluit in ventriculum, vt intercipiatur ille fluxus, vel alio auocetur. Quod si autem nullo loco moueatur, sed ab ipso ventriculo colligantur, est studendum eos primum præparare, deinde purgare. Præparabuntur hoc modo.

Humorum præparatio.

℞. *Mellis ros. simpl. ℥ ß.*
Syr. de absynthio.
De menta an. ℨ. vj. Misce, & mane capiantur.

In hoc casu notandum, vt abstineant ægri ab aquis, & decoctis, quo diutius medicamenta permaneant in ventriculo, & efficacius operentur. Vbi præparati erunt humores, sunt expurgãdi, vel pil. mastich. vel Alephang. Hiera quoque optima est, & a Scribonio Largo maxime commendatur Hiera Pachij: Et hoc quoque medicamento commode vti poteritis.

Purgatio.

℞. *Myrob. chebul.*
Emblic. an. ℨ. j.
Fol. absynthij ℨ. iij.
Fol. ros. rubrarum P ß.
Baccarum myrt. ℨ. iij. F. decoct. in aq. plantag.

Deinde facta expressione.

℞. *d. d. ℥. iiij.*

Agar

Agar præpar. ℈. iiij.
Cinnam.
Zinzib. an. gr. iiij. Infundantur s. a.

Deinde facta expressione adde *mellis rosf. sol.*
Mannæ electæ an. ℥. j ß. M. & sumatur summo mane.

Vbi humores fuerint expurgati; studendum est medicamentis intrinsecis, & extrinsecis robur ventriculi restituere. Ad quod obtinendum laudatur a Gal. theriaca, & aquæ thermales sulphureæ, diaspol. aromat. rosat. Hæc confectio etiam commoda est.

Medicamentum ventriculum roborans.

℞. Succi rosarum antiqui ℥. ij.
Specierum diamarg.
Aromat. rosf. an. ʒ. j. Misce. Cuius mixturæ capiatur singulo mane ʒ. j. vel ʒ.

Extrinsecus conueniunt aq. thermales, sulphureæ, aluminosæ, siue totum corpus immergatur, siue stillicidium super ventriculum fieri curetur. Conueniunt etiam varia emplastra, vt empl. de crusta panis, vnguentum stomachale. Conuenit & hoc.

Topicum ad idem.

℞. Thuris.
Mastiches.
Ladani.
Comæ absynthij.
Mentæ an. ʒ ß.
Panis assati ℥. j.
Coriandri ʒ. iij.
Caryoph.
Nardi.
Cyperi.
Squinanthi an. ʒ. j. ß. Decoq. omnia in vino styptico, deinde exprimatur vinum, & medicamenta, vel in sacculo, vel in panno lineo inuoluta, ventriculo superponantur, & contineantur.

Calidæ intemperiei cum materia curatio.

Possunt etiam hæc medicamenta conteri in subtilissimum puluerem, atque in sacculo poni, & contineri super ventrem. Illud autem in his medicamentis obseruandum est, vt quam fieri potest arctissime, sine molestia tamen, contineantur super ventriculum: ad quod mirifice semper auxiliatur fascia ventriculum cingere, quoniam sic magis facultas retentrix roboratur. Sic si fiat a causa calida, non aliter procedendum erit, vt primo humores præparentur, & præparati expurgentur. Pro præparatione erit hoc medicamentum:

℞. Syr. myrthini.
Syr. rosf. recent.
Syr. de cydon. an. ʒ. vj. M. & capiatur summo mane.

Vbi præparati fuerint humores, expurgabuntur Rhab. & manna, pil. de rhab. sunt optimæ. Optimum quoque est hoc medicamentum.

℞. Rhab. infusi in aq. plantag. & expressi s. a. ℈. iiij.
Manna electa.
Syr. rosf. solut. an. ℥. j. ß. M.

Quod si videamus ægrum promptum esse ad vomitum, danda erit opera, vt vomat, quoniã vomitus, vt testantur Medici, præclarissimum est remedium in hac ægritudine.

Ventriculũ corroborantia. Intrinsec⁹. Extrinsec⁹.

Postquam sunt euacuati humores, studendum erit facultati retentrici ventriculi corroborandæ, medicamentis tum intrinsecis, tum extrinsecis. Intrinsecus accommodatum est sacch. rosf. antiquum, mora acerba, mora rubi, diacydon. simplex sine speciebus, troch. de spodio, & tandem quicquid refrigerare simul potest, & constringere, siue illud sit solum medicamẽtum, siue etiam alimentum. Pari pacto agendum est in medicamentis extrinsecis, vt ea scilicet administrentur, quæ possunt refrigerare, & corroborare, vt est oleum myrthinum, cydon. ol. rosf. omphacinum. Accommodatissimum est, & hoc.

℞. Baccarum myrthi.
Fl. rosarum rubrarum.
Fl. plantag.
Acetosæ an. ℥. j ß.
Acaciæ.
Hypocist.
Berberorum.
Cornu cerui vsti.
Mastiches an. ʒ. j. Bulliant in aq. rosf. vino adstringente, & succo plantag. ana part. æqual.

Vbi bullierint, exprimenda sunt medicamenta a succis, & a vino, & in sacculo posita ventriculo apponenda. Hæc est ratio, qua mederi poteritis affectibus istis, qui ortum ducunt ab intemperie cum humoribus.

Si autem a sola intemperie fiant, eadem remedia conueniunt, exceptis euacuantibus, nam vbi solum intemperies est curanda, non est opus euacuatione.

CA-

CAPVT XI.

De inflatione, seu eructatione ventriculi.

Nomen.

EST & aliud vitij genus, quod circa facultatem retentricem contingit, Hipp. appellauit πνευματώδη, id est, morbum eructuosum. Gal. 3. de symp. causa. nominauit inflammationem ventriculi, 14. meth. vocauit ἐμφύσημα. Cæl. Aurel. lib. 4. de pass. chron. c. 5. ventositatem ventriculi; Arabes inflationem stomachi. Qui quidem affectus frequentissimus est, præsertim vero mulieres, & senes exercere solet.

Descriptio.

Est autem hic affectus nihil aliud, quam dolor ventriculi, & extensio, facta a flatu retento. Dolor iure dicitur, quia sæpe fiunt in ventriculo flatus, sæpe etiam retinentur, sed si nullum dolorem inferant, non est morbus, qui sit curatu dignus.

Ex flatu est, propterea, quod facultas, vbi peccat in modo continendi cibum, ita, vt vndequaque non ambiat cibum, in spacijs illis, quæ relinquuntur inter ventriculum, & cibū, solent duo genera rerum colligi; vel humiditas illa, quæ Galeno dicitur κλύδων seu mucus, sed de hac nō loquimur; vel flatus, & tunc fit ille affectus, de quo agimus. Iure igitur dictum est, flatu retento, propterea quod flatus, qui generatur in ventriculo, vel retinetur, vel expellitur: si retinetur, fit hic morbus, qui dicitur inflatio: si autem exeat, vel exit per superiora, vel per inferiora, si per superiora, efficitur eructatio, quæ est propria hominis affectio, vt infra audietis: si per inferiora, vel exit cum sono, & efficitur crepitus sonorosus, vel exit tacite, & efficitur strepitus tacitus. Est hic discursus Gal. 3. de sympt. caus. a.

Hominē solū eructare.

Eructationem esse propriam affectionem hominis, probatur quoniā Arist. 16. probl. 44. scribit, hominem tantum eructare, iumenta solum crepitum edere. Aues autem, & cornigera animantia, neque eructare, neque crepitum ventris emittere; explicat ipse horum rationem, quoniam iumenta cum collum longum habeant, flatus, qui in ipsis gignuntur, facilius per anum educuntur, quam per os, ob colli longitudinem. Cornigera autem neque eructare, neque crepitum ventris emittere, propterea, quod cum quatuor habeant ventres, in quibus cibi conficiūtur, si quid generatur in ipsis flatus, ob multitudinem ventriculorum, & magnitudinem caloris facile dissipatur. Aues similiter air neutrum horū facere, propter temperiei siccitatem, quoniam cum sint eorum corpora sicca, facile humiditates ita absumuntur, vt non sit locus generationi flatuum. Sed dubitatio est, quoniam Columel. lib. 6. cap. 6. & Vegetius lib. 3. c. 3. dicunt boues cruditate laborantes sæpe eructare. Respondeo, eos loqui de morbosis, Arist. autem non de morbosis. Possumus etiam dicere, boues non eructare, sed similem ructui sonum edere. Est hic affectus, vt Gal. 14. meth. 7. dicit, morbus in magnitudine: possumus etiam appellare symptoma in genere excrementorum.

Qualis affectus.

Causa potissima huius affectionis est debilitas retentricis, nam retentricis facultatis duo sunt potissimum opera, vnum arcte complecti vndiquaque cibum, alterum cibum retinere, vsquequo coctus sit. Circa tempus retinendi fiunt duo illa vitia, de quib. egimus in superioribus. Circa modum complectendi fit hic morbus, ita, vt debilitas retentricis facultatis in causa sit, cur nequeat ventriculus cibum ambire, & sic fiant flatus.

Causa.

Sed quæret quis, quisnam modus sit, quo ob facultatem retentricem læsam hic fiat affectus? Dicendum est, quandoquidem cibus conficitur a diuturno calore natiuo, calor enim natiuus, quo magis concluditur, eo magis concoquit, quapropter cum non perfecte complectitur cibū ventriculus, calor natiuus non restringitur, & sic diminuitur, & fiunt flatus.

Locus affectus.

Ex quibus colligere possumus, locum affectum non esse alium, nisi ventriculum. Sed dubitatur, an tantum ventriculi fundus sit affectus, an totum eius corpus. Sed de his infra, cum de cotione agemus.

Causa interna efficiens.

Causæ aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Internarum alia est effectiua, alia materialis. Causa interna effectiua est calor diminutus. Est enim sententia Arist. 2. meteor. comprobata a Galen. 3. de symp. caus. ad flatuum generationem duo cōcurrere, humidum scil. & calorem debilem; nā vbi frigus summum est, humor quietus manet, & ideo cū sit veluti cōgelatus, ex ipso vapores, & fumi non fiunt. Pariter si calor sit magnus, agitatur quidem humor, verum flatus non fiūt, quia materiæ illæ fluidæ potius euacuantur: solus calor debilis est, qui efficit, & producit flatus.

Causa materialis.

Causa materialis est humor, qui, vel est pituitosus, vel melancholicus, a bile, vt bilis est, nunquam flatus emittuntur, quoniam vbi bilis est, ibi deest causa efficiens, & materialis; efficiens deest, quoniam, vt dicit Hipp. 6. epid. in biliosis ventres sunt calidissima, vt non possint ratione magni caloris excitari flatus. Deest etiam causa materialis, quoniam biliosus humor auctus est ita, vt non possint ex eo flatus fieri.

Icterici non fiunt vētosi.

Propter has omnes causas puto Hipp. 5. aph. vlt. memoriæ mandasse, biliosos, & ictericos nō fieri ventosos, siquidem, vt est apud Gal. 1. de alim. fac. biliosa corpora conficiūt, & concoquūt etiam durissima alimenta. Nec dicat aliquis, falsam esse sententiam Hippocrates, quoniam in icteritia videmus fieri hydropes siccas, quoniam non fiunt hydropes in icteritia propter obstructionem, ob quas debilitatus calor natiuus flatum inducit. Causæ internæ mediatæ temperamenta frigida, sicca, & melancholica, nam melancholici flatuosi, ut Aristoteles 30. partic. problem.

blem. 1. Aetas senilis, sexus muliebris, habitus corporis alatus authore Hippoc. 6. epid. 3. 13.

Causa externa.

Causæ externæ sunt omnes illæ, quæ, & calorem ventriculi hebetare, & humores pituitosos, & melancholicos inducere aptæ sunt, vt est aer frigidus, & humidus, somnus breuis, motus inordinatus, & intempestiuus, tum corporis, tum animi, venus, vt cuidam contigisse narrat Hipp. 6. epid. com. 3. tex. 12. ad hæc potus frigidus, multus cibus, & maxime ille, qui flatum facit, si in nimia copia sumatur, vt sunt fructus, legumina, herbæ, & quæcunque possunt flatum inducere. Modus etiam sumendi cibum sæpe in causa est huius affectus, quoniam secũdum Auic. qui velociter comedunt, facile ventrem flatibus replent.

Signa.

Cognoscitur hic morbus facile, quoniam dolet vẽtriculus, tumidus est, & si manu pulsetur, sonat, nec flatus emitti potest, vel infra, vel supra.

Oedema vẽtriculi, ut ab inflãmatione distinguatur.

Sed dicet aliquis, fit interdum circa ventriculum œdema, quod quoniam nos posset decipere, scienda sunt signa, quibus vnum ab altero dignoscatur. Signa distinguentia sunt hæc, vbi est œdema, pellis facile abscedit manibus, vbi est inflatio ventriculi, adeo distenta est pellis, vt non possit corripi manibus. Accedit, & id, quod docet Gal. in œdemate si percutiatur aluus, non sonat, & digito imprimenti cedit.

Causæ ita dignoscuntur, quoniam si ab externis causis malum oriatur, ex relatione ægri, & eorum contemplatione, quæ præcesserũt, facile colligitur. Et si propter cibum sit, cognoscitur, quoniam morbus augetur statim a cibo, scilicet ratione humorum, tum torpedine corpus languet, tam ante quam post cibum. Si humor sit melancholicus, cognoscitur ex mærore, & mæstitia, quæ si non adsunt, signum est, malum fieri ab humore pituitoso.

Prognost.

Est inflammatio ventriculi, si perdurat, mala, quia raro contingit, quin hæc affectio, si perduret, non desinat in siccam hydropem.

Curatio.

Ratio curationis est, vt virtus retentrix corroboretur, ita, vt possit modo debito complecti cibum. Fit autem hoc, si omnes causæ, tam internæ, quam externæ e medio tollantur. Et ad tollẽdas causas extrinsecas in primis est necessaria recta victus ratio; debet aer esse calidus, & siccus, dormiendum moderate, nam, & nimiæ vigiliæ nocent, & somnus etiam breuis; omnes animi passiones sunt ablegandæ. Corporis exercitatio debet esse moderata, & tẽpestiue facta, semper ante cibum, nam a cibo omnis motus nocet: & Galenus 2. in 6. epid. 35. dicit iuuare eructationem frequenter factam, & Sabinus ait prouocari ructum, si ex vase angusti oris bibatur. Aluus lubrica seruanda; & si non fluat, huiusmodi clystere vtendum.

Victus rõ.

Clyster.

℞. *Fl. chamom.*
Fol. calaminth.
Origani an. M. j.
Anisi.
Fœniculi an. P. j. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. *d. d. lib. j. ß.*
Hiera Gal. ℥ ß.
Ol chamæm. ℥. j.
Salis ʒ. j. Misce.

Suppositoriũ

Possumus etiam vti præter clysterem aliquo suppositorio facto ex melle, cymino, & pul. anisi: nam si quid est, quod iuuat in hac affectione, est quotidiana alui solutio, per quam flatibus exitus paratur. Potus debet esse vinum generosum, tenue, & quanto antiquius, tãto melius erit. Panis debet esse bene coctus, & aniso conditus. A cibo confert, vel anisum, vel coriandrum innere. Similiter si cum ferculis coquantur, vel cyminum, vel fœnicul. vel anisum, maxime conueniet. Laudatur ab Arabibus vsus allij, quod dicit Gal. esse theriacam rusticorum, quoniam flatus, qui in ipsis gignuntur ex prauis cibis, beneficio huius dissipantur.

Cucurbita magna.

Victu instituto, si dolor vrgeat, præstantissimum remediũ solet esse cucurbitula magna ignita ventriculo affixa: nam scribit Alex. & Galen. etiam hoc remedium ita cito auxiliari, vt res diuina quædam videatur. Loco cucurbitulæ esse etiam solent sacculi facti ex furfuribus, aniso, & cinere. Vtor ego vesicis plenis ol. rosac. & chamom. calentibus.

Verum nisi vrgeat dolor, semper ante vsum horum purgandi sunt humores, si pituitosi, hiera, & pil. ex hiera purgentur; si melancholici, euacuentur proprijs medicamentis melancholiam vacuantibus, vt est sena, polypod. epithymus, helleborus niger, myrob. nigri, pil. de fumoterre.

Vẽtriculum confortãtia.

Vbi sunt purgati humores, nihil aliud superest, nisi, vt medicamentis accommodatis intrinsecis, & extrinsecis succurramus. Intrinsecus omnes confect. magnę, diaspol. diatrionpip. diacyminum, piper solidum incisum, & deuoratum, maxime auxiliantur. Extrinsecus vero ol. de piperibus, ol. anisi, & nardinum.

Accommodatissima sunt, & cerata, quæ die, & noctu super ventriculum gestata, non modo flatus dissipant, & discutiunt, verumetiam intrinsecas facultates mirifice consolantur. Mirificũ auxilium est in his affectibus, continuo prouocare eructationem, & ventris crepitus, quia dum flatus isti exeunt vndequaque, ventriculus a dolore, & magna illa molestia liberatur.

CAPVT XII.

De vitijs coctionis.

VT de coctione agamus sequitur, a qua cum cōseruetur vita animalium, omnes aliæ operationes inseruire ipsi videntur. Aretæus lib. 2. de morb. chron. ait, ventriculum esse ducem, & doctorem omnis iucunditatis, & iniucunditatis. Cum ergo coctio fiat a propria ventriculi temperie, de omni stomachi intemperie summatim loquemur. Sed, vt sermo recte instituatur, conabimur inuenire ex contemplatione naturæ rei omnia vitia, quæ fiunt in coctione.

Vitia coctionis.

Aristoteles 4. meteor. 2. dicit coctionem nil aliud esse, nisi perfectionem quandam a natiuo calore, & proprio. Verum hæc definitio quoniam non complectitur omnes coctiones, videndum, quid sit coctio ventriculi, de qua loquuturi sumus. Galen. enim, quem omnes sequuntur in 3. de sym. caus. 1. postquam demonstrasset, coctionem nec esse putrefactionem, vt veteres voluerunt, nec attritionem, concludit nihil aliud esse, quam alterationem secundum qualitates, per quam ventriculus cibos sibi assimilat, adiuuante calore. Quomodo autem præter calorem iuuent coctionem etiam viscera ventriculo circumsita, necnon bilis, & pituita, a nobis indicatum est in adnotationibus marginalibus ad lib. 3. de natur. fac. cap. 7.

An ventriculi actio circa cibum sit necessaria.

Verum circa hanc rem suboritur nobilissima speculatio, an actio ventriculi pro corporibus nutriendis sit necessaria: siquidem Galen. videtur contrarias sententias nobis reliquisse: etenim lib. 4. de vsu partium cap. 1. manifeste docet fieri non posse, vt quicquam alat, nisi prius in ventriculo sit præparatū: at lib. 6. de Hipp. & Plat. plac. cap. 6 & 8. sermonem habens de lacte, inquit, ad hoc, vt id alat, minime necessariam esse ipsius in stomacho præparationem. pro cuius dissolutione dicendum est, lac etsi non habeat opus ea præparatione stomachi, qua alij cibi indigent, paulisper tamen, & ipsum alterari ad hoc, vt quādam chyli formam adipiscatur, atque id manifesto satis conspicitur in hostijs lactantibus mactatis, in quibus ventriculi lacte alterato repleti reperiuntur, ita, vt ex eo postmodum fiat coagulum pro alio lacte cogēdo: tum quoque dicere placeat, Naturam interdum absque vlla lactis præparatione, eo membra nutrire, quando aliter nō potest vita sustentari, quemadmodum in marasmatis corporibus accidere videmus, & quo pacto etiam, quæ per clysteres infunduntur, in summa necessitate, alimētum præstare, a plerisque grauissimis scriptoribus putantur.

Sed quoniam ventriculi natura constituitur partibus solidis, & a temperatura, plane per partes solidas ventriculus non facit coctiones, sed per peculiarē sui temperaturam, quæ alias a Gal. proprietas vocata est: & habet hanc perpetuam regulam, vt vbicunque aliqua pars operationē habet nulli alteri communicatam, necessario etiam habeat propriam temperiē, per quam edit eam operationem. Exemplum habemus ab ipso hepate. quod cum solum sanguinem facere natum sit, a natura obtinuit certam temperaturam, merito cuius sanguificationem facit. Haud aliter ventriculus, cum solus chylum generare a natura sit factus, iure habet propriam, & peculiarem temperaturam, per quam facit chylum.

Cruditas.

Quare si non fiat coctio, fit illud genus vitij, quod dicitur ἀπεψία, Arist. nominauit cruditatē: si non fiat debito tempore, ita, vt diutius maneat in ventriculo cibus, antequam cōcoquatur, fit aliud vitij genus, quod tarditatem coctionis nominant: si vero non fiat coctio debito modo, fit aliud vitium, quod dicitur praua coctio, Arist. autem videtur appellasse coinquinationem.

Tarditas coctionis.

Itaque tria sunt genera vitiorum coctionis. Id tamen notandum est apud Græcos, interdum omnia hæc vitia vno nomine ἀπεψία, seu cruditati dici. Sunt hæc omnia vitia symptomata in genere actionis naturalis læsæ, vel deprauatæ, vel diminutæ, vel ablatæ.

Locus affectus.

Locus affectus est ventriculus, sed quoniam in ventriculo tres partes considerantur, os, fundus, & totum corpus, proprie dictus locus affectus est fundus, quem Seneca, & Marcellus Empiricus appellatunt aqualiculum, quanquam Theod. Gaza in hac re sit valde hallucinatus.

Sed dubitari posset, an præter fundum ventriculi alia quoque pars offendatur. Respōdeo vbi coctio est vitiata, necessario omnes partes ventriculi affici, quia tametsi propriæ coctio perficiatur in fundo ventriculi, veruntamen calor natiuus ventriculi, qui est in toto corpore, ad hanc perficiendam concurrit.

Sed dicet aliquis, plerumque vitiari coctionem, & tamen non vitiari appetitum, quod quidē argumentum esse potest, os ventriculi, vbi est appetitus, non esse læsum. Dico, vbi insigniter læditur coctio, necessario vitiari appetitum naturalem; quod si forte contingit, vt qui male concoquunt, bene appetant, illic sane appetitus vitiosissimus est, vnde appetitus naturalis læsus est, & qui conseruatur est præter naturam.

Causæ.

Causæ horum vitiorum aliæ sunt internæ, aliæ externæ: internæ aliæ ad facultatem coctricē pertinent, aliæ non. Internæ sunt morbi, vel instrumentales, vel similares. Instrumentarij morbi, qui sunt causa vitiatæ coctionis, sunt primo inflammatio ventriculi, erysipelas, similiter scirrhus, & œdema. Hi sunt morbi, qui facultatem ipsam coctionis lædentes vitia recensita inducunt. Morbi singulares sunt omnes intemperies frigidæ, calidæ, humidæ, siccæ simplices, & complicatæ, tam cum humoribus, quam sine his.

Internæ.

Causæ

Causæ internæ non pertinentes ad facultatem, tres sunt, ætas, quemadmodum est senilis: senes enim necessario vitiatam habent coctionem: sexus, vt mulieres, quoniam hæ semper detericius concoquunt, quàm viri: habitus corporis: qui enim sunt graciles, qui non habent ventriculum pinguedine obductum, plerumque habēt coctionem vitiatam. Vnde Gal. in lib. de vsu resp. testatur, fuisse pugilem, cui cū vulnere ablatum esset rete, perpetuo vitiatam coctionem habuit.

Externæ.

Externæ causæ complures sunt. 1. aer, austrinæ enim constitutiones coctionem vitiant. 2. somnus, & vigiliæ, quoniam qui parum dormiunt, vix fieri potest, vt bene coquant. 3. motus animi, dicit enim Auic. timorem coctioni valde obesse, gaudium prodesse; ego vero dico, immoderatū gaudium etiam obesse, quoniam gaudio diffunduntur, & dissipantur spiritus, & calor natiuus imbecillus fit. 4. motus corporis: nam, qui, vel nihil, vel inordinate mouentur, coctioni detrimētum inferunt, sic motus post cibum coctionem impedit. Balneorum etiam nimius vsus coctionem lædit. Venus, vt Galen. 3. & in 3. epid. 3. similiter lædit.

Cibus etiam maxime omnium ad vitiandam coctionem videtur conferre. 1. qualitate, quando scilicet cibi sunt duri, crudi, viscidi, frigidi. 2. quantitate, vt si plus sumatur, quam conuenit 3. ordine, si primo adstringentia accipiantur, & vltimo laxantia. 4. tempore, vt si cibus capiatur nouus, priusquam antiquus sit concoctus, vitiatur omnibus his modis coctio. Studia etiam mire conferunt ad lædendam coctionem: fossores enim, & messores, & athletæ rebelles cibos conficiunt, literati, & qui studijs operam nauant, vt Celsus ait, maxima ex parte imbecillo sunt stomacho, & vix leuissimos cibos conficiunt. Hæc est series omnium causarum efficientium cruditates. Circa quæ sunt nonnulla consideratione digna. c. est, An quælibet intemperies possit coctionem vitiare? De calida enim, & frigida a nemine dubitatum est, sed solum de humida, & sicca intemperie. Ex vna parte sunt, qui negarunt ex his intemperiebus posse vitiari coctionem, quoniam hæ duæ qualitates, siccitas, & humiditas, sunt mere qualitates passiuæ, ita, vt nihil facere possint per se, quia si aliquid agunt, vt Auic. ait, agunt propter morbos, quos inducunt, vt humiditas faciens hydropem vitiat coctionem, non vi humiditas est, sed, vt hydrops, sic siccitas efficiens marasmum, vitiat coctionem, non ratione sui, sed ratione marasmi, quem inducit.

An quælibet intemperies possit coctionem lædere.

Ex altera parte est auctoritas Serapionis, qui putans omnes naturæ operationes a qualitatis intemperie lædi, sicut fiunt operationes naturæ a temperatura, libere asseruit etiam ab humida, & sicca temperatura vitiari coctionem.

Pro cuius rei solutione constituendum est, non quamlibet humiditatem, & siccitatem vitiare coctionem, sed, vt illud agant, has conditiones requiri, vt sint vehementes, vt longo tempore durent, vt secum habeant aliquam ex actiuis qualitatibus coniunctam. Et ratio est, quoniam cū sint minimæ, vel nullius actiuitatis, nisi copulatam habent aliquam agentem qualitatem, vix fieri potest, vt vel coctionem, vel aliud vitient.

Alterum notandum est, an quodlibet vitium coctionis possit fieri a qualibet causa, tum intrinseca, tum extrinseca, an potius determinatum vitium fiat a determinata aliqua causa? Hoc autem definiendum est ex rei ipsius natura perspecta.

Diximus fieri coctionem a proprietate, vel propria temperatura ventriculi, adiuuante calore. Quare, quæ vitiare debent coctionem, debent necessario vitiare calorem, calor autem offenditur a duobus, vel a suo contrario, vel a suo excessu: nam neque humidum, neque siccum, quæ sunt passiuæ qualitates, possunt calidum actiuum offendere. Cum autem offendatur calor a suo excessu, & contrario, perspectum esse potest vnicuique, contrarium magis offendere calorem, quam excessum. Igitur maius vitium, quod contingit in coctione ex læsione caloris, est a frigore. Itaque colligendum, cruditatem seu ἀπεψίαν, quæ est maximum vitium, fieri solum ab ipso frigore.

Animaduertendum tamē est, nos hoc loco sermonem habere de causa intrinseca, quoniam hoc vitium coctionis fit etiam ex multitudine ciborum, ex eorundem duritie, quæ omnes, vt intellexistis, causæ externæ sunt.

Causa alia externæ.

Quod si, vt Aretæus statuit, raritas, & subtilitas ventriculi, vel retis priuatio, & alia multa inducant cruditatem, non alia ratione id faciunt, nisi quoniam summum frigus in ventriculum inducunt. Iam vero tarditas coctionis non fit a solo frigore, sed a calore diminuto, quia si calor sit magnus, vritur, si autem paruus, & diminutus, coquitur quidem cibus, sed longiori tempore. Pariter a causis internis mediatis, & ab externis fit, nam senes tardius coquunt, quam iuuenes, qui habent ventriculum gracilem, tardius, quam qui habent carneum. Similiter copia cibi maior, longiori tempore coquitur quam minor. Tandem si discurramus per omnes externas causas, videbimus fere ab omnibus tarditatem digestionis fieri, sicuti corruptio digestionis, siue sit ad nidorem, siue ad ructum acidum, efficitur tum a calore, tum a frigore, sed semper fit frequētius a caloris excessu, quam a frigore. Ratio est, quoniam, vt Arist. 4. meth. dicit, corruptio, & putrefactio fit a calore extraneo.

Quod autem corruptio coctionis fiat tam a causa calida, quam a frigida, locupletissime docuit Alex. Tral. lib. 7. c. 12. & lib. 10. cap. 2. Quam Alexādri sententiam confirmat Auer. 3. collig. 16. & 41. vbi dicit calorem natiuum corroborari a calore, qui ei formaliter non repugnat, hebetari vero, & diminui ab externo calore, & repugnante, veluti erit ab ambiente calore. Idem dici potest de corruptione coctionis ad nidorem nā etsi maiori ex parte corruptio nidorosa coctionis oriatur a causa calida, tamen interdum etiam fit a causa frigida, eo quia a calore nimio externo calor natiuus corruptus inducit frigidam intemperiē, a qua fit corruptio nidorosa, imo

vero

vero omnis huiusmodi corruptio, siue fit in acidum ructum, siue nidorosum, potest etiam induci a qualitate, & natura ciborum, vt sunt fructus acerbi, & herbæ, oleosa, & pinguedines, quæ facile in acidum corrumpuntur.

Nidor. Quid sit sapor acidus, & ructus acetosus, arbitror paucos esse, qui ignorent: quid sit nidor, & quæ corruptio nidorosa, plerique ignorant. Nidoris autem naturam, vt cognoscamus sciendũ est, vt Aristoteles scribit 4. met. θυμίαμα seu suffitum nihil aliud esse, quam excretionem quandam humidi, & sicci, factam a calore vstiuo: quæ excretio diuersificatur secundum materiæ diuersitatem suam si materia fuerit lignea, vt sunt ossa, & pili, hæc excretio appellatur καπνός, siue fumus: si sit adiposa, dicitur fuligo, si pinguis, & oleosa dicitur nidor, ita, vt nidor nihil aliud sit nisi excretio materiæ humidæ, & calidæ, facta a calore vstiuo ex materia pingui, & oleosa.

Nidor quid. Sciendum tamen vocari hunc affectum proprie nidorem, quoniam si communiter loquamur, nidor est excretio facta ex quacunque materia, siue adiposa, siue pingui, & oleosa: nã Arist. 4. de hist. animal. 8. pisces vesci nidore carnium, & nidore aliorum piscium auctor est, vbi per nidorem nihil aliud intelligit, quam hãc excretionem communiter sic vocatam. Sic apud Hom. & Porph. libr. de sacris, pro suffitu nidor accipitur, quo nidore credidit superstitiosa antiquitas deos nutriri.

Dicat aliquis, si talis est natura nidoris, quemadmodum dictum fuit, cur reponitur a Gal. inter species cruditatis? Dico id fieri, quoniam huiusmodi corruptio ciborum vere neque cruditas est, neque assata materia, sed media quodammodo inter ea, quæ sunt perfecte assata, & inter ea, quæ cruda.

An ab errore externo lædatur chylosis. Tertio notandum circa coctionis vitia, an in omni vitiata coctione sit necessarium vitiari facultatem coquentem? Ex vna parte videtur ratio attestari, semper eam facultatem vitiari, quoniam omnis actio fit a facultate, &, vt omnis actio sana fit a facultate sana, ita actio vitiata necessario videtur oriri a facultate vitiata. Præterea omnis actio læsa sequitur morbum aliquẽ: igitur coctio vitiata ab aliquo morbo dependet. Itaque cum morbi offendant facultatem, plane videtur necessarium, in omni vitiata coctione vitiari facultatem.

Ex altera parte est id, quod diximus superius, & auctoritas Galeni 3. de symp. caus. 1. vbi dicit, vitiari coctionem interdum, non vitiata facultate, veluti quando vitiatur ab errore externo.

Respondendum actiones vitiatas esse duplices, aut contemplabiles, aut non contemplabiles: appello actiones contemplabiles, quæ habent opus auxilio Medici, non contemplabiles, quæ sine eius auxilio sponte tolluntur, vitiosæ coctiones contemplabiles omnes necessario dependẽt a vitiata facultate: nam fieri non potest, vt actio vlla lædatur insigniter, quin simul lædatur, & eius facultas. Coctio vitiata non contemplabilis, non est necessarium, vt sequatur læsam facultatem, quia huiusmodi vitiata coctio parua est, & non eget auxilio Medici, ea propter Gal. loc. cit. sermonem habens de hac vitiata coctione, dicebat, quod coctio, quæ oritur ab errore externo, leui negotio tollitur. Exempli gratia læsa est coctio propter multitudinem ciborum, sublata multitudine ciborum statim restituitur actio: sic quæcunque coctio, quæ læsa est ab errore externo, eo errore sublato, statim restituitur actio.

Quarto notandum, quod inter causas vitiantes actionem reposuimus ordinem ciborum, scilicet quando primo adstringentia assumuntur, deinde laxantia.

An ordo ciborum conferat ad coctionem. Occurrit dubitatio, an verum sit ordinem ciborum ita referre, vt is omnino seruandus sit ad perfectam coctionem. Ex vna parte est auctoritas Hippocratis lib. de aff. qui scribit cibos laxantes, & præsertim fructus, si capiantur post cibos alios, maxime nocere ægro, & valenti. Ex quo loco elici potest fuisse sententiam Hippocratis, vt seruetur ordo in cibis, & fructus post alios nõ comedantur. Est & auctoritas Galeni 3. de sympt. caus. vbi scribit, vitiari coctionem, si prius adstringentia, deinde laxantia sumentur. Est etiam eiusdem sententia. 2. de alim. fac. quod, quæ citius coquuntur, prius sunt sumenda, quę vero tarde posterius. Ratio patet ex Galeno, quoniam si secus seruetur ordo, cum, quæ postremo sumuntur, citius, quam alia coquuntur, nec possint e ventriculo exire, fit, vt corrumpantur. Est pręter has auctoritates omnium fere Medicorum communis opinio, quæ statuunt, ordinem in comedendo seruandum esse. Ex aduerso sunt argumenta non exigua. 1. est deductum ab Hipp. qui nunquam in legitimis libris videtur curam habuisse ciborum, priusne hic, vel ille comedatur, imo vero, qui in veterum scriptis sunt versati, potius contrarium esse seruandum iudicarent: quandoquidem, qui plurimo egent tempore, vt coquantur, necesse est, diutius maneant in ventriculo, & vt maneant in fundo ventriculi, vbi perficitur coctio. Sed edulia difficilia coctu plurimo opus habent tempore, vt coquantur, ergo debent prius edi. Hæc ratio tantum valuit apud Arabes quosdam, vt dixerint, si vllus ordo seruandus sit, deteriores cibos esse prius manducandos.

Pro huius quæstionis resolutione, secundum meam sententiã quinque sunt supponenda. 1. est, non vno, ac eodem tempore omnes cibos, qui sumuntur, coqui, sed alios, facilius, & citius, alios difficilius, & tardius elaborari. Auic. 13. tertij tr. 3. cap. 4. constituere videtur idoneũ coctioni spacium quinque horarum, quasi omnia corpora sana spacio quinque horarum cõficiant cibum. Eodem autem lib. c. 8. tempus, quo egreditur cibus a ventriculo, secundum multos interpretes, definisse videtur 10. horarum. Sed mea est sententia, non posse vere statui tempus determinatum coctioni ciborum, quoniam tãta est varietas corporum, humorum, ciborum, vt alij citius, alij tardius conficiant cibos, nam clarissimum est pauciores cibos breuiori tempore coqui, sicuti, & simpliciores cibi facilius coquuntur, ita, vt non possit determinatum tempus co-

ctionis constitui. 2. supponendum, quod quando nos quærimus de constitutione ciborum, loquimur de corporibus sanis, quia sunt nonnullæ ægritudines, in quibus cogamur primo cibos laxantes ægro exhibere. 3. quando dicimus præmittendos esse hos, vel illos cibos, illud intelligi posse, quod vel statim præmittantur, vel quod aliquo temporis spacio præmittantur. 4. in ventriculo omnes cibos redigi sub vnam formam chyli, & propterea necessario omnes cibos in ventriculo simul commisceri. Probatur hoc experientia, nam si animal aliquod brutum, vel si homo secetur quatuor, aut quinque horis ab accepto cibo, conspicitur manifeste omnes cibos simul esse confusos, & redactos sub vnam chyli formam. Gal. 4. de vsu par. 7. sermonem habens de ventriculi vsu, dicit facultatem ventriculi hoc diuinitus obtinuisse, vt postquam cibum totũ confecerit, discernat vtilia ab inutilib. id quod vtile est, mittat ad iecur, quod inutile ad intestina. Adfert Gal. exemplum de eo, qui excernit frumentum, aptũ ad optimum conficiendum panem, ab eo quod est ineptum. Addit Galenus pylori munus esse, vt tamdiu contineat ventriculum clausum, quousque cibus sit concoctus, neque permittat prius exire, quam sit in formam chyli redactus: haud aliter atque vterus, qui tamdiu fætum clausum retinet, quamdiu completus est. Ex quo videtur colligi posse, cibum in ventriculo totum simul commisceri, & non prius ab eo exire, quam sit ad formam chyli redactus, qui enim philosophiæ principia intelligunt, id perpetuum habent, non posse quicquam generari ex pluribus rebus, nisi earum facta sit perfecta mistio. Si igitur inducenda est chyli forma, necessarium est, vt præcedat mistio illa generationem. 5. supponendum est ad perficiendam coctionem conferre plurimum, vt os ventriculi superius sit clausum, quoniam sic calor fit fortior, & actio eius in cibum vehementior. His positis statuo, nihil referre, (simpliciter loquendo) in corpore sano, an hic vel ille cibus primo sumatur, quoniam si fit vna ex omnibus chyli forma, sic omnes cibi commiscentur, procul dubio fiue hoc siue illud prius assumatur, tamen miscentur, & ex omnibus fit vna chyli forma.

Nihil referre an hic, vel ille cib. prius sumatur.

Diceris a Gentili, & eius asseclis scriptum est, non esse verum, omnes cibos simul commisceri, nec esse verum, quod vna tantum fiat chyli forma, sed alios citius chylescere, alios tardius, & ideo qui primo eduntur citius redigi ad formam chyli, & citius exire, qui vero tardius sunt chylificati, tardius prodire, & propterea referre, vt quæ ciborum genera citius coquuntur, præponantur alijs, quo citius exeant.

Contra horum sententiam est primo experientia, quoniam ex corporib. incisis facile intelligitur, omnes cibos simul misceri, & vnam solum fieri chyli formam. 2. est quoque ratio, quoniam cum opus hoc fiat a calore, caloris autem proprium est miscere, colliquare, & confundere, necessarium erit omnes cibos quantumcunque varios in ventriculo confundi. Sed demus istis, non vnam fieri chyli formam, sed varias: dico si hoc verum esset, nihilominus nihil referret, vt seruaretur ordo ciborum: quia si varij cibi diuersis temporibus chylescunt, alij prius, alij posterius, & qui prius chylescunt, exeant, sane siue hoc, siue illud cibi genus capiamus, illud idẽ eueniet, quoniam tempore constituto exeunt, adeo vt non referat, an hunc, vel illum primo cibum assumamus.

Alterum quod constituo est, si vllus ordo seruari debet inter cibos, hic esse debet, vt non statim hic vel ille capiatur, sed aliquo temporis spacio. Exempli gratia vnius aut alterius horæ interuallo. Quamobrem scriptores statuentes hunc ordinem, dicentes hunc vel illum cibum esse præmittendum, nihil aliud intellexerunt, quam vt præmittatur vna hora, vel altera. Et quod hoc sit verum, videre est apud Galenum 2. de fac. alim. c. de prunis, vbi scribens, pruna ad aluum molliendam ceteris cibis esse præmittenda, mandat vt ab ipsis acceptis non statim prandeatur, sed paulo post, ita vt possint fructus dissolui, & dissoluti exire.

Postremum est illud, si lenia, & coctu facilia sunt aliqua de causa; vel ob valetudinem, vel ob aliud, præsumenda, præsumuntur duabus, vel tribus horis ante cibum. Similiter si gratia alicuius valetudinis præsumenda sunt adstringentia, semper præsumantur vna, aut altera hora ante alios, quoniam si optamus beneficium ex hoc vsu, est prouidendum, ne superuenientibus alijs cibis huiusmodi beneficium, vel imminuatur, vel extinguatur: nam si cum alijs cibis commiscentur hæc adstringentia, vel laxantia, valde confunduntur, & eorum facultas obtunditur.

Nec dicendum, nos dare cassiam, & mannam, hora vna ante cibum, & tamen operari: aliud enim est loqui de medicamentis, aliud de cibis: verum quidem est, dum alendum est, in corporibus sanis magnopere conferre, vt vltimo loco astringentia sumantur, quoniam, vt supposuimus, refert ad coctionem perficiendam os ventriculi superius esse clausum, namque sic calor conclusus magis, & felicius perficit concoctionem ciborum.

An ciborũ varietas coctionem impediat.

Superest, vt vltimo loco consideremus, an ciborum varietas coctionem impediat. Gal. 3. de sympt. caus. 1. dum refert omnes causas, quæ coctioni incommodant, varietatis ciborum nullã videtur mentionem fecisse. Hęc quęstio disputata inuenitur apud Plut. 4. sympos. c. existimo ego secundum Medicos, ciborum varietatem inter alias causas, quæ coctionem lædunt, locum habere: nam Arist. 1. problem. 18. scribit, varietatem ciborum morbosam esse, & addit rationem, quoniam varietas ciborum turbat ventriculũ, nec vna coctione cibus perfici potest. Auic. scribit multitudinem specierum ciborum magnopere nocere coctioni, quoniã ex varijs cibis alij facilius, & citius coquuntur, alij tardius, & difficilius; quę inequalitas causa est, vt coctio magnopere vitietur, vnde fit, vt plerique pallidi inquit Horatius desurgant a cœna dubia; nam ea nihil aliud est, quam varietas ciborum, quæ concoctionem vitiat, vt dicunt Medici, & consequenter pallorem inducit. Sed quæritur, cur Galen. inter alias causas nullam fecerit ciborum variorum

mentio-

mentionem. Puto ego Gal. varietatem intellexisse sub copia ciborum. Ratio est, quoniam vix fieri potest, vt qui varios cibos comedunt non peccent etiam in copia, quia scilicet varietas ciborum appetitum excitat. Simplex cibus ait Gal. in li. de sal. diæta, c. 20. inducit salubritatem. Quare id sit constitutum, varietatem ciborum coctioni maxime nocere.

Signa cruditatis.

Signa ἀπεψίας sunt, quoniam vomuntur cibi incocti, & immutati, ructus qui integram ciborum qualitatem repræsentant ante, siue post spacium sex, vel septem horarum: nam ex sententia Auic. homines consueuerunt spacio quinque, vel sex horarum, modo sint sani, cibos si non perfecte concoquere, saltem satis mutare. Accedit quod corpus attenuatur, quoniam vbi continuo stomachus crudus est, necessario corpora tabescunt, & extenuantur. Inter hæc signa est etiam capitis grauitas, quæ a vaporibus crudis a ventriculo elatis inducitur. Inquietudo, præsertim tempore somni, nam vbi homines dormire exoptant, si ventriculus crudus sit, loco stare nequeunt, modo in hoc modo in illud latus se vertunt.

Quæret aliquis, vnde cum cruditas cibi oriatur, tam ex vitio retentricis, quam concoctricis facultatis, quomodo dignoscendum sit, quando fit vitio retentricis, & quando vitio coctricis. Hoc inter alia maximum signum est, quod vbi fit retentricis vitio, semper cibi statim exceruuntur, vt supra, vel infra, vbi vitiata est coctio, nequaquam necessarium est, vt cibi statim exceruantur: imo cum retentrix maxime valeat, cibi longo tempore retinentur.

Signa tarditatis coctionis.

Signa tarditatis coctionis sunt, flatus ventriculi, qui ipsum distendunt vsquequo perfecta sit coctio, ructus, & odor ciborum post 10. horas: dico post 10. horas, quia tametsi maiores nostri propter temperantiam citius coquerent cibos, nunc tamen vix inuenies vnum, aut alterum, qui citius spacio 9. horarum conficiat cibos, & ideo coctionis tarditas non potest cognosci, nisi hoc commune spacium pertranseatur.

Signa corruptionis ciborum.

Signa corruptionis concoctricis facultatis sequuntur: dicit Auic. corruptionis ciborum quatuor esse species, putrefactionem, ructum acidum, nidorosum, & vstionem. Putrefactio ciborũ cognoscitur potissimum fœtore, quoniam si anhelitus fœteat, si feces, & crepitus alui sunt fœtentes, si etiam vrinæ malo sunt odore præditæ, constituendum est corruptum esse cibum in vẽtriculo. Accedunt alia signa, rugitus ventris, nausea, mordicatio. Et notate sæpe vsuuenire vt homines, in quibus corrumpuntur cibi, præter feces incredibilem aquæ copiam reijciant: Iuuenes & alios vidi sæpissime, qui excernerent maximam copiam aquæ ex corruptione ciborum. Vnde autem fiat hæc aqua, non aliam rationem inuenire possum, nisi quod omnes cibi conuertuntur in aquam nimio calore: Videmus enim res duras ab immoderato calore conuerti in aquã, & Arist. testatur ex vna parte terræ fieri decem aquę partes. Sic etiam puto in his, in quibus corrumpuntur cibi propter nimium calorem, fieri hanc aquæ multitudinem.

Aquarum multitudo vnde in quibusdam excernatur.

Corruptio ad ructum acidum cognoscitur sapore acido, & ipso ructu acido: vt etiam corruptio nidorosa ex ipso ructu nidoroso, & sapore illo, qui refert oua assata, illa enim species est corruptionis cibi nidorosi.

Corruptio propter vstionem cognoscitur amarore, qui percipitur in ore, & calore; cognoscitur etiam sapore quodam, qui refert carnes, & pinguedines assatas. Hæc sunt signa vniuersalia, quibus cognoscere possumus omnia vitia vniuersalia coctionis. In cognoscendis causis vniuscuiusque vitij debemus paulo diligentiores esse.

Signa causarum.

Causæ autem primitiuæ, & antecedentes, cognoscuntur relatione ægri, & adstantium: internarum causarum signa sunt complura, intemperies frigida, siue cum materia sit, siue sine materia, cognoscitur quodam sensu frigoris, præcipue circa stomachum, sitis paucitate, eructatione acida, & iuuamento, quod percipitur ab vsu rerum calidarum. Præter hæc sunt flatus, & dolores, & infirmitas omnium corporis vitium. Dicit enim Gal. 1. de loc. aff. 4. & 2. de temp. vix fieri posse, vt vbi refrigeratum est intense corpus, non cooffendantur simul magnopere vires. Signa intemperaturæ calidæ, tam simplicis, quam compositæ, sunt ructus nidorosi, sitis continua, caliditas circa ventriculum, perceptio odoris frixorum ouorum, delectatio, & vtilitas ex vsu rerum frigidarum. Præterea ætas, regio, tẽpus anni, vita anteacta, sunt ex his, quæ maxime iuuant ad intemperiem calidam inueniendam.

Signa incoctionis ab humida intemperie, sunt, si humida omnia, si ab vsu siccorum sentiunt vtilitatem, continua alui fluxio, egestiones aquosæ, & humidæ, sensus fluctuationis præcipue in ventriculo, item sexus, ætas, humida regio, temperamentum.

Ex aduerso signa incoctionis factæ a siccitate, sunt oris siccitas perpetua, magnitudo sitis, corporis extenuatio, aluus exsiccata, fæces duræ, vtilitas ex vsu rerum humidarum. Et notate, eadem fere signa indicare siccitatem, quæ etiam indicant raritatem ventriculi, quoniam propter siccitatem ventriculi necessario ipsius substantia rarior efficitur, & consequenter etiam subtilior, propter quam subtilitatem, & raritatem expirante calido natiuo, fiunt cruditates.

Signa apostematis in vẽtriculo.

Si fiant hæc vitia ab apostemate, cognoscitur, quoniam circa ventriculum apparet durities, tumor, dolor in scapulis, propter cõmunicationem œsophagi: dolor augetur a cibo. Addit Rases linguam in apostematibus ventriculi esse rubeam, & crassiorem. Ratio est, quoniam ex tumore ventriculi perpetuo subministrantur vapores linguæ, qui eam rubram, & crassam reddũt.

Signa calidi, vel frigidi humoris in ventriculo.

Sed dicet quis, quomodo cognoscitur quando sunt calidi, vel frigidi, vel in ore, vel in fundo ventriculi tumores? si fuerint ex materia calida, vt ex sanguine, & a bile, percipietur amaror in lingua, & eadem erit crocea, incredibilis æstus percipietur in palato. Sic etiam si fit a sanguine tumor; caliditas erit in faucibus, sapor dulcis in ore, & rubicundior erit lingua, con-

Signa ulcerũ ventriculi.

tra si a frigidis tumoribus. Quod si ab vlceribus fiat malum, febris adest continua, ab accepto cibo dolor mirifice exacerbatur, vomitus sunt saniosi, & fœtidi excernunturque quandoq; fragmenta carnium ab ipso ventriculo, nam refert Rases 5 com. se vidisse per vomitum reiectum fuisse carnis frustulum, quod existimauit emanasse ab vlcere fistuloso ventriculi.

Prognost.

Est Hip. sententia 6. epid. vbi ventriculus confusus est, omnia in corpore cõfundi, quod etiam a Sereno confirmatum, ita vt vitium coctionis grauissimum sit malum: imo vero, vt scriptum est a Galen. libr. de cibis boni, & mali succi, & ab Auicen. continuas indigestiones perducere ad grauissimas ægritudines, imo dicit omnium ægritudinum esse matres. Et quanquam, vt dixi, omnes incoctiones malæ sint, sunt tamen inter ipsas quidam gradus, quandoquidem omnes cruditates, quæ fiunt a causis externis, leuiores sunt ceteris, neupe quas dicit Gal. facile, & sponte curari.

Inter factas etiam a causis internis sunt quidam gradus, pessimum enim est signum, in quibus cibi nihil mutantur, vt in apepsia. Secundo loco corruptio omnium nitissima est tarda coctio. Scriptum est ab Auic. in conualescentibus, si cibus corrumpatur ad acidum ructum, portendere recidiuam. Cuius sententiæ hæc est ratio, quoniam vbi cibus in acorem vertitur, signũ est ventriculum refrigeratum esse, refrigerato ventriculo fiunt crudi succi, & crassi: ab his necessario obstruuntur venæ, quibus obstructis fit febris.

Gal. 6. meth. 5. comparans inter se ructum acidum, & nidorosum, dicit, in corporibus calidis, & siccis ructum nidorosum deteriorem esse acido. Sed obijcitur, Hip. dicere, in morbis eos minus periclitari, quorum morbi sunt similes naturæ, complexioni, & ætati. Quod si verum est, cum ructus nidorosus similis sit temperamento calidorum, & non ructus acidus, videtur debere esse deteriorem acidum nidoroso. Respondeo, Gal. sententiam veram esse, quoniam si eius verba attente legamus, loquitur eo in loco de febrib. & ad generandas febres inquit, ructum nidorosum in corporibus calidis esse deteriorem, quia si his corporib. addatur nouus calor, vt indicat ructus nidorosus, facili negotio subministratur febris. Ex aduerso cum ructus acidus proficatur a frigiditate, in corporibus calidis, si frigus incidat, tantum abest, signum esse febris futuræ, vt potius sit remedium. Quamobrem sapientissime dictum est a Galen. eo in loco, nidorosum ructum in corporibus siccis deteriorem esse acido.

Cur exsiccata corpora difficulter humectantur.

Digestionis vitium ex causa sicca est omnium difficilimum curatu, quoniam vt tradunt Auic. & Gal. difficile est humectare admodum sicca corpora, quemadmodum facile est humectata exsiccare. Nam Gal. 7. meth. 9. dixit, intemperiem humidam facilem esse curatu, siccã vero non ita, quia partes neruosæ, vbi sunt insigniter exsiccatæ, ita meatus ipsorum constringuntur, vt nullus sit locus aptus ingressui humiditatis; accedit etiam, quia quantumcunque humectentur huiusmodi partes, humiditas tamen nullo modo potest adhærere, quia nulla est similitudo, nulla proportio inter liquorem, & partes illas exsiccatas.

Indigestio facta a causa frigida facilius curatur, quam facta a causa calida, quia vt corrigatur vitium frigiditatis, vtimur remedijs calidis ad calefaciendum ventriculum, a quibus nullum imminet periculum, quandoquidem quanto plus calefacimus ventriculum, modo non excedantur termini, tanto melius est; secus autem est, quando volumus curare intemperiem calidam, quoniam, ad id agendum, opus est remedijs refrigerantibus, ex quibus magnum imminet periculum, si paulo plus, quam conueniat, ventriculum refrigeremus. Et hoc est, quod supra docui ex Auicen. cauendum esse, ne remedia nimis refrigerantia adhibeantur vẽtriculo, quia hoc modo extinguitur calor naturalis ventriculi, quo extincto ruit corporis nostri status.

Vitia omnia ventriculi ex tumoribus, & vlceribus fere lethalia sunt, imo vero apostemata, & vlcera ventriculi, nisi statim coerceantur, nullam curationem amplius sustinent, quoniam non consolidantur iuxta illud Hipp. qui scribit, neruos, vesicam, ossa, & similia incisa non coalescere.

Curatio.

Curatio vitiorum coctionis cum multa habeat capita, necessarium est, vt varia quoq; sit, nã quæ fit a causis primitiuis, & externis, duos scopos habet. 1. vt de medio tollantur eæ causæ, quia nisi illæ auferantur, vix fieri potest, vt curatio succedat. 2. vt ventriculus corroboretur. Etsi enim primitiuæ causæ paruam faciunt in ventriculo impressionem, faciunt tamen aliquam, merito cuius cum debilis reddatur, necessarium est, vt confortetur. Modus corroborationis capitur ex modo offensionis: dicit Gal. de diff. morb. 5. & 2. ad Glauc. debilitates partium oriri propter duas causas, scilicet intemperiem, & meatuum multitudinem, seu raritatem: possimus addere tertiam propter prauam qualitatem, quia omnia membra, quæ redduntur debilia, ideo redduntur talia, quoniam, vel fiunt intemperata, vel raresiunt, vel aliena quantitate afficiuntur.

Igitur sublatis causis primitiuis, videndum est, an remanserit intemperies in ventriculo, an raritas, an vero mala, & venenata qualitas. Si remanserit intemperies, corrigenda est per sua contraria, si raritas, studendum est, vt remedijs adstringentibus robur restituatur, si venenosa qualitas, vt debitis remedijs illa extinguatur.

Curatio vniuersalis. Diæta.

Hæc est curatio vniuersalis, sed necesse est, vt simus magis soliciti de cura horum vitiorum, quæ fiunt a causis internis, in qua aliqua sunt communia, aliqua peculiaria. Inter communia primum est victus ratio, itaque in omni coctione vitiata primum fugiendus erit aer turbulentus, omnia animi accidentia grauiora vitanda, somnus, & vigiliæ nimiæ vitandæ, quia sicut somnus moderatus iuuat, sic vigiliæ modum excedentes coctionem lædunt: quies corporis fugienda, exercendum corpus, præsertim ante cibos, coitus frequens, & immoderatus valde est fugiendi

fugiendi sunt omnes cibi, & potus, qui propria natura sunt rebelles, similiter nimia quantitas fugienda, ordo peruersus, tempus importunum, & omnia alia, quæ coctionem vitiant.

Medicamenta.

Est quoque circa medicamenta ratio vniuersalis, vt causæ tollantur, & primo humores præparentur, deinde euacuentur, postea ventriculus corroboretur intrinsecis, & extrinsecis remedijs. Peculiaris curæ duplex est ratio, altera ablatæ, & altera diminutæ coctionis. Facio hæc duo capita, quia diminuitur, & ablatæ læditur coctio a causa frigida, corrumpitur vt plurimum a calidissimo vt Auerrh. dicit 2. coll. a fere omnes morbi qui fiunt circa stomachum, causantur a frigiditate, quia cum stomachus sit membrum frigidum, propter naturam nerueam, facile labitur in morbos sibi similes.

Victus diminutæ, & ablatæ coctionis.

Particularis igitur curatio diminutæ, & ablatæ coctionis posita est in viuendi ratione, præsertim quando frigida causa est sine materia. Debet igitur aer esse serenus, subtilis, orientalis, animi omnia studia dimittenda, præsertim ab accepto cibo, & si quid est quod coctionem offendit, plane est omne studium quod fit ab accepto cibo ante cibum est exercendũ corpus, post cibum omnino quiescendum. Et tametsi Aristot. 2. post. uidetur statuisse, ambulãdũ esse post cibum, ne supernatet cibus, fuit tamen illa sententia potius philosophica quam medica: quare magis amplectenda Galenica, in lib. de cibis boni, & mali succi, motum a cibo maxime esse noxium.

Balnea.

De balneis habemus Possidonii sententiam, apud Aetium lib. 6. c. 10. ea magnopere prodesse ad perficiendam coctionem, imo uero Colum. & Plinius institerunt contra Medicos suorum temporum, eo quod ad coquendas cruditates maxime laudarent balnea.

An super latus dextrũ vel sinistrũ dormiendũ.

Somno indulgendũ, quantum fieri potest, quoniam vt testatur Gal. 4. de tu. val. nihil est quod perficiat facilius cibos ipso somno. Circa quem locũ sunt nonnulla notanda, quæ scribit Aetius lib. 9. cap. 24. & Auic. 13. tertii. tr. 3. cap. 7. Primum est dormiendum esse capite quãtum fieri potest, eleuato, quoniam hoc situ maxime accommodatur cib. in fundo vẽtriculi, & ideo facilius concoquitur; Vnde in hoc laudandus est Germanorum mos, qui fere semper capite eleuato dormiũt. 2. vt fiat somnus super latus sinistrum, quia sic magis descendit cibus in fundum ventriculi, sed quoniam maior pars hominum solet primum somnum longum facere, nec confert coctioni, vt turbetur somnus, laudo ego, vt dormiatur super latus dextrum, quoniam hoc modo iecur superponitur ventriculo, quem suo calore fouens auxiliatur coctioni. Tertio notandũ ex Aristot. 6. problem. 3. præceptum fuisse, Medicorum veterum, vt dormiatur corpore inflexo versus abdomen, propter duas rationes, vna est, quoniam sic ventriculus melius incalescit, & propterea citius cibum conficit: Altera quoniam in hac figura flatus, qui generantur in ventriculo, spacia habent, vbi se condant.

Dicet aliquis, nonne idem Arist. ead. sect. problem. 7. ait, nos libentius recumbere super sinistrum latus, dormire autem super dextrum? Respondeo, aliud esse dormire libentius super hoc, vel illo latere, aliud quod hic, vel ille modus dormiendi magis conducat ad coctionem. Somnus super sinistrum latus magis cõfert coctioni, verum gratius, & promptius est omnibus dormire super latus dextrum.

Cur gratius sit dormire super latus dextrum

Cur autem hoc sit gratius, duas affert rationes Aristot. 1. quoniam inter laborandum partes dextræ semper magis laborant, & consequenter magis fatigantur, fatigatis partibus iucundissima est quies, quoniam magis requiescunt partes defatigatæ, si super ijs dormiamus, ea propter libentius dormimus super illis. 2. quoniam lux dormientib. est inimica, qui autem dormiunt super latus sinistrum, dormiunt aduersus lucem, qui vero super latus dextrum, dormiunt auersa luce, & propterea melius dormiunt. Petrus Apon. multum laborauit, vt traderet causam, propter quam dormientes super latus destrum minus aspiciant lucem; sed incassum laborauit, quoniam nulla alia est causa, nisi quod apud veteres in more positum fuit, vt semper lectum ita collocarent, vt recumbentes in sinistra parte viderent lucem, qui autem super dextrum, minime. Et ideo faciebant, quoniam vbi volumus operari, ratio postulat, vt e regione lucis manum dextram habeamus: sed hæc obiter.

Præ ceteris ad perficiendam coctionem, vt dicit Galen. 5. de simpl. med. fac. 6. & Auic. loco citato, confert, si catellus, vel puellus, ita amplectatur, vt tangat ventriculum. Sed monet Galen. vnum, & Auic. alterum circa hoc: quod monet Galen. est, vt diligenter attendatur, ne puer ille sudet, & si forte sudauerit, vt a ventriculo remoueatur, ne ipsum tangat. Quod monet Auicc. est, vt ille puer sit ætate 12. aut 14. annorũ. De cibis, & potibus studendum, vt quantitate, & qualitate ac ordine iusto offerantur. Qualitas certa ciborum, vt ego videre potui, a nemine præscripta est. Lucretius 4 de nat. quem sequitur Celsus lib. 1. cap. 1. fuit huius sententiæ, non esse vllam rationem qualitatis ciborum habendam, sed sat esse, si coquantur cibi, qualescunque sint. Sed sententia Medicorum salubrior est, scil. eligendis cibis, & potibus magna vtendum esse diligentia. Nec valet quod coquantur, quoniam vt Galenus docet de alimen. fac. cibi praui quãquam exactissime coquantur, longo tamen tempore ex ipsis in venis colliguntur praui humores, qui qualibet, vel minima arrepta occasione pestiferas febres, & morbos malos inducunt. Ideo fugiendi cibi duræ coctionis, & excrementitij, vt carnes bubulæ, porcinæ, ostreæ, pisces duri, legumina, herbæ, fructus, duriores præsertim: hæc enim omnia licet bene coquantur, ex ipsis tamen colligitur longo tempore magna copia prauorum succorum. Cibi faciles coctu sunt illi, qui a Celso dicuntur cibi naturæ mediæ, vt panis optime fermentatus, & coctus, oua sorbilia, pisces saxatiles, præsertim vero si cum ipsis iungantur aliqua aromata, quæ calefacere ventriculum, & consequenter coctioni auxiliari possunt. Inter fructus conueniunt

An delectũ ciborum debeant habere sani.

aliqua pyra cocta, pistachia, passulæ putantur faciles esse coctu. Sed ego contrarium statuo, quoniã experientia testatur eas integras, vt sumuntur, excerni. Circa ciborum varietatem notandum illud est, cibos quanto sunt simpliciores, tanto coctu esse faciliores. Similiter quanto minus sunt conditi, & alienis saporibus quasi venenati, tanto sunt meliores, nam eiusmodi condimenta nihil aliud sunt quam irritamenta gulæ. Ante alia ad perficiendam coctionẽ, vt Auic. monet, cibi prius exactissime conteri, & dentibus leuigari debent. Potus debet esse uinum frigidum generosum, vetustum, teste Celso. Sed dicet quis, cur præcepit uinum frigidum, quasi homines bibant calidum? Dico non otiose dixisse Celsum vinum debere esse actu frigidum, quoniam multi possent existimare, cum calida iuuẽt coctionem, uinum etiam debere esse calidũ, propterea Cels. addit frigidum, quoniam vinũ calefactum si bibatur, necesse est excitari sitim, nec iuuat coctionem, sed potius vomitum excitat.

An passulæ faciles coctu.

Quantitas potus debet esse modica, ita ut possit tantum eliquari cibus in ventriculo, atque sic distribui.

Celsus lib. primo cap. 8. laudat, vt antequam eamus dormitum, sorbeantur duo, vel tres cyathi, qui sunt 4. aut 5. vnciæ, aq. frigidæ. Plut. in lib. de tu. val. hoc præceptum est amplexus, & laudauit. Ego quoque non improbo, primo, quoniam aqua frigida eo tempore potata, quo incipiunt vapores in caput tolli, eos comprimit, & coercet: Deinde etiam, quoniam calor ea hoc potu magis intra ventriculum colligitur, & augetur, tum quia os ventriculi magis constringitur. Imo Gal. 5. aph. 49. ubi nocte homines sitiunt propter vsum ciborum, aut potuum calidorum, nec obdormiscere possunt, laudat aq. frigidę potum in media nocte, eo quod auxilietur coctioni, & sitim extinguat. Post victum, institutum, cum succurrendum sit temperaturę frigidæ, inuenienda sunt remedia, quæ intrinsecus, & extrinsecus adhibita, possunt eam corrigere. Intrinsecus omnia aromata, & odorata vtilissima sunt. Zedoaria, cinnamom. zinzibi. lignum aloes, nux myrist. macis, &c. Nec solum simplicia conueniunt, sed multa etiam composita sunt accõmodata, vt omnes confect. magnæ, aromaticum rosat. diatrionpip. diacym. Item medicamenta exterius adhibita, vt varia oleor. genera, ol. caryoph. nucis myrist. ladani, & hoc quo ego utor.

Aqua an iuuet cõcoctionem.

Linimentũ pro coctione iuuanda.

℞. succi ment. ℥ ij.
Ol. nardini.
Caryoph. an. ℥. ß.
Cinnamomi.
Ligni aloes.
Caryoph. an. ℈. j.
Cera parum. M. & f. linimentum.

Cum autem hæc intemperies quandoque copuletur humiditati, propterea notandum, an humiditas, vel siccitas sint coniunctæ; quoniam si intemperatura sit frigida, & humida, nõ tantum ventriculus calefaciendus, sed etiam exsiccandus est, & ideo præter medicamenta dicta cõueniunt etiam alia, quę sunt exsiccantia, & calefacientia, vt aquarum thermarum vsus, præsertim, quæ sulphure pollent, vt sunt Aponenses, quarum virtus mirabilis in calefaciendo, & exsiccando uentriculo frigido, & humido. Conueniunt hęc non solum intus receptæ, verum etiam extrinsecus per stillicidium, vel infusionem adhibitæ. Et sicuti dico, medicamenta debere esse calefacientia, & exsiccantia, sic etiam agendum erit circa victum, vt omnis ratio victus inclinet ad calefaciendum, & exsiccandum. Sed si iuncta fuerit frigiditas cũ siccitate, magno studio vtẽdum erit; vt enim docet Gal. 7. meth. difficilimum est curare intemperiem frigidam, & siccam ventriculi. Erit itaque hic ventriculus diligenter humectandus, & calefaciẽdus. Et quoniã siccitas ventriculi in hoc casu impressa est, debent ea eligi, quæ & sua tenacitate possunt adhærere facile, & humidum natiuum restaurare. Sunt vero duo remedia præcipua ad hoc accommodata, lac, & aquæ dulcis balneum. Modus, & ratio exhibendi lac alias a me explicata fuit, & a Gal. 7. meth. lac caprinum commendatur, sed magis muliebre; & in hoc casu si quid est, quod possit calorem natiuum reficere, est lac humanum: Illud enim non solum calefacit, & humectat, verũ etiam sua tenacitate vehementer adhęret ventriculo.

Intemperies frig. & humida ventriculi vt corrigenda.

Cura intempe. frigd. & sicca.

Balneum etiam aq. dulcis efficacissimum est ad corrigendam hanc intemperiem. Sed dicet quis, quomodo balneum aq. dulcis, quod humectat totum corpus, iuuat ventriculum? Duas ob causas hoc remedium est accommodatum. 1. quoniam quando cuncta corporis mẽbra humectantur, ea non sumunt a uentriculo, & consequenter non exsiccant. 2. quoniam dum humectatur vniuersum corpus, necessario humectatur etiam uentriculus. Quare dicta omnia medicamenta, & victus ratio præscripta, in corrigenda frigida ventriculi intemperie, ita sunt accommodata, vt calefaciant, non autem exsiccent, sed potius humectent. Atque tot sunt scopi, quibus auxiliamur diminute, vel ablate concoquentibus, ob intemperiem nudam. Sed si sit humoribus coniuncta intemperies, modus curationis est, vt videamus an illi humores colligantur sponte in uentriculo, aut aliunde confluant. Si aliunde confluant, prohibendum est, vt omnino non mittantur. Nam si a capite fluunt, illud est exsiccandum, & sic intercipiendus fluxus; si a iecore, similiter curandum, ne ij humores ventriculum inficiant. Si missi sunt, videndum est, an in uentriculo supernatent, aut ei sint infixi: Similiter qui in eodem colliguntur, an ab eo sint separati, an adhereant; si sint separati a uentriculo, ita ut natent, curandi sunt per uomitum, vt statim expurgentur; sed in eo excitando maxima adhibenda est diligentia,

Vomitus.

scil. vt

scil. vt medicamenta vomitum excitantia eligantur, quæ leuia sunt, quoniam quæ vehementer cient vomitum, omnia etiam ventriculi robur valde labefactant. Si vero humores sint adhærentes, vel erunt pituitosi, vel melancholici: Isti enim sunt soli, qui cum intemperie humida imminuunt coctionem.

Pituitosa materia præparatio.

Si materia fuerit pituitosa, præparanda erit hoc modo:

> ℞. *Syr. de betonica.*
> *Oxy simpl.*
> *Mellis rosa. an. ℥. ß. M. & capiatur cal.*

Diximus alias, vbi syrupi debent præparare humores ventriculi, non debere misceri vllum liquorem, vt possint diutius in ventriculo permanere.

Melanch. præparatio.

Si fuerint melancholici, præparantur syr. fumoterræ, de lupulis, succo borrag. de pomis, Saporis regis. Itaque hoc modo ordinandum.

> ℞ *Syr. de pomis.*
> *De fumoterra.*
> *Oxym. simpl. an. ℥. ß. M.*

Vbi humores erunt præparati, sunt euacuandi, sed in euacuatione notandum, vt mitissimis medicamentis hoc agamus, quoniam fortiora virtutem ventriculi valde hebetant. In pituita euacuanda hiera omnium conuenientissima est, pil. aleph. Mesue, medicamentum Melampodis apud Gal. descriptum 8. de comp. med. loc. Poterimus etiam accedere ad Diacathol. Si materia fuerit melancholica, elect. de sena erit accomodatum, Syr. de polypod. de epithymo, de helleb. nigro; pil. grauiores de lapide lazuli debemus omnino fugere. Circa victum, vbi humores cum intemperie offendunt coctionem, debet fere eadem ratio seruari, quam monstraui sequendam esse in nuda intemperie. Tria autem solum, vbi humores sunt coniuncti cum intemperie, sunt seruanda, vt dicit Gal. 8. de med. loc. 1. Si humores sint praui, ita vt non adsit laxitas, de qua Gal. interdum mentionem fecit, nunquam esse cibis adstringentibus vtendum, nisi isti humores purgati fuerint: quoniam si isti cibi in vsu haberentur, plane succi illi praui magis infigerentur tunicis ventriculi. 2. vt semper cibi faciliores coctu offerantur in intemperie cum humoribus, quam in nuda; quoniam in illa ventriculus est multo magis affectus, quam in hac. 3. vt retentio fæcum noxia est in omni coctionis vitio, ita perniciosissimam esse in eo, quod fit ab intemperie cum humoribus. Ratio, quoniam nisi continuo cum excrementis excerdantur isti praui humores, tanto magis offenderetur ventriculus. Hæc est ratio curationis diminutæ, & ablatæ coctionis. Quod si corrupta sit coctio, corrumpitur, vel ab intemperie calida, vel frigida. A causa frigida, quando vertitur ad ructum acidum; a calida, quando vel ad ructum nidorosum, vel ad ustionem conuertitur. In omnibus his vitijs communissimus scopus est, vt quam primum fieri potest, cibus corruptus a ventriculo expellatur. Gal. enim dicit 4 de tu. val. vbi corrumpuntur cibi in ventriculo, eos sæpe exire, atque tunc nihil mali efficere posse, sed si sponte non exeant, studendum esse, vt aliquo medicamento statim expellantur. Quapropter si promptus erit æger ad vomitum, vera ratio expellendi statim humores putridos, est per vomitum. Sin ad vomitum non sit procliuis, expellendus erit cibus per secessum, & inter medicamenta, quæ hoc possunt facere, est hiera: Nam declarans Gal. quod sit medicamentum accommodatum ad educendos corruptos humores nominat hieram. Vbi cibi sunt euacuati, statim elaborandum est restituere tonum ventriculi, quod fit corrigendo intemperiem, quæ si fuerit frigida, corrigenda erit ea ratione, quam monstraui, sin calida, vel pura, & nuda erit, vel cum materia. Si calida pura, in constituenda victus ratione eligatur aer frigidus, & siccus, quies seruetur omnino, & circa cibum, & potum maxima cura adhibenda. Vinum non conuenit, sed loco eius, vel aq. hordei simplex, pluuialis, vel chalybeata: mellis vsus secundum Medicos omnes fugiendus. Cibi debent esse faciles coctu, panis ex hordeo, vel oryza, succus ptisanæ, inter fructus conueniunt pruna, cucurbitæ, persica, granata. De quibus granatis Auenzoar. inquit, quod si capiantur a cibo, in stomachis calidis faciunt, ne cibi corrumpantur. Inter herbas etiam conueniunt, quæ refrigerant, vt sunt omnia cichoracea, lactucæ, quæ etiam per se sola possunt mandi, aut cum carnibus. Præter hunc victum sunt medicamenta intus, & extra adhibenda, quæ intemperiem corrigant. Ex simplicibus est camphora, Corallium, santali omnes, coriandrum viride. Ex compositis conf. rosar. de nymph. hæc etiam confectio est accommodata.

Humores si coniuncti sint cum intemperie.
1. nos.
2.
3.
Curatio corrupta coctionis.
Scopi.
Alterantia calidum ventriculum.

Confectio in calida ventriculi intemp.

> ℞. *Sacch.*
> *Conf. cichor.*
> *Rosarum an. ℥. j. ß.*
> *Sem. nymphaa.*
> *Lactuca an. ℥. ß.*
> *Corall. rub.*
> *Camphora an. ℈. ij pulueris. puluerisentur: & misc. cuius capiatur ℥. ß. vna vel altera hora ante cibum.*

Extrinsecus conueniunt omnia ea oleorum genera, quæ sunt apta refrigerare, vt ol. ros. ol. de nymphæa, de cucurbit. Hæc etiam inunctio maxime valet.

Inunctio ad idem.

> ℞. *Ol. de absynthio.*
> *Nymphaa.*
> *Cucur. an. ℥. ß.*

Santal. omnium.
Corall. rub. puluer. an. ℈. j.
Cera parum f. linimentum.

Si sit intemperies calida coniuncta humiditati, refrigerandum, & exsiccandum erit, quibus conueniunt empl. apposita ventriculo, ex far. hordei, fabarum, &c.

Si intemperies coniuncta caliditati sit sicca, erit refrigerandum, & humectandum, propterea balnea aq. dulcis conueniunt. Nec mirandum, quod laudem, tam in intemperie calida, quam in frigida, balneum aq. dulcis, quoniam inter tepida medicamenta balneum obtinet primum locum, tepida autem medicamenta æque corrigunt caliditatem, atq; frigiditatem.

Sed si fuerit intemperies non nuda, verum humoribus copulata, videndum est an isti humores sint supernatantes, & faciles ad expellendum per vomitum, an vero sint infixi. Si supernatant expellendi sunt per vomitum, ijs medicamentis, quæ leuia sunt, vt aq. tepida cum aceto, vel cum oxym. simpl. vel penna ol. tincta. Si vero non supernatent, sed fuerint infixi, primo præparandi sunt, deinde expellendi. Præparantur autem syr. de end. de nymphæa, de granatis, vt:

Præparatio humorũ calidorum.

℞ *Syr. de nymphaa.*
Oxysacch.
De endiuia an. ℥. v. M. & accipiantur frigida actu. quoniam ad corrigendam intemperiem calidam ventriculi, non modo convenit, vt medicamenta sint frigida potentia, verum etiam actu.

Vbi fuerint præparati, expellẽdi sunt aloe sola lota, vel illota vtilis est ad euacuandos humores calidos, & subtiles e ventriculo, maxime si non in magna copia exhibeatur, quoniam, vt docet Gal. 8. de med. loc. si paulo plus exhibeatur aloe, non solum a ventriculo, sed etiam a iecore, & alijs partibus humores attrahit.

Hæc agenda sunt, si humores colligantur sua sponte in ventriculo; si autem aliunde veniant, prouidendum erit illis partibus, quæ mittunt humores ad ventriculum, vt iecori, lieni, capiti. Et notate si humores biliosi, vel melancholici fuerint, qui mittuntur a liene in ventriculum, inter alia remedia conuenire quandoque venæ sectionem.

Imo expertus sum ego, vbi b[illegible] euomeret a iecore in ventriculũ, maxime auxiliatam fuisse iecoris sectam venam. Idem putandum est de vena lienis, vbi humore ab ipso liene mittuntur in ventriculum corrumpentes coctionem. Hęc est ratio, qua succurritur, vbi ab intemperie calida cum humorib. vitiata est coctio. Præter hæc sunt quędã alia, quæ naturæ proprietate existimantur auxiliari coctioni, inter cetera est lapis Iaspis, & Corallium. Portantur hæc extrinsecus ventriculo alligata auxiliari coctioni. Nec negligenda hæc remedia, quæ si non iuuant, saltem non nocebunt. Similiter interna illa tunica ventriculorum gallinarum puluerisata in potu accepta, indicata est conferre magnopere ad perficiendam coctionem: verum Gale. hac de re loquens, dicit se nullam fecisse experientiam, an hæc tunica conferat coctioni, nec ne.

A proprietate conferentia ventriculo.

CAPVT XIII.

De inflammationis ventriculi ratione.

Victus ratio.

Tumorum ventriculi curatio tametsi non videatur pertinere ad hanc tractationem, breuiter tamen docebo curationem inflammationis, quæ aut parum, aut nihil diuersa est a curatione aliorum inflammationũ. In hac igitur curanda est primo victus ratio instituenda, vt aer sit frigidus, & quiescat æger, maxime vero, vt Gal. 13. meth. monet, tradenda est ratio cibi, & potus; nã ptisana est cibus omnium accommodatissimus, herbæ refrigerantes decoctæ, vt cichorium, lactuca, endiuia, & omnia cichoracea, panis, in aqua lotus. Vinum omnino fugiendum est, & vtẽdum, vel sola hordei aqua, vel aq. cocta.

Instituto victu prohibendum ne inflammatio augeatur, & studendum, vt eã quę facta est, auferatur. Circa quos scopos multa sunt notanda, & primo circa prohibitionem inflammationis conueniunt frictiones, cucurbitæ, venę sectio. Sed notãdum, quod quamuis dixerit Gal. in omni inflammatione sanguinis missionem esse efficacissimum remedium, tamen in inflammatione ventriculi parcissime est euacuandus sanguis, nisi adfuerit magna plenitudo.

Vena sectio.

Purgantia.

Circa secundum scopum notandum, ante huius morbi declinationem nullum euacuãs medicamentum conuenire, quoniam cum hęc medicamenta trahant ab vniuerso corpore ad vẽtriculum, facile inflammationem augent. Quod si aliqua conueniat euacuatio, vt Auenzoar monuit, solus clyster sufficere potest.

Topica.

3. Notandum omni tempore conuenire medicamenta simul mista ex adstringentibus, & discutientibus, id quod docuit Gal. 13. meth. Quare extrinsecus erit componendum medicamentum ex ol. de absynth. cydon. rosaceo, chamomell. vino, mastice, vt scilicet materia discutiatur, & insimul robur ventriculi cõseruetur. intus vero accommodata est ptisana, succus cydoniorum, lac amygd. dulc. & amar. syrup. ex rosis siccis, decoctum cort. granat. cydon. chamom. & tandem in omnibus medicamentis, tum intrinsecis, tum extrinsecis, hunc scopum habeatis, vt simul adstringatis, & discutiatis.

Desinente inflammatione, poterit aliquod lene medicamentum exhiberi, vt Manna, Cassia,

Cassia, Tamar. vt simul possitis aluum soluere, nec attrahere violenter ad ventriculum.

Quod si vlcus ventriculum infestet, primum studendum est vlcus abstergere, deinde consolidare, & exsiccare; & vt summatim dicam, omnia vlcera ventriculi eo modo tractanda, quo alia vlcera, illis tamen medicamentis, quæ etiam robur ventriculi conseruare possunt.

Vlcerum curatio.

CAPVT XIIII.

De vitijs facultatis expultricis ventriculi.

ANtequam hanc tractationem aggrediamur, necessarium est, vt scrupulum vnum tollamus, quia notatu dignus est, vtrũ præter facultates quatuor a Gal. propositas, vlla alia inueniatur; Nam Auerr. 2. coll. cap. 7. & 9. aliam quandam discretiuam posuit, cuius vitia necessarium esset Medico cognoscere, & curare separatim: Scribit enim Auerrh. Medicos hanc ignorasse, & solum Albumasorem docuisse hanc facultatem. Et quanquam alij Medici non docuerint instrumenta huius facultatis, pollicetur tamen se illa traditurum, quod an fecerit ignoramus, cum libri eius de medicina ad nos non peruenerint. Hanc eandem virtutem separatricem videtur Gal. cognouisse duobus in locis, 4. de vsu par. 1. quo in loco describens, quæ sint munera stomachi, inter alia hoc ponit, vt discernat bonum a malo. Alius locus est lib. de dif. sympt. ca. vlt. vbi sermonem habens de fluxu muliebri, scribit in eo offensam esse retentricem, sanguificatricem, & separatricem. Sed ex altera parte est Gal. auctoritas in lib. de facult. natural. & Auic. lib. 1. vbi de fac. tradit, & tandem omnis Medicorum schola, qui fuerunt huius sententię, dari solum quatuor facultates, attractricem, retentricem alteratricem, & expultricem, de separatrice nullam faciunt mentionem.

Num dãda sit facultas secretrix.

In hac controuersia inuenio inter recentiores duas fuisse opiniones, primã Gentilis, & sequacium, qui existimarunt non dari hanc facultatem, sed separare vtile ab inutili, esse tam retẽtricis, quam expultricis opus, quasi superfluum sit multiplicare entia sine necessitate. Secunda opinio fuit recentiorum, qui adducti loco Gal. nuper citato dixerunt eum cognouisse hanc virtutem. Immo vero damnat Auerrh. quod scripserit eam Galeno fuisse ignotam.

Gentilis sententia.

Ad huius rei solutionem ante cetera est intelligendum, vnam esse vere facultatem solam, in vẽtriculo, & in iecore, omnibusque alijs corporis partibus, vt quæ dicũtur a Medicis facultates, sint potius operationes illius primæ facultatis, quam separatæ facultates. Nam facultas naturalis nutritiua habet has operationes, quod attrahit, retinet, alterat, & expellit. Sed cur Medici has operationes vocant facultates? Respondeo propter duo fieri hoc: 1. vt magis notas facerent suas operationes, & distinctiones. 2. quoniam cum quæuis operatio habeat peculiare instrumentum, & hoc videatur deberi facultati, hinc est quod nominarunt facultatem: quoniam vero instrumenta sunt triplicia, villi longi, transuersi, obliqui, ideo tres facultates his membris assignarunt, longis attractricem, latis seu transuersis expultricem, & obliquis retentricem: Alteratricem vero, cum sit facultas præcipua, & vniuersalis, & in toto membro diuersa, non assignarunt vllo instrumento particulari. Hæc est igitur ratio cur Medici tantum quatuor facultates fecerunt.

Resolutio quæstionis.

Cur Medici quatuor facultates fecerint.

Hoc ita constituto, nequaquam dico dari vllam operationem separatricem, quæ possit facultas nominari, vt aliæ facultates, quoniam facultates denominãtur propter instrumenta, nullum autem est instrumentũ in membro vllo, quo fiat hæc separatio. Et ideo non est, vt cum Auerrh. dicamus reperiri hanc facultatem separatricem ab alija distinctam, licet ipse scribat sese hæc instrumenta docuisse.

Quid autem dicemus ad Gal. Dico hanc facultatem separatricem, qua bonum a malo, malum a bono, vtile ab inutili separatur, etiam in ventriculo reperiri: sed hæc operatio est facultatis alteratricis; idque tum ratio monstrat, tum experiẽtia. Ratio quoniam facultas alteratrix, vt audiuistis, medio calore vtitur, atque operatio caloris est, vt docet Arist. congregare, & disgregare: Iam vero congregare, & disgregare nihil est aliud nisi secernere, quapropter opus separandi, & discernendi nihil aliud est, nec alterius, nisi alteratricis.

Separatio fit ab alteratrice.

Idem demonstrat experientia, quia cum separatur lac a sero, velim scire, an in eo opificio sit virtus attractoria, an expulsoria: falsum esset cogitare has facultates in eo reperiri, ideo quærenda est alia facultas, quæ erit alteratrix: cum enim beneficio caloris alteretur massa illa lactis, in ea alteratione calor separat lac a caseo. Idem iudicandum in alijs naturæ operibus, scilicet fieri separationem non a facultate expultrice, aut retentrice, sed alteratrice: est tamen verum in hac operatione etiam famulari expultricem atque attractricem.

Cum igitur facultas discretiua non sit ab alteratrice separata, nec seorsum existat, sequitur etiam, vt neque sint vitia, neque quærenda ratio vlla curationis, quãdoquidem, quæ curatio tradita est coctricis facultatis, eadem conueniet separatrici operationi. Iure igitur, nobis est transeundum ad vitia expultricis facultatis, quæ sunt, quãdo facultas expultrix expellit eo tempore, quo non deberet, vel quæ non deberet. In hac expulsione coacta solet natura duas vias tentare, vel per aluum, vel per os, vel per aluum, & os simul. Si per os solummodo, dicitur vomitus, qui quoniam est etiam symptoma facultatis retentricis, in præsentia nihil aliud de eo, dicemus,

Vitia expultricis fac.

Plinius notatur. quam male Plinium lib. 11. cap. 37. fefellisse, cum scripsit solum hominem, & canes obrug illiam extremi intestini vomere, siquidem etiam catti vomunt, & alia iumenta, vt est apud veterinarios. Si fiat solum per anum, solent multa vitia exoriri, quæ quoniam quodammodo intestinis appropriantur, de ijs alio loco agemus. Loquamur iam de eo facultatis expultricis vitio, in quo per os simul, & anum excernitur.

CAPVT XV.

De cholera.

Nomen. Dicitur hoc vitij genus cholera, Arabes vocarunt cholericam passionem. De hoc nomine Galenus scribit, captum esse a causa morbi, scilicet a bile, quoniam bilis in eo abundat. Similiter Cæl. Aurel. lib. 3. de acut. 19. inquit, nomen huius morbi natum esse, quoniam & intra, & supra bilis excernitur.

Definitio. Est hic affectus ex Paulo, & Alexand. quædam insignis, & reciproca materiæ translatio a toto, seu partibus corporis ad ventriculum, & intestina.

Dicitur insignis, quia vt Theod. Medicus lib. 2 ca. 13. dicit, huiusmodi ægritudine vehementer torquebitur ægri, atque citissime iugulari solent. Dicitur etiam translatio a toto corpore ad ventriculum, quoniam humores, qui existunt in stomacho, & perturbare solent, nequaquã inducunt hunc affectum, nisi alij humores in corpore existentes magno impetu ferantur in ventriculum, & intestina, ac inde postmodum stomachus, & intestina vehementer perculsa expellã. Dicitur etiam humorum, quia si solum modo cibi excernantur, quanquam magna fiat perturbatio, non tamen poterit vocari proprie cholera, sed potius vomitus, & fluxus.

Qua facultas lædatur. Verum dicet quis, Galenum de causis morb. 4. vbi nominat siccam choleram, dixisse hunc affectum fieri etiam a flatibus: quando scilicet flatus ventriculum vellicantes perturbant. Dico Gal. locutum esse improprie: cholera enim est, quando bilis excernitur, nõ autem flatus. Est autem cholera in genere expultricis actionis deprauatæ: & quanquam etiam retentrix facultas in hoc genere morbi sit affecta, tamen quæ primo, & præcipue offenditur, est expultrix, qua offensa consequenter offenditur retentrix.

Locus affectus. De loco affecto inuenio scriptores nonnihil controuersos: Celsus lib. 4. cap. 2. statuit in cholera affectum esse ventriculum, & intestina. Cuius sententiam secutus est Aurel. Multi ex Arabũ familia videntur hanc habuisse sententiam, præcipuum locum in hac affectione esse intestina, cum inter morbos intestinorum de hoc modo tractarint.

Vera autem est sentẽtia, quam habuit Gal. 3. de symp. caus. 2. scil. precipuum locum affectum in hac ægritudine esse stomachum, secundarium autem gulam, & intestina. Morbus autem, a quo dependet hoc symptoma, est præcipue continui solutio, siquidem Gal. dicit, fieri hunc morbum, vel a materia erodente, vel grauante, ita vt dolor, & passio, quę spectatur in hoc affectu, tota proficiscatur a ventriculi corrosione.

Causæ. Internæ. Causæ choleræ aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internarum aliæ sunt naturales, aliæ præter naturam. Causæ internæ præter naturam, sunt humores acres, & biliosi, hi enim immediate consueuerunt affectum hunc producere. Causæ internæ mediatæ naturales tres sunt. 1. habitus corporis; etenim qui habitu corporis biliosi sunt, huiusmodi passionibus valde sunt obnoxij. 2. Sexus: quia vix inuenias mulierem, quæ hoc affectu teneatur, viri vt plurimum solent vexari ab hoc morbo. 3. ætas, de qua sermonem habens Aretæus iuuenes, & ætate consistentes cholerico morbo tentari scribit, omnium minime senes, pueros frequentius affici quidem, sed magis euadere.

Externæ. Internæ mediatæ præter naturam sunt morbi antecedẽtes tam ad bonam, quam malam. Externæ porro causæ complures sunt, quæ cholericam passionem inducunt, in primis autem est aer calidus, & ęstuosus, Hip. sententia 7 epid. qui dicunt in ęstate potissimum choleram fieri quam sententiam deinde mutuatus Aretæus dixit frequenter in ęstate fieri choleras, & post ęstatem in autumno, vere minus, minime omnium hyeme. Cuius causam tradens Auic. dicit, ideo ęstate, & autumno generari choleras, quoniam ijs tẽporibus propter vsum fructuum multę fiunt ciborum corruptiones, ex quibus praui, & acres gignuntur humores hunc inducentes affectum. Possumus addere aliam causam, quoniam ęstate, & autumno solent abundare humores biliosi, & melancholici, vigilię, motus corporis vehementes, motus etiam animi immoderati. Inter causas cholerę ab Hipp. loc. cit. etiam numerantur cibi, vt carnes suillę, allia, cępę, grana pini, & nuces rancidę, cibi intueti. Inter fructus dicit Gal. 2. de alim. fac. & Alex. pepones dulces maxime inducere choleram.

Signa indicantia futurum. Signorum, quę hunc affectum indicant, alia futurum significant, alia pręsentem, alia sunt distinctiua, alia prognostica. Quę indicant futurum, complura numerantur a Cęl. Aurel. vt est grauedo, tensio, anxietas, vigilię, dolores intestinorum cum sonitu, crepitus ventris olentes, eructationes, nausęę, saliuę fluor, membrorum lassitudo, & thoracis grauitas.

Pręsentem. Quę pręsentem indicant, sunt vomitus, & secessus biliosi, morsus, stomachi dolor, ciborum abominatio, & vt Cęl. Aurel. dicit, solent primo euomi cibi corrupti, deinde biliosi humores, tertio aquosi, & interdum euomuntur quasi carnium loturę. Hipp. 5. epid. pręter

hęc

hæc signa apponit, & nonnulla alia, scilicet celerem respirationem, pulsum densum, vrinę suppressionem. Celsus, & Aretæus addunt extremorum frigiditatem, animi defectum, & convulsionem.

Extrema cur frigeant & conuellantur.

Cur autem in hoc affectu extrema frigeant, & conuellantur, conatus est reddere rationem Cassiod. 1. problem. 59. vbi duo dicit: 1. quod stomachus cum sit nerueus, vbi vehementer affligitur, vt in cholera, necessario in consensum trahuntur omnes partes musculosæ, nerui ipsi, & tendines ingrediuntur, alterum quod dicit, est spiritus naturales, & animales magnopere dissipari, calorem autem naturalem intro colligi, vt seruetur, vnde membra externa orbata calore, & spiritibus refrigerantur.

Quomodo cholera distinguatur a fluxu alui.

Signa distinctiua sunt, quæ choleram distinguunt a fluxu alui, & a stomachi dissolutione, nā in diarrhœa est solum alui fluxus, & perturbatio, in cholera vero præter fluxum alui adest etiā vomitus. Accedit, & illud, quod scribit Theod. Prisc. lib. 2. cap. 23. fluxum alui esse morbū diuturnum, neque lethalem, choleram vero, & lethalem esse, & cito homines iugulare.

A stomachi dissolutione.

Distinguitur rursus cholera a stomachi dissolutione, quoniam in hac fit vomitus ab omni natura ciborū, sine vlla perturbatione, at in cholera præter hæc omnia aluus perturbatur.

Prognost.

Omnes Medici in hoc conueniunt, scilicet, choleram nō solum morbum acutum esse, verū etiam acutissimum, vnde iure Aretæus mortem, quæ fit ex cholera, dixit esse sæuissimam, quia qui sic intereunt, simul spasmantur, & suffocantur. Causa huius est, multitudo morborum, qui videntur hunc affectum constituere: Nam fere omnes morbi, quos hactenus nominauimus in stomacho fieri, videntur in cholera concurrere, singultus, nausea, inappetentia, dysenteria, vomitus, morsus, cardialgia, tremor, & tandem omnes morbi, qui infestant ventriculum, vt non sit mirum, si ab omnibus, & lethalis, & acerbissimus sit existimatus.

Non est ignorandum illud, quod Auicenna dixit, hunc morbum non esse in omnibus æque lethalem, quoniam in assuetis, & iuuenibus non est ita periculosus. Minus quoque periculosa est ea cholera, quę fit a causa primitiua, quę est cū minoribus, & paucioribus symptomatibus.

Mira natura huius affectus.

Illud notandum est, non esse ita varium Protheum a Poetis descriptum, vt morbus ille varius uidetur, quoniam interdum ita mitis esse videtur, vt mitius censeatur, & tamen iugulat; interdum grauissimus incedit, vt statim videatur iugulare velle, & tamen in bonum vertitur. Quāre iure dicit Serapio, quod quanquam morbus periculosissimus sit, non est tamen desistendum a curatione.

Verum illud semper meminisse oportet, quod monet Aretæus, vbi æger omnia vomit, vbi sudor insidenter exit, vbi frigidus, & humidus apparet, ita vt pulsus videatur extingui, bonum esse aliquam occasionem fugę inuenire, quoniam in his casibus opus est potius sacerdote, quā Medico.

Curatio.

Curatio in hoc casu adhibeatur citissima, quoniā morbus est acutissimus, Alex. in omnibus morbis acutis properādum esse ad curationem dixit, in cholera vero maxime omnium. Habet hæc curatio duos scopos. 1. vt quàm primum fieri potest, humores acres siue biliosi, siue cibi acres, & corrupti redditi, e ventriculo tollantur. 2. vt ventriculus corroboretur, ne humores influentes recipiat, & a receptis vehementer offendatur.

Scopi.

Est tamen in perficiendis his scopis aliqua differentia, quoniam alia conueniunt in principio, alia in augmento, alia in declinatione. In omnibus tamen est communis quædam viuēdi ratio, in qua primo necessarium est, vt aer non admodum lucidus eligatur, nimium frigidus vitetur, sit autem plenus odoribus, vel fructuum, vel florum, & eorum præsertim, qui & consolari spiritus, & corroborare consueuerunt facultates. Somnus prouocandus aquarum murmure. Serapio enim scribit nihil esse quod perinde leuet, ac deleat hanc ægritudinem, atque somnus. Balnea commendantur ab Auerr. 7. coll. & iure, præsertim quando vires paulatim refici cœperūt.

Astringentes cibi qui conueniunt.

Circa cibum, & potum Medici iubebant semper abstinere ad tertiam vsque diem: hoc præceptum valde periculosum est, quia vires concidunt sub hoc affectu: est quidem abstinendum primis illis diebus, sed modico cibo vtendum. Cibus vero debet esse aliquantisper adstringens: verum si nimis adstringit, maxime solet nocere: & ratio est, quam referunt Aretæus, & Aetius quoniam vbi humores praui, & maligni sunt in ventriculo, omni studio nitendum vt exeāt, eos vero retinere, perniciosum est: Itaque primum omnium, si vires collabi videantur, & febris omnis absit, exhibēdus est panis in vino pontico, & acerbo maceratus, aut vino cum succo granat. aut succo cydon. Si autem febris adsit, panis erit macerandus in aqua frigida, succo cydon. vel granat. atq; ita solus panis offerendus est primis diebus. Quod si iste cibus non admodū gratus sit ægro, atq; morbus sit progressus, sunt alia exhibenda, vt mala cydonia, pyra austera, vuæ, persica. Menta laudatur ab Alex. tanquā natiua quadam proprietate in hac ægritudine auxilietur.

Menta.

Procedente morbo transeundum est ad paulo pleniorem victum, ita tamen semper omnibus cibis commisceantur, quæ vim aliquam corroborandi, & adstringendi habent, vt caro perdicū, columborum, turdorum, quæ caro si etiam coquatur, vt Cæl. Aurel. ait, in aq. & aceto, tāto erit vtilior, & commodior. Potest etiam hæc caro assari, & conspergi, vel succo cydon. vel granatorum, vel limonum. Similiter, & oua tenera cocta, & infusa in aceto conferunt.

Sed illud notandum est, in hoc morbo vētriculum valde esse labefactatum, & propterea magnam ciborum copiam nequaquam sustinere posse, tamen cum vt reficiatur multo indiget alimento, multories exhibendus cibus, & in pauca quantitate, vt ter, vel quater, vel quinquies in die, si opus fuerit.

Sed quia sæpe fit, vt cibi non retineantur, etiam hac in re danda est opera medicamentis extrinsecis, vt cibi retineantur, qualia sunt epithemata, & empl. facta ex ol. & herbis & corticibus adstringentibus. In hoc etiam casu cōmendatur fere ab omnibus Arabibus, & Græcis, vt dorso, vmbilico, atque alijs corporis partibus, & præsertim extremis apponantur cucurbitulę, frictiones, ligaturæ quæ si vomitus magis stimulat, sunt applicanda partibus inferioribus, at superioribus, si magis stimulat alui fluxus. Similiter etiam ad hoc, vt magis retineantur cibi, adstringentia, & corroborantia sunt exhibenda.

Vomitus.

De alijs videntur Medici inter se conuenire, vt scilicet videatur, an per uomitum materia feliciter educatur, & materia educta affectus leuetur, an uero materia per uomitum non educatur. Si enim educitur. & iuuat, permittendum est vomere; si uero materia non uomitur facile, studendum, ut uomitus reddatur facilis. Sed in uomitu conciliando duo sunt notanda. 1. vt nunquam ad uomitum excitandum administrentur ea, quæ sunt vehementia, propterea, quod hęc medicamenta uomitū concitantia valde stomacho sunt inimica; & licet uomitū cient, maius tamen detrimentum inferunt uentriculo. Quare Cæl. Aurel. damnauit vsum hellebori; sed errat, quando etiam Hippocratem damnare ausus est, quod 5. epid. scribat, Athenien sem illum curatum esse helleboro. Quinimo cum Hipp. referat hunc casum tanquam admiratione dignum, lectores solertes facile possunt intelligere vsum hellebori non esse rationalem, quoniā si uelut miraculo quodam liberauit hunc ægrum, id sine ratione procul dubio factum est; vel possumus etiam dicere, ut ibi Valesius, miscuisse adstringentia cum helleboro, uempe lentem, quam Dioscor. & Galenus dicunt ualere in cholera, & dysenteria.

Vsus helleb. nō cōferat.

Secundo notandum, ut nec humectantia, relaxantia, aut glutinosa adhibeantur, vt est lac, oleum, mucilago psyllij, ol. sesaminū, & similia, sed eligenda sunt ea, quæ nō relaxant, ut aqua, & acetum, decoctum raphani, mulsa, & acetum, syr. acetosus: hæc enim sunt uomitoria leuia apud Hip. & maxime in hoc morbo commendata.

Notat præterea Aretęus, hęc uomitoria semper esse exhibenda in minori copia, quoniam si in paulo maiori sumantur, nimium uentriculum distendunt, ex quo fit, ut deinceps, & difficilior exitus humorum acrium reddatur, & maior uis, ac dolor stomacho inferatur.

Hippocr. in lib. de aff. in curatione choleræ inter cetera commendat, vt corpus molliat balneis, excepto capite, scilicet, ut corpore madefacto possit facilius materia per superiora, & inferiora exire. Sed si forte fortuna contingat, ut nec per vomitum, nec per aluum materia exeat, & tamen omnia medicamenta sunt administrata, in hoc casu est eligendum medicamentum aliquod, quod possit. & aluum mouere, & uentriculum corrobare. Ex. gr.

Purgās, & corroborans simul.

℞. Sacchar. rosſ. ℥. j ß.
Rhab. electi subt. pulu. ʒ. j.
Myrobal. citrin. ʒ. j ß. M. & f. bolus.

Hoc medicamento, ubi cetera non iuuerint, poterimus in cholerica affectione simul prauos humores educere, & simul ventriculum roborare. Quibus peractis, & malo finito conueniunt balnea, & cibi, & reliqua omnia, quæ apta sunt vires reficere. Peculiariter autē ubi malū efficitur ab acribus, & biliosis humoribus, vtendum his medicamentis, quæ refrigerant, & adstringunt, non tantum potentia, sed etiam actu, tam intrinsecus, quam extrinsecus.

Non desunt, qui laudant aquam frigidam potu acceptam, & niuem appositam ventriculo, sed memores simus prædictorum ex Auerr. scilicet, non esse ventriculum vnquam summe refrigerandum, quia tametsi refrigeratio momentanea etiam possit morbum tollere, remanet tamen in uentriculo mala intemperies.

Quare medicamenta adstringentia, & refrigerantia, quæ conueniunt in hoc casu, sunt syr. de agresta, de plantag. de succo granat. succus labruscæ, syr. rosat. recens, lactuca, portulaca, rosa, & cetera, quæ simul refrigerant, & adstringunt. Poterimus autem ijs vti, vel per sessolis, vel cū pane, & alijs cibarijs. Conuenit etiam potus frigidæ, si admisceatur parum aceti. Modicum dico, quoniam si utamur copioso aceto, periculum esset, nec acrimonia aceti stomachus læsus magis torqueatur. Qua ratione adductus Cæl. Aurelianus, nō immerito damnauit Praxagorā, quod mulsa, & aceto nimis liberaliter vteretur.

Acetū num conueniat.

Si hæc non iuuerint, inquit Aretæus, transeundum esse ad usum calidorum: immo testatur ipse, se cognouisse experientia, hanc contrariam mutationem sæpe malum abstulisse. Quare notandum, quod dicit Cels. libro 3. capit. 1. remedia in acutis morbis vbi non prosunt, statim mutanda esse, atque etiam ad contrariorum vsum faciendam mutationem: quandoquidem, inquit, sæpe temeritas iuuit, quod ars curare non potuit. Licebit itaque, non iuuantibus frigidis transire ad calida.

Diff. Num calida etiā conueniant in hoc affectu.

Sed video aliquem dicturum, qua ratione possint calida vtilitatem pręstare in hac affectione? Auicen. qui cum alijs Arabibus laudauit calidorum vsum, scribit ideo prodesse, quoniam cum calida penetrent in venas, secum reuchunt humores ad uentriculum sedentes, & ideo nō parum iuuat. Sed quanquam hæc Auicen. sententia sit probata, ea tamē mihi semper placuit, quod calida iuuēt, quoniam dissipant, euacuāt, & difflari faciunt humores: propter quod debemus existimare, quando calida remedia commendantur a Medicis, eos non de quibuslibet calidis loqui, quoniam tepida magis nocent, cum relaxent, sed potius de ualde calidis.

Quod si hęc remedia non iuuerint, & conuulsio accesserit, sunt partes circa nuchā oleo costino tractandæ, & inungendæ cum sinapi.

Si de-

Si defectus animi accesserit, sunt reuocandi spiritus ligamentis, frictionibus foetoribus, florum, & ciborum odoramentis. Si fuerit presens defectus animi, & partes extremæ frigeant: Sunt illæ partes calefacientibus pannis vinciendæ, & fricandæ: Vinum etiam actu frigidum exhibendum, cucurbitæ applicandæ, & vt fieri solet in extremis casibus, omnia tractanda, vt possimus ægros ab instanti periculo liberare.

Celsus laudat absynthium potu exhibitum, quod etiam Diocles Medicus probasse videtur. Cæl Aurel. contra inquit, absynthium esse virtutis acerrimæ; & propterea cum ventriculus sit affectus male, & humorum acrimonia vexetur, absynthium sua illa acrimonia maxime est offendere. Sed breuiter pro hac contradictione dicendum, quod absynthium exhiberi potest in succo, & in substantia, vel in decocto, & maceratione. Absynthium in substantia non conuenit, eo quoniam, vt Celsus ait, cum sit acerrimæ virtutis, nocet; sed in decocto exhibitum iuuat, quia corrigit prauitatem humorum, & ventriculum corroborat.

Diff. Num absynthium conueniat.

Si fluxus nimis vrgeat, adhibendi sunt clysteres, qui refrigerent, & acrimoniam obtundant. Ex. gr.

℞. Fol. lactucæ.
Maluæ.
Plantag. an. M. j.
Cap. papau. albi.
Fol. solatri an. P ß. f. decoct. s. a.

Clyster.

Deinde:

℞. d. d. lib. j.
Succi hordei.
Succi amyli an. ℥. iiij. M. f. clyster.

Et notandum est, hoc in casu clysteres frigidos esse administrandos, quoniam sic magis corrigitur acrimonia humorum, & diutius retinentur.

CAPVT XVI.

De vitijs iecoris in genere.

POst affectiones ventriculi varij variam rationem docendi sunt secuti: alij docuerunt statim affectus intestinorum, alij non de intestinorum, sed de iecoris morbis tractarunt: sed quia video Galenum in libro de med. loeal. statim post morbos ventriculi de morbis iecoris sermonem habere, ego similiter de ijs agam.

Dicebat Plato, iecur a conditore esse factum sedem, in qua habitaret anima irrationalis, vt scilicet hæc bellua tanquam ad præsepe aliquod alligata, nullo modo perturbare posset mentem, neque a suis operibus auocare. Addit etiam factum esse corpus laue & politum, vt in ipso possent imagines perfecte representari, & ex istis representatis fieri vaticinia. Quod Platonis dictum, non est, vt hoc loco discutiamus, eo magis, quod caremus ea parte. Gal. com. in quibus hæc omnia continentur. Illud vnum non est silentio prætereundum iecur ad corporis conseruationem a conditore factum esse, vt sit officina, vbi sanguis cuderetur.

Dixi alias, omnia viscera, quę peculiarem, & nulli alteri communicatam facultatem obtinent, consequenter etiam peculiarem obtinuisse temperaturam, cuius merito illas operationes ederent: quod dictum est eo magis de iecore, quod nobilissimam operationem, scilicet sanguificationem sortitum est.

Operatio iecoris.

Constitutio corporis ipsius iecoris duorum generum partes habet, vt & alia membra, scil. organicas, & similares, in quarum vnaquaque fiunt etiam peculiares morbi: in similarib. fiunt similares, scil. intemperies: in dissimilaribus fiunt dissimilares, vt inflammationes, tumores, &c. Sed ne longior sim in omnibus explicandis, tria tractabo morborum iecoris genera: vnum ad similares spectans, duo vero ad dissimilares: ex quibus omnibus licebit colligere artem curandi quoscunque alios affectus iecoris. Incipiam autem a morbo similari, qui Gal. dicitur fluxus hepaticus.

Morbi iecoris.

CAPVT XVII.

De fluxu hepatico.

IEcur secundum Medicos, quatuor obtinet facultates a Natura, attractricem, retentricem, sanguificatricem, & expultricem. Non loquor de discretiua, quam etiam ponit Auerr. 3. collect. quia supra docui, quid de hac virtute sit sentiendum. Omnis facultas iecoris recte operatur, vbi ipsius iecoris tēperatura integra est: vbi vero hæc temperies fuerit aliquo modo labefactata, eius operationes læduntur: Nam si insigniter labefactatur, omnes necessario læduntur: si autem nō insigniter, possunt aliquæ offendi, & aliquæ incolumes permanere.

Intem-

Nomen.

Intemperies autem, quæ offendit, interdum offendit sola, interdum coniuncta morbo instrumentali, vbi sola offendit intemperies, quæ inde oritur ægritudo, vocatur debilitas iecoris, teste Gal. 8. de med. loc. 6. & 5. de loc. aff. 7. omnes Græci vocarunt hos affectus hepaticos: Scribonius Largus sic affectos appellauit iecorosos. Marcellus Empiricus nominauit iecorinosos, scilicet omnes eos, qui citra vllum morbum instrumentarium debiles habent iecoris facultates.

Sed antequam progrediamur, tria sunt circa hoc vocabulum notanda. 1. Celsum appellare morbum hepaticum, non hanc debilitatem iecoris, sed inflammationes, tumores, atque duritiesi nam si eius verba consideremus, lib. 4. c 8. facile apparebit sub nomine hepatici morbi non describere debilitatem iecoris, vt faciunt Græci, sed eos morbos, quos diximus.

At video aliquem dicturum, cur Celsus scribit, a se descriptos vocari a Græcis hepaticos? Dico Celsum fuisse studiosissimum Hipp. lectatorem. Hip. autem lib. 6. epid. & lib. de aff. depingēs morbum hepaticum, eum eo plane modo depingit, quo inuenitur apud Celsum. Quo fit, vt aliud sit dicere hepaticos, aliud hepaticum morbum; Nam affectus a Celso descriptus vere ab Hip. hepaticus morbus nominatur.

Secundo notandum, Cælium Aurel. imitatorem Celsi, & ipsum sub nomine hepaticę affectionis descripsisse scirrhum, & duritiem iecoris.

Tertio notandum, quod etsi scribat Gal vocari hepaticos omnes eos affectus, qui virtutem aliquam, aut omnes iecoris habent imbecillas, proprie tamen solent hepatici dici illi, qui facultatem habent iecori propriam imbecillam, scil. sanguificationem: quem affectum puto esse illum, quem Plautus in Curcul. appellauit hepatarium.

Definitio.

Hepaticus affectus, seu debilitas iecoris nihil aliud est, nisi imbecillitas quædam facultatis sanguificatricis, sine vlla alia causa manifesta. Dico imbecillitatem sanguificatricis, vt distinguatur imbecillitas huius facultatis ab aliarum imbecillitate: quia tametsi, vbi sanguificatrix facultas debilis reddita est, possunt cooffendi, & reliquæ: veruntamen in hepatica affectione, necessario, & principaliter offensa est facultas sanguificatoria. Dico sine causa manifesta, quia si adfuerit forte fortuna, vel tumor, vel inflammatio, ita vt propter istos morbos instrumentarios læsa etiam sit vehementer facultas sanguificatrix, non proprie dicitur hepaticus morbus, neq; proprie imbecillitas iecoris, sed vocatur vel inflammatio iecoris, vel scirrhus, vel alio modo, prout hic, vel alius morbus iecori inest.

Obiectio.

Sed dicet aliquis, si operationes omnes necessario oriuntur a temperatura, videtur temperatura lęsa cooffendi etiam omnes operationes, itaq; vbi erit læsa vna facultas, etiam aliæ omnes lędantur necesse est. Nam idem contingit iecori, quod cerebro: at in cerebro si lędatur vna operatio, quæ quidem læditur propter temperaturam, videmus subinde etiam lædi alias.

Respondeo verum est omnes facultates oriri a temperatura, tanquam a radice, veruntamē non omnes facultates eundem gradum temperaturæ sequuntur, quoniam alius gradus temperaturæ est, quem sequitur attractix, alius quem retentrix, alius quem expultrix. Hi gradus tametsi nobis sint incogniti, nihil tamen prohibet, quo minus læso vno temperaturę gradu, quem sequitur vna facultas, hæc sola offendatur, & reliquæ incolumes persistant, prout illarum facultatum gradus permanent.

Qualis affectus.

Ex quibus omnibus breuissime colligitur, affectum hunc hepaticum nihil aliud esse, nisi symptoma in genere actionis naturalis læsæ, sanguificationis, scil. diminutæ.

Cum itaque sit symptoma in genere actionum naturalium diminutę lęsarum, dubitari posset, an etiam sanguificatrix facultas diei posset deprauata: quandoquidem nemo est, qui neget in hac affectione sanguinem prauum esse. Et vbi Medici student tollere hunc affectum, potius vtuntur medicamentis prauitatem tollentibus, quam multitudinem sanguinis. Veruntamen ea est Galeni sententia 5. de loc. aff. 7. potius sanguificationem esse diminutam, quam deprauatam: assimilabat enim Gal. hanc operationem cruditati ventriculi, in qua multum abest, vt actio deprauata dicatur, quæ vere diminuta est.

A quibus morbis fiat.

Morbi quos cōsequitur huiusce generis symptoma sunt morbi in intemperie, frigida potius non vnius partis, sed totius substantiæ iecoris: sicuti. n. sanguificatio proficiscitur a tēperatura totius substātię, pari ratione existimādū est diminui sanguificationē, lęsa totius iecoris tēperatura, propter quā lęsionē efficitur, vt iecur quidē attrahat chylū, sed minime perficiat: vnde postquā iecur partem chyli, seu sanguinis iam perfecti in se traxit, vt eo nutriatur, a reliquo tanquam ab onere grauatur: quare facultas expultrix excitata, dum onus deponere tentat, illud reuomit in intestina, & propterea ex intestinis emanat sanguis, vt Gal. inquit, similis loturæ carnium.

Causa autem propter quam facultas expultrix sanguinem illum incoctum potius ad intestina, quam ad corpus reuomit, duplex est, 1. quoniam venę totius corporis obstructę sunt, & ratione obstructionis minime permittunt transitum sanguini 2. quoniam sanguis incoctus, & imperfectus est, propterea non attrahitur a facultate membrorum attractice, cumque non attrahitur, facilius facultas expultrix ad intestina eum transmittit, quam ad corpus.

Cur autem in cachexia, & hydrope sanguis aquosus, & imperfectus distribuitur per totum corpus? Dico hoc fieri propter duas rationes. 1. quoniā viæ totius corporis sunt apertę, & quamquam facultas attractrix non auxilietur, tamen sanguis sua fluxibilitate, & viarum latitudo, sufficiunt ad permittendam sanguinis penetrationem. 2. quoniam venæ mesaraicę in hydrope, & cachexia sunt occlusę, quo fit, vt facultas expulsiua propellat ad venas, aut ventrem, cum non possit pertransire, ob earum obstructionem.

Hoc

Hoc loco sciendum est, in hepatica affectione etiam per intestina emanare sanguinem crassum, & fæculentum, quoniam cum non possit ille sanguis ob suam crassitiē penetrare corpus, præcipitatur quodam modo in intestina: sed huiusmodi excretio sanguinolenta non propriè dicitur hepatica affectio, sed est potius species dysenteriæ, vt dicit Hip. 4. de art. 40. & Cels. lib. 4. Neque etiam illa est affectio hepatica, quando iecur vel propter multitudinē sanguinis, vel aliquod vulnus, vel aliam causam sese exonerans, sanguinem illum per intestina mittit, vt ex his omnibus colligendum omnino sit, hepaticam affectionem nihil aliud esse, nisi exitum sanguinis imperfecti per intestina, factum ab intemperie iecoris.

An omnis intemperatura iecoris hunc morbū inducere possit.

Sed dubitari potest, an omnis intemperatura iecoris apta sit hunc morbum inducere? De frigida apud omnes constat, sed dubitatur de calida. Ex vna parte videtur fieri non posse, vt hic affectus oriatur a calida intemperie; hæc enim si sit parua, non offendit operationes iecoris, aut saltem parum offendit, quia iecur est viscus sua natura calidum: si insignis intemperatura esset, videretur potius debere sanguinem assari, quam imperfectè concoqui. Ex quibus videtur rationi consentaneum ab intemperie calida, non fieri hepaticam affectionem.

Ex altera parte est Galen. 8. de med. local. quem secuti sunt Græci, dicentes affectionem hepaticam etiam a calida intemperie oriri. Definienda est hæc quæstio ex natura ipsius rei, & ex discursu, quem facit Auerr. 3. coll. a 2. quo in loco statuit membra nostri corporis nullo alio instrumento operari, nisi calido: Calidum autem ipsum non esse merum calidum, sed castigatum, & a frigore temperatum. Est enim sententia Arist. 2. de gen. animal. 3. & 4. meteor. Frigus ipsum per se non ingredi operationes, sed tantum adhiberi a natura, vt corrigat, & temperet ipsum calorem. Quod si frigus istud, quod adhibetur corporibus nostris, excesserit naturæ modum, aut excedit ita vt formam corrumpat, aut non excedit, vt formam corrumpat, si primo modo excesserit, actiones destruuntur, si secundo modo, nequaquam, sed tantum minuuntur.

Quod dicitur de frigore, idem dicendum de calore, quia si calor nimius sit, destruuntur, & corrumpuntur actiones: si autem excedit, sed non multum, deprauantur quidem, sed non destruuntur.

Cum igitur in hepatico affectu actio sanguificatoria sit imminuta, necessarium est frigus auctum esse, sed non ita, vt formam iecoris destruat: calor autem excedens, sed parum, cū non possit multum lædere iecoris calidi visceris facultatem, superest vt offendatur tantum a nimio calore, id quod etiam dicit Auicenna inquiens actiones iecoris, vt plurimum offendi a frigore, raro a nimio calore: & cum offenduntur, necessarium esse, vt calor hic sit immodicus.

Obiectio.

Sed dicet quis, si solum offenditur a calore nimio, & caloris istius sit assare, qui fieri potest, vt in hoc affectu gignatur sanguis crudus? Dico duobus modis nos posse imaginari calorem immodicum esse causam cruditatis sanguinis. 1. quia calor nimius suffocat, & hebetat calorem natiuum iecoris, quo hebetato necessario statim introducitur frigiditas, ita vt tametsi adsit caliditas insignis præter naturam, possit tamen adesse frigiditas, quæ est priuatio caloris natiui. 2. quia sanguificatoria facultas ex qualibet intemperie redditur imbecilla, vbi est imbecilla, efficitur, vt non possit valide conficere chylum, nec ad perfectionem reducere sanguinem, & propterea sequitur necessario, vt sanguis imperfectus maneat. Quare concludendum, hepaticum affectū potissimum, & frequentius a frigida intemperie, raro autem a calida fieri.

Responsio.

De intemperaturis secundum qualitates passiuas ita sentio, nullam ex passiuis qualitatibus intemperiem, per se solam posse hunc morbum efficere, neque siccam, neque humidam, sed tantum prout copulatur, vel frigidæ, vel calidæ intemperaturæ.

Causæ externæ.

Causæ externæ, quæ inducunt has affectiones, complures sunt, in primis febres longæ, morbi longi & quidem illi, qui fomitem habent in iecore: cruditates frequentes eandem efficiunt, ideo pueri, qui frequenter cruditates incurrunt, solent etiam frequenter hoc morbo tentari, quia vt dicit Aristot. 4. probl. solæ crapulæ interdum hydropem inducunt: aquæ frigidæ potus, nimius aceti potus, acetum enim offendit iecur, præsertim si immodice exhibeatur.

Quomō fiat hic affectus per consensum.

Fit etiam hic affectus per consensum, & membra, quæ communicant hepati hanc affectionem, multa numerantur a diligentiss. Auicen hic enim in recensendis causis, non facile parem habet, in primis est folliculus bilis, quando ille non attrahit bilem, vt deberet: lien quoque, quādo non attrahit humorem melancholicum: renes quando non attrahunt serosam humiditatem. Hæmorrhoides suppressæ, vel nimium fluentes, item & menses, vel suppressi, vel excurrentes nimium. Stomachus etiam communicat hoc malum, vbi imperfectè chylum facit. Addidit Auic. pectus quoque hanc affectionem communicare: sed ego sic sentio, quod raro possit fieri a pectore insignis noxa, quæ per se accidat ipsi iecori, quia vt dixit Plato in Timæo, natura posuit quoddam vallum veluti quandam sepem inter pectus, & partes naturales, ne possit altera alteri suos affectus communicare.

Sunt præterea duo problemata scitu dignissima: vnum An paruitas iecoris possit concurrere ad huius affectus generationem, alterum quis fuerit ille affectus hepaticus, cuius meminit Plut. 8. symp. vbi inquit, in Melonijs ortum fuisse quendam affectum hepaticum, quo quicunque tentabantur, mures domesticos persequebantur.

An iecoris paruitas possit generare hūc affectū.

Circa primum Auer. 3. coll. 4. rationibus quibusdam reprehendit Auic. quod scripserit, digitorum paruitatem indicare paruitatem iecoris. Est autem hæc Auicennæ sententia duobus in locis, in 2. primi, doct. 3. c. 1. & 14. tertij tr. 1. c. 30 addidit Auer. paruitatem iecoris efficere, vt viscus illud chylum non exactè attrahat, & ideo alui excrementa liquida, & tenuia excāt. Ex quo

loco

loco collegimus, posse paruitatem iecoris etiam concurrere ad efficiendam hanc hepaticam affectionem, non quidem propter solam paruitatem, sed quoniam, vbi iecur paruum est, necessario etiam frigidum est: &, quoniam diximus, a frigiditate hanc affectionem oriri, consequenter rationi consonum videtur a paruitate iecoris induci hunc morbum.

Mirus affectus hepaticus. Ad secundum puto dicendum, illum affectum hepaticum nequaquam hunc esse, de quo loquimur, sed potius ad affectum pertinere, qui describitur ab Hip. lib. de int. aff. vbi scribit, in ea morbi specie homines delirare, more canum latrare: vt nos etiam eadem ratione dicamus in affectu hepatico ita posse mentem affici, vt ægri, & mures domesticos prosequantur, & alia absurda committant.

Signa. Cognoscitur potissimum hic affectus hoc signo, vt notat Gal. 8. de med. loc. 6. quod quæ excernuntur, sunt veluti loturæ carnium, aut perinde ac si quis miscuerit modicum sanguinis multæ aquæ. Est præterea inter alia signa huius affectionis color, vt Gal. 5 de loc. aff. 7. dicit, se interdum solo aspectu vultus cognouisse homines hepate male affectos: Color enim hepaticorum est albus viriditati commixtus. Vnde Plautus, vt supra monui, describens suum hepatarium dicit habere eum oculos herbeos.

Veruntamen notate Rabbi Moysen. 7. sec. Apho. ex sententia Gal. scripsisse, colorem hepaticorum esse album, ob immodicum sanguinem commistum: quem locum suspicor apud Rabbi Moysen esse mendosum: quoniam si videmus Hippocratem scribit ille, colorem hepaticorum album esse, & pallidum. Nec putandum, Gal. & ab auctoritate Hip. & a sensu ipso recessisse, quia multum abest, vt in his color sit albus ea sanguine conflatus, vt dicit Rabbi Moyses.

Signa ab intemperie calida. Quod si fiat affectio a calida intemperie, cognoscitur ijs signis, quæ a Galeno proponuntur 8. de med. local. nempe fluxu colliquatiuo, fœtido, bilioso, colore flauo, vt in febribus pestilentibus, vomitu bilioso, lingua scabra, corpore gracili, & arido.

Item cognoscitur quoque ex causis præcedentibus, vt si præcesserit cibus calefactorius, morbi ardentes, medicamenta calida, ætas, & tandem omnia, quæ possunt calefacere ipsum iecur, iudicio esse possunt mali ab intemperie calida facti.

Ab intemperie frigida. Quod si fiat ab intemperie frigida, cognoscitur illis excrementis, quæ supra dixi similia esse loturæ carnium, aut sanguini admodum diluto, fęces non ita sunt fœtidæ, vt in facto ab intemperie calida, morbus diuturnior est, & magis contumax, corpora non multum extenuantur, neque adeo arida, & gracilia euadunt, quia cum appetitus in his affectibus perseueret, consequenter ægri multum cibi capiunt, quo fit, vt nequaquam possint contabescere, & extenuari. Ad hæc est ætas, corporis habitus, vita quæ præcessit, quæ omnia si attestabuntur frigiditati, signa esse poterunt, morbum a frigida intemperatura oriri.

Ab intemperie sicca. De sicca autem intemperie, Paulus, Alex. & alij signa tradiderunt, sed puto hunc morbum, a sicca solum intemperie non oriri, & ea signa esse referenda ad illa, quæ traduntur ab Aetio & Galen, ad debilitatem iecoris communem, non ad debilitatem particularem facultatis sanguificatricis.

Prognost. Hic affectus adeo grauis est, vt sæpe in cacheaiam, hydropem, & alios affectus prauos desinat: & propterea dicit Hip. in coacis prænot. quod quib. hepaticis multum cruentum sputum emanat, siue biliosum, & putridum, id signum periculosum esse, quemadmodum etiam periculosissimum est, si colliquatio adsit cum raucedine, & tussi.

Indicationes.

Curatio fluxus hepatici a frig. intemperie. Curatio hepatici affectus communissimum hunc scopum habet, vt intemperies, a qua fit, tollatur: quoniam vero sæpe fit, vt intemperies ab extraneis causis foueatur, conuertendum est ante cetera studium ad externas causas adserendas, similiter si intemperies communicata sit iecori ab aliquo membro, studendum erit, vt membrum communicans malum, ab omni affectione liberetur. At quia diximus hunc morbum fieri quidem etiam ab intemperie calida, sed plerumque a frigida, tutius est, vt primo agamus de curatione affectionis hepaticæ ortum ducentis a frigida intemperie: quæ sane in duobus instrumentorum generibus posita est, in diætetica, & pharmaceutica, nam chirurgia in hac affectione omnino non est opus.

Diæta. Ratio victus, debet hoc habere præcipuum, vt moderate calefaciat: quoniam cum iecur suapte natura sit viscus calidum, nunquam ad tantam frigiditatem peruenire potest, vt si comparetur ventriculo, semper non sit calidius ipso, propterea si nimium calefiat, periculum est, ne aucta eius caliditate destruatur naturæ temperatura. Igitur primo erit aer moderate calidus, somnus quantum fieri potest prouocandus, dormiendum est super latus dextrum, & super plumā, omnes animi vehementes passiones sunt remouendæ, præsertim timor, tristitia, profundæ cogitationes, deambulationes moderatæ conueniunt. Circa cibum, & potum in primis est studendum, vt cibi sint optimi succi, præsertim vero, vt sint facilis coctionis, quia vbi vitiosa est ventriculi coctio, impossibile est, vt vllo modo iecoris ipsius coctio fieri recte possit. Quare panis debet esse optime fermentatus, oua sorbilia conueniunt, carnes auium pulli commendantur ab Auice.

An iecora animalium conueniant. Dicunt aliqui, iecur cuiuscunque animalis a proprietate conferre in omnibus causis, & affectibus hepaticis, diximus etiam alias ex Auerr. similia membra similia iuuare: sed quanquā iecinora possunt, vt medicamenta prodesse in hac affectione, tamen vt alimenta a me damnantur, quia vt Gal. 3. de al. fac. scribit, omnia viscera succos crassos gignunt, difficiliaque sunt concoctu, quare non conueniunt in hac affectione.

Quod dico de aliorum animalium iecinoribus, dictum quoque sit de iecore lupino, de quo Galen. 6. de med. loc. 2. & 11. simpl. scribit, se nullam habere experientiam, quod iecur lupinum

profit:

prosit. Attamen de med. sec. loc. 8. docet, se experimento cognouisse hepar lupinum in affectibus hepaticis conuenire. Contradictionem conatus est soluere Altimarus, quod Galen. cum scripserit iecur lupinum prodesse, locutus sit de sola iecoris carne propinanda: vbi vero negat se vllam habere experientiam, locutus sit de carne iecoris non sola, sed alijs mixta. Sed dormitauit Altimarus, quia quicquid a proprietate iuuat, nisi admisceatur aliquid, quod contrariam illi habeat proprietatem, semper iuuat secundum illam proprietatem, quoniam est sententia philosophorum, quod per se tale est, illud semper tale esse. Quare si iecur proprietate prodest lupinũ, & solum, & cum alijs proderit. Modus dissoluendi hunc nodum melior etiam ab ipsomet Altimaro est significatus, quod verba, quæ habentur 8. sec. loc. non sunt verba Gal. sed Asclepiadis a Gal. relata. Vnde si Asclepiades negat se habere huius rei experientiam, quid est, quod contradictio Gal. ascribatur. Nec dicendum, ea verba esse Gal. quia referuntur ab Aetio lib. 10. cap. 1. tanquam verba Gal. quoniam textus ille Aetii corruptus est, & contextus meus antiquissimus caret ea particula (ex Galeno) idque verum esse patet ex Paulo, & Oribasio, qui ambo referunt ea verba; sed non ex Galeno, quare frustra laborauit Altimarus. Refert Rabbi Moyses part. 20. suarum epist. lac camelinum esse vtilissimum in hac affectione. Nec mirandum quod Arabes omnes in frequentissimo vsu lac illud habent, cum sit apud Arist. 6. de hist. animal. 26. lac camelinum, dum vtero gerunt, esse omnium iucundissimum.

An iecur lupinũ conueniat.

Lac camelinum.

Ex herbis omnes illæ conueniunt, quæ moderate calefaciunt, vt menta, satureia, hyssopus, Cichorium etiam a Gal. commendatur, quod conueniat tum in calida, tum in frigida causa, petrosel. maiorana, serpillum, quæ omnia, vel brodijs incocta, vel acetarijs parata, conferunt ad debellandum hunc affectum. Ex fructibus conueniunt amygdalæ, pistacia, passulæ, de quibus Gal. 8. sec. loc. etsi sint viles propter vsum quotidianum, non esse tamen negligendas, eo quoniã habent proprietatem iecori maxime amicam.

Improbat Trall. pistacia, & amygdalas, quod oleosa sint: sed puto ego potius hac ratione omnia hæc conuenire in frigida iecoris intemperie, quandoquidem, vt laudabat Gal. mel in pitultosis, quod in biliosis conuertitur in bilem, sic etiam nos non debemus improbare omnia, quæ vertuntur in bilem, eo magis quod Auenzoar 5. coll. 37. dicat, oleum esse maxime accommodatum iecori, nimirum quod pingue faciat iecur, & secundum substantiam maxime augeatur ab oleo. Memoriæ etiam tradidit, in suis regionibus consueuisse homines non sine voluptate coquere carnes in oleo, quod suo tempore factitasse coquos scribit Gal. 2. simpl.

Dulcia omnia in hoc casu a Galen. commendata inueniuntur, sed moderate tamen capta, ea enim tanquam iucundissima cum prompte attrahat iecur, facile illorum succo fruitur. Aromata etiam conueniunt, modo moderate sumantur, crocus, acorus, calamus aromat. caryoph, Ex potibus conuenit vinum odoratum adstringens, dulce respuendum.

Sed quæritur, cur damnemus vinum dulce, & cibos dulces commendamus? Dico, summa cum ratione improbari vinum dulce, & non cibos. Vinum enim dulce, cum sit tenue respectu cibi attrahitur a iecore, & iecoris tractum sequitur, vnde cum penetret facile, secum perducit succos crudos, & crassos, qui obstructiones faciunt. Cibos autem dulces quanquam iecur trahere conatur, quoniam tamen crassiores sunt quam, vt possint penetrare, permanent in ventriculo, vsque quo percocti sint, & ita parati, vt non possint secum perducere succos crudos.

Cur damnatur vinum dulce, non autem cibi dulces.

Ad medicamentorum rationem deuenio, quæ vt recte instituatur, ante cetera notandum, an cum iecoris intemperie adsint quoque humores in ventriculo, & in primis vijs, quoniam si aderunt, primo sunt præparandi. Non autem opus est lenire aluum, quoniam per se satis soluta est. Poterimus ergo hac potione præparare.

De medicamentorum administratione

Præparatio humorum.

℞. Fol mentæ.
Satureiæ.
Origani.
Cichorij an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Mel ros. simpl.
Syr. de cichorio. an. ℥. j. M. & f. potio.

Vbi humores sunt præparati, expurgandi erunt leni medicamento, vt hiera, agatico. Et notandum in hoc casu potius eligenda esse medicamenta solida quam liquida, vt scil. non ita permeent ad iecur, sed solum ventriculum expurgent. Ex. gratia.

Purgatio.

℞. Agar. præpar. ℈. j.
Specier hieræ. ℈. j. ß.
Diacathol. ℈. vi. M. & fiat bolus.

Qui capiatur 4. vel 5. horis ante cibum.

Video aliquem dubitaturum de hiera, quoniam perspectum est omnibus, hieram magna ex parte conflatam esse ex aloe, aloen autem Auic. dicit nocere iecori: propterea videtur nullo modo conuenire vsum hieræ. Quod an verum sit, nec ne longioris esset disputationis. Sed demus Auic. nocere, dico id quod dictum est a Galen. 9. de comp. sec. loca. cap. 2. aloen, si exhibeatur in magna quantitate, penetrare ad iecur: si in parua, non penetrare: iam vero aloe in hiera est in parua quantitate, ita vt nullum immineat periculum iecori, & si concedamus Auicen. aloen nocere iecori. Vbi expurgati fuerint humores danda est opera, vt medicamentis tam intrinsecis, quam extrinsecis auferatur iecoris intemperies, & ei robur restituatur; vbi notandum,

An vsus hieræ conducat.

tandum, semper omni medicamento hepatico immiscenda esse aliqua, quæ astringant, & corroborent. Intrinsecus conuenit consolida, Cichorium, Eupat. Diarrhod. abb. Trochisci de absynth. eupat. præsertim vero laudatur a Galen. Antid. Andromachi, quæ appellatur Cyphoides, Rhases commendat acorum, & crocum tanquam a proprietate mirifice iuuent. Soleo ego vti hoc medicamento:

Iecur corroborantia.

℞. Conf. cichorij ℥. ij.
Acori.
Croci an. ℈. j.
Fl. rof. rub ℈. j. ß.
Sem absynthij ℈. ß.
Iecoris lupini assati ℥. j. pulu. pulverizandis f. mixtura, cuius capiatur ℥ ß. duabus vel tribus horis ante cibum.

Extrinsecus etiam conueniunt fomentationes, & innuctiones; hoc fomentum est commendatum.

Fomentum.

℞. Absynthij.
Cichorij.
Rosarum an. ℥. iij.
Succi cichorij.
Eupat. an. ℥. j. M. & cum spongiola foueatur iecur.

Post fomentationes hæc innunctio conuenit.

℞. Ol de absynthio ℥. ij.
Vnguenti santal. ℥. ß.
Acori.
Cal aromat an. ℈. ij.
Aceti ʒ. j. M. & f. linimentum.

An conueniāt balnea.

Dubium est, an conueniat vsus balneorum, nam ex vna parte non videtur conuenire, quoniam omnes aquæ thermales, vt experientia comprobatum est, aluum soluunt: in hoc affectu autem aluus nimis fluida est. Ex altera vero parte videtur experientiæ refragari, quoniam sæpe affectus hepaticos mineralibus aquis curatos videmus. Resp. varias esse thermas, quæ ferreæ sunt, & non admodum calefaciunt, mea sententia sunt accommodatæ. Sed dicet quis, nonne intemperies corrigenda per contraria? Iam dixi esse attendendum, ne nimis hoc viscus incalescat, vnde aq. illæ thermales intente calefacientes iecori inferunt maius detrimentum, tum quoniam robur eius destruunt, siquidem relaxant, tum quia aluum alioqui excitatam, magis excitant.

Curatio ab intemperie calida.

Vnde si huiusmodi vitia orta sunt ab intemperie calida, secus est agendum, quia in hoc affectu contraria victus ratio instituenda, aer ad frigidum declinet, quiescendum est, quia habemus apud Hippocr. 6. epid. ijs, qui natura calidi sunt conuenire & quietem, & aquæ potum. Quare vinum fugiendum in hoc casu, aut si propter vires, vel consuetudinem necessarium sit vinum concedere, illud debet esse pauciferum, subastringens, & loco vini, non improbarem aquam hordei, vel solam, vel cum succo granat. decocto sebesten, aut prunorum. Cibi similiter debent esse facultatis refrigeratoriæ, vt est ptisana cum succo granat. Cichor. coctum, lactuca, endiuia, acetosa, quæ & per se sola exhiberi possunt, & incoqui brodijs etiam pullorum, vel auicularum.

An cibi difficilis coctionis conueniant.

Alex. scribit, in hac affectione exhibendos eos cibos, qui sunt difficilis coctionis. Sed Alex. in ratione victus instituenda fuit nimis audax, quanquam diligentissimus non enim video, qua ratione tales cibi conueniant in hac intemperie iecoris: Gal. enim in 1. de alim. fac. dixit, ventriculos calidos indigere illis cibis, de iecore autem calido non facit mentionem, immo vero omnes, qui iecur habent calidum, plerumque sunt imbecilli ventriculo, si igitur dentur ipsis cibi difficiles coctu, non poterunt coqui in ventriculo, & ventriculi errores non modo non corriguntur in iecore, immo vero augentur. Itaque conueniunt cibi facilis coctionis. Inter fructus, passulæ, & pruna adstringentia, similiter & poma, omnia autem oleosa, crassa, in hoc casu sunt damnanda, quoniam vt videmus, ol. flammam in immensum augere, sic etiam existimandum incendium iecoris augeri ab omnibus rebus oleosis.

Num conueniat vena sectio.

Victus ratione instituta, videndum an conueniat sanguinem mittere, quæ res ita definienda: Si morbus diuturnus fuerit, non mitti debet sanguis, quoniam vires sunt labefactatæ: neque in morbo diuturno potest multa esse plenitudo: si autem morbus fuerit recens, erit vtile sanguinē mittere, præsertim si affuerit plenitudo, quia misso sanguine paulatim iecur refrigeratur, atque ita intemperies corrigitur.

Post sanguinis missionem videndum est, an sint humores, qui indigeant præparatione, qui si adsint, præparentur hoc potu:

Præparatio.

℞. Senecionis.
Hepaticæ.
Cichorij.
Chamæpyt. an. M. j. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d d ℥ iij.*
Syr de endiu.
De cichorio an. ℥ j. M. & f. potus.

Vbi

Vbi fuerint præparati humores, erunt expurgandi. Et vt dixi felicius expurgantur humores in hoc casu per medicamenta solidiora, quam per liquidiora. Erit autem hoc medicamentum vtile.

Purgatio.

℞. Rhabar torrefac. ℈. iiij.
Elect. lenitiui ℥. j. M. & fiat bolus.

Intemperiẽ corrigentia.

Vbi humores sunt purgati, nihil aliud superest, quã vt intemperies corrigatur: corrigitur autem tum intrinsecis, tum extrinsecis medicamentis. Sed circa horum medicamentorũ vsum tria sunt notanda. 1. vt Gal. notat, medicamenta multum refrigerantia nequaquam conuenire. Ratio est, quia cum iecur sua natura sit viscus calidum, si nimis refrigeretur, periculũ est, ne illius temperatura destruatur. Quare non possũ laudare eos, qui in curando hoc affectu vsi sunt philonio antidoto, quæ cum intense refrigeret, plane etiã modice vsurpata, magnum inferre potest detrimentum. Secundo notandum medicamenta conuenire non modo in succo exhibita, verumetiam in puluere, vt est puluis cichorij, chamæp hepaticæ. Et notate hoc in loco, quod vbi medicamenta debent longius penetrare, atque debellare vitia, si offerantur in puluere, conferunt, eo quoniam cum a ventriculo non multum alterẽtur, integras vires magis portant, & ad iecur, & ad alias partes, propterea non male faciunt, qui in diuersis morbis contumacibus, præsertim in gallico, etiam puluerem ligni exhibent. Tertio notandum nunquã conuenire medicamenta actu frigida, etiam extrinseca, nec fallat vos, quod hoc vitium oriatur a causa calida, quia tametsi hoc sit verum, maximum tamen imminet periculum, vbi medicamenta actu frigida adhibentur, ne vt monui supra, naturalis temperatura iecoris deprauetur. Igitur pro corrigenda calida iecoris intemperie hæc confectio laudatur.

Medicamenta in puluere quomodo, & cur conueniant.

Confectio accõmodata.

℞. Conf. endiuiæ.
Cichorij an. ℥ ij.
Nymphaæ.
Violarum an. ℥. ß. f. mistura.

Cuius capitur ante cibum ʒ. ß.

Extrinsecus etiam conueniunt varia linimenta, & fomenta, vt hoc fomentum.

Fomentum.

℞. Aq cichorij.
Endiuiæ.
Lactuca an. ℥. iiij.
Succi absynth. ℥. j. ß.
Succi feridis.
Cucurbitæ an. ℥. ij. Aceti parum. M. & cum linteo foueatur iecur.

Post hoc fomentum, vt conseruetur facultas medicamenti refrigeratorii, illinendum erit aliquo linimento iecur, vt:

℞. Ol. rosacei omphac.
De cucurb an. ℥. iij.
Succi cichorij ℥. j
Rosar. subtiliter puluerizat. ℥. j.
Cera parum M. & f. linimentum iecoris.

An affecto iecori cõueniant sinapismi, & dropaces.

Archig. Medicus grauissimus, vt est apud Galen 8. de comp. sec. loc. 9. inter cetera hepatis cõmendata remedia mentionem etiam facit sinapismi, & dropacis, de quibus dubitari potest, an affecto iecori conueniant. Dico breuiter hæc medicamenta, vt apud Oribas. habemus, in nullo casu conuenire, nisi post tentata omnia auxilia, ad hæc enim tanquam ad extrema remedia confugiebant Medici veteres. Neque etiam in omni affectione hepatica possunt conuenire, sed tantum frigidis. Quare si vnquam vtendum erit his medicamentis, id nunquam faciendum, nisi frustra ceteris exploratis, & non nisi in frigida intemperie.

CAPVT XVIII.

De obstructionibus iecoris.

Significationis instrumenta.

SEquitur vt de vitijs iecoris, quæ in partib. organicis fiunt, sermonẽ habeamus, quæ vitia cum duo sint, primum de iecoris obstructione loquemur. Sententia est Galeni plerisque in locis, præsertim a. com lib. de alim. multa principia conuenire ad sanguinis fabricam, venas ante iecur, venas post iecur, nec nõ uenas ipsius iecoris, & præsertim ipsum iecur esse verum fontem, & verã sanguinis officinam. Sanguinis autem perfectio, & opificium fit quidem a temperatura ipsius iecoris, quandoquidem temperatura est, quæ & sanguinem, & omnia, quæ in corpore nostro sunt, tanquam ipsius animæ, seu naturæ instrumentum, facit: quoniam vero temperatura sequitur solidarum partium constitutionem, hinc fecit, vt qualis sit constitutio, talis etiam sit temperatura: & sicut temperatura est propria, ita etiam constitutio solidarum partium est propria, & peculiaris, quo fit vt eum sanguificatio sit soli iecori attributa, consequenter & temperatura, & solidarum constitutio peculiaris data sit iecori, quæ nulli alteri communis.

Illud tamen verum est, quod est apud Gale. in lib. de temp. & de fac. natural. omnes temperaturas proprias, & peculiares operari medio calore natiuo, tanquam instrumento. Quæ omnia

cum ita sese habeat, necessarium est dicamus, operationes iecoris circa sanguinem, quæ proficiscuntur ab illius temperatura, & solidarum constitutione, tunc recte fieri, & tunc finem proprium consequi, quando & temperatura & constitutio naturaliter se habent; sicuti ex aduerso, quando præter naturam sese habet constitutio solidorum, consequenter, & temperatura & operationes emanantes a temperatura corrumpuntur, id quod contingit, in hoc morbo, de quo sumus locuturi: siquidem natura iecur fecit ex multo sanguine conglobatu, & vt sic dixerim confarcto, quæ constitutio παρέγχυμα vbique a Galeno vocata est.

Sanguificatio ut fiat. In hoc corpore iecoris quoniam sanguis erat perficiendus, vtque perficeretur, opus erat in ipso diu manere, propterea natura prouida inseruit in hoc viscere venas, & vasa angustissima, merito cuius angustiæ diu manet in ipso sanguis, quousque propriam perfectionem assequatur. Vt igitur iecur possit suo munere fungi, necesse est omnes has venas apertas esse, tum vt possit sanguis proficisci, tum etiam vt possit attrahi chylus, & vt sanguis iam perfectus exiret. Si cõtingat vt istæ angustæ venæ non sint liberę, sed obstructę, ita vt non permittant egressum neq; ingressum, fit morbi genus, quod Græce dicitur ἐμφράξις, Latinis obstructio, Barbaris oppilatio, ita vt *Definitio huius affectus.* obstructio seu oppilatio nihil aliud sit, nisi venarum iecori insitarum obturatio, cuius merito; nec sanguis perfectus egredi, nec chylus probe attrahi possit.

Diff. An in substãtia iecoris cõtingat obstructio. Est dubitatio, an vt obstructio contingit in venis iecoris, pari pacto contingere possit in eius substantia. Auicen. lib. 13. tr. 2. cap. 4 manifeste sensisse videtur fieri obstructionem etiam in ipsa carne iecoris. Altimarus impugnãs Auicen. & auctoritate Galen. & ratione conatus est monstrare, non posse carnem iecoris obstrui. Galeni auctoritate, quoniam Galen. vbicunque locutus est de huiusmodi affectibus, nunquam fecit mentionem obstructionis carnis iecoris. Ratione vero; quonim in iecore meatus non sunt, nec pori actu sensibiles, vt possint occludi atque impleri.

Sed quia ego aliter sentio aduersus Altimar. hac vtor ratione. Si obstructiones non possent fieri in iecore, vel esset propter angustiam meatuum, vel propter humores crassiores. Non est dicendum propter meatuum angustiam hoc prohiberi, quoniam in cute, quæ est pars solidior, quam sit substantia iecoris, sunt meatus insensibiles, veruntamen omnes fatentur huiusmodi meatus occludi, & obstrui, ita vt multo magis sit concedendum, obstrui meatus in carne iecoris. Imo Galen. scribit, iecur facile subiici obstructionibus, quoniam viæ eius sunt angustissimæ, vbi videtur censuisse, angustiam meatuum præter angustiam venarum efficere posse obstructiones.

Quod etiam ratione materiæ non sit impossibile fieri obstructiones in substantia iecoris, probatur, quoniam etsi materia obstruens, sit plerumque crassa, potest tamen contingere, vt sit tenuis, adeo vt possit penetrare angustissimos meatus. Accedit etiam quod, si, vt constat, obstruitur iecur a flatibus secundum substantiam, possit etiam obstrui secundum se ab humoribus tenuibus. Quare neque ratione materiæ, neque ratione angustiæ venarum negatur obstructio secundum iecoris substantiam fieri, vt Auicen. dicebat; ita vt obstruatur iecur non solum secundum venas, sed etiam secundum substantiam. Quod autem Gal. 5. de loc. affec. 7. & lib. de cõst. Art. cap. 17. & de causis ac diff. morb. 9. videatur aliam sententiam sequutus; Respondeo Altimaro, neque hoc verum esse, etsi Gal. scribat fieri plerumque obstructiones in venis, minime negat, quin fiant secũdum eius substantiam; neque propter hoc debemus existimare, Galenum esse diminutum, quia hoc non docuit nos clarius; satis enim erat Galenus eas docere obstructiones, quæ sæpius contingunt.

Quę operationes lędatur ab obstructionibus. Colligimus igitur obstructionem iecoris esse morbum in via, tam in venis ipsius, quam in substantia. Et quoniam proprium est vniuscuiusque morbi lędere aliquam operationem naturalem, videndum est, quæ operatio læditur ab obstructionibus iecoris, & quomodo. Duæ sunt potissimum operationes, quæ læduntur ab obstructionibus. 1. sanguificatio. 2. sanguis distributio. Sanguificatio læditur, vbi obstructę sunt venę iecoris, calor quia natiuus strãgulatur cũm autem ille strangulatus est, nequaquam potest perfici sanguificatio. Læditur sanguinis distributio, quoniam vt supra dictum est, venæ infernæ iecori potissimum inseruiunt, vt tanquam canales quidam exportent sanguinem ex iecore in corpus: Vnde sicuti canales occlusi nequaquam dimittunt aquam, sic venæ obstructæ, & constipatæ non permittunt exitum sanguinis; imo vero, & putredinem efficiunt, in frigida intemperie citius, in calida tardius, vt Galen. 8. de med. loc. 6. docet. Causa autem duplex est; vna, quia in frigida intemperie, & citius, & maiores fiunt obstructiones, tum quia iecur, vbi laborat intemperie calida, potius vrit humores quã putrefacit: quod si cognouisset interpres Galeni, minime interpretatus esset secus quam habeat, & codex Græcus, & antiquus interpres.

Causæ immediatæ huius morbi. Causę immediatæ huius morbi sunt duorum generum, vt Gal. docet 5. de loc. affec. 7. in lib. de diff. & causis morb. vel humores crassi, & lenti, vel vapores crassi. Et quanquam Galenus locis citatis, & Auicenna scriptum relinquit, etiam obstructiones fieri alias ob causas, scil. ob angustiam naturalem, ob tortuositatem, & conuulsionem vasorum, nec non ob frigus, tamen de huiusmodi obstructionibus non est nobis in præsentia loquendum, sicuti neque de obstructionibus illis, quæ in febribus contingunt.

Cur œdemata non sustineat iecur. Est difficultas a nemine hactenus tractata: si fiũt obstructiones in iecore ab humoribus crassis, & pituitosis, cur est quod Galen. in eod. iecore negarit fieri œdema? Nam 4. præsag. ex puls. dicit, duas ob causas iecur œdemata phlegmatica non sustinere, 1. quoniam iecur est viscus densum:

sum: ita vt non facile humores pituitosos, & crassos oedema efficientes admittat. 2. quoniam iecur cum sit viscus calidum, suo calore facile pituitam alterat, & dissipat, ita vt non possit congregari, & tumorem facere.

Pro hac difficultate dico, aliud esse obstructiones sustinere, aliud oedema. Ad efficiendas obstructiones non est necessaria multi humoris copia, & humor, qui facit obstructionem, vt plurimum colligitur in venis: vt autem efficiatur oedema, vel alius tumor, necessarium est, vt materia copiosa sit, & vt non intra venas, sed extra colligatur. Substantia autē ipsius iecoris, licet habeat multos meatus, nō tamen facile colligit eam materiæ copiam, quæ possit tumorē excitare. Accedit etiam, quod neq; in substantia iecoris multa potest colligi materia, scilicet propter caliditatem, vt intellexistis, visceris, quo fit vt consumpta maiore pituitæ copia, exiguum remaneat. Veruntamen hepar, licet non sustineat oedema phlegmaticum, sustinet tamē affectus oedematicos, vt Gal. docet loc. cit. Sunt autem affectus oedematici, non facti ex pura pituita, atque has vocat Hipp. 4 epid. ἧπατα ζημιώσεις, quemadmodum notat Erotianus in onom. suo.

Causa effectiua obstructionis.

Causæ effectiuæ obstructionis variæ possunt esse, interdum est calor ipsius iecoris, seu facultas alteratrix, quæ calefaciendo intense sanguinem, & pituitam sanguini commixtam, occasionē præbet obstructioni. Interdum causa est expultrix, eo quod cum non possit explicare humores crassos, ij retenti obstructiones inducunt, interdum debilitas attractricis lienis, & cystis fellis solet efficere obstructionem, quia cum non attrahāt propria excrementa, ea retenta, & crassefacta in iecore obstruunt.

Causa mediata internę.

Causæ mediatæ, aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internæ tres sunt. 1. ætas, nam pueri, & senes solent facile ætatis ratione in has obstructiones incidere. 2. ventriculi debilitas, propter quam cum succi crassi fiant in ventriculo, & iecore, facile præbetur occasio obstructionibus faciendis. 3. secundum Arabes est paruitas naturalis ipsius iecoris.

Externę.

Causæ externæ, & ipsæ multæ sunt. 1. omnes cibi viscidi, & crassi, vt carnes bubulæ, porcinæ, pedes animalium, & item hepata, legumina, fungi. Et notate errorem vulgarium, qui frequenter vtuntur iecore gallinaceo in febricitātibus, nam nullam apud Medicos vidi huius rei auctoritatem, præterquam quod rationi refragatur, cum obstruat. Dulces cibi fere omnes obstructiones inducunt eo, quia a iecore trahuntur, priusquam sunt cocti. Idem dico de vinis dulcibus, crassis, turbidis, de musto: sic aquæ palustres, & limosæ, propter sui crassitiem faciunt obstructiones, propterea quod Hipp. dicit, habitatores paludum, & lacuum fieri hepaticos, propter vitium aquarum. Refert Vitruuius lib. 1. cap. 4. consueuisse veteres antequam inhabitarent loca, explorare aquarum bonitatem, dissectis animalibus, & eorum iecoribus inspectis, an sana, vel infirma essent. Obstructiones etiam faciunt, quando post cibos crassos assumūtur vel aromata, vel confectiones calidæ, vel vina generosa, quoniam hæc sunt, veluti vehicula producentia succos incoctos in venas. Otium, & quies obstructionibus inseruiunt, vnde viri, & mulieres sellulariæ facile solent capi iecoris obstructionibus. Sic balnea post cibum, exercitia quoque a cibo facta, medicamenta extra corpori apposita, siue calida nimis, siue frigida, solent plurimas inducere obstructiones. Recentiores addunt hæmorrhoidum suppressiones, quia retentus sanguis ille vitiosus in iecore omnia hæc mala facit.

Signa.
Ex actionibus læsis.

Signa quibus obstructiones iecoris cognoscuntur, capiuntur a tribus fontibus. 1. ab actionibus læsis. 2. ab excrementis mutatis. 3. a dispositionibus præter naturam. Ex læsis actionibus hęc sunt signa: tussis sicca, & expirandi difficultas, nam cum a iecore tumefacto comprimatur diaphragma, necessario anhelitus difficultas introducitur, simulque spiritus, & flatus sicci eleuantur, qui partes spirituales pertingentes, aridam tussim inducunt, pigritia similiter ad motum, lassitudo, grauitasque iecoris, sunt inter signa harum obstructionum.

Ab excrementis mutatis.
Fęces quales.
Vrinę.

Secundo ab excrementis mutatis capiuntur signa obstructionū, quoniam vt docuit Auicen. tres habent conditiones, fęces sunt chylosæ, sunt subtiles, & sunt plurimæ. Sunt chylosæ, quoniā cum sanguificatio sit vitiata, multa chyli portio remanet in intestinis: sunt tenues, quoniā propter obstructionem materia serosa, nequaquam distribuitur per vniuersum corpus, sed magna illius pars mittitur ad intestina, vbi mista fęcibus eas liquidiores facit. Sunt demum multę, quoniam non tantum ventriculi excrementa exeunt, verumetiam magna pars chyli. Vrinæ etiam sunt subtiles, & paucæ: subtiles quoniā propter obstructiones nō permiscetur illis materia multa, crassa: paucæ, quoniam materia potabilis non penetrat in iecur, sed ad intestina reuomitur.

Ab accidentib. mutatis.
Color.

Signa, quę capiuntur ab accidentibus mutatis, potissimum a colore mutato capiūtur, immo vero adeo efficacia sunt signa a colore sumpta, vt Gal. 5. de loc. aff. 7. gloriatus sit, se ex solo vultus colore cognouisse hepaticos homines. Colores autem, qui solent apparere, varij sunt, modo virides, modo fusci, modo liuidi, modo pallidi, quales colores Cachecticorum.

Corporis extenuatio.

Post colorem est corporis extenuatio, quoniam cum vitiatur sanguificatio in longis obstructionibus membra sanguine orbata emaciantur, & contabescunt. Præter hæc signa, sunt etiam dolor, & grauitas in hypochondrio dextro, calor totius corporis mutatus, si enim hos tangamus, quanquam febre careant, videbimus tamen eorum corpora, magis calere, quam conueniat, & calorem ipsorum non ita esse blandum, vt solet esse calor natiuus. Volunt etiam aliqui, adesse pedum tumorem. Sed dicetis, si humiditas serosa non potest penetrare in venas, qui fieri poterit, vt penetret in pedes, atque in ijs tumores faciat? Respondeo, fieri tumores in istis, non quoniam humiditas penetret, sed quia hæ partes sunt admodum refrigeratę, in illis generantur vapores crassi ex motu, qui attollunt substantiā, & veluti tumores faciunt. Cuius rei illud signū

Vnde tumor pedum.

esse potest, quoniam dum ambulant, & erecti manent, tumores sunt duri, dum vero iacent, & dormiunt, subsident omnes tumores, ita vt manifestum sit hos tumores, non ab humoribus, sed a flatibus fieri.

Signa obstructionũ a flatibus. Si a flatibus fiant obstructiones, cognoscemus alijs signis, nam nec egestiones, nec vrinæ, nec color sunt a naturalibus mutata, dolor persentitur in parte sinistra extrinsecus, & vt dicit Auic. extensio illa mutabilis est, quoniam prout flatus reficiuntur, aut dissoluuntur, sic grauitas illa, modo surgit, modo aboletur.

Prognostica. Dicebat Gal. 2. de alim. fac. optimum esse, tam in omni morbo, quam in sanitate, iecur habere omnibus obstructionibus priuatum, quare dicendum, semper malum esse, si iecur scateat obstructionibus, & ideo negari non potest, quin hic morbus sit periculosus. pluribus de causis, r. quoniam si diutius permaneat, & putredinem non concipiat, consueuit vel Cacheriam, vel hydropem, vel ictetos rebelles inducere: sin autem putrescit, inducit febrem, quia in acutissimos morbos postmodum conuerti solet.

Est tamen differentia, quoniam vbi obstructio est in caua parte, est quidem curatu difficilior, sed minora inducit symptomata: est curatu difficilior, quoniam nec medicamenta possunt adhiberi, atque etiam est locus, vbi solent colligi, & confluere plures humores. Sin autem sint obstructiones in parte conuexa, sunt quidem curatu faciliores, sed maiora inducunt symptomata, vt tusses, vomitus, difficultates anhelitus, & similia. Cognoscuntur autem obstructiones in parte conuexa, vel caua, tactu, & renitentia.

Curatio. Curatio morbi huius, duplex est, vna quæ debetur obstructionibus factis ab humoribus crassis; altera, quæ debetur obstructionibus factis ea flatibus. In hac vltima vtendum medicamentis incidentibus, attenuantibus, & abstergentibus; sunt autem medicamenta huiusmodi, omnia calida, & tenuium partium, vt dicit Gal. 5. simpl. 12. Quare eligendus est in primis, aër calidus, & *Diæta.* siccus, vigiliæ magnæ conueniunt, somnus, & quies fugienda, exerceri debet corpus ambulationibus, & cursibus, modo id fiat ante cibum, ablegandi animi vehementiores motus, curandum, vt quotidie aluus egerat excrementa. Circa potum, & cibum eadem est consideratio, vt scilicet omnes cibi crassi, viscidi fugiantur, vt sunt interanea animalium omnium quadrupedũ carnes, lagana, & tandem quicquid crassæ substantiæ est. Quare paranda est panis ex farina cum furfure, non ex flore farinæ, cui admisceatur fœniculum, vel anisum.

Carnes debent esse auicularum, cum quibus semper coquatur fœniculũ, pulegium, satureia, hyssopus. Inter fructus pistacia conferunt, cappares, amygdalæ. Laudant Alex. porros, sed huiusmodi edulia sunt potius rusticorum, asparagi similiter conueniunt, dulcia omnia sunt ablegauda, præsertim ea, quæ sunt crassæ substantiæ. Quare pro potu vina dulcia, & crassa, omnino fugienda, eligendum autem est vinum album, subtile, potius vetus, quam nouum, aut si huiusmodi vinum non inueniatur, loco eius conuenit vti aqua, in qua coctum est fœniculum, vel anisum, aut cinnamomum.

Pharmacia. In omnibus fere morbis ea solet esse Medicorum prudentia, vt ante vsum medicamentorum omnium, & ante venæ sectionem semper quæ sunt in lanoribus vasis expurgẽt, hoc autem maxime necessarium est in curatione obstructionum iecoris, eo quod si vel mittatur sanguis, vel pharmaca administrentur, priusquam primæ viæ sint expurgatæ, magnum imminet periculũ, ne maiores fiant obstructiones. Quare instituto victu erit studendum has vias expurgare, quod fiet, si quis per tres dies ante alia medicamenta exhibeat hunc syrupum.

Præparatio. ℞ *Mellis ros. simpl.*
Oxym. simpl. an ℥. j. M.

Post tertium diem si æger sit promptus ad vomitum, erit is prouocandus, sin minus, vel clystere acri leniendа erit aluus, vel aliquo medicamento leniente.

Vomitus. An venæ sectio conueniat. Expurgatis primis vijs, considerandum est an venæ sectio futura est vtilis, an non. Huius autem rei definitio sic erit tradenda, quod si corpus sanguine plenum sit, & obstructiones factæ sint ab humoribus calidis, aliqua ex parte, & nihil prohibeat, sanguis mittatur.

Sed dicent, Nonne, est sententia Gal. 11. meth. 14. venæ sectionem nõ curare obstructionem? Si non curatur obstructio hoc remedio, ergo inutile erit. Dico verum quidem esse, præcipuum remedium obstructionum, quæ factæ sunt, non esse sanguinis missionem, quoniam cum fiant ab humore crasso, & crudo, potius indicatur esse incidendum, & detergendum, quam euacuãdum. Sed adhibetur venæ sectio, vt fiat locus medicamentis penetrantibus, & vt sublata multitudine, tollatur occasio augmenti obstructionis.

Quæ vena secanda. De loco mittendi sanguinis ea fuit Auic. sententia, vbi firmata est materia, quæ obstruit, & vbi pauca est, mittendum esse sanguinem a basilica lateris dextri; vbi vero non sit firmata, & sit multa, a basilica sinistri esse mittendum sanguinem. Sed mea est sententia, modo adsint scopi mittendi sanguinis, semper debere mitti a dextro latere, quoniam sic etiam euacuatur sanguis, qui in iecore est, & a quo imminet periculum, ne fiat putredo.

Expurgatio duplex. Postquam missus est sanguis, præparandi sunt humores attenuantibus, incidentibus, & detergentibus. Vbi sunt præparati, sunt expurgandi. Est autem duplex ratio expurgationis, prout duplex solet esse locus, in quo fiunt obstructiones, si enim conuexa pars sit obstructa, vt Galen. & ratio monstrat, facilius euacuantur humores per vrinam, si concaua, per aluum materia euacuanda est.

Pro præparandis humoribus cõplura repeliuntur medicamẽta apud Gal. 8. de med. local. 12. & 5. sim.

& 3.ſtm.vt ſunt ſem.& radices petroſ. apij, fœniculi, aſparagorum, fol.cichorij, abſynthij, eupat.cuſcutæ, capill.ven.rubea tinctorum. A Scribonio Largo, & Marcello valde commendata eſt Cunila. Ex compoſitis etiam multa ſunt ad hoc accõmodata, vt ſyrup.byzant. de eupat.ſyr. omnes de radicibus cichor.de capillis veneris. Sed maxime notandum, inter hæc medicamenta aliqua eſſe valentiora, aliqua debiliora: in prima purgatione ſemper inchoandum a debilioribus, quia ſi adhiberentur valentiora, periculum eſſet, ne humores magis craſſeſierent, atque ita obſtructiones augerentur. In ſecunda vero purgatione vtendum valentioribus. Exempli gratia.

Altera præparatio.

℞.Fol cichorij.
Capill.vener.
Endiuia.
Cuſcuta an.P.ß.
Sem.melonum.
Acetoſæ.an.℥.j.f.decoct.ſ.a.

Deinde *℞.d.d.℥.iiij.*
Oxym.ſimpl.
Syr.de capill.ven.
De cichorio an.℥.j.ß.M.

Et notate tam præparantia medicamenta, quam purgantia, in his caſibus debere eſſe in forma liquidiori: ſiquidem, vt optatur materia ſolidior, vbi ventriculus eſt curandus, ſic vbi medicamenta debent longius penetrare, melius eſt, vt ſint in forma liquidiori. Quare pro purgatione hoc medicamentum erit optimum.

Purgatio.

℞.Rhab.infuſ.& expreß.ſ.a.℈.iiij.
Mell.roſ ſolut.℥.iij.
Decocti eupatorij.
Cuſcuta.
Cunila an.℥.iij.M.fiat potio.

Vbi prima vice hunc in modum erit facta expurgatio, iterum præparandi ſunt humores valentioribus medicamentis, ſimiliterque purgandi. Pro præparatione erit hoc decoctum:

Tertia præparatio.

℞.Rad.aſparagi.
Fœniculi an ʒ iij.
Fol.rubiæ tinct.
Cetrach.
Capill.ven.an.M.ß.f.decoct.ſ.a.

Deinde *℞ d.d.℥ iiij.*
Syr.byzantini.
De quinque radicibus.
De eupatorio.an.℥.ß.M.

Quod ſi placuerit adhuc magis aperire, vtile erit, ſi ante ſyrupum ſemper exhibeatis ʒ.j. Trociſcor. vel de eupat.vel de roſis. Vbi fuerint præparati humores deinde expurgandi medicamẽto aliquo generoſo, vt eſt hoc:

Altera purgatio.

℞.Agarici electi.
Rhab electi.an.ʒ.j.
Spica.
Zinz.an.gr.iij.
Vini aromat.ʒ iij.f.infuſio ſ.a.in aq.eupat.deinde facta expreſſione adde.
Diacathol.ʒ vj.
Mellis roſ.ſolut.℥.iij.M.& cum decocto cordiali q ſ fiat potio.

Vbi ſic bis, atque etiam ter, ſi opus fuerit, expurgatum eſt corpus, ſolent adhuc remanere aliquæ reliquiæ, quę ſunt debellandæ: quod fit tum medicamentis prouocantibus vrinam, tum extrinſecis attenuantibus, & corroborantibus.

Circa topica tria notãda.

Sed pro medicamentis extrinſecis, tria ſunt notanda. 1. nunquam eſſe adhibenda hoc in caſu, niſi cibus e ventriculo exierit, & chylus e iecore. Et ratio eſt, quoniam ſi adhibeantur, donec adhuc hepar operatur circa chylum, magnopere turbatur eius coctio. Quare optimum tẽpus eſt hora vna ante prandium, quando ſcilicet, & cibus e ventriculo, & chylus e iecore exierint: 2. quod vbi iecori adhibenda ſunt aliqua linimenta, neceſſarium eſt ante ea adhibere fomentationes; cum enim profundæ ſint obſtructiones, ita vt tactu etiam dignoſci non poſſint, niſi vehiculo iter monſtretur, prorſus vana ſunt. 3. quod tametſi medicamenta iecoris accommodata debeant participare aliquam adſtrictoriam vim, ea tamen potiſſimum ſita eſt in attenuantibus, incidentibus, & detergentibus.

Intus ergo pro corroboratione iecoris, & pro euacuatione reliquarum obſtructionum, aliqua ſunt medicamenta ſolidiora, aliqua liquidiora. Inter ſolida laudantur diagal. dial. diacurc. Trochiſ.de Rhab.de eupat.de roſis. Laudant aliqui diaſpol.diatrionpip, diarrh. abbatis. Soleo ego vti iſto:

Rotula pro corroboratione iecoris.

℞.Pulueris iecoris lupini.
Pulu filicis.
Trochiſ.de eupat.

Spicæ an.ʒ.j.
Sacch ℥.iiij.M.

Si enim volumus vti in puluere,possumus,si placet in rotulis, possunt cum sacc.& aq.rosf.fieri rotulæ, Dosis erit ʒ iij.vel ℥ ß.

In forma liquidiori sunt decoct. cicer. rub. decoctum rub.tinctorum, decoctum capill.ven. omnia aut per se,aut commixta,vsui sunt. Præ ceteris solet esse ius galli antiqui, ex arte accommodatum,hoc modo:

Ius galli antiqui vt præparandum:

℞.Gallum antiquum agitatũ fustibus, vbi incaluit statim decapitatur, & exenteratur, vbi est exenteratus, in cauitate ventris, prius per noctem sale de mare coquorum condita, ponantur hæc medicamenta.

℞.Lupinorum
Amygd.amar.tritorum, an ℥.ß:
Rad fænic.
Apij.
Asparagi, an.ʒ.vj:
Acori.
Spicæ.
Poly mont.an.ʒ.iij.
Cicerum rubrorum.
Hordei an.P.ß. Terantur omnia; & in ventre galli insuantur, vt nihil exeat, postea sumantur lib.iij. aquæ, & ponantur in lebete cooperto, & in duplici vase bulliant omnia vsque quo remaneat quarta pars, vel quinta, vel etiam sexta, si volumus vt ius efficacius sit semper depurando a spuma, & pinguedine; postea percolatur brodium, ita vt nihil pinguedinis remaneat, tum postulante vsu huius iuris exhibeantur modo ℥. vij. modo ℥.viij.aut x.prout, & morbi contumacia, & ægri natura fert.

Fomentatio:

Extrinsecus etiam conueniunt,& fomentationes,& linimenta. Pro fomentatione hoc medicamentum erit vtile.

℞.Fol.eupatorij.
Cetach.
Cuscutæ.
Absynthij an.P.j.
Lupulorum P.ß.
Rad.Cichor.
Rubiæ tinctorum an.℥.j.M.& in s.q.aquæ eupat.f.decoctum, quo foueatur iecoris regio.

Linimentum ad idem.

Postea illinendum erit hoc medicamentum.

℞.Ol.amygd.amar.℥.j.ß:
Ol.de absynthio ℥.ß.
Polij montani.
Acori.
Sem fæniculi.
Anisi an.Ə.j.
Aceti parum, cum modico cera f.linimentum.

Emplastrum efficacissimum:

Si linimenta non proderunt, adhibeantur empl.quæ efficacissima esse solent, vt:

℞.Lupinorum.
Amygd.amar.an.℥.ij.
Fol.eupatorij.
Scolopend.an.M.j.
Rad.cichorij.
Rub.tinctorum an.℥.ß. Terantur omnia crasso modo, & coquantur, vbi cocta fuerint f.a. pistanda erunt, & cum melle, & aceto faciendum emplastrum. Et notandum, hoc emplastro sæpius adhibito, non semel expertus sum, contumacissimas obstructiones esse sublatas.

Curatio obstructionum a flatu:

Si obstructio fiat a flatu, videndum est an fomentum habeat ab humoribus, an sine his sint flatus. Si ab humoribus, vera ratio est, vt in primis ipsi humores præparentur, deinde expurgentur, tum, & intus, & extra adhibenda sunt ea medicamenta, quæ solent flatus dissipare. Intus diagal.diacymi.nux mynstica, zinz.ber conditum, dianisum, sunt accommodata. Extrinsecus etiam fiunt fomentationes, fiunt etiam sacculi, qui continuo super regionem iecoris gestati, solent discutere omnes flatus, qualis est sequens.

Furfurum.P.j.
Sem.anisi ℥.ij.ß.
Fol.chamom.P.j.ß.
Fæniculi.
Absynthij.
Poly montani an M.j. Terantur omnia, & in sacculo vno, vel duobus consuantur, & post fomentationes adhibeantur regioni iecoris. Atque hæc est ratio curandi omnes obstructiones iecoris, quæ fiunt sine febre.

CAPVT

CAPVT XIX.

De inflammatione iecoris.

De nomine.

POst cor in corpore humano, viscus nullum est, quod æque sit calidũ, atque iecur, vnde fit, vt hoc viscus sit obnoxium morbis omnibus, qui sunt maxime calidi: propterea si alia membra, & alia viscera sunt obnoxia inflammationi, iure merito iecur ei maxime obnoxium est. Dicitur Græcis ἡπατῖτις, vt notat Gal. 5. in 1. epid. 4. & Hipp. 1. de morbis. Posteriores, vt idem notat Gal. hepatis inflammationẽ, & phlegmonem dicunt. Sed antequam vlterius progrediamur, sciendum hanc vocem ἡπατῖτις, significare interdum ea genera icteritiæ, quæ oriuntur a iecore, vt patet ex lib. Hippoc. de int. affect.

Definitio. *Generatio.*

Definitio inflammationis iecoris eadem est, quæ tribuitur inflammationibus alijs, scilicet q; sit tumor iecoris, cum dolore, calore, duritie, & retinentia. Generatio autem inflãmationis iecoris, vt est apud Gal. 2. de diff. feb. 2. eod. modo fit, quo, & generationes aliarum inflammationum, nam vbi venę iecoris maxime sunt repleræ, euomunt sanguinem, vel per poros, vel per oscula, vbi sanguis exit e proprijs vasis, colligitur in substantia iecoris, vbi collectus est, cum non conseruetur a facultate venarum, quodammodo conglobatur, qui conglobatus putrescit, atq; ita fit inflammatio.

Cur sanguis extra venas cõglobetur.

Et notate, quod ait Arist. in tradenda ratione, propter quam sanguis extra venas cõglobatur, inquit 4. meteor. & 2. de part. anima. sanguinem extra corpus ideo conglobari, quoniam refrigeratur, cum refrigeratus est, humidum euanescit, quo fit, vt sanguis reddatur siccus, & consequenter congeletur: sed hæc ratio Arist. nequaquam vera est, quia quemadmodum in iecore, extra venas congelatur, sic etiam si a venis sanguis in ventriculũ præcipitetur, procul dubio ibi concrescit, & congelatur: nec est dicendum, quod refrigeretur, quia etiam in iecore, & ventriculo, & omnibus alijs corporis locis, etiam extra venas, sanguis calidus remanet. Quare ratio cur sanguis extra venas concrescat, est, quia quæ habẽt proprietatem conseruandi sanguinem, sicuti quilibet locus conseruat formam proprij locati, & ideo vbicunque sit sanguis, cum est extra locum proprium, necessario concrescit, & congelatur.

Causa interna.

Causæ, propter quas fit inflammatio in iecore, aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Interna causa est sanguis, qui extra venas in iecinore fusus, inflammatur, & putrescit. Cur autem sanguis effundatur, & putrescat, est, vel ob facultatem expultricem partium demandantium sanguinem, vel ob partes ipsas recipientes. Expultrix facultas expellit sanguinem e venis, vel propter quantitatem, vel qualitatem: Propter quantitatem, quoniam grauata natura excitat facultatem ad expellendum onus; propter qualitatem, quando propter acrimoniam sanguinis, vel propter feruorem incitata facultas expultrix sanguinem trudit e venis. Trahunt partes ad se sanguinem, vel quoniam intense sunt calefactæ, vel dolore affectæ.

Causę externæ. *Ex parte facultatis expultricis.*

Causæ externæ sunt omnes illæ, quæ excitant facultatem expultricem, vel attractricẽ. Ex parte facultatis expultricis, in primis est repletio, & otium, hæc enim duo faciunt, vt in venis sanguis multiplicetur, qui deinde multiplicatus facultatem expultricem excitat. Ex parte facultatis expultricis, etiam est bilis retenta, vbi enim a proprio folliculo bilis nequaquam trahitur, sed retinentur in venis iecinoris, hæc commixta sanguini illum acrem reddit, vnde postmodum expultrix facultas excitatur. Sic etiam vsu ciborum calefaciendum est causa facultatis expultricis, quandoquidem ex cibis calidis generatur sanguis calidus, a sanguine calente deinde facultas expultrix mouetur. Et hoc est, quod Hippocr. dicit, vini meri potum inflammationes iecoris inducere.

Ex parte trahentis.

Causæ externæ ex parte trahentis sunt in primis longus, & diuturnus situs super latus dextrũ, vbi enim quis diutius decumbit super hoc latus, incalescit corpus iecoris, quod incalescens, attrahit sanguinem a venis. Similiter percussiones super iecur, labor immodicus, vsus importunus epithematum calefacientium, & cucurbitulæ super iecur, ac tandem quicquid calefacere, & dolorem iecori inducere potest, reponitur inter causas externas inflammati iecoris. Inter quas Aretæus locum assignauit tempori, & ætati, nam scribit, inter tempora anni, autumnum esse inflammationum iecoris feracem, inter ætates vero ætatem vigentem.

Signa. *Ab actionibus læsis.*

Signa quibus dignoscuntur inflammationes hepatis, vt dicit Galen. 2. & 5. de loc. aff. atque etiam Auicen. capiuntur ex tribus fontibus, vel ab actionibus læsis, vel ab excrementis mutatis, vel ab accidentibus. Signa, quæ sumuntur ab actionibus læsis, sunt complura: nam tametsi, vt docet Aretæus mens in hoc affectu non admodum lædatur, attamen redditur tarda, & hebes, quia neque ita discernũt, neque ita valent memoria, vt antea solebant. Somnus fere nullus adest quoniam vt Serapio docet, ab hac inflammatione multi acres vapores continuo eleuantur, qui cerebrum percutientes, somnũ impediunt. Singultus etiam, vt habet Hipp. 7. aph. 17. est inter ea signa, quæ comitantur iecoris inflammationem, quãquam neq; semper, neq; omnem inflammationẽ sequitur, sed solum consummatã, & iam ægros iugulantẽ. Pigrities similiter, & tarditas ad quẽlibet motũ, tussis exigua, & arida, spirandi difficultas, & omnia ea contingunt, quoniã cũ diaphragma sit membrum proximũ inflammatæ parti, necessario coafficitur: vbi est affectũ

hoc viscus, cum deseruiat respirationi, necessario quoque respirationem lædit, & tussiculas inducit. Syncope quoque magnarum inflammationum signum est.

Qualis sit pulsus in loco affecto.

Est dubium in verbis Gal. circa puls. Gal. enim in 4. de caus. puls. 7. scribit, pulsum inflammationis iecoris talem esse, qualis solet esse in omnibus inflammationibus, scilicet durum, inæqualem, & serrinum. Idem Gal. 5. de loc. aff. 7. quem secutus est Auic. & omnes fere Arabes, scribit pulsum in iecoris inflammationibus esse vndosum, magnum, velocem, & frequentem. Soluenda est hæc contradictio ex Gal. verbis 6. aph. 5. vbi scribit, dupliciter fieri inflammationẽ in iecore, vel in carne, vel in membranis: si in carne, vndosus pulsus est, velox, & potius mollis, quoniam caro ipsius iecinoris, mollis est, & laxa, quo fit, vt motus arteriarũ debeat esse similis loco affecto. Vbi autem efficitur inflammatio in membranis, cum hæ sint partes duræ, ac densæ, pulsus fit durus, serrinus, densus, ita vt quando scribit Gal. pulsum esse vndosum, factam in carne, quando durum, factam in membrana inflammationem respiciat.

Ab excrementis mutatis.

Cur in principio aluus adstricta sit.

Vrina.

Ab excrementis mutatis complura signa sunt, in primis vero solet esse vomitus bilis flauę, & vitellinæ, in principio, in fine vomitus æruginosus, aluus adstringitur, in principio, in fine fluit, fęces liquidæ, crudæ, biliosæ, vt testatur Gal. 8. de med. loc. 6. Cur autem in principio aluus adstringatur, in fine fluat, ratio est, quoniam primo feruore, & incendio visceris, fęces omnes exsiccantur, ita vt nullo pacto a facultate expultrice possint educi, in progressu autem morbi, cũ necessario facultas sanguificatoria lędatur, fit id, quod fiebat in affectu hepatico, quoniam scilicet vitiata hac facultate chylus, cum non possit verti in sanguinem, reuertitur in intestina, vbi cum putrescat, per intestina exit, & ob id liquidæ fiunt fęces, crudæ, & fœtidæ. Ad hæc vrina est crocea, rubea, & calida, non ob aliud, nisi quoniam cum exeat vrina a fornace ardente, hoc est, a iecore inflammato, necesse est, vt ipsa calida, crocea, & rubea fiat.

Ab accidentib. mutatis.

Signa ab accidentibus mutatis, etiam plura sunt, in primis est color mutatus: nam color corporis est fere totus citrinus, lingua nigricat, sitis inextinguibilis comitatur, nausea, cibi fastidiũ dextri hypochondrij põdus, dolor dextri lateris ad iugulum tendens, febris est continua, vt habet Gal. 5. de loc. aff. Quia vero sæpe fit, vt affectus alij in corpore nostro oriantur, qui fere hæc eadem signa habent, operæ pretium est habere signa, quibus possunt dignosci, & partes affectæ iecoris, & iecoris ipsius affectus, ab alijs partibus.

Primum autem ad dignoscendas partes iecoris affectas sciẽdum est, inflammationem interdum fieri a principio, in parte concaua, interdum in conuexa. Dixi in principio, quoniam vt notat Gal. vix fieri potest, vt perdurante inflammatione vnius partis, malum non communicetur etiam alteri, siquidem cum istæ partes sint sibi continuæ, & sint eiusdem substantiæ, difficile est intelligere, quomodo possit esse malum in vna parte, vt non communicetur alteri.

Signa inflammationis in caua parte. Signa inflammationis in parte conuexa.

Facta inflammatione in caua parte, hęc signa sunt, dolor minor est, aluus soluta, minor tussis minor spirandi difficultas: nam hæc pars cũ sit magis remota a diaphragmate, propterea nõ apparent ea symptomata, quæ cõsueuerunt comitari affectionem diaphragmatis. Ex aduerso, vbi affectus est in parte conuexa, dolor est maior, tussis maior, & spirandi difficultas maior.

Verum quia interdum etiam contingit, vt inflammetur non ipsum iecur, sed musculi superpositi, ideo necessarium est habere signa, quibus hoc possit discerni, habent enim inflammationes illarum partium illud commune, quod percipitur durities ipso tactu, præsertim si inflammatio sit insignis, atque adeo, vt musculos superpositos, omnino superet. Habent autem hæ inflammationes illud diuersum, quod si spectemus figuram, in inflammatione iecoris, figura est vel lunaris, vel orbicularis, quoniam corpus iecoris est huius figuræ, si autem musculi sint inflammati, non corpus iecoris, figura est oblonga, itaque si sint musculi transuersales, per transuersum longam figuram videbitis, si autem longitudinales, videbitis longam tumoris figuram per ipsum longitudinem.

Quo discernatur pleuritis, ab hoc affectu.

Signa quædam præterea sunt communia pleuritidi, & inflammationi iecoris, propterea necessarium est habere alia signa, quibus possit dignosci pleuritis ab inflãmatione iecoris, in quo vidi multos deceptos: In pleuritide pulsus est magis serrinus, tussis adest cum sputo, dolor semper est pungitiuus: in inflammatione iecoris, adest minor serrinitas in pulsu, tussis exigua, & semper arida, dolor grauatiuus, potius quam pungitiuus: præterea si diligenter notabitis in hepatitide, semper est aliqua durities in regione iecoris, quæ durities maior est, si sit in conuexa, minor vero si in concaua. Adhæc qui laborant hepatitide, dum spiritum trahunt, videtur ipsis a partibus inferioribus, ad superiora aliquid surgere, quod quidem non est in pleuriticis, quia in pleuriticis, neque adest durities in regione iecoris, neque etiam dum trahunt spiritum, videntur pati ascẽsum alicuius materiæ, vt in hepatitide. Accedit quod in iecoris inflammationibus semper videbitis totam abdominis regionem extenuari, eo quia incendiũ, & feruor in ea parte carnes omnes, & pinguedines liquefacit, quibus liquefactis contabescit tota eius pars, & videtur sola superstes esse cutis. In alijs autem inflãmationibus nequaquã hoc apparet, quoniã si sit inflãmatus musculus: si pleuritis, nõ apparent hæc signa, nã hypochondrijs non adeo cõmunicatur incendium: ac proinde non adeo liquefiunt carnes, & pinguedines, neque adeo extenuantur. Hæc est catalogus signorũ omnium, quæ inflãmationem indicant, & ipsam ab alijs distinguunt.

An febris acuta comitetur perpetuo hunc affectum.

Circa signa inflamationis oritur dubitatio. An febris acuta continuo comitetur hanc inflammationem, Aetius lib. 10. cap. 7. & Paulus lib. 7. cap. 46. scribit, febrem acutam semper esse comitem inflammationis iecoris. Alex. autem de his inflammationibus dixit, in inflammatione quidem partis gibbæ fieri febrem acutam, in concauæ autem partis phlegmone nullã facit

mentionem

mentionem huius febris. Imo Gal. 2. de loc. aff. 8. dicebat febrem quidem comitari hunc affectum, an uero sit acuta, vel remissa, nihil dixit. Ex his igitur videtur non leuis disputatio oriri, an febris acuta sit, necne.

Altima. opinio.

Altimarus ita statuendum censuit, scil. ad inflammationem magnam sequi febrim acutam, inflammationi vero exiguæ, & paruæ copulari paruam. Hanc sententiam conatus est confirmare duabus Gal. auctoritatibus, & rationibus, Prima est 5. de loc. aff. 7. vbi cũ scribat Gal. febrim vehementissimam fieri in erysipelatibus iecoris, vel in inflammatione erysipelatode, inquit Altimarus significare Gal. voluisse, febrem acutam fieri, in vera inflammatione non fieri acutam.

Altera Gal. auctoritas est 2. prorrh. 20. vbi uidetur dicere, non semper fieri febrim acutam in inflammatione iecoris. Ratio, qua utitur Altimarus ex Gal. hæc est, sicut se habet inflammatio, ita, & febris se habet, quoniam febris accidens est inflammationis: sed inquit, interdum inflammatio est magna, quandoque parua: Igitur & febris interdum magna erit, interdum parua.

Refutat.

Hæc Altimari solutio mihi placere nõ potest, & adducor ea ratione, qua ipse utitur, si qualis est inflammatio talis est febris, sequitur cum omnis inflammatio iecoris sit morbus magnus, et febrim semper magnam esse. Quod autem omnis inflammatio iecoris morbus sit magnus, testatur Gal. 7. meth. 12. vbi dixit, morbos dici magnos tripliciter, vel ob dignitatem ipsæ actionis, vel ob magnitudinem essentiæ affectus ipsius, vel ob facultatem læsam corpus gubernantem. Idem Gal. 4. meth. 6. dicit, affectus dici vehementes, & magnos tribus modis; vel propter excellentiam partis affectæ, uel propter magnitudinem ipsius affectus, vel propter prauitatem.

Resolutio auctoris.

His itaque constitutis dico, hepar esse membrum excellentissimum, imo vero post cor, & cerebrum nullum est in corpore nostro, quod iecur excedat nobilitate. Præterea actio iecoris est actio nobilissima, quandoquidem cum faciat sanguinem, & in sanguine consistat vita, procul dubio actio eius præstantissima est. Igitur sequitur, quod inflãmatio, quæ est morbus sua natura insignis, in iecore etiam sit morbus magnus. Ergo febris erit acuta, & magna.

Præterea, vt Gal. lib. de temp. morb. ex Archig. sententia, dicit, duo sunt, quæ morbum acutum reddunt, scil. velocitas motus, & periculũ vitæ, ita vt vbicunque velociter morb. mouetur, & vitæ periculum adest, semper morbus est acutus. Sed vt Aretæus dicit, omnes inflammationes iecoris, uel minimæ, sunt periculosæ. Ad hæc inflammatio cum sit morbus calidus, velociter mouetur, itaque necessario colligendum, etiam febrim esse acutã. Et præter hæc est auctoritas Gal. 10. meth. 8. vbi scribit, omnes inflammationes iecoris siue sint cum uiribus validis, siue infirmis semper esse lethales. Febris igitur, quæ comitatur inflammationem iecoris, est acuta.

Ad rationẽ Altim.

Sed quid dicemus ad Gal. auctoritatem? Dico, quod etsi Gal. scribit, in erysipelate fieri vehementissimas febres, propter hoc tamen non negat, quia etiam possint fieri, & flans in inflammatione iecoris, imo si intimius consideremus verba Gal. cum dicat in erysipelate fieri febres vehementissimas, vult nos docere, quod in alijs inflammationibus iecoris fiant etiam acutæ, sed non ita vehementer.

Quod porro Gal. 2. protrh. scribit, sciendum est ab ipso dictum esse de inflammationibus cõmuniter acceptis, non autem de vera inflãmatione, de qua hic loquimur, eo enim loco scribit auctor prorrhetico. febres ex hypochondrijs malignas esse, quam sententiam cũ suspectam haberet Gal. inquit non esse verum, vbi simpliciter dolent hypochondria, semper febrim esse acutam, aut malignam, probans id exemplo inflãmationis iecoris, & diaphragmatis, eo quod partes illæ interdum dolent interdum feruent, & tamen febres non sunt malignæ, neque acutæ, ita vt ex eo loco colligi possit, inflammationes communiter acceptas non semper habere comitẽ febrim acutam, non tñ negat ibi Gal. quin inflãmationi veræ semper copuletur acuta febris.

Sum igitur huius sententiæ, febrim acutam semper adhærere inflammationi iecoris, & inter alia signa esse reponendam; quam sententiam, nedum Paulus, & Aetius habuerunt, verumetiam Aretæus.

Cur in hoc affectu aluus adstricta, & fluida.

Dicit in inflammationibus hepatis esse aluum adstrictam interdum, interdum fluidam, quoniam scilicet, sanguificatoria facultas iecoris sit debilitata. Circa quod dubitari potest, quoniam Auic. scribit fieri aluum adstrictam in hac inflammatione, quoniam ventriculus validus est, & quod cibus retinetur, & retentus, quasi assatur: fieri aluum fluidam, quoniã ventriculus debilis est, quo tempore cibus non retinetur, ita vt videatur diuersa ratione loqui de aluo adstricta, & fluida, quam nos fecimus.

Dico me sentire Auicen. deceptum esse in intelligendo Galen. aut saltem eius verba esse corrupta, quia id, quod dixit Galen. & iure, de facultate sanguificatrice iecoris, putauit Auic. esse dictum de facultate ventriculi, eo magis, quod si rem ipsam expendamus, semper aluus est adstricta, quando facultas iecoris est ualida, quod si sit infirma, vel assat sanguinem, qui assatus cum non possit sua crassitie penetrare in corpus, regurgitat in intestina, atq; ita fit fluxus melancholicus, & niger; si autem sit infirma, ita vt non possit conficere chylum: similiter chylus ad intestina mittitur, atque ita apparet liquidus, & similis loturæ carnium, vt contingit Medico Siculo notato a Galeno, & vt testatus est Galen 8. de med. local.

Prognost.

De Prognosticis Aretæus tria notanda proponit, comparans enim simul affectus iecoris, & cordis, inquit 1. affectus cordis citius iugulare, quam affectus iecoris, veruntamen, & ipsos maxime torquere, & molestos esse; intelligenda sunt hæc verba de inflammationibus, quoniam eius sermo erat de inflammationibus. 2. Inflãmationes in porta iecoris cito necare, quia eo in loco venæ sunt amplissimæ, sunt nerui, & tendines, merito quorum inflammatio est vehementissima.

tissima. 3. quod sicuti raro contingit, vt cor, & alia viscera inflammentur, quandoquidem prius homo moritur, quam has inflammationes sustineat, idem etiam contingit de vera inflammatione hepatis nimirum, quæ rarissime, & ipsa contingit, atque etiã dum fit, prius iugulat, quam ad statum perueniat.

Cur singultus superueniens sit lethalis.

Est sententia Hippocr. 7. aph. 17. inflammationes hepatis, vbi fit singultus, esse lethales. Cuius rei rationem tradens Galen. inquit, id esse, quia singultus indicat inflammationem esse magnã, & consummatam, siue singultus fiat ob magnitudinem tumoris comprimentis ventriculum, siue ob communionem nerui, quam habet iecur cum ipso ventriculo.

Oportebit forsan quis intelligere, cum inflammatio omnis iecoris sit periculosa, & mala, vtra sit deterior, an quæ fit in parte concaua, an quæ in conuexa: Gal. in 6. epid. inflammationem in parte conuexa esse periculosiorem, facta in parte concaua. Item Galen. 5. de loc. aff. 7. videtur cõtrariam statuisse sententiam, vbi scribit inflammationem factam in parte concaua, esse deteriorem facta in parte conuexa: Et affert rationem 13. meth. 14. scilicet inflammatione partis concauæ inflammari simul, & venas meseraicas, quo fit, cum duæ partes sint inflammatæ, etiam malum sit auctum.

Pro resolutione dicendum, malum altero deterius esse, dici dupliciter, vel propter accidentium magnitudinẽ, vel propter vitæ discrimen. Si primo modo loquamur plane inflammatio iecoris in parte conuexa est deterior, eo quia plura, & sæuiora accidentia contingunt in ea, quã in alia ob diaphragma. Ex aduerso si intelligamus secundo modo, sane inflammatio in concaua est deterior, quia plus periculi imminet ex hac, quam ex alia, quoniam venæ meseraicæ sæpe etiam inflammantur.

Curatio. Scopi.

Curatio inflammationis iecoris tam in gibbo, quam in concauo, vna est fere, & communis illa, quæ debetur cunctis inflammationibus, scilicet, vt primo videatur, ne amplius augeatur inflammatio, propter fluxum materiæ, vt materia fluens retrahatur, & reuellatur. Secundo, vt id, quod factum est inflammationis tollatur. Vtrique huic scopo complendo accommodatissima est

Victus ratio.

vna victus ratio, si primo eligatur aer aquilonius, & serenus, & si tempus non concedat aerem frigidum, vt paretur arte, somnus moderatus super latus sinistrum potius, quam dextrum, omnes animi passiones sunt moderandæ, & quoniam aluus non fluit, præsertim in principio, prouidendũ clysteribus, vt fluat. Et notate in his casibus clysteres semper actu frigidos esse immittendos. Fuit hæc sententia Rufi, vt in omnibus inflammationibus internis clysteres actu frigidi immittantur, & potentia, si erunt meræ. Quare soleo ego vti huiusmodi

Clyster.

℞ *Fol. lactucæ.*
Maluæ.
Endiuiæ.
Solatri an. M. j. f. decoct. s. a.

Deinde ℞ *a. d. lib. ß.*
Succi hordei ℥ iiij.
Ol. rosati lib. ß.
Salis ʒ. j. M.

Quod si retinetur intus, poterimus augere dosin salis, & opponere, vsque ad ʒ. ij. quoniam sic refrigerabitur clyster, & aluus subducetur. Scribit Aretæus, in principio harum inflãmationũ

Cibus.

necessariũ esse, & parum edere, & parum potare, quoniam omnibus inflammationibus internis, & omnibus morbis acutis victus tenuissimus conuenit. vnde neque conueniunt oleosa edulia, neque dulcia, neque amara, neque aromata. Ptisana omnium præstantissima est, siue sit integra, siue colata cum lacte sem. melonum, sem. cucurb. parũ pullæ iuscula, quibus incocta sint cichoracea, vt endiuia, sonchus, hepatica, buglossa, omnino sunt accommodata. Putarunt aliqui cibos, & potus in his casibus debere esse facultatis adstringentis, sed merito id negatum videtur a Galeno, quoniam, vbi cibi sunt adstringentes, sibiipsis viam claudunt, vnde non possũt corpus, quemadmodum opus esset, alere, & penetrare.

Num succus auenæ conueniat.

Alex. laudat succum auenæ, damnat oua. Sed circa succum auenæ est difficultas, quoniam Nic. Florentinus maxime damnat hunc succũ, eo quod calidus sit. Vbi contradictio est in verbis Galeni, Nam 6. de simpl. med. fac. dixit, auenam esse refrigeratoriæ facultatis, in 1. autem de alim. fac. ait, auenam esse admodum calidam, ita ut merito Alexand. sequutus Galen. auenam laudarit, tanquam refrigerantem & Nic. Floren. sequutus Galen. damnarit tanquam calefacientem. Neque valet, quod 6. simpl. loquitur de ea, vt est alimentum, quia facultates primæ alimentorum nunquam mutantur, semper eædem sunt, siue accipiamus pro medicamento, siue pro alimento.

Hæc contradictio sane apud me est difficillima: neque scio quid dicam, nisi, quod auena, de qua loquitur 6. simpl. sit aliud genus ab illa, de qua loquitur 1. de alimen. Atque adducor ad credendum hoc ab antiquo interprete. Is enim 1. de alim. bromũ conuertit auenam, in 6. de simpl. conuertit βρῦμον aliter, quasi fecerit alterum genus ab alio diuersum.

Num oua conueniant.

De ouis autem, quod scribit Alex. maxime miror, cum oua, & præsertim sorbilia, multũ absit, ut sint crassi nutrimenti, & vt sint flatuosa, imo vero inter omnes cibos nullus est, qui sit æquę accommodatus naturæ nostrę, atque ouum sorbile. Quare dicerem ego apud Alex. intelligendum esse de ouis frixis, aut assatis, aut contextum eius esse falsum, seu magis, quod eo loco est etiam alia vox corrupta, quę cum scripta sit [illegible], legendum est [illegible].

Pro

Pro potu nunquam conuenit vinum, conuenit autem, vel aqua cocta vel aqua hordei, vel decoctum sebesten.

Vestri instituto danda opera, vt scopi, qui habentur in curatione, perficiantur, 1. vt prouideatur ne crescat inflammatio, quoniam vero crescit propter materiam affluentem operę pretium est, vt materiæ cursus intercipiatur. Quæ intercipiunt materiam, sunt multa, ligaturæ, frictiones, cucurbitulæ, vel scarificatæ, vel non. Laudatur venæ sectio, præsertim vbi facta inflammatio est propter materiæ affluxum, non collectione, nam huiusmodi venæ sectio duo præstat bona, euacuat materiam inflammationi proximam, & eam, quæ remota est, & ad iecur fluit, reuellit. Sed in administratione venæ sectionis, duo sunt notanda. 1. quinam sit locus eligendus. 2. quæ debeat esse mensura sanguinis.

Venæ sectio.

De loco statuendum est, quod si facta fuerit inflammatio, propter retentionem hæmorrhoidum, aut menstruorum, mittatur sanguis, vel vena secta in poplite, vel in malleolo: aut si vena secari non potest, scarificentur crura, eo modo, quo docuit Galen. in lib. de cur. rat. per venæ sectionem, si inflammatio originem non ducat ab vlla retenta euacuatione, est Galeni sententia, mittendum esse sanguinem ab interna vena cubiti dextri, quia ea euacuatur, & reuellitur materia; si non possit mitti ex hac vena, eligenda est media, & si media non pateat, eligenda est cephalica dextra.

Quæ vena secanda.

Aretæus scribit multum sanguinis emittendum, non vna vice, sed pluribus. Ceterum Galen. 13. meth. aliter sensit, scilicet, vt multus mittatur, & vna vice, modo ægri sustineant vires, quibus non sustinentibus, tunc etiam Galenus concedit pluribus vicibus mittẽdum esse. Ratio propter quam sit vna vice mittendus, est, quoniam copiosa sanguinis missio, vt Galenus, & Oribasius docent, vbi semel fit, optime sistit sanguinem fluentem, & refrigeraat.

Mẽsura sanguinis.

Postquam huic scopo reuellendi, & impediendi inflammationem satisfactum est, sequetur secundus scopus, vt id, quod factum est inflammationis, tollatur. Aufertur inflammatio facta duobus pariter medicamentorum generibus, intrinsecis, & extrinsecis. Circa vsum intrinsecorum illud primo notandum est, an inflammatio sit in parte concaua, vel conuexa, si in conuexa, agendum est medicamentis vrinam prouocantibus, quoniam hæc pars melius per communes meatus vesicæ expurgatur. quã per aluum. Sed quoniam talia medicamenta sunt diuersa, quandoquidem alia sunt valentia, alia mediocria, notandum, in principio inflammationis semper abstinendum esse a medicamentis diureticis valentioribus, quomodo hæc medicamẽta omnia calida sunt, & sicca, acria, & sanguinem extenuantia, cuiusmodi est asarum, nardus, daucum, petrosel.

Diuretica quando conueniant.

Est autem vtendum diureticis remissioribus, vt sunt omnia sem. frigida, vt semen citruli, cucurb. melones, apij radix, cetrach, & omnia quæcunque ducunt vrinam, nec tamen multum calida sunt.

In principio igitur poteritis vti hoc decocto.

Decoctum diureticum.

℞. Sem. citrali.
Melonum, an. ℥. ß.
Rad. apy.
Cetrach an. M. ß.
Rad. fœniculi ℥. v. f. decoctio, vel in brodio parua pulla, vel in aqua.

Et notate hoc in casu vitãda omnia mellita, & propterea ista serapia dulcia sunt etiam fugiẽda, quoniam, vt docet Hip. in lib. de inter. affect. Gale. multis in locis, iecur & lien inflammata maxime læduntur a dulcibus. Poterimus etiam ex his seminibus, & saccharo conficere cõfect. quæ non sunt admodum dulces, & ijs vti ad prouocandam vrinam.

Vbi iam inflammatio erit progressa, & probe cocta, tũ licebit vti vehementioribus diureticis, & in eo casu poterimus parare tale decoctum.

Vehemẽtius diureticum.

℞. Rad. asparagi sylu. ℥. ß.
Nardi.
Asari an. ʒ. iij.
Dauci.
Sem. petrosel. an. ʒ. ij. f. decoctio in brodio, vel aqua. Cui addi poterit modicum sacchari, ita, vt non admodum dulcescat.

Sic itaque debemus agere, vbi connexa pars iecoris erit inflammata: vbi autem cõcaua pars sustinet inflammationem, medicamentis vtendum, quæ per aluum ducunt.

Soluentia quando conueniant.

Circa vsum horum duo sunt notanda. 1. quod monuit Paulus in principio inflammationis nunquam vtendum medicamentis aluum ducentibus, quoniam cum humores ducantur per proximas partes concauo iecoris, magis irritatur pars affecta in principio, & propterea augetur ipsa inflammatio. Quod si aluus fuerit adstricta, vtendum clystere aluum molliente, de quo supra. Secundo notandum, vt nunquam exhibeantur medicamenta purgantia, nisi humores exacte fuerint præparati, & viæ quoque expeditæ. Præparantur autem humores, & liberantur viæ hoc decocto.

Præparatio.

℞. Fol. agrimonia.
Cuscuta.
Capil. ven.
Cichor.
Hepaticaan. M. j. f. decoct. s. a.

Deinde

Deinde ℞.d.d.ʒ.vj.

Cui si placuerit addere ℥.j.syr. acetosi simpt. vel oxysacch. vel syr. de bugloss. vel endiuia, bonum erit, cauendum semper, ne potio nimis dulcis euadat.

Vbi fuerint humores præparati, erunt expurgandi, non tamen nimis calidis medicamentis, quia cum ea multa calefaciant, augent etiam inflammationem. Neque nimis debilibus vtendum, propterea, quod hæc medicamenta trahunt quidem, sed non educunt, vnde potius ipsorum vsu inflamamatio augetur.

Purgantia accommoda ta.

Medicamenta, quæ conueniunt, sunt hæc, manna, rhab. syr. rof. solut. trochis. viol. sine scam. Sed notandum, semper melius esse in affectionibus iecoris vti medicamentis potulentis, quam solidis, quod illa felicius penetrent, & facilius agant in iecore,

Forma medicamentorum poterit esse talis.

℞.Paulpa tamarindorum, ℥.ß.
Sebesten N.xij.
Fl cordialium.P.j.f.decoct.f.a. in aqua hepatice.

Deinde facta expressione.

℞.dd.℥.iiij.
Rhab.elect.℈.iiij.
Spicæ gr iij. Infundantur per noctem.f.a.

Deinde facta expressione adde:

Manna elect.
Sir.rof.solut.an.℥.ij.M.& f.potus.

An purgantia cibis cōmiscenda.

Gal. 13. meth. 15. hoc in casu etiam commendat, vt medicamenta soluenta cibis commisceantur, siue in decocto velimus iis vti, siue in puluere: nam narrat se interdum commiscuisse cort. helleb. & polyp. ptisanæ, atque incoxisse, & sic feliciter vsum esse medicamento.

Ceterum Constantinus Africanus monachus in lib. meth. quos in compendium redegit, loco citato, duabus rationibus reprehēdit Gal. 1. quod si cibis commisceantur medicamenta: corrumpuntur cibi ab ipsis, vbi sunt corrupti, nequaquam possunt nutrire, & proinde membra alimento destituta vires amittunt. Secunda ratio est, medicamenta soluentia, vt polypodium, & helleborū, esse calida: inflammato autem iecori calida maxime aduersantur. Quare inquit iste, non conuenire ea, quæ scribit Galen. Subiungit, melius esse, vt pruna, sennam, violas, oxysacch. cum modico diagridij paulo ante cibum exhibeamus.

Sed melius fuisset, vt bonus monachus hic lectitasset libros Prophetarum; nam quantum ad primum rationem, sane verum esset, si voluisset Galen. qualibet die commiscenda esse medicamenta ipsis cibis: sed cum dicat tantum id agēdum esse semel, aut bis, vana est illius ratio; quoniam tametsi semel, aut bis corrumpantur cibi medicamentis, non ob id tamen vires illorum destruūtur prorsus, imo vero cum ipse Constantinus dicat diagridium cum prunis exhibendū esse paulo ante cibum, in eandem, & ipse, quam fecit, foueam cadit, quoniam æque corrūpuntur cibi a medicamentis paulo ante sumptis, atque cum ipsis permiscentur.

Ad secundā rationem monachi dupliciter respondeo, quod aliquantisper calida sint hæc medicamenta a Galeno enumerata, veruntamen cum illa commisceantur ptisanæ, caliditas illorum a ptisanæ frigiditate corrigitur, ita, vt nihil hæc ratio valeat. 2. Vtitur monachus diagridio, quod licet in pauca quantitate exhibeatur, semper tamen maxime calefacit. Dimittamus igitur monachi istius ineptias.

Topicorum vsus.

Circa externorum vsum, cum hæc medicamenta tria faciant inflammationibus tollendis, vel impellant, vel extrahant, vel discutiant, medicamenta omnia, quæ impellendo tumores soluunt, sunt repercutientia, id est, medicamenta refrigerantia, & adstringentia.

Circa quorum vsum quatuor sunt notanda. 1. quod monuit Galen. & Alexan nūquam esse his vtendum, nisi prius sanguine misso, quia si antequam sanguis mittatur, administrētur hęc medicamenta repellentia, vel repellant materiam, vel non repellent: si repellunt, periculum imminet, ne humores impetu magno in cor, & spiritalia membra præcipitentur; si non repellunt indurabitur magis materia. Quare non est vtendum his medicamentis, nisi euacuato toto.

3. Notandum, quod monuit Auic. vt videatur, an inflammatio sit in principio principiante, vt dicunt Arabes, an sit in principio simpliciter: si sit in principio principiante, tum cum materia sit tota in fluxu, nulla adhuc eius parte infixa, sagacissime vtendum est solis repercutientibus, vt erit succus portul. semperuiui, aq. rosarum, sandali, camphora, ol. myrt. ol. rof. omph. Hęc sunt omnia, quibus & per se solis, & simul cōmixtis possimus vti in principio principiante. Vbi autem inflāmatio sit simpliciter in principio, admiscendū aliquid, quod discutiat, vt est mastix, anethū, chamom. Similiter possunt adhiberi cataplasmata facta ex rosis, far. hordei, vt est istud.

Cataplasma.

℞.Fol rosarum.
Rubi an.M.ß.
Far hordei lib ß.
Fl.chamam.P.ß decoquantur omnia f.a.

Deinde addantur *Ol myrthini, communis, ana ℥.j.m.& f.cataplasma.*

3. Notandum vt nunquam adhibeantur medicamenta iecori inflāmato, nisi etiam aliquid adstringens commisceatur, vt est rosa, absynthium, plantago: nam cum tonus huius visceris sit maxime necessarius, omni studio seruandus est.

4. No-

4. Notandum, quod medicamenta hæc refrigerantia, & repercutientia nunquam actu frigida, neque potentia frigidissima adhibeantur. Nam, vt Gal. docet, hæc medicamenta multa secum habent incommoda, nam primo indurant, deinde obstruunt meatum bilis, quo obstructo cũ bilis retineatur in iecore, plane lethale detrimentum affert. Ad hæc remedia hæc frigida actu non possunt penetrare, quoniam sibiipsis viam occludunt. Vltimo cum semper aliquid virulenti extra cutim ex iecore resudet, si vel frigida actu, vel frigidissima potestate adhibeantur, obstruitur cutis, retinetur virulentia illa, & consequenter malum iecoris augetur.

Quæ medicamenta extrahunt materiam infixam parti inflammatæ, sunt cucurbitulæ appositæ ipsi iecori, id est, hypochondrio dextro: de quibus scribit Aretæus, & Aetius, eas esse sic applicandas, vt vel scarificentur, vel postquam exceptæ sunt, hirudo apponatur, & post hirudinem decisam, iterum cucurbitula apponatur: Quare sic medicamentis, & sanguis prauus ex loco affecto extrahatur.

Cucurbitulæ.

Simili modo etiam operantur sinapismi, seu vesicatoria, quæ licet non sint administranda inchoante ipsa inflammatione, conueniunt tamen inflãmatione iam desinente, siue declinante.

Sinapismi.

Id semper notandum est, in vsu horum, & aliorum medicamentorum, quæ facultatem possunt extrahere, & dissipare materiam, vt sunt orig. stæchas, polium monticalum, nih. radix iridis, chamæm. & alia, vt semper laxantibus adstringentia misceantur: habemus enim apud Gal. historiam Medici Siculi, qui male tractatus fuit a Medicis solo laxantium vsu.

CAPVT XX.

De affectibus lienis in genere.

Sanguis cum esset futurus vitæ nostræ thesaurus, opus fuit, vt tres conditiones haberet. 1. vt esset mediocriter crassus. 2. lucidus 3 dulcis. Dulcis, vt nutrire possit: lucidus, vt ex ipso fiant spiritus: mediocriter crassus, vt in carneam substantiam conuerti possit. Propter has tres conditiones natura in fabrica eius machinam ex tribus membris: Renes, vt depurantes sanguinem a sero, is crassior euaderet; vesicam bilis, vt ea attrahente ad se bilem, sanguis dulcesceret, nam videmus cetera animalia, quæ carent folliculo bilis, sanguinem, & carnes amariores habere: Lienem autem fecit, vt attrahens ad se melancholicum succum, sanguinem splendidum, & lucidum efficeret.

Tres conditiones sang.

Et hoc est, quod dixit Plato, lienem depurare iecur ab humore melancholico, vt in ipso possint fieri imagines. Hoc etiam est, quod nos docuit Arist. 3. de part. animalium 7. cum dicit lienem hominum non esse ad aliud necessarium, nisi, vt excrementum illud a sanguine separetur. Hippoc. dixit sanguinem purum conducere ad risum efficiendum: vnde iure dixit Plin. lib. 11. cap. 37. & Serenus Medicus, putatum suisse ab antiquis, lienem maxime ad risum efficiendum ideo conferre, quoniam cum depuret sanguinem a succo melancholico, a crassa, obscura, & atra humiditate, consequenter sanguis depuratus hilaritatem, & risum inducit.

An lien ad risũ faciat.

Cum igitur lien sit veluti receptaculum excrementi, & humoris melancholici, non minus, vt habet Hippoc. in lib. de morb. omnibus fere morbis subijcitur, quibus etiam subijcitur ipsum caput. Veruntamen, quoniam inter morbos lienis duo videntur frequentiores, scilicet inflammatio, & scirrhus, quos etiam comprehendit Rhases sub nomine doloris lienis, propterea de his tantum loquemur.

CAPVT XXI.

De inflammatione lienis.

Inflammatio lienis est morbus prope eiusdem naturæ, cuius est inflammatio iecoris, nimirum tumor durus cum dolore, pulsu, & renitentia. In quo morbo non solum est mala intemperies, sed etiam conformatio, & vnitatis solutio.

Descriptio.

Causæ internæ huius inflammationis nullæ aliæ sunt, nisi humores calidi, scilicet bilis, sed præcipue sanguis. Dico præcipue sanguis, quia licet omnes Arabes dicant, fieri hanc inflammationem a bile, id tamen perquam rarissimum est, imo etiam lien raro inflammatione vera laborat, quia cum inflammatio a sanguine ortum ducat, sanguis autem sit mediocris, & purus, vix fieri potest, vt vnquam in liene congregetur, propter quod inflammatio, quæ interdum contingit lieni, non est a sanguine puro, & proinde non est vera inflammatio, sed a sanguine melancholico, & crasso; vnde iure Galen. 13. meth. dixit, facile hoc viscus tentari duritie, quia sanguis subtilis, qui ad ipsum confluit, dissipatur, remanens autem crassus, indurat viscus ipsum, & proinde scirrhum facit.

Causa interna.

Sed dubitatur, An verum sit, lienem a bile rarissime inflammari; Hippocrates enim tradens affectuum lienis curationem, sæpe meminit affectus lienis, qui fit a bile: imo vero scribit, quandoque

An lien a bile inflammetur.

doque

eoque ex supercalefactione a sole lienem attrahere bilem ad seipsum, & proinde quodammodo inflammari.

Contra re: hæc tradit signa, quod aures, & gingiuæ male oleant, & quod gingiuæ a dentibus abscedant, vt hinc pateat, ex Hipp. sententia sæpe vsu venire, vt lien inflammetur a bile. Nec debemus dicere Hippocr. loqui de inflammatione non vera, quoniam si signa proposita ab Hippocr. examinemus, ponit febrem, dolorem, tumorem, duritiem, quæ omnia sunt signa inflammationis veræ.

Dupliciter respondeo. 1. Hippoc. sub nomine bilis sæpe consueuisse intelligere atram bilem, qui enim versatur in legendis Hipp. com. facile potest videre, bilem apud ipsum sæpe significare succum melancholicum, quod si ita est, optime factum est ab Hippocr. quando tot signa nobis proposuit, quæ hanc inflammationem testentur. 2. respondeo, Hipp. attestari nobis fieri inflammationem a bile, sed non frequenter, imo in his lib. de affe. internis, Hippocratem tractasse eos morbos, qui raro contingunt, vt dicendum sit, etiam hac ratione de inflammatione a bile tractasse, quia raro fit.

Causæ mediatæ. Causæ internæ mediatæ duæ sunt, intemperies ipsius lienis. & iecoris; intemperies lienis cum sit calida, attrahit ad se vehementer sanguinem, qui attractus cum copiosior sit, quam debet, necessario tumorem facit, Est etiam in causa intemperies iecoris, propter quam si humor melancholicus plurimus fit, & attrahitur a liene, consequenter etiam tumor, & inflammatio augetur, & efficitur: ita, vt ex causis mediatis internis potissimum sint illæ duæ, scilicet intemperies lienis, & hepatis.

Causæ externæ. Causæ externæ sunt omnes illæ, quæ & has intemperies augent, & generationi sanguinis melancholici occasionem præbent, vt sunt inter cibos, legumina, carnes antiquæ quadrupedum, caro leporina, item vsus brassicæ frequens, de qua dixit Galen. eam solam inter olera humorem melancholicum facere, præsertim vero etiam faciunt sanguinem crassum vina crassa, rubea, aquæ & frigidæ, & crassę, vt sunt palustres, & lacustres, habetis enim apud Hipp. omnes eos, qui incolunt regiones palustres, & lacustres, habere lienes tumidos, & magnos, propter vsum earum aquarum crassarum, & fęculentarum.

Inter alias causas Hipp. in lib. de morb. & aff. recenset tempus anni, scilicet autumnum. Alex. etiam ponit originem hæreditariam. An vero morbus iste lienis, & omnis morbus lienis possit hæreditate comparari alibi agetur.

Signa. Signa inflammationis lienis sunt multa. 1. dolor in parte sinistra, super regionem lienis, pulsus, tumor durus: Nam Galen. in 1. de loc. affe. dicit, facile cognosci inflammationes lienis, quia tactu semper durities illius partis percipitur. Ad hæc inter signa huius affectionis est febris continua, sitis continua, & vehemens.

A bile. Præter hæc Alex. & Auic. alia habent, quibus causę inflammationis huius cognosci possunt, nam vbi fit a materia biliosa, febris magis continua, & vehementior est, pulsus minor, dolor neque semper magnus, neque semper idem, sed cum materia sit subtilis, modo magis, modo minus affligit, color pallidus. Addit Auic. quandoque tendere ad rubedinem. Aures, & gingiuæ male olent.

A sanguine. Vbi autem inflammatio fit a sanguine scribit Hipp. colorem esse plumbeum, vlcera fieri magna in cruribus, fæces sanguineas, & æruginеas esse, ac lienem ipsum perinde, vt lapidem durum fieri.

Ab humore melanchol. Vbi autem ab humore atro fit, signa sunt, rigores, febres cum typo quartanario, subita extenuatio, gingiuarum corruptio, & nigredo.

His omnibus signis tria addidit Auic. 1. in apostematibus lienis, genua, pedes, & nares rubere, quia cum sanguis crassus fere vniuersus sit conuersus in lienem, qui distribuitur in alias corporis partes, lucidus est, ideoque partes extremas cartilagineas lucidas reddit. 2. aures, & nares extenuari, propter sanguinis paucitatem, nam cum hæ partes admodum sint frigidæ, ad has vix trahi potest sanguis bonus. 3. vlcera fieri in crure, atque gingiuas, & dētes fœdari, quoniam crassus sanguis ad crura pręcipitatur, vbi vlcera facit, fumi autem acres, & putridi in os feruntur, vbi dentibus, & gingiuis adhærentes omnia deturpant, & consumunt.

Prognost. Hippocrates omnes has inflammationes graues esse dicit, veruntamen eam, quæ fit a sanguine, ceteris magis lethalem, a qua pauci euadunt: causam reddit, quia cum huiusmodi inflammatio sit valde dissimilis naturæ lienis, non potest nisi a maxima causa excitari. Hippocrates enim censuit in morbis periclitari magis eos, quorum morbi sunt dissimiles naturæ ipsorum.

Est Galen. sententia, iecoris, & lienis inflammationes, si quando suppurentur, hominem consumere, & in 3. de cris. 3. inflammato liene, si sanguis ex sinistra nare fluat, salutares esse. Nō etiam ignorandum illud Auicen. in dolore lienis, si fluxus sanguinis superueniat, hominem secunda die perire.

Curatio. Curatio inflammationis huius eosd. habet scopos, quos habet inflammatio iecoris, scilicet, vt primo prouideatur, ne fiat. Secundo, vt id, quod factū est, auferatur. Prohibetur autem hęc inflammatio, ne augeatur; primo, si omnes causæ externæ auferantur; secundo, frictionibus, ligaturis, & alijs diuersionibus. Ante cetera ad explendum hunc scopum necessaria est victus ratio, scilicet, vt aer eligatur frigidus, vel temperatus, somnus etiam, & reliqua sint temperata.

Scopi.

Diæta. De cibis Alexan. scribit merito conuenire ptisanam, panem aqua lotum. Hippocra. in fine 7. epid. refert. Eudemo cum splene vehementer doleret, præcepisse Medicos, vt multum ederet,

vinum

vinum biberet modicum, tenue, & multum ambularet, sed cum nihil proficeret, sectam esse venam, cibum, & potum parce sumpsisse, deambulasse sensim, facto augmento vinum bibisse rubeum, tenue, & ita sanatum esse.

Pro potu autem nescio quomodo laudet Hipp. vinum tenue, & aquosum, quia Galen. 1. ad Glauc. prohibet vinum, omnia quoque dulcia, vt Galen. 13. meth. & 2. de alim. facult. docet, aduersissima sunt lieni inflammato. Post victum institutum studendum reuulsionibus, ligaturis, cucurbitulis, scarificationibus.

Venæ sectio.

Quod si in principio malum non finiatur, omnino, & quamprimum deueniendum ad phlebotomiam: Alex. enim statuit venæ sectionem, si in vlla affectione conuenit, maxime conuenire in lienis affectionibus.

Locus mittendi sanguinem debet esse eiusdem lateris, quod si nulla suppressio fuerit in causa, deueniendum ad incisionem venarum brachij, aut si vena illa pertundi non potest, omnino incidenda vena saluatella. Hæc enim semper solet esse ita conspicua, vt a nullo chirurgo prætereatur. Vbi factæ sunt reuulsiones, & diuersiones, opera solum danda euacuandæ illius materie, quæ iam fluxit, sed quoniam solet interdum dolor grauis, & vrgens, ęgros, & Medicos molestare, propterea si dolor fuerit insignis, statim deueniendum ad ipsum sedandum medicamentis refrigeratorijs, & tepefactorijs, vt est ol. lumbricorum, ol. vitel. ouorum, ol. rosatum, cum succo rosarum, vel endiuiæ: hæc enim omnia apponũtur, & prout dolor maior, aut minor est, modo augetur quantitas refrigerantium, modo minuitur. Sin autem dolor non vrget, nihil aliud superest, nisi vt humores præparentur, sed tamen istis medicamentis, quæ & lienem respiciunt, & inflammationem curant, vt est iste syrupus:

Dolorem mitigantia.

Syr. præparans.

℞. Fol. scolop.
Tamarisc.
Fumar.
Borrag.
Endiuiæ. an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiii.*
Syr. de fumar.
De pomis.
De eupat. an. ℥. ß. M.

Vbi humores fuerint præparati, sunt purgandi primo leniter: nam iste humor vsque adeo contumax, crassus, & rebellis est, vt non possit neque statim, neque vnica vice euacuari, vnde fit, vt sit opus pluribus euacuationibus, quarum prima debet esse semper mitior. Exempli gratia,

Purgans.

℞. Syr. de polyp. ℥. iij.
Confect. hamech ℥ iij.
Decoct. cappar. &
Myrob. cum succo fumar. facta s. a. ℥. iiij. M. & f. potio.

Hic enim potus, & blandus est, succum tamen melancholicum e line efficaciter ducens. Facta hac purgatione deueniendum ad nouam humorum præparationem, quæ facienda est medicamentis efficacioribus, & propterea iste syrupus erit,

Syr. præparans efficacior.

Cort. rad. capp. ℥. ß.
Filicis.
Cetrach an. ℥. ß.
Rad. fæniculi.
Fumariæ.
Borrag. an. ℥. iij.
Passularum ℥. ß. f. decoct. s. a.

Deinde facta expressione.

℞. d. d. ℥. iiij.
Syr. de pomis comp.
De cichor. comp. siue rhab. an. ℥. j. M. & f. potio.

Vbi secundo fuerint humores præparati, sunt expurgandi eo modo, quo iecoris inflammatio, quæ fit ab humore melancho. Et quoniam post purgationem remanent reliquię, quę opus habent secunda expurgatione, necessarium est facta expurgatione vti medicamentis extrinsecis, quo dissipant inflammationẽ. Sunt autem hæc duorum generum, vel enim linimenta sunt, vel cataplasmata. Linimentum erit istud.

Linimentũ.

℞. Colocynth. subt. pulu. ℥. j. ß.
Nitri ℥ j.
Sem. sinapi.
Vrticæ.
Pulu. corall. rub. an. ℥. ß.
Ol. Capp. ℥. j.
Ceræ, & Aceti parum M. f. linimentum.

Quod maxime valet ad dissipandas, & discutiendas omnes inflammationes lienis.
Possunt etiam reliquiæ vacuari tali cataplasmate.

Cataplasm.

℞. Sinapis.

℞. Sinapis ʒ. j. ß.
Pyrethri ʒ. j.
Sem. Lauroli ʒ. iij.
Pulu. rosar.
Corallorum rubeorum an. ʒ. v.
Gentianæ.
Nucis mosch. an. ʒ. ij. ß.
Caricarum pinguium N. xij. Omnia in aceto macerentur & f. cataplasma.

Sed aduertite, in omnibus inflammationibus, & affectibus lienis nunquam esse necessariũ, vt medicamentis laxantibus commisceantur adstringentia, quoniam illud viscus est admodũ ignobile, sua natura debet esse laxum, & rarum, vt facile possit recipere humores melancholicos, quare non debemus esse soliciti in hoc membro corroborando, vt in alijs.

CAPVT XXII.

De scirrho lienis.

Nomen.

POst lienis inflammationem, atque etiam, sine vlla præcedente inflammatione consueuit istud viscus ab alio tumore tentari frequenter, ita vt fere inter morbos lienis nullus hodie sit frequentior, quam durus tumor lienis. Appellant Græci hunc tumorem σκίῤῥον, & σκίῤῥωσιν. Latini vocant modo scirrhum, modo lienis duritiem. Cæl. Aurelianus tardities lienis.

Differentia inter scirrhũ, & scirrhosin.

Circa hoc nomen notanda est differentia, vt monet Gal. 2. ad Glauc. & 5 de simpl. med. inter scirrhum, & scirrhosin: eo quoniam dicitur proprie scirrhosis, quando lien fit durus ex quocunque humore, a quo absumptæ sunt partes subtiliores, & remanserunt terrestres: scirrhus autem dicitur ille, qui fit ex humoribus crassis, pituitosis, & melancholicis. Quam differentiam cum quidam non nouissent, facile decepti sunt, existimãtes scirrhum fieri ex quocunque humore crassefacto. Hac autem habita distinctione poteritis omnes nodos, & Galen. oppositiones soluere, quando scilicet modo videtur sentire, scirrhum fieri ex humore melancholico, & pituitoso, modo ex quocunque humore.

Qui hac ægritudine laborant, a Latinis, Celso, & Marcello dicuntur lienosi, vel splenitici.

Est hic affectus morbus in mala conformatione, scil. in magnitudine aucta, nam in sinistra parte semper apparet magnitudo insignis, & materia dura quæ antea non apparebat. Imo vero Aretæus in 1. de diuturn. pass. scribit, vsque adeo lienem interdum crassescere, vt vsque ad iecur pertingat, & velut Zona quędam cingat: propter quod non immerito Plautinus ille leno dicit in curcul. *liene veluti zona cinctus ambulo.*

Causę internę mediatę. Immediatę. Materiales. Efficientes.

Causę scirrhi lienis alię sunt internæ, aliæ externæ: intrinsecę alię mediatæ, aliæ immediatæ. Causę internæ mediatæ sunt veluti inflammationes præcedentes, dispositio lienis a natura, magnitudo ipsius, proprietas, ætas ex Aretæo. Causæ autem internæ immediatæ aliæ sunt materiales, aliç efficientes. Causę materiales sunt humores pituitosi, & crassi, melancholici, & terrestres, & tandem omnis humor terrestris, a quo partes subtiliores sunt absumptę.

Causę efficientes sunt intemperaturę iecoris; nam cum iecur ita intemperatum est, vt plurimum humorem melancholicum faciat, facile occasionem prębet generationi scirrhi. Sic etiam intemperies lienis, siue sit frigida, siue calida, maxime confert ad generationem huius affectus. Calida quidem, quoniam lien calidior vehementius attrahit faecum melancholicum quam par esset, & propterea humor in ipso detentus facile cõcrescit, & scirrhus efficitur. Intemperies etiam frigida confert, quoniam cum humor melancholicus a lienę frigido confici non possit nec expelli, aut in alimentum conuerti, retentus necessario in tumorem attollitur. Sunt igitur hæ intemperies causę efficientes scirrhi lienis.

Quo ab intẽperie calida fiat durities lienis.

Dubitare posset quis, qui fiat, vt ab intemperie calida efficiatur durities lienis. Galen. enim quinto de simpl. med. in. sententia est, confirmata etiam ab Auerrhoe quinto, col. septimo, scilicet duritiem fieri a frigiditate; nam sicuti proprium est caloris dissoluere, & emollire, ita proprium est frigoris indurare, & constringere. Respondeo duplicem esse duritiem, aliam, quæ fit per congelationem, aliam vero, quæ fit per condensationem: prima efficitur a frigore, secunda autem effici quoque potest a calore, nam cum in hac induratione partes aquæ; & subtiliores euaporentur, & remaneant solę terrestres, non modo hoc efficit calor, imo vero videtur solus calor hoc efficere, vt iure possit excusari Fernel. qui scirrhum lienis tantum a causa calida fieri posse testatus est, quanquam sit deceptus, quoniam non duratur solum per condensationem, sed etiam per congelationem.

An fiat a flatibus.

Optabit forsan quis intelligere, num quemadmodum fit durities lienis ab humoribus, sic etiam fieri possit a flatibus? Respondeo quod sicuti videmos vtres valde inflatos esse duros, sic etiam contingere, vt repletus lien flatu durescat: verum illa durities scirrhus proprie dici non potest, quia momentanea est illa affectio, si recte curetur, neque tollitur emollientibus, sed calefacientibus, & discutientibus.

Causę externę.

Causæ

Causæ externæ complures sunt, primo aer seu regio, vt omnes septentrionales fere lienosi sunt, est etiam proprium quoddam, & pestiferum cælum, quod profert huiusmodi affectus, vt referunt de populis in Alcaria apud Rhodum, qui canini vocantur, & qui propria quadã eius cæli peste lienosi sunt semper.

Victus maxime omnium ad generationem cõfert, vt est vsus leguminum, raparum, carniũ crassarum, vsus frequens omnium rerũ dulcium, & tandem quæcunque supra diximus facere ad inflammationum lienis generationem.

Signa. Signa tumoris lienis complura sunt, & manifesta: Galenus enim dicit si quis est tumor internus, qui possit signis clarissimis cognosci, est lienis scirrhus, qui non solum tactu, sed etiam visu cognosci potest, nam sub sinistris costis est tumor durus, sine vllo calore, sine vlla coloris mutatione.

Ad hæc vt supra ex Hippocrate 2. prorrhet. prope finem, & lib. de int. affec. diximus, corruptæ sunt gingiuæ, aures fætidæ, dentes exesi, & fædati, vlcera in cruribus lata sunt, quæ vt dicit Paulus libro tertio capite 47. nunquam cicatricem recipiunt, aut, vt inquit Celsus, valde difficulter.

Cur vlcera crurũ difficulter curẽtur. Sed dicet quis, quæ est ratio, vt in tumore duro, & scirrhoso lienis, vlcera crurum sint adeo difficilia curatu? vera ratio est, quoniam, si debent vlcera curari, opus est, vt expurgẽtur, expurgari autem non possunt, nisi fluxus humorum intercipiatur, cum autem in lienosis semper humores crassi, & melancholici ad partes inferiores præcipitentur, iure fit vt in illis vlcera cõsolidari non possint.

Cur urinæ turbidæ, & copiosa. Auenzoar libro 3. scribit, scirrhum lienis quandoque significari per vrinam turbidam, & copiosam, quoniã vbi lien maxime turget, non potest continuo recipere humores crassos, & melancholicos, qui quotidie gignuntur, quo fit vt cum non recipiat humores, illi cũ sanguine ad renes demissi, vna cum seroso deinceps humore expurgentur, propter quod fit vrina turbida, crassa, & copiosa.

Signa ex Cælio. De signis huius affectus Cælius Aurelian. quædam notanda proponit. 1. formam, & figuram lienis laborantis scirrho esse exporrectam, ita vt videatur pectus claudere: nam si tangamus lienosos, videbimus in ipsis lienem esse cum thorace, & pectore. Addit, sæpe pertingere lienem ad vmbilicum, immo interdum pertransire vmbilicum, & extendi ad iecur, quo in casu Hippocra. 3. epid. com. 3. & alibi, solet vocare lienem dexterum, & hinc contingit, vt Medici sæpe decipiantur, existimantes non esse lienem tumefactum, sed aliud quid. Quasi nos velit Cælius admonere, in iudicando scirrho non esse attendendum tumoris eleuationem, sed solum duritiem, quæ apparet tactui.

Secundo, notatur à Cælio, fuisse nonnullorum sentẽtiam, inter signa lienosorum reponendam esse pediculorum multitudinem, grauem sudorem, per somnum penis erectionem, fluxum sanguinis e naribus. De pediculorum generatione in lienosis, non possum cum ipso sentire, quoniam nõ video, qua ratione hoc fiat, cũ pediculi potius gignantur ex alia materia, quã ex melancholica. Sed de sudore graui, & fætente, ac de alijs, contentio, quia cum multæ corruptiones fiant cum eorum corpora plena fiant flatibus, iure merito fit, vt sudores fætentes habeant, atque etiam membra genitalia ipsis erigantur.

Tenuitas cutis vnde. Tertio notatur a Cælio, sectarum principes inter signa scirrhi reposuisse cutis tenuitatẽ, & venarum tumefactionem, præsertim in cruribus. De tenuitate cutis certum est eam dupliciter fieri. Primo quia cum cutis continuo extendatur a magnitudine lienis, necessario & tenuior, & subtilior efficitur. 2. quoniam cum cutis, non possit nutriri, tum per insitam frigiditatem, tũ propter humoris melancholici ineptitudinem, iure priuata proprio nutrimento contabescit, & extenuatur.

Addit Rhases, in lienosis anhelitum esse pene semper qualis in pueris plangentibus, id quod etiam suam habet rationem, quandoquidẽ cum magnitudine splenis comprimatur diaphragma, nec extendi possit, spiratio impeditur, & propterea difficilis, & interpolata redditur. Possumus etiam his aliud addere, scilicet impotentiam ad currendũ, & ambulandum: scimus enim lienem, si sit paruus, aut minimus, maxime conferre ad velocitatem cursus, vnde vt memoriæ prodidit Plinius: veteres seruis, & cursoribus vrebant lienem: sic ex aduerso, si fiat magnus lien ab ipso, & ambulandi, & currendi actionem lædi necesse est.

An lien risum faciat. Quæret a me quis, an inter hęc signa annumerare quoque possimus ridendi intemperantiã, nam Plinius lib. ij. cap. 37. scribit, putatum esse lienis magnitudinem efficere intemperantẽ risum, vnde Persius Satyra prima dixit, *petulanti splene cachinno*, vbi veteres glossæ dicunt ipsum esse locutum secundum physicos, qui inquiunt homines splene ridere, felle irasci, iecore amare, corde sapere, & pulmonibus iactari.

Dico duplicem esse lienis magnitudinem, aliam secundum naturam, aliam morbosam. Naturalis potest ea ratione, qua supra diximus, ad risum conferre, sed magnitudo morbosa tantum abest, vt hoc faciat, vt etiam contrarium moliatur, hoc est, fletus, & mærorem inducat.

Signa tumoris flatuosi. Signa, quibus dignoscitur tumor flatuosus ab humorali, & illegitimus a legitimo, hæc sunt, durities facta a flatu non est continua, neque adeo magna, sed est sine grauitate, & cum sola tensione: quæ autem fit ab humore, grauitatem iunctam habet, magis est continua, atque nullo modo cedit neque digitis, neque manibus. Sic etiam scirrhus legitimus ab illegitimo

dignoscitur, quoniam in legitimo nullus adest dolor, ne minimus quidem, nullus adest sensus, quoniam quantumcunque tangamus, & premamus lienem, nihil percipiunt: verum vbi scirrhus nondum est consummatus, sed est illegitimus, & spurius, adest dolor aliquis, licet obscurus, adest etiam sensus.

Sed notate ne decipiamini, quoniam sæpe dicunt ægri in scirrho legitimo, se dum comprimuntur, sentire, sed decipiuntur, quoniam non sentiunt secundum lienem, sed secundum musculos, & circumpositos, & superpositos lieni.

Prognost. Est Aretæi sententia, pueros & iuuenes, quemadmodum facilius corripiuntur lienis scirrho, ita etiam facilius euadere: ex aduerso autem senes difficulter corripi, & difficulter quoq; curari. Narrat etiam nonnullos fuisse ab hac affectione consumptos, non tamẽ id esse animaduersum.

Durities lienis, quæ a flatu fit, facilius curatur, quam, quæ ab humoribus: si sit antiquata, & scirrhos legitimos, omnino incurabilis est, vt Galenus testatur secundo ad Glauc. quarto. Et quanquam Auicenna videatur constituere, a scirrho legitimo esse aliquem liberatum, hoc tamen rarissimum est, & si superuiuant, qui eo laborarunt, rarissime contingit, quin incidant in hydropem.

Coryza laborantes non tentantur morbis lienis. Hippocrates sexto epid. com. 2. t. 42. ait, eos qui laborant coryza minime tentari morbis lienis: quem locum cum exponeret Galenus primo damnabat Rufi, & Sabini sententiam, qui exponentes Hippocratis locum, dicebant destillationem depurare sanguinem, vbi sanguis depuratus est, non fieri lienosos affectus. Postquam hoc Galenus damnauit, duas adfert Hippocratis sentẽtiæ interpretationes. Vna est, quod vbi aliquod membrum male habet in corpore nostro, semper excrementa ad illud defluunt, altera, eos qui abũdant pituita, & catarrho habere humores corporis tenues, lienosi autẽ tales fiunt ab humoribus crassis: quare vt inquit Gal. qui abundant catarrho, iure liberi sunt a morbis lienis.

Circa hanc Hippocratis sententiam tria sunt notanda. Primo Hippocratem dixisse, catarrho obnoxios, non tentari morbis lienis, non autem dixisse e conuerso: quia falsissima esset eius sententia: plerumque enim videmus, eos qui primum euadũt lienosi, euadere etiam catarrhis obnoxios. Secundo notandum, Hipp. sua lingua dixisse κορυζώδεσιν, id est, ijs qui naturaliter coryza tentantur: nam qui abundant crassa pituita, siue sit ex natura, siue ex accidẽti, fiunt lienosi, quoniam ijs lien repletur crassa pituita; econtra qui sunt tenuium humorum destillationi obnoxij, nequaquam capiuntur morbis lienis. Tertio notandum, quod etiam fuit obseruatum ab Auicenna 15. tr. 1. in capite de apostemat. lienis, multa esse necessaria ad hoc, vt aliquis coryzę obnoxius dicatur, vt nimirum coryza sit multa, frequens, durans, vbi enim huiusmodi coryza in hominibus fit, raro est, quin præseruet ab omnibus morbis lienis.

Possumus etiam aliam Hippoc. sententiam habere, scilicet quantum fit ex ratione destillationis, nunquam fieri lienosos, id est, materiam, quæ fluit in his destillationibus nunquam facere morbos lienis, cum ab illis humoribus, non possit fieri.

Idem Hippocrates aliud nobis reliquit oraculum de morbis lienis, & est, quod vbi liẽ floret corpus contabescit; vbi corpus floret, lien contabescit. Quæ sententia etsi diuerso modo legi videatur in libr. Hippocratis, tamen sic esse legendum monet Hipp. 2. de fac. natural. vlti. Sic etiã legendum esse, non solum Rhases 7. contin. dixit, verumetiam Auerrhoes 7. collect. 36. ait, splenem crescere, quando corpus attenuatur, & quando corpus impinguatur splenem decrescere.

Cur splẽ crescat, cũ corpus contabescit, & contra. Circa quam Hippocratis sententiam duo consideratione digna sunt notanda. 1. corpus contabescere, vbi lien floret, propter duas rationes ex Hippoc. lib. de aere, primo, quia liẽ tumidus trahit ad se omnes fere corporis humores, & bonos, & malos, quare cũ corpus remaneat priuatũ alimento necessario, contabescit. Secundo, quia vbi lien crescit, necessario iecur etiã coafficitur, propterea cum iecur refrigeretur propter lienis vicinitatem, simul quoque etiam alia mẽbra refrigerantur, atque hinc fit, vt haud probe conficiatur alimentum, & cõsequenter corporis partes non nutriantur. II. notandum Hipp sententiã non esse interpretandam, vt faciunt aliqui, qui per florere intelligunt crassefieri, quia sæpe videbitis lienosos etiam corpora crassa, & tumida habere: sed per florere est intelligendum, quod videtur intellexisse Plato in Timæo, qui quasi hanc Hip. sententiam sequens, dicebat, vbi iecur sordibus abũdat, lienem eas sordes in se attrahere, ijsque expletũ tumere, & excrescere: vbi vero mundum sit & floridum, tũc lienem, cum nihil habeat, quod in se trahat, decrescere, & in seipsum concidere. Quare cum Hippocrates scribit, lienem decrescere, vbi floret corpus, intelligendum, vbi mundum est corpus, & optimis humoribus plenum.

Indicationes. Curatio tota in hoc videtur posita, vt tumor ille auferatur: non potest autem tumor auferri, nisi materia, quæ tumorem efficit, auferatur, hoc est, emolliatur, & dissipetur, quare in curanda duritie lienis primo cogitandum, quæ sit materia, a qua fiat durities, an sit flatulenta, an vero humorosa. Si sit humorosa, tolli potest tribus medicamentorũ generibus, vel per repulsionem, vel dissipationem, vel extractionem. Non potest tolli per repulsionem, quia materia, quæ potest repelli, necesse est, vt sit in motu, materia quæ facit scirrhum, non est in motu, sed omnino fixa, propterea non potest repelli: & hinc est, quod tantũ in principijs adhibentur repellentia, sequitur ergo, vt tolli possit per dissipationem, & extractionem.

Dissipatio. Dissipatio nihil aliud est, quam conuersio in fumũ, vel aerẽ, fumus generatur, vt habet Aristotel. 4. meteor. ex materia humida, itaque si res est dissipanda, necesse est, vt sit humida: vnde cum materia scirrhi sit terrea, necessarium est, si debeat dissipari, ut prius emoliatur. Erit igitur

prima

prima intentio, emollitio scirrhi. Secunda dissipatio, demum si hæc non succedit, extractio, vel ferro, vel igne.

Emollitio.

Vt autem his satisfaciamus, primum instituendus est victus accommodatus. Erit ergo primũ eligendus aer purus, tenuis, & siccus, fugiendus vero humidus, palustris, & lacustris, somnus moderatus, quies secundum Corn. maxime auget hunc affectum, ideo proderit frequens exercitium, motus & labor. Venuste sane Leno ille Plautinus in curcul. dicebat, ambula, hoc enim lieni optimum, aluus liquida est seruanda, inquit enim Hipp. 6. aph. 48. ad lienis tumorem, si superueniat alui fluor, optimum esse.

Diæta.

Potus erit, vel vinum tenue album, vel aqua chalybeata, vel aqua fabrorum, nam inquit Celsus, experientia probatur, canes fabrorũ fere carere liene, ob vsum illius aquæ chalybeatæ. Laudant Medici, vt fiant vasa, ex quibus potatur, ex hedera & ex tamarisco: & scribit Columell. consueuisse agricolas parare bobus lienosis alucos ex tamarice, vt hoc remedio auertatur ab his morbus lienis: fugienda crassa, & dulcia, præsertim vina rubea.

De cibis vniuersim dicendum, quod commendatum inuenitur ab Auicenna, optimum esse perferre ieiunium: imo dicit Theodor. Priscianus lib. 3. cap. 15. inchoandam huius mali curam a ieiunio, & patientia. Omnes cibi, qui adstringunt, fugiendi sunt, vt mespila, mora, similiter vitanda sunt, quæ crassum succum gignunt, vt lagana, legumina, panis non probe fermentatus, carnes bubulæ, leporinæ, & caprinæ. Lactis omne genus fugiendum, excepto camelino, quod ab Arab. apud quos in frequenti est vsu, commendatur, sicut etiam ab Aristotele 6. de histor. animalium 25. Conueniunt cibi attenuantes, incidentes, & discutientes, vt sunt cappares aceto cõditi, oliuæ muria conditæ, pistacia, amygdalæ præsertim amaræ, carnes auicularum, panis optime fermentatus, aniso, fœniculo, asaro conditus.

Lac camelinum.

Acetum laudatur a multis, de quo dicit Auicenna proprietate quadam conuenire lieni. Sed dicetis, quomodo potest acetum conuenire lieni, Hippocr. enim 3. de acutis 37. acetũ conferre quidẽ biliosis, dixit, nocere autem humori melancholico: qui liene laborant, abundant humore melancholico: quare videtur, quod ipsis non possit conuenire aceti vsus. Nonnulli hanc difficultatem videntes dixerunt, acetum posse administrari, vel per se solum, vel coniunctum alijs. Per se solum nunquam conuenire lienosis, & melancholicis, cum alijs autem conuenire.

An lienosis conueniat vsus aceti.

Sed hæc responsio mihi non satisfacit, quandoquidem si conuenit acetum mistum cibis in liene propter naturam suam, etiam magis deberet conuenire solum, præsertim quoniam vbi commiscetur alijs, est veluti vehiculum, quod perducit, & cibos, & succos crassos ad lienem.

Itaque melius est hanc rem ita definire. Melancholiam posse augeri a medicamentis, & cibis dupliciter, vel secundum qualitatem solum, vel secundum substantiam: primo modo acetũ auget melancholiam, eo quod faciat aciditatem, quæ est propria melancholiæ, atque sic magis crescit: secundo modo dico, acetum diminuere melancholiam, eo quia cum desiccet, & attenuet illius substantiam, consequenter etiam diminuit. Et hoc modo intelligendus Galen 9. de med. loc. 7. cum dicit, acetum maxime conuenire, siue accommodari lieni, quoniam desiccat, attenuat, & incidit crassitiem, & viscositatem. Quomodo autem possit augeri qualitas, non aucta substantia, quæstio est alia philosophis disputanda.

Vt igitur satisfiat secundo scopo, qui est emollire duritiem lienis, post victum institutum primum lenienda aluus, deinde præparandi humores, postea expurgandi. Modus horum erit idẽ, quem supra demonstraui in affectu lienis, vt si a pituita fiat, præparetur & purgetur pituita; si a melancholia, præparetur & purgetur melancholia medicamentis prędictis.

Pharmacia.

Et quoniam solet hic morbus esse contumacissimus, notandum, non vnam sufficere purgationem, sed iterum atque iterum esse repetendam, vt sc. quod non potest obtineri medicamentorum virtute, obtineatur saltem vsu, & diuturnitate. Vbi fuerint purgati humores, deinceps emolliendus est tumor, quæ emolliunt remedia, vel sunt olea, vel emplastra. Circa quorum cõpositionem quædam sunt notanda. 1. in hac affectione semper conuenire medicamenta generosa, vt acetum acerrimum, colocynthis, euphorbium, helleborum, tum quia morbus hic contumax non cedit remedijs leuioribus, tum quia lien ob sui substantiam, & ignobilitatem sustinet remedia vehementissima, teste Gal. 2. ad Glauc. 5.

Emollientia.

Secundo notandum, medicamenta debere esse calefacientia, & extenuantia, sed non admodum calefacientia, quia quæ nimis calefaciunt, præsertim cum materia non sit emollita, prius tenues partes exsiccant, & crassiores relinquunt, atque hinc morbus fit contumacior.

Tertio, medicamenta debent esse minus corroborantia quam in iecore; quod si necessario cogamur admiscere calefacientia, oportet & frigida miscere, quæ obtundant calorem aliorum. Quarto semper admiscenda, quæ penetrant, ideo Auenz. commendauit acetum, vel acetosa, eo quia cum lien nutriatur succo melancholico, acida facile trahit ad se remedia. Vnde oxymel simpl. & scillitic. maxime conuenit in mixtione medicamentorum spleneticorum.

Quinto a Medicis laudari, quæ partim proprietate naturali conueniunt, partim etiam facultate manifesta: nam Gal. dicit, in lienis affectibus valere cappares, & scolopend. æque atque valet in affectibus iecoris cichorium, & absynthium. Vnde tametsi hæc remedia prosint facultate manifesta, putandum est tamen etiam conferre facultate occulta, ideo semper spleneticis medicamentis hæc erunt miscenda. Lienes etiam animalium commendantur.

Dubitatio an diuretica conueniant. Ex vna parte videtur non esse vtendum, quoniã nulla est via a Liene ad renes, vt docet Galenus 13. meth. 17. ex alia parte Hippocrat. 2. epid. lec. 2. scribit

Bionem quendam a tumore lienis liberatum copiosa vrina; quod & dicit sec. 3. eiusdem libri: imo vero in lib. de affect. docens rationem curandi lienosos, iubet vti diureticis; & Gal. in quartana vult vtendum diureticis, etsi sit sæpe cum tumore lienis. Respondeo dupliciter, vel naturã inuenire secretas vias, vel diuretica euacuare non materiam coniunctam, sed antecedentem, hoc est, eos humores qui alioquin fouerent, & augerent lienis tumorem, nam cum sanguis lienis, & melancholicus sit ichorosus, vt Hip. 2. sec. sexti epid. & dilutus; vt dicit Aristoteles 9. sect. prob. 4. nemo dubitat diuretica expurgare huiusmodi humorem serosum. Hip. in lib. de affectibus scribit alia esse medicamenta, quæ lienem durum emolliunt euacuando per vrinam, vel aliam viam, alia vero, quæ sine vlla manifesta euacuatione emolliũt, cuiusmodi sunt a proprietate operantia.

Et inter ea, quæ proprietate lienis scirrho conueniunt, sunt multa in scriptoribus, vt vespertilionum carnes, soleç pisces apud Arabes, succus portulacæ, corallia, gẽtiana apud Rhasen, eruum ieiuno stomacho deglutitum. Marcellus laudat spinam albam, ac alia multa, quæ breuitatis causa omitto.

Vt igitur extrahatur materia, quæ facit lienis tumorem, prius est emollienda. Inter emollientia est ammoniacum aceto dissolutum, varia & diuersa pinguedinum genera, pinguedo anatis, anseris, gallinæ, œsypus. Sunt & inter emolliẽtia varia lutorum genera, ut Patauij lutum D. Barthol. Soleo ego vti etiam linimentis, & emplastris, vt;

Linimentũ emolliens.

℞. Succi cyclaminis.
Mucilag. rad. filicis an. ℥. iij.
Succi extremorum tamarisci ℥. ij.
Ol. myrthini lib. j.
Aceti ℥. j. ß. Bulliant simul in duplici vase ad consumptionem aceti, & succorum.

Deinde adde:

Oesypi humidi ℥. ij. ß.
Ammoniaci.
Bdellii an. ℥. j. ß.
Ceræ citrinæ ℥. iij. M. & f. linimentum, quo tota regio lienis illinatur.

Empl. emolliens.

Vtor quoque emplastro, vt:

℞. Rad. altheæ.
Maluæ.
Lilij.
Scyllæ.
Fœnugræci.
Sem. lini.
Caricarum ping.
Passul. an. ℥. iij. Infundantur omnia in aceto per noctem, bulliant in aq. chamomeli lento igne.

Deinde vbi omnia fuerint cocta, pistentur & redigantur ad formam emplastri.

Vbi emollita est durities paulatim accedendum ad incidentia, & discutientia; & primo suffumigatio cum lapide pyrite ignito, & aceto consperso. Vbi per aliquot dies hoc remedium est adhibitum, ad discutientia erit deueniendum, vt sunt illa, quæ supra dixi ad inflammationem lienis induratam conferre.

Discutientia.

Ceterum plerumque fit, vt malum his non cedat, & tum multi veniũt ad vsum ignis sinapismi, & vesicatorij. Primus omnium Hippocrates in libro de aff. inter. statuit, in affectibus lienis vrendum esse lienem, immo vero tantum tribuit huic præsidio, vt dicat, nisi hoc iuuet, nullum aliud prodesse. Hanc vrendi viam alij sunt secuti, Scribonius Largus, Alex. Rhases, & alij id laudarunt. Quomodo autem vratur lien, non omnes prodiderunt. Hippocrates dixit lienem vrendum decem locis, quasi decem cauteria sint facienda, fiunt autem cauteria, vel ferro, vel igne, vel fungis combustis, vel lino crudo combusto. Multos alios modos proposuit Albucasis, & Auicenna, de quibus suo loco. Sunt qui dicant eximendum esse lienem e corpore, sed vt optime dicit Cælius, hoc facilius est dictu, quam factu: nugæ enim sunt, quod isti pollicentur, se gladio incidere lienem.

De vstione lienis.

Sed quod omnibus videtur magis conducere ad lienis duritiem prorsus tollendam, est vinũ chalybeatum, tum etiam confectio chalybeata, quibus vti consueuimus feliciter post purgationem factam. Componitur autem vinum chalybeatum, vt est apud Aetium libro 10. capite 2. dupliciter. Primus modus est mitior, quando accipiatur chalybs, & ignitus in vino mero ter, vel quater mergitur: huius vini deinde accipiuntur 4. vel 5. vnciæ: Soleo ego etiam pro quotidiano potu hoc vtendum concedere. Sed notandum, si æger febricitet, temperandum esse vinũ aqua, aut loco vini accipiendam aquam, aut poscam.

Vinum chalybeatum.

Alius modus efficacior est, quando accipitur lib. j. stomomatis in puluerem redacti, & in acetum immergitur, ubi est demersum diligenter manibus teritur, atque etiam per diem, & noctẽ in aceto seruatur, post excolatur, & ubi separatum est ab aceto, extẽditur super pannum linteũ, & superinfunditur ℥ j ß pulu. caryoph. & cinnamomi, & ubi exsiccatum est stomoma, accipiuntur lib. viij. vini albi, & generosi, deinde commiscetur stomoma, cum vino in phyala. Si tempus sit æstiuum, sit hęc agitatio sub sole in die, & noctu sub tecto reconditur: si autem hyemale, die & noctu continetur in stuffa fornaria, atq; bis, ter, quater in die cõquassatur, sic fit per decẽ dies;

dies, quibus transactis cum facta est commixtio, huius vini accipiuntur ℥. iiij. vel v. summo mane, & calidi, & vbi acceptum est, exercetur corpus per tres horas, post quas aluus incipit eijcere feces nigras, & melancholicas. Datur autem hoc vinum vsque quo durat illa quantitas octo librarum, quod si hæc quantitas malum non tollat, potest etiam repeti alia dosis similis vini.

Modus confectionis est, etiamsi non expresse, tamen implicite apud Aetium, hoc modo.

Formula præscribendi chalybē i corpore frigido.

℞. Limaturæ chalybis aceto præparatæ lib. ß.
Cinnamom. Subt. puluer.
Cetrach an. ℥. ij
Mellis despumati lib ij Ponantur omnia ad cinerem, vsquequo perfecta fiat mistura.

Vsus autem huius est ab ℥. ß. ad ℥ j. sumatur mane, & corpus exerceatur, vt dictum est de vino.

Sed notate modum hunc præscriptum conuenire in corpore, quod sit frigidæ temperaturæ, in corpore autem calidæ temperaturæ soleo alio modo conficere hanc confectionem, vt:

In corpore calido.

℞. Prædictæ limaturæ. ℥. iiij.
Pulu. cetrach.
Sem. rumicis acuti.
Hedisari pulu. subtil. an. ℥. j.
Sacch ros. lib ij. M. capiatur ad ℥ j. vel ℥. ij. pro viribus sumentis.

Scribit Aetius hunc confectionis chalybeatæ modum conuenire potius agrestibus, quam vrbanis: sed forsan modus Aetij conuenit agrestibus, quia ipse capit squamā æris, hoc est, illud quod volitat in fornacibus, dum æs conficitur: nos vero cum ipsius stomomatis limaturam accipiamus, fit medicamentum mitius, quam est illud Aetij.

Qua facultate stomoma tumorē lienis auferat.

Qua porro facultate hoc medicamentum adeo efficaciter tumores lienis dissoluat, non satis constat. Aetius dicit simpliciter consumere lienem facultate stomomatis; & propterea vult ea esse addenda, quæ conseruent, ne ventriculos consumatet. Sed puto consumere hunc tumorem stomoma, quia calidum, & siccum in tertio gradu, ad hæc est substantiæ crassæ, ita vt seruet qualitatem suam, dum penetrat ad viscera, & quoniam propter crassitiem etiam tenaciter adhæret, propterea vbi inuenit obstructiones, & vias angustas ibi adhærens incalescit, & vbi incaluit, colliquat humores, & hac ratione dissipat, & discindit omnes tumores, & obstructiones.

Curatio tumoris a flatibus.

Si durities a flatu fit, victus his discutiendis aptus conuenit, vt vsus anisi, fœniculi, cinnamomi piperis. Auic. dicit, optimum esse tolerare famem, & ieiunium, exercendum esse corpus, quantū fieri potest: aluus fluida seruanda est, & tandem omnia agenda, quæ possunt flatus discutere.

Hoc victus instituto medicamenta purgantia sunt adhibenda, vt scilicet humores, a quibus flatus fiunt, expurgentur, quibus expurgatis deinde veniendum est, ad ea medicamenta, quæ intrinsecus, & extrinsecus consueuerunt flatus dissipare. Circa quæ notandum, quod monuit Gal. 13. meth. Priscian. & Serap. in duritie, quæ fit a flatu, conuenire magis adstringentia, quam in duritie facta ab humoribus, quoniam cum adstringentia repellendo materiam agent, & materia flatulenta magis est in motu, propterea fit, vt eam medicamenta repellant, quod non contingit in materia humorosa. Intus ergo hoc medicamentum vtile est:

℞. Acori.
Anisi an. ℥. j. ß.
Piperis albi.
Pyrethri an. ℥. j.
Sem. rutæ.
Nigellæ an. ℈. ij. Terantur, & aceto dissoluantur, deinde exsiccentur, postea iterum pistentur, & cum sacch albo f. secundum artem rotulæ, quarum capiatur ℥. j. vel ℥. ij. singulo mane cum vino, si sit sine febre, vel cum aliquo brodio, si sit cum febre.

Extrinsecus fomenta conueniunt ex ol. agni casti, rutæ, fœniculi, corticibus capparum, tamarisci, meliloti, baccis lauri, quæ omnia aqua & aceto bulliant. Deinde fiat fomentatio, post quā inungatur regio lienis hoc linimento:

℞. Ol. rutacei.
Costini.
Cappar. an. ℥. ij.
Sem. anisi.
Fœnic. subt. pulu. an. ℥ ij.
Pulu cetrach. ℥. j. ß.
Ceræ parum, M. & f. linimentum

Optimum quoque est hoc emplastrum.

℞. Fol. mentastri.
Rutæ.
Meliloti an. ℥. j.
Nitri.
Salis gemmæ an. ℥. ij.
Ammoniaci in vino opt. dissol. ℥. j. Misce, & extendantur super corium.

CAPVT XXIII.

De Ictero.

Nomina.

POst affectus iecoris, & lienis Hippocrates, & alij tractare consueuerunt de ictero. Puto autem omnes impulsos ea ratione, quoniam icterus est morbus ex vitio lienis, & iecoris factus. Inuenio enim apud scriptores, duplicem esse icterum, vnum nigrum, seu viridem, alterum flauum, seu citrinum. Primus vocatur a Paulo & omnibus icterus niger, Latini & Arabes icteritiam nigram, seu viridem dixerunt. Hanc speciem icteri, aut non nouit Celsus, aut saltem neglexit. Secunda species multa habet nomina. A Græcis simpliciter dicitur icterus, deducto nomine (vt scribunt Aretæus, Cælius, & Aetius) vel ab ictide animali quadrupede, quod dicitur viuerra, quod animal habet oculos luteos, vel ab ictera aue, quæ dicitur a Plutar. 5. sympt. χαράτριος, latine Galbula: scribunt enim hanc auem, si aspiciat aliquem laborantem ictero, trahere in se totum illud vitius, atque ipsam perire, & ægrum liberari. Dicitur etiam morbus regius, quia curatur delicijs, & modo regio. alij appellant Arquatum ab arcus, seu iridis colore. Marcellus, & Scribonius Auriginem nominant, eo quod laborantes hoc morbo colorem aureum habent.

Definitio.

Affectus hic est effusio flauæ, vel atræ bilis per corpus totum, vel vt Auic. morbus regius est alteratio fœda coloris naturalis totius corporis, ab humore sparso, sine putrefactione, & inæqualitate. Dicitur alteratio fœda, ad differentiam cachexiæ, & hydropis, in quibus affectibus alteratur color, sed nō est adeo turpis, vt in ictero. Dicitur totius corporis, ad differentiam vitiliginis, in qua tametsi color corporis permutatur, non tamen permutatur secundum totum, sed secundum partem. Dicitur etiam sine putrefactione, ad differentiam coloris, qui permutatur in febribus, febricitantes enim colorem habent permutatum, sed ea commutatio ortus ex humorum putrefactione, ideo non potest recenseri inter icteri species. Dicitur sine inæqualitate, ad differentiam erysipelatis, quod quidem etsi permutat corporis colorem, id tamen non facit sine asperitate, & inæqualitate.

Ex quibus patet hunc affectum esse symptoma in genere accidentium mutatorum, mutatur enim color, qui est accidens corporis humani, & quia est secundarium symptoma, non vt opus, sed vt affectus, sequitur vitiatam actionem, id est, primum aliquod symptoma nimirum expultricem.

Morbi vero, a quibus dependent hæc symptomata, sunt morbi in mala compositione, & mala temperie.

Locus affectus.

Locus affectus considerari potest secundum symptoma, vel secundum morbum, secundum symptoma est cutis, in ea enim apparet color mutatus, secundum morbum autem loci affecti plures sunt, & iecur & totum corpus, & lien & alia multa, sicuti præclare & copiose docet Aretæus lib. 1. diuturn. pass. cap. 15.

Circa hæc, tria problemata sunt notanda. 1. cur nunquam fiat icteritia, neque a sanguine, neque a pituita, sed solum a flaua bile, & melancholia, nam nulla videtur ratio, propter quam debeat potius fieri a bile, quam ab alijs humoribus. 2. cur in icteritia mutetur color totius corporis, etiam oculorum, neque tamen mutetur color pilorum. 3. cur cum bilis sit humor erodens, tamen in icteritia tota cutis, etsi infecta sit humore bilioso, appareat sine omni vlceratione.

Cur neque a sanguine, neque a pituita fiat icterus.

Pro primi problematis solutione sciendum, verum characterem morbi regij esse bilis effusionem, & expulsionem, non quod in venis, non remaneat bilis, sed quoniam stimulat facultatem expultricem, vel ob sui qualitatem, vel ob copiam stimulata facultas expulsiua effundit, & expellit totam bilem subtus cutem. Iam vero sanguis propter duas causas, non potest effundi extra venas, vt expellitur bilis flaua, & atra in icteritia, quoniam sanguis, quousque est sub forma sanguinis, etiam si in magna copia augeatur, nunquam tamen stimulat, neque excitat facultatem expulsiuam ad sui effusionem.

Altera ratio, quia sanguis, quamdiu in venis est, semper facultate loci sui conseruatur, vbi est extra proprium locum, statim amittit propriam formam, & ideo statim corrumpitur, ita vt si quandoq; effundatur ad cutim sanguis, statim corrumpitur, & ob id non potest facere icterū.

Haud aliter dicendum de pituita, scilicet quod propter tres causas non potest facere icteritiam. 1. quoniam est humor crassus, & viscidus, & ob id iners, & piger, nec facile moueri potest, & quia icteritia fit per subitaneam expulsionem, hinc fit, vt a pituita fieri nō possit. 2. quoniam dato, quod pituita esset mobilis, & facilis ad expulsionem, tamen neque sui copia, neque qualitate excitat virtutem expultricem: non sui qualitate, quoniam pituita blanda est, nec etiā quantitate, quoniam cum sit humor crudus, neque inutilis naturæ operibus, ideo etiam non potest naturam stimulare, & irritare. 3. quoniam etsi pituita expelleretur ad cutim, tamen non posset colorem cutis ita mutare, vt multam varietatem faciat, quoniam pituitæ color parum videtur differre a carnis, & cutis colore.

Sed contra hanc rationē postremā obijciet quis dupliciter. 1. quod in Leucophlegmatia immutatus est color corporis, & hic morbus fit a sanguine pituitoso, vnde videtur ēt a pituita mutari color. 2. Quod Hip. quatuor fecit icteri species, idq; etiam fecisse Medicos Cnidios, testatur

Galen.

Gal. 1. de acut. 8. inter quas species est icterus factus a pituita, vt videatur extra propositum a nobis quæsitum esse, an fiat a pituita.

Respondeo ad primam, in Leucophlegmatia fieri mutationem coloris, sed non propter expulsionem pituitæ, sed quia cum vitiata sit tertia coctio, quæ fit in omnibus membris, loco nutrimẽti optimi generatur caro pituitosa, & crassa, quæ inducit eum colorem; in icteritia secus deberet esse, deberet enim fieri expulsio pituitæ existentis in venis, quæ si fieret, plane non mutaretur color.

De Hip. autem fateor eum fecisse speciem icteri a pituita, sed si rem examinemus, nõ est verus icterus, de quo loquitur Hip. sed species quædam Leucophlegmatiæ.

Cur pilorũ color nõ mutetur in ictero.

Ad secundum problema respõdeo, capillos fieri ex excremẽto tertiæ coctionis, vnde in vitiligine, cum tertia coctio sit vitiata, consequenter mutatur color pilorum, in icteritia cum nullum adsit vitium in hac coctione, sed solum modo si quod adest, fit in secunda, cumque fiat subitanea humorum expulsio, non possunt pili generari ex humore huiusmodi, & propterea fit quoque, vt non possit color eorum permutari.

Obijcitur, cur in homine solo mutetur, color totius corporis in morbo regio, in brutis vero nulla fit eius mutatio. Vegetius enim libr. 3. de med. mulorum, proponens signa, quibus cognoscunt equos laborare morbo regio, solum proponit signa ab oculis, de reliquo corpore nihil dicit, quia non mutatur color. Dico hoc esse, quoniã cutis hominis est raræ texturæ, neque adeo densæ, aut crassæ substãtiæ, vt cutis brutorum, propter quod fit quoque, vt cutis hominis facile alteretur, & cutis beluarum alterari non possit, id quod scribit Aristot. 2. de gen. animal. 5. scil. cutim nostram facile alterari, propter sui tenuitatem & mollitiem.

Cur bilis in ictore nõ exulceret.

Pro solutione tertij, nullam apparere rosionem in icteritia dico, quia bilis sua natura non solet admodum corrodere, nisi sit putrefacta, & nisi a feruore acquisiuerit maiorem acrimoniam, idem etiam contingit, quod in folliculo bilis, qui cum perpetuo plenus sit hoc humore, tamen nunquam corroditur, quanquam Alexand. 1. problem. 40. tribuit hoc naturæ prouidentiæ, quæ pro conseruatione animalis efficit, vt vesicula illa ab hoc humore nõ corrodatur.

Est etiam alia ratio, quod bilis non solum non est putrefacta, neque acris reddita in morbo regio, sed etiam est mitigata, quia quemadmodum si accipiamus aquam calidam, & effundamus illam, frigescit; simili modo effusa bilis per totum corpus, suam caliditatem valde remittit, & proinde inepta est ad corrodendum.

Causa.

Causæ morbi regij a Galeno, & Auic. sunt inordinatæ nobis relatæ, quare vt eas ordine habeas, ab essentia ipsius morbi adinueniendæ sunt omnes causæ. Est autem essentia icteri, mutatio coloris, propter bilis effusionem: quare quot erunt causæ bilis effusionis, totidem etiam morbi regij. Diffunditur ergo bilis per corpus, vel quia in copia magna gignitur in ipsis fontibus, vel quia a sanguine non optime expurgatur, vel vbi expurgata est a sanguine, fertur & diffunditur per corpus, & facit icterum, vel quia sanguis in cutis superficie corrumpitur in bilem.

Cur diffundatur bilis per corpus.

Generatio bilis copiosæ vnde.

Generatur copiosa bilis in suis fontibus, vel vitio naturæ, sic enim vina generosa, allia, cæpæ, omnia dulcia, & aromata, dicũtur facere icterum, quoniam ex ipsis copiosa fit bilis, vel fit vitio temperaturæ iecoris: cum enim in solo iecore fiat bilis, nõ autẽ in ventriculo, aut alibi, vbi hæc temperies iecoris calidior est, maximam producit bilis copiã: vel fit copiosa propter venena, vt Galen. 5. de loc. aff. 7. refert, se vidisse ictericum factum ex morsu viperæ. Nicander dicit leporis marini morsum icteritiam facere. Historia est apud Auenz. lib. 1. c. 13. de Aizir filio Hali, qui ob venenum acceptum icteritius factus est, & ab ipso curatus. Sic etiam aer calidus, & siccus facit icteritiam, quoniam bilem multiplicat. Est enim apud Hip. lib. 1. epid. com. 3. & in lib. de aff. inter morbum regium quandoque vagari, & ex aeris proprietate abundare.

Cur non expurgetur bilis a sanguine.

Nõ expurgatur bilis a sanguine, vel vitio facultatis attrahentis folliculi bilis, vel vitio facultatis expulsiuæ: cum enim a natura constitutus sit folliculus, partim vt attrahat bilem a iecore, & depuret sanguinem, partim vt eam expellat ad intestina, quotiescunque aut neutrum facit, aut saltem non alterutrum, icteritiam inducit. Vel nõ purgatur bilis, quia viæ sunt impeditę, impediuntur autem, vel naturali quadam angustia, quemadmodum sunt illi, quia natura semper, solent esse icterici; aut quia cõpressæ sunt, quod fit aut scirrho, aut inflammatione, aut callo, quẽadmodum scribit Auenz. cõtingere, vt callo quodam obdurata vasa illa coarctentur, aut impediãtur propter obstructionem: hoc autem fit ab humoribus viscidis, & crassis, quẽadmodum sæpe cõtingit: aut obstruũtur a lapillis; obseruauimus. n. in anatome, repertos esse lapillos in folliculo bilis, & in vasis, per quę fertur bilis; propter quos existimandum est fieri obstructiones, & ex illis fieri regium morbum. Aut impediuntur vię propter adstrictionẽ, adstringuntur autem a cibis, & a potibus, aut aquis aluminosis; cibis, vt mespilis, sorbis, vino acerbo: hæc enim omnia adstringunt vias, propter quod cum non expurgatur bilis a sanguine, fit morbus regius.

Cur bilis feratur per totũ corpus.

Bilis expurgata a sanguine fertur per totum corpus. i. vi facultatis expultricis, hæc autem cõcitatur ad expellendum humorem biliosum: aut vi morbi, sicuti dicit Hipp. 4. aph. 62. quod quibus morbus regius apparet in morbis ante septimam diem, malum est; aut per crisin, quando scilicet natura victo, & superato humore, concitatur ad expulsionem ipsius bilis.

Sanguis vero corrumpitur in superficie corporis, propter intemperiem ipsius cutis, quoniã scilicet cutis vsque adeo intemperata, & calida est, vt sanguinem in ipsa dispersum corrumpat totum, & in bilem conuertat.

Sunt præter has caussas etiam animi passiones, vt mæror, ira, quæ ad facultatis expultricis vitium, vel ad intemperiem iecoris possunt reduci.

Hæc methodus caussarum non solum in icteritia facta a flaua bile, verumetiam in bile nigra locum habet, quæ omnes species icteri modo sunt maiores, modo minores, & pro sui natura nunc morbum faciunt contumaciorem, nunc leuiorem.

Signa. Cognoscuntur omnes species icteritiæ vniuersalibus notis. 1. colore, quoniam totus corporis color flauus est, & luteus, vel niger, & viridis, maxime autem apparet in albo oculorum: apparet etiam in palmis manuum, atque in pedibus, adest pruritus, sapor amarus in ore, propter quem saporem, omnia, quæ gustantur, solent apparere amara. Signa autem distinguentia icteritiam ex pura bile sine sanguinis mistione, est, quia vniuersum corpus mera atque ea insigni flauitie coloratur, quę vero fit a bile ichori sanguineo commixta, non ita corpus flauum efficit, sed veluti rubro, & flauo commixtis coloribus infici. Est aliud signum, quod interdum contingit, vt laborantes morbo arquato, quæcunque vident iudicent esse flaua, vt dicebat Lucretius in 4. de natura, *Lurida præterea fiunt, quæcunque tuentur Arquati.* Varro in Eumenidibus, & Sextus Empyricus primo pyrrhon. hypoth. vbi asserit, ictericis omnia videri pallida: cuius rationem explicuit Galen. 1. de sympt. caus. 2. vbi dicebat quod quotiescumque cornea oculorum tunica infecta est bile, semper quæ videntur apparent esse flaua: sed hoc a nemine fere proditum inuenio inter signa, nec id dicit Auic. 3. tertii tr. 4. cap. 1. vbi tamen offendi visionem in icteritia ob calorem alienum scribit. imo nec experientia probatur, cum ipse innumeras icteritias curauerim; in quibus nunquam hoc symptoma apparuit.

Ad hæc semper solet laborare alui stiplicitate, & feces, quę exeunt, solent esse albæ; quia cum non pertingit ad intestina flaua bilis, remanent colorata excrementa, vrina etiam, vt Celsus dicit, crassa, & crocea est, interdum nigra, & viridis, ita vt si charta immergatur, statim fiat coloris citrini. Adhęc pulsus tardus, & durus est, grauedo, & pigrities totius corporis sitis, inappetentia.

Nigri icteri signa. In nigra autem icteritia vrinæ nigræ sunt, durities apparet sæpe in parte sinistra, color niger, aut subuiridis, qui apparet sub venis in lingua. Quod si iecoris vitio fiat malum, cognoscemus ex signis relatis in inflammatione, & obstructione iecoris: nam si fiat ab inflammatione habemus signa inflammationis, si a scirrho lienis, aut iecoris; talia quoque signa adsunt: pari modo si fiat ab obstructionibus, signa obstructionis; si a folliculo bilis, cognoscemus, quoniam tunc excrementa consueuerunt esse alba, vrinæ flauæ, grauitas in parte dextra hypochondriorum. Et si a totius corporis vitio fiat, propter sanguinem corruptum, in eo casu vrinæ parum mutatæ sunt, similiter & excrementa alui: sicuti etiam si vi morbi fiat, cognoscemus, quia aderit febris, & propter eius magnitudinem, aut propter aliud vitium euidens malum apparebit factum. Sic quoque si fiat vitio lienis, in sinistro hypochondrio habentur signa tumoris, vel obstructionis; & vt dixit Aetius, percipitur semper tensio in regione sinistra, vrinæ nigræ, cruditatibus, & flatibus abundant, non appetunt, nec dormiunt, item signa habet omnia, quæ morbos melancholicos comitantur.

Prognost. Inter species icteri inquit Aetius lib. 10. cap. 7. illa deterior est, quæ fit ab atra bile, quam ea, quę a flaua, tum quia humor maxime inimicus est naturę, tum quia sua visciditate, & crassitie contumax, & rebellis est medicamentis.

Est tamen hac in re id notandum, quod vbi icterus niger, aut flauus fit sine vlla visceris calefactione, sine periculo est, vbi vero copulatus est alicui inflammationi; non modo non expers est periculi, verumetiam in hydropem desinit. Diocles dicit, si morbus regius superueniat febri, liberari ab ea, sin autem febris superueniat morbo regio, malum esse. Auenzoar autem hanc sententiam haud admodum probauit, quasi verum non sit, febrem leuari a morbo regio, nisi id appareat fieri statim.

Sunt nonnulla hac in re Hippocratis oracula notanda, quarum primū est 5 aphor. vlt. Qui tenentur morbo regio non fieri ventosos: contra quam sententiam duo sunt experimēta, 1. post morbos regios fieri dolores colicos a flatu. 2. post morbos regios fieri tympanitin quę fit a flatu quare non videtur Hip. illa sententia vera.

Quomodo icterici non fiant uētosi. Dico ventosos apud Hippocratem non quoscunque significare, sed eos solum, qui flatus per rictum emittunt: nam fiunt flatus isti, quoniam pituita colligitur in ventriculo, isti autem procul dubio non possunt laborare, & pituita, & bile, quandoquidem vbi bilis est in ventriculo, non generatur pituita, imo vero etiam biliosi conficiunt carnes bubulas.

Alia Hippocratis sentētia est in coac. Fatuitatem, & mentis commotionem in morbo regio esse lethalem: ratio, quia vbi in morbo regio mens perturbatur, indicium clarissimum est, tam bilem caput infestare: vbi autem bilis caput infestat, res est magno cum periculo, atque hoc contingit Hermocrati, qui in sexta die factus est ictericus, & delirus, mortuusque est 27. die vt habetur 3. epid. sect. 1. ærg. 2.

An ictero febris superueniens lethalis. Tertia Hippocratis sententia est quarto aph. 62 & 64. Quibuscunque in febribus fit morbus regius ante septimam diem, malum & lethale est, vt bonum si fiat morbus regius post septimā diem, aut 9. 11. aut 14. Aduersus quā sententiam videntur esse & aliæ Hippocratis sententiæ, & aliorum scriptorum. Scribit enim Hippocrates quarto, de rat. vict. in acut. tex 82. in febribus biliosis morbum regium ante diem septimam soluere febrim; quæ sententia videtur contraria superiori. Accedit & authoritas Plinii lib. 26. cap. 12. quo in loco citans hanc sententiam, dicit, nequaquam verum esse, quod morbus regius quinta die apparens sit malus, quia multi seruati

sunt

sunt ab hac desperatione. Et præter hæc Auenzoar dicit lib. 1. tr. 13. capite vlt. morbum regium ante septimam diem malum esse, improbandum est: antiquos vero hoc dixisse, quod statuerūt hunc affectum non posse per crisin fieri ante id tempus, inquit autem ille hoc non esse verum, quia humor biliosus cum sit subtilis, & acer stimulat cito naturam ad sui expulsionem, ita vt auctoritate Hippocratis, Plinij, & Auenzoaris non videatur verum esse, morbum regium in febribus ante septimā diē esse malū. Auerrhoes, qui hanc vidit difficultatem 4. collect. 43. vt tueretur Hippocratem dixit, id quod Hippoc. scripsit, verum esse, forsan in eius regionibus, scilicet in Græcia, falsum autem esse in Persia, atque in regionibus calidioribus.

Ego vero dico, veram esse sententiam Hip. sicuti ipsemet docet in fine 3. progn. vbi scribit signa prognostica ab ipso tradita vera esse in Scythia, atque Delo, nempe morbum regium ante diem septimam malum esse, quia omnis motus, qui fit a naturæ vi, & vt dicunt, symptomatice, malus est, ille motus quinto die symptomaticus est, non criticus, ergo necessario est malus. Nō esse autem criticum, docuit Gal. 4. aphoris. 62. scil. humorem biliosum nequaquam, vbi febres facit continuas, in primis diebus coqui, ita vt iure dici possit; motum bilis factum primis diebus non esse criticum.

Quid igitur dicemus ad auctoritatem Hipp. vbi dicit, non tantū malum esse, sed etiam lethale? Dico si inspiciamus eum locum addidit Hippocr. morbo regio singultū, quia vbi fit singultus in morbo regio, semper moriuntur, quia signum est humorem biliosum valde turbare, & dilacerare ventriculum. Ad auctoritatem 4 de acutis dicendum, id quod Galen. habet, eiusmodi sententiam falsam esse. Alio modo etiam possimus dicere, aut icterum fieri ex pura biliosi humoris copia, & caliditate excedentis effusione, sine vllo iecinoris affectu, aut cum hepatis inflammatione, vel scyrrho, vel obstructione, si primo modo fiat, tunc ante septimum potest iuuare ob rationem dictam ab Auenzoare, nam humores biliosi absque præparatione facile pelluntur, vt ait Gal. lib. quos, & quando pur. opor. & sic intelligendus Hipp 4. acut. sic etiam vera potuit dixisse Plinius, sic narrat Hipp. 1. Epid. sect. 2. multos ante septimā factos auriginosos fuisse liberatos. Sin autem fiat cum aliquo iecinoris affectu, semper est malum, quod ante septimam nequeant huiusmodi morbi ita coqui cito, vt fiat ante septimā crisis, & sic intelligendus Hipp. in aphor. & Coacis not. vbi dicit lethalem esse, & insidiosam icteritiam, ante septimam, & præsertim in sexta, vt Hermocrati accidisse sup. ostendimus.

Curatio hęc erit duplex, prout duplex est species icteri. In vtrisque curandis necessarium est, vt ante cetera videamus, an malum ortum duxerit a motu critico, an ab alio, quoniam si per crisin factus sit ille morbus, nihil aliud agendum, nisi vt discutiantur illi humores, qui inficiunt cutem. Ad quod agendum remedium est præstantissimum a Galeno propositum, 9. de med. loc. 1. scilicet balneum aquæ dulcis. Ego autem non solum vti soleo simplici balneo, verum etiā incoquere chamom. & aneth. vtor & aqua ex hordeo cum nitro, & decocto lupinorum, hæc enim omnia abstergunt, & emundant omnes corporis maculas.

Balneū contra omnes corporis maculas.

Sin autem non sit factus morbus per crisin, videndum, an ortum duxerit, & foueatur a causa interna, & externa. Si a causa externa, statim illa auferenda est. Exempli gratia: si ortus sit a morsu animalis venenosi, vel ex veneno accepto, studendum est cum Alexipharmaco venenum illud a corpore tollere, vt Galenus se fecisse scribit 5. de loc. affect. Simili modo si morbus ortus sit ex vsu rerū dulcium, vt mellis, quemadmodum fit [illegible], facilem esse curationem Auenzoar dicit. Iuxta Paulum enim curatur hic morbus solum cibis humectantibus, & refrigerantibus, vt piscibus, aquæ potu, decoctionibus herbarum frigidarum, ptisana hordei, & similibus cibis, qui refrigerant, & humectant. Si sit morbus, vel a iecore, vel a bilis folliculo, cum id fiat plerumque vijs, & meatibus horum viscerum occlusis, siue obstructis, duo sunt in curatione scopi vniuersales. primus, vt illæ obstructiones liberentur. secundus, vt fœdus ille color, & illa turpitudo deleatur, nam vt iure dicit Celsus, vbi causa ipsius mali est sublata, facile potest illa turpitudo, & color deleri.

In ictero itaque flauo facto vitio iecoris, vel folliculi bilis, videndum est, an hic morbus coniunctus sit cum iecoris inflammatione, aut sine hac. Si sit coniunctus, curandus est, vt dixi, curādam esse inflammationem iecoris, & ideo non est, quod de hoc quicquam loquamur.

Curatio icteri facti vitio iecoris.

Si sit sine inflammatione, tribus illis instrumentis curandus est. Primo pro diæta vtendum victu, quo diximus vtendum esse in obstructione iecoris. Celius Aurelian. dicit conferre, si frigidus aer mutetur in calidiorem, gestationes, & deambulationes, & natationes [illegible], præsertim lotia, assiduum vomitum, & similia.

Dieta.

Sed de vsu Veneris videtur in hoc morbo esse aliqua controuersia. Titus sectator Asclepiadis vt est apud Cælium Aureliū, laudat vsum Veneris. Pręterea aliqui fuerunt ex veteribus, qui dixerunt referre, vt qui laborant hoc morbo, semper [illegible] aurū, aut picturas aureas, aut indumenta aurum repræsentantia.

An venus conferat in ictero.

[illegible] sunt hac ratione, vt puto, quod propter similitudinem color corporis [illegible]. Huius sententiæ videtur quoque fuisse Aui. qui in omnibus suis scriptis multum tribuit imaginationi.

Veruntamen Cælius Aurelianus aduersus hos rationibus est inuectus, & primo aduersus Titum, eo quod vsus Veneris neruis, & viribus corporis maxime est inimicus. Iam vero in omni morbo sunt conseruandæ vires, quare remouenda sunt quæcunque vires possunt lędere.

Aduersus alios inuehitur duabus rationibus, prima, falsum esse, quod vel aurum, vel indumenta

menta possint attrahere colorem, quoniam potius deberet corpus attrahere: quia corpora viuentia, & animata cum sint calida, trahente facultate pollent, corpora autem inanima minime trahere possunt: Alia ratio est, in hoc morbo maxime esse studendum, vt ægri læto animo sint, propterea dixi, hunc morbum vocatum regium, quoniam curatur iucunditate. Si igitur detinendi sunt ægri læto animo, tollenda omnia ab ipsis, quæ suggerunt memoriam mali, vt sunt auri, eiusque formæ; sunt itaque hæc omnino fugienda.

Debent cibi, & potus extenuantes esse, incidentes, & aperientes, propter quod iure cōmendatur, vt semper incoquantur asparagi, vel cicere rubei, vel radices petroselini, serpilli, fœniculi, dauci, & omnium aliorum, quæ possunt aperire, & incidere. Non est tamen id ignorandum, quod est apud Aetium, & Rabbi. Moys. 22. aphorism. quo loco scribit, carnem vaccinam aceto coctam a proprietate in hoc morbo cōferre, qui similiter laudauit carnes syluestres potius quā domesticas, & assatas quam elixis. Libro septimo epid. habetur, regio morbo correptis prodesse laborare, sudare, panem edere, non multum bibere, lauare caput multa calida, vel potius tepida, vinum album bibere, non multo somno vti.

Pro potu igitur conuenit vinum tenue, album, subtile, vel loco vini decoctum cicerum rubeorum.

Victu instituto Galenus in libro de cura icteri duo maxime laudat, venę sectionem, & purgationem. Et notate circa illum librū de cura icteri, eum repositum esse inter spurios, veruntamen sæpe citatur ab Arabibus, tanquam Galeni liber, imo plenus est multis Galeni medicamentis. Et ego sum sententiæ huius, si ille liber non sit Galeni, esse Rufi. Est itaque vtendū venæ sectione prius lenita aluo.

Vena sectio.

Sed obijcitur, quam indicationem habeamus mittēdi sanguinis, cum sit mera cacochymia, & abundantia bilis. Dico non mitti sanguinem propter humorem effusum per cutim, sed propter obstructiones, & aliam plenitudinem, quæ est in venis, vel iecore, quanquam illa plenitudo non sit exquisita.

Locus mittendi sanguinis est vena interna cubiti dextri. Laudauit etiam Archigenes venæ sectionem sub lingua, si alia non prosint. quæ sententia comprobata est ab Auicenna cap. 3. de cura icteri. Poterimus etiam vsu postulante venæ internę sectionem administrare. Si non possit fieri venę sectio, sint vicariæ eius cucurbitulę, quas commendat mirifice auctor libri de cura icteri.

Secta vena, est lenienda aluus, & primæ viæ expurgandę Melle rol. sol. vel simili medicamēto Deinde pręparandi sunt humores cuscuta, cichorio, capil. ven. erythrodano, trifolio, scariola. Poterimus autem sic præparare.

Præparatio.

℞. Rad. erythrodani ʒ. iij.
Fol. scariolæ.
Trifolii.
Capill. Ven.
Cichorii. an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. d. d. ℥. iiij.
Oxym. simpl.
Syr. de eupat.
De cichor. an. ℥. ß. M. & f. potus.

Vbi sunt pręparati humores, expurgandi prima vice hoc medicamento:

Purgans potio.

℞. Cicerum rubeorum.
Fol. cuscutæ.
Scariolæ an. ℞. ß.
Myrobal. citrin. ʒ. j. ß.
Passular. ℥. j. ß. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. d. d. ℥. iiij.
Rhab. elect. ℈. iiij.
Spicæ gr. iiii. infundantur s. a. omnia.

Deinde facta diligenti expressione adde.
Diaphænici ʒ. iij. ß.
Syr. ros. solut. ℥. ij. ß. M. f. potus.

Quod si placuerit potius vti bolo, poterimus hoc modo parare:

Potus.

℞. Fl. cassiæ ʒ. j.
Diaphænici ʒ. ij. ß.
Trochisc. de Rhab. ʒ. j. ß. M. f. bolus.

In secunda purgatione, quia non potest morbus vnica purgatione curari, debemus semper attendere ad ea, quę magis attenuant, propterea præparandis humoribus hic syr. erit accommodatus.

Secunda humorum præparatio.

℞. Rad. erythrod.
Asparag.
Apii an. ʒ. iij.
Cicer. rubeorum ℞. ß.
Fol. Cetrach.

Asrimo-

Agrimoniæ an. ℞. j. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. d. d. ℥. iiij.
Syr. de cichor. compos.
Syr. de quinque rad.
Oxym. comp. an. ℥. ß. M. f. potus.

Et aduertite, vt possit facilior succedere purgatio, optimum esse vt in hac secunda purgatione semper ante syrup. offerantur aliqui trochisci, qui possint aperire, vt sunt isti:

℞. *Trochisc. de absynth.*
Eupat.
Cappar. an. ℨ. ij.
Fol. cuscutæ.
Eupatorij.
Erythrod. subt. puluer. an. ℈. j. M. omnia s. a. cum aqua eupatorij, vel agrimoniæ f. rotulæ, quæ singulæ pendeant ℨ. j.

Vbi venæ sic erunt apertæ, ac humores præparati, erunt expurgandi, vt: *Secunda purgatio.*

℞. *Fol. sennæ.*
Epithymi an. ℨ. j.
Myrob. citrin. ℈. iiij.
Passular. ℥. ß. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. d. d. ℥. iiij.
Rhabar. electi infusi, & expressi, s. a. ℈. iiij.
Elect. ros. Mes. ℨ. ij.
Mellis ros. solut. ℥. ij. M. f. potio.

Est vero dubitatione dignum, an in curatione icteri conueniant remedia generosa? Ex vna parte Cælius Aurelianus indicauit vsum omnium medicamentorum, quæ vehementer purgant, siue per vrinam, siue per aluum, nocere, eo quod sitim inferant, appetitum dissoluant, propter quod, & aloen, & colocynthidem, & diagridium vehementer damnat. *An conueniant remedia generosa.*

Ex altera parte est Hippocrates libro de intern. affect. vtitur enim cantharidibus, grano cnidio, & alijs medicamentis, quæ vehementer purgant. Rases, & Auicenna in curando ictero vtuntur medicamentis validis, imo Aetius ex Rufo comparans venæ sectionem, & purgationem, statuit, anteferendam esse purgationem venæ sectioni, eo quod in hoc morbo est potius cacochymia, quam sanguinis plenitudo. Hæc etiam fuit sententia auctoris de cura icteri. Archigenes etiam apud Galenum in fine primi capitis lib. 9. de med. local. vtitur scammonio.

Definienda est hæc dubitatio, quod icterus, vel sit cum febre, vel sine febre: si sit cum febre, plane medicamenta vehementia, & grauia maxime nocent; & ratio est, quia hæc medicamenta grauia sunt calida, & in corpore febriente augent calorem, & febrem, ac propterea maxime nocent. Vbi autem malũ est sine febre, tunc impune medicamenta grauia possunt administrari, quo modo intelligenda est Hippocratis sententia, & aliorum sequacium. Sed sæpe ita cõtumax est morbus, vt neque his cedat, quod cognoscitur quando, nec fæces, nec vrinæ ad pristinam naturam redire; vnde deueniendum ad ius galli, vinum chalybeatum, & similia.

Vbi purgatum est corpus, surgit scopus ille, vt turpitudo illa coloris prorsus tollatur, fit autẽ hoc, si humores illi, qui sunt in cute, prorsus tollantur. *Vbi turpitudo coloris tollenda.*

Sed dicet aliquis, cur non etiam tollendi sunt humores praui, qui sunt in carne? vt huic obiectioni responderet Auenzoar, inquit, huiusmodi humores nunquam sisti in carnibus. Et ratio est, quia bilis sua amaritie, & acrimonia stimulat ita carnes, vt facultas ipsarum expulsiua nitatur expellere ipsos humores ad cutim.

Nec mirandum dicere Auenzoar, ab amarore excitari carnes, cum careant gustu, quoniam hic fuit Arabum mos, vt per qualitates manifestas, & secundas significent nobis primas, ita vt sub nomine amaroris voluerit intelligere qualitatem inimicam ipsis carnibus.

Humores itaque a cute sunt expellendi, expelluntur autem tribus modis, vel potionibus, vel sternutamentis, vel ablutionibus.

Potiones autem euacuant per aluum, aut per sudorem, aut per vrinam, aut per insensibilem transpirationem.

Euacuant autem per aluum multa medicamenta a Galeno, & Auicenna proposita, quorum multa nequaquam mihi commendantur, vt sunt illa, in quibus ponitur lepus marinus, arsenicum, & alia, quæ vi venenata pollent. Praxagoras album cum vino laudat. Rufus sulphur cum ouo. Sed ego omnibus alijs medicamentis antepono vsum Rhabarb. frequentem, capitur autem Rhabar. vel in substantia cum sacch. ros. vel in decoct. eupat. cetrach, cichorij, capil. Veneris. Fit enim ex his omnibus decoctum, cui semmaceratum rhab. offeratur. Habemus etiam syr. de cichor. cum rhab. cuius frequens vsus commendatur. *Per aluum.*

Sed video aliquem dubitaturum, quomodo fieri possit, vt medicamenta possint humores in cute fixos euacuare beneficio alui; nam primo videtur hoc rationi repugnare, vt materiam fixam in partibus remotissimis possit medicamentũ potu acceptum per carnes deducere in ima penetralia corporis. Deinde accedit auctoritas Galeni, qui 6. epid. com. 2. t. 30. scribit, fieri non posse, vt quæ sunt in cute, per aluum expurgentur.

Grauissima sane est hæc obiectio, nec quicquam habeo, quod respondere magis possim, nisi medica-

medicamenta, quæ aluum ducunt, nequaquam ducere humores illos, qui sunt in cute, sed ducere illos, qui fouent humores cutis, quibus euacuatis, facile a natura postmodum e corpore humores pelluntur, cum non habeant internos fomites.

Per sudorē. Pro sudore autem c[illegible]endo, & pro euacuandis humoribus a cute per sudorem, multa sunt proposita a Medicis, laudant aliqui confect. anacardinam, sed propter eius immensum calorem mihi est suspecta, decoctū cheirorum mihi magis placet, decoctū hordei, & decoctum caricarum.

Sed notandum, melius esse, vt vbicunque volumus sudorem prouocare, deducantur ægri in Laconica, atque ibi offerantur medicamenta sudorifica; ibi enim facilius quam alibi sudores prouocantur: vel habeatur illud instrumentum sudatorium, quo nunc potissimum vtimur Patauij, & copiosissime sudorem prouocat.

Pro vrina prouocanda, succus hepaticæ decem diebus continuis potatus mirifice confert, serum lactis carthamo coagulatum valde confert. Item decoctum asparagorū, apij, & ipsius asparagi, sicuti etiam anisum, quod ideo fæculentam vrinam reddit, quoniam expurgat per vrinas humores prauos.

Per insensibilē transpirationem. Pro insensibili transpiratione conferunt decoctum salsæ, ligni, cui etiam valde auxiliantur inter externa remedia, frictiones factæ nitro, & amygdalis amaris, lupinis, fricata enim cute huiusmodi medicamentis, insensibiliter solent euacuari humores biliosi, qui cutim deturparunt. Sic itaque euacuantur humores cutanei per potiones.

Per ablutionem. Euacuantur autem per ablutionem, quando corpora demerguntur in aquis dissipantibus, & aperientibus, vt est, si incoquantur aquis capil. Vener. cham. aneth. polij mont. gentiana, costus, &c. hæc enim omnia decocta in aquis, atque in his deinde corpora immersa solent exinanire humores cutim obsidentes.

Inūctiones. Post vsum aquarum adhibentur etiam inunctiones: sed notandum, non quælibet vnctionis genera esse accommodata, nam ol. amygd. dulc. non admodum in hoc casu conuenit, quia vis abstersoria amygdalarum est in substantia terrea, non autem in succo: succus enim potius obstruit, propterea vtimur ol. amygd. post balnea, ad continendam humiditatem acquisitam. Melius itaque est anethum, chamem. quibus si etiam admisceatur sal, magnopere conferunt.

Sternutamenta. Sunt vltimo ad euacuandos hos humores sternutamenta, quæ duorum sunt generum, alia enim sunt leuiora, alia grauiora. A leuioribus semper est inchoandum, quæ vbi non prosunt, accedendum est ad grauiora. Inter debilia sternutamenta est anagallidis succus, succus nigellæ; acetum odoratum: inter grauiora est struthium cum lacte asinino, vel humano naribus admotum, vel infusum, cyclaminis succus cum eodem lacte.

Monet vnum notandum auctor lib. de cura ictert, vt quotiescunque volumus vti grauioribus sternutatorijs, semper faciamus, vt æger ore contineat aquam, nam hæc medicamenta grauiora solent non solum in nares ingredi, verumetiam ex foramine communi in palatum mitti, propterea ne mittatur in has partes, iure mandat auctor illius libri, continendam esse aquam in ore.

Suffumigationes. Possumus etiam inter hæc medicamenta numerare suffumigationes, quæ variæ, & diuersæ componuntur: Sed maxime ab Arabibus cõmendatæ sunt, quæ fiunt ex carne vaccina assatas assatus autem hæc caro, deinde conditur in olla, & fumus ille vultu excipitur, quæ sit vis huius carnis in depellendo humore, ignoro, nisi sit occulta quædam facultas. Scio fumū ex corticibus fabarum conferre, & fumum ex paleis hordei, & lupini vstis, & aceto conspersis, postea etiam si vultus, & oculi lauentur, solent ab hac fœditate liberari. Atque hæc est tota curatio icteri flaui.

Curatio icteri nigri. Curatio icteri nigri eodem modo instituenda est, quo curationē flaui instituimus. scil. vt primo instituatur victus, mittatur sanguis, si est mittendus, præparentur humores, & præparati euacuentur, demum turpitudo cutis tollatur. Medicamenta non recensebo, eo quod, & præparandi ratio, & expurgandi eadem est, quam docuimus, cum de affectibus lienis tractauimus: recurrendum enim ad medicamenta præparantia melancholiam, & præparatam euacuantia.

CAPVT XXIIII.

De hydrope.

Nomina. ALiud vitium post affectus hepatis, & lienis, præsertim eos, quos hactenus tractauimus, solet oriri, vt Aretæus dicit aspectu iniucundum, qui affectus varia, & diuersa nomina habet: nam interdum dicitur hydropisis, interdum hydrops, & hydrosis. Et notate hanc vocem hydrops accipi ab Hippocrate pro humore seroso, quemadmodum in lib. de nat. pueri, & alijs mus com. videre est. Aristoteles etiam qui in multis sectatus est Hipp. 7. de hist. animal 9. eandem vocem vsurpauit in eadem significatione: Latini aquam intercutem; barbari hydropisian nominant.

Hoc nomen, vt testatur Cæl. tertio de morb. chron. 8. acceptum est ab ipso accidente, scilicet humore aquoso. Aduertendum autem, non quemlibet humorem aquosum in corpore facere hydropem, sed qui corpus attollit in tumorem.

Proinde hunc morbum definimus, quod sit tumor corporis aquosus, vel vt Stephanus Atheniensis in com. ad 2. progn. Hippocratis dicit, collectio humoris præter naturam, inter peritonæum, & intestina, vel in carnosa parte musculorum.

Dicitur

Dicitur tumor, quoniam quando aqua colligitur intra thoracem, & non facit vllum tumorem, non facit proprie hydropem, sed dicitur Hippocrati hydrops thoracis, vt etiam passio diabetica est passio aquosa, quia autem non facit tumorem, non dicitur hydrops.

Dicitur etiam tumor corporis, vt comprehendat omnes species hydropis, nulla enim species est, in qua corpus non appareat tumefactum, interdum enim abdomen solum, interdum solae carnes, interdum vtraque apparent tumefacta.

Definitio.

Dicitur tumor aquosus, ad differentiam flatulentorum, ut in colicis, & alijs sunt tumores flatulenti, qui nō faciunt hydropem, quia sunt sine aqua. Neque dicendum, in tympanite fieri flatum, quia ut Cęlius Aurelianus recte dicit, falsum est, solū flatum in tympanitide reperiri, quia alioqui non posset dici hydrops, sed inuenitur flatus multa aqua permixtus.

An sit morbus, uel symptoma.

Est hydrops teste Gal. 14 meth. morbus in magnitudine, quia ualde attollitur uenter, & interdum, ita tumeot hydropici, ut duplo, uel triplo maiores fiant, quam erant naturaliter.

Sed dicet quis, nonne Galenus de symptomat. diff 4. scribit, hydropem esse symptoma sanguificatricis facultatis: non ergo potest dici morbus, quia symptoma sequitur morbum, ut umbra corpus. Dicunt aliqui, ut tollant hanc obiectionem, symptoma esse nomen quoddam commune, & interdum comprehendere morbos. Sed mihi magis placet dicere, hydropem esse duplicem, uel habito respectu ad eius causam, uel ad effectum: si consideramus hydropem causis suis, omirum cum aqua tumorem faciente, plane appellari potest symptoma illius, or opus sequēs uitiatam actionem sanguificatricis, quemadmodum uidetur locutus Gal. loco cit. Si autē consideremus hydropem ratione effectuum, qui ab ipsa aqua fiunt, sane possumus, & debemus uocare morbum.

Differentia seu species hydropis.

Huius alij varias, & diuersas faciunt differentias, quidam crediderunt quatuor esse species, alij duas, sed Galenus quarto de acutis 3. & quinto de loc. aff. 7. & ante ipsum Celsus, & Aurelianus demonstrant euidentissimis rationibus, non posse huius morbi, nisi tres esse species, quia aquosus humor, vel colligitur in toto corporis ambitu, vel solum in ventre: si in corporis ambitu, dicitur modo anasarca, modo hyposarca, modo leucophlegmatia: quanquam Aretæus videtur fecisse differētiam inter leucophlegmatiam, & Anasarcam, inquit enim leucophlegmatiam esse, quando in toto corporis ambitu colligitur, vel pituitosus succus, vel sanguis p[...]ta repletus: appellari autem anasarcam, & hyposarcam, quando colligitur solū humor aquosus. Sed quicquid sit, uult Galenus, & iure, vnam tantū esse speciem, & ratione loci, & ratione materiæ.

Tympanitē cur hydropem vocet Hip.

Sin autem colligatur humor in ventre, uel solum colligitur humor aquosus, uel humor, & flatus: si aquosus, dicitur Galen. ἀσκίτης, si autem aqua, & uentus, dicitur τυμπανίτης, non quod ibi solum adsit flatus, ut doluit Demetrius Herophili sectator, sed quia si tangatur, & percutiatur, venter resonat instar tympani. Hipp. 4. apho. 1 appellat siccum hydropem; non quod vnus sit siccus hydrops, sed quod alteri comparatus non est ita humidus.

Sed dicet quis, Galen. 4. de acutis 3. videtur asserere tympaniten non ab aqua, sed a vento fieri. Respondeo eius esse sententiam, quod venter non ab aqua repleatur, sed a vento, quasi adsit etiam aqua, sed non tanta, vt repleat, ventum autem aquę mixtum esse, qui repleat. Steph. Athenæus in com. secundo prognost. quinque facit species: inquit enim, vel aquam colligi inter peritonæum, & intestina, vel in carne. Sed in ventre colligitur, vel sola aqua colligitur, & dicitur hydrops, vel flatus, & aqua, atque si superet aqua, dicitur Ascites, si flatus, tympanites. Sin in carne, vel aqua sola colligitur, & fit anasarca, an cum flatu, & fit hydropisis.

De modo generationis aquæ in hydrope.

De modo generationis aquæ in hydrope non constans fuit scriptorum sententia. Inter veteres Heraclitus eius fuit sententiæ, generari aquam in hydrope, vt in hoc mundo videmus fieri primo vapores, ex his deinde condensatis generari aquas. Eum secutus videtur Steph. Atheniensis, in com. 1. progonost. scil. aquam generari in hydropisi ob vitiatam iecoris sanguificatricem, a qua cum fiat sanguis tenuis, ille ad modum vaporis egreditur per tenuem membranam iecoris, inter intestina, & peritoneum, ibique per cōtinuam vaporum aggestionem coactus in aquā vertitur, quēadmodum in lacunis solent vapores in humorem verti, atque ob id dicebat, ob vitiatam ventriculi chylificationem non fieri hydropem, quod non possit materia in vapores extenuata egredi ventriculum, cuius substantia densior, & durior est, quam vt admittat huiusmodi exitum.

Hæc sententia si uera esset, sequeretur, potius colligi materiam in capite, quā in ventre, quod cum falsum sit, falsa est ea sententia. Adhæc in ea specie hydropis, quę dicitur tympanites, multi flatus reperiuntur mixti cum aqua, quod si vera esset hæc sententia, deberet esse contrarium.

Erasistratus aliter sentit, scilicet fieri aquam, quia sanguis venas penetrare non possit. Sed hæc sententia explosa est a Galen. 2. de facult. natural. 8. Vera autem est generationis aquæ causa, & ratio, quæ habetur ex sententia Galeni loco citato, & alibi, scil. a iecore generari sanguinem, & alios succos, sanguinem fieri, vbi calor iecoris est commoderatus, alios autem succos, vbi calor est immoderatus.

Et notate, ne decipiat quempiam latinus interpres, quia quando dicit ille, fieri succos ab immodico calore, intelligendum, vt interpres antiquus habet, ab incommoderato, quia non est verum omnes alios succos a sanguine fieri ab immodico calore, est autem immoderatus calor ille, qui a proportione, & moderantia recedit, recedit autem a proportione tam ille calor, qui est diminutus, quam qui est immodicus, vbi excedit ille calor commoderantiam, fit bilis, vbi autem deficit, & est diminutus, tres habet gradus, nam ubi defectus paruus est, generatur

sanguis

Tres gradus diminuti caloris.

sanguis pituitosus, qui per venas distributus facit cachexiam, si autem hic sit in secundo gradu paucitatis, fit flatus, si sit paucissimus, efficitur aqua, ita vt aqua in hydrope efficiatur ob maximam caloris in hepate paucitatem.

Supersunt quinque circa hanc rem consideranda. Primo, quomodo colligatur hæc aqua in corpore hydropicorũ. Secundo, in quem locum colligatur. Tertio, quæ sit propriè sedes affecta in aquæ collectione. Quarto, cur potius generetur aqua, quam ichor. Quinto, cur vt species hydropis fit ex aqua collecta in toto corpore, non etiam fiat alia species ex flatu collecto in toto corpore. His dissolutis problematibus strata iam erit via cognoscendi hunc affectum.

Problem. Qui sit loc⁹ collectionis aqua.

Incipiam autem a secundo, quisnam sit locus collectionis aquæ. Cæl. Aurelian. huius fuit sententiæ, in anasarca, seu leucophlegmatia colligi inter meatus, & poros ipsius carnis aquam: vt enim, inquit ille, in spongia colligitur aqua inter illa spacia, sic inter foramina carnis colligitur aqua in anasarca. In ascite vero, & tympanite colligi aquam inter peritonæum, & intestina. Sed potior mihi videtur sententia Galeni, & omnium Græcorũ, scil. aquam colligi in anasarca non solum in ipsis spacijs carnis, verumetiam in venis, ita vt quotiescunque generatur sanguis, & cũ illo generetur multa aqua, illa aqua, vel ingreditur, & permeat venas, vel in alium locum colligitur, si permeat, aut immodice replet, ita vt necessario præ multitudine aquæ oscula venarum aperiantur, aut non replet immodice, nec oscula aperit. Si penetrans aqua non exeat ab ipsis venis, fit quædam species mali habitus, sed nondũ est anasarca. Atque de hoc arbitror intelligendum locum Hipp. in lib. de iudicat. male a Caluo, & Cornario translatum, vbi habetur, aquam collectam secundum venas salubriter euacuari, per aluum, & vesicam: si autem ita colligitur in venis, vt extra eas exeat, efficitur tunc hyposarca, sed si aqua genita in iecore nequaquam permeet venas, verum in alia parte, & præsertim in ventre colligatur, fit ea species, quæ dicitur ascites. Quomodo autem in ascite colligatur aqua, dicetur suo loco.

Est itaque huius rei resolutio, locum vbi colligitur aqua in ascite, esse spacium inter peritonæum, & intestina: aut etiam vt Galenus notat septimo aphor. 55. inter omentum, & intestina. Sed video aliquem dubitaturum, cur scriptores dicant tantum colligi aquam inter peritonæum, & intestina? Dico propterea hanc sententiam nobis reliquisse veteres scriptores, quia vere aqua tantum in principio colligitur inter intestina, & peritonæum, quanquam procedente tempore, vt ait Galen. pertundatur omentum, & ipso pertuso penetret aqua.

Quis sit modus collectionis aquæ in hydrope.

Modus collectionis aquæ in hydrope (quod erat primum problema) apud Medicos varius est: Auic. sex modos reliquit, quibus aqua colligitur, in anasarca enim clarus est modus collectionis, quia cum sanguis semper penetret omnes corporis nostri venas, cum ipso sanguine penetrans aqua, colligitur eo pacto, quo sanguis.

In ascite autem dispar, & multo difficilior est ratio collectionis. Primus modus ab Auicenna positus est, quando vasa peritonæi sunt adeo relaxata, & adeo rarefacta, vt aqua transcoletur, & transcolata in spacium tandem illud præcipitetur, vt videmus, si habeamus pannum lineum, & transfundamus aquam, nam videmus aquam illam transcolari, eo quoniam per rariores panni poros ea transcolatur: ita dicit Auic. contingit rarefactis peritonæi poris percolatam aquam in ventre colligi. Et notate, hoc modo collectam aquam longo tempore facere hydropem, & non subito.

Secundus modus est, quando commixti isti flatus aquæ in vasis prædictis, vsque adeo illa extendunt, vt aperiantur ora, quibus apertis aqua simul, & flatus exeant, & colligantur in ventre, vt fit tympania.

Tertius modus est, quando aqua sola adeo est potens, & copiosa, vt propter copiam ipsius reserentur ora vasorum, quibus reseratis exit.

Quartus modus est, quando facultas expultrix excitata salsedine, vel acrimonia aquæ sponte eiumit illam per ora vasorum reserata in ventrem. Et hoc in casu etiam contingit corrodi vasa ipsa parte quadam, qua corrosa facilius aqua colligitur, vt notat Galen. 7. aph. 55. Hic quartus modus atque etiam tertius faciunt plerumque, vt hydrops fiat subito, non autem paulatim, vt in primo modo.

Quintus modus est, qñ venæ, quę deferunt chylum, aut frangũtur, aut corroduntur, eæ enim venæ fractæ, cum habeant exitum in spacium illud inter peritonæum, & intestina, facile aqua, quæ est in venis, defertur ad illas partes affectas; hic etiam modus facit, vt subito fiat hydrops.

Sextus fit per venas vmbilicales, qui modus est in mulieribus, nostis enim ex anatome, vbi fœtus est in vtero, per huiusmodi venas expurgari vrinam: vbi fœtus non est in vtero, cum occlusa sit via ad vrinam pertingens, ad easdem venas potest depelli aqua in ipsum ventrem.

Possumus addere etiam septimum modum ex Auicenna 14. tertij, si quando post exitum lapilli renum subito fit hydrops, ideo fieri, quoniã fractus est vnus, aut duo meatus vrinales, quibus fractis cum vrina non possit in vesicam penetrare, necessario colligitur in ventre.

Addatis, & his octauum modum ex Galeno 7. aphoris. 55. quo in loco scribit contingere interdum, vt in toto corpore iecoris fiant vesicæ aqua plenæ, quibus disruptis aquam colligi in ventre; fieri autem huiusmodi vesicas, obseruatum est in pecudibus. Et Hipp. in lib. de intern. affect. docet, has vesicas fieri interdum in pulmone.

Aretæus lib. 4. de diu. primo etiam ponit aliam speciem hydropis, in qua fiunt vesicæ aqua plenæ in toto ventre. Naturam autem huius affectionis, & modum collectionis fatetur se ignorare, cum hoc nunquam viderit.

Hi igitur sunt modi collectionis in hydrope, significati a Gal. & Auicenna, & alijs. Fern. lib. 6. suæ pathol. aperte fatetur, omnes scriptores esse hallucinatos, qui putarunt, aquam colligi posse per cæcos, & abditos corporis meatus, vultque solum esse modum vnum, quo aqua colligatur, quando aliquod vas visceris alicuius frangitur, & corroditur, ita vt per effractos illos meatus aqua sponte præcipitetur in ventrem.

Fern opin.

Ad hoc autem afferendum quatuor probabilibus argumentis vsus est. Primum, quod si per cæcos meatus colligeretur aqua, fieri non posset, vt vnquã tanta copia colligeretur, vt videtur, siquidem sæpe apparent sicuti dolia ventres aqua repleti. Secũdum, quia hydrope æque omnes homines tẽtari possent, quia enim in vnoquoque corpore sint abditi meatus, in omnibus etiam posset aqua genita colligi. Tertium, quod si posset per hos occultos meatus educi aqua, videretur naturæ incassum machinata esse tot vias manifestas ad expurgandam aquam, & alios superfluos succos. Quartum, visos esse homines mortuos, quibus suppressa fuerat vrina per 20. dies, quibus tamen per occultos meatus non fuit collecta in ventre vrina, quia in ipsis nullum fuit vas dirruptum.

Hæc sunt argumenta Fernelij, cuius opinio si vera esset, necessario duo sequerentur. 1. quod nunquam paulatim fieret hydrops, sed semper subito, quia si semper colligitur aqua propter alicuius vasis disruptionẽ, plane vt disrupto aliquo vase pulmonis confertim, & copiose exire sanguinem videmus, pari modo sequeretur colligi subito aquam in ventre, quod falsum esse quotidiana experientia comprobauit, quia licet videre, hydropem non raro fieri paulatim. 2. consequerentur, nunquam posse hydropicos sanari, & eo minus non possent vnquam sanari per perforationem, quia viscera tracta, & rupta, aut membranas ruptas nunquam sanari, & coalescere scribit Hip.

Refutatur.

Quamobrem melius est, vt dicamus cum Galeno, & omnibus alijs, fieri collectionem aquæ in hydrope non vno modo, sed fieri interdum per disruptionem, & hanc esse incurabilem, eamque fieri affatim: interdum per transcolationem factam per cæcos meatus, nã testatus est Arist. 3. de par. animal. 8. & Theoph. lib. de sudor. & Gal. in lib. de resp. inuentos esse quorum corpora sanguinem sudarent. Si itaque potest sanguis per dilatatas venas exire, quãto magis aqua per rarefacta vasa transcolari poterit.

Quare parum firma est Fernelij ratio, quando scribit, non posse aquam transcolari per cæcos viscerum meatus. Parum firmitatis habet, & illa prima ratio, quod non posset tanta aquæ copia colligi; quid enim prohibet, vt quemadmodum videmus, multam aquam longo tempore per pannum colligi, sic excolata aqua colligatur? Non autem omnes inuadit hæc affectio, quia non omnes æque homines habent vasa relaxata, vt possit percolari aqua. Quod si visi sũt, vt dicit Fernel. aliqui, quibus per 20. dies suppressa fuit vrina, & nõ est collecta aqua, fuit ob aliam causam, scil. quia in his vasa erant densata, vt potius vrina detenta diffunderetur per vniuersum corpus, quam vt colligeretur alicubi. Et hæc de Fernelij sententia.

Rationes Fern. soluuntur.

Erat tertium propositum de loco, quisnam sit locus affectus in hydrope. Scriptores medicinę hic in varias sectas sunt distracti, sed ne singula persequamur, hæc debet esse resolutio, in anasarca locum affectum esse corporis vniuersum habitum, scil. quia aqua collecta est in vniuerso corpore, & consequenter vniuersum corpus affectum est. In ascite, & tympania possumus cõsiderare, vel causam morbi, vel morbum ipsum: si morbum, sedes eius est totus venter: si causam, iecur. Dicebat enim Gal. 5. de loc. aff. 7. fieri nequaquam posse, vt vnquam quis fiat hydropicus, nisi sit hepar affectum, propter quod dicit Aretæus, in hydrope semper iecur, vel per se affici, vel coaffici ab aliorum tamersi, vel in febre, vel in alio morbo videatur mali origo posita extra iecur, nisi tamen iecur afficiatur, nunquam fit hydrops: loquor de hydrope vniuersali, non de hydrope thoracis, aut vteri, quoniam alias sedes habent illi morbi.

Quid sit locus affectus in hydrope.

Erat quarto loco propositum a nobis, cur potius fiat aqua in hydrope, & non ichores? Dico ichores generari necessario ex generatione aliorum humorum, cum igitur in hydrope non fiant humores, non fiat sanguis, neque pituita, quare non potest fieri ichor vllus.

Cur potius fiat aqua, quam ichores.

Vltimum erat, cur non etiam a flatu fiat anasarca? Ad quod dico, flatum qui in vniuerso corpore generatur, vel expandi, & dilatari, vel colligi in vnum locum: si expanditur, dissipatur, quia expansus flatus a quolibet, vel minimo calore discutitur. Sin autem colligatur in aliquo loco, facit palpitationẽ, & œdema flatuosum, aut aliquod aliud genus morbi, ita, vt nullo modo possit fieri hyposarca ex flatu in vniuerso corpore retento. Quamobrem non satis possum mirari Alexandrum, qui in ea fuit opinione, in tympanite etiam in vniuerso corpore flatum esse collectum, nisi placeat dicere, vt ego suspicor, locum esse deprauatum.

Cur non etiã a flatu fiat anasarca.

Causarum hydropis aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internarum aliæ mediatæ, aliæ immediatæ; hæc autem est intemperies frigida ipsius iecoris, vt constat ex Gal. 5. de loc. aff. & 2. de fac. nat. 8. Sed circa hanc resolutionem oritur quæstio, an sit semper necessarium, vt si gignatur hydrops, iecur sit refrigeratum. Ex vna parte est Gal. loc. cit. Ex altera idem 5. de loc. aff. ex febribus acutis, & magnis inflammationibus testatur fieri hydropem, quam sententiam prius tradidit. Hip. in principio 2 progn.

Causę internæ immediatæ.

An in omni hydrope iecur sit refrigeratum.

Hier. Cardanus probat longo discursu, fieri semper hydropem a causa calida, & propterea frigidis remedijs esse errandum. igitur sequitur etiam a causa calida fieri hydropem Arist. quoque 3. probl. 5. dicit, hydropem fieri a potu largo vini meri: potus autem vini calefacit iecur. Igitur clarum est etiam ex Arist. hydropem fieri a causa calida.

His accedunt testimonia Auenz. & Auer. Auenz. enim lib. 1. tr. 13. ca. 1. sermonem habens de Tympania, inquit raro contingere, vt hæc species fiat sine lienis duritie, hanc autem fieri, quando ex immodico feruore ipsius iecoris gignantur humores, qui attracti a liene eum attollũt in tumorem.

Vt etiam Steph. Athenæus in com. 2. progn. ait, fieri etiam a calore præter naturam calorem natiuum iecoris difflante, & subinde iecur refrigerante, eiusque alteratricem vim debilem reddente: quo pacto, & in febribus, & in æstate facultates redduntur debiles ab externo calore: Ex quo colligitur secundum Auenz. fieri tympaniten a causa calida.

Auer. quoq; 3. collect. 1. ait, iecur quamdiu temperatum est, optimos succos efficere, vbi est intemperatum, nequaquam optimum sanguinem posse gignere. Et quia fit iecur intemperatum, vel quando abundat calor, vel quando deficit, inquit, quod si calor non sit temperatus, sed immodicus, aut excedit multum, aut parum, si parũ, facit amaritudinem, sed nescio plane quid per amaritudinem intelligat: sin autem calor multum excedat, inquit hunc calorem agentem in humiditates efficere flatum, & ex illo deinde fieri tympaniten. Addidit hic Auerh. Medicos in tympanite interpretanda fuisse valde solicitos, quoniam æque fit hic morbus causa calida, atque frigida.

Ex his igitur omnibus auctoritatib. facile concluditur, non esse necessarium, vt in hydrope generanda iecur semper sit refrigeratum. Pro resolutione deueniendum est ad naturæ rei inuestigationem.

Resolutio auctoris. A qua necesse est vt ab eo membro generetur, a quo etiam generetur sanguis, quoniã est succus. Generator autem sanguis a iecore, ergo, & aqua. Quæcunque autem generantur per se, sunt similia generanti, aqua generatur per se a iecore, quoniam non posset per accidens tanta copia aquæ generari, neque tanto tempore, neque in re naturæ nostræ, ita necessaria: igitur cum aqua sit frigida, necesse est, vt generetur ab agente frigido. Nec dicatur, non esse parem rationẽ de flatu, ex quo fit tympanites, quia etiam in tympanite est aqua, & plus aquæ quam flatus. Fit igitur aqua refrigefacto iecore.

Iam vero frigiditas duplex est, aut positiua, aut priuatiua: priuatiuam dico, quando diminutus est calor; positiuam quando nõ solum diminutus, sed valde, & fere extinctus est. Liceat mihi sic appellare, quanquam omnis frigiditas viscerum in viuente corpore est priuatiua, non positiua. Calor autem offenditur, vel diminuitur, vel extinctus. Diminuitur, seu extinguitur tribus modis, vel per contrarij admixtionem, exempli causa, si volumus extinguere aquæ calorem, & admisceamus ipsi glaciem, calor ille subito extinguitur, aut sane multum imminuitur, alio modo per suffocationem, scitis enim ignem nutriri, & cum nutriatur, largo modo accipiendo nutritionem, gignuntur fuligines, quæ necessarium est, vt continuo difflentur; vbi vero impeditur hæc difflatio, illa detenta imminuit, imo calorem ipsum suffocat. Tertio modo diminuitur, seu extinguitur propter pabuli subtractionem, quando scilicet calori subripitur nutrimentum, tũc ille orbatus proprio pabulo deficit, vt si candelam fornaci ardenti imposueritis, videbitis ipsã extingui, quia calor ille immensus depascit alimentum candelæ, quo absumpto illa deficit. His sic constitutis, dico in hydrope minui calorem omnibus istis modis. Primo quidem, quando, vel potu frigidæ, aut vsu venenorum frigidorum, aut alio quopiam calorem extinguente, iecur refrigeratur. Secundo, quando, vel copia vini, vel aliorum ciborum obrutus iecoris calor diminuitur. Tertio autem quando, vel a magna febre, vel ab inflammationibus, vel alijs rebus maxime calidis absumpto alimento caloris natiui, ille diminuitur, & pene extinguitur. Quapropter potestis modo intelligere, quod tametsi fiat hydrops a causa calida, semper tamen necessarium est, vt iecur prius refrigeretur, adeo vt a calore absumpto alimento iecoris, antequam fiat aqua, frigida intemperies introducatur.

Sed dicetis, potestne simul adesse calida causa, & frigida in iecore intemperies, propter quam fiat hydrops? Sum huius sententiæ fieri nequaquam posse, vt simul in iecore sit maximus calor ascititius, & sit frigiditas, quę hydropẽ faciat. Fateor anteire calidas intẽperies sæpe frigiditatẽ, fateor etiam, vbi intemperies calida est in iecore, statim imminui calorem natiuum, sed quod possit ita imminui, præsente aliqua intemperie calida, vt faciat aquam, est apud me absurdum.

Quod igitur dicemus ad Auenz. & Auer. cogitaui diu auctoritatem horum tueri, sed adhuc mihi non contigit, nam non video quomodo fieri possit, vt dicit Auer. vt valde aucto calore fiat flatus, hoc enim est cõtra peripateticorum doctrinam: nam vbi calor nimis augetur, vel nullos flatus excitat, aut statim dissipantur: idem dicendum in corpore nostro, vbi adest calor ingens, quod vel non fiant flatus, vel statim dissipentur.

Quid dicit Auer. Medicos fuisse solicitos circa tympaniten, quia fiat ab vtraque causa: certe nisi dicamus Medicos censuisse interdum præcedere causam calidam, nunquam tamen eam immediate aquam facere, plane est merus error. Neque vos moueat Alex. qui scribit, se interdum vidisse vsu rerum frigidarum esse hydropicos curatos: quasi fiat interdum hydrops a causa calida immediate, quia potest fieri, vt forsan incipiens hydrops sic sit curatus potest etiam fieri, vt aliæ affectiones sint hydropi copulatæ, quæ requirebant talia remedia, atque ita cum ipsis curatus sit hydrops, & postmodum sit totum opus tributum vsui rerum frigidarum.

Causæ internæ mediatæ. Causæ internæ mediatæ primo sunt morbi omnes, qui vel magnitudine, vel longitudine diminuere possunt natiuum iecoris calorem. Sic scirrhus, & inflammatio iecoris, & scirrhus lienis consueuerunt facere hydropem, Vbi notãdum quod scripsit Hip. 4. de pręsag. 9. sc. a scirrho

iecoris

iecotis ſemper neceſſario fieri hydropem, a ſcirrho lienis non ſemper neceſſario, ſed interdum. Vnde etiam patet error Eraſiſt. quem refutat Gal. 2. de fac. natural. 8. ſemper fieri hydropem a ſcirrho iecoris, hoc eſt, non fieri hydropem, niſi adſit ſcirrhus iecoris.

Complexio naturalis frigida inter has cauſas eſt, Sexus muliebris, quæ magis ſunt obnoxiæ huic malo, quam viri. Auic. enumerat inter has cauſas magnitudinem lienis, quaſi eos facile capiat hydrops, qui ſunt magno liene: & addit eius rei duas cauſas. 1. quia lien magnus attrahit humorem melancholicum, quo attracto fiunt tumores, a quibus refrigeratur iecur. 2. quoniam vbi lien eſt magnum, cum ſit viſcus frigidum, neceſſario refrigerat iecur, quo refrigerato ſequitur hydrops.

Magnitudo lienis quomodo cauſa hydropis.

Aetas ſimiliter, etſi enim dixerit Aretæus, ætates omnes eſſe obnoxias huic morbo, eſt tamen aliqua differentia, quia anaſarca pueri magis capiuntur, iuuenes maxime aſcite, ſenes omnibus ſunt apti, ſed magis tympanitı, quia eum habitus corporum ſenilium ſit ſiccus, membra exſiccata facile humiditatem ebibunt, & conſequenter hydropis impediunt generationem.

Retentæ quoque excretiones ſunt inter has cauſas, primo menſtruorum, deinde hæmorrhoidum, vt refert Dion Caſſius de Traiano Imper. qui ob hæmorrhoidas retentas factus eſt hydropicus, & ſemel curatus, ſed reuertente morbo mortuus: propterea iure dicit Hippocrat. nunquam eſſe ſanandas hæmorrhoidas antiquas, quoniam fit hydrops. Sic & immodici fluxus vel menſtruorum, vel hæmorrhoidum, ſolent facere has diſpoſitiones.

An hic affectus ſit hæreditarius.

Poſſet quis dubitare, numquid diſpoſitio hæreditaria poſſit eſſe inter cauſas has internas mediatas hydropis. Veteres ita ſenſere, poſſe contagio & hæreditate contrahi hunc morbum. Plutarchus in lib. de ſera numinis vindicta refert, conſueuiſſe antiquos quotieſcunque aliquis interibat vel hydrope, vel phthiſi, curare vt filij ipſorum pedes tamdiu in aqua detinerent, quouſque corpora parentum cremarẽtur, putãtes hoc remedio euitari, quo minus filij caperentur iis morbis, quibus interibant parentes. Hinc colligitur, fuiſſe hanc antiquam opinionem, poſſe, & contagio, & hæreditate contrahi hydropem.

Sed contraria eſt ſententia Ariſt. 7. problem. 4. & Alex. 2. problem. 31. qui omnes ſtatuerunt, fieri non poſſe, vt hydrops per contagium capiatur, quoniam ratio contagij tota poſita eſt, vel in ſpirituum contactu, vel humorum.

In hydrope cum ſpiritus non ſint infecti, fieri non poteſt, vt propter ipſos ſpiritus, ille morbus in alios transferatur: neque per humores, quia vt docet Ariſt. & Alex. humores, propter quos transfertur morbus de alio in alium, debent habere duas conditiones, primo vt ſint in cute, velut in ſcabie, deinde vt ille humor ſit tenax, vt adhærere poſſit: in hydrope nequaquam ſunt in cute: & dato quod eſſent, ſunt tamen omnis tenacitatis expertes, quod fit vt per ipſos humores fieri non poſſit contagium.

Cauſæ externæ.

Cauſæ externæ huius mali ſunt plurimæ, aer craſſus, frigidus, paludoſus, regiones, vel anni ſimiles, vt autumnus, apud Hip. 3. aphor. 22. vbi Gal. inquit, fieri hos morbos potiſſimum autumno, propter dominium melancholici humoris, item nimius potus vel vini, vel aquę frigidæ, vt habet Hip. lib. de aere, aquis. Multi etiam ſunt cibi, quorum frequens vſus inducit hydropem, vt omnes cibi frigidi & craſſi. Sunt etiam quæ a proprietate dicuntur inducere hydropem. Plin. li. 20. c. 20. ſcribit Atriplicem fuiſſe damnatam a Pythagora, quod putatur facere hydropem.

Notandum ex Hip. lib. de inter. aff. vbi demonſtrans modum, quomodo fit hydrops in thorace, inquit, in pulmone fieri tubercula aqua plena, quibus diſruptis fit hydrops in thorace, vt docuimus ex veſicis factis in iecore fieri hydropes, exemplo boum, ouium, ſuum, in quibus probatum eſt fieri, Addidit ibid. ſi hoc fit in pecudibus, multo magis fieri in homine, quia ipſe vtitur victu magis morboſo.

Aretæus memorat fieri hydropem a morſu bupreſtis animalis, eſt enim hoc animal ex genere veſparum: ſed cum non poſſim videre, qua facultate ab huiuſmodi animali fiat hydrops, puto ego deceptum eſſe hunc virum a malo Nicandri intellectu. Nicander enim ſcribit homines commorſos ab hoc animali intumeſcere inſtar hydropicorum: ſcio tamen eſſe multa venenorum genera, a quibus fit hydrops, vt Mandragora, cicuta, propter quod etiam refert Nicander in lib. de Ther. Chergenem morſu ſuo inducere hydropem.

Signa vniuerſalia.

Signa alia ſunt vniuerſalia alia particularia. Inter vniuerſalia primum eſt, quod capitur a mutatione coloris faciei, & totius corporis, videmus enim hydropicos ſemper decoloratos, & multum remotos a calore naturali.

2. Inflatio pedum, ſed notate hoc ſignum non eſſe proprium hydropis, quia ex longis inualetudinibus & aliis morbis ſolent etiam in pedibus fieri tumores.

Cur non tumeant manus, vt pedes.

Sed video aliquem dicturum, Cur non ita tument manus vt pedes. Reſpondeo primo, quia pedes ſunt magis remoti a principio vitali, ſcilic. a fronte caloris. 2. quia pedes cum ſint veluti columnæ ſuſtentantes corporis molem, fatigantur, & in ea fatigatione facile recipiunt humores deſcendentes.

Manus e conuerſo non ſuſtentant illud pondus, ſed potius cum aſſidue exerceantur, fit vt humores diſſipentur, nec poſſunt in tumorem colligi. Ideo aliqui poſuerunt inter mortalia ſigna, quando manus incipiunt tumere.

Cauſa ſitis in hydrope.

3. Sitis, nam quanto magis bibunt hydropici, tanto magis ſitis exacerbatur, & morbus. Quæret quis cauſas, propter quas hydropici inſtar Tantali ſitiant, cum habeant in ſeipſis aquam. Alex. 1. problem. cauſas tres attulit. Vna eſt humidum putrefactum, cum enim in hydropicis

illæ humiditates salsæ fiant ratione putredinis, fit calor in faucibus, & consequēter sitis. 2. quoniam in hydropicis necessario semper solet esse febris, vbi est febris, ibi cū continuo adsit ignis, adest etiam sitis. 3. quoniam quanquam humiditas excrementitia continuo augeatur in hydropicis, alimentaris tamen, & natiua semper absumitur magis, quibus absumptis cum exsiccentur fauces, & partes animales, consequenter inducitur sitis.

Causis ab Alex. allatis annectendæ & aliæ. 1. quoniam in hoc morbo multæ sunt obstructiones, ob quas cum impediatur transitus humido potabili, & alimentari, fit vt partes hæ humido priuatæ, exsiccentur & sitim inducant. 2. in hydrope propter angustiam factam a magnitudine ventris, pulmones valde laborant, qui laborantes augent calorem, & sitim inducunt, pulmones enim ad sitim inducendam magnam vim habent.

4. Signum est anhelitus difficultas, cum enim venter augeatur, necessario comprimitur Diaphragma, quo compresso inducitur difficultas respirationis.

5. Paucitas appetitus. Hip. enim lib. de aere, aquis, inquit fieri vix posse, vt simul idem homo qui sit edax, etiam sitiat, quoniam vix inuenin potest, vt simul magna sitis, & fames sit, & cum in hydrope sit sitis, non est propter hoc appetitus.

6. Vrina quæ minori est copia, cum aqua colligitur in ventre, & præter paucitatem rubra, nā cum facultas iecoris sit imbecillis, a sanguine non potest ita serum deputare, quin vrina efficiatur sanguinea.

Cur non sit rubra aqua contenta in ventre.

Obijciat quis, si vrina propter hanc rationem est rubea, cur non rubra etiam aqua contenta in ventre. Respondeo dupliciter hoc posse contingere, vel quia per resudationem colata depuratur a crassiori sanguinis parte, vel quia cum aqua sit copiosissima, etiamsi vel bilis, vel sanguis commisceatur ipsi aquæ, attamen cum sit minima portio respectu aquæ, vix fieri potest, vt aqua inficiatur.

Septimum, & vltimum signum est Febricula, Hipp. enim 2. de morbis inquit, fieri nequaquā posse, vt febris fiat magna, & diuturna in aqua, quia aqua illi contraria est.

His signis positis addamus vlcera, quæ apparent in corporibus hydropicorum, esse proprie incurabilia, vel saltem curatu difficilia, vt etiam in lienosorum vlceribus contingit. Et hæc sunt signa vniuersalia.

Signa particularia.

Signa hydropis per essentiam.

De particularibus autem illud dicendum, fieri hydropem a iecore vel per essentiam, vel per consensum. Si per essentiam, vt ait Galen. 2. progn. excitantur ad tussim, ægri tussis autem arida est, atque breui desinit: id quod fit propter molem ipsius iecoris, offendentis septum transuersum & pulmones. Si diutius in his alui fluor perseueret, neque tamen malum quicquam remittat, signum est malum oriri a iecore affecto per essentiam.

Galenus 4. de præsag. ex puls. inquit, si hydrops fiat cum iecoris inflammatione, pulsum fieri durum, & tensum; sed si sine inflammatione, fieri mollem, & laxum.

Anasarca signa.

Anasarcę signa quoque sunt plurima, in primis est mollis & tumida quęcunque inflatio, nō solum ventris, verum etiam cuiuscunque partis, quam inflationem abusiue videtur vocasse Auicenna pinguedinem. Adest & hoc signum perpetuum, quod si quælibet pars corporis digito comprimatur, fit fouea, quæ diu durat. Color albus est, & veluti mortuo similis, ideo dixit ille, & aquosus albo corpore languor.

Addidit Celsus, & anhelitus fætorem, nec non vomitum aut egestionem alborum, & crassorum humorum. Pulsus in hac specie est, vt dicit Gal. 4. de causis puls. 24. mollis, vndosus & languidus, propter totius corporis humiditatem.

Aretæus his signis addidit duo notanda, quæ non animaduertit a quoquam alio indicata esse, 1. frequens animi deliquium, sed hoc non semper neque in omni apparere, dicit, sed solum quando morti proximi ægri. 2. quod qui laborant Anasarca, maxime sperant, cum tamen in maximo periculo decumbant, vt suo loco dicetur. Imo sunt alij plerique morbi, in quib. ægri multo minus periclitātur, & tamen magis timent, & desperant in his, in anasarca cum contrariū sit, tamen videntur melius sperare. Huius rei causam se ignorare fatetur, puto tamen ego, si vlla afferri potest ratio, hanc esse, quoniam sicuti in febre hectica cum morbus vniuersalis sit, ęqualis intemperies totius, minor sentitur molestia, & melius videtur æger sperare: sic in anasarca cum morbus sit vniuersalis, & sit fere totius æqualis intemperies, neque sentire turbationem videntur, & consequenter non desperant.

Cur in anasarca ęgri bene sperent.

Miror cur dixerit Auic. in hoc morbo fieri vt plurimum fluxum sanguineum, cum tamen neq; Gręcus ullus, nec forsan ullus alius hęc signa posuerit, nisi dicamus eius mentem ita interpretandam esse, ut fluxum sanguineum alui fere semper sequatur hyposarca, quemadmodum experientia ipsa docet. Addit Rhases, & hoc signum, vrinam fieri albam, & interdum lacteam.

Tympanitidis signa.

Tympanitidis hæc sunt signa, tumet totus venter, vniuersum autem corpus extenuatur, & emaciatum est, vnde præclare assimilabat ille thesaurum Imperatoris hydropis ventri, qui quāto magis excrescit, tanto magis extenuantur populi crumenæ.

Tumor in tympanite rotundus est, tensus, ac si manibus percutiatur venter resonare videtur, eructationes sunt frequentes, quæ nonnihil leuāt, pulsus, vt Gal. docet 4. de causis puls. subdurus est, aliquantisper tensus, celerior, minusque imbecillis quam in ascite. Auenz. lib. 1. tr. 3. cap. 1. scribit, raro fieri tympanitem sine lienis tumore.

Ascitis signa.

Ascitis signa sunt tumor ventris, qui si tangatur, non resonat instar tympani, sed ubi circumuertitur corpus percipitur quidam veluti fragor, & murmur aquæ motæ. Cutis tenuis est, &

tensa,

tensa, præsertim circa collum, iugulum, & circa pectus: frigent membra, & corpus vniuersum torpet, pauca redduntur stercora, paucæ vrinæ, inflatus venter, pulsus cum tensione subdurus est, minor & crebrior quam conueniat.

Prognostic.

Quo ad prognostic. Aretæus ex Hippocrat. dicit, omnem hydropis speciem grauem esse, curatuque difficilem, eoque difficiliorem reddi, quanto magis inueterata est: propter quod Celsus dixit, in principio non esse adeo difficilem eius curationem, sed inueteratæ maximam esse difficultatem, & propterea facilius esse in seruis, quam in liberis curare hydropem, propter tolerantiam sitis, famis, & alia multa tædia, quæ magis sustinent serui, quam liberi. Sic Galen. 12. meth. & 2 de med. sec. loc. dixit, longe difficilius curari diuites & priuates, quam pauperes, quoniam magis possunt cogi huiusmodi homines ad sustinenda curationis tædia.

Qualis tussis mala in hydrope.

Hip 6 aph. 35. inquit, hydropi si tussis superueniat, malum esse, imo vero 7. aph. 47. ait, si tussis hydropicum habeat, desperatum esse. Vbi tria notanda sunt id est non esse malum, si tussis præcedat, sed malum esse solummodo, si tussis subsequatur, ita vt primo fiat hydrops, deinde superueniat tussis 2. necessarium esse ad hoc vt tussis sit mala, non solum eam subsequi, verumetiam fieri ratione ipsius mali; quia si tussis fit propter nouam fluxionem superuenientem hydropi, non necessario esset mala, quia fit alia ratione. tertio notandum, quod vt mala sit tussis, necessarium est eam esse diuturnam, & hoc est quod Hippocrat. dicit, si tussis habeat, quia dicitur quis haberi a tussi, quando adeo contumax est, & adeo fixa, vt ab ipsa diuelli non possit.

In coac. prænot. dicit Hippocr. hydropem ex morbis acutis ortam, malam esse, quia cũ æger magnitudine acuti morbi sit iam eneruatus, superueniente morbo nouo maxime periclitatur: vbi etiam scripsit, optimum esse in hydrope, si corpus calidum sit & molle, si dum incipit colligi aqua, aluus fluat; nam superueniente alui fluxu non permittitur aqua colligi. Quod si iam collecta aqua superueniat alui fluxus, alia ratio est, quoniam res desperata fit. Neque ignorandum illud Auic. Quod si superueniat melancholiæ hydrops, solui, quia cum melancholia fiat a siccitate, hydrope humectatur, & ab illo tanquam a suo contrario curatur.

De Tympanitide notandum, nonnullas esse differentias inter Medicos de tympanitidis prognostico. Aretæus qui fecit differentiam inter Leucophlegmatiam, & anasarcam, hunc constituit ordinem in tradendis signis prognosticis, quod leucophlegmatia sit mitior omnibus alijs, quoniam multæ sunt viæ tollendi hunc morbum sc. per sudorem, per lotium, per aluum, quod plurimum valet, ne ratio curandi morbi sit adeo difficilis. Post leucophlegmatiam inquit difficiliorem esse tympanitin: esse autem tympanitide difficiliorem anasarcam; & reddens rationem, cur difficilior sit anasarca, inquit in curanda hac ægritudine opus esse totum hominem renouare, quod est opus solius Dei.

Quæ species hydropis perniciosa magis.

Rhasis sententia est hyposarcam omnium specierum hydropis esse perniciosissimam, quoniam cum ipsa malum communicatum est venis. Auic. & alij Arabes in ea videntur fuisse sententia, ascitem omnibus alijs esse deteriorem, præsertim hyposarca, eo quod in hyposarca, pituita sit semicocta, in ascite vero, & alijs speciebus humores sint crudiores. Auer. 3. col. a 1. ait, tympanitidem esse ceteris deteriorem, quoniam cum fiat, & a causa calida, & a frigida, difficile sit inuenire veram huius mali originem. Ego autem puto hyposarcam omnium aliorum esse difficilimam, tum quia Hippocrat. 1. de mor. inter eos morbos, qui sunt lethales, in primis nominat hyposarcam. Non est etiam prætereundum illud Auicen. in hydrope vbi manus, & facies sunt molles factæ, si pruritus superueniat, ægrum secunda vel tertia die perire.

Curatio.

In curatione illud ante cetera dicendum, quod olim prodidit Heraclitus. Is enim cum hydrope laboraret, & Medici eum inuiserent, interrogauit eos, quomodo ex tempore pluuioso serenitas esset facienda: Medici cum obscuritatem Heracliti non intelligerent, abierunt, quo factum est vt Heraclitus eos tanquam ignaros curationis hydropis deseruerit; nam tota curationis ratio est, vt ex pluuia fiat serenitas, hoc est, vt nimia corporis humiditas desiccetur: hoc autem fieri non potest, nisi membra, a quibus malum oritur, corrigantur, in primis vero iecur, non potest autem corrigi iecur, neque alia membra, nisi vniuersum corpus expurgetur, quare primo cura inchoanda est ab expurgatione totius corporis: neque totum feliciter expurgari potest corpus, nisi recta victus ratio sit instituta.

Quare primum eligendus aer calidus & siccus, serenus, non ventosus, aut crassus. Alexan. enim ait nihil æque nocere hydropi atque aerem crassum, & frigidum: somnus breuis esse debet: vigiliæ cum magis exsiccent, magis iuuant, quam somnus.

Si adest febris, corpus non est mouendum, vel si placeat moueri, debeat aut lectica aut curru, aut naui, aut aliqua alia gestatione vti. Si febris non adsit, ambulandum est & currendum, & vt docet Theod. corpus est multis exercitationibus exercendum; fuit enim sententia Hip. 5. epid. esse omni laborum genere exercendos hydropicos. Frictiones commodæ sunt, quibus solis, & ieiunio gloriatus est. Asclepiades se curasse hydropem. Aluus mollis seruanda, balnea solum naturalia conueniunt, vt sulphurea, aluminosa, animi passiones sunt moderandæ, repletio fugienda, inanitio iuuat præterquam facta ex venere.

Potus abstinentia.

Potus quanto parcior est, tanto vtilior, historiam enim habemus apud Plin. lib. 7. cap. 8. de Iulio equite Romano, qui interdicto sibi toto vitæ tempore potu, curatus est ab hydrope. Historiam etiam habemus rustici illius, apud Ant. quoniam cũ postularet, quomodo posset liberari ab hydrope, dixit abstine a potu, quo facto liberatus est. In potu cõuenit vinum vetus, tenue, album, aqua vitanda, & si vlla aqua in vsu esse debet, in ea sit vel cinnamomum, vel coriandrum,

vel anisum, decoctum. Vina etiam factitia iuuant, vt vinum absynth. decoctum glycyrrh. etiam commendatissimum est, ait enim Plin. lib. 22. eam esse ἄδιψον, quoniam hydropicis sitim leuat.

Sunt aliqui qui commendarunt propter sitis intolerantiam, vt potetur, & continuo euomatur, is fuit, si recte recordor Epicuri discipulus Metrodorus, sed tale consilium mihi videtur inutilissimum, multo melius est abstinere a potu, quam continuo potare, & vomere.

Biscoctum. De cibis illud in primis notandum, panem debere esse optime fermentatum, & coctum, & si aniso & Coriandro condiatur, eo melior erit. Alc. & Serapio existimarunt, parum panis esse comedendum, quia viscidus & lentus fit, sed si panis fiat ex farina & furfure, melius erit. Ego laudo vt hydropici sæpe vtantur biscocto, modo possint concoquere, quia vehementer exsiccat, & humiditates absumit.

Conueniunt carnes auium montanarum, assæ potius quam elixæ, nam sic magis siccat caro, & hoc est quod dicebat Celsus, debere victum hydropicorũ esse durum hoc est siccum, omnia liquida sunt fugienda, & omnia quæ possunt aquam augere. Ego laudo vsum salis theriacalis, huiusmodi enim sales magnopere commeodantur ab Aetio in tali specie hydropis, eo quod felicissime desiccant. Et qui non possunt vti illo sale, possunt vti hoc puluere:

Sal theriacalis.
Puluis ad epulas hydropicorum.

℞. Coriand.
Anisi an. ℥. ß.
Cinam.
Piperis albi.
Caryoph. an. ʒ ij.
Cal. arom. ʒ. j.
Sacch. albiss ℥. iij. Terantur omnia diligenter separatim, & misceantur.

Hoc puluere consperso super epulas si vtantur hydropici, non paruam solent percipere vtilitatem.

Pisces omnes fugiendi, & nisi sitis vigeat, salsi sunt anteponendi, vt sardæ, haryngus vocatæ. Sunt quædam carnes, quas putant Arabes a proprietate conuenire, vt caro ericij, caro cochlearum: inter fructus conducunt pistacia, amygdalæ nuces, iuglandes, auellanæ. Et hæc est communis victus ratio, quæ omnibus accommodatur hydropis speciebus.

Curatio in anasarca. Sed quia non sat est, vniuersalia percipi in hydropis curatione, ideo operæ pretium esse puto, si omnium specierum curationem tradam. Incipiam vero ab Anasarca, in qua duo se offerunt scopi. Vnus vt euacuetur materia communis, deinde materia peculiaris: alter, vt iecur, a quo omne malum nascitur, corrigatur.

Ante omnia est lenienda aluus, & quia leniri potest vel clystere, vel pharmaco, illud ante omnia notandum, quod monuit Auicen. ic. in anasarca pro lenitione alui nunquam conuenire clysteres, conuenire autem in ascite, & tympanite, quia cum in ascite, & tympanite sit materia proxima intestinis, facile ducitur per clysteres: in hyposarca autem cum sit remota ab intestinis, ducenda est potius medicamento per os sumpto, vt est illud.

Leniens.

℞ Elect. lenit. ℥. j.
Specierum hieræ ʒ ß. M. & cum sacch. f. bolus, qui capiatur duabus vel tribus horis ante prandium.

An venæ sectio conueniat. Lenita aluo præparandi sunt humores, sed antequam præparentur, cogitandum est de venæ sectione, an conueniat. Gal. 4. de victus rat. 3. & Aetius laudarunt in curatione hyposarcæ sanguinis missionem, duobus in casibus. 1. quando in corpore fuerit sanguinis pituitosi repletio, sicuti enim videmus ligna viridia calorem ignis suffocare, si diuidantur, ignem rursus uiscere, similiter vbi sanguis qui obruit calorem natiuum, minuitur, consequens est, calorem ipsum reuiuiscere 2. quando morbus factus est retentione menstruorum, vel hæmorrhoidum.

Sed contra hanc sententiam videtur esse & alia sententia Gal. in lib. de cur. rat. per sang. miss. & 4. de tu. val. 4. vbi scribit maxime cauendum esse a sanguinis missione, vbi in corpore abundant crudi humores, sed in anasarca totus corporis habitus plenus est crudis humoribus: igitur non conuenit in anasarca venæ sectio.

Pro resolutione huius rei recurrendum est ad Galen. 4. de tu. val. 4. quo in loco præclaram methodum mittendi sanguinis instituit, dicens quod vbi mittendus est sanguis, primo obseruandum sit, an humores qui peccant, sint multum crudi, an parum, an sint proximi naturæ sanguinis. Si sint multum crudi, statuit nunquam mittendum esse sanguinem, eo quod vbi tales sunt humores, semper vires sunt infirmæ: sin autem humores sint parum crudi, laudat mittendum quidem esse sanguinem, sed in modica quantitate: vbi vero parum recedunt a natura sanguinis, commendat mittendum esse sanguinem, & in magna quantitate. Cum vero in hyposarca humores sint semicocti. vt Auic. ait, modo nihil impediat, mittendus erit sanguis, sed in modica quantitate.

Locus mittendi sanguinis, si fuerint suppresæ hæmorrhoides, erit locus ipsarum, si menses, vena tali, vel poplitis, in alijs autem casibus, vena communis dextri brachij eligenda.

Notãda circa præparationẽ & euacuationem. Vbi sanguis erit missus, præparandi sunt & euacuandi humores: sed antequam ad peculiarẽ euacuationem, & præparationem deueniamus, tria notanda sunt, quæ monet Auic. 1. nunquã fieri posse vt materia in hac specie hydropis euacuetur tota vnica vice, quia subitas mutationes minime potest natura ferre, tum etiam quia materia cum sit semicruda, non facile ducitur vnica vice. Hoc autem præceptum, quanquam Oribas. 8. coll. scripserit, esse commune in omnibus fere euacuationibus, tamen in anasarca, vt dicit Auic. potissimum est obseruandum.

2. Notandum

2. Notandum vt ſemper medicamentis commiſceantur ea, quæ poſſint iecur cõſolari, & corroborare, veluti eſt rhab. myrob. chebuli Troch. de eupat. de rhab. ligni aloes, cal. aromaticus, ſquinanthum, ſantala omnia.

3. Notandum vt poſt ſolutam aluum, poſt purgatos humores, ſi fieri poteſt, æger ieiunet per aliquod tempus, tum quia ſic corpus magis exſiccatur, tũ quia ſi multum cibi ingerat, omnia mala deteriora euadunt quam antea.

Primo igitur præparabimus humores hoc pacto.

Præparãs.

℞. Fol. cuſcutæ.
Eupatorij.
Cetrach.
Origani.
Betonicæ an. M ß. f. decoct. ſ. a.
Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. de eupat.
Mellis. roſ. ſimpl.
Syr. de beton an. ℥. ß. M.

Vbi autem per 7 aut 8. dies humores hunc in modum præparati ſunt ita ſunt expurgandi.

Purgans.

℞. Myrob. cheb. ʒ ij.
Santal. rub.
Squinanthi.
Ligni aloes an. ℈. ß.
Paſſularum ℥. ß. f. decoct. ſ. a.
Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Rhab. electi. ℈. iiij.
Spicæ gr. iij.
Vini optimi ʒ. iij. Infund. ſ. a. per noctem, deinde facta expreſſione, adde diacathol. ʒ. j.
Mell. roſ. ſolut. ʒ. ij. M. fiat potio.

Pro ſecunda purgatione huiuſmodi ſyr. erit accommodatus.

Præparatio.

℞. Rad. aſparagi.
Fœniculi an ʒ. ij.
Cetrach.
Origani.
Arthemiſiæ.
Menthæ an. M. ß. f. decoct. ſ. a.
Deinde *℞. d d. ℥ iiij.*
Syr. byzant.
De cichorio comp. an. ℥. ß. M.

Hoc enim ſyr. poterimus iterum per dies 7. aut 8. humores præparare, qui vbi fuerint præparati, expurgare eos poterimus hoc medicamento.

Purgans.

℞. Agar. trochiſc. ʒ. j.
Trochiſc. de rhab. ℈. iij.
Elect. indi. ʒ. iij.
Diacathol. ʒ. vj. M. f. bolus, qui accipiatur 5. horis ante prandium.

Poterimus etiam, ſi magis placebit in potu componere medicamenta, in hanc formam. Vbi erunt purgati humores, & materia communis eſt euacuata, nihil aliud ſupereſt, niſi vt peculiaris ille humor, qui facit malum, euacuetur, quod fit, vel per vrinam, vel per ſudorem, vel per inſenſibilem tranſpirationem.

Per vrinã.

Per vrinam euacuatur iſte humor proprijs, & accomodatis decoctis, vt decocto in brodio, vel aq. cõi, ex petroſel. dauco, ſeſeli, cardamomo, aſparago, trifolio: hæc ſimul decocta oĩa in brodijs prouocant hos humores per vrinam. Sed notate, ad prouocãdam vrinã, brodium, & decoctum non ſolum ipſum debere habere has qualitates, vt fiat ex vere diureticis, verum etiam accipiendum eſſe in magna quantitate, ſc. ad ℥. x. vel plures. Nec moueat quenquam quod dixi, liquida omnia fugienda eſſe, quoniam hæc quæ prouocant vrinam non firmantur in ventre, ſed exeunt ſtatim, & propterea nihil detrimenti inferre poſſunt. Cõueniunt etiam confect. ex ſem. melo. ex aniſo, & alijs diureticis.

Per ſudores.

Per ſudores autem euacuantur ſtuffis, clibanis, ponuntur enim qui laborant anaſarca, etiam in furnis calentibus, in quibus exſiccatur humor. Foueæ item, & inſolationes vſurpantur, accipiuntur enim infirmi, & ſub ſole ardente collocantur capite tecto, qui vbi ſudant, humidũ ſuperfluum abſumitur. In vſu etiam ſunt volutationes factæ in arena, quæ accipitur, & ponitur ſub ſole ardente, in qua ægri ipſi conuoluuntur, nam ex his conuolutionibus humor ille ſparſus per cutim exſiccatur, & conſumitur facultate abſterſoria arenæ.

Per inſenſibilẽ tranſpirationem.

Vltimo per tranſpirationem inſenſibilem cõſumuntur illi humores in balneis naturalibus, vt ſunt balnea aluminoſa, lauacra ex aqua marina. Aetius aliquos demerſos in aceruis frumenti ab hoc malo fuiſſe liberatos ſcribit: ſcimus enim ex Gal. magnam eſſe facultatẽ tritici ad attrahendam in ſe aquam, quod Gal. exemplo ruſtici demonſtrauit, qui cum vellet decipere dominos ſuos, ferebat frumentum, & in ipſo ponebat vaſa plena aquæ, quo ſc. triticum attracta aquã magis in molem exceſceret.

Per transpirationem etiam insensibilem consumunt aquam emplastra; vt illa facta ex cochleis crassis, & contusis, ex farinis exsiccantibus: vt est farina volatica, lupini, hordei, hæc enim apposita insensibiliter humiditatem exsiccant. Laudant etiam in curatione anasarcæ ea empl. quæ fiunt ex stercore, & aceto, & quia odor offendit plurimos, Rases in hoc casu anteponit stercus capreolorum omnibus, & Suidas narrat Heraclitum sese curasse stercore bubulo toti corpori obducto, & sub sole exsiccato.

Cauteria in pedibus. Quod si hæc nihil præstant, solent Medici confugere ad remedia proposita a Celso, & Aetio, sc. ad cauteria in cruribus facta. fiunt enim cauteria in vtroque crure iuxta malleolos, quibus apertis diu seruatis, aqua, quæ alioquin suo pondere in partes inferiores fertur, exiens longo tempore dissipatur.

Iecur, & ventriculū corrigentia. Præter hæc remedia etiam in vsu habentur alia ad peculiaria viscera corrigenda intrinsecus, & extrinsecus. Intrinsecus conueniunt ea omnia auxilia, quæ corrigunt iecur, & ventriculum, eius generis est diacurcuma, dialacca, diarrh. abbat. Cyphois, quæ administrantur cum aqua si adsit febris, cum vino si non adsit. Extrinseca non propono, quoniam ea omnia conueniunt, & pro iecore, & pro ventriculo, quæ alias a nobis commendata sunt in his affectibus.

Curatio tympanitidis. In tympanitide curanda eadem pene debet esse curatio, quæ in alijs speciebus, ea vna est differentia, quoniam in tympanitide maxime conueniunt ea, quę flatus discutiunt, quare conuenit anisum, origan. menta, & si non adsit febris, est in vsu allium: in reliquis idem etiam victus esse debet, quem obseruandum in anasarca dixi.

Post victum sunt duo alij scopi curationis. 1. vt viscera corroborentur. 2. vt materia, ex qua continuo fiunt flatus, e corpore tollatur: quia vero ea duplex est, alia communis, alia propria, primo studendum soluere communem, quæ est colluuies humorum crudorum, quę etiam in intestinis, & ventriculo reperitur, materia propria est aqua, dicit enim Cæl. Aur. falsum esse, existimare vllam hydropis speciem esse sine aqua.

An in tympanitide tātum sint flatus. Sed obijciet quis, cur ergo Gal. 4. de acut. 109. inquit, in ascite reperiri aquam, reperiri autem solum flatum in tympanitide; Interpretanda Gal. sententia, vt ipse fecit 4. aph. 11. vbi comparās asciten, & tympanitin dixit, in ascite plus esse aquę, imo esse fere totam aquam, in tympanite reperiri multos flatus cum aqua. Itaque in tympanitide etiam curanda necessarium est euacuare aquam: quia autem præcedit euacuatio materiæ communis euacuationem materiæ propriæ, primo lenienda est aluus, quod fit tripliciter, vel vomitu, vel clystere, vel pharmaco.

De vomitu Celsus dixit vtilem esse vomitum in hac curatione, qui fit alterna die: quomodo autem vomitus fieri debeat supra dictum est.

Clysteres debent esse acres, qui flatum discutiant, exemplum est istud.

Clyster.

℞. Furfurum in petia ligatorum P. ß.
Anisi P. j.
Fl. chamom.
Orig. an M. j.
Centaurij maior. & minor. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. d. d lib. j.
Hierę. ℥. ß.
Mellis ros. simpl. ʒ. iij.
Salis ʒ. j. ß M. f. clyster.

In mulierib. quātitas clysteris debet esse maior. Circa vsum clysteris duo sunt notanda. Primo ex sententia Rufi apud Oribas. 8. collect. scilicet in mulieribus curandis semper quantitatem clysteris debere esse maiorem, duab. de causis tum quoniam facultas expultrix mulierum est magis pigra, vnde eget maiori stimulatione, tū quoniam cum mulieres propter fœtum nutriendum habeant a natura ventrem capaciorem, iure etiam postulant maiorem quantitatem eorum remediorum, quę per aluum infunduntur. Secundo notandum est ex Auic. vbi adest febris vehemens, debere quidem clysteres esse acres, & flatum discutientes, sed non admodum calidos. Sed hoc etiam pacto possumus componere suppositoria.

Suppositorium.

℞. Specierum hieræ. ʒ. j. ß.
Cumini.
Anisi subt. pulu. an. ʒ. j.
Mellis q. s. M. f. suppositorium.

Medicamentum leniens istud:
℞. elect. lenit. ℥. j.
Spec. hierę. ʒ. ij. M. f. bolus.

An conueniat venę sectio. Vbi aluus fuerit lenita, cogitandum est statim de venę sectione, an scilicet conueniat, necne. Scribit Galenus 4. de rat. vict. in acutis, nullum fuisse ausum sanare tympaniam, & asciten venæ sectione, fuisse tamen aliquos, qui inchoante anasarca venam secuerunt, pręsertim vero quando anasarca sit facta ex retentione vel hæmorrhoidum, vel menstruorum, in quo casu inquit adesse aliquam plenitudinem. Auicen. tamen videtur interdum commendasse, quemadmodum, & auctor 4. lib. de acut. scilicet quando est facta tympanites a causa calida: sed vt alias disputaui, fieri non potest, vt vnquam fiat hydrops a causa calida præsente, quandoquidem sit necessarium, vt gignantur aqua, vel flatus, ex peripateticorum, & Galeni sententia, vt calor sit diminutus.

Delirat

Delirat itaque Alex. qui conatur friuolis quibusdam argumentis contendere, fieri etiam a causa calida: imo quod mirum est de hoc viro, appellat hoc in loco Galenum diuinum, quia dixerit hydropem fieri ex colliquatione. Locus Galen. est 3. de sympt. caus. a. vbi inquit, ex colliquationibus fieri constitutiones similes hydropi; non quod fiat hydrops colliquatis humoribus. Sed humoribus colliquatis ab ardore, fieri collectiones quasdam, quæ vocantur hydropicæ constitutiones.

Cum igitur nullo modo possit fieri hydrops a causa calida præsente, sequitur etiam non posse fieri in hac specie missionem sanguinis: quod si interdum mittatur propter febrem coniunctam, plane non mittitur sanguis propter hydropem, sed propter febrem.

Lenita igitur aluo sunt humores præparandi, & præparati euacuandi. Circa præparationem duo monet Auicen. 1. vt semper flatus dissipantia commisceantur. 2. vt medicamenta purgantia non habeantur in frequenti vsu. Erit igitur accommodatus iste syr. pro materia præparanda.

Syr. præparans.

℞. Anisi P. ß.
Fol. origani.
Mentæ.
Cithorii.
Eupatorij an. M. j. f. decoct. f. a.

Deinde *℞. d d ℥ iiij.*
Syr de eupat.
De menta.
Mell. ros. simpl. an. ℥ ß. M.

Pro euacuatione hoc medicamentum erit accommodatum.

Medicamentũ euacuãs.

℞. Agar. præparati ʒ. j.
Specierum hieræ ʒ ij ß.
Diacathol. ʒ. j. M. f. bolus.

Diuretica.

Euacuata materia communi deueniendum ad euacuationem materiæ peculiaris. Euacuatur autem, & intrinsecis, & extrinsecis medicamentis. Intrinseca sunt clysteres, quos antea descripsimus; sunt ea etiam, quæ prouocant vrinam. Sed circa vsum horum notandum, nunquã multum frequentanda hæc medicamenta in principio, quia potius augent flatum, quam diminuunt. Ad hæc etiam primo incipiendum a mitioribus deinde si mitiora non possint prodesse, vtendum grauioribus. Quomodo autem cognoscemus, an prosint mitiora, nec ne? Celsus docuit vt singulis diebus ventris capacitas mensuretur, & si videatur mensura excedere, aut non minui, signum est nihil remedia proficere, si autem secundum mensuram diminuitur moles ventris, clarissimum argumentum est, remedia mitia proficere.

Mitia vrinam prouocantia sunt rad. apij, aspar. capil. Vener. erythrod. cicer. rub. Validiora sunt asarum, daucus, anisi, & alia.

Vesicatoria.

Extrinseca sunt sacculi, fuctiones, empl. quæ omnia componuntur ex herbis, & farinis discutientibus flatus, & siccantibus, quæ si non prosunt, adduntur cucurbitulæ ad flatum discutiendum, hoc modo, capiuntur cucurbitulæ magnæ quatuor, vel quinque, & ventri apponuntur. Si non conferunt, Celsus laudat, vt scarificentur: sed consilium eius non amplector, quia in tympaniticis magna est sanguinis inopia, cutis extenuata est, vt omnino periculosissimum sit sanguinem mittere.

Vltimo si alia non conferant, administrantur iuxta Aeginetam, vesicatoria, remedia rubificantia, quæ suo intenso calore possunt affatim flatus dissipare. Est tamen illud notandum in vsu horum, vt si febris adsit, mitiora calida adhibeantur, non quod debeant frigida calidis permisceri, quia hoc est contra rationem, & Gal. 4. de acut. qui etiam in tympanite facta post febres acutas, & morbos calidos laudauit vsum medicamentorum calefacientium.

In tymp magis ventriculo prospiciendum.

Post hæc contemperanda sunt viscera, & confectionibus, & medicamentis alijs, ventriculo, & iecori accommodatis. Et notate in reliquis speciebus hydropis, vt docet Rases 7 contin. maiorem curam habendam esse iecoris, in tympanite autem stomachi, quoniam in hoc morbo maxime offensus est ventriculus, & videtur ipse subministrare totam materiam flatuum generationi. Poterimus igitur in hoc casu vti diatrionpiper. diacym. dianiso, aromat. ros. quoq; conuenit, & vt simul iecoris curam habeamus, potest his admisceri conf. diarrh. abbatis.

Ascitidis curatio.

Quo ad Ascitem, quod dixi de victu, & medicamentis calidis in tympanitide, illud idem prope est de hac specie hydropis asserendum. In qua curanda duo etiam scopi sunt communes, vt scil. euacuetur materia communis primo, deinde particularis. In communi materia euacuanda illud notandum, dum præparantur humores, fugiendas esse omnes aquas, & omnia liquida. quare conuenit in hoc casu hæc potio:

Potio præparans.

℞. Syr de beton.
Byzant.
Mell. ros. simpl an. ℥. j. ß. M.

Qui humores, vbi fuerint præparati, euacuandi sunt eo modo, quo monstraui in anasarca euacuandos esse: & dum præparentur humores, nihil prorsus cogitandum est de venæ sectione, quia est communis omnium sententia, in ascite, quantum fit ex se aduersissimã esse sanguinis missionem. Vbi est euacuata materia communis, euacuanda est particularis, id est, aqua illa, quæ est in ventre, quæ nisi prius euacuetur, fieri non potest, vt vnquam iecoris intẽperies corrigatur.

garur. Quare frustra laboramus, quotiescunque conamur calefacere iecur, aqua adhuc existente in ventre, quia perinde, ac si conaremur accendere ignem in aqua.

Euacuatur vero aqua, vel per eductionem, vel per dissipationem educitur, vel per clysteres, vel per vrinã prouocantia, vel per medicamenta, quæ aluũ ducunt, vel per sudorẽ, vel per cauteria, vel per perforationem. Dissipatur autẽ aqua per insolationem, per arenã, per aquas maritimas.

Incantationes reprobantur.

Crediderunt etiam veteres incantationibus hunc morbum posse superare, nam relatum est de Imperatore Hadriano, cuius sæpe meminit Galen. liberatum eum esse ab hydrope per incantationem: sed quanquam aliqui tribuunt fidem his medicamentis, ea tamen ab iis omnibus negligenda sunt, qui se Medicos rationales profitentur.

Circa prouocantia vrinam monuit Auicen. tria notanda, 1. vt hæc medicamenta in frequenti vsu habeantur, nam cum multa sit in corpore aqua, plane si euacuanda est per vrinam, est necessarium, vt id fiat ex longo tempore, & frequenti remediorum vsu, secundum notandum, vt medicamenta sæpe permutentur, vnde male faciunt, qui vno solum remediorum genere per plures dies vtuntur, quoniam medicamenta in frequenti vsu familiaria naturæ reddita negliguntur ab ipsa, vnde necessarium est permutare. Et hoc est quod dicit Auic. mutanda esse medicamenta, sed non medicationem. 3. not. vt medicamenta potius in puluere exhibeantur, quã in alia forma, & si caliditas timeatur, inquit Auicen. esse permiscenda brodio præpingui, a quo acrimonia, & caliditas temperetur, vt iste puluis.

Diuretica.

℞. *Ammeos.*
Sem. apij.
Acori.
Dauci an. ℥. j. puluerizentur, & puluis iste, vel solus exhibeatur, vel commixtus alicui brodio.

Cantharides an conueniant.

Hippocrates 4. de morbis vtitur in his casibus ad pronocandam vrinam etiam cãtharidibus; sed sunt alqui, qui damnarunt harum vsum, eo quod exulcerent vesicam, atque alia multa mala faciant. Quare sic sentio, valde periculosum esse vsum horum medicamentorum, & propterea non esse adhibenda, nisi in extremis casibus. Et quanquam dicat ibi Hippocrates, a medicamentis acribus, & mordacibus, & valedioribus comparatum esse a natura, vt ventriculus nihil patiatur, tamen alia viscera non sunt ita immunia a læsione cantharidum, vt est ventriculus, quippe qui factus est a natura durus, vt possit resistere omnibus ciborum generibus. Vnde Hip. ait, Africanos propter duritiem consueuisse vti ventriculis animalium pro crumenis.

Hydragoga.

Medicamenta, quæ aquam ducunt in ascite, complura sunt, hydragoga omnia a Medicis vocata, vt sunt pilul. de Mezereo, id est, grano cnidio, elaterium, radix iridis, ebuli, soldanella, succus radicum sambuci, quæ commixta variè adhibentur ad educendam aquam in hydrope. Sed duo sunt notanda circa horum vsum. 1. ex Auic. hæc medicamenta nunquam esse administranda, vbi morbo est copulata febris insignis, qui error tantum potest, vt viderim ego iugulatos homines ex importuna horum medicamentorum exhibitione, vltimo aduertendum ex Celso, hæc medicamenta nunquam in potu esse exhibenda, quia si exhibeantur in potu, cum qualitas ipsorum sit denudata, facile exulcerant intestina, vesicam, & alia viscera. Dabo itaque aliquot formulas vtendi his medicamentis.

℞. *Pil. de mezer. gr. viij.*
Elatery gr. ij.
Pil. Alephang. ℈. ij. M. f. pilulæ nu. 5. Hæc est vna forma. Alia forma in electuario est.

℞. *Saccha. rof. ant. ℥. 5.*
Elatery gra. ij.
Succi ireos ℥ j. ʒ. M. fiat bolus.

Et notandum est circa vsum elaterij, illud medicamentum efficacissimum esse, & propterea nunquam esse exhibendum vltra quantitatem gr. iij. etsi Dioscor. dicat, minimam dosin esse obol. ß quæ est mensura gr. v.

Alia forma hæc est;

℞. *Succi rad. sambuci.*
Rad. ebuli an. ℥ j.
Elaterij gr. ij.
Mell. rof. q. s. M. dico q. s. ad deuorandum.

An lac conueniat in ascite.

Inter medicamenta, quæ aluum ducunt, Auicenna connumerat lac: sed circa vsum lactis est dubium an conueniat. Rases, & alij Arabes in ea fuerunt sententia, non conuenire esum lactis, ea ratione adducti, quoniam lac, cum sit substantia aquosa, auget potius hanc affectionẽ, quam minuit. Auic. horum sententiam reprehendens monstrat, & ratione, & experientia conuenire lac camelatum. Ratio, qua vtitur, est, medicamenta, quæ tollunt morbos, aut id facere ratione contrarietatis, aut quia causam tollunt, aut propter proprietatem occultam; lac, inquit Auic. hanc asciten tollit, non propter contrarias qualitates, quia lac potius est simile aquæ, quam contrarium, sed iuuat, qui a tollit causam, & a proprietate iuuat, tollendo causam, quia vsu lactis camelatum educitur aqua. Auicen. experientia idem confirmat, cum inuenti sint multi, qui cum in Arabiam iuissent, coacti camelatum lacte vti, curati sunt ab hydropesia vt ea ratione, & experientia Auic. conatus sit docere contra Rasin conuenire vsum lactis.

In hac controuersia mea sententia est, lac nequaquam conuenire in hydrope, neque vt cibum, neque vt medicamentum.

Conuenit

Conuenit autem lac alteratum, & temperatum his medicamentis, quæ possunt aquam hydropicorum educere, veluti si lacti admisceatur elaterium, succus iridis, granum cnidium, aut si misceatur aliud medicamentum desiccans, & euacuans. Ad Auicen. dico, eum iure commendare vsum lactis camelarum, quoniam in Arabia illæ pecudes vescuntur herbis valde desiccantibus, & calefacientibus, propter quod lac illis qualitatibus præditum non est mirum, si confert hydropi. Immo vero relatum est, Medicos illarum regionum consueuisse purgare homines lacte, quia bruta vescentia purgantibus herbis faciunt lac purgans. Laudat etiam Auicen. vrinam camelarum.

De vrina fuit sententia Rabbi Moysis, ex sententia quorundam, conuenire vrinam, & ipsiusmet ægri, & pueri impolluti, vt dixit Auicenna, conuenire vrinam camelarum; veruntamen quanquam hoc medicamentum ratione adstrictionis, & purgationis conuenire possit, non tamen laudandum in hominibus vrbanis, quare nos quoque abstinemus ab hoc genere medicamentorum, quod potius conuenit seruis, quam liberis.

Vrina propria.

Medicamenta, quæ euacuant aquam per sudorem, sunt clibani, & laconica, cursus & ambulationes, medicamenta etiam, quæ extant apud Oribas. lib. 8. Habebant veteres, vt narrat Galen. in lib. de vsu resp. 84. alium modum ad consumendam Hydropicorum aquam per sudorem, & erat dolium tepefactorium ignitum; Quid fuerit hoc dolium, & quomodo exsiccarit aquam hydropicorum, neque Galen. docuit, neque apud alium quenquam inueni: puto tamen fuisse vas magnum figulinum, in quo ponebant hydropicos, & obtegebant, ita vt solum per angustum foramen respirare possent, quod dolium deinde circundabant igne, ita vt ipso calefacto tum ut calefierent ægri inclusi, & vehementer sudarent.

Aquam educentia per sudorem.

Euacuabant quoque aquam per cauteria, per vesicatoria, id quod scripsit Galen. lib. 6. aphorism. 27. Sed efficacissimum omnium remedium apud veteres erat perforatio: sed quia res periculosa est, propterea disputatum fuit inter veteres, an perforatio conueniat? Fuerunt aliqui, qui putarunt, nullo modo conuenire, adducti compluribus rationibus, tum quoniam res sit valde periculosa, tum quia partes neruea, vbi sunt discissæ, non consolidescunt, tum etiam propter alias rationes, quæ videndæ sunt apud Cæl. Aurelian. & simul confutationes omnium argumentorum.

Mea autem sententia est, hæc remedia quam rarissime in vsu habenda esse, & quando vsurpanda sunt, vt ego potui colligere ex Gal. 6. epid 6 & ex Rabbi Moyse decimoquarto, conditiones sex in perforatione hydropicorum sunt obseruandæ. Prima est, vt nunquam ad hoc remedium deueniatur, nisi venter ita fuerit aqua plenus, & grauatus, vt virtutem quidem grauet, sed non prosternat. Et ratio est, quoniam multo felicius educitur aqua, quando copiosa est, quam quando non est copiosa, eo quod copia humoris distentum peritonæum, & distenta cutis facilius perforatur. Secunda, vt non fiat perforatio, nisi ægri sint viribus valentibus, ita vt possint sese erigere, & constrictionem, quæ necessaria est, sustinere.

Sex cõditiones in perforatione hydropicorum obseruandæ.

Quomodo autem sit facienda hæc constrictio, docuit Rhases, & nos nunc monstrabimus; hac enim ratione solebat dicere Celsus, periculosissimum esse pueros perforare, de quibus loquens Gal. dixit, se nullum vnquam puerum perforatum vidisse sanatum, nisi vnum, qui validissimis erat viribus, & cuius peritonæum erat carnosum. Tertia cõditio est, vt ægri sint sine febre magna. Quarta, vt qui sunt perforandi, ventriculum non habeant corruptum, neque admodum imbecillum. Quinta, vt nunquam perforentur, qui morbum contraxerunt a bile atra: ratio est, quia cum habitus horum sit valde contaminatus, fieri non potest, vt vlla ope sanitati restituantur. Sexta, vt ij non perforentur, quorum corporis habitus emaciatus est nimis, sunt enim aliqui, qui perforare audent, vbi iam prope mortem sunt ægri, & non est mirum si res ipsis non succedat, quia non est opportune administrata perforatio.

Modus perforandi propositus a Paulo lib. 6. cap. 8. hic est, erigitur inprimis æger, quem erectum complectitur minister a parte posteriori, & manibus comprimit ventrem versus testes, vt ad partes inferiores magis incliner aqua: hoc facto signatur filo locus subtus vmbilicum tribus digitis, & si morbus originem habuerit a iecore, locus signatur in parte sinistra, si habuerit ortum in parte sinistra, signatur locus in dextra: hoc facto gladiolo inciditur cutis vsque ad peritonæum, ita vt possit peritonæum ingredi fistula: sit autem fistula parua potius, quam magna, quę vbi adaptata est foramini peritonæi, educitur aqua, & prima vice educitur parum, secunda paulo plus, tertia adhuc paulo plus, nam vt dicit Hippocrates, vbi vel secantur, vel vruntur hydropici, si vniuersa aqua simul effluat, interirent ægri, paulatim igitur, & per plures vices est educenda aqua.

Modus perforandi.

Vbi tantem est deducta, tunc corriguntur viscera, quę malum pepererunt, ac deinceps cicatrix inducitur. Hic itaque modus est euacuandi per eductionem, id est extractionem aquę per perforationem.

Vltimus modus est per insolationem, quando aqua ope remediorum conuertitur in flatus, ita vt tota absumatur. Remedium potissimum apud veteres est insolatio: ponebant enim sub sole ardente hydropicos, & ibi deponebant singulis diebus per plures horas obtecto capite. Aliud est, per aquas thermales, & marinas, & per fumentum acetum. Inter dissipātia erat etiam vsus arenę apud veteres, vt enim refert Oribas. 8. coll. quotiescunque volebant aquam desiccare arena, curabant, vt in littoribus maris fierent tres, vel quatuor foueę oriente sole, vbi istę foueę solis radijs essent percussę, in meridie, stomacho adhuc vacuo, aut cibo concocto, ponebant ęgros in foueas,

Modus insolationis.

Per vsum arenæ.

in foueas, & obruebant arena vsque ad iugulum, vel ad pectus: interim ne caput a sole læderetur, illud tegebant pileo, & ad situm extinguendam irrorabant os aqua: quoniam autem contingebat, vt illa arena remitteret calorem, educebant ægrum, & eodem pacto collocabant in alia fouea, sicque solebant facere per plures dies, vsquequo aqua esset resiccata. Et semper quando deferebant ægrum a fouea, offerebant cibum, & reficiebant vires, scil. quæ sub illo tædio valde patiebantur.

Sed est notandum, non omnia antiqua remedia in vsu esse habenda: quoniam Medici veteres, qui hæc nobis scripta reliquerunt, vt plurimum curabant seruos, qui omne genus tormenti necessario sustinebant: Domini enim, qui volebant seruos sanos, omnia tentabant, vt nos tentamus in iumentis, quare non est mirum, si multa auxilia ipsi proposuerunt, quæ in vsu haberi poterant, & quibus nos hoc tempore vti non possumus. verumtamen si posset fieri, curarentur æque liberi, atque olim serui.

CAPVT XXV.

De affectibus intestinorum in genere.

DVo sunt genera excrementorum, quæ in concoctionibus naturalibus fiunt: alterum vtile est, alterum vero inutile.

Vtilia excrementa appello, quæ aliquem vsum præstant in operibus naturæ, vt est bilis, & melancholia; Inutilia appello, quorum nullus est vsus, vt sunt stercora, & vrina: omnibus his excrementis deputata sunt propria loca. De vitijs, quæ circa loca vtilium excrementorum contingunt, iam sermonem habuimus, superest, vt de illis agamus, quæ sunt receptacula excrementorum inutilium. Sunt autem hæc intestina, renes, & vesica, de quibus loquens Philosophus. 1. de generatione animal. 18. dicebat, facta esse duo receptacula ciborum, & potuum, scilicet vesicam, & intestina. Nec mireminiab Aristotele stercora esse vocata cibos, quia Hipp. ipse sic sæpius loquitur, eo quod essent prius cibi. Incipiamus igitur primum de morbis intestinorum.

Stercora cur Hip. vocet cibos.

CAPVT XXVI.

De dolore colico.

Ratio ordinis.

INter morbos intestinorum potissimum, grauissimumque malum est dolor colicus, & quoniam post hydropem de eo Galen. tractauit, nos quoque ante alia de eo sumus tractaturi. Accedit etiam, quod cum iste dolor sit vehementissimus, & sæpe cogat ægros seipsos iugulare, operæ pretium esse duximus de eius natura differere.

An colica antiquis fuerit cognita.

Sed antequam aggrediamur rem, est scrupulus quidam eximendus, qui est, an iste morbus fuerit nouus antiquis Medicis. Plinius enim lib. 26. cap. 1. scribit, colicum morbum primum omnium esse expertum Tiberium Imperatorem: cui sententiæ suffragatur Scribonius Largus, qui multas antidotos proponit factas propter dicti Imperatoris colicam. Si vera est sententia Plinij, plane est necessarium fateri, ante eius tempora non fuisse hoc malum, & ideo Medicos non cognouisse hunc morbum. Accedit his Hip. nunquam meminisse doloris colici, immo neminem ex scriptoribus antiquis inueniemus, qui ante Tiberij tempora huius mali meminerit.

Ex altera parte non videtur rationi consonum, hoc malum non semper fuisse, quia morbi, qui noui oriuntur, solent originem ducere vt plurimum ex aere. Et quanquam Paulus scribat, colicum morbum interdum fieri pestilentem, nihilominus compertissimum est maiori ex parte fieri hunc morbum a causa interna, ita vt huiusmodi ratione probari possit, hunc morbum non fuisse nouum: Accedit, Celsum mentionem facere medicamenti colici Cassij, neque Plutarchum inter nouos recensere 8. symp. 9.

Dicendum est, mea sententia, colicum affectum etiam antiquis notum fuisse, atque etiam ab ipsis nominatum, sed alio nomine: Auicen. enim quandoque dixit, ileum esse colicum, & ante Auic. Aretæus scripsit, interdum qui coli morbo vexantur, perire morbo ileo. Auic. etiam ait, valde similem esse ileum morbum, & colicam passionem, ideo cum veteres crebberrimam mentionem fecerint iliaci doloris, qui est dolor intensissimus intestinorum; rationi consonum est eos cognouisse, & tractasse colicum affectum sub nomine ilei. Nam Cornelius Celsus lib. 4. scribit Medicos sui temporis vocasse morbum colicum, quem Diocles Carystius vocabat Ileum. Accedit etiam, quod scribit Galen. 6. de loc. aff. 2. sæpe Medicos consueuisse nomine colici affectus vehementes intestinorum dolores vocare. Ex quo loco licet existimare, sub nomine doloris intestinorum ab antiquis comprehensam fuisse etiam colicam.

Nomen.

Affectus hic dicitur græce κωλικὴ διάθεσις, vnde & ægri vocantur colici, medicamenta etiam dicuntur colica, quanquam interdum, vt dixit Galenus medicamenta colica dicuntur quæcunque sunt

que sunt excogitata ad tollendos dolores. Nomen hoc deductum est a parte affecta, eo quod intestinum illud quod colon dicitur, sit pars, in quo fit maxime huiusmodi dolor. Latini, & præsertim Serenus, appellarunt colon, barbari vocant colicam.

Definitio.

Est igitur hic affectus dolor intestini vehemens, cum fęcum retentione. Dixi dolorem vehementem, quia non quilibet intestinorum dolor debet nominari colicus, sed solum maximus. Vt inde etiam veteres vocarint hunc morbum tormentum. Dixi cum fęcum retentione quia verus dolor colicus semper copulatus est, cum alui adstrictione.

A quibus morbis dependeat.

Est hic affectus symptoma, tum in genere facultatis tactoriæ læsæ, vt alij dolores, tum etiam in genere excrementorum retentorum. Sequitur autem morbos primum, qui fiunt in vnitatis solutione, nam in calido dolore intestinorum adeo distenditur, vt substantia illius quodammodo diuellatur, ex qua deinde diuulsione efficitur dolor. Secundo, sequitur etiam morbum in mala compositione, scil. morbum in via, quoniam in hoc affectu intestina, quę deberent esse libera, & expedita, replentur humoribus atque flatu. 3. sequitur malam intemperiem, vt doctissime Gal. 6 de loc. aff. 2. docet.

Causæ.

An fiat sęper a flatib.

Causæ internæ, & immediatæ, quæ faciunt hunc morbum, vt crediderunt Celsus, Plinius, & alij veteres Latini, sunt flatus, videntur enim antiqui existimasse, hunc morbum a nulla alia materia fieri præterquam a flatulentia. Sed huiusmodi puerilis ignorantia facile veteribus condonanda, quod cum colicum dolorem vix animaduerterint, non est mirum, si in causis colici morbi perscrutandis aberrarunt.

Sunt autem causæ immediatæ, vt Galenus 12. meth. 8. & 6. de loc. aff. 2. & Auicenna docuerunt, intemperies tam simplices, quam materiales, intemperies scil. calida, frigida, & sicca: nam humidam intemperiem non facere dolorem, præsertim magnum, calore docuit Galen. 2. de med. loc. calida intemperies facit dolorem quoniam ex fęcibus ipsis exsugitur quicquid inest humidi, vnde fæces exsiccatæ retinentur, retentæ autem cum distendant colum intestinum, dolorem inducunt.

Frigida intẽperies, vt causet colicam.

Frigida etiam intemperies facit dolorem duplici de causa. Primo quoniam durantur etiam a frigore fęces, Hip. enim 6 epid. dicit, refrigerationem indurare anum, induratis autem fęcibus fit dolor. 2. quia propter frigiditatem corrugantur intestina, quæ corrugata dolorem inducunt: Siccitas eadem ratione, qua caliditas dolorem facit; scil. cum quando exsiccantur fęces. Ex his itaque morbis fit colicus dolor, fit etiam ab intemperie simplici, sed raro contingit, vt isti dolores colici fiant ab intemperie sola, plerumque efficiuntur ab intemperie cum materia. Est autem materia, vel flatulẽta, vel humorosa, vel quid aliud medium. Flatus cum includantur in ipsis intestinis, præsertim in colo, & exitum non inueniant, multiplicantur, & distendunt ipsa, & sic dolorem inducunt.

Flatus, vt causent colicam.

Humores, vt sint in causa huius affectus.

Humores etiam dolores faciunt, quod phlegmatici sunt, aut melancholici, nam pituita vitrea sua viscididate, & frigiditate hoc intestinum maxime turbat, sic melancholia cum sua aciditate, cum pungat, & vellicet intestina, dolorem inducit. Pituita porro, vel in ventriculo generatur, vel a capite ad ventriculum delapsa ad intestina deinde præcipitatur, sicuti Rhasis docuit 8. cont. ex sententia Galeni.

Vermes.

Lapides.

Historia memorabilis.

Apostemata.

Aliæ materiæ facientes dolores colicos præter humores, & flatus, sunt vermes, qui pungẽdo, & diuellendo dolorem inducunt. Item lapides, vt experientia testatur, sæpe generantur in intestinis, etsi Galen. 6. de loc. aff. 2. dicat, se neque vidisse, neque alium qui viderit audiuisse, veruntamen hic Patauij in excellentissimo Frisinetica inuentum fuit, dolorem colicum factum esse, in intestinis lapide existente. Apostemata quoque efficiunt hoc malum, præsertim fęces retentæ. Hæ sunt causæ internæ doloris colici.

An colica fiat a bile.

Pars affirmans.

Pars negans.

Sed circa has causas oritur dubitatio, a nemine, quod sciam tractata, scilicet an sicuti dolores colici fiunt a pituita, & humore melancholico, ita etiam fiant a bile? Ex vna parte est Galen. 12. meth. 8. & 6. de loc. aff. 2. vbi clarissime dicit, fieri dolorem colicum ab acribus, & mordacibus humoribus, vt sunt biliosi, Galenum secuti sunt Aegineta, & omnes Græci. Sed contra Galen. videtur esse grauissima ratio, dictum enim est fieri dolorem retentis fęcibus, & in dolore colico semper fæces retineri. Iam vero notum est, sic comparatum esse a natura, vt bilis a folliculo mittatur in intestina quę stimulet ipsa ad depositionem fęcum. Si igitur hoc verum est, sequitur tantum abesse, vt possint retineri fęces, siquidẽ stimulentur intestina ab acribus humoribus, vt potius alui fluxus fiat. Rhases etiam 8. cont. ex Gal. 2. epid. scribit vbi bilis rubea petit intestina, corrodẽdo fluxum alui inducere. Ex qua auctoritate, & ratione addita colligi potest, colicum morbum fieri non posse ab acribus humoribus, in quo necessaria est fęcum retentio. Accedit his Auerr. 3. collect. 20. quod vbi bilis intestina petit, & rodit, aut vehementer id fit, aut leuiter, si vehementer, inquit fieri dysenteriam, si leuiter lædat, fieri fluxum alui.

Cõtradictio Gal. & Auicen.

Est præter hæc contradictio in verbis Gal. & Auic. Galen. n. referẽte Rhase scribit, bilẽ rubeã facere alui fluxum. Ceterum Auic. scribit bilem rubeã calefacere fęces, quibus exsiccatis, sequi fęcum retentionem. Respõdeo dolorem colicum, vel accipi proprie, vel communiter, pro quocunque dolore intestinorum, vt modo diximus sæpe accepisse veteres. Si de dolore colico propriè accepto loquamur, plane per allatas rationes nequaquam videtur fieri posse a bile. Si autẽ loquamur de dolore colico communiter accepto, dico dolorem colicum ab acribus humoribus fieri posse, & hoc pacto locutus est Gal. 6. de loc. aff. vt colligi potest ex historia illius rustici, quem alij Medici existimabant colico dolore laborare, cum tamen non laboraret.

Ad con-

Ad contradictionem Gal. & Auic. dicendum est, bilem rubeam in intestinis contentam, vel fæcibus immixtam esse, vel tunicis intestinorum adhærentẽ. Si sit fęcibus admista, facit id quod scribit Auicenna scilicet sua caliditate exiccat fęces, quæ exsiccatæ deinde retinẽtur. Sin autem biliosi humores adhærent tunicis intestinorum, plane cum corrodant, necessario inducunt alui fluxum, & hoc pacto intelligenda est Gal. auctoritas a Rhase allata.

Causæ mediatæ internæ. Externę causæ.

Causæ mediatæ quæ dolorem colicum faciunt, sunt apostemata iecoris, vesicæ, renum, splenis, lapides renum, & vesicæ, hæc enim omnia inter internas causas, sed mediatas sunt referenda. Sicut inter externas causas primum locum videtur sibi vendicare aer frigidus, vt est aer hyemalis, regiones etiam frigidæ, & septentrionales: ex Auicenn. enim sententia eæ maxime conducunt ad generationem colicæ affectionis. Sic & aer pestilentialis inducit interdum colicam affectionem, vt est relatum a Paulo libro 3. cap. 41. quandam colicam pestem ortam ex Italia multas Romanorum nationes peruagatam fuisse, quod etiam ex sententia Pauli asserit Auicen,

Quomodo colica fiat ex aere pestilenti.

Sed dicet quis, quomodo colica possit fieri ex aere pestilenti? & an colica sit cõtagiosa? Dico ex pestilenti aeris constitutione generari putridos humores, qui demissi in intestina, sua qualitate putrida, & venenata intestinorum facultatem magnopere lædunt, & postea faciunt illos dolores: nam compertissimum est, non solum huiusmodi materias, & humores decumbere in intestina, sed etiam in caput, vnde causant epilepsias, paralyses, & alias: decumbunt etiam in testes, ibique omnia bona absumunt, vt contigit in peste illa relata a Thucyd. & Lucretio. Immo scribit Galen. etiam interdum peculiariter humores pestilentes decumbere in pedes, atque eos penitus destruere.

De contagio vero dico, nequaquam constare ex Paulo, hoc malum cõtagiosum extitisse, veruntamen rationi consonum est, fuisse cõtagiosum, quia cum oriretur ab humoribus putridis, & pestilentibus plane necessarium est, sicuti humores pestiferi contagium faciunt, ita etiam ratione huius contagij fieri dolores colicos per contagium.

Nimia quies causa colicę.

Nimia quies causa est sæpe doloris colici, eo quod propter inertiam, & otium generãtur plures humores crudi, crassi, & frigidi: sic nimia venus, exercitatio, vitæ studium, & id genus alia, inter has causas referuntur. Omnes etiam homines, qui artes ad ignem exercent, vt vitrearij, ferrarij, fossorij omnes, doloribus colicis sunt obnoxij, eo quoniam exsiccãtur ipsis fęces ab igne, quibus exsiccatis, & retentis, fiant dolores colici.

Potus nimius aquæ frigidæ, & crassæ, potus vini niue, aut glacie refrigerati, vel vt ait Auicen. multæ mixtionis, lædunt. Eadem ratione dolorem inducunt & cruditates, crapulæ, fructuum recentium plurimus, & copiosus vsus.

Signa. Distinctiua.

Signorum, quæ indicant nobis colicam affectionem, vt ego reperire potui apud scriptores, tres sunt classes, alia sunt distinctiua, alia significatiua, alia prognostica. Distinctiua sunt, quoniam duæ sunt affectiones maxime similes colico dolori, vna est, quæ dysenteria dicitur, altera est nephritis, quæ vsque adeo est similis dolori colico, vt ipsemet Galen. 2. de loc. aff. 5. & 6. de loc. aff. 2. dixerit, se deceptum in dignoscendo dolore colico a nephritico. Est itaque nobis necessarium intelligere singula signa, quibus possimus alterum ab altero distinguere.

Diff. colicæ a dysenter.

Dysenteria paucis signis dignoscitur a colico dolore, quod tametsi in vtroque sit dolor, & fere in eadem parte, tamen in dysenteria semper est aperta aluus, in colica fere semper adstricta.

Diff. Quomodo colica a nephritide.

Sed non ita facile nephritica affectio potest a colica dignosci, ideo ex sex fontibus haurienda signa, quibus possumus vnam affectionem ab altera discernere. Primus est conditio doloris, secundus dispositio membrorum circumstantium. Tertius a lædentibus, & iuuantibus, quartus ab excretis, quintus a symptomatibus consequentibus, sextus a causis, & signis antecedentibus. Quicunque igitur sciet versari circa hos fontes, & circa hæc signorum genera, facile cognoscet passionem colicam a nephritica, neque errabit, vt plerumq; erratum grauissime est, & quemadmodum erratum fuit in summo Christianorum Imperatore, qui curatus est dolore colico, cum laboraret nephritico.

primus fons signorum doloris.

Incipiamus ergo a primo fonte: conditiones doloris, quæ sunt spectandæ, positæ sunt in quatuor prædicamentis, scilicet in quantitate, loco, motu, & tempore. In quãtitate, siquidem dolor colicus est magnus, renalis vero minor. Sed dicet quis, nonne Plinius lib. 25. ca. 3. scribit, veteres omnes Medicos existimasse dolores nephriticos esse omnium acerbissimos? Itaque non est verum, dolorem colicum esse maiorem nephritico. Dico veram esse Plinij sententiam, simulque veram Auic. sententiam, quam ego dixi: nam dolorem alterum altero maiorem esse, dupliciter intelligi potest, vel secundum intensionem, uel secundum extensionem: secũdum intensionem dolor renalis omnium est acerbissimus, eo quod ut acus pertundit hic dolor renes, & cruciatus parit incredibiles: secundum extensionem autem maior est colicus, quia plures partes infestat, quam nephriticus.

An colicus maior dolor, quam nephriticus.

Circa locum, signum hoc esse capiendum, vt monet Galen. 2. de loc. aff. 2. quidam dixerunt, quod colicus dolor nequaquam incipiat a parte sinistra: sed hãc opinionem satis refutauit Auicen. quia colon intestinum æque positum est in dextra, atque in sinistra parte, vt possit & a parte sinistra, & a dextra incipere dolor. Itaque secundum locum potest hoc signum capi, quia dolor colicus plures partes obambulat, modo supra renes, modo infra: nephriticus autem dolor semper in

per in eadem parte permanet. Rursus colicus magis inclinat ad interiora, & ad pectus, nephriticus semper ad partes posteriores vergit.

Signa quæ capiuntur a tempore, triplicia sunt. Primo quod dolor colicus incipit fere semper subito: videmus enim ægros nobiscum colloquentes sanos, & statim corripi dolore vehementissimo: renalis autem dolor paulatim incipit, & semper augetur vsque ad finem. Secundo quod in colico dolore tempore inanitionis semper leuior est affectus, vbi autem corpus plenum est, & intestina, dolor fit vehementior, in nephritide contrarium contingit, quia quo tempore ventriculus, & intestina sunt vacua, magis vrget, quo tempore sunt plena sedatur, & mitior est dolor. Tertio quod in renali dolore semper affectus incipit a dorso, & incipit cum vrinæ difficultate, colicus autem nequaquam.

A motu etiam signa capiuntur, quoniam dolor colicus mouetur modo in hanc, modo in aliam partem: renalis vero semper in eadem parte permanet.

Secundus fons signorum doloris. Secundus fons signorum positus est in speculatione partium circumuicinarum, quod in renali dolore apparet veluti tremor renum, & partium adiacentium: in colico vero ventriculus apparet maxime affectus, & quanquam in renali dolore etiam offenditur, multo magis tamē in dolore colico. Ventriculi affectiones sunt nausea, appetitus deiectio, vomitus tum pituitæ, tum ciborum corruptorum, nam hæc omnia fere in colico reperiuntur dolore, vt experientia quotidiana restatur, & Galen. 6. de loc. aff. 1.

Tertius. A iuuantibus & lædentibus hæc reperiuntur signa, quia in colica affectione clysteres iuuant, excretiones factæ per medicamenta, crepitus ventris, & oris, præsertim quando fit a flatu: in renali nihil horum iuuat. Accedit etiam quod in nephritide medicamenta diuretica, & lapidem minuentia iuuant, in colica nullam vtilitatem afferunt.

Quartus. Signa ab excrementis mutatis, sunt stercora, quæ in colica affectione sunt arida, & sicca sine dura, velut caprina, vt Auicenna dicit: reueniuntur etiam sæpe fæces in nephritide, sed sunt multo magis molles. Addendum etiam ex Galeno & Auic. quod in neuphritide a principio vel vrinæ supprimuntur, vel minguntur primo claræ, tenues, & aquosæ, post crassiores, turbidiores, & sabulosæ, interdum etiam cruentæ.

Quintus. Ab accidentibus mutatis hæc sunt signa, quoniam in nephritide solet apparere veluti stupor renum, dorsi, tremor crurum: in colico dolore hæc nequaquam apparent, sed sunt potius appetitus deiectio, sudor frigidus, animi defectus.

Sextus. Postremo a causis, & signis antecedentibus accepta sunt signa, quoniam si sunt retentæ fæces, vsus præcedens fructuum, & rerum flatulentarum, & frigidarum signa sunt colicæ affectionis, vrina vero filamentis plena primo fabulis, deinde crassa, & arenosa, nephritin indicat. Hæc sunt signa, quorum ductu poterimus distinguere nephritidem a Colica.

Signa significatiua. Vniuersalia. Signa autem significatiua vel sunt vniuersalia, vel particularia, vniuersalia comparantur ex relatione ægrorum, & sensu, nam dolor ventris adest, grauitas corporis totius, cibi fastidium, nausea, sudor frigidus, crura contrahuntur. Et notandum est de hoc signo postremo, nam Aristot. 8. de hist. animal. 24. enumerans morbos, quibus equi tentantur, inter alios posuit ileum, & voluulum, & potissimum huius morbi signum putat esse Aristot. quod contrahantur crura posteriora ad anteriora, quod signum cum sit in hominibus præcipuum doloris ventris, & colici, efficitur, vt (quemadmodum dicebam) Aristoteles etiam nomine ilei intellexerit dolorem colicum, vt omnes veteres.

Aretæus inter alia signa vnum addit, quod scilicet ait esse veluti quoddam miraculum in dolore colico, testes & suspensorea maxime dolere, ita vt interdum Medici ignari extraxerint testes, existimantes locum affectum esse eam partem. Puto & ego hoc fieri, sed non possum non valde fatuos existimare eos, qui excecuerunt testes solum modo propter dolorem.

Particularia signa. Particularia signa colicæ affectionis tot fere sunt, quot sunt genera causarum eius, nam si fiat dolor ab humore pituitoso, Galenus 12. meth. 7. inquit dolorem non admodum esse intensum, nisi iungatur flatus humori, & hæc dolor in profundo percipitur, nausea adest, vomitus pituitosus, aluus fere nihil egerit, & si aliqua egeruntur, illa sunt muco, & pituita obducta.

Ad hæc ætas, sexus, victus præcedens, & vitæ exercitium, quæ prouentum pituitæ faciunt, sunt signa doloris facti ab humore pituitoso.

Sin autem fiat ab humoribus acribus, qui tamen dolor, vt docui, non est vere colicus, dolor est acutus, mutabilis, sitis adest, vigiliæ, febres, alui fluxus cum cruciatu, & molestia, vsu calidorum læduntur. Si a melancholia similiter signa timor, & præsertim mœror.

A flatu. A vermibus. A lapide in intestinis. Si a flatu dolor fiat, adest doloris magnitudo, tensio & inflatio ventris, a crepitibus, & ructibus leuantur, præcessit etiam victus ex vsu rerum flatulentarum. Si a vermibus, cognoscitur ijs signis, quibus vermes cognoscuntur: si a fæcibus retentis, signum erit, quoniam neque ante, neque eo tempore aluus est soluta, voluntas adest egerendi, sed irrita. Si a lapide in intestinis, cognoscitur per absentiam omnium aliorum signorum, quoniam scilicet nullum aliud signū adest, quod possit ostendere aliam causam.

Ab apostemate. Si ab apostemate, aut inflammatione fiat, febris iuncta est, feruor intestinorum, retentio vrinæ, & fæcum, sitis & vomitus, bilis.

Prognost. Prognostica. Si dolor colicus vehemens sit, si continuus, si nausea vehementissima, nec tamen quicquam vel supra, vel infra emittatur, malum est: sed pessimum omnium, si cum his

omnibus

omnibus anhelitus fœteat, cum sit certum argumentum, malum conuertendum esse in ileum. Similiter mortiferum est, vbi qui colico laborant affectu, frequenter sudant sudore frigido, frequenter deficiunt animo, præsertim si & sudor frigidus, & animi deliquia diu durent.

Historia. Hinc aliter, vt ait Rhases, colica passio, quæ fit ab inflammatione, pessima est, præsertim in qua corpus statim intumescit: nam vidi ego virginem dolore colico 12. horis iugulatam, cui statim venter valde intumuerat. Ex aduerso, si dolor non sit neque vehemens, neque cõtinuus, si non sit fixus, sed vagetur, si excernantur fęces, si ab euacuationibus omnibus aliquod leuamē capiatur, signum est malum mitius esse, & nullo modo lethale.

Curatio Indicationes. Curatio in duobus consistit, in ablatione causæ, & sensus mortificatione: nam Medici cum curant colicam, vel respiciunt ipsum symptoma, & tunc vtuntur stupefacientibus, sed ad hæc non est confugiendum, nisi in extremis: vbi autem dolor non est adeo magnus, tum Medici student ablationi causæ.

Quare vbi tollendæ sunt causæ, primo notandum, an dolor sit essentialis, an vero per consensum. Si per consensum, omnino est curanda pars, quæ malum communicat: si autem dolor sit essentialis, videndum est, an ea causa ab alia externa foueatur, an vero solum habeat causas coniunctas. Si foueatur a causa externa, ante omnia debemus studere, vt illa causa tollatur. Si vero non adsit causa externa, videndum est an causa sit calida, an vero frigida, si sit frigida, vtrũ flatus, an humor.

Ex causa frigida. Primum igitur aer eligendus, aut parandus calidus, & siccus, somnus omni studio prouocandus, quia ad omnes dolores leniendos, & coquendas causas frigidas nihil est, quod pręstantius sit somno. Mouendum est corpus omni genere exercitiorum, cursu, saltu, nam isti equorum curatores, quando capiuntur equi dolore colico, nihil inueniunt accommodatius motu. Ante cetera magnopere curandum, vt fęces singulo die educantur.

Panis sit optime coctus, & fermentatus, aniso vel coriandro, vel cymino, vel pipere conditus. Alexan. enim dicebat, vsum huius interdum maxime contulisse ad depellendos hos humores,

Cibi. carnes omnes auicularum, modo pingues non sint, laudantur. In primis vero laudatur caro alaudæ auis, quam scribit Galen. in lib. ad Pis. de antid. secundum proprietatem prodesse, assa

Caro alaudę. omnia vitanda sunt, elixa autem multo sunt validiora.

Inter fructus, & herbas conueniunt asparagi, pulegium, menta, origanum, petroselinum, ruta, maxime vero omnium vsui est allium. Et notate interpretem Alex. eo in loco nos fefellisse, quia vbi debebat transferre allium, transtulit porrum. Pisces omnes fugiendi, saliti aliqui, & parui conuenire possunt, præsertim si edantur pipere, cymino & alijs aromatibus conditi, quæ possunt frigiditatem frangere. Vina conueniunt condita, vt vinum anisatum, piperatum, conueniunt etiam vina simplicia, sed quæ sint alba, tenuia, & generosa, vina enim hæc Patauina crassa, & rubea faciunt dolores colicos. Dulcia omnia vitanda, lagana similiter pistacia, fructus.

Hoc postremo notandum, vt edulia, quæ discutiunt flatus, in vsu habeantur, quoniam siue dolor sit a flatu, siue ab humore frigido, & crasso, semper ea ciborum genera, quæ flatus discutiunt, cum extenuent, desiccent, calefaciant, magnam vtilitatem adferunt.

An narcotica conueniant. Postquam victus institutus fuerit, videndum, an dolor magnus sit, vel paruus. Si magnus, putant nonnulli, omni studio curandum esse, vt dolor leniatur etiam narcoticis medicamentis: Verum hic ego sentio, in his casibus vel rarissime, vel nunquam refugiendum esse ad stupefacientia, quia dolor a causa frigida factus nunquam adeo vehemens est, vt cogat Medicos ad hęc remedia descendere: quæ etiam videtur fuisse Gal. sententia 12. meth. 8. vbi curationem huius tradens, de medicamentis narcoticis nihil loquitur. Quare melius est operam dare causæ doloris colici tollendæ: quia vera causa est humorum frigidorum copia, & crassorum simul, scopus sit, vt calefiant humores, attenuentur & desiccentur.

Est tamen id notandum, ne medicamenta magis calefaciant, quam par sit, quia plerumque medicamenta, quæ nimis calefaciunt, liquant tantum humores, & cum non discutiant, ipsos solent dolores acerbiores reddere.

Itaque primo erit aluus lenienda, quod fit tribus modis, vomitu, clystere, & medicamentis.

Vomitaria. Vomitus, & clysteres in hoc casu præferuntur medicamentis. Pro vomitu conuenit succus raphani simplex, semen raphani maceratum vino, vel cum decocto sem. anethi. Hęc omnia medicamenta accommodata sunt ad ciendum vomitum in dolore colico.

Tria circa clysteres notanda. Pro clysterum vsu tria notanda. 1. vt semper initio vtamur medicamentis leuioribus, deinde acrioribus; nam si statim confugiatur ad clysteres acriores, huiusmodi acrimonia stimulata intestina attrahunt magis, & maiores obstructiones faciunt. Clysteres igitur mollientes, & lenientes erunt huiusmodi.

℞. Fol maluæ.
Lapathi.
Viol an. M. j. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d d lib. j ß.*
Olei amyg dul.
Butyri recent an. ℥ iij. Item Potestis etiam vti clysteribus ex oleo amyg dul solo. ex oleo communi, vel butyro tantum. Sunt enim ij accommodatissimi ad emolliendas fęces, ita vt possint duci ab acrioribus, qui erunt tales.

℞. Fol.

℞ Foliorum Brancæ vrsinæ.
Pulegij.
Maluæ Altheę an. M.j.f.decoct.
Deinde *℞. dictę decoctio lib. j s.*
Elect. indi.
Hierę simpl an ℥.ß.
Ol. anethini ℥.iiij.
Salis ʒ.j.M.f.clyster.

Quod si isti clysteres non profuerint, fiant acriores, nam decocto additur centaurium maius & minus, additur colocynth. Conditurae additur nitrum, hiera aliqua magna, ita vt fiant clysteres adhuc acriores. Secundo notandum circa vsum clysterum, nunquam adhibendos esse, si cibus adhuc sit in ventriculo. Sunt multi Medici, qui vocati ad colicos, nulla habita ratione statim ordinant clysteres, neque vident, an cibus sit in ventriculo nec ne; quia si adhibeantur cibo existente in ventriculo, fit vt cibus attrahatur ante tempus, & sic obstructiones intestinorum fiant maiores. Tertio notandum, vt non statim vnus clyster post alium immittatur, sed semper aliquod spacium interponatur trium, vel quatuor horarum inter vnum & alium. Sed si clysteres non retineantur, aut non recipiantur, confugiendum est ad suppositoria, quæ varia sunt, sed eadem ratio est seruanda, quæ in clysteribus, scilicet, vt primo mitioribus, deinde grauioribus vtamur, in quibus ingreditur helleb. colocynth. scammonea, & alia medicamenta potentia.

2.
3.
Suppositoria.

Eo tempore, quo administrantur clysteres, vel suppositoria, simul parandi sunt humores. Exemplum præparantium sit illud.

Præparãtia.

℞ Fol. puleg.
Betonicæ.
Calam.
Origani an. M.j.f.decoct.s.a.
Deinde *℞. d.d.℥.iiij.*
Mellis ros. simpl.
Syr. de duab. rad. an. ℥.j.M.

Vbi præparati fuerint humores, sunt euacuandi, pro euacuatione conueniunt pil. fætidæ; de sagap. de agar. Solet mirifice prodesse in his casibus vsus diaphoen. Modus vtendi est hic:

Euacuãtia.

℞. Diaphenici ʒ.iij.
Diacathol. ʒ.vij.
Specierum hierę ʒ.j.M.

Sed quia plerumque contingere solet vt medicamentis purgantibus non cedant dolores, & Medici cogantur precibus ægrotantium varia adhibere remedia, in hoc casu habenda sunt & alia remediorum genera, quibus possumus occurrere dolori. Sunt a. hec medicamenta plura; primo inunctiones, quæ fiunt ex ol. nardino, de piperibus, ol. rutac. ol. chamæm. nam varijs modis vti solemus his oleis; interdum illinuntur hæc olea hypochondrijs, interdum replentur vesicę his oleis, & ventri apponuntur, quæ omnia leniunt dolorem colicum. Deinde sunt præter inunctiones fomenta, quæ fiunt spongijs, vt:

Dolores mitigantia.
Inũctiones.
Fomenta.

℞ Fol. brancæ vrsinę.
Meliloti.
Fænugrę.
Orig.
Calam.
Chamo. an. M.j. bulliant in aq. sufficienti: deinde cum spongia f. fomentum hypochondrijs.

Possumus etiam his decoctis, & oleis simul vti, sic enim valentiora sunt, & magis leniunt dolores colicos. Ex his herbis decoctis, & deinceps incisis cum pinguedinibus aut gallinę aut anseris, fiunt emplastra, quę apposita ventri leniunt dolorem.

Fiunt & balnea varia ad dolores colicos sedandos: modo enim ex herbis fiunt prædictis, modo ex ol. simpl. nam si quod sit balneum, quod aptum sit ad dolores colicos sedandos, est istud quod fit ex oleo simplici.

Emplastra.
Balnea.

His autem non conferentibus, Paulus & alij multi confugiunt ad stupefacientia, sed vt dixi, raro in vsum deueniunt hæc medicamenta, & in his casib. semper sunt administranda cum aliquo medicamento calefaciente, quod possit frangere nimiam eorum frigiditatem, vt est illud quod componitur ex opio, & castoreo æquis portionibus.

Stupefacientia.

Quod si ore accipiendum sit, in pauca quantitate semper erit exhibendum, ita vt duo vel tria grana non excedat Opium & tantũdem Castorij; vbi enim clysteribus hæc medicamenta stupefactoria admiscentur, possunt in maiori quantitate exhiberi, vsque ad ℈ j.

Quod si fiat dolor a flatu, victus ratio debet vergere ad calidum, & siccum: dormiendum, corpus mouendum, & non negligendum remedium illud, quo consueuerunt vti vulgares, vbi enim dolet corpus, maior hominum pars solet se arcte cingere, quod quidem confert, quia illa strictura incalescunt viscera interiora, vnde postmodum disperguntur flatus, & hoc commendatum habemus a Galen. 12. meth.

Curatio colica a flatu.

Absti-

Abstinendum quantum fieri potest, a cibo & potu, & inter cibos accommodatos huic rei est vsus allij, quod propterea videtur vocatum theriaca rusticorum.

Victu instituto qui possit discutere flatus, notandum, an flatus sint soli, aut etiam adsint humores, ex quibus continuo flatus gignantur, Si adsint humores, sunt præparandi eo pacto, quo monstraui, & vbi sunt præparati, purgandi sunt, sed quia nihil boni præstari potest, nisi prius fęces educantur ex intestinis, propterea ante omnia studendum clysteribus fęces educere, dixit enim Auicenna, in colica educ fęces; quasi id in omnibus debeat esse propriũ, vt fæces educantur. Clysteres accommodati sunt illi, qui ex emollientibus & flatum discutientibus fiunt. Exempli gratia.

Clyster.

℞. Rad. althea.
Fol. maluæ.
Lapathi. an. P. j.
Sem. anisi.
Furfurum in petia ligat an. P. ß. f decoct. f. a.

Deinde *℞. d. d lib. j ß.*
Ol. rutac.
Amygd. amar.
Pingued. gallinæ.
Butyri recentis. an. ℥. ij. ß.

His eductis, acriores sunt iniiciendi, id est, qui magis dissoluant flatus: quo in casu, laudantur clysteres, qui fiunt ex solo ol. rutac. chamæm. aneth Fiunt etiam clysteres ex vino generoso, in quo bulliant semina anisi, cui vino deinde adduntur modo sapa, modo mel vna cum oleis prædictis discutientibus flatus. Sed illud notandũ, vt ad eos clysteres, qui maxime calefaciunt, nunquam confugiamus, nisi prius corpus fuerit expurgatum, quoniam si hæc remedia inuenirent humores in intestinis, funderent eos suo calore, quibus fusis fit duplo maior flatuum copia. Hoc facto medicamentis vtendum tum intrinsecis, tum extrinsecis, quæ possint flatum ipsum discutere Nux myristica commendata est, diatrionpiper. diagal. diapolitic. diacym. diacastor. Nam castorium & omnia, quæ ex eo componuntur, compertum est mirifice prodesse in his doloribus. Laudant etiam Auenzoar & Galenus vsum theriacę.

Flatus discutientia.

Extrinsecus valde conferre solent olea prædicta, oleum rutę, anisi, anethi. Conferunt etiam emplastr. ex aniso, calamenth. origano, satureia; sed præ ceteris inter extrinseca medicamenta solet primum locum habere cucurbita magna ignita, & ventri apposita, vt etiam dixerit Galenus 12. meth. interdum huiusmodi remedio adeo cito, & feliciter dolorem sedari, vt pro miraculo habeatur. Modus vtendi est, vt cucurbita latissima & multa stuppa referta accendatur, & modo in vno loco ponatur, modo in alio, infra vmbilicum. Coguntur aliquãdo Medici in his casib. vti medicamentis calidiorib. ex quorum vsu contingit interdum, vt febris accendatur, quam solent idiotæ Medici valde timere, sed modo malũ non fiat cũ inflammatione, modo absit suspicio incendij, tantũ abest vt febris noceat, vt magis iuuet. Habemus. n. Hip. oraculum 6. aphorism. 40. hypochondriacos dolores, qui non fiunt ex inflammatione, a febre finiri.

Vsus cucurbitę magnæ.

Febris.

Sed si fiat dolor a calida causa, id est, ab humoribus calidis & acribus, victus pene contrarius instituendus erit, scil. cibi, qui possunt refrigerare, & humectare, & acrimoniam humorũ temperare. Dixi pene contrarius, quia etiam in causa calida interdum calefacientia iuuant, nam 5. aphorism. 22. scribit Hip. calidum soluere dolores, Inquit Galen. etiam a causa calida factos dolores medicamentis calidis finiri; eo quia humores, qui morbum faciunt, dissoluntur a medicamentis calefacientibus, consequenter dolores finiuntur. Inter cibos optimus est cibus succus hordei, farris, qui chondrus dicitur, lac cum succo hordei & farre, & tandem quicquid emplasticam facultatem habet, & quod acrimoniam obtundere potest.

Curatio colica. Calida an cõueniant.

Statim ac victus fuerit institutus, sunt purgandi humores, nec opus est, vt in hoc morbo illa concoctio & præparatio expectetur. Tres autem sunt causæ, propter quas in hoc dolore statim sunt expellendi acres humores. 1. magnitudo doloris, adeo enim acerbus est cruciatus, vt si diu perseueret, periculũ sit, ne multi attrahantur humores in intestina, atque ita fiat inflammatio. Secunda, quoniam humores in intestinis continentur; intestina autem facile corrodi possunt; & propterea nisi statim euacuentur, periculum imminet, ne exulcerentur. Tertia, quia subtiles & acres humores sponte sunt parati, tum quia subtiles sunt, tum quia sua acrimonia concitant & mordent expulsoriam facultatem.

Cur statim in hoc dolore humores expellendi.

Medicamenta, quę euacuant humores in hoc morbo, sunt ea quę componuntur ex

Rhab. subtil. pulu. ℥. j. ß.
Pulpa Tamar. ℥. j. ß. M.

Quod si in potu erit exhibendum medicamentum, possumus istud parare.

Potus.

℞. Sebesten num. xij.
Myrobal. citrin. ℥. j. ß.
Pulpę Tamar. ℥. j. ß.
Fl. borrag.
Viol. an. P. ß. f. decoct. f.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. rof. sol. ℥. ij.

Elect.

Elect. de sebest. simpl. ℥.iij. M. f. potio.

Dolorem mitigantia.

Vbi euacuati fuerint humores, studendum est dolorem demulcere. Ad hoc accommodata sunt remedia intrinsecus ex lacte chalybeato, ex lacte & oleo dulci, & ptisanæ succo, ex lacte & ptisana, ex ol. & adipe caponum. Extrinsecus autem conuenit fomentum factum ex ol. & aqua ex decoct. maluarum, lapathi, sem. lini.

Stupefacientia.

Quod si hæc medicamenta nihil prosunt, solent Medici confugere ad narcotica, quæ stupefaciendo dolorem possunt lenire. Sunt autem tria medicamenta, quibus solemus vti in his casibus, Philonium Romanum, Requies Nicolai, & Tryphera magna, quibus etiam poterimus addere theriacam recentem. His enim omnibus remediis vtimur intus, vbi non possunt aliter dolores finiri; & quantitas eorum, quæ capitur, est a. ℈.ij. ad ʒ.j.

Si fiat a vermibus, dolor colicus, non alia ratione curatur, nisi ea, qua curantur uermes, iisdemque medicamentis.

CAPVT XXVII.

De ileo.

POst colicam, solet & alius morbus oriri, qui vocatur ileos, imo vero dicit Aretæus, colicos sæpe iugulari ileo. Et quanquam hic morbus raro contingat, & propterea forsan mos sit eum non pertractare in scholis, arbitror tamen vtile futurum, si huius morbi naturam & curationem cognoscatis.

Nomen.

Habet hæc affectio duplex nomen, ileos, & chordapsus. Cælius Aurelianus libro tertio de acutis pass. 17. scribit ex sententia Callimachi nonnullos Pythagoræos, qui in Sicilia medebantur, consueuisse nuncupare hunc morbum φραμόν, id est, sepimentum; quasi in intestinis fiat sepimentum. Latine dicitur ileos, volnulus, conuoluulus. Scribonius Largus, & Marcellus videntur appellasse hanc affectionem inflammationem intestinorum tenuium, & crassorum. Cælius Aurelianus vocat tormentorum acutum, Barbari dicunt iliacam passionem.

No. circa nomen ilei.

Antequam vlterius progrediamur, sunt quædam circa nomen huius affectus notanda. Primum vt dicebam in tractatione morbi colici hoc nomen ileos ab antiquis Medicis tributum fuisse omnibus intestinorum doloribus. Secundum, scripsisse Rhasen hanc vocem ileos deductã esse ἀπὸ τοῦ ἐλεεῖσθαι, quod est misereri; vnde scribit dictam esse hanc affectionem a nonnullis Miserere Domine: inuenietis hanc Rasis sententiam 8. cont. sed quæ scribit circa hanc rem Rhases, fabulæ sunt, quia Galenus a. meth. z. scribit hoc nomen originem ducere ab accidenti: est vero accidens, vt notat Aretæus, quod flatus lentus cum nequeat neque per superiores, neque per inferiores partes exire, vertitur & voluitur in intestinis ipsis, vnde fiunt isti cruciatus, & ideo Medici Latini vocarunt voluulum & conuoluulum.

Quanquam Cælius Aurelianus scribit appellatum voluulum quia qui patiuntur hunc morbum, voluuntur, & in sese agitantur.

De nomine chordapsi.

De nomine chordapsi sunt etiam tria notanda. Primum quod Celsus libro quarto capite 13. scribit, Dioclem Carystium vocasse crassi intestini morbum, tempore autem Celsi appellatum esse morbum tenuis intestini, ileum, crassioris vero colicum.

1.

Ex quo loco etiam colligitur id quod alias docui, scilicet colici morbi appellationem nouã esse, & inuentam tempore Tiberii Cæsaris, quo floruit Celsus: at quod colicũ nos appellamus hoc tempore morbi genus, esse appellatum ante Celsum ileum. vnde miror Gal. 2. in 3. epid. in Voluulię historia dicit ileum tam intestinorum crassorum, quam tenuium esse.

2.

Secundo notandum, Aretæum ponere hanc differẽtiam inter ileum, & chordapsum, quod præter termina in chordapso est tumor intestinorum, qui si comprimatur manibus, cedit durities, & quodammodo remolliri & relaxari videtur.

Differ. inter ileũ & chordapsum.

Quam etiam differentiam videtur cognouisse Aetius libro octauo. Ceterum Diocles Carystius plures alias posuit differentias inter ileum, & chordapsum, qui scribit, in ileo fieri eructationes, crepitus, sine stercore tamẽ, sæpe sine tumore & duritie ventris: ad hæc in ileo accipi clysteres, & dolores a superioribus intestinorum regionibus inchoari: in chordapso vero si mitis sit morbus, per os excerni humores: & si vehemens, etiam excerni stercus, non recipi clysteres, ventrem durum esse, extensum, tumidum, & in orbem eleuatum, interiora intestina magis affici, & stomachum nausea tentari. Nõ est etiam ignorandum id, quod scribit Galenus. 6. de loc. affect. septimo, chordapsum vocari, eo quia intestina instar chordæ circumuertantur, & voluãtur, quia antiqui appellarunt intestina chordas.

Tertio notandum, nonnullos Medicos vocasse chordapsum, vbi iumenta reijciunt cibum, vel per os, vel per nares, qualis fuit Absyrtus, sed omissa de nominis significato disputatione, vlterius progrediamur.

Definitio.

Est hic affectus dolor acutus vt plurimum intestini tenuis nihil sinens deorsum descendere. Ex qua descriptione potestis facile colligere, ileum arquatum & sanguineum, de quibus loquitur Hippocrates in lib. de intern. affect. & a. epid. sect. 6. diuersos esse morbos ab eo ileo, quem nunc tractamus. Dicitur dolor acutus, quia semper acerbissimus est dolor, tametsi, vt dicit Galenus a. & 6. de loc. affect. a. colicus dolor sit acerbior ileo.

Dicitur etiam vt plurimum intestini tenuis, tum quia hæc intestina maiori cruciatu afficiũtur, tum quia etiam affectum communicant intestinis crassioribus; hoc autem verum esse ex eo facile colligimus, quoniam ubi euacuantur mora stercora, constat non aliunde proficisci, nisi a crassioribus intestinis, quia vbi continentur in supernis intestinis, nondum adepta sunt veram stercoris formam, quare iure dicitur ut plurimum intestini tenuis.

Dicitur etiam nihil sinens descendere infra, vt distinguere sciamus dolorem colicum ab iliaco, quia in dolore colico vel sponte, vel ope clysterum aut medicamentorum, solent tandem erumpere fæces. In iliaca affectione neque medicamentis neque clysteribus etiam valentissimis vnquam quicquam potest educi per inferiores partes, sed solum per superiores, ut Hipp. scripsit contigisse mulieri apud Tilamentum 3. epid. 2. t. 6. & 7. apho. 10. quibus in locis Galen. scribit, esse inseparabile ab iliaco morbo, vt nihil per infimas partes excernatur.

An in omni ileo nihil inferne deijciatur.

Sed video aliquem esse dicturum: nonne etiam Aretæus scripsit de hoc morbo, scribens nihil excerni neque infra, neque supra. Id quod confirmauit auctor lib. de defin. med. Dico duo pro responsione huius obiectionis: 1. unum Aretæum sermonem facere de eo ileo, qui fit a flatu, quasi nihil erumpat flatus, neque supra neque infra. 2. dico non simpliciter Aretæum dicere quod nihil exeat, sed dicit, nihil facile exire, vel supra.

Genus symptomatis.

Est ileus symptoma facultatis tactoriæ deprauatæ, cum enim dolor sit huiusmodi symptoma, ileum etiam tale esse oportet. Est etiam symptoma expulsoriæ facultatis læsæ, quæ facultas sicut, & aliæ, vt docet Galen. 3. de sympt. caus. 1. vel offendi potest essentialiter, vel accidentaliter, vel vtroque modo, in ileo vtroque modo solet facultas expultrix lædi: læditur primum essentialiter propter intemperiem, quando enim fit inflammatio, corrumpitur temperies, quæ cum sit de essentia facultatis, oportet necessario vt facultas essentialiter lædatur. Læditur etiam accidentaliter, quando sc. impeditur, ne possit recte operari propter aliquem morbum instrumentarium, vt quando obstruuntur intestina, merito cuius obstructionis fit, vt retineantur fæces, & flatus, a quibus retentis facultas expulsoria varie irritatur, vsque quo cum non possit per infernas partes extrudere impedimentum, mittat quicquid sibi impedimento est ad superiora.

Quos morbos sequatur.

Morbi autem quos sequuntur hæc symptomata, a quibus tactoria & expulsoria facultas læduntur, sunt vnitatis solutio, propter quam fiunt cruciatus; & mala intemperies; postremo morbus in via, numero & magnitudine, ab his enim omnibus morbis læduntur actiones prædictæ, & fit iliacus morbus, nam cum sit inflammatio, vt ex Galeno 3. epid. 3. 6. & 6. de loc. affec. 2. nec non ex Aetio & alijs, clarum est, adesse intemperiem; cum etiam fiat affectus ex obstructione, & tumore, est quoque rationi consonum adesse morbos in via, numero & magnitudine.

Causę huius affectus, vt Auicen. scribit, tot sunt, quot etiam morbi colici. Scribit enim Hippocrates 3. de morbis, in ileo vt plurimum inferiorem incalescere ventriculum; inferiores autem partes refrigescere, quasi voluerit Hipp. perpetuo in iliaca passione esse, & caliditatem & frigiditatem prçter naturam. Sed hęc mera sunt ęnigmata, vt plura sunt illius libri.

Causę internę immediatę.

Internę causæ & immediatę plures sunt, vbi enim fit ab inflammatione intestinorum, immediata causa nulla alia esse potest, quam ille ipse humor, a quo oritur inflammatio, siue sit humor biliosus, siue alterius generationis, nam vbi talis humor in intestinis colligitur & incalescit, putrescere incipit necessario, & feruorem immodicum inducit. Si fiat ab obstructione, ea fit vel propter repletionem, vel quia stercora retinẽtur. Galenus enim 6. de loc. aff. dicit, existimasse veteres ileum morbum fieri inflammatione & repletione stercorum: vel fit ex repletione humorum viscidorum & crassorum, lapidum, vermium, granorum; tot enim sunt materiæ quæ replentes intestina faciunt obstructiones, & ex obstructionibus dolores oriuntur.

Hippocrates in libro de flat. addit aliam causam, quam confirmauit Aretæus Hippocratis sectator, scilicet flatuum copiam, nam etiam a flatu, sicut & ab alijs dictis possunt repleri intestina, & prohibere exitum cuiuscunque materiæ, ita vt facultas expultrix exacerbata retentis fæcibus cogatur extrudere quicquid ipsam lædit, per partes superiores, siue sint humores, siue stercora, siue flatus.

Compressione etiam fit obstructio, quando vel venæ meseraicæ, vel iecur ita in tumorem attolluntur, vt præ mole intestina comprimantur, & compressa exitum præcludant cibis. Concidunt autem intestina, vbi intemperie, præsertim sicca, tentantur, vt enim videmus alia corpora, quæ humida sunt natura, vbi siccantur, in sese concedere, & quasi claudi, sic etiam contingit in intestinis, si quando ob intemperiẽ nimis siccantur. Inter has causas immediatas est etiam ætas annumerata a Medicis, licet non sit immediata interna. Aretæus enim & Aetius pueros facile

Cur pueri hoc affectu facile corripiantur.

illa affectione affici dicunt, & magis etiã quam iuuenes liberari. facile enim tentantur propter cruditatem, nam cum sint voraces pueri, plurimos & crudos humores faciunt, qui deinde retẽti in intestinis occasionem præbent huius mali generationis; facilius etiam liberantur quam iuuenes, quoniam cum habeant intestina admodum mollia, & facile distendi possint, sic etiam ardorem non est intestina emollire, & disponere, vt permittant exitum excrementis.

Verum circa hoc dubitatur, an ætas puerilis sit capax chordapsi, vel morbi iliaci, & causa dubitationis est, quoniam Hipp. in Coacis prænotionibus recensens morbos a quibus ætas puerilis non tentatur, inter alios ennumerat chordapsum. Respondendum est ætatem puerilem posse capi vel secundum principium, vel medium, vel finem; circa principium non tentantur, sed

circa

circa finem. Vel dicendum duplicem esse chordapsum, congenitum, & non congenitum; a cōgenito, tentantur pueri vt ait Hip. ibidem, ab alio autem non, quid autem sit apud Hippocratem congenitus chordapsus, non est ita clarum, puto tamen esse ad quem a natura est ob prauam intestinorum fabricam propensio.

Recenset Auicenna inter morbi iliaci causas, robur facultatis retentricis, quod an verum sit, semper dubitaui, eo quod vix videre possim, quomodo & qua ratione facultas retentrix possit vsque adeo valida esse, vt hunc morbum inducat: eo maxime, quod operationes facultatum naturalium quanto sunt vehementiores, & robustiores, tanto etiam videntur esse perfectiores.

Externæ causæ quæ inducunt hunc affectum, plures sunt, primum anni tempus, quia vt Hippocrates 3. aph. 22. ait, huiusmodi morbi fiunt potissimum autumno. Quam sententiam imitatus Aetius dicit, ileum magis oriri æstate, quam vere, & magis autumno, quam hyeme. Aerem etiam pestilentem iliacum morbum facere, ex Auicen. patet, qui dixit fieri per contagium, quæ etiam sententia an vera sit, dubitatur, & si vlla species huius morbi contagiosa esse putatur, solum ea erit in qua stercora fætida reijciuntur. Frigus vehemens etiam inter causas externas refertur, potissimum continuæ cruditates. Sunt etiam aliqui cibi, qui proprietate quadam ileum inducunt, vt scribit Aetius de atramento sepiæ. Potus etiam aq. frigidæ causa esse solet ilei, & impulsio vehemens intestinorum, fit enim sæpe vt intestina labantur in scrotum, rupto peritonæo, vnde cum chirurgi volunt intestina ad proprium locum reponere, imprudentia fit, vt impulsa magno impetu intestina conuoluantur, atque fiat obstructio & ileos. Præ ceteris venena solent hunc morbum generare, vt Nicander de Aconito & argenti spuma scribit: sic etiam Cælius refert fungos hoc malum efficere.

Signa. Distinctiua Cæliaci vt differant ab iliacis.

Signorum quæ ipsum inducant, alia, sunt diagnostica seu significantia, alia distinctiua, alia prognostica. Distinctiua sunt ea, quibus dignoscitur morbus iliacus a Cæliaco & colico. Cæliaci dignoscuntur ab iliacis, quia in ipsis non est vllo modo dolor intestinorum grauis, vt solet esse in iliacis. Ceterum colica passio distinguitur ab ileo multis signis, præterquam, quod colica passio diuturna est, atque vnum solum intestinum infestans: iliaca vero passio acuta est, & plura intestina turbat.

Dif. colica ab ileo.

Signa autem quæ vtrosque hos affectus distinguunt, potissimum sumuntur a quinque fontibus, a specie doloris, a magnitudine, a loco, ab excrementis, & remedijs. 1. a specie doloris, quia in dolore colico dolor est grauatiuus, magis tensiuus, in iliaco dolore pungitiuus, & acutus. Et vt Cælius Aurelianus dicebat, tortuosus. 2. a magnitudine, quia dolor colicus diuturnior est, interdum remissior: iliacus magis prosternit virtutem, citius finitur: quanquam memoriæ mandatum est a Rhase, visos esse iliacos, qui attigerunt ad diem 3. a loco, quia in ileo dolor est potius supra vmbilicum, quam infra: in colico econuerso dolor potius infra, quam supra, 4. ab excrementis, quod in ileo nihil emittitur infra, sed tantum supra, & vt Hipp. dicebat libro tertio de mor. primum exeunt pituitosa, deinde biliosa, tandem exeunt stercora, vrina rubea est, sudor frigidus. In colica emittuntur variæ materiæ per inferiora, modo mucilagines, modo stercora: sed plerumque per clysteres, & ope medicamentorum.

Id tamen hoc in loco notandum, quandoque in principio iliaci morbi fęces exire & educi vel per clysteres, vel sponte: sed quicquid educitur, illud est, quod in intestinis inferioribus reperitur, antequam malum incipiat.

Causa externæ.

Ad hæc colica permutatur in ileum, ileus vix fieri potest vt permutetur in colicam. Causæ externæ magis inducunt ileum, quam colicam. Auxilia per vomitum magis iuuant in ileo: per clysteres magis auxiliantur in colica.

Quō ileus a nephritico dolore distinguatur.

Signa quæ distinguunt nephriticum morbum ab ileo, sunt eadem, quæ monstraui distinguere colicam a nephritide.

Signa præsentis ilei.

Signa indicantia ilei præsentiam sunt hæc potissimum, quod supra emittitur aliquid, nihil prorsus infra, imo vero aluus & podex vsq; adeo adstrictus est, vt nec acum admittat, dolor acutus est circa ilea, & magis in superioribus intestinis, murmurant intestina: fiunt quidem ructus, sed nihil leuant, fętet anhelitus, vomuntur praui humores, singultus adest, pulsus densus fit, & dum pessime habent ęgri, stercora euomunt, sudor frigidus est, vrina supprimitur.

Signa causarum externarum.

Signa quibus cognoscuntur causę externę hunc morbum efficientes omnia fere capiuntur ex relatione ęgrorum, & adstantium: pręsertim autem factus cognoscitur ileus ex veneno, si signa pręcesserint venenum comitantia, vt est tremor cordis, debilitas partium, morsus oris ventriculi: atque etiam cognoscitur, si nulla alia causa adsit, vel manifesta, vel non manifesta. Si malum fiat a tumore, vomitus aderit & nausea frequens, ita vt neque possit morari diu in ventriculo frigidę aquę potus.

Dolor vehemens fit pręsertim vbi tumor factus est a causa calida, cupiditas egerendi perpetuo comitatur, & vt notauit Auicenna nunquam sunt sine febre.

Sed si tumor a causa frigida factus sit, dolor remissior est, nulla aut exigua est febris, vires non admodum prostratę.

Victus item pręcedens, corporis temperatura, ętas, indicabunt nobis, an tumor sit calidus aut frigidus.

Quod si fiat morbus a stercorum retentione, sonitus intestinorum fere perpetuus est, ac semper tota hypochondria videntur fere eleuata & in tumorem elata.

De prognostic. & signis illud primo sciendum, Ileum esse morbum acutum, & propterea qualiscunque est, & quomodocunque fiat: semper hic lethalis est, vt scribit Galenus 2. in 3. epid. 6. Verumtamen multi sunt gradus huius morbi, inter quos omnium est sententia, deterrimum esse illum ileum, in quo stercora euomuntur, ita vt nemini est videre ex his seruari, qui stercora vomunt. Aretæus scribit, interdum etiam intestinum putrescere, & putrefactum ac nigrum reijci, statimque ægrum perire. Secundo ponitur ab Auicen. ille ileus, in quo sudor emanat fœtidus instar stercoris, ita vt paucissimi euadant, aut nulli euadant, quorum sudor talis est. Tertio prauitatis gradu est ileus, in quo anhelitus fœtidus est. Quarto quando ructus fœtent. Mitior omnibus alijs, quando soli crepitus fœtorem habent.

Sed video aliquem dicturum, sententiam fuisse quorundam, vt refert Cælius Aurelianus, quod melius sit crepitus fœtere quam non fœtere in ileo: adducebant illi hanc rationem, quia fœtens crepitus est argumentum meatum intestinorum esse aliquantisper laxatum, quia permittit vt cum flatu exeant fœtida corpuscula: ex aduerso vbi crepitus non fœtent, argumentum esse, quod intestina sint angustissima, quia purus aer sine omni corpusculorum permixtione exit.

Sed porro ego has omnes fabulas esse, quia crepitus quantumcunque subtilissimi exeant, si pro ratione materia fœtere, necessario & ipsi fœtidi sunt, vt sit merum somnium, non fœtentes crepitus percolari, & quasi attenuari ob angustiam meatus.

Est Hippocratis sententia 6. apho. 44. & 10 coac. prænot. quod quibus ex vrinæ stillicidio ileus acciderit, ist. septima die pereunt, si non succedat febris, vel si non fluat vrina copiosa. Circa quam sententiam duo sunt notanda. 1. vbi scripsit Hippocrat. nisi fluxerit vrina copiosa, Auicennam retulisse, nisi fluxerit sudor copiosus, sed Auicennæ sententia aut deprauata est, aut omnino falsa, quia præterquam quod Hippocrati repugnat, etiam aduersatur rationi, quia vbi fit ileus ab humoribus frigidis, & crassis quidem potest vt illi humores eliquentur, & eliquati per vrinam expurgentur, sed quod possint expurgari per sudorem, rationi consonum non est.

Secundo notandum, Galenum exponentem hunc aph. confessum esse se ignorare, cur ab Hippocrate dictum sit, septima die hos perire, quasi hæc sententia constet non vlla ratione, sed experientia mera.

Non est vobis illud ignorandum, quod habetis apud Hippocratem libro tertio de mor. scil. hominem perire si forte fortuna sponte aluus soluatur, quemadmodum inquit etiam desperatum est, si vel summo curatio febris superuenerit.

Curatio ilei hunc scopum habet, vt dolor tollatur & mitigetur. Non est illud ignorandum, quod Aretæus scripsit, hunc dolorem magnum else & lethalem, nec non statim iugulare, ita vt alij mortem timeant, alij vero ob doloris magnitudinem potius mori optent: ideoque opus esse Medico, qui & maior sit & celerior ipso morbo rex quib. verbis colligitur, si quis est morbus in cuius curatione properandum sit, plane esse hunc morbum iliacum, itaque in eo curando eadem victus ratio instituenda, quam monstrauimus institui debere in colico morbo.

Cœlius Aurelianus vult, continendum esse ægrum in loco modice calido & lucido, inquiete & media, cuius consilium & ego maxime amplector, scil. continendum esse inquiete & media, præsertim vero vt curetis ægros vestros abstinere & a potu, & a cibo, quia cum non licet emittere excrementa, id saltem curandum est, vt non fiant, vel saltem paucissima.

Laudauit etiam Aurelianus, vt iliaci abstineant a somno, sed hoc consilium valde est perniciosum, quia tametsi vigiliæ magis videantur conferre ad deobstruenda intestina, prosternunt tamen magis vires, sicut valde eas reficit somnus: quare multo satius erit curare, vt temperate dormiant iliaci, quo scilicet vires possint conseruari.

Hippocrates 3. de mor. & 2. epid. laudauit potum vini generosi, in qua fere re, & in tota curatione damnatus est ab Aureliano.

Sed quanquam Cælius ratione ductus in aliquibus damnarit Hipp. tamen circa vini exhibitionē videtur ipse damnandus: ratio est, quia Hippocrates eo in loco fatetur, ileum fieri a causa frigida, humores frigidi a vino generoso proculdubio magis funduntur & colliquantur, quare iure in hoc casu probat generosi vini potum. Sed est & altera ratio, quoniam eum excrementa cibi solidioris non possint exire, & necessarium sit nutrire ægros, nullo melius est nutrire eos, quam vino generoso, eo quod ipsum nutrit velociter, nec excrementa gignit, sed quicquid superest ipsius per vrinam excernitur.

Quare Rhases lib. 9. ad Alm. vbi fit ileus vel a flatu, vel a causa frigida, probat vinum aqua temperatum, maximeque commendat vinum merum.

Vbi iliacus morbus ab inflammatione oritur, præsentaneum remedium est, quo solemus ceteras inflammationes curare, sc. sanguinis missio. Sed de loco sanguinis mittendi inuenio aliquam controuersiam Hipp. 3. de mor. scribit mittendum esse sanguinem a capite, & a cubito. Hunc Aretæus imitatus, præcipit statim mittendum esse sanguinem a cubito, & magnam sectionem esse faciendam, vt possit sanguis copiosus fluere, etiam ad animi vsque defectum. Sed contra hanc Hip. sententiam est sententia Celsi. 1. quia superfluum sit sanguinem mittere a vena capitis. 2. quod sit valde periculosum mittere sanguinem ad animi defectum, tum omnibus alijs morbis, tum præsertim in iliacis, in quib. propter inflammationem vires collabuntur.

Quod ad huius dubij resolutionem pertinet, sum ego huius sententiæ cum Cæl. Aurelianvanum

vanum esse in affectione iliaca sanguinē mittere a vena capitis; sic quoq; censeo non esse tutum vt mittatur vsque ad animi deliquium, nisi magnitudo doloris vrgeat, nam sæpe dolor adeo magnus est, vt cogat Medicos ad extrema remedia deuenire. Si vena secari ob aliquod impedimentum non possit, adhibendæ cucurbitulæ vel dorso, vel coxis.

Cucurbitulæ.

Misso sanguine conuertendum est totum studium ad deobstruenda intestina. Deobstruūtur autem intestina, si aluus soluatur: quare statim aluus est soluenda. Sed quoniam medicamentum purgans si exhiberetur, haudquaquam soluere posset aluum, imo vero magis deduceret materiam ad eas partes, ea propter antequam exhibeatur medicamentum, conandum est fæces emollire. Itaque fæces primo emolliendę erunt clysteribus, vel ex ol. solum, vel ex succo maluę, & oleo, vt est iste:

Aluum soluentia.

℞. Iuris castrati lib. j. vel
Ol. communis ℥ x.
Succi maluæ ℥. iij.
Butyri ℥. iij. M fiat clyster.

Clyster.

Hic enim clyster accommodatissimus est ad emolliendas fęces.

Quæ vbi emollitæ fuerint, vel acriori clystere, vel medicamento erit reliquum opus peragendum. Exemplum clysteris erit illud, quod tradidi vobis cum de dolore colico tractabam, nam etiam Hip. vtitur suppositorio ex felle taurino: In qua re licet damnatus fuerit a Cæl. Aurel. verū si quemadmodum decet interpretemur, Hip. saluberrimū consilium est. Medicamentum lene ad soluendam aluum erit tale.

℞. Fol. senæ ʒ. j.
Iuris pinguis ℥. v.
Fl. maluæ P. ß. bulliant parum, & colentur. Deinde in prædicta colatura dissolue mann. ol. ℥. iij. hoc enim medicamentum accommodatissimum, grauiora autem fugienda sunt, quia, vbi adest inflammatio intestinorum, valde exacerbatur & irritatur a medicamentis grauiorib. Interim si dolor sit vehemens, vt solet esse, non est dimittendum, quinetiam ipsi succurratur auferendo, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, præsertim autem balneo aq. dulcis, in quo herbę emollientes, & radices sunt decoctæ, quę si dolorem non leuant, deueniendum ad narcotica, & audacter, vt docet Aretęus, quia multi sunt, quibus in hoc misero morbo optatior est mors quam vita.

Medicamentum soluēs.

Narcotica.

Vbi nullum consilium iuuat ad educendas fęces, consulit Hippoc. vt accipiatur follis, & immittatur in intestina, per quem ventus in intestina mittatur, quo ipsa inflata & inuicem dissepārata prębeant ingressum clysteribus. Quod consilium videtur etiam Rhases comprobasse, ex sententia alterius cuiusdam. Sed Cęl. Aurel. damnat etiam hoc auxilium dupliciter. 1. quia venti missi in intestina, & frigidius, valde nocent. 2. quia generatur dolor propter extensionem intestinorum.

Follis ab Hippoc. præscriptus.

Si fiat malum a crassis & viscidis humoribus, nulla est ratio curationis ineunda, nisi illa quam pręscripsimus, cum egimus de colico dolore facto ab his humoribus. Nec dicatis Gal. 6. aph. 44. negasse fieri ileum ab humoribus crassis & viscidis, quia etsi eo in loco hanc rem non admodum comprobat, nō tamen aperte damnat, quia cognouit etiam a copiosis humorib. crassis & viscidis fieri posse hanc ægritudinem.

Curatio ilei ab humorib. crassis.

Hip. 2. epid. in hoc morbo commendauit vinum merum frigidum potatum, donec sopor superuenerit; quod genus auxilii fuit etiam laudatum a Rhase: sed Cæl. Aurel. vt sui moris est, etiā in hoc damnauit Hip. quasi neq; conueniat ratione inflammationis, quam dicit semper coniūctam esse huic morbo, neque etiam quia soporem inducit. Sed in hac re damnandus Aurel. quia Hip. dat vinum quādo vt supra dixi, humor frigidus & crassus est, dat frigidum, vt etiam in pauca quantitate possit soporem inducere. Soporem autem quærit Hip. hoc in morbo propter dolorem, a quo eneruantur, & corrumpuntur vires, quo fit vt male hac in re Cælius damnarit Hippoc.

Vinum.

Diocles lib. 4 curat. in his casibus iubebat plumbeam pilulam sumere, quasi huiusmodi corpusculo pondere penetrans intestina, expelleret quod obstruit. Sed hoc genus auxilii pluribus rationibus est damnandum. 1. propter plumbi frigiditatem, a qua frigiditate calor natiuus, qui paucus est, pene extinguitur. 2. quia haudquaquam tutum est plumbum penetrare, & expellere obstruentia corpora, vnde si remaneret plumbum in corpore, clarum est maximum damnum esse allaturum. 3. quia etsi penetraret in intestina, atque etiam foras exiret, periculum tamen imminet, ne inter pertranseundum intestina corrodantur, & fiat dysenteria.

Plumbea pilula improbatur.

Si ileus fiat a stercore retento, siue a multitudine stercoris, duplex habetur scopus. 1. vt tota illa materia stercoraria, quæ exsiccata est, emolliatur. 2. vt virtus expultrix, quæ alioqui sopita est, excitetur.

Curatio ilei a stercore retento.

Ad emolliendam viam vsurpari solent etiam intrinseca remedia per os, & per clysteres, & extrinseca. Intrinseca sunt ol. amygd. dulc. potu acceptum, ol. sem. lini, sunt etiam brodia pinguia, in quibus coquitur mercurialis, lapat. althęa. Clysteres autem emollientes sunt isti, quos nuperrime monstraui. Similiter etiam balnea eadem quæ, vt dixi, conueniunt ad emollienda stercora. Sed potissimum prodesse solent balnea ex ol. dulci, præsertim si & frequenter vsur pentur, & non hora una aut dimidia, sed tribus atque pluribus æger in eod. balneo moretur. Ad excitandam autem uirtutem expulsiuam sunt accommodata suppositoria, quę fiant ex felle taurino, grano cnidio, nitro, ut

℞. Nitri,
Salis gemmæ an ʒ.j.
Grani cnidij,
Helleb. vtriusque,
Colocynth. an gr. v. cum melleq. s. fiat suppositorium, hoc enim est acerrimum, ad hoc, vt possit virtutem expulsiuam excitare. Similiter etiam fiunt clysteres acres ex centaur. Colocynth. vt illud.

Fol. brancæ vrsinæ
Centaur maioris & min an. M. ß.
Rad. althea,
Malua an. ℥. ß.
Hiera.
Colocynth. an. ʒ. iij.
Mell. ros solut. ℥ iiij.
Salis ʒ j M. fiat clyster.

Perforatio intestinorũ. Auic. etiam vtitur medicamentis acrioribus, vbi sc. emollita fuerint intestina, quæ etiam videtur fuisse sententia Hipp. loc. cit. Et quanquam Cæl. Aurel. damnat perpetuo vsum medicamentorum acrium eo, quod irritent inflammationem, quæ semper coniuncta est huic malo, veruntamen interdum contingit, vt etiam vsus horum sit necessarius, quando neque clysteres leues, neque acres, neque suppositoria quicquam conferunt. Imo vero Praxag. qui suo tempore floruit, & cuius celeberrimam semper mentionem facit Gal. vbi alia remedia non profunt, laudat vt pertundatur peritonæum prope pubem, atque eo pertuso, simul etiam perforentur intestina, & ex ipsis perforatis extrahantur stercora, & deinceps intestina, & peritonæum consuantur. Sed istud consilium videtur inhumanum, quia si pertunduntur intestina, ægri iugulantur, scripsit enim Hipp. in aph. intestina incisa nunquam consolidescunt: vnde fit vt omnia intestinorum vulnera lethalia sint.

Curatio ilei ab humorib. crudis. Si fiat morbus ex humoribus crudis, ita vt humores crudi, viscidi, copiosi, obstruentes intestina faciunt malum, primo studendum, vt cibi crudi, & corrupti, qui sunt in ventriculo, per vomitum euacuentur.

Ad quod præstandum oxym. succus & semen raphani maceratum in vino, sem. anethi in coctum iuribus, maxime conferunt, quia his remedijs per vomitum facile reijci solet quicquid crudi humoris in ventriculo continetur.

Vbi per vomitum educti sunt crudi humores, tunc prouidendum est, vt clysteribus & suppositorijs per aluum educantur & stercora, & flatus siquidem hoc fieri non possit per medicamenta, Clysteres sunt accommodati qui fiunt ex medicamentis desiccantibus, & emollientibus, vt exemplum est istud.

Clyster.

℞. Vini optimi lib. j. ß.
Rad. malua,
Althea an ℥. j.
Sem anisi P. j.
Fl. chamom. P. j. f. f. decoct. s. a. & recipe dictæ decoct. lib. j. s.
Mel. ros. sol. ℥. iij.
Hieræ simpl.
Elect. dactylis an. ʒ. iij.
Olei camom ℥. iiij. M. fiat clyster.

Suppositorium. Poterimus etiam suppositorium efficere hoc pacto.

℞. Specierum hieræ ʒ. ij.
Nitri ℈. j.
Pulu. anisi ℈. ij.
Mellis q. s. Misce f. suppos.

Fotus. Quod si hæc non profunt, deueniendum ad medicamenta, & hoc in casu sunt ea medicamenta accipienda, quæ possunt incidere humores viscidos, & crassos, eosque auellere a tunicis ventriculi, vt est vel mel ros. multum, sc. ad ℥ v. vel ℥. vj. aut hiera & diacatol. vt esset istud medicamentum.

Hieræ simp Galeni ʒ. iij.
Diacatholic.
Elect. de psill an. ℥. iiij. M. f. b.

Hoc tempore etiam sunt fouenda hypochondria aliquo decocto emolliente. Vt est illud.

℞. Caput agni
Fol lapathi.
Maluæ an M. j. ß.
Sem. lini P ij.
Aq. communis lib. xv. f. decoct. & cum spongia foueantur intestina.

Curatio ileia venenis. Iuuat etiam fouere hoc eodem decocto podicem. Laudant fere omnes Medici in hoc casu crustam panis in aq. feruente maceratam & deuoratam. Auic. quoque laudauit potum aquæ calidæ, nam aqua calida humores frigidos & crassos dissoluendo deobstruit.

Si fiat

Si fiat malum a veneno, ratio curationis est eadẽ, quæ in alijs venenis acceptis, vt sc. primo vomitu reiiciatur quicquid veneni est in primis uiis. hoc enim communissimum est in omnib. venenis: & in hoc genere, vomitus parandus est ex rebus vnctuosis & pinguibus, quia non solum educitur materia venenata: verum etiam pinguedine obtunditur acrimonia veneni. In hoc casu laudatur oleum rancidum, butyrum antiquum eliquatum: laudantur iura antiqua: tandem quicquid pingue est, & vomitum concitare potest. Vbi per vomitum fuerit materia reiecta, vel non sit timor alicuius veneni, tunc agendum est remedijs, quæ resistunt qualitati venenatæ, vt est Ther. Mithrid. puluis aduersus venena, puluis scordii, lapis bezoar, & tandem quicquid putatum est venena debellare. Quod si etiam suspicio superesset, deueniendum est ad purgantia medicamenta, quia talia educunt e corpore venena, simul frangunt vires veneni, ita vt venenum e veneno extinguatur.

A proprietate conferentia.

Sunt deinde multa medicamenta apud Plin. Scribon. Marcell. quæ existimata sunt proprietate aliqua conferre ad superandum hunc morbum, quibus etiam nos postulante vsu poterimus vti, vt est senectus serpentis apud Marcellum, c. 29. quæ senectus in vase stanneo, & in ol. rosac. coquitur, deinde illo vnguento illinitur totus venter iliacorum. Similiter apud Plin. lib. 30. cap. 2. est aliud remedium, quod scribit vtilissimum esse in hoc grauissimo morbo, & est sanguis vespertilionis, qui ventri iliacorum illinitus, vt docet auctor ille, magnopere vtilis est: Sunt & plura alia remedia, de quibus dicere supersedeo, ne vobis molestus sim.

GAPVT XXVII.

De dysenteria.

Nomen.

POst colicum affectum, & ileum fieri consueuit alius quidam morbus, quo frequenter homines tentantur, Græcis dysenteria, quemadmodum, & nobis dictus, aliqui Latini verbum transferentes, intestinorum difficultatem dixerunt. Elegantius vero Celsus vocat hunc morbum tormina, eo quod homines torqueat, deducta vero huius morbi denominatio est a parte affecta, sc. ab intestinis. Sed antequam vlterius progrediamur, notandum hoc nomen esse in duplici vsu apud Medicos, quandoq; enim significat quemlibet fluxum sanguinis ex ano, vt testatur Gal. 3. de sym. caus. quandoque accipitur pro vlcere intestinorum, seu vt Coru. Celsus dicit, pro alui fluxu cum intestinorum exulceratione.

Definitio.

Est itaque morbus hic fluxus alui cum exulceratione, & dolore, vnde facile patet, dysenteriam morbum esse in vnitatis solutione, a quo morbo fit, & dolor, & alia symptomata, quæ suo loco audietis.

Locus affectus.

Locus affectus est omnium intestinorum ordo: nam nullum est intestinorum genus, quod expers sit huius ægritudinis, siue sit crassius intestinum, siue tenue. Sed dubitatione dignum est. An sicuti dysenteria fit in omnibus intestinis, ita etiam possit vno, & eodem tempore omnia intestina exercere. Cæl. Aurel. sic sensit 4. de acut. pass. fieri nequaquam posse, vt omnia intestina laborent vlcere, quia homo interiret, antequam omnia intestina exulcerarentur. Serapio aliter sensit, non solum posse eodem tempore omnia intestina tentari vlcere, sed etiam cõtingere hoc. Statuendum mea sententia est, omnia intestina vlcere tentari posse, dupliciter fieri, vel vt tota vlcerentur, vel in aliqua parte; omne genus vlcerari plane rationi consonum est, atque hæc fuit Serapionis sententia: sed quod tota intestina possint eodem tempore dilacerari: non est rationi consonum. Cęlius enim necessarium esse dixit, vt homo prius pereat, quam hoc contingat.

Intestinorũ anatomia ex Gal.

Fiunt itaque vlcera in omnibus intestinis plerisque varijs temporibus: & quia vario modo possunt vlcerari, & affici, hinc etiam fit vt varii sint gradus, & variæ species huius ægritudinis, quos gradus vt inueniatis, debetis cognoscere id, quod scripsit Gal. in lib. de anat. adm. & 4. de partium 16. scilicet naturam fecisse quædam instrumenta, scil. intestina, vt per ipsa distribueretur cibus reliquis membris, & vt excrementa crassiora excernerentur: Verum vt huic muneri possint inseruire intestina, constituit ipsa ex duabus tunicis, prima tenuiori, altera crassiori, & carnosa, secundum quam substantiæ formam dicit Gal. non multum differre intestina a natura ventriculi. Natura itaq; ne offenderentur intestina ab asperitate excrementorum, obliniuit intestina quodam muco, qui tuetur ipsa, ne offendantur: imo vero, vt etiam Vesalius in suis libris anat. dixit, in multorũ inuenitur intestinis adeps copiosissimus, vt non male faciant Arabes, qui hunc mucum modo adipem, & pinguedinem, modo mucilaginem appellant: imo Gal. 4. aph. 26. nominat adiposa intestinorum corpora.

Tres gradus dysenterię.

His itaque constitutis cum tres sint partes, ex quibus intestina videntur constituta, tres etiã sunt gradus dysenteriæ, prout partes has tres infestat, si enim mucus ille seu pinguedo dissoluatur, & abradatur, efficitur primus gradus dysenteriæ. Arabes hunc nominant fluxum mucosum, adeo quod adeps tantum, & mucus abraditur. Si autem vlcus depascat non modo hanc pinguedinem, verumetiam primam tunicam, fit secundus gradus, quem appellat Aretæus pelliculárem. Sed si non solum hæc prima tunica, verumetiam secunda vlceretur, fit tertia species dysenteriæ, quæ proprie dicitur dysenteria, & hæc est perfecta.

Profundorum vlcerũ tria genera.

Aretæus primum gradum videtur prætermisse, & duorum posteriorum solum fecisse mentionem. Profundorum vlcerum rursus tria genera fecit. 1. quando vleus parum profundũ est, ita vt sanguis tantum exeat. 2. quando vlcera sunt admodum profunda & depascentia, ita vt ex ipsis etiam sanies emanet. 3. quando non solum profunda, & depascentia sunt, verumetiam inæqualia & callosa. Ad hæc genera licebit vobis reducere omnes alias differentias, quas inueneritis traditas ab Arabibus.

Causa. Interna.

Causæ, a quibus vlcera veniunt, sunt vel externæ, vel internæ. Internæ nullæ aliæ sunt, quam humores acres, mordaces & corrodentes, qui humores vel sunt biliosi, & pituitosi, vel melancholici. Sed quia humores duorum sunt generum, alii naturales, alii præter naturam, nullus humor naturalis potest esse causa dysenteriæ, quare qui putant posse fieri dysenteriam a sanguine, etsi fuerint grauissimi viri, valde tamen fuerunt hallucinati, quia neque sanguis, neque pituita, neque bilis, neque melancholia potest corrodere, nisi aliquam putredinem contraxerint, vel ipsis permixti fuerint humores corrodẽtes & putridi, qui humores si pauci fuerint, neque has qualitates admodum intensas habuerint, faciunt primum dysenteriæ gradum: si pauci, & habuerint has qualitates intensas, faciunt secundum gradum: si multi, & immoderati, faciunt tertium gradum.

Cur humores acres vẽtriculum nõ corrodant.

Præterea humores gignuntur aut in ipsis intestinis, aut aliunde ad ipsa manant. Gignuntur in intestinis, quando fit in ipsis tumor, aut inflammatio, vt in ileo. Mittuntur autem aliunde, quando mittuntur vel a iecore, vel a liene, vel ab alio viscere inflammato, vel a capite. Nam Hipp. in lib. de intern. aff. docet, dysenteriam, diarrhæam, lienteriam fieri etiam ex fluxione a capite. Mittuntur etiam humores facientes dysenteriam a ventriculo, & a toto, vt in febribus.

Obijcitur, quomodo fieri possit, vt humores acres mittantur a ventriculo in intestina, qui corrodant intestina, & ventriculum non corrodant? Nam vt dicebam fuit sententia Galeni, parum dissimilem esse naturam intestinorum a natura ventriculi. Respondeo duas ob causas hoc non contingere. 1. quia si humores pauco tempore remanẽt in ventriculo, in intestinis autem diu morantur propter spiras illas, & anfractus, quos non ita cito reperire est, vnde cum permaneant diu in intestinis, facile agendo in ipsa multo tempore, vlcerant intestina, quod quidem fieri non potest in ventriculo. 2. quia tametsi Gale. dixerit, non esse dissimilem intestinorum naturam a ventriculo, est tñ aliqua dissimilitudo, quia substantia ventriculi durior est ideo facta, quia asperiorem cibum ventriculum amplecti oportebat.

Quod hoc sit verum, videatis apud Hip. lib. 4. de morbis, vbi ait, ventriculum non lædi neque pertundi a medicamentis, quia substantiam duram habet: habere autem substantiam duram, probat exemplo: siquidem Africani cum vtuntur pellibus animalium pro indumentis vtuntur ventriculis animalium pro crumenis, quod hæc substantia solida sit, & dura, atque apta continere substantias durissimas.

Externæ causę.

Externæ causæ, quæ faciunt dysenteriam, multæ sunt. 1. nimium frigus, & nimius solis, & aeris ardor, propter quod iure scripsit Auic. habitatores plagæ meridionalis, & dum spirant austri, fieri dysentericos. Sic Hip. 3. aph. 11. & 12. scribit, si fiat hyems aquilonia & sicca, ver autem pluuiosum & austrinum, fieri dysenterias: sic etiam si hyems fiat pluuiosa & austrina, ver autem æquilonium, futuras esse dysenterias. Tempus etiam anni in causis habetur, quia vt Aretæus inquit, in æstate fiunt maxime dysenteriæ, post æstatem in autumno, minime omnium in hyeme.

Casus, percussiones conferunt ad inducendas dysenterias, item potus venenorum, & medicamentorum acrium. De venenis historiam habemus illius concubinæ apud Auenz. libr. 2. tract. 1. c. 5. nam nullum est fere genus venenorum, præsertim eorum, quæ necant corrodendo, quod non inducat dysenteriam. Infusio importuna clysterũ idem facit, potus aquę frigidæ nluis, aqua palustris, & lacustris.

Carnes vetustæ causę dysenteriæ.

Præcipuæ autem causæ internæ, vt notat Aretæus, sunt cruditates, & quędam ciborum genera, vt cæpæ, allia, carnes vetustæ. Sed notandum de carnibus vetustis, quia quod dixit Aretæus non est intelligendum de carnibus animalium senum, sed de illis, quæ diu seruantur, veluti, quę putrefactæ sunt. Dicebat enim Hip. 2. de victus rat. carnes quanto sunt recentiores, tanto magis corroborare, quia sunt proximæ viuentibus: quanto vero sunt vetustiores, eo magis aluum soluere, quia sunt proximiores putredini.

Sunt etiam herbæ aliquæ peculiares, quæ facultate propria dysenteriam inducunt, vt Auẽz. de seipso recitat, qui cum in Siciliam reuerteretur, in itinere manducabat herbam quandam, ex qua factus est dysentericus, vnde monuit Medicos ne comederent herbas sibi ignotas.

Signa. Communia.

Signa quibus dysenteria cognoscitur, vt Gal. scribit 12. meth. 7. sunt scientifica, nam si signa dysenteriæ, & pleuritidis conferantur cum signis aliarum ægritudinum, procul dubio multo sunt certiora illis, vt iure dixerit Gal. esse scientifica. Sunt autem communia signa hæc, cruenta excretio, dolor, & torsio, nam differt proprie sumpta dysenteria a communiter accepta, quia licet in illa adsit sanguinolenta excretio, tamen non sunt tormina, nec est dolor. Peculiaria alia quæ indicant locos, alia quę indicant gradum, alia quę causas.

Signa indicãtia locum.

Locum indicantia signa, vt docet Galen. 6. de loc. aff. 2. sic accipiuntur, quia si fuerit vlcus in crassis intestinis, primo pręcedit dolor, sed statim, aut paulo post recedit, in excretione apparent pinguedines seu mucil. sanguinis, dolor est sub vmbilico. Addidit Aue. quod si longanũ

intestinum

Intestinum solum, aut inferiora ipso fuerint vlcerata, stercora magis cocta exeunt. Si autem vlcus fuerit in intestinis tenuioribus, dolor & intensio supra vmbilicum erit, quæ torsiones præcedunt excretiones, sed multo post succedit excretio, quia cum intestina sint in superiori parte, materia dum exeutrit, vlcus vellicat, facitque dolorem: sed quia longum est interuallum, quod transire debet, vt etiam longum tempus intercedat, necesse est. Ad hæc abrasiones paruæ sunt sine pinguedine sanguini admixtæ.

Signa gradus.

Signa gradus sunt, quod si vlcus fuerit in primo gradu, excretiones erunt mucosæ, apparebunt corpora mucosa & adiposa, vt dicit Gal. 4. aph. 26. sine sanguine, cum torsione & dolore: si in secundo gradu, apparent partes cuticulæ excorticatæ, dolores sunt acriores, aderit stercoris fætor, ardor, sitis, febricula: si in tertio, fætor maior adest, maior dolor, in excrementis apparent caruneulæ, vt dicebat Hippoc. non amplius apparet pinguedo, & mucus, imo vero, vt docet Aretæus, interdum etiam apparent partes intestinorum.

Differentia vlcerum in dysenteria.

Est tamen aliqua in his vlceribus differentia, quia vt notat Aegin. interdum huiusmodi vlcera sordida sunt, interdum non, vbi erunt sordida, præter foetorem, dolorem, & ardorem in excrementis adest virus, & sanies: quæ modo bilem flauam, modo atram, modo pituitam salsam repræsentat: nam si fuerit pituita, aderunt excrementa aquosa, virulenta, & albidiora: si melancholia, exerementa erunt nigriora, fermentabunt terram.

Sed notate, id quod tributum est melancholiæ de fermentatione terræ, ab Hippoc. lib. de int. pass. tributum est etiam pituitæ, ita vt inueniatur etiam aliqua pituita, quæ instar melancholiæ terram fermentet: nam causæ quæ faciunt dysenteriam, cum nihil aliud sint quam humores ipsi, ipsæ cognoscentur ex coloribus exerementorum.

Reliquæ causæ externę cognoscentur solummodo vel ex diligenti ægri peruestigatione, vel a Medico solerti, & magno iudicio prædito.

Prognost.

Quo ad prognostica primus gradus dysenteriæ curatu facilis est, quãdoquidem, vt docet Galen. non raro sponte curatur sine medicamentis: sic etiam dysenteria, quæ fit in crassiorib. intestinis nequaquam habet difficilem curationem, tum quia facile remedia possunt adhiberi, tum quia illa ignobilior est, & potest facilius tractari, imo dicit Auic. visos esse curatos quib. per vlcera crassiorum intestinorum fæces exibant.

Ex altera parte dysenteria secundi, & tertij gradus difficilem curationem suscipit, & quæ fit in tenuiorib. intestinis difficilima est curatu, tum quia magis vrget, tum quia minus exposita est remedijs. Hipp. 4. aph. 26. inquit, lethale signum esse in dysenteria, si caruncule exeant, prefertim si illę magnę sint. Sic dysenteria quæ est facta cum inflammatione, & copulata est febri malignæ, in qua fæces apparent nigrę, & porraceę, omnis talis dysenteria lethalis est.

Est autem in his aliqua differentia, quia quæ fit a pituita, mitior & magis continua est; quæ autem fit a bile, acutior est, & magis cruciat, vt iure merito Gal. 3. aph. 12. appellarit hanc dysenteriam crudelissimam. Dysenteria quę facta est ab humore melancholico, vt habetis apud Galen. in lib. de atra bile semper mala est, omnium deterrima, quãdo fęces nigrę apparent in principio, vt videre potestis apud Hipp. 4. aph. 24. si per crisim autem, vt contingit, efficiatur dysenteria ab humore melancholico nequaquam est adeo mala, quia humor per crisin reiectus semper est coctus, quare fieri non potest, vt sit adeo prauus.

Quemadmodum etiam ea dysenteria praua nõ est, quæ fit ab humore melancholico, si lien expurgetur.

A dysenteria vbi appetitus destructus est, semper lethale est, id tamen est notandum, quod dicit Hip. 2. progn. dysenteriam superuenientem podagris inueteratis, liberare a malo.

Curatio. Indicationes. Aer.

Curationis tota ratio in hoc sita videtur, vt quæ perfecta est, curetur, quæ in principio, pręcaueatur: quia vero, quę facta est dysenteria vlcera habet, ratione curationis postulat, vt illa consolidentur, quod cum fieri non possit, nisi prius exsiccentur, primo scopus curationis in exsiccatione videtur positus. Quare aer primum eligendus est siccus, in actiuis qualitatib. temperatus, vel saltem declinans ad contrariam qualitatem: vehemens omnis motus vitãdus, somnus semper confert, neque in his morbis est curandum, vt non dormiant a cibo, quia per somnum retinẽtur humores fluentes. Est scriptum in fine 7 epid. scortatio turpis dysenterię medela est, quę sententia aut a me non intelligitur, aut absurda est.

Cibus.

Cibus semper debet esse paucus, tenuis, & facilis concoctionis: paucus quidem propter duas rationes. 1. vt membra reddita auara retineant humores, qui rapiuntur in intestina. 2. vt sicut Serapio dicebat; pauca gignantur stercora, & ne multitudine stercorum magis irritentur intestina, quę irritata sanescere non possunt. Debet etiam cibus esse facilis coctionis propterea non male Cæl. Aur. improbat Praxagoram, qui vtitur biscocto, quia etsi hoc genus cibi exsiccet, est tamen difficilis concoctionis.

Debent pręterea cibi vim emplasticam, & visciditatem quandam habere, ratio est, quia humores qui faciunt malum, acres sunt, & subtiles, propterea obtundendi sunt, & incrassandi; propter hoc fiunt pulmenta varia, ex amylo, farre, oryza, milio, quę modo percocta sint, siue colara exhibeantur, semper maxime conferunt prę sertim si incoquantur in aq. chalybeata, vel pluuiali. Panis optime fermentatus, & coctus, sic & oua.

De ouis.

Sed volo vos notare de ouis, esse fere commune pręceptum omnium Medicorum, vt oua durata, & in aceto cocta tradantur, quod quidem consilium nunquam probare potui. 1. quia acetum mordicat intestina, & eo magis, si sint vlcerata. 2. oua indurata difficilia sunt coctu etiã

athletis,

athletis, multo magis ipsis ægris: propter quod fit vt necessario hæc oua in ægris corrumpantur insigniter, vbi corrupta sunt, quæ mala faciãt, vosmet videre potestis. Quare etsi vsus hic sit veterum, a me tamen probari non potest.

Carnes. Fructus.

Conueniunt carnes exsiccantes, vt perdicum, gallinarum antiquarum. Gal. n. ius gallinę antiquæ aluum adstringere tradiderit. Inter carnes, capreolorum, leporum, caro pedum vituli, accommodata sunt. Ex fructib. conueniunt quicunque adstringunt, vt mespila, cydonia, sorba, corna, quæ & cocta, & condita saccharo sumi possunt. Inter herbas vtilis est vsus plantaginis, portulacæ, acetosæ, buglossi.

Pro potu laudatur aq. pluuialis vel aq. chalybeata, vel brodium, in quo cocta sit plantago: nonnullis etiam propter assuetudinem, & præsertim quando febris exigua est, conceditur vini vsus, sed vini adstringentis, rubei. Lac similiter a multis commendatur, præsertim si coquatur, aut cum silice ignito alteretur, aut vt iubet Gal. mel immisceatur.

Sed de vsu lactis non exigua est controuersia, nam & inter veteres, & recentiores fuerũt qui lactis vsum damnarũt. Cæl. Aur. inter veteres damnauit Dioclem, eo quod vteretur lacte cum melle, hac ratione, quod lac cum solet sua sponte alui fluorem inducere, fit vt magis sit illius vsus dãnandus in illis, qui fluorem alui iam habent. Inter recentiores fuerunt, & alii, qui damnarunt lac, adducti auctoritate Hip. 5. aph. 64. quo loco scripsit, lac non conuenire neque in deiectionib. biliosis, neque in febrib. inquiũt isti, in dysenteria deiectiones esse biliosas, febres acutas fere semper copulari, & ideo nullo pacto lactis vsum conuenire.

Altim. resp.

In hac controuersia sic Altimarus respondet: lac in vsum venire dupliciter, vel per se solum, & simplex, vel alteratum, & coctum: solum quidem non conuenire lac, & hoc modo intelligendum esse Hip. coctum, & alteratum facile posse accommodari in dysenteria, vt Hip. 7. epid. in filio Critolai vsus est lacte alterato ignito silice. Hæc Altimari solutio satis sana est, verumtamen si ita simpliciter intelligatur, nequaquam omnes tollit difficultates: Ideo dicendum, seruatis trib. conditionib. lac conuenire. 1. vt nullo modo exhibeatur in febribus acutis, & magnis. 2. vt nunquam exhibeatur lac simplex, sed coctum, & alteratum, vt notauit Aetius, & alii. 3. vt nunquam vtamini lacte, nisi corpus fuerit paulisper purgatum prius.

Conditiones in exhibendo lacte.

Instituto victu in dysenteria, statim videndum, an facta sit dysenteria ex aliqua crisi, an vero sit ob aliam causam. Si a crisi, nihil innouandum est, sed prouidendum, vt tueamini intestina, ne magis vlcerentur, quando dysenteria in primo gradu est. Modus autem intestina a grauiori vlceratione defendẽdi, est vel per interna, vel per externa medicamẽta. Ex externis medicamẽtis sunt olea, & pinguedines, quæ ventri, & lumbis illinantur, vt est ol. rol. omphac. myrthinum, pinguedo hircina. Per os administrantur, quæ possunt obtundere acrimoniam humorum. Per anum administranda sunt ea clysterum genera, quæ & loricare, vt dicunt, intestina possunt, & obtundere acrimoniam. Cysteres quibus ego, vti soleo, fiunt ex pinguedine castrati, ex succo vel milii, vel hordei vel oryzæ: fiunt & clysteres ex brodiis, vt.

Medicamenta externa. Interna. Clyster.

℞. Brodii castrati pinguis lib. j. ß.
Vitelli oui. num. ij. M. f. clyster.

Hic enim non solum obtundit acres humores, sed etiam obducitur pinguedo tunicis, ita vt transeuntes humores nihil offendant.

Solent aliqui miscere adipem hirci, de qua re etsi aliqua dixerim in tract. de mor. curan. placet tamen aliqua nunc addere; vsum huius adipis puto perniciosissimum esse in clystere. Ratio est, quia vt scribit Gal. 4. simpl. 6. adeps hircinus igneus est, & acris, & propterea mordet, & adurit, qui ergo fieri potest, vt intestinis vlceratis possit prodesse? imo potius videtur nocere. Nec valet quod Gal. videatur sensisse a. simpl. 12. huiusmodi adipem in dysenteria prodesse, quia & contextus Græcus, & Latini antiqui non habent adipem hirci, sed succum tragi: At recentior interpres cum sciret τράγον Græcis dici hircum, & cognosceret hanc eandem vocem significare quoddam genus cereale: trãstulit potius hircum, quam tragum, vt debebat. Sed huius loci explicationem habetis in Gal. operibus, quæ nunc excuduntur, nostræ editionis.

Adeps hirci.

Si non facta sit dysenteria a crisi, est videndum, quinam sint illi humores, qui faciunt malum, an scil. bilis, an pituita salsa, an vero melancholia: & quicunque horum sint, an fuerint commixti sanguini, an separati, quia dubitatum est, & iure, numquid in dysenteriæ curatione conueniat phlebotomia. Ex vna parte non videtur conuenire: quia nullus Arabum videtur mentionem fecisse huius auxilii, imo vero nec Gal. meminit, sed potius 1. ad Glauc, videtur contrarium statuisse, vbi loquens de febri fluxui copulata, inquit neque agendum esse medicamentis purgantib. neque venæ sectione, eo quia illa euacuatio sufficit. Si itaque Gal. in simplici alui fluxu damnat missionem sanguinis, eo magis damnanda videtur in grauioribus fluxibus, vt est dysenteria.

An in dysenteria, conueniat venæ sectio.

Ex altera parte est Altimarus, & alii, qui conati sunt probari, in dysenteria quandoque prodesse sanguinis missionem, quia per hanc dolor mitigetur: doloris autem cura est habenda in hac affectione. Deinde quod per venæ sectionem fluxus humorum prohibeatur, & propterea cum hoc medicamentum perpetuo foueatur a fluxib. materiæ, iure fit vt ex venæ sectione magna accedat vtilitas. 3. probat Altimarus prodesse venæ sectionem, quia vt docet Gale. 4. de art. 40. in dysenteria semper curandum iecur, venæ sectio refrigerat iecur: quare etiam hac ratione conuenire videtur venæ sectio.

Pro resolutione huius rei sciẽdum, dysenteriam vt dysenteria est, numquam postulare remedium

dium hoc phlebotomiæ, ſed ſi requiratur hoc remedium non propter hunc effectum, ſed propter alium requiri, ſcil. propter ſanguinis multitudinem, propter quam magna fit in vaſis ebullitio; & conſequenter fit, vt continuo feruidi & acres fiant humores, qui tranſmiſſi ad inteſtina malum augent. Itaque ſi humores fuerint permiſti ſanguinis multitudini, mittendus eſt ſanguis, in alio caſu, & propter aliam cauſam nequaquam. Nec valent rationes Amati, quod cohibeantur fluentes humores, & quod dolor leniatur, quia ſunt alia remedia multa, quæ magis coercent fluentes humores, & quæ magis leuant dolores ſine periculo: & propterea debet Medicus ea eligere remedia, quæ periculo carent. Neque valet ratio ex Gal. quia ſi recte examinentur eius verba, eo loco loquitur de dyſenteria hepatica, in qua neceſſarium eſt iecoris curam adhibere: ſed in vera, de qua nos loquimur, nunquam ita curandum eſt iecur, ſed tantum curandum eſt malum factum.

Locus mittendi ſanguinis eſt ab ea parte, a qua ſolet plenitudo magis euacuari, qualis eſt vena interna brachij dextri, nam præterquam quod hac ſectione ipſa plenitudo adimatur, fit etiã inſignis retractio, vt Galen. dicebat in lib. de ſang. miſſ. venam brachij ſectam cohibere fluxum menſtruorum: pari pacto putandum, hac eadem ſanguinis miſſione coerceri fluxum aluiʒ præſertim ſanguinolentum. Quare clariſſima eſt ratio, quod nunquam ſanguis eſt mittendus, vel a ſaphena, vel ab alia parte inferna, quia per huiuſmodi remedium magis augetur malum.

Neque videre poſſum quam ob cauſam Themiſon ille, vt refert Cæl. Aurel. voluerit, in dyſenteria curanda ſanguinem detrahendum modo ab auribus, modo a naribus, modo ab oculorum angulis, quia per huiuſmodi ſanguinis miſſionem nequaquam vlla inſignis fit vacuatio humorum fluentium, quæ ſit apta, & commoda ad malum auferendum.

Si fiat dyſenteria a prauis humoribus, fuit Gal. ſententia 2. ſimpl. 1 a. ante alia purgandos eſſe humores. Quare ſi fuerint biliosi humores, primo ſunt præparandi, ad quos præparandos hic ſyr. confert.

Potus præparans bilẽ.

℞. Fol. plantag.
Portul.
End.
Acetoſa an. M. j. ß.
Hordei torrefacti P. j. ß. f. decoct. ſ. a.
Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. roſati.
De endiu.
Cichor.
Portul an ℥. M. f. potus.

Præparatis humoribus purgandi ſunt, ad quod accommodatum eſt rhabarb. torrefactum. Nec curate calumnias Amati Luſitani, qui hunc vſum improbauit, ſiquidem non eſt verum, in rhab. torref. igneam vllam vim relinqui, ſed illud ſolum fit, vt vis adſtrictoria maior, & exiccatoria relinquatur. Sunt etiam aliqui qui damnant Tamar. eo quod ſint acidi, cuius ratione irritent inteſtina. Quorum ſententia falſa eſt, quia modica illa aciditas Thamarindorum iuncta eſt materiæ terreſtri, merito cuius adſtringunt, atque exſiccant. Igitur hoc medicamentum ad expurgandos humores erit accommodatum.

Purgans cõueniens.

℞. Rhab. torrefacti ℈. iiij.
Pulpæ Tamar.
Diacathol. an. ℥. ß. M.

Curatio dyſenteria a pituita ſalſa.

Et notate, medicamenta, quæ propinantur in dyſenteria curanda, meliora eſſe, ſi in ſolidiori forma accipiantur. Si malum fuerit a pituita ſalſa, ipſa præparanda eſt hoc modo:

℞. Fol. beton.
Plantag.
Roſ. rub. an. P. ß.
Cort. granat. ℥. iij. f. decoct. ſ. a.
Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. de roſis ſiccis.
Myrt.
Cydon. an. ℥. ß.
M. fiat potus.

Præparata pituita purganda eſt potiſſimum agarico, quem ego ſoleo torrefacere vt Rhab. quia ſi torrefiat, eandem habet facultatem in dyſenteria curanda, quã tribuit Dioſc. ſuo Rhapont. Parabitis igitur hoc pharmacum.

℞. Aga torrefact. ℈. iiij.
Myrobal. chebul ℨ. j. ß.
Diacathol. ℨ. iiij. M. f. potus.

Et notandum his medicamentis nulla admiſceri correctoria, quia ignis in torrefaciendo extinguit omnem prauitatem medicamentorum. Si humor melancholicus fuerit, præparabitur in hunc modum.

Curatio dyſenteriæ ab humore melancholico.

℞. Fol. fumar.
Roſi

Acetoſ.

Acetos.
Lupul.
Puleg. an. M ß. f. decoct. f. a.

Deinde ℞. d. d. ℥. iiii
Syr. de succo borrag.
Ros. recent.
De portul. an. ℥. ß. M. expurgabitur humor melancholicus rhabarb. hoc enim vtrāque bilem purgat, vt:

℞ *Epithymi ℥. j.*
Myrrob. nigr. ʒ. j. ß.
Rhab. torref. ℥. j.
Fl. cassia ℥. ß. M. f. bolus.

Nec miremini, in omnibus humoribus peccantibus admisceri myrob. quia hoc medicamentum ad cohibendos omnes fluxus maxime valet, quia non solum educit omnes humores peccantes, sed etiam post purgationem corroborat intestina. His purgatis duo restant in perfecta cura, i. vt si dolor vllus adest, tollatur, tum vt vlcera iam facta consolidentur.

Vlcera iam facta vt curanda. Quomodo dolor sit tollendus dixi; sanantur autem vlcera medicamentis exsiccantibus, detergentibus, & carnem generantibus, quare rosa, aq. ros. sem. psyllii, & integrum & vstum, magnopere conueniunt in hac cura. Non tamen ignorandum, id quod monet Auerzoar semen psylli conuenire quidem, sed non in ea quæ facta est a venenis: puto hanc esse rationem, quia cum hoc semen sit frigidum, nullam facultatem habet contra venena: nam medicamenta, quę aduersantur venenis, maiori ex parte sunt.

Aetius & alij in dysenteriæ cura laudant vsum diureticorum: sed in hoc casu videndum, ne calidiora diuretica adhibeantur, & præsertim si medicamenta non exeunt per vrinam, quia vt dicit Celsus, malum est medicamenta diuretica alio ire quam ad vesicam ipsam, quia cum calida sint, & acria, si intestina petant, augent vlcera.

Quæ administrantur ad consolidanda vlcera, vel sunt extrinseca, vel intrinseca. Medicamenta intrinseca, aut per os sumuntur, aut per anum; nam si tenuia intestina sunt affecta, vt docet Galen. 12. meth. magis ea prosunt, quæ sumuntur ore; rursum si crassa intestina fuerint affecta, magis iuuant medicamenta per clysterem infusa. Quæ per os sumuntur sunt syr. de ribes, conse. de ribes, de plantag. de agresta, syr. myrthinus, vina cotoniorum. diacydon. Sunt & alia multa elect. multi pulueres, multæ pil. quæ sic a Medicis parantur. *Electuariū.* Electuarium quo ego vtor est tale.

℞. *Cornu cornuum ʒ. ij.*
Pulu. ribes.
Sem. myrthi an ʒ. ij.
Terra lemnia ʒ. j.
Succi cydon. q. s. f. mixtura.

Vel ℞. *Carnis cydon. cribrata ℥. iv*
Pulu. cochlearum vstarum.
Sang. lepor. frixi & pulu. an. ʒ. ij.
Myrrha.
Corall. rub. an. ʒ. j. M. cum syr. myrthino f. mixtura. Vsus huius est mane, & vesperi hora vna vel altera ante cibum singulis vicibus ℥ ß.

Forma puluerum, quæ solet vsurpari, est hæc.

Pulueres.

℞. *Boli armeni ʒ. 1. ß.*
Corall. rub. ʒ j.
Cochlearum vstarum.
Cornucerui vsti an. ℈. iiij.
Ros. rub.
Sem. plantag. an. ℥. ij. M. omnia diligenter puluerizata. qui puluis cibis liquidioribus commiscetur, vt ptisanæ, contuso: vel potest capi cum modico aq. plantag. aut portul. in febricitantibus, aut non febricitantibus in vino austero. Pilulæ accommodatæ his sunt multæ, præsertim vero sunt pilul. de cynogl. vocatæ, quæ duo faciunt, prouocant somnum, fluentes humores cohibent, exsiccant etiam mediocriter. Sunt etiam in vsu apud me aliæ pilulæ, vt.

Pilulæ.

℞. *Croci ʒ. ij.*
Myrrhę ʒ. j.
Ligni aloes.
Hypocist.
Succi eupat.
Gall. opii osti.
Tragagan.
Piperis albi an. ʒ ß.
Cum vino adstringente conficiantur pil. quarum dosis est pro singulari vice ʒ ß.

Narcotica. Clysteres quo tingeneran. Et notate in elect. interdum addi aliqua medicamenta stupefacientia, præsertim quando dolor immodicus est, & vigiliæ vrgēt, quo in casu in modica quantitate sunt adhibenda, quia sunt naturę nostrę inimica. Quare si vtamini Philon. aut requie Nic. succi cidon. ℥. j. admiscea is ʒ ß.

vel

vel ℈.ij. Medicamenta clysterum sunt trium generum, alia sunt mitiora, alia fortiora, alia vehementia. Mitia quæ adhibentur, quando intestina sunt solum excoriata, id est, in primo gradu dysenteriæ: fortia adhibentur vulneribus profundis in secundo gradu, fortissima, quæ adhibentur in vlceribus sordidis, antiquis & prauis. Mitiorum clysterum forma.

Mitiores.

℞. Hordei torrefacti.
Fol. plantag.
Rosʃ rub.
Rubi,
Orig. an. M. j.

Bulliant omnia vel in aq. chalyb. vel in brodio gallinæ antiquæ.

Deinde *℞. d. brodij. lib. j.*
Ol rosʃ Omphac. ℥. j.
Terræ sigill. ℥. ij.
Vitellos ouorum num. v. M. fiat clyster.

Fortioris clysteris forma est hæc.

Fortior.

℞. Lentium vstarum ℥ iiij.
Balaust.
Gallarum,
Myrth. an. ℥. ij.
Fol lentisci.
Cort. pini an. ℥. j. bulliant omnia ad consumptionem medietatis in aq. pluuia.

Deinde *℞. d d lib j.*
Succi plantag. ℥. iij.
Boli armeni.
Acaciæ.
Trochisc. de carabe an. ʒ. ij.
Vitelli oui. j. M. fiat clyster.

Est in dysenteria semper admiscendum vitellum oui, vt acrimonia aliorum medicamentorum, quæ valde exsiccant, obtundatur.

Fortissimi clysteres sunt a Gal. traditi 9. de medic. local. quorum forma hæc est.

Fortissimus.

℞. Trochisc. Gal.
Trochisc. de carabe, an. ʒ. j. ß.
℞. d. d. lib. j. M. & infunde.

Sed interrogabit quis, qui sint Trochisci Gal. describuntur ab ipso sic:

Trochisci. Gal.

℞. Charta vsta.
Arsenici vsti.
Squama æris.
Croci.
Opij.
Calcis viua extinctæ an. ʒ. iij. M. & cum succo plantag. f. trochisci.

Duobus trochiscis vtitur Gal. ad curanda omnia vlcera praua: nam vt videre possumus, medicamenta, quæ ingrediuntur hos trochiscos, omnia vehementer exsiccant.

Possunt etiam adhiberi alia genera clysterum fortissima, vt sunt qui fiunt ex Muria, quemadmodum Galenus 12. meth. 2. qui possunt ferre hoc remedium, ita vt a dolore non superentur, euadunt. Recitat enim Galenus historiam cuiusdam, qui curabat omnes dysenterias huiusmodi muria, & alijs validissimis clysteribus, modo sustinere possent acerbissimum dolorem, quem inducere solent. Dico hoc, quia vt notat Rhases etiam in dysenteria maxima cura est habenda doloris, & videbitis in omnibus medicamentis, quæ proponuntur a Galen. & alijs in dysenteria, commisceri opium, non alia ratione, nisi vt habeatur etiam ratio doloris sedandi cum exsiccatione.

Clyster ex muria.

Dubitatum est; An medicamenta externa conueniant in dysenteria curanda. Altimarus ductus auctoritate Galen. 1. ad Glauc. 14. suspecta habet omnia remedia extrinseca, eo quod si adstringamus extrinsecus humores comprimantur, & compressi magis fluunt ad intestina. Sed hæc ratio Altim. ibi valet, vbi medicamenta extrinseca administrantur nondum purgato corpore, sed vbi corpus est purgatum, non est periculum, quod per hæc medicamenta comprimantur humores magis ad intestina. Erit autem tale.

An medicamẽta externa cõueniãt in dysenteria.

Emplastrũ.

℞. Succi acaciæ,
Malicorij
Sem. Hyoscyami,
Opij,
Gallarum,
Omphac.
Rhois, syriaci. an. ℥. iij.
Baccarum myrth nigr. ℥. x.
Tundantur omnia, & cribrentur, & in vino austero subacta in pastillos redigantur & in vmbra

bra exsiccentur. Postulante vsu accipiuntur isti pastilli ac in puluerem redacti commiscentur vel carni cornorum, vel citoniorum.

Soleo ego vti fumo anguillarum vstarum, fumo cort. pini, nam vruntur anguillæ, vruntur etiam cortices pini, & vbi vruntur, ano excipitur fumus, qui penetrat, & penetrando exsiccat, constringit, & mire confert, imo expertus sum in tenesmone curando nihil esse præstantius.

Curatio dysenteriæ factæ ex veneno.

Si dysenteria facta sit ex veneno, in vsum veniunt tria genera remediorum, vomitoria, obtundentia, & antidota, quæ sint vomitoria iam audiuistis. Obtundentia sunt lac, succus amyli oryzæ, farris. Antidota sunt plura, præsertim theriaca recens, hæc enim, & a proprietate depellit venena, exsiccat vlcera, somnum inducit, & fluentes humores coercet. Inter antidotos Auenz. mire laudat vsum Smaragdi, qui duplici modo fit: primo enim accipitur in substantia, & & modus accipiendi est, vt gr. vi. Smaragdi triti accipiantur, & cum modica aq. potentur, & decem horis æger abstineat a cibo. Hic enim puluis facit quandam cordis angustiam, quam deinde consequitur sudor, & sudore apparente liberantur ægri. 2. modus est per suspensionem, Auenz. enim cum incurrisset dysenteriam propter esum herbæ, supra ventrem posuit Smaragdum, & hoc remedio restatur se liberatum ab omni malo. His similia remedia facile ipsi, apud auctores legere potestis.

C A P V T XXIX.

De affectibus renum, & primo de eorundem obstructione.

Ordinis ratio.

POstquam de morbis tractauimus, qui infestant receptacula excrementorum siccorum, congruum est ordini nostro proposito, vt eos tractemus, qui infestant excrementi humidi receptacula: sunt autem hæc duo, renes & vesica, vt enim præclare Aristot. disputat. 3. de part. animal. 8. & 9. omnia animantia, quæ potant, sortita sunt a natura renes, & vesicam, animalia autem, quæ vel parum, vel nihil potant, vt aues, aut quibus vertitur potus vel in corticem, vel in crustas, vel in squamas, his natura neque vesicam, neque renes tribuere voluit, De renibus, itaque & vesica, receptaculis humidorum excrementorum, sumus locuturi. Et quia ordo ac situs partium harum postulat, vt prius tractemus de renum affectibus, de iis nunc agere incipiam.

Vsus renū.

Fuit sententia Aristot. loc. cit. naturam produxisse renes vt continerent, & sustentarent venas, abusam autem esse renibus ad expurgandum humorem serosum. Medici vero inter quos princeps fuit Gal. existimarunt renes non ob aliud fuisse a natura fabrefactos, nisi vt secernāt serosum humorem a sanguine, & secretum excernant extra corpus. Cum itaque hoc sit munus renum, fit vt inter percolandum hunc humorem sæpius in ipsis excrementa retineantur, quæ retenta varios inducunt morbos. Arist. n. scribit renes tentari papulis, calculo, inflammatione, frequentius omnium renes infestat obstructio. De qua quoniam frequens est, & quoniam ab ipsa generantur alij multi morbi, ea propter de ipsa ante cetera dicam.

Natura huius affectus. Sedes huius affectus.

Est itaque obstructio renum morbus instrumentarius, tum in via, tum in numero, qui morbus cum offendat actiones renum, & actio renum sit excernere humorem serosum, propterea rationi consonum est, vt ab obstructionibus lædatur hæc actio renum: quia vero actio renū lædi potest aut diminute, aut ablate, aut corrupte, ab obstructionibus læditur diminute & ablate, quia si perfecta sit obstructio, intercipitur vrinæ excretio, si autem minime perfecta sit, non prorsus intercipitur, sed diminuitur. & quia vt docet Gal. 3. de symp. caus. 1. actio, quæ læditur a morbo, læditur vel læsa facultate, vel impedita, obstructio si sit sola, impedit solum facultatem: si autem sit copulata intemperiei, vt plerumque esse solet, non solum impedit facultatem, verum etiam essentialiter lædit.

Causæ materiales.

Sedes huius morbi in renibus duplex esse solet, aut cauitas renum, aut substantia. Sicut enim repleto cauo dicuntur obstrui renes, pari modo etiam si substātia impletur magis quam conueniat, dicitur in renibus fieri obstructio. Ita vt duplex sit locus obstructionis renum, cauitas & renum substantia.

Causæ quæ faciunt hunc morbum, vt colligitur ex Gal. & Aretæo, ad quinque genera reducuntur, ad tumores, vel vt Arabes loquuntur, apostemata, ad arenas, ad calculum, ad humorem viscidum & crassum, & ad grumum sanguinis. Tot enim sunt causæ materiales, & internæ, ex quibus fit obstructio in renibus, & vitiatur actio renum excernendi humorem. Examinabimus sigillatim vnum quodque genus causarum: ex qua nostra tractatione habebitis methodum & cognoscendi, & curandi omnes morbos renum ex obstructione.

Tumor seu inflammatio renum Nephritis.

Tumor seu inflammatio in renibus est morbus ille, qui dicitur Nephritis, quia vt pleuritis, Hepatitis, dicuntur inflammationes vel membranæ succingentis costas, vel iecoris. Sic nephritis proprie debet vocari inflammatio renum. Dixi proprie, quia apud Medicos veteres, vt licet colligere ex Hippoc. in lib. de int. aff. hoc nomen nephritis commune fuit omnibus fere renum affectibus. Apud posteriores medicinæ auctores obtinuit hæc consuetudo, vt commune dici debeat de dolore renum, ex calculo, & arena.

Inflammatio in renib. habet eundem modum generationis, quem habēt aliæ inflammationes: id peculiare esse videtur, hunc morbum raro contingere in renib. quia cū substātia harum

partium

partium sit firma, densa ac dura, ægre fluxiones recipit; vnde cum inflammatio ducat originem ex fluxionibus, fit vt renes ægre & raro inflammentur. Ipsam inflammatio autem quanquam causa sit in renum obstructionibus, fiedum, est tamen & morbus, & cum quilibet morbus habeat suas causas, non erit mirum esse debet, vt ductrorum inflammationis renum causas internas esse humores, qui tametsi possint esse varij ac diuersi, sunt tamen maxime sanguinei; nam cum, vt dixi, renes secernant serum ex sanguine, atque sanguine nutriantur, & serum expellant, fit vt sanguis copiosior affluat quam par sit, interdum fit etiam ratione attractricis, vt plus sanguinis attrahatur in renum substantia, quam conueniat, ita vt dupliciter humores sanguinei inflammationem inducant, vel per influxum, vel per collectionem; vt sc. humores vel aliunde ad renes corruant, vel in renibus congregentur.

Inter causas internas numerantur quoque sexus & ætas. Nam scribit Cæl. Aurelia. lib. 5. de Chron. Pass. 3. viros inflammationi renum magis tentari quam mulieres, ætate grauiores, quam iuuenes, habitu tenuiores, quam pinguiores.

Causæ externæ, a quibus solent fieri in renibus inflammationes, multæ sunt apud Aetium & Auicen. percussiones, & casus super renes, compressiones, arctæ ligaturæ, equitationes continuæ, pharmaca diuretica nimis acria. Addit Aretæus vinum, & venenum. Aliæ sunt causæ ob quas fit, vt sanguis, & alij humores trahantur copiose in renes, & attracti inflammationes faciunt.

Arenarum multitudo.

Secundum genus causarum obstructionis renum est arenarum multitudo, quæ vt plurimum solet generari in ipsa renum substantia, nam cum sanguis quo nutriuntur renes, crassior fit, & pars crassior inutilis fit renibus nutriendis feruore ipsorum aduritur, vbi adusta est quandam acrimoniam acquirit, qua excitata expultoria renum facultas expellit illam in cauitatem renum, atque inde vna cum vrina transmittuntur ad vesicã; quo fit vt huiusce modi arenæ, quæ fiunt in renibus, plerumque rubeæ videantur. Arenarum igitur materialis causa nulla alia est, nisi humor crudus, pituitosus & crassus, viscíditatis expers. Causa efficiens nulla alia est quam ipsorum renum calor immodicus: sicut enim videmus calorem solis ex materia terrestri & viscíditatis experte circa maris litora facere arenam, pari pacto existimãdum est, in corpore nostro generari arenam ex calore materiam durante, & crassam faciente, quæ cum viscíditatis sit expers, fit vt non possit simul cohærere, & proinde separata & minuta remaneat.

Causa efficiens.

Antecedentes & externæ arenarum causæ sunt cruditates omnes, frequentes indigestiones, aquæ crassiores, & terrestriores. Narrant quod qui Romanam vrbem incolunt, vbi cum potetur aqua Tyberis, quæ crassa est, & terrea, pauci sint eius cæli habitatores, in quibus non fiat copia arenarum: sic etiam cibi crassi ac duri, exercitationes post cibum, equitationes a cibo factæ etiam sunt causæ, quæ occasionem præbent generationi arenarum.

Calculus.

Tertium genus causarum obstructionem facientium, est calculus, qui est λιθίασις quasi dicat lapidationem. Generantur autem lapides & calculus in renibus duobus in locis. 1. in cauitate renum, nam nemo est qui dubitet, quin in renum cauo generentur calculi. 2. in substantia renum, vt experientia docet, & ego in episcopo Viterbiensi, qui obijt morbo renali, vidi lapidem genitum in substantia renum satis magnum. Refert Cæl. Rhodiginus lib. 3. antiq. lec. cap. 12. historiam mirabilem, scilicet mulierem fuisse, quæ cum laborasset hoc dolore, & pruritu, & cum ipsa interdum scalperet circa renes vnguib. fecisset vlcus, ex eoque vlcere extraxisse 18. lapides. Quo argumento facile patet, renes etiam secundum suam substantiam calculos producere. Fiunt ergo calculi & in substantia renum & in cauitate, qui vbi sunt parui, si fiunt in substantia & trãsmittantur in cauum, necessario vlcerant partes, & miros inducunt cruciatus, vbi autem in cauo sunt, etsi sint parui, per vrinam ducuntur in vesicam, & in itinere solẽt exulcerare poros vreteres & dolores magnos facere.

In quo genere affectus reponendus calculus.

Hinc intelligimus an lapis in vesica sit morbus, an symptoma: nam quod non sit morbus, patet quia cum lapis sit substantia, morbus quoque esset substantia, quod absurdum est. Quod etiã non sit excrementum, patet inde, quoniam excrementa necessariam habent in corpore nostro generationem: lapis autem multum abest vt habeat necessariam generationem; imo vero est præter naturam, & propterea cum non sit excrementum, non potest etiam esse symptoma: quo fit vt neque sit morbus, neque symptoma, sed causa cum sit causa obstructionis.

Materia arenæ, & calculi differt.

Calculi materia est pituita crassa, aut humor crudus, semper viscidus, nam differt materia arenæ a materia calculi: solum propter viscíditatem, quia arena est expers omnis viscíditatis, & propterea illa materia minuta, cum non possit conglobari, semper remanet talis. Quod si humor crudus vel arena ipsa habeat viscíditatem, merito cuius possint partes sibi vniri, fit vt illæ partes simul glutinatæ humore viscido, degenerent in calculum, nam qui volunt facere ex luto experte tenacitatis lateres, semper admiscent oleum, quia partes terrestres & aridæ non possent cogi & seruari vna, nisi aliquo glutino copulentur. Quare in renibus nisi materia quæ rosa lentum humorem nanciscatur, fieri nequaquam potest, vt in lapidem, aut calculum possit concrescere.

Calculi causa efficiens.

Causa efficiens lapidis vt plurimum est caliditas immoderata, quæ caliditas absumit primo humiditatem, absumpto humido euanescit calor, vnde cum remanet frigiditas intrinsecus in materia, fit vt constringatur, & proinde lapides gignuntur: sic enim videmus fieri extrinsecus lapides a calore coquente, & præsertim a calore terræ, a quo so. cum absumatur humiditas tenue, & eo euanescente, & absumpto calore interno, frigus remaneat, fit vt ea materia

ria constringatur, scilicet a frigido & constricta lapidis forma inducatur, nam quod Cardanus profiteatur in Apolog. aduersus Scaligerum, & lib. de subt. renum lapides indurari non in corpore, sed extra corpus, vt oua, certe subtilitas est potius ingenii, quam veritas. Siquidem qui explorant cathetere, an lapis sit in vesica vbi eum reperiunt, & percutiunt duritiem manifeste, quæ sonitum edat, percipiunt.

Sed circa hanc generationem lapidis renalis duo sunt notanda: primum an possint lapides in renibus generari ex quacunque materia, diximus fieri ea humore pituitoso, crasso, arenulas, ex viscido calculos. Dubium autem est, an etiam possit fieri ex bile & alijs humorib. Secundo, An sicuti videmus extrinsecus fieri lapides, & a calore, & a frigore immoderato externo, ita etiam fiant lapides in renibus a nimio calore, & frigore.

An ex bile, sanguine vel &c. fieri possit calculus.

Circa primum videntur hinc & inde rationes, nam ex vna parte videtur rationi consonum vt lapides & arenæ fiant ex quocunque humore, nam si colores, vt Galen. inquit, lapidum & arenarum inspicias, qui indicant sæpe rerum substantiam, interdum videntur calculi & arenæ flauæ, interdum rubeæ, interdum nigricantes, interdum albicantes, adeoque ex varijs coloribus videtur colligendum, fieri a varijs humorib. Præterea est Hipp. auctoritas 4. de mor. quo in loco cum auctor ille copiosissime dissereret de generatione lapidis in pueris manifeste videtur pronunciare, fieri lapides modo ex lacte phlegmatico, modo bilioso, modo melancholico, modo sanguineo: ita vt colligi possit, secundum hunc auctorem, ex omnibus humoribus generari posse lapides & arenas in renibus.

Ex altera parte est auctoritas auctoris, qui edidit librum de renum affectibus sub nomine Gal. qui docet, non ex alio humore generari lapides & arenas nisi ex humore crasso, crudo, & viscido. Est præter hanc auctoritatem ratio, quia quemadmodum dixi, vt generetur calculus, necessarium est vinculum, quo partes simul copulentur, bilis est humor siccus, melancholia etiam humor siccus, expers visciditatis. Quare non videtur fieri posse, vt ex his humoribus fiant calculi.

In proposita dubitatione vt resoluti sitis, statuendum est lapides in renibus generari ex humore crasso, & viscido. Verum quidem est, vt scribit Galenus in 6. epid. com. 1. t. 6. quod humori viscido & crasso copulari potest sanguis varius, & diuersus, qui secundum sui varietatem varios etiam colores lapidibus imponit, & hinc est, quod si fiant tantum e phlegmate viscido, & crasso, lapillorum color cinereus est, si sanguis commisceatur biliosus, fit subflauus lapillorum color, quod si maior sanguinis copia commisceatur fit color vel flauus intense, vel rubeus, vt si commisceatur sanguis niger vt color niger sit, necesse est, ita vt ex humoribus alijs syncenis nequaquam possit fieri lapis, sed solum fiat ex humore phlegmatico, cui sit aliud genus humoris admixtum. Fiunt etiam interdum lapides ex pure, non quod pus syncerum materia sit horum, sed quia pus & sanguis commiscentur viscido phlegmati, vnde fit lapidis generatio. Auicen. 183. tract. 2. cap. 16. dixit fieri etiam ex grumis sanguinis, & sanie.

An a causa frigida fiant calculi in renibus.

Erat secunda dubitatio, An in renibus possint fieri calculi a causa frigida? Ex vna parte videtur fieri posse 1. quia in extrinsecis manifeste conspiciuntur lapides concrescere externo aeris frigore. Itaque non videtur rationi dissentaneum, vt etiam in corpore fieri possit lapis a frigore. Ad hæc in articulis fiunt lapidea non alia de causa, nisi frigore. Præterea est Hippo. sententia 3. aph. 31. morbum renalem esse senibus familiarissimum: sed senes frigidi sunt: Igitur ob frigiditatem in senibus videtur debere lapides concrescere. Aretæus & Rufus scribunt, in senibus fieri lapides renales, eo quod humores & viscidi & crassi, facile congelentur a frigore. Hinc colligitur, hos Medicos putasse, etiam a frigore fieri calculos, & arenulas. His omnibus accedit, quod vt Gal. loc. cit. habet, lapides renum eo pacto gignuntur, quo fiunt tophi: sed hi fiunt propter frigiditatem, nam in manibus & pedibus quæ sunt membra a calore remota, non ob aliam causam fiunt tophi, nisi quia humores crassi frigore ossium congelantur, vt dixit Hippo. 2. epid. t. 3. igitur ex Gal. etiam concedendum est fieri calculos frigore. Postremo videmus quod etiam adnotauit Alex. 1. prob. 108. Calculos tam vesicæ quam renum, curari medicamentis lenibus calidis & siccis, iam vero per regulam Aristotelis relictam. 4. Meteor. quæ dissoluuntur calido & sicco, concrescunt frigido, & humido, vt glacies ab igne.

Tophi vnde generentur.

Ex altera parte dicit Gal. 3. aph. 26. vbi docens causam ob quam in senibus non fiat lapis in vesica, inquit eam esse, quia non abundant eo calore, quo abundant pueri, in quibus fit lapis in vesica. Itaque videtur manifeste Gal. censuisse, solum a causa calida fieri lapides. Accedit etiam auctoritas lib. de aff. ren. apud quem legitur, nequaquam fieri posse, vt in corpore viuo reperiatur vnquam tanta frigiditas, quæ possit indurare materiam, & cogere in lapides, quod probatur ex Galen. 6. epid. super locum Hippoc. refrigeratio indurat: vbi Galen. scribit frigiditatem internam non posse vnquam indurare fæces, quia in latebris corporis nostri nequaquam tantum frigus permanere potest, igitur eo minus tantum frigus existere potest, a quo colligentur materię vt fiant lapides.

In hac dubitatione sit apud vos constituta hæc veritas, a frigore positiuo nunquam fieri lapidea in renibus, sed tantum fieri posse a frigore priuatiuo: priuatiuum frigus liceat mihi vocare, quod alias appellare consueui calorem diminutum; nam sicut nos videmus calorem fornacum statim densare, & conglobare lapides, solarem autem tantum longo tempore. Haud aliter in renibus contingit, in quibus feruor immodicus statim materiam aptam in lapidem conuertit, temperatus autem non ita subito, siquidem vt statim calor immodicus absumit humi-

humidum, quo absumpto materia fit dura, sic a calore moderato longo tempore agente, humiditas absumitur, qua absumpta lapides fiunt. Et hoc est quod Serapio dicebat fieri lapides renum a nimia caliditate, & moderata. Sic quoque Galen. 3. apho. 31. dicebat in senibus fieri lapides renales, postquam tenax & crassa materia superuacanea ibi hærens & permanens in simile substantiam transit. Quapropter responde e potestis, habita hac resolutione, in senibus, vt & in articulis, fieri tophos a calore moderato diu agente, & consumente humiditatem, quem calorem moderatum si, vt dixi, respectu maioris caloris placet appellare frigus, non contendo, modo sit hæc veritas apud vos constituta, fieri tantum a calore moderato, vel immoderato. Ad id vero, quod dicebatur de curatione, respondendum, curationem fieri vel per dissolutionem lapidis, vel per attritionem; dum fit per dissolutionem, certe opus est potius frigido, humido, vt idem Alex. loco citato testatur, dum vero fit per attritionem, opus est calidis, siccis, atque tenuibus.

Quare inter his causas internas poterimus numerare & ætatem, & corporis habitum, quia vt scriptum est ab Auic. lapides renum fiunt maxime in corporibus obesis. Fern. addidit his aliam, se. dispositionem hæreditariam, vult enim quemadmodum homines fiunt dispositi ad podagram a natura, similiter dispositos fieri ad morbum renalem contrahendum. Quod an verum sit, valde dubito, quia vix alium inuenietis auctorem, qui scribat hunc morbum fieri hæreditarie: scio quidem in canonibus Auicen. hoc legi, sed scio etiam al.quos esse contextus, prout vos poteritis videre, in quibus ea verba desiderantur.

An sit morbus hæreditarius calculus.

Causa externa.

Causæ externæ sunt omnes illæ, quæ arenarum causæ sunt a nobis enumeratæ, præsertim vero cruditates & quæcunque renes calefaciunt, vt sunt exercitationes omnes vehementes, præsertim post cibum, decubitus super dorsum, & super strata plumaria, vsus medicamentorum calefacientium, & præsertim aquæ crassæ, lacustris, & palustris, nec non fluuialis, vt est Tyberina, panes azymi; carnes crassæ, pisces crassi: pyra, mala omnia dura & adstringentia, sunt ex ijs causis quæ faciunt lapides: maxime omnium confert vsus lactis & casei. Si videatis Hippoc. lib. de mor. circa finem, vbi discurrit de generatione lapidum in pueris, videbitis omnem lapidis generationem tribuere vsui lactis, ita vt quale sit lac, tales etiam fiant lapides.

Quartum genus causarum, a quibus fiunt obstructiones renum, est humoris viscidi & crassi copia, nam vt primo vos docebam, renes pro sui alimento sanguinem serosum attrahunt, qui sanguis sæpe fit vt commisceatur crudis, & viscidis humoribus, vbi hi humores retinentur in substantia renum cum nutrimento, fiunt obstructiones in substantia renum, vbi autem humores crudi separantur a sanguine nutritiuo renum, mittuntur vna cum sero in cauitatem renum, qui retinentur in cauitate ipsa, & dum retinentur, si obstruant cauitatem totam, efficitur vrinæ suppressio, si autem non obstruant totam, sed solum partem, efficitur vrinæ diminutio, qui humores similiter fra cauitate detrusi retineantur in vasis vreteris, ibi quo que vrinæ consuetuerunt prohibere exitum.

Quarta causa. Humoris viscidi & crassi copia.

Sed video vos optare causam, propter quam in vesica & renibus concrescant lapides, non autem in ijs poris vreteris, & eo magis quod angustæ sunt tales viæ. Causa ob quam non fiant, hæc potissimum est, quia vt fiat lapis, necessaria est materia, necessarium agens, necessarium etiā temporis interuallum debitum, quo agens materiam deducat ad formam, illud temporis interuallum metitur ex mora materiæ in loco, vbi faciendus est lapis: cum vero in poris vreteris non possit diu manere humor crassus, & arena, ideo non potest cogi, quia non est temporis interuallum, quod non possit diu manere: causa est, quia impetus vrinæ propter eos angustos locos tantus est, vt secum ducat & detrudat quicquid est humoris in illis partibus. Sicuti enim videmus in canalibus, qui sunt decliues, & angusti, nihil etiam concrescere propter impetum aquæ delabentis, similiter contingit in vasis vrinarijs, & hoc est, quod dicebat Alex. 1. prob. 108. In pueris non fieri lapides renales ob angustiam meatuum vretericorum.

Cur in vreteribus nō concrescant lapides.

Causæ externæ quæ gignunt humores crassos, sunt cibi crudi, & crassi, aquæ crassæ, vrina crassa, lac, cruditates omnes: facit etiam ad hoc plurimum angustia cauitatum renum, nam beluæ & mulieres raro tentantur vitijs vrinæ suppressæ, non aliam ob causam, quam quia habent latiores meatus, merito quorum mingunt vrinas crassiores, & turbidiores, quo fit vt cum non retineantur materiæ viscidæ, & crassæ, consequenter non obstruantur renes, & non retineantur vrinæ.

Causa externa gignentes humores crassos.

Quintum genus causarum obstructionis renum est grumus sanguinis, vbi enim sanguis exit a venis renum, & diu retinetur, concrescit, & conglobatur, non ob frigiditatem vt Arist. dixit, sed quia exiuit a proprio loco.

Quinta causa grumus sanguinis.

Exit sanguis e venis vel per vulnera, nam causæ externæ vulnerantes sunt causæ huius obstructionis: similiter aperiunt venas, quæcunque erodunt, vt sunt omnia acria, & salsa, vel quæ rumpunt. Item percussiones, compressiones, multitudo flatuum, vel quæ aperiunt ora, vt est multitudo & caliditas sanguinis, potus & cibi calefacientes. Sanguis, qui grumescit in renibus, nunquam exit per resolutionem e venis: eo quia sanguis qui resudat e venis subtilissimus est, qui cōcrescit & in grumum conuertitur, crassus sanguis est.

Signa quibus cognoscuntur obstructiones renum, duobus generibus continentur, alia enim sunt vniuersalia, alia particularia. Vniuersalia sunt grauitas, quæ circa lumbos ac renes, persentitur, & lassitudo circa dorsum, stupor, qui pertingit vel ad ambo crura, vel ad alterum: retentio vrinæ atque interdum suppressio perfecta.

Signa. Vniuersalia.

Particularia vero signa tunt alia, quæ varia causarum genera nobis indicant. Quare si malum fiat ab inflammatione, hæc adetunt, mentis alienatio propter septi transuersi viciniatem, impotentia ambulandi, dolor grauatiuus & magnus circa lumbos: qui dolor tunc præsertim vrgere solet, quando corpus vario modo quassatur, vrinæ difficultas, est & ardor & guttatim stillat, primum tenuis, deinde mucosa, febris adest insignis, nausea, vomitus biliosus, ventriculi morsus, aluus adstricta.

Signa inflãmationis.

Si inflammatio ad suppurationem vergat, febres sunt maiores, apparet aliquis tumor, & aliqua eleuatio extrinsecus circa lumbos, maior est calor & dolor circa renes, vrinæ ruffæ, & adhæc vbi supra partem sanam decumbunt, videtur pars aduersa veluti pondus habere appensum, quæ omnia signa meliora fieri solent, vbi iam factum est pus iuxta eam Hipp. sententiam, qua scribit omnia fieri leuiora, dum pus fit, quam cum factum est.

Si obstruuntur renes ab arena, nulla adest febris, at grauitas, tensio circa renes percipitur, vrinæ sunt arenosæ, interdum mordentes atque sanguineæ, interdum penitus supprimuntur, aut penitus impediuntur.

Signa arenularum.

Si obstruuntur a calculo, signa sunt admodum similia colicis, quæ quomodo cognosci & distingui debeant, iampridem vobis monstraui, quando de colica passione tractabam.

Signa calculi.

Est igitur in lapide renali hoc primum signum, quod dolor, vt Gal. docet 1. in 6. epid. 6. sit acutus, & magnus, dum mouetur lapis, sicut in alio tempore, quando lapis non mouetur, dolor est grauatiuus. Vrina a principio fit tenuis, interdum supprimitur, deinde arenosa, & sanguinolenta mingitur, hoc enim est quod dicit Hipp. in lib. de aff. internis, vrinam calculosorum fieri similem succo carnis bubulæ assatæ; dolor maior est, vbi ventriculus repletus est cibo, quam vbi est vacuus. præterea crura contorquentur, si malum fit in ambobus renibus, quod si fit in dextro vel sinistro, pariter dextrum aut sinistrum crus torquetur.

Fit vomitus per communicationem peritonæi, minguntur arenæ, quæ varios colores repræsentant, prout etiam varia est materia, ex qua factus est lapis. Addunt aliqui, si lapis factus sit ex materia calidiori, ægros magis incitari ad libidinem, sicuti si fiat a materia frigida, persentiri frigus circa eas partes.

Si ab humoribus fœtidis & crassis fiat obstructio, aderit tensio, grauitas, nulla febris: vrina vel supprimitur ex toto, vel diminuitur, & quæ excernitur vrina, crassa est, ac sedimentum crassum, & viscidum habet.

Signa humoris viscidi et crassi

Vltimo si a grumo sanguinis concreto facta sit obstructio, hæc habentur signa, quia antea præcessit sanguinis mictio, vel præcessit aliqua causa, quæ potuerit venas ipsas aperire; vrina aut suppressa est ex toto, aut sanguinea, grauitas & tensio adsunt, nulla febris, vrinæ calidæ, & prurientes, siue mordentes.

Signa grumi sanguinis.

Quo ad progn. Arist. 3. de part. animal 9. morbos renales etiamsi sint recentes, esse tamen difficiles curatu docet, quia cum renes huiusmodi sint veluti compositi ex multis rebus, perinde est ac si multi renes laborarent, & propterea est difficilis ipsorum curatio. Inter morbos autem renales inflammatio maxime omnium lethalis est, propter quod mirari soleo Cæl. Aur. qui inflammationem renum videtur recensere inter morbos diuturnos. Hipp 6. aph. 11. scribit, laboranti nephritide si superueniant hæmorrhoides, bonum esse. Ex aduerso scribit Rhases, & Auic. si eidem nephritidi delirium superueniat, esse lethale.

Progn.

De lap. de renum Hip. 6. aph. 30. & 6 epid. 7. ait, nephriticos quinquagenarios aut nunquam aut rarissime curari, nam præterquam quod morb. hic desinere solet in lapidem vesicæ, sponte etiam solet intercipere vrinam, & homines iugulare, sicut obstructio facta ab arenis & humoribus viscidis & crassis, hæc enim in lapides aut renum, aut vesicę, finire solet.

Curatio obstructionum renum hunc vnum scopum habet, vt tollatur, tollitur autem, si materia & causa, quę obstructionem facit, auferatur, quoniam vero materia obstruens varia est, varia quoque & diuersa sit curatio necesse est. Agemus igitur primum de curatione inflammationis, in qua omnes fere scopi sunt propositi, qui & in alijs inflammationibus curandis proponuntur, sc. vt primo prohibeatur, ne inflammatio incrementum suscipiat, 2. vt ea inflammatio quę facta est, tollatur, quibus scopis implendis necessaria est ante cetera diligens victus ratio. Quare aer eligatur frigidus, & humidus, & serenus, qui si non habetur, talis parandus est irrorationibus, herbis, & alijs remedijs, quę consueuerunt aerem alterare ad frigidum. Somnus debet esse moderatus, sed cauendum, ne vnquam supra dorsum dormiant ęgrotantes.

Curatio inflãmationis.

Scopi.

Victus ratio.

Quod si stratis subijciantur herbę refrigerantes, vt nymphęa, fol. salicis, vitis, rosarum, plantag. optimum remedium est. Et si aluus non fluat, emollienda est clysteribus, qui ad frigiditatem inclinent. Erit autem talis clyster optimus.

Clyster optimus.

℞. Hordei P. j.
Fol. lact.
Maluæ an. M. j. ß f. decoct. f. a.

Deinde *℞. d d lib. j ß.*
Ol. ros. compl. lib. ß.
Sacch rubri ℥. ij. ß.
Salis ʒ. j. M.

A vino abstinendum in omni inflammatione interna, vt ex lib. ad Glauc. constat. Loco eius vtendum est aq. hordei, in qua nymphęę, & lact. femina sint cocta.

Aretęus

Diff. An aq. frig. vel calida conueniat.

Aretæus fuit huius sententiæ, vt in hoc vitio detur aq. calida. Auic. autem damnat vsum aq. calidæ, potiusque si bibenda est aqua, quod tamen videtur negare, vult bibendam esse frigidam, ita vt non parua sit controuersia inter Aretæum & Auic. In hac re soleo ego hos ita conciliare, quod aq. frigida possit comparari vel aq. tepidæ vel vere calidæ, si comparetur aquæ vere calidæ, procul dubio magis cōferet aq. frigida, quam calida. Et ratio est, quia vbi aqua frigida in corpus sumitur, calore natiuo euadit tepida, vt quando peruenit ad renes, perueniat iam tepida, quæ omnia sunt in omni inflammatione opportuna, quia cum inflammatio omnis habeat coniunctum incendium, tepore incendium remittitur: sin autem comparetur frigida aqua tepidæ, dico meliorem esse tepidam quam frigidam, eo quia tepida non infert ventriculo eam noxam, quam frigida. Igitur si intelligamus Aret. de aqua tepida, & non de vere calida, eius sententia est vera: similiter si interpretatur Auic. quasi comparant frigidam vere calidæ, sententia eius vera erit, neque Aretæo refragatur.

Duo not. in curatione inflammationis renum.

Cibi debent esse omnes faciles coctu, & refrigerantes, vt est ptisana, panatella absque saleœ herbæ item refrigerantes, coctæ, quales sunt acetosa, endiuia, lactuca. Cauendum autem est, mea sententia, a duobus in curatione inflammationis. 1. a nimis tenui diæta, nam ait Aetius inedia reddit vrinam acrem, vbi autem vrina mordax & acris est, magis stimulat & infestat locos affectos. 2. vt vsus diureticorum præsertim in principio prohibeatur, eo quod cum perducant remedia diuretica humores ad renes, plane non parum inflammationem adaugent. Quare in hac cura abstinendum ab vsu sem. melonum, cucurb. citruli, & aliorum omnium, quæ quanquam refrigerant, vrinam tamen prouocant.

Instituto victu procurandū est, vt humores qui præcipitantur ad renes, alio auocentur, quod fit frictionibus superiorum partium, ligaturis, cucurbitulis, vomitu, & alijs quæ humores ab inferioribus partibus ad superiores reuocant.

Qua vena secanda in hoc affectu.

Inter alia præsidia est venæ sectio: sed dubium est, in qua corporis parte vena sit secanda. Est regula Galen. quam habet 13. meth. 11. & 6. aph. 36. & 6. epid. com. 1. t. 6. scilicet vbi renes sunt inflammati, & vbi omnes partes inferiores inflammantur, mittendum esse sanguinem in partibus inferiorib. scilicet vel a poplite, vel a saphena: in partib. vero inflammatis supra renes mittendum esse sanguinem a partibus superioribus. Ratio etiam videtur Galeno adstipulari, quia in inflammationibus est mittendus sanguis ab illis locis, a quibus proxime potest euacuari materia, quæ facit inflammationem. Contrariam habuerunt sententiam Medici grauissimi. Areteus, Rufus, Aetius, & omnes fere Arabes, qui vno ore dicunt, in inflammationibus renum mittendum esse sanguinem a vena cubiti.

Resolutio huius dubij petenda est ex ipso etiam Gal. qui lib. de curat. per sang. miss. hanc litem definisse uidetur, quo in loco scribit, in omnibus inflammationibus infra renes mittendū esse sanguinem a partibus inferioribus, in inflammationibus supra renes ex partibus superioribus, in renibus vero inflammatis utroq; modo agi posse, quasi renes ipsi medii sint inter partes superiores, & inferiores, adeo ut sententia sit Gal. in renibus inflammatis debere interdum mitti sanguinem a partibus superioribus, interdum uero ab inferioribus.

Quando sit mittendus sanguis a superioribus, quādo ab inferioribus partib.

Sed video vos optare modum, quo cognoscatis quando sit mittendus sanguis a superioribus, quando ab inferioribus partibus. Hic debet esse modus, vt videatis, an ad renes inflammatos adhuc fluat materia, an non; si fluat adhuc corpore pleno existente, scopus præcipuus esse debet, vt materia retrahatur, retrahitur autem, si sanguis mittatur a partibus superiorib. Quare existente corpore pleno, & materia influente ad locum inflammatum, est mittendus sanguis a brachii dextri cubito, vel sinistri, prout ren dexter aut sinister inflāmatus erit. Si vero humores nulli influunt, curationis scopus est, vt materia euacuetur atque deriuetur: facilius autem euacuatur per venas inferiores sectas, ob id quando Galen. scribit, in renibus inflammatis pertundendas esse venas inferiores, intelligendus est de sola inflammatione facta, cui nulla sit amplius copulata humorum fluxio, aut totius corporis plenitudo. Præmisso itaque clystere, erit sanguis mittēdus, si sit plethora, a cubito, si non sit & humores sint firmati, ab inferioribus partibus, in ea se. quantitate, quæ videtur sustineri posse ab ægro.

Circa purgātia notāda.

Misso sanguine est uidendum, qui sint humores qui peccant, atque ij præparandi ac purgandi sunt, simul etiam remediis extrinsecis curandum, ne inflammatio augeatur. Sed circa purgationem & circa vsum extrinsecorum sunt quædam breuiter notanda. 1. vt medicamenta, quæ inflammatis renibus propinantur, semper leuia sint, & omni studio fugiantur scammoneata. 2. ut in purgandis humoribus his, quantum licebit uobis, fugiatis diuretica, quia nunquam est euacuandum per locum affectum. Ideo cassiam quam omnes fere Medici laudant, ego sane probare non possum, quoniam, vt experientia testatur, hoc medicamentum maxime euacuat per vrinam, potius eligerem vel mannam, vel syr. ros. vel aliquod aliud, quod omnino vrinam non prouocaret

Circa vsum externorum not. Refrigerandis renibus.

Circa vsum externorum duo alia sunt notanda. 1. vt omni studio efficiatis, ne inflammatio suppuretur, quandoquidem vbi suppurantur renes, fiunt vlcera, & ea quidem incurabilia, quia cum per ipsos renes continuo excurrant humores excremētitij, vix fieri potest, vt illæ partes vlceratæ consolidescant. 2. notandum ne usurpentur medicamenta admodum frigida, quia cum renes sint excrementorum receptacula, facile contrahunt scirrhos, & eo magis, si materia per ipsos fluxa per refrigerantia medicamenta magis constringatur & congeletur. Extrinsecus igitur in initio statim vtemur ol. ros. albumine oui. Infrigidans etiam Gal. vsurpari solet, vel.

℞.Ol.rosati ℥.j.
Albumini N.i.
Aceti ℥.ij.Conquassentur omnia diligenter, & applicentur regioni renum. Hæc iounctio in principio erit accommodata.

Vbi autem inflammatio facta iam fuerit in augmento, repercutientibus addēda sunt ea quę etiam discutiunt, vt ol.chamæm.ol.sem.lini decoct. fænugr. pinguedo anatis. Possumus inunctionem parare. *Inunctio.*

℞.Ol.ros.omphac.℥.j.
Ol.sem.lini.
Chamam an ʒ ij.
Pinguedinis anatis.ʒ.j.ß.
Aceti ʒ.ij.M.fiat linimentum.

Et notate semper linimentis renum addendum esse acetum, & illud acre, eo quia hæc pars est ita profunda, vt penetrari non possit, nisi a medicamento valde acri, & penetrante.

In declinatione vero denegantur omnia medicamenta repercutientia, & solum adhibentur ea, quæ discutere possunt, vt fomenta facta ex spongijs, & decocto simili, vt:

℞.Fl.chamom.
Althaa.
Calam.an.P.ß.
Sem lini.ʒ iij.
Fænugr.P.j.f.decoct.s.a.& cum spongiis foueantur renes.

Simili modo poterimus parare empl.ex farina hordei, lupinorum, fabarum, vt esset istud:

℞.Furfur.tritici P.ß.
Far.loleacea.
Lupin.an.P.j.
Ol.chamom.
Sem.lini.an.ʒ.iij.
Aq.communis q.s.bulliant ad ignem, & f.empl.

Diuretica quando conueniant. Vbi iam declinatio erit perfecta, ita vt nullum inflammationis vestigium appareat, tempus est vtendi diureticis, non solum quia nullum detrimentum inferre possint, sed si quid humorum & inflammationis superest, facile expurgatur solum diureticorum vsu.

De præparantibus & purgantibus nolo eadem superius dicta repetere, quemadmodū enim purgantur biliosi & pituitosi humores, eadem arte poterimus etiam vti in renum inflammatione. Quod si omnibus his auxilijs efficere non poterimus, quin inflammatio ad suppurationem perueniat, conuertēdum est omne studium ad accelerandam suppurationem, id quod fit empl.& inunctionibus. Ego tali vtor. *Maturātia.*

℞.Radic.althea lib.j de coq.diligenter, pistentur, & per cribrum transmittantur, cui adde.
Butyri recentis ℥ ij.
Tereb.℥.j.
Passul.crib.℥.j.ß.Misce omnia ad formam empl.& apponatur renibus.

Possumus etiam ante adhibitionem huius empl. vt decocto althææ, & maluarum, ac fouere renes. Vbi pus confectum est, videndum, an appareat extra vlla extuberantia, an non: siquidem solet in inflammationibus locus extrinsecus exuberare, ita vt tumor appareat. Hipp. in lib. de int. aff. ait, locum esse incidendum, & pus extrahendum, & profunda sectione monuit hoc faciendum, quia etsi locus extuberans, & eminens videatur, tamen pus solet residere in profundis partibus. Sin extrinsecus nulla appareat extuberantia, cum nulla sit spes extra tumorem esse rumpendum, conandum est, vt per medicamenta extrinseca, intus rumpatur & pus exeat, quia vt dicebā, ait Hipp. si rumpatur vomica renum, & ad intestina ducatur materia supputata, spes est ægrum euasurum. Quæ rumpunt medicamenta, ea sunt, quæ prouocant vrinam, vt est glycyrrh. rad.iridis, fœnic.asarum, mulsa: præsertim autem maxime valeat rad.aspar.sylu. quem dicit Gal. a renibus ducere sanguinem. Poterimus igitur hac potione vti: *Medicamenta rumpentia.*

℞.Rad.aspar.sylu.ʒ.j.ß.
Rad fæniculi ℥.j.
Glycyrrh.℥ ß.
Asari.
Fumiter.an.ʒ.j.ß.f.decoct.s.a.

Deinde *℞.d.d.℥.v.*
Mulsa.
Syr.de liq.an.℥.j.M.pro potu.

Vlcera renū. Causæ ulcerum. Solent post ruptam renum vomicam remanere in illis partibus vlcera, quæ propriam requirunt curam, quanquam a multis etiam alijs causis possint proficisci, nam siue spectemus internas causas, multa sunt, quæ faciunt vlcera in renibus, vt sunt humores acres, & corrodētes, lapides angulares inter exeundum vlcerant renes, siue spectemus causas externas, multa quoque sunt vt medicamenta erodentia, vt sunt quę fiunt ex cantharidibus, cibi calefacientes, per cossiones, venena. His omnibus de causis possunt fieri vlcera in renibus, quæ tamen vnam & eandem curationem exigunt.

Cognoscun-

Cognoſcuntur autem multis ſignis in primis lumborum dolore, vbi enim renes ſunt vlcerati, fere ſemper infeſtat dolor. Ad hæc vrina purulenta eſt, & ſanguinolenta, & interdũ caruncùlas admixtas habet. Sin facta ſint vlcera a lapide, & cognoſcitur, qui præceſſit vlcus lapilli exitus. Si ab acribus humoribus, cognoſcitur eo ſigno, quod ante vlcera, & eo tempore vrina ſemper acris eſt & mordax. His accedit, quod cum hæc vlcera fiant ab humoribus exedẽtibus, ſemper vrinæ ſunt admixtæ caruncalæ. Hæc omnia vlcera vbi ſunt inueterata, rariſſime contingit vt ſanentur. Quare, vt Alexan. docet, feſtinandum eſt ad curationem ipſorum.

Prognoſt.

Curatio.

Curationis ratio eſt omnium vlcerum, communis, vt ſc. conſolidẽtur, & quia cõſolidari nõ poſſunt, niſi exſiccentur, præcipuus eſt ſcopus, vt exſiccentur humores. Quare eligendus eſt aer, qui exſiccandi facultatem habeat, in actiuis qualitatibus ſit temperatus: dormiendum eſt, ſed re ſupino corpore, abſtinendum ab omni motu corporis, aluus humida ſeruanda: cruditates omnes & repletiones vitandæ, vitandum vinum, præſertim generoſum, vitandus eſt quicunque potus copioſus, eo quod ſanari nequaquam poſſunt ea vlcera, per quæ diſcurrunt humores. Pro potu vtiliſſimum eſt vinum pauciferum adſtringens, quod etiam chalybe ignito bibatur, maxime confert aqua pluuialis, hordei chalybeata, eſt accommodatiſſima. Inter cibos vitandi omnes calidi, acres, acidi, amari, dulces, & tandem fugiendum quicquid vrinam mouet. Inter cetera Auicenna & Serap. damnarunt vſum ficuum ſiccarum, nec immerito, quia huiuſmodi ficus vias vrinæ penetrant, & ſua facultate irritant partes vlceratas. Vtilis maxime eſt ptiſana facta ex hordeo, farre, milio, lac, oua, & præſertim Alex. commendat ea oua quæ ſorbentur ſimul ac nata ſunt. Inter piſces laudantur illi, qui viſcidam & craſſam carnem habent, vt ſunt locuſtæ, gambari, gobij. Ex herbis laudatur lactuca, portulaca.

Inſtituto victu, videndum eſt, an corpus ſcateat prauis humoribus, necne: ſi abundat, danda eſt opera, vt illi primo præparentur, deinde vt præparati expurgentur: ſed in his expurgandis eſt cauendum, ne medicamenta grauia in vſu habeantur, fugienda omnia ſcammoneata, conueniunt omnia quæ leniunt, vt eſt manna, elect. diaſeb. ſimp. diacathol.

Expurgato corpore ſtudendum eſt vlcerum mundificationi, quia antequam ad cicatricem reducantur, niſi prius ab omni labe emundentur, vanus eſt Medici labor. Ex his quæ vlcera renum emundare putantur, duo ſunt potiſſimum mulſa & lac: ſed quia hæc medicamenta ſua natura ad renes non feruntur, ſemper illis ſunt commiſcenda aliqua, quæ perducant ad renes, vt eſt ſi mulſæ admiſceatur ſuccus glycyrrh. ſi lacti commiſceatur ſuccus melonum, aut tragagant. hæc enim abſtergunt emundantque mirifice vlcera renum.

Emundãtia.

Sed de lacte tria ſunt notanda. 1. neque quolibet tempore neque quoduis lac conuenire, in primis vbi viſcera ſunt ſatis ſordida, cõuenit illud lac, quod poteſt magis abſtergere, vt lac aſininum, equinum, & camelinum: vbi autem non ita ſordida ſunt vlcera, conuenit lac quod minus abſtergit, & magis carnem poteſt generare, vt eſt lac caprinum: vbi autem vlcera prorſus ſunt emundata, iam conuenit id lactis genus, quod optime nutrit, vt lac ouium, & vaccinum.

Lac.

Sed dicetis quomodo cognoſcemus vlcera eſſe ſordida, vel mũda, vt poſſimus variare vſum lactis? Modus cognoſcendi petendus ab vrinis: quod ſi in vrina fuerit pus copioſum, fætens, & ſordidum, certiſſimum poteſt eſſe argumentum, vlcera valde ſordeſcere: ſin in vrina fuerit pus exiguum, atque illud album & æquale, ſignum eſt vlcera non admodum eſſe ſordida, ſed eſſe magna ex parte emundata: pari pacto ſi nihil in vrina apparuerit puris, ita vt penitus vrina deſierit eſſe purulenta, tunc certiſſimum eſt ſignum, nullam adeſſe in vlceribus ſorditiem.

Hac itaque methodo poteritis fieri certiores, quando ſit vtendum lacte aſinino, & quando caprino, aut vaccino.

Quantitas lactis eſt accipienda ſecundum recentiores ad ℥.v. vel ℥.vj. ceterum inuenio præſertim Hippocr. multo maiorem copiam lactis præſcripſiſſe; quare ſic ſentio, vt quod pertinet ad quantitatem, ea non ſit metienda vno modo, ſed ſecundum ægri vires, quia ſi æger poterit ſuſtinere copiam lactis, quo maior erit copia, eo erit vtilius: ſed ſi ob ventriculi imbecillitatem, vel aliam ob cauſam copiam lactis inſignem non poſſit capere, manendum eſt ſecundum recentiores in menſura ℥.v.

Quantitas lactis.

Sed notate, vt ſi fieri poteſt, ab vbere ipſo exſugatur, vel ſtatim ac emulſum eſt ſorbeatur, quo abſorpto morandum eſt tamdiu, quo uſque in ventriculo optime ſit coctum, quia pernicioſiſſimum eſt ingerere cibum, antequam lac concoctum ſit, quoniam ſolet corrumpi, & vbi eſt corruptum, acrimoniam quandam acquirit, a qua deinde magis irritantur vlcera.

Purgato vlcere deueniendum ad ea tam intrinſeca, quam extrinſeca remedia, quæ poſſunt agglutinare & ad cicatricem perducere. Intus proſunt iuiubæ, ſebeſten, mora immatura, coriandrum, glycyrrhiza, bolus armenus, acacia. Et hoc decoctum erit accommodatiſſimum.

Decoctum agglutinãs, & cicatrizans.

℞. *Sebeſten.*
Iuiub an. N. xij.
Boli armeni.
Cineris ferularum combuſt. an. ℥.j. Bolus armenus & cinis ligantur in petia, atque cum alijs bulliant, *f. decoct. ſ.a.*

Deinde ℞. *d.d.* ℥.vj.
Syr. myrthini.
Succi de ribes an. ℥.ß.

Pulu.corall.rub.ʒ.j.M.

Hoc medicamento si sæpius vtamini, est efficacissimum ad consolidanda renum vlcera iam purgata, sicut etiam maxime conferunt inunctiones & emplastra extrinsecus administrata, quæ fiunt ex lentibus, sumach, bolo armeno, rosis, thure, hypocist. Exemplum sit illud:

Empl. ad idem.

℞. Lentium decort. & coctarum in vino adstringente lib. ß.
Boli armeni ℥ ß.
Thuris.
Fol. rosar. rubearum.
Nucleorum myrthi an. ʒ.ij. pulver. puluerisandis, conficiatur cum prædictis lentibus, & vino adstringente empl.

De curatione lapidis renum.

Hæc est ratio curandi vlcera renum. Agamus nunc de curatione aliarum obstructionum in renibus, quæ sunt vel a lapide, ab arena, vel ab humore crasso, & viscido, vel a grumo sanguinis. Sed quia hæc omnia causarum genera vnum fere, atque idem curationis genus postulant, neque differunt nisi secundum magis & minus, ea propter satis esse puto, si vobis curationem lapidis renalis tradidero, quandoquidem hac habita erit vobis facile eadem methodo alias obstructiones omnes curare.

Est itaque communis scopus rationis lapidis renalis duplex, vel vt tollatur si factus est, vel vt prouideatur, ne fiat. De facto primo docebimus, mox docebo vos rationem præseruandi, ne fiat. In facto lapide adhuc duplex est scopus, 1. vt ipse lapis abijciatur, qui quoniam propter magnitudinem difficulter eijci potest, suboritur alius scopus, vt minuatur, id est, vt medicamentis incidentibus, & attenuantibus ita minuatur, atque ita incidatur, vt facile exire possit, vt dolor, qui perpetuo comitatur hanc affectionem, vel mitigetur, vel extinguatur.

Curatio lapidis facti. scopi.

Victus rat.

Ad hos scopos implendos in primis est necessarium, vt recta victus ratio instituatur, quare aer purus, & serenus eligendus est, fugiẽdus omnis aer frigidus, sicuti & alia omnia frigida, somnus sit moderatus, exercendum est corpus, non quiescendum, quemadmodum Hippocr. docuit 6.epid.com.6. Exercitationes autem, quæ conueniunt in hac cura, sunt ambulationes, saltus, gestationes in curribus, nam hisce motibus corporis solent vehementer renes concuti, & ex ea concussione solent etiam detrudi lapides extra. Balnea aquarum dulcium sunt accommodatissima, imo vt Rufus ait, etiam balnea sulphurea extrinsecus administrata vehementer conferre solent ad frangendos lapides. Sed quærat quis vestrum, an vt laudantur hæc balnea extrinsecus administrata, sic etiam potus aq. sulphurearum commendari possit. Auicen. enim ait, aq. minerales difficultatem vrinæ facere: & est experientia, circa scaturigines harum aquarum concrescere lapides, pariter est formidandum, ne in corpore nostro concrescant. Dico, aquas thermales accipi posse in exigua quantitate, vel multa: si in panca quantitate accipiantur, plane faciunt vrinæ difficultatem, cum retineantur intra corpus: & hoc intelligebat Auic. sed si, vt consueuit fieri, accipiantur in magna quantitate, non solum non inducunt vrinæ difficultatem, imo vero suo impetu, & facultate lapides imminuunt & educunt.

An potus aquarũ sulphurearũ cõueniat.

Vinum conuenit album & subtile, non adstringens, & si sit generosum, est aqua pura temperandum, vel cui sit incocta saxifragia aut millefolium, aut capill. Veneris rubri, aut aliquod aliorum medicamentorum, quæ ad lapides conferre putantur. Cibus debet esse paucus, tum ne grauetur ventriculus, quoniam eo grauato necessario etiam comprimuntur renes, & augetur dolor & malum. Panis debet esse factus ex farina, cui multum furfuris insit, & cui quoque admistum sit vel anethum, vel semen fœniculi, vel coriandrum: carnes auium montanarum sunt commendatæ, præsertim vero carnes hirundinum, leporumque. Rhases & Rabbi Moyses commendant carnes coturnicum, quia non solum manifesta qualitate, verum etiam occulta quadam proprietate lapides frangere huiusmodi caro possit. Decoquantur cum carnibus aliqua diuretica, vt rad. asparag. fœniculi. Fugienda sunt omnia ea, quæ crassum & viscidum succum gignũt, vt est caseus, lac, omne leguminum genus, omnia pasticia, omnia turdorum genera, omnia quæ dulcia & pinguia: conueniunt vero cappares, sem. frigida, vt sem. melon. nuclei cerasorum, nuclei armoniacorum, nuclei persicorum, ficus tum siccę tum virides, ciceres rubei, & brodium ipsorum. Hæc omnia si in frequenti vsu habeantur, maxime apta sunt lapidea frangere, attenuare, humores viscidos & crassos expellere, arenas, simulque grumos omnes sanguinis dissoluere & annihilare.

Pharmacia.

Vbi victus est institutus, pro curatione lapidis renalis duo sequuntur agenda. 1. vt dolor sedetur, est enim renalis dolor vsque adeo infẽsus & acerbus, vt veteres eum inter primos cruciatus habuerint. 2. vt lapis extra corpus eijciatur: quoniam vero illa materia lapidis per angustos meatus exire non potest, hinc sequitur dilatanda esse illa vasa; quod dupliciter facimus, primo quãdo euacuamus partes prementes renes sua plenitudine, vel quando emolliuntur, ita vt dilatari possint renes. Vt euacuẽtur laudatur in primis vomitus, hoc. n. quæ sunt in ventriculo & primis vijs, euacuantur, vnde inanitis illis partib. cum renes non premantur, minus dolent. Iuuant etiã ad euacuandas his partes clysteres, ea propter ad dolorem renalem sedandum præcipue valet clysterum vsus, quia euacuatis intestinis non premuntur renes, sed magis dilatari possunt. Inter ceteras euacuationes huic scopo accommodatas, est etiam venę sectio, quam oẽs confitentur conuenire. Sed de loco est dubium. Hipp. & Gal. 6.epid.com. 1.tex.6. scribunt, in curando lapide renali incidendã esse venã poplitis, aut saphenę. Aetius vult minuendum esse sanguinem a vena cubiti: quę controuersia eo pacto definienda est, quo statuebamus in tract. de inflammatione

Vena sectio.

renum:

renum: quapropter quod dixi in loco, idem quoque vos statuatis in curatione lapidis renalis, in qua cura non solum conuenit sanguinis missio ab antedictis partibus, sed etiam ab hæmorrhoidibus iuxta eam Hippoc. sententiam, qua inquit, A melancholia & nephritide habito, si hæmorrhoides superuenient bonum. Vt autem emolliantur renes, atque sic dolor mitigetur, conueniunt clysteres, balnea, linimenta, emplastra. Clyster talis erit.

℞. Ol. amygd. dul. lib. j.
Butyri ℥. iij.
Salis ℥. j. M.

Huiusmodi clysteres emolliunt nō solum intestina, verumetiam renes, propter quod & magis dilatantur.

Sic etiam conferunt balnea aquarum dulcium, balnea facta ex rebus emollientibus, vt malua, althæa, balnea etiam ex ol. communi mirifice conueniunt, inunctiones item, quæ fiunt ex ol. scorpionum, scorpiones enim proprietate putantur conferre ad frangendum lapidem renalem. Fiunt etiam inunctiones ex ol. amyg. dulc. quę fieri debent large, frequenter, & cum proiectione magna, vt possint penetrare. Gale. 6 epid. tex. 6 scribit, medicamentis, quæ extrinsecus renibus superponuntur, vires facile euanescere, propter partium profunditatem & duritiem. Fiunt etiam fomenta cum spōgijs, ex decocto fænugr. maluæ, melil. altheæ, ex ol. simpl. ego vtor illis quas frittadas vocant, sunt enim oua in butyro frixa.

Ol. scorpionum.

Ad hæc etiam commendantur ventosæ magnæ appositæ renibus, & sæpe auulsæ, quia huiusmodi agitatio facit vt lapides e loco moueantur, & ita paratiores fiant ad exitum.

Vbi dolor his remedijs extinctus, vel saltem mitigatus est, totum studium conuertendum ad eijciendum lapidem. Quæ lapides eijciunt omnia sunt diuretica, attenuantia & incidentia: ea propter nisi corpus inueniant purgatum, periculum est, ne humores perducant ad renes, & malum augeant. Ob id in primis videndum, an adsint mali humores in corpore, qui si adessent, sunt suis accommodatis serapijs, & decoctionibus præparandi, & vbi præparati sunt, expurgandi. Scitis ea remedia, quæ vos sæpe docui, circa præparationem & euacuationem humorum, quare non opus est eadem repetere. Vbi fuerit corpus purgatum, nec vllum imminet periculum, ne medicamenta lapidem frangentia offendant, tunc studendum est per medicamenta propria lapidem eijcere.

Lapides eijcientia, & frangentia.

Quæ lapidem renalem frangunt, duorum sunt generum, alia sunt, quę hoc agunt manifesta qualitate, vt incisiua & aperientia omnia, calida omnia, & tenuia, saxifrag. capil. veneris, ciceres rubri, milium, lauri radix, sem. altheæ, gummata cerasorum, prunorum, apium mont. calamenth. radix pentaph. asparagi, scolop. sem. raphani &c. Alia sunt quæ faciunt hoc proprietate occulta, vt sunt apud Medicos, præsertim Plinium lapis Iudaicus, cinis scorpionum, cicadarum, cinis troglodit idis, sanguis hircinus, quoniam scribit Alex. & omnes Arabes, vocatum esse Manum Dei, quasi sit auxilium diuinum ad frangendum, & tollendum lapidem renalem, Item ossa dactylorum putantur conferre, vt & ossa cerasorum. Huiusmodi autem medicamentis, quæ occulta qualitate prosunt, solent Medici varijs modis vti, modo simplicibus, modo compositis: & quando vtuntur simplicib. semper admiscent alicui liquori, scil. modo vino, modo brodio, modo decocto diuretico. Vtuntur & hisce compositis medicamentis, & compositio, quę est in vsu, duorum est generum, vel enim elect. fiunt, vel pulueres. Apud Arabes habetur elect. quod dicitur saluatoris, quasi mirificum sit ad saluandos homines a morte & a dolore. Sunt & alia elect. sed dabo ego tantum formam vnius.

Manifesta qualitate.
Proprietate occulta.

Electuariū ad lapides frangendos.

℞. Cicadarum abiectis pedibus & alis vstarum.
Sem. saxifragæ.
Petrosel.
Officium cerasorum.
Mespilorum an. ℥. ij.
Sanguinis hircini ℥. iij.
Piperis.
Galangæ.
Cinamom an. ℥. j.
Gummi prun. ℥. j. ß.
Mellis q. s. fiat elect. s. a. vsus est tantum mane, ad quantitatem ℥. ij.

Puluis ad idem.

Fiunt etiam pulueres, qui capiuntur commixti modo lacti, modo succo semin. melonum. Cuius pulueris forma est.

℞. Canthar. præpar. gr. x.
Cicadarum præpar. gr. vij.
Cineris leporis.
Trogloditid. an. ℈. j.
Caryoph.
Piperis albi.
Sem. saxifrag. an. ℈. ß.
Gummi cerasorum ℥. j.
Cum succo saxifragiæ f. trochisci, qui vsu requirente terantur in puluerem subtiliter, dosis eius

pulueris erit ad quantitatem ℈.j. vel ℈.ij. Misce cum succ. sem. melonum. ℥.ij. & potentur ieiuno corpore.

De vsu cantharidum.

Et quia mentionem feci in descriptione huius pulueris canthar. præpar. vtile vobis fore puto, si de vsu cantharidum nonnulla moneam. Sunt enim cantharides animalia quædam parua, instar apis, colore ferrugineo, & cæruleo, sed vario, quod genus animalis defertur ex parte orientali, & lethalissimum est venenum, non solum propter vim quam habet corrodendi vesicam, verumetiam ob quandam occultam, & corpori nostro inimicam facultatem. Hoc medicamentum ex Galen. 4 simpl. 9 commiscetur alijs medicamentis diureticis, ad expurgandos renes, sed cum habeat facultatem perducendi ad vesicam, est veluti vehiculum aliorum medicamentorum ad renes pertinentium, propter quod soleo ego damnare Medicos, qui solis cantharidibus vtuntur, quia vt ego expertus sum, nihil aliud agũt in lapide renali quam quod educant sanguinem a renibus & vesica, absque vllo profectu. Vtendum igitur ijs non solis, sed coniunctis alijs medicamentis.

Nũ solis cãtharidib. uti liceat.

Dicetis, nonne Gal. sæpius inuenitur vsus solis cantharidibus? verũ id quidem est, sed in alijs morbis, scil. ad sanguinem menstruum educendum, vt in lib. de morb. mul. ostendimus.

Quantitas quæ solet esse in vsu, minima est, ad 4 vel 5 grana, nam Hippo. consueuit dare pro vna vice quinque aut sex cantharides, quæ si præparatæ ponderentur, nihil amplius pendent quam 3. vel 4. grana.

Quib. partibus cantharidum vti expediat.

De præparatione vero cantharidum est aliqua differentia. Hipp. in lib. de nat. & morb. mul. & in 4 de acut. vult, ut auferantur alæ, pedes, & capita, atque sola corpora præparentur, quam Hippoc. sententiam uidetur sequi maior Arabum pars. Ceterum Gal. 11. de simpl. cap. de canthar. scribit, alios consueuisse abijcere corpora, & uti pedibus, & capite. Imo Aetius, Diosc. & Plinius putant alas, pedes, & capita conseruanda esse, ueluti quædam Alexipharmaca contra venenum, quod est in corporibus horum animalium. Gal. scribit se consueuisse in medicamentis totas cantharides imponere. Quid igitur agendum in præparatione horum animalium? Certe sententia Hippoc. & aliorum Arabum maxima est, vt etiam maxima est Galen. Dico igitur si cantharides exhibendæ sunt solæ, tunc abijciendas esse alas, pedes & capita: vbi vero non sunt solæ cantharides exhibendæ, sed cum alijs medicamentis, tunc totas esse capiendas. Ratio autem cur hoc putem, est, quia cum exhibentur præparatæ, non est periculum de veneno, quia modus præparandi aufert totum illud venenum, quod posset extinguere; vbi autem sunt permiscendæ cum alijs, tunc quia non semper præparantur, ea propter tunc optimum est, vt secum habeant propriam antidotum, & peculiare remedium, quod vt intellexistis, putantur habere in alis, pedibus, & capitibus.

Quo præparandę sint cãtharides.

Sed dicetis, quomodo sunt præparandæ. Hic est modus. ℞. cantharides, & auferuntur alæ, capita & pedes, reliquum corpus diligenter conteritur in pulu. & gummi tragac. in aqua eliquatur, cum hac aqua deinde formantur pilulæ, & cum prædicto puluere; vbi præparatæ sunt, ponuntur in vmbra, & siccantur, cum siccæ fuerint, rediguntur iterum in puluerem, qui cum prædicta aq. iterum commiscetur, & fiunt pastilli, & in vmbra iterum ponuntur, sicque sit ter, quater, & quinquies; vbi sunt hunc in modum præparatæ cantharides, & conseruantur, & vsu postulante potantur cum succo sem. melon. vel cum brodio, vel cum lacte; quanquam & præparatæ cantharides possunt in vsu haberi cum alijs medicamentis, quia non est necessarium, vt præparatæ non commisceantur.

Præseruatio calculi.

Pro præseruatione duo sunt scopi communes. 1. vt materia ex qua fiunt isti lapides, non generetur, vel vt genita ad alias partes auocetur, vel saltem vt neque in ipsis renibus, neque in alijs partibus proximis retineatur. Secundus vt effectrix causa lapidis renalis, scilicet calor renum, & iecoris, vel extinguatur, vel mitigetur, qua ratione Alex. 1. probl. 108. dicebat etiam frigidos potus iuuare ad expellendum e renibus calculum. Pro ijs igitur scopis implendis potissimum remedium positum est in recta victus institutione.

Et sciatis quod in præseruando homines a quocunque malo potissima vis posita est in victu, imo ausim hoc dicere cum Celso, optimum remedium omnium malorum esse vitæ temperantiam. Aer itaque calidus vitandus est, & omnis locus in quo possint aut renes, aut iecur calefieri, quare vitanda mora sub sole, ad ignem, præsertim nunquam dorsum vertẽdum ad ignẽ, somnus multus fugiendus, præsertim supinus, strata plumeacea sunt omnia auertenda, cauendum etiam ne indumenta grauia, & pellicea tegant renes, ne ligamentis arctius constringantur, quia hęc omnia solent incendium & renum angustiam augere, motus etiam vitandi sunt, si sint vehementes, vt equitationes, præsertim ea, quæ dicitur succussatio, quæ valde offendit renes: saltus, cursus, & tandem omnes motus, qui fiunt inclinato dorso, sunt vitandi, aluus seruanda mollis, & si a natura non habeatur, arte mollis est facienda.

Inter potus pro præseruatione lapidis, conferentes sunt illi omnes, vt est aqua pura, vinũ purum & tenue, quod laudauit Gal. 5. de Tu. Val. vitandi sunt potus dulces, turbidi, vt est Romæ aqua Tyberina. Inter cibos similiter sunt fugiendi crassi, acuti, salsi, amari, dulces, lacticinia, pręter lac asininum. Similiter vitanda oua dura, caseus, panis azymus, caro bubula & agnina, caro caprarum, hirci, suilla, omnes aues lacustres, omnium animalium interiora etiam noxia sunt, vt pulmones, ventres, cerebra, iecinora, splen, intestina, renes & testes.

Similiter etiam fugiendi omnes pisces crassi, & lacustres, vt omnia conchylia, gambari, omnes fructus difficilis coctionis, castaneæ, cydonia, mespila, corna, cæpæ, allia, raphani, pistacia, omnia turdorum genera, condimenta crassa, & gelatina: omnia legumina præter ciceres rub.

omnia

omnia aromata tempore ijs, qui cupiunt præseruari a lapide fugienda sunt, cruditates, indigestiones omnes.

Cibi conuenientes.

Cibi vero qui conueniunt, sunt omnes ij, ex quibus gignuntur succi tenues, & qui facile coquuntur, & paucissima gignunt excrementa, vt est panis cum modico furfure factus, carnes auium & passerculorum, intra turdum, caro hædorum, caro omnis syluestrium lactantiũ. Ex fructibus nuclei pinei, amygdalæ, pistacia, nuclei persicorum, & fere omnium fructuum, cerasorum, oliuæ passulę, cappares, ficus recentes, anguriæ, pepones. Inter herbas atriplex conuenit, borrago, fœniculus, asparag. cichor. pastinac. petroselin. Hic est victus quem seruare debent illi qui cupiunt præseruari a lapide renali. Sed quoniam vsu interdum venit, vt quanquam victus ratio recta seruetur, gignantur tamen multi humores crudi, & sanguis talis, qui ad generationem lapidis conducat, ideo necessarium est, vt etiam Medici diligentes sint, quo & sanguis superfluus & humores crudi superabundantes tollantur e corpore. His quibus multus sanguis in venis quotidie cumulatur, necessarium est (vt docet Galen. in lib. de venæ sect.) vt singulis annis aut semel in anno sanguis minuatur, vel per sectam venam, vel multo magis per hæmorrhoides apertas. Et ego hac ratione aliquos præseruaui a futuro lapide, scilicet prouocatione hæmorrhoidum facta bis in anno. His vero qui crudos succos in ventriculo coaceruant, duo agenda sunt, vel saltem vnum ex his, vel enim debent assuescere vt saltem semel in mense vomant a cibo, nam per vomitum quicquid crudorum humorum in ventriculo coaceruatur, facile eluitur, vel vt habeant aliqua medicamenta accommodata, quibus singulo mense expurgent crudos humores, vt facit hiera Galen. huius enim vsus valde confert. Idem facit vsus fl. cassiæ. Præterea istis omnibus maxime vtile est, vt quolibet anno expurgent humores crudos per medicamenta accommodata: & post purgationẽ vtantur prouocantib. vrinam, vt si quid remanserit humorum in renibus eliciatur per huiusmodi medicamenta. Vnum hoc notandũ, quod quanquam prouocantia vrinam quandoque commendantur, solent tamen renes infirmos reddere, atque eos veluti cloacas efficere, vt prompte recipiant humores omnes. Hæc præsidia iuuant ad impediendam materialem causam lapidis renalis: vt autem effectrix, quæ est calor immoderatus renum, frangatur, Græci Medici laudant potum aq. tepidæ ante cibum, vel potum aq. frigidæ inter cibos, quia hoc medicamentum non parum remittit renum incendium. Proderit etiam plurimum si vere ant æstate prius facta purgatione sumatur serum caprinum per dies plures, vel sumatur aliqua ex ijs aquis thermalibus, quæ renum incendium solent remittere.

Sanguinis missio.

Vomitus.

Purgatio.

Diuretica-nũ cõueniãt.

Calorem renum immoderatũ frangentia.

CAPVT XXX.

De diabete.

Hactenus de ijs vitijs renum, quæ vel minunt vrinam, vel ex toto auferunt, sequitur, vt de ijs vitijs agamus, quæ deprauant meiendi actionem: dicitur autem deprauari, quando nec tempus seruatur, nec modus, nec mensura. Ex vitijs autem, quæ hoc faciunt vnum est a Græcis plura nomina sortitũ: dicitur enim διαβήτης interdum διψακός, interdum ὑδρωψ εἰς ἀμίδα, interdum διάρροια εἰς οὖρα. Latini, & Arabes modo diabeten nominant, modo hydropem ad matulam, modo vrinæ profluuium. Serenus Medicus antiquissimus poetice locutus appellauit vrinæ fluentum.

De nomine.

Hic affectus nunquam, vt ego multa lectione notaui, nominatus fuit ab Hipp. & quam rarissime nominatus inuenitur apud veteres. Causa huius rei est, quia raro contingit hoc vitium.

Cur Hip. & veteres huius nõ faciãt mentionem.

Scribit etiam Galen. 6. de loc. aff. 3. se solum bis hunc affectum vidisse, & tamen quando scripsit istos libros iam ætate prouectus erat.

Accedit his testimonium Rabbi Moysis auctoris grauissimi, qui octauo aph. scribit, in regionibus occidentalibus rarissime hanc affectionem oriri, sed fieri in calidis, & orientalibus regionibus, propter quod etiam scribit, se in spacio 20. annorum in Aegypto vidisse plures quam 20. diabetes. Est itaque hæc ratio cur Hippocrates non meminerit huius affectus, quia non videtur, enim non fuerit Medicus in Aegypto, & calidis regionibus.

Definitio.

Diabetes igitur, vt ex Galen. patet, & Paulo, nihil aliud est, nisi velox & copiosa potus nõ mutati per vesicam emissio, sine vlla causa manifesta. Dicitur velox, & copiosa, quia vt fiat hæc passio, necessarium est non modo, vt vrina sit copiosa, sed etiam vt frequenter reddatur in magna copia, quia potest quidem copiosa reddi vrina, neque tamen erit diabetica passio, veluti fit, quando multum potatur, quando caput calefit, vt Hippocrates ait, quando homines vtuntur cibis, & potibus diureticis, in iis enim omnibus fit vrina copiosa, verumtamen non est diabetes, nam vt fiat diabetes, necessarium est, vt frequenter mingatur, & in magna copia, quia etsi diabetici multum bibant, vt videbitis suo loco, tamen si comparetis vrinam potui, multo maior est copia. Habetis historiam apud Gattinariam de puella Mediol. quæ quondie mingebat 36. lagenas vrinæ, cum tamen vix vnam potaret. Dicitur potus non mutari, ad differentiam excretionis vrinæ, quæ fit interdum per crisin, videbitis enim in morbis homines frequenter, & multum mingere, verum illa affectio non est diabete, quia humor ille est mutatus, qui excernitur

Historia mirabilis.

cernitur per crisin, in diabete nullo modo mutatus est.

Ducitur per vesicam: quia contingit etiam, vt non mutatus humor exeat per anum, vt apparet in eruditatibus, in quibus videbitis interdum educi incredibilem vrinæ copiam & frequentem, ea tamen affectio non dicitur diabetes. Dicitur sine causa manifesta, ad differentiam eorum, qui sumunt aquas thermales, & qui multum potant: sunt enim inter homines, & præsertim Germanos multi, qui multum potant, & sicut potant, statim mingunt potum immutatum, neque tamen laborant diabete, & quia adest causa manifesta. sic videbitis sæpe eos qui sumunt aquas thermales mingere rursus aquam thermalem. Et videte simplicitatem Fernelij, qui narrat tanquam rem miram, se vidisse quendam magnam copiam aquæ thermalis calidæ potantem, & totam rursus mingentem, cum tamen apud Medicos Italos nihil sit frequentius eo.

Fern. simplex.

Quis affectus sit diabete.

Qualis actio lædatur.

Ex his omnibus, quæ conueniunt ad constituendam naturam diabeticæ affectionis colligere potestis, esse symptoma in genere excrementorum mutatorum, scilicet peccantium copia, modo, & tempore: quia vero hæc symptomata sunt ex illis, quæ mediate morbos, & immediate consequuntur actiones læsas, videndum est, quæ sit actio in renibus, quam consequatur eiusmodi symptoma. Si tempus spectetur, videtur lædi actio attractrix: si qualitatem materiæ exeuntis, videtur actio coctrix lædi, quia materia non est mutata, sed cruda.

Quid igitur statuendum? Id quod videtur colligi ex discursu Gal. 6. de loc. aff. 3. & 1. de crisib. 12. in diabetica passione læsas esse has omnes actiones, retentricem, attractricem, & alteratricē, sed ordine dispari, & vario modo; actio enim quæ primo, & principaliter læsa est, est attractrix, quandoquidem hæc est, quæ multitudinem serosi humoris in renes trahit, & cum venæ emulgentes sint inanitæ a renibus, ipsæ sugunt & trahunt a iecore, iecur autem a venis meseraicis, hæ a ventriculo, quo exsiccato inducitur sitis, & propter sitim coguntur ægri multum potare, vnde necessario fit copia vrinæ, & propterea vocatus est hic affectus græce διψακος, eo quia maximam inducit & intolerabilem sitim.

Est itaque primo in hoc affectu læsa actio attractoria, ad cuius læsionem necessario sequitur læsio retentricis, nam cum copia humoris aquosi sit attracta, eam sustinere non potest facultas retentrix, & sic orbata suo munere dimittit vrinam, neque reddit debito tempore. Attractrice & retentrice læsa, necessario etiam offenditur alteratrix, non quod ipsa necessario essentialiter lædatur, sed quia cum habet opus debito tempore in sua actione propter retentricis debilitatē hoc tempore priuata, priuatur etiam perfectione suæ actionis, & operationis. Videtis itaque quomodo hæ tres actiones lædantur, & quis sit ordo huius læsionis.

Pars affecta.

Locus affectus in diabete nullus alius est nisi renes ipsi, & quanquam Aretæus videtur sensisse, locum affectum in diabete esse vniuersum corpus, siquidem vt in hydrope colliquantur carnes, ita etiam dicebat hic auctor colliquari in diabete, tamen hæc sententia est falsissima, quia colliquatio totius corporis haudquaquam necessario per vrinas excernitur, sed etiam sæpe per aluum. Accedit his, quod si exsugitur ab omni corpore humiditas serosa, non est propter vitium habitus corporis, sed est propter vitium renum, qui vehementissime, attrahunt & exsugunt humorem aquosum, quem cum non possunt retinere, postea efficitur fluor, qui vt docet Galen. 5. de loc. aff. 3. apprime assimilatur lienteriæ, quia sicuti in ea passione excernitur cibus immutatus frequenter, copiose, pari pacto in diabete fit vt excernatur potus immutatus & frequenter.

Cur Auic. inter vitia vesicæ referat diabetē.

Sed dubitabitis, si locus affectus in diabetica passione est renum regio, cur Auicenna, & eius sectatores tractarunt hanc affectionem inter vesicæ vitia? videtur enim absonum, vt illud vitium, quod nihil pertinet ad vesicam, tractetur tamen inter vesicę morbos. Dico, diabeten nullo modo debere vocari vesicæ passionem, sed renum. Imo verba Auicen. si perpendamus, agnouit ille hunc affectum nihil pertinere ad vesicam. Cur autem tractet de ea inter vitia vesicæ, puto ego illum secutum esse vulgus, nam plurimi putant, totam mictionis functionem esse ipsius vesicæ, & ad renes nihil pertinere: ea propter secutus Auic. multitudinem, eorumque iudicium, voluerit reponere ipsam inter vesicæ vitia, etiamsi agnouerit esse affectionem renū. Possum & aliter respondere, hanc affectionem partim pertinere ad vesicam, partim ad renes: secūdum originem pertinet quidem ad renes, quia origo mali tota est posita in renib. sed secundum effectum, & secundum finem, vt ita dicam, videtur potius pertinere ad vesicam. Et ratio est, quia copia vrinę, quę concurrit ad constitutionem huius morbi, tota colligitur in ipsa vesica, ex qua erumpit, ita vt proprium characterem videatur acquirere in vesica.

A quo morbo oritur.

Oritur autem hoc malum a proprio suo morbo, qui est intemperies, ab ea enim labefactata & offensa essentialiter facultas attractrix, est causa mali huius, dico attractrix, quia hæc necessario essentialiter semper offenditur: retentrix autem, & alteratrix non necessario. Cum vero sint multæ intemperies, potissimum calida & sicca est, quæ frequenter lædit attractricem, & retentricem facultatem, quæ ipsa iure sequitur, vt fiat hæc passio. Nec miremini, me dicere attractricem lędi, quia etsi uehementior, & robustior uidetur esse, is tamen error est, quia facultas plus attrahit quā deceret. Dixi hanc intemperiem plerumque lædere attractricē, quia interdum fit diabetes ab intemperie, & causa frigida. Imo Aretæus censuit, quod hæc affectio plerumque fiat a frigida & humida intemperie.

Externę causæ.

Intemperies autem, a quibus fit diabetes, fiunt & ipsæ a suis causis, ut si sit calida, fit a calidis, & biliosis humoribus, si frigida, a frigidis. Externæ causę, quæ nimis renes calefaciunt, &

quæ

quæ intemperiem illam inducunt, sunt morbi pestiferi & acuti; qui cum in renibus sedem habeant illos valde contaminant. Venena etiam extra ↓Seuilla hoc morbi genus pariunt, vt morsus serpentis dipsas vocati, potus etiam vini generosi, potus aq. frigidæ secundum Auic. sunt ex causis, quæ faciunt diabeten.

Signa præsentis diabetis. Futuri.

Signa alia indicant præsentem, alia futuram diabeten: declarant præsentem os humiditate priuatum, saliua arra & spumosa, præcordia grauia, calor vel frigus a ventre in vesicam tendens, vrina maior, sitis vehemens. Morbus, dum augetur, habet secundum Aretæum etiam sua signa, nam tunc calor mordax percipitur in omnibus visceribus, totum abdomen rugas contrahit. Venæ totius corporis eleuatæ apparent, totius corporis habitus gracilis, vrinæ in magna copia, sitis multo maior quam in principio, & bibendo nunquam satiatur, & vrina est potus parum mutatus. Quod si malum oriatur a causa calida, cognoscitur, quia percipitur in parte caliditas, & acrimonia in vrina, quæ multa est, & similis loturæ carnium, sed paulo decoloratior. Si a causa frigida, percipitur frigiditas extra renes, & vrina inter excundum videtur subfrigida, non est ita copiosa, sicut in causa calida, neque acris, sed decoloratior, & albidior.

Signa a causa calida. A causa frigida.

Prognost. signa ea sunt notanda, quæ Gal. habet 6. de tuen. val. & quæ post Gal. dixit Aret. scil. hunc morbum ex ijs esse, qui non statim finitur, sed longo tempore protrahitur, qui tamen morbus vbi iam est inueteratus, cito iugulat, vel si non cito interimit, vitam tamen valde infelicem, & molestam reddit. Vnum est auxilium, cito huic malo occurrere, quia nisi occurratur eius principio, cito corpus emaciatur, & postea moriuntur.

Indicationes.

Curatio tota sita est in illius intẽperiei ablatione, a qua malum efficitur, aufertur autem vel corrigitur intemperies a contrarijs. Sed quia dicebam, intemperiem calidam multo potius inducere hunc affectum, quam frigidam, ea propter de hac longius tractabo, & initium capiam ab ea viuendi ratione, quæ necessaria est in hoc morbo curando. Primum parãdus aer frigidus & humidus, dormiendum quantum diutius fieri potest, super folia salicis, nymphçæ, lactucæ, papaueris. Fugiendi motus animi, & corporis, nam ira & timor valde obsunt, omnis corporis motus, præsertim in quo laborant lumbi, valde noxius est, aluus soluta, & facilis est seruanda, nam vbi aluus fluit, efficitur quædam diuersio humorum a vesica ad aluum: frigida & adstringentia actu balnea conueniunt, quæ scil. & potentia vim adstringendi habẽt, & aluminosa, imo Rhases fuit huius sententiæ, in huius mali curatione sedendum in aq. frigida fontis, & tamdiu ibi morandum, donec nigriçat cutis præ frigore, quasi huiusmodi infrigidatio magnopere faciat ad mitigandam sitim, ad tollendam intemperiem calidam, & ad renes egregie corroborandos. Pro potu conuenit aq. fluuialis & chalybeata, sed in pauca quantitate, aqua hordei torrefacti, cui potest misceri vel succus cydon. vel syr. de agresta, vel succus cornorum, vinum etiam rubeum, & adstringens & crassum commodum est, vitanda autem omnia vina, eaque potuũ genera, quç maxime vrinam prouocant: & sicut non multum potandum, ita etiam notãdum, conuenire, vt vrgente siti paulo plus potus concedatur, quam cõsueuerit: dicebat enim Aetius in hoc proposito sitim esse maximum dolorem, & maximam molestiam; verumtamen potare multum in affectione hac, valde quoque est noxium; itaque medio modo incedendum, ita vt non multum bibatur, neque etiam multum abstineatur: etsi interdum plus potus assumitur, vomitus vtilis erit. Inter cibos vitandi illi omnes, qui sunt acres & acidi, omnes frixi, salsi, omnes qui prouocant vrinam.

Curatiõ diabetis ab intemperie calida. Victus rat. Insessus in aq. frigida commendatur.

Panis accõmodatus ille est, qui fit ea flore farinæ, seu ex similagine. Caro castrati, vituli hædorumque commendata est, pręsertim vero extrema, & interiora horum animalium, vt pedes, cerebrum, oua sorbilia, lac a quo sit ablatum serum. Inter herbas conueniunt portul. cichor. lactuca. Quoad chirurgiam si morbus est in principio, Græci in hoc conueniunt, vt sanguis mittatur, sed Arabes huius auxilij non meminerunt: Vera sententia est, in hac adeo graui euacuatione nisi sit in principio morbi, & magnam videatis plenitudinem, non mittendum esse sanguinem: videndum autem an humores adsint acres, salsi, biliosi, nec ne: si aderunt, hunc in modum preparabitis.

Nam conueniat venæ sectio.

Preparatio.

℞. *Fol polyg.*
Portul.
Lactuca.
Plantag. an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. *d. d. ℥. iiij.*
Syr. de agresta
Syr. myrtb. an. ℥. j. M. f. potus.

Præparatis humoribus erunt euacuandi, & pro euacuatione conueniet hic bolus.

Purgans. bolus.

℞. *Diaphænici ʒ. ij.*
Elect. dia sebesten sine scam. ʒ. ß.
Diacathol. ʒ. vj. M. f. bolus.

Vel potus talis:

℞. *Rhab. electi infusi & expressi. s. a ℈. iiij.*
Decoct. myrob. cydon. & thamar. ℥. iiij.
Syr. ros. aut viol. solut. ℥. iij. M f. potus.

Facta purgatione, quia fieri non potest, vt statim tota causa amputetur, prouidendum cum intrinsecis, tum extrinsecis medicamentis, vt materia repellatur ac diuertatur, atque renes ipsi

corro-

corroborentur: Ad diuertendam materiam scribit Oub. nihil esse in hoc casu, quod vtilius sit, quam prouocare sudorem, & ad hunc prouocandum laudat vsum vasis, cuius mentionem fecimus, cum de hydrope loqueremur.

Sudorifera.

Pro repellendo a renibus conueniunt, & fomenta varia, & inunctiones. Fomenta possunt fieri ex decoctis, & succis adstringentibus, vt est:

Fomentũ repellens a renibus.

℞. Fol. nymphaea.
Plantag.
Ros. rubrarum an. M. j.
Fol. rubi M. ß.
Nucleor. myrthi ℥. j. f. dec. s. a.

Deinde *℞. d. d. lib. ij.*
Succi symphyti.
Succi vuæ immatura an. lib. ß. M. omnia, & cum panno lineo, vel cum spongia f. fomentatio pro renibus.

Imo & hæc fomentatio poterit fieri regioni pectoris, quia non solum communicatur malum ab his membris ad renes, sed etiam sæpe malum accidit renibus ab his membris. Quod si hæ fomentationes non prosint, possunt addi aliqua stupefacientia, vt sunt capita papau. solani, hyoscyami, fol. mandrag.

Præter fomentationes sunt etiam inunctiones accommodatæ ad repellendos humores a renibus, & ad eos refrigerandos, vt:

Inunctio ad idem.

℞. Ol. ros. Omphac.
Myrth an ℥ j.
Succi symphyti.
Succi sanguin an. ℥. j.
Cera parum, M. f. linimentum.

Quod si nihil proficiunt hæc, possunt addi stupefacientia, vt si addamus fol. hyoscy. modicum opij, hæc omnia stupefacientia grauiora solent tandem debellare hos morbos. Intrinseeus quoque adhibenda sunt medicamenta, quæ possunt renes corroborare, vt sunt succus rubi, succus symphyti, succus sanguinariæ, coral. rub. bolus arme. trochisci de carabe, de terra Lemnia. Soleo ego ita facere; iubeo statim, vt summo mane capiat trochisc. de carabe ʒ. j. & statim superbibat hunc syrupum:

Renes corroborantia.

℞. Rad symphyt.
Solat.
Sanguinariæ.
Fol. rubi.
Portul. an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. de portul.
Syr. myrth an. ʒ. vj.

Loco trochiscorum mando etiam, vt interdum fiant pil. ex bolo arm. & coral. rub. atque ita iubeo deuorare ante syr.

Quod si malum fiat a causa frigida, contraria ratione incedendum erit, vt scil. omnia tum intrinseca, tum extrinseca medicamenta, tum etiam victus ratio calida sint.

Curatio diabetis a causa frigida.

CAPVT XXXI.

De fluxu sanguinis renum.

De nomine.

VT fit circa renes fluxus materiæ serosæ, ita etiam solet fieri fluxus materiæ sanguineæ, neque mirum est, quia, vt intellexistis, cum renes attrahant sanguinem serosum, interdum sanguis ille totus, & indiscretus exit, interdum exit purum, secretum & separatum serum. Fit igitur fluxus sanguineus renum, quando materia exiens vel est sanguinea, vel est serum sanguine infectum.

Dicitur Græce hic affectus αἱμοῤῥαγία νεφρῶν, Barbari vocant mictum sanguineum, qui si recurrat per certa interualla quædam, solent vocari hæmorrhoides renum. Ratio huius appellationis est, quoniam vt hæmorrhoici per certa quædam interualla sanguinem mittunt ex ano, sic etiam certis quibusdam periodis promanat sanguis ab ipsis renibus: imo scribunt, omnia fere similia contingere illis, qui patiuntur hæmorrhoides ani, & illis qui patiuntur sanguinis fluxum a renibus eo, quod vtrique pallidi sunt, ignaui, torpidi, faciunt cibi ipsis fastidium. Ex aduerso vbi hic fluxus sistitur, vertiginibus capiuntur, doloribus occipitis, epilepsijs, & alijs quampluribus malis, ita vt ratione similitudinis symptomatum iure etiam commune, & simile nomen obtinuerit hic affectus. Est enim fluxus sanguinis renum symptoma in genere excrementorũ præter naturam mutatorum, quod cũ sequatur aliquam vitiatam actionem, plane apparet vitiari actionem retentricis facultatis. Dico potissimum, quia quando fit huiusmodi malum ex debilitate renum, non solum vitiatur actio retentricis facultatis, sed & coctio vitiatur,

tiatur, eo quia præ debilitate facultas coquere non potest. Verũ ambigi posset, an renum facultas vitiata sit essentialiter, an accidentaliter, nam cum exitus sanguinis sequitur continui solutionem, & hęc secundum aliquos videtur morbus instrumentarius & dissimilaris, rationi consonum videtur, nequaquam renum facultatem essentialiter vitiari. Siquidẽ vt Gale. 3. de symp. caus. 1. docet, nullus morbus instrumentarius, quantum ex se fit, essentialiter vitiare potest facultatem, sed accidentaliter tantum. In quo breuiter, quicquid sit statuendum de solutione cõtinui, an sit morbus similaris, an dissimilaris, ita decernendum puto, quod semper in progressu morbi, quocunque modo fiat exitus sanguinis a renibus, vitiatur facultas essentialiter, quia fieri non potest, quin diuturno tali morbo instrumentali contrahatur intemperies, propter quã essentialiter facultas læditur: vbi vero fit hoc sanguinis profluuium a renum debilitate, non solum in progressu morbi, verumetiam in eius principio semper læditur facultas essentialiter. Ratio est, quia debilitas renum sequitur semper intemperiem, dico semper, quia cum renes sint membra solida & crassa, nunquam ita possunt rarefieri, & laxari, vt merito laxitatis dicãtur fieri debiles, quemadmodum fiunt propter intemperiem. Morbi itaque, a quibus fluxio sanguinis orta est, sunt intemperies, solutio continui, & raritas, seu morbus in via: nam vbi fit sanguinis fluxus ex renum imbecillitate, sola intemperies causa est, atque intemperies frigida & humida, cuius intemperiei causæ internæ sunt humores frigidi & humidi: externæ autem causæ sunt omnes illæ, quæ intemperiem hanc frigidam & humidã, pręsertim vero est potus aquę frigidæ, vsus ciborum refrigerantium, & refrigeratio ab externo aere facta circa renes.

An renum facultas essentialiter, vel accidentaliter lædatur.

Morbi a quibus depẽdet hic affectus.

Causæ internæ intemperiei.

Externæ.

Solutio vnitatis in renibus multis modis fit, vel enim fit, quia roduntur vasa, & venę renum, vel quia franguntur, vel quia aperiuntur, vel quia rarefiunt: nam etsi nunc dixerim, rarefactionem morbum esse in via, sic tamen sensi, semper posse hanc affectionem reduci ad solutã vnitatem, eo quia vbi rarefiunt vasa, propterea rarefiunt, quia partes illæ, quæ prius erant vnitę, discedunt ab inuicem, & spatia relinquuntur aeri ingredienti, adeo vt rarefactio non minus pertineat ad solutam continuitatem, quam morbum in via.

Causa solutionis vnitatis.

Internæ causæ, quæ faciunt morbos hos solutæ vnitatis, sunt vel flatus distendentes, & rumpentes, nam vt videmus, res dum nimis sunt a flatu impletæ disrumpi, sic contingit venas rumpi propter ventos, vel sunt humores, qui rumpunt venas, atque etiam aperiunt. Si humores illi sunt calidi, rarefaciunt superficiem; qua rarefacta postmodum patet exitus sanguini, vel humores sunt acres, merito cuius cum corrodant renes ipsos, fluxiones etiam faciunt: possunt etiam humores sua humiditate mollire, & laxare vasa, ob quam laxitatem efficitur, vt permittatur exitus sanguinis. Ad hæc vlcera exitus sanguinis causa sunt: sicuti & lapilli exeunt interdũ acuminati, qui inter exeundum frangunt vasa, & inducunt sanguinis fluxum.

Externæ causæ, vt Auic. refert, sunt omnes illæ, quæ causas internas inducunt, frigus & calor externus nimius, percussiones supra renes, saltus, vulnera, cursus, cibi acres & salsi, equitatio nimia, maxime vero omnis immoderatus, & nimius coitus, retentio etiam fluxus sanguinis ab hæmorrhoidibus, vel ab alia parte solet in causa esse, vt a renibus profluat sanguis.

Signa vniuersalia, quæ indicant sanguinis profluuium a renibus, ex sese sunt clara, & manifesta: ceterum cum sanguinis mictio fieri possit, & a vesica, & a poris vreterib. & a iecore, ea propter necessarium est, vt habeatis quædam signa, quibus possitis cognoscere, quando mictus sanguinis a renibus, quando a vesica, & quando a poris vreteribus proficiscatur.

Signa.

De vesica illud primo scire debetis, quod scriptũ est ab Auic. multo rarius e vesica emanare sanguinem, quam a renibus, propter duas causas. 1. quia venę renum amplæ sunt, & multo maiores quam vesicæ, quo fit vt facilius repleantur, & facilius subijciantur causis aperientibus. 2. quia venæ renum sunt, secundum longitudinem positæ, & propterea sunt patientiores, & magis expositæ causis vehementibus: vesicæ venę sunt veluti a natura occultatæ, ne facile offendãtur, cum sint exiguę, & tenues. Si igitur sãguinis mictus proficiscatur a renibus, cognoscetis, quia serosus est totus sanguis, vrinæ admistus; & dum fluit circa dorsum, percipitur veluti quædam titillatio, percipitur etiam quidam malus sensus, & vt plurimum solet inopinate, & repente sanguis e renibus emanare.

Signa distinguentia mictum sanguinis.

Sanguis autem qui proficiscatur ab hepate, vt monuit Auicen. nunquam fluit repente, sed paulatim, nullus percipitur circa renes sensus malus, sed potius in regione iecoris semper adest mala quædam affectio.

Ab hepate.

Si ab vreteribus percipitur dolor circa ilea, sanguis exiguus est: sed si a vesica, vt plurimum sanguis qui exit, congelatur, ac statim atque mictus est, residet in fundo, quia crassior est quam ille, qui exit a renibus. Et vt notat Rhases a vesica nunquam exit multus sanguis, neque repente.

Ab vreteribus.

Si fiat fluxus propter renum imbecillitatem hæc erunt signa, materia exiens tenuis est, & serosa, similisque illi materiæ, quę exit laborantibus fluxu hepatico, nam ait Gale. 6. de loc. aff. respondere proportione hunc affectum affectioni hepaticę. Est tamen quędam materię differentia, nam materia, quę exit laborantibus secundum renes, est alba in summo, & magis crassa in fundo, quam sit in hepaticis.

Propter renum imbecillitatem.

Si propter erosionẽ sanguis exit acris, dolor percipitur circa renes, & sanguis paulatim fluit, ac interdum apparent in vrina ramenta carnis corrosę. Oraculum Hipp. est 4. aph. 78. quod quicunque sanguinem sponte mingunt, ijs a renibus venulam esse ruptam significatur.

Propter erosionem.

Si propter rarefactionem sanguis fluit, non solum tenuis est, sed etiam mixtus alicui mate-

Propter rarefactionẽ.

rię

Propter lapillos. Propter vlcus. Prognost.

riæ crassæ, quæ residet in fundo, & in summo apparent corpuscula concreta instar spongiæ. Si propter lapillos, cognoscitur, quia lapilli exeunt, atq; iisdem etiam signis quibus indicantur lapilli renales. Si propter vlcus profluit sanguis, ipsi commixtum erit pus, & quandoq; ramēta apparebunt. Omnis sanguinis fluxus a quacunque parte cum sit præter naturā malus est. Aetius tamen dicit de fluxu sanguinis a renibus, quod quantum sit ex se, nunquam interimat, sed si qui propter hunc fluxum moriuntur, moriuntur vel propter inflammationem, vel retentionē sanguinis, verumtamen vt dixi, cum omnis fluxus malus sit, præsertim si sit diuturnus, & præcipue si ex erosione sit, diligens est adhibendum studium, vt quamprimum curetur.

Curatio.

Curationis ratio est, vt soluta vnitas curetur, & omnia, quæ soluunt vnitatem auferantur, & in iis, qui per circuitus solent in hunc morbum incurrere, prouideatur ne amplius malum fiat: & quanquam multæ sunt causæ, a quibus sanguinis fluxus oritur, vna tamen est victus

Victus ratio.

ratio, quæ omnibus accommodari potest, scil. vt omnis aer immoderatus caueatur, caueantur iræ, & omnes animi vehementes motus, exercitia etiam corporis fugiantur, quia nulla fere est corporis exercitatio, in qua nō egregie laborent renes, & dorsum, ideo in curatione quies conuenit, vigiliç sunt noxiæ, quare somnus confert, & præcipue factus supra res adstringentes myrrhum, plantag. consol. balnea nulla conueniunt nisi adstringentia, vt aquarum aluminosarum, quæ etiam solum sunt administranda circa renes, quia si administrantur, secundum totum corpus plane omnes venæ çqualiter constringentur, & consequenter sanguis pelletur in locum affectum. Vino abstinendum, vtendum autem aq. chalybeata, succo granat. succo cydon. quod si vinum offerre cogamini, erit concedendum nigrum, crassum & adstringens: similiter cibi, & viscidi, & crassi, vt gelatina, præsertim debent esse tales, vbi fit malum ab humoribus acribus, vel per rarefactionem, pedes animalium conueniunt, carnes gallinarum, caponum, quibus omnibus semper erunt admiscenda, & incoquenda aliqua olera, vel semina adstringentia: & ego iubeo, vt vel omphac. vel grana granat. semper immisceantur ipsis cibis, & incoquantur.

Atque hęc victus ratio non tantum in hoc affectu, verumetiam in omnibus aliis internis fluxionibus sanguinis conuenit. Pręter victum diligenter notandum, a qua causa oriatur sanguinis fluxus: si enim sanguis multus est, reuocandus erit, ne scil. natura, vt repleat vasa renum inanita, aliunde mittat sanguinem ad ipsos, & sic perpetuum sanguinis fluxum faciat: ad hoc

Sanguinis missio.

autem pręstandum conueniunt ligaturç, frictiones extremorum, cucurbitulç, & sanguinis missio. Sed de sanguinis missione dubium est, a quonam loco fieri debeat. Aetius videtur hanc habuisse sententiam, quod semper sit mittendus a pede: sed quod dixi de inflammatione, & lapide renum, idem statuendum in hac affectione, sc. si sit plenitudo in corpore pręstare, vt sanguis mittatur a cubito dextri brachij: si non adsit plenitudo, a partibus interioribus. Si fluxus erit propter erosionem, cum hæ omnes fiant ab humoribus acribus, & subtilibus, prouidendum, vt humores acres præparentur, & præparati expurgentur, vbi sunt expurgati, generanda caro in renibus, & vlcus consolidandum.

Ad generādum carnē topica.

Ad generandam carnem est lac chalybeatum, sc. lac capræ, quæ nutrita sit rebus adstringentibus, præsertim lentisco. Et quia lac non ita petit renes, optimum est aliquid addere quod ducat, vt est succus sem. melon. Accipitur igitur succi sem. mel. ℥ j. lactis chalyb. ℥ iiij. & quotidie propinatur. Post purgationem mirifice valet hoc remedium ad consolidandum vlcus. In reliquis modis solutionis continui, fere est hæc communis ratio, vt medicamenta exhibeantur interna, & externa, quæ possunt vulnera consolidare, & sistere impetum sanguinis, vt sunt ea quæ frige faciunt, vt succus lactu. succus polyg. consol. maior. & minor. Cornu ceruinum vstum, bolus. arm. coral. rub. trochisc. de carabe, de spodio, de terra lemnia, maxime commendatur mumia, & hypocist. His poterimus vti solis vel permistis. Sed in permixtione horum medicamentorum illud est notandum, vt non vtamini solis adstringentibus, neque solis, quæ sanguinē stupefaciunt, & congelant, sed semper admisceatis aliqua, quæ prouocant vrinam, id est, quæ possunt perferre hæc medicamenta ad renes, vt est semen fœnic. anisi, asarum, neque timeatis horum nimiam apertionem, aut nimiam caliditatem, quia hebetantur omnes qualitates a frigiditate, & tenacitate aliorum. Extrinsecus similiter conueniunt medicamenta adstringentia, vt ol. myrthinum, cydon. quibus etiam addūtur succi varii, vt succus papau. consol. min. bolus arm. sanguis draconis: ex his enim fiunt linimenta, quæ illita renibus auxiliantur ad claudenda vasa reserata.

Curatio fluxus sanguinis propter coitum.

Si propter coitum nimium contingat malum, cetera omnia conueniunt adstringentia extra & intus, sed a sanguinis missione abstinendum, nisi tamen corpus ita repletum videatur, vt non sit formidandum de futura debilitate. Conueniunt cibi non solum crassi, viscidi & adstringentes, sed etiam qui possunt nutrire, vt oua mediocriter cocta, quibus misceatur puluis corall. rub. Et quia puto vobis sępe euenturum huiusmodi casum, dabo vobis syr. probatissimum ad restringendum fluxum huiusmodi.

Syr. probatissimus.

℞. *Fol. plantag.*
Extremitatum mirthi.
Extrem. vitis.
Seminum plant.
Portul. an. P. j.
Succi liquiritiæ

Anisi

Anisi.
Fenic omnium infusorum in aceto, & postea torrefact. an. ℥ ij.
Sem. papaueris.
Lactucæ an. ℥ iij. Omnia conquassentur, & infundantur per diem in lib. iij. aq. communis: deinde coq. ad consump. tertiæ partis. post addita lib. j. sacc. f. syr. Dosis huius est ab ℥ j. ad ℥ j. ß sed antequam eis exhibeo, soleo offerre ʒ j. trochisc. de carabe. vel ℈ j. boli armeni, & tantundem pulu. corall. rubeorum. Atque hæc de affectibus renum, sequitur de affectibus vesicæ.

CAPVT XXXII.

De suppressione, difficultate, & stillicidio vrinæ.

Dixi duo facta esse a natura excrementi humidi receptacula, renes scilicet & vesicam: de vitijs renum hactenus tractatum fuit: sequitur vt agamus de vitijs, quæ propria sunt vesicæ: dico propria vesicæ, quia multa sunt vitia, quæ de renibus a nobis sunt tradita, communia huic parti, vt igitur quæ propria sunt vesicæ vitia, inueniamus, necessarium est, vt cognoscamus, quæ sit propria vesicæ actio. Cum enim morbi sint qui lædunt actionem, optime ex propria vesicæ actione de proprijs eius morbis iudicare poterimus.

Quæ sit propria vesicæ actio.

Aristoteles 3. de par. animalium 8 & 3. de hist. animal. 15. scribit, omnia animalia quæ habent pulmonem sanguineum, habere vesicam, quæ non habent pulmonem sanguineum, neque bibunt, aut si bibant pro cibo vtuntur potu. Ex quo loco Philosophi potestis colligere, vesicā ideo factam esse animalibus, quia cum bibant propter necessitatem caloris naturalis, neque potus conuertatur in substantiam, sed fere totus in excrementum, vt per ipsam excernerentur ista excrementa humida. Hunc locum Arist. cum exponeret Auerrh. dicit munus vesicæ, & renum nullum esse aliud, nisi clarificare sanguinem ab humore aquoso: sed hæc Auerrh. sententia longe a rei veritate recedit, quia vt optime docet Gal. 9. de vsu part. 9. vesica attrahit ab vreteribus vrinam separatam ab ipso sanguine, & quanquam renes purificant sanguinem ab hoc seroso humore, tamen vesica nequaquam hoc facit, sed tantum attrahit humorem iam depuratum, quam deinde excernit, & vt excerneret, data illi fuit facultas expultrix, sicuti data fuit intestinis, vt scilicet medio, & opera huius facultatis felicius expelleret hoc excrementum aqueum. Quare iure concludendum secundum Gal. 5. de vsu part. 5. nullum aliud munus esse vesicæ, nisi excernere excrementum aquosum, quod renes separant a sanguine.

Auerr. opi.

Vitia itaque quæ contingunt vesicæ, sunt ea quæ hanc actionem lædunt, quia vt docet Galen. morbus est dispositio præter naturam immediate lædens operationes: vitiatur autem hæc actio tripliciter, aut quia omnino non redditur vrina, vt fit in suppressione vrinæ, aut quia paucior redditur cum labore, & dolore, vt fit in difficultate vrinæ, aut quia neque debito modo, neque debito tempore excernitur, vt fit in stranguria, aut etiam in ijs, qui seipsos inuoluntarie commingunt.

Vitia vesicæ.

Actiones vesicæ prædictis modis vitiatæ sunt symptomata in genere excrementorum mutatorum, ea sequuntur actiones læsas alicuius facultatis. Mediate autem hæc facultas læditur vel essentialiter, vel accidentaliter: essentialiter læditur, quando morbi qui vitiant actiones, sunt morbi in mala intemperie: accidentaliter, quando morbi sunt instrumentales: examinabimus itaque vnumquodque vitium vesicæ.

Vbi nullo modo redditur vrina, dicitur Græcis ἰσχουρία. Arabes appellant modo dysuriam, modo strangvriam. Cælius Aurelianus videtur legisse ισχουρίαν, sed legendum ἰσχουρία. Dixi proprie dici ἰσχουρία, quia quando suppressio vrinæ facta est propter renes, etiam a populo continuit vocari ischuria, vt Galen. 3. de sympt. caus. a. docet: sed propria ischuria dicitur ea suppressio, quę fit propter vesicam, non propter renes.

De ischuria.

Causę huius affectionis, vt Gal. loco citato scribit, sunt illæ, quæ vel lędunt facultatem essentialiter, vel accidentaliter, quę causę sunt morbi ipsę essentialiter lędunt facultatem vesicæ; intemperies calida, sed potissimum frigida, & humida, secundum Auic.

Causæ. Essentiales.

Causę autem lædentes accidentaliter, sunt tum illę quę auferunt sensum, ita vt vesica non sentiat vrinam, tum etiam sunt illa quę obstruunt collum vesicę, & impediunt quo minus possit exire vrina. Auferunt sensum vesicę causę eę omnes, quę ita impediunt neruos, ne possint recipere & transmittere facultatem ad vesicam, vt fit in lethargo, in quo cum humores frigidi & pituitosi obstruunt neruos, fit vt facultas non possit mitti ad musculos vesicę, vnde hac priuata facultate, priuatur etiam sensu. Ob id facultas minime sentiens non potest excitari ad expulsionem vrinę. Obstruunt autem collum vesicę omnes illę causę fere, quę vt retuli vobis, etiam obstruunt renes.

Accidentales.

Et dum dico obstrui vesicam, intelligere debetis, non obstrui secundum se totam, quia fieri non potest, vt vllo corpore tota obstruatur vesica, sed obstruitur collum. Quę igitur obstruunt vesicę collum, ita vt nullo modo possit vrina exire, multa sunt: primo multitudo vrinę, quę cum extendat totum corpus vesicę: fit vt quantum illud extenditur, tantundem collum coarctetur, & propterea quando tota vesica est extensa, necessarium est etiam collum penitus esse occlusum. Multitudo vrinę quę ita obstruit collum vesicę, multis de causis colligi potest, potissimum

Vesicæ collum obstruentia.

mum

mum vero quando homines vel non possunt mingere, vel animum alio auocatum habent: sic illis qui longo tempore manent vel in toro, vel in hominum frequentia, ita vt non liceat illis vrinam mittere, multam vrinam colligunt. Similiter qui contemplationibus totos se dedunt, ita vt vrinam nunquam reddant, illis colligitur vrinæ copia, quæ obstruit deinde collum vesicæ, & facit perfectam suppressionem vrinę.

Multitudo vrina unde

Flatus.

Lapis paruus.

Quo autem pacto multitudo vrinæ claudit collum vesicæ, eodem modo claudit multitudo flatus: quando scilicet flatus sunt multi extendentes vesicæ corpus: præter flatus & vrinā sunt etiam multa alia, quæ obstruunt collum vesicæ, vt vrina supprimatur, est primo lapis paruus, nam rarum est quod lapides magni prorsus supprimant vrinam, sicuti monstrabo in tractatu de lapide vesicæ. Præter lapidem est etiam tophus, grumus sanguinis, inflammatio, caro; interdum enim ea ita supercrescit, vt prorsus occludatur collum vesicæ, & supprimatur vrina. Ad hæc immoderata siccitas solet ita occludere & constringere collum vesicæ, vt nullo modo exire possit urina. Circa has causas dubium oritur, An a debilitate sensus vesicę possit induci ischuria. Fernelius aduersus Galen. tueri conatus est, nequaquam fieri posse, vt urina supprimatur propter debilitatem sensus vesicę, & ad hoc afferendum est usus hac ratione: quia vrina fluit e vesica vbicunque impedimentum fuerit remotum: quod semper urina exeat, & suo quodam impetu feratur, iuxta Fernel. manifeste probatur in ijs, quæ secantur propter calculos uesicæ.

Fernelij error.

Ratio Fernelij videtur mihi obscura, & vt ego intelligere possum, videtur æstimasse vesicā ut excernat urinam nullo opus habere impulsore, sed ut reliqui humores sponte fluunt, nisi impediantur, sic etiam sponte fluere urinam, nisi impediatur.

Sed parcat mihi uir iste, sententia eius ualde est erronea, proinde quid is uelit intelligere per sectos propter calculum haudquaquam intelligo: nam si de mortuis loquitur, qui secantur, habentes lapides in uesica, uerum est urinam exire, etiamsi non sit uirtus expultrix, quia propriū est humoris ad partes decliues decumbere, nisi impediatur: sed hoc nihil ad rem, quia secus est in mortuis, secus in uiuis. Si autem intelligit de uiuentibus, quibus, dum secantur, & lapis aufertur, sponte fluat urina, dico uerum esse quod in istis fluat urina, quia propter sectionem eum habeant locum decliuem, id facit urina quod reliqui humores. deinde etiam dico, urinam in istis expelli a facultate expultrice, quæ dum cōtrahit uesicam, eam cogit extrudere a sese per collum, quicquid continet, ut necessarium sit omnino, in uiuentibus, & sanis excludi urinam beneficio uirtutis expultricis: adiuuante etiam uoluntate & electione, alioquin continuo exiuisset ab animalibus urina, & proinde homo fuisset commaculatus, & ipsius uita omnium aliorum animalium fuisset deterrima, ut igitur non cogerentur continuo mingere, natura ita fabrefecit vesicam, vt multo tempore continere posset vrinam, & vt deinceps excluderetur vrina, fecit vt homines voluntate, ac animalium, facultas expultrix excitata ipsam excluderet, vnde hęc operatio partim esset animalis, partim vero naturalis.

Cum igitur mictio hoc pacto fiat, iure Galenus statuit posse ita sensum vesicæ hebetari, vt facultas expultrix non concitetur, & consequenter non contrahat vesicam, & non expellat vrinā. Idque puto significasse Celsum, qui inter alias causas ischuriæ etiam reposuit senectutem.

Causę externæ.

Causæ extrinsecę, quæ ischuriam faciūt ex debilitate uirtutis & sensus uesicæ, sunt vt Auicenna ait, frigora externa, calores externi. Præterea casus & percussio sunt ex his, quæ possunt facere hanc expulsionis noxam, siue vrinæ suppressionem. Nam habetis historiam notabilem apud Galenum 6. de loc. aff de illo, cui propter casum cum essent interiora dorsi luxata, suppressa erat vrina.

Historia not.

Pręter has causas sunt venena, vt Nicander scribit de colitheo serpente, & bupreste, de spuma argenti, a quibus omnibus ischuria fit.

Causę externæ collum vesica obstruentes.

Externę causę quę obstruendo collum ischuriam inducunt, complures sunt, in primis negotia, contemplationes, lapides, cibi & potus crassi, quæ omnes externę causę ideo obstruunt, quia faciunt vel humores uiscidos & crassos, vel lapillos, vel tophos. Ad hęc vulnera & percussiones extrinsecę hanc etiam faciunt obstructionem, siquidem gignūt modo grumos, modo inflammationes, modo tumores alios.

De dysuria.

Dysuria porro nihil aliud est quam vrinę impedimentum, quando redditur quidem vrina, sed in pauca quantitate cum difficultate & dolore, propter quod iure Latini vrinę difficultatem dixerunt.

Huius causę fere sunt eædem, quæ etiam ischurię, prætèrquam quod non videtur ita facile oriri ob debilitatem sensus. Est tamen differentia, quia in dysuria causæ semper sunt minores, in ischuria vero vehementiores, vt est tumor, vlcus, inflammatio, humor uiscidus, crassus, & similia. Est tamen excipiendus lapis, quia is qui facit difficultatē vrinæ, semper maior est quam ille, qui ischuriam facit.

Differentia inter dysuriā & ischuriam.

Hoc loco notādum, eos qui sectantur Arabes, pręter vrinę difficultatem, caput etiam aliud statuisse, de vrinę paucitate, quæ multis, de causis effici potest, vel propter paucitatem potus, vel propter membrorum siccitatem, quando. n. membra sunt exsiccata, ita exhauriunt & absumunt aqueam humiditatem, vt pauca omnino supersit vrinæ copia: aut fit quia vrina alio auocatur, quemadmodum in his qui multum sudant, in iis qui alui fluxum habent, in iis enim omnibus cum materia vrinę alio feratur, necessario colaturam reddit paucam. Sunt etiam alię apud Arabes vrinę paucitatis causę, sed hęc paucitas non est vitium ipsius vesicæ, sed potius

alterius

alterius partis,& propterea iure a Græcis ipsum est omissum, sicut & nos prætermittemos.

De stranguria.

Vbi actio mingendi vitiatur, multæ oriuntur affectiones, aliæ vbi hæc actio aufertur aut diminuitur, aliæ vbi eadem deprauatur. Inter deprauatas ea est affectio quæ Græce dicitur στραγγουρία, sunt qui vocant stillicidium vrinæ, Cato, vocat substillium vrinæ, quæ affectio nihil aliud est, quam exitus, vrinæ guttatim frequensque, vt definitur 5.aph.58. dicitur enim vrinæ exitus, quia vere vrina est, non autem potus immutatus, sicut in diabete. Dicitur etiam guttatim, quia si frequenter mingatur, & in magna copia effluat, ea erit affectio, quæ diabetes dicitur. Quod si exeat guttatim, & non frequenter, est potius vrinæ difficultas quam stranguria, ita vt proprius character huius affectionis videatur, esse, vt vrina guttatim frequenter exeat. qua affectione esse cruciatum Socratem scribit Plato in epist.

Genus affectus. *Locus affectus.*

Ex hac descriptione satis patet, stranguriam esse symptoma in genere excrementorum mutatorum, quod fit propter vitiatam actionem facultatis retentricis vesicæ: ex quo liquet locum affectum in stranguria non esse alium, quam vesicam.

Causæ.

Causas eius Gal. 5.aph.58. & 3.aph 16. reduxit ad duo genera, ad imbecillitatem & ad morbum vesicæ, ita vt omnis stranguria, secundum Galenum fiat vel propter vesicæ imbecillitatẽ, vel morbum vesicæ. Auicenna autem Græcis diligentior, ad quatuor capita omnes causas reduxit. 1. ad vrinam. 2 ad instrumẽtum. 3. ad corpus vesicæ. 4. ad principia: ab his enim quatuor fontibus constituit oriri omnem stranguriam.

Ex parte vrinæ causæ.

Causæ ex parte vrinæ, vt ait Auicenna, in duobus positæ sunt. 1. in acrimonia. 2. in copia: acrimonia autem vrinæ multis de causis efficitur, in primis fit ab intemperie calida & sicca, ex Gal. loco citato, vbi textus Græcus est deprauatus. vbi enim erat legẽdum a siccitate, legitur ab humiditate, sed mendose. Aut fit acrimonia vrinæ ab humoribus acribus, & biliosis commixtis, vel ab arenulis quæ acres sunt, vel ab humoribus qui demandantur ab aliis corporis partibus ad vesicã: aut fit acrimonia a pure cum sanguine mixto, aut a cibis acribus, sicuti sunt acetum, alium: aut etiam a medicamentis, & uenenis. Nicander enim dicit, leporem marinum suo veneno homines quos inficit, in ipsis parere vrinæ acrimoniam. Idem etiam facit labor, & nimius coitus, qui enim currunt, solẽt exerceri vrinæ acrimonia, & propterea venatores cõsueuerunt nimio cursu venari ceruos, quia vt ferunt, hæc animalia præ nimio cursu vrinã, adeo acrẽ habent, vt cogantur sistere.

1. acrimonia vrinæ.

2. copia vrinæ.

Copia urinæ, ut scribit Auicenna, facit stranguriam, eo quod extenso corpore uesicæ, osculum uesicæ ita comprimitur, ut urina cogatur exire guttatim: uix autem adducor ut credã, stillicidium unquam fieri posse a copia urinæ, quia ubi os uesicæ apertum est semel, & copia in uesica reperitur, fieri nõ potest, quin urina exeat copiosa. Quare etsi auctoritas Auicen. sit apud omnes approbata, mihi tamen non satisfacit.

Ex parte instrumentis causa.

Causa ex parte instrumenti, seu ex parte musculi cõstringentis ipsam vesicã, efficitur huiusmodi morbus, vel quia relaxatus musculus, vel quia sensum amittit, aut propter apostema aliquod, aut propter aliquã intẽperiẽ, præsertim frigidã: nam cũ non possit propter relaxationem huius musculi multa vrina colligi in vesica, neq; ibi cõtineri, necessario fit vt exeat paulatim: quod autẽ a frigore externo possit huiusmodi malum oriri, testatur Rhases & Hippoc. 4. epid.

Ex parte vesicæ causa.

Causa ex parte vesicæ sunt, quando facultates ipsius retentrix, & expultrix, vitiatæ sunt, aut essentialiter, aut accidentaliter; vitiantur essentialiter, quando in corpus vesicæ inducitur aliqua praua intẽperies, vt testatur Gal 6 de loc. aff. 3 vitiãtur accidentaliter, vel ob tumorem, vel ob vlcus; quarum omniũ rerũ causæ externæ sunt, & antecedentes, morbi aliarũ partium, qui communicant intemperiem aut aliud malũ, similiter frigus externum, calor externus, cibi & medicamenta refrigerantia, causæ sunt antecedentes eorum omnium quæ diximus.

Ex parte prĩcipiorũ causæ.

Causæ ex parte principiorum, sunt omnes illæ, quæ neruos impediunt, quo minus facultas transmitti possit ad ipsum musculum, vt fit in morbis cerebri, in percussionibus partis super nucham, & in aliis omnibus, per quas nerui comprimuntur, & compressi non demitti sinunt facultatem ad musculos vesicæ. Possumus etiã his causis addere anni & ætatis cõstitutionem, de quibus Hipp. 3. aph. scribit, fieri in siccitatibus strangurias.

De mictione inuoluntaria & nocturna.

Præter hoc vitium mictionis deprauatæ, est aliud, quando homines inuoluntarie mingunt, cum noctu & interdiu se polluũt, & quãquam Arabes uideantur differentiam ponere inter mictionem inuoluntariã, & mictionem nocturnam, est tamẽ eadem affectio, & vnum genus passionis, quæ affectio nihil aliud est, quam inuolũtaria vrinæ excretio, qua qui laborãt, Græce dicuntur ἐνουροῦντες, acsi dicamus in seipsis mingentes. Nã vt apud Gal. 6. de loc. aff. 3, habetur, hæc operatio partim est voluntaria, quia secundum imaginationẽ mouetur facultas motrix, modo ad expellendam vrinam, modo ad retinendam: idque experientia probatur, quia vnusquisque vestrum, potest retinere vbicunque vult vrinã, potest ẽt expellere, quod quidẽ non fieret, nisi & excretio, & retẽtio vrinæ a voluntate & imaginatione magna ex parte proficisceretur.

Ad quæ munera explẽda fecit natura duo musculorum genera: unum genus eorum qui cõprimunt corpus uesicæ, ut extrudatur quicquid in ipsa continetur: secũdum genus est eorum, qui collum uesicæ adstringunt. Quare cum anima seu facultas motrix nihil operatur, uel in retinendo, uel in expellendo, efficitur hic error in mictione, quoniam urina exit præter uoluntatem, quo fit ut hoc symptoma in hoc genere excrementorum mutatorum sequatur actionẽ uitiatam facultatis animalis, non quidem deprauatæ, nõ diminutæ, sed ablatæ, ita ut auferatur prorsus functio ipsius facultatis motricis in hac affectione inuoluntaria.

Genus affectus.

Sed video vos optare vt explicem, cur fiat vt etiam maxime sani mingant dum dormiunt. De his qui sani sunt, ita statuendum, eos emingere, sed non præter voluntatem: nam sicut homines dormientes sæpe mouent corpora, anima ipsa cooperãte propter insomnia, aut propter alias imaginationes, pari pacto etiam homines propter insomnia mingunt, & in hac affectione facultas animalis operatur Ideo, quod in imaginatione mouente & excitante, mouentur musculi qui imaginationi obediunt.

Cur quidã sani mingant dũ dormiũt.

Quare iure dictum est, non esse inuoluntariam exerctionem, quia mictio facta noctu, per insomnia, non est morbus, cum non fit præter voluntatem.

Cum igitur in hac affectione non mittitur facultas ad musculos mouentes vesicam, id est, vel quia nerui ipsi sunt affecti, aut propter intemperiem, nam habetis historiam apud Gale. 4. de loc. aff. de quodam, cui cum refrigeratæ essent partes ani & vesicæ, incidit in inuoluntariam vrinæ excretionem: vel fit ob humores in ipsis neruis imbibitos, vel ob aliquam causam extrinsecus comprimentem ipsos neruos, sicut vbi luxantur spondyli; in his enim, spondyli luxati intro comprimentes neruos efficiunt vrinæ incontinentiam. Comprimuntur etiam nerui ob multitudinem fæcum, secundum Auic. comprimuntur item a fœtu in vtero existẽte, propter quod continget vobis interdum videre mulieres pręgnantes, quæ maximopere solicitãtur ab vrinæ stillicidio.

Cur prægnãtes strangurian patiantur.

Si autem musculus facultatem per neruos transmissam non suscipiat, est vel propter magnam aliquam intemperiem, vel propter humores, quibus cum lacertus totus sit madefactus, non potest optime coarctare collum vesicæ, & propterea nequaquam potest vrinam cõtinere. Sic ebrij sæpe mingunt in seipsis, sæpe mingunt noctu inuoluntarie, sicut pueri, item mulieres, in quibus omnibus cum propter nimiam humiditatem lacertus sit relaxatus, vrina non continetur.

Cur ebrijs, pueris, mulieribus hic affectus contingat.

Signa.

Quocunque modo vitietur hæc actio mingendi, signa vniuersalia quæ demonstrant hoc vitium, clarissima sunt, similiter non sunt obscura signa causarum externarum, quæ comparantur vel ex relatione ipsius ægri, vel adstantium, uel ex diligenti obseruatione Medici. Cęterum causæ internæ & particulares vt cognoscantur, aliqua solertia, & aliquo studio Medici opus est, & ideo sigillatim sunt inuenienda signa, quibus possitis vnamquamque causam inuenire,

Ischuriæ signa.

Si enim suppressio fiat ex debilitate facultatis vesicæ, hoc signum habetur, quod si homo ponatur, & supine, & manu vel digitis Medici comprimatur pecten, vrina statim profluit, siquidem quod non potest facere facultas motrix, vt comprimens vesicam profundat vrinam, id facit manus Medici. Ad hæc si debilitas sit facta propter fragilitatem, quemadmodum plerumque contingere solet, cognoscitur ætate, vt in senibus, & deceptis temperatura totius corporis, vita anteacta, regione, & similibus, atque iis quæ frigidam intemperiem inducere consueuerunt.

Signa ischuriæ propter collum vesicę occlusum.

Quod si suppressio vrinæ non sit propter debilitatem, sed propter os, & collum vesicæ occlusum, si hæc occlusio facta sit ab inflammatione, cognoscitur tumore, duritie, calore, & febre. Si fiat a carne supernata, cognoscitur quoniam semper aliquod vlcus præcessit, in quo explendo atque curando natura luxurians plus carnis producit, quam par est. Ad hæc cognoscitur a carne occludi collum vesicæ, quoniam si mittatis syringam per virgam, vrina profluit, interdum apparent frustula carnis flaccidæ.

Quod si nullum adsit ex his signis, & suppressio facta sit non statim, sed paulatim, signum erit occludi collum vesicæ, ab aliquo humore frigido, & scirrhoso, sicuti si lapis occluserit has vias, cognoscetis per signa antecedentia, & præsentia, quæ omnia vos docebo, cum de lapide vesicæ loquar. Quod si nullum adsit lapidis signum, & sanguis antea ex vesica effluxerit, signum est suppressionem fieri a sanguine concreto, & grumescente vel in ipso collo vesicæ, vel inductu & meatu penis, quod eo magis manifestabitur, si cetera signa iungantur, quæ solent comitari sanguinis grumos in alijs partibus, ut animi defectus, anxietas, pulsus paruus, quæ omnia vt testatur Galenus quarto de diæta, ideo contingunt, quia sanguis cum sit naturę familiarissimus, & maxime necessarius, vbi corrumpitur, quandam contrahit conditionem ita ipsi naturæ infensam, vt videatur natura ipsa corruere: vt enim vnusquisque tum maxime lęditur, quando aliquid ex rebus ipsi necessarijs deest, sic contingit naturę, vt quãdo sanguis grumosus fit vel alio modo corrumpitur, natura maxime labefactetur.

A sanguine concreto.

Quod si fiat vrinæ suppressio propter humores viscidos, & crassos, cognoscetis; quoniam in vrina dum emittitur, semper apparent sedimenta crassa, filamenta, & pituitæ copia. Accedit etiam his victus ratio: nam si æger vsus fuerit cibis frigidis & crassis, vt piscibus, lentibus, cydonijs & similibus, tunc certum est argumentum vrinam suppressam esse ab humoribus viscidis, & crassis, vesicæ collum obstruentibus. Quod si fiat vrinę suppressio a pure collecto, cognoscetur, quia aderit aliquis fętor, pręcessit semper vomica, vel aliquod vlcus, & pręsertim pus quod antea exibat, supprimitur statim.

Quod si fiat a siccitate, cognoscetis ex pręgressis morbis valde calidis, & siccis, vt puta ex febribus ardentibus, quę ita exsiccarunt collum vesicę, vt prorsus conueniat, quod quidem genus solet esse mortale & incurabile.

Quod si fiat ab inflammatione uel abscessu aliquo, dolor circa regionem colli uesicę, percipitur, itaque hic dolor iunctus est grauitati & febri cuidam.

Sin

Sin autem off undaiut ab vlcere aliquo, ea urina quæ exit pus adiunctum habet, & dum exit, vrinæ morsus percipitur & acrimonia.

Signa ischuriæ a flatib.

Sin autem fiat a flatu, hæc signa habet, scilicet læsionem & tensionem, dolorem citra vllam grauitatem, emisso flatu a vesica omnis molestia mitigatur.

Signa dysuriæ ab intemperie frigida.

Si ab intemperie frigida oriatur difficultas vrinæ, vt plerumq; fieri solet, adest difficilis quędā mictio, sed cum dolore quodam obtuso, & maxime obscuro, temperatura corporis, ætas atque regio maxime etiam attestantur. Quod si tali temperamento iunganiur etiam humores frigidi, cognoscitur, quoniam vrina est alba, & dum mingitur percipitur subfrigida. Similiter si ab aliis intemperiebus esset, signa aderunt ea omnia, quę solent attestari temperiebus omnibus.

Stranguriæ signa ab humorib. acribus.

Stranguria etiam habet sua signa particularia, quoniam si fiat ab humoribus acribus, & mordacibus intra vasa existentibus, cognoscitur non modo per ipsam acrimoniam, quæ continuo vellicat & pungit, sed etiam cognoscitur habitu bilioso, sicco, arido, sicuti si fiat stranguria aut ob pus, aut ob aliquod renum vlcus, ea habebitis iudicia, quæ demonstrauimus quando de renum vlceribus tractaui.

Signa ob frigidā intemperiem.

Sed si fiat ob frigidam intemperiem, nulla aderit acrimonia, vrina alba erit, ætas senilis, habitus corporis frigidus & humidus, tempus autumnale. Et quæ de intemperie frigida sunt dicta, eadem ad dignoscendas alias intemperies sunt accommodanda.

Signa inuoluntariæ mictionis ab intemperie frigida.

Vitio nerui.

Illi qui mingunt in seipsis, qui dicuntur a Marcello subtimiculi; ob quas causas ita vexentur, ex propriis signis clarum fit; siquidem si fiat a propria intemperie frigida, cognoscetis vt alias. Si fiat vitio nerui, cognoscetis, quia nullum adest aliud signum neque musculi, neque vesicæ affectæ, & propterea quando nullum aliud indicium aderit, iudicabitis fieri propter ipsum neruum affectum, qui defert virtutem ad musculum. Hæc sunt signa omnium vitiorum, quæ contingunt circa mictionis officium pertinentis ad vesicam.

Prognost.

Quo ad prognostica. Aurelianus scribit vnicum vesicæ graue esse n tinmi imo vero idem vesicæ morbos omnes, etiā per consensum factos, graues esse pronunciat, grauissimos autem omnes, si non per consensum, sed per propriam vesicæ fiant affectionem. Cur vero adeo graues sint plures sunt causę: primo, quia membrum est maxime sensibile, atque in consensum trahit alias corporis partes: secundo quia vesica ea est substantia constituta, vt vlcerata & scissa non possit coalescere: tertio est hoc membrum valde ab ore remotum, vnde medicamenta per os accepta parum ipsi prodesse possunt. Similiter & situs & positio vesicæ ita facta est a natura, vt facile medicamenta non possit suscipere. Quare non immerito & ab Aretæo, & ab Aurelio & Hippocrate 6. aph. 6. dictum est, omnia vitia renum & vesicæ in senibus esse grauia, quia vt docet Galenus, si per se mala sunt vitia vesicæ, tanto deteriora sunt in senibus, in quibus omnia mala sunt peiora ob virium debilitatem.

Ischuria.

Et quamuis omnis vrinæ suppressio grauis & mala sit, ea tamen quæ fit ex grumo, non solū curatu difficilis est, ex Galeno 6. de loc. aff. 3. verum & apud Aurelium habetur incurabilis, sicut & immedicabilis est pene, quæ vel ob spinam, vel ob casum, vel ob percussionem cōtingit. Auicen. dicit, omnem vrinę suppressionem si ad 10. vel 12. diem protrahatur, incurabilem esse. Dico quoque ego, quod etiam quæ durat ad septimam diem incurabilis sit, nunquam mihi licuit dicere, quanquam curatum fuisse, cui suppressa fuit vrina per quinque dies.

Dysuria.

Vrinę etiā difficultas si a prauis & ardentibus febribus facta sit, mala est. Est mala similiter & mortalis, si vrinę difficultati tenesmus superueniat, id quod ex Hippoc. auctoritate affirmarūt Rhases, & Auicen.

Stranguria.

Vrinę stillicidium in senibus, vt & alia vitia, difficulter curantur. In pręgnantibus autē non lethalis est stranguria, & ischuria, quia plerumque fit, vt vna cum partu liberentur ab hac molestia. Habetis exemplum vxoris Viarij apud Hippocratem secundo epid. 2. scribit idem Hippocrates, stranguria laborantes, si volulus superueniat, septima die perire, nisi vrina multa fluxerit febre non accedente. Omnia stillicidia vbi multum perseuerant, pręsertim si cum acrimonia solent manari vesicę vlcera. Stillicidium inquit Hippocrates esse lethale in hydrope sicco. Mictio inuoluntaria, quę fit a causis manifestis, facilior curatu est, quam ea quę fit a causis non manifestis, vt docet Gal. 4. de loc. aff. 4.

Indicationes.

Curatio. Vitiata mictio propter vesicam, si vel suppressa vel diminuta sit, videtur vnum scopum habere in curatione, scilicet vt prouocetur vrina, quod cum fiat remotis impedimentis, scopus erit vnus, remouere id quod potest impedire vrinæ cursum. Si vero sit mictio deprauata, scopus vnus erit, ut morbi illi auferantur, qui facultatem illam lædunt, vel essentialiter, vel accidentaliter. Verum quia vt vnumquodque horum vitiorum varias habet causas, & varios morbos, ea propter uaria debet esse curationis quoque ratio.

Victus ratio.

Est in pluribus communis quędam victus ratio seruanda, inprimis in omni affectu vesicę pręterquam in inflammatione, cauendus est aer frigidus, quia vt scribit Hippocrat. in aph. frigidum uesicæ inimicum: igitur omnia, quæ erunt approximanda uesicæ affectæ, debent esse calida actu, aut saltem tepida. Motus animi & corporis valde nocere solent uesicę affectibus, uigilię item, sicut & somnus, pręsertim quoniam per somnū relaxatus lacertus est, & fit mictio inuoluntaria. Quod ad cibos, debent esse lenes, optimi succi, attenuantes, & si causa frigida sit, calidi sint, si calida, frigidi. Vitandi semper crassi, viscidi, adstringentes & difficiles coctu.

Diuretici cibi cur fugiēdi in ischuria.

Vrina si sit suppressa cauendi ii cibi, qui procurant urinam, siquidem urina, vbi exire non potest, omni studio satagendum, ut ad uesicam nihil, aut parum prouenıat. De potu scripsit Hippocrates 7. aph. 44. urinæ difficultatē solui uenę sectione, & meri potu, quod quidē uinum, si causa frigida

est, debet esse calidum, potens, tenue, si autem calida, debet esse multa aqua castigatum, sed semper tenue. Hæc sunt capita, quæ semper communiter obseruantur in omni uesicæ uitio, circa mictionem.

Curatio ischuriæ.

Iam vero in ischuria, quæ fit propter debilitatem, cum vt plurimum hoc genus vitij oriatur a frigida intemperie, instituẽdus uictus est, qui calefacere possit, & omnia diuretica sunt uitanda, ne urina & alij humores ad uesicam ducantur. Vbi autem victus institutus est, primo agendum, vt ęger supinus collocetur, & blande admodum tractetur, & comprimatur, vt possit urina paulatim fluere, ut Gal. 6. de loc. aff. docet. Sed quia huiusmodi remedium non uidetur tollere morbum, & causam, ea propter præter huiusmodi compressiones sunt adhibenda & alia auxilia, tam intrinseca quam extrinseca, quę omnia habeant facultatem calefaciendi, in primis quæ excitant facultatem expultricem, & calefaciunt. Extrinsecus administrandæ frictiones, cucurbitulę applicandę ipsi pectini, insessus & linimenta.

Insessus.

Insessus autem fiant ex fœnugræco, althęa, ruta, semine lini, chamom. quę omnia coquenda in aqua, in qua resideant ęgri vsque ad vmbilicum, olea etiam administrantur post insessionem, vt sunt rutaceum, & scorpionum, chamęm. propter quod ubi huiusmodi ol. inunguntur pectini, semper ea pars leuiter fricanda est, quoniam huiusmodi frictione duo fiunt. 1. quod medicamentum altius penetrat, 2. quod facultas expulsiua titillatione & frictione magis excytatur.

Medicamenta circa præputium.

Ad excitandam hanc sopitam facultatem solent Medici multa adhibere circa pręputium, propter quod cum irritent partem ipsam, atque titillatio communicetur uesicę, fit vt irritando hęc remedia irritent facultatem sopitam, vt sunt formicę peni impositæ, nitrum, cimices, fimus columbinus, quæ omnia laudantur apud priscos, & Marcellum Empiricum. Mittuntur etiam per collum olea, vt de scorpionibus chamæm. rutaceum; quibus conferentibus nulla alia spes superest, quam vt deueniamus ad Catheterem: & notandum, veteres Medicos prius omnia experiri alia, antequam deueniãt ad Catheterem; nos hoc tempore statim venire solemus in ischuria ad

Catheter.

Syringam, neque ego hoc damno modo artifices probati sint, vt a Syringa nihil mali contingat.

A proprietate urinam cienția.

Tutius tamen sumuntur omnia ea, quæ a proprietate vrinam ciere possunt, vt sunt carnes erinaceorum, quæ vt notat Marcellus, si exsiccentur, & cum vino prębeantur, solent vrinam prouocare. Vermes etiam terrestres tres aut quinque capiuntur, & exsiccati, ac in puluerem redacti, si cum vino aut mulsa potentur, prouocant urinam Ventriculus etiam auis, quæ ossifragus dicitur, si exsiccetur, primum salitus, & propinetur, a Marcello Empirico inter præsidia efficacissima reputatur. Pelliculæ item illæ, quæ sunt intra oua sub corticibus, si exsiccentur, & in puluerem redactæ potentur, vrinam prouocant.

Curatio ischuriæ propter humores viscidos.

Si facta sit vrinæ suppressio propter humores viscidos, & crassos, vtendum calefacientibus, & attenuantibus illis, quæ docui in curanda intemperie frigida: sed in his etiam cauenda maxime diuretica, ne decipiant vos, quia etsi videntur humores crassos attenuare, tamen magis nocent attrahendo humores & vrinam ad vesicam.

Ex nimia retentione.

Vbi facta est suppressio ex nimia retentione, vt in foro & concione fit, solum cõia ratio est, vt ægri mittantur in tinas aqua calente plenas, atq; ibi tractetur pecten molliter, & vbi aliquo tempore tractatus sit, immittamus Syringam, & manu leniter presso pectine paulatim exprimamus vrinam ex vesica. Dico paulatim, quia si conatur Medicus affatim exprimere vrinam, non modo cruciatum magnum inducit, sed etiam frustratur suo conatu, quia quanto vehementius in hoc casu comprimitur vesica, tanto magis collum coarctatur.

Curatio suppressionis a flatibus.

Si fiat suppressio a flatibus, adhibenda sunt fomenta, quæ maxime discutiunt, vt fomentum ex chamæmelo, aniso, parietar. Allium contusum & appositum vesicæ mirifice auxiliatur, vt etiam auxiliatur si vel anisum manducetur, vel allium, quia vis horum penetrat ad vesicam, licet non ita cito, & penetrando discutit flatus.

Curatio suppressionis a carne, scirrho, callo.

Vbi fit a carne aut a scirrho, aut a callo, primus scopus est, vt collum vesicæ diligenter emolliatur, quod quidẽ fit per intrinseca & extrinseca remedia. Intrinsecus emollit ol. amygd. quod per fistulam, vel per clysterem immittitur in ipsum collum. Extrinsecus etiam ol. dulce abũde superfusum & pectini & peritonæo, magnopere eas partes emollit. Idem faciunt balnea, quæ fiunt modo ex aqua, cui in cocta sunt malua, althæa, lapathũ. modo ex ipsis oleis puris, et oleo dulci simplici. Vbi autẽ emollita est pars illa, catheter leniter immittatur, ita vt vrina exire possit, quæ vrina postquam exiuit, omni studio & diligentia curandum est, vt vel callus, vel caro, vel tumor ille durus medicamentis digerentibus & exsiccantibus tollatur: quod fieri solet & tempore debito, & debita diligentia.

Curatio ischuriæ a pure, aut grumo.

Sed si pus aut grumus sanguinis obstruat collum vesicæ, ita vt non possit exire vrina, Galenus laudabat ea quæ lapidem terunt, in primis laudat oxymelitis vsum, quod quidẽ ex ore sumitur, & infunditur etiam per clysterum, coagulum leporis etiam laudatur a Galeno & hędi. Laudat etiam Auicenna inunctionem theriacę, sicuti etiam accommodata sunt fomenta, quę fiunt ex fimo columbino, ex sinapi, pulegio, sal etiam ex aceto dilutus, & pectini applicatus, atque loco illi circa peritonæũ confert. Si hęc non prosunt, deinde deueniendum ad syringam: quando hęc non prodest, Actuarius iubet, vt secetur locus inter pudẽdum, & anum, & eodem pacto extrahatur grumus sanguinis, quo pacto solet extrahi lapis.

Si vrina supprimitur propter inflammationem, aut propter lapidem impactum in vesicę collo, erit ea curatio adhibenda, quam monstrabo infra.

Sequitur

Sequitur curatio dysuriæ, quæ vt plurimum generatur a frigida intemperie, siue sola, siue copulata, quæ debilitat retinendi facultatem vesicæ.

Est autem notandum, an illa intemperies sit sola, an copulata humoribus: si sola, primo victus instituendus, qui facultatem calorificam habeat: aer sit calidus, somnus, exercitia corporis moderata sint, cibi boni succi, calidi & diuretici, quibus semper incoquantur ea quæ habent facultatem prouocandi vrinam, vt petroselinum, asparagus, fœnic. cicera rubra, aromata, & anisum, cinnamom. caryoph. Pro potu conuenit vinum album, tenue, generosum.

Diuretica cur conueniant in dysuria. Neque miremini me hic laudare diuretica, quoniam licet non conueniant in ischuria, conueniunt tamen in dysuria, quia vbi hæc est, aliquo modo exit vrina, & ideo quæ prouocant vrinam, possunt auxiliari. Vbi ex toto vrina suppressa est, perducunt quidem diuretica humores ad vesicam, sed potius nocent quam prosunt.

Præparatio. Si cum intemperie iuncti sunt humores frigidi & crassi, erunt hi præparandi sic:

℞. Syr de beton.
Syr capill. vener.
Mellis rosacei an. ℥. ß.
Decoct. beton.
Puleg.
Origan.
Capill. vener. ℥. iiij. M. f. potus.

Quo potu quamprimum erunt præparati humores, deinde expurgandi sunt, & ad hoc præstandum nihil conuenientius est Agarico, quare huiusmodi potio erit accommodatissima.

Purgatio.

℞. Myrob. indorum ʒ. j. ß.
Fol. senæ ʒ. j.
Sem. maluæ.
Rutæ.
Citri an. ℈. ß.
Cinnam. ℈. j. f. decoctio in aq. capill. ven. s. a.

Deinde ***℞. d. d. ℥. iiij.***
Agar. præpar. ʒ. j. ß. infundantur omnia s. a. deinde facta expressione adde
Elect. indi. ʒ. iij.
Mellis ros. solut. ʒ. iij.
M. fiat potus.

Calefacientibus extenuantia. Postquam sunt humores euacuati ad superandam ex toto dysuriam, adhibenda sunt vesicæ extrinsecus & intrinsecus ea medicamenta, quæ possunt calefacere, & humores extenuare, ex. gr. si intus infundatur, thymi & satureiæ decoct. cum oxym. simpl. medicamentum est accommodatissimum. Sic etiam foueatur pecten decocto orig. puleg. rutæ, fænug. Post fomentationem administratam, adhibeantur olea quæ calefaciant, vt scorpionum, rutæ, de euphorbio. Quod dictum est de intemperie frigida, idem de quacunque intelligendum, vt semper per cōtraria medicamenta illa intemperies corrigatur.

Curatio dysuriæ a flatibus. Quod si flatus faciat difficultatem, victus est adhibendus, qui possit maxime flatum discutere, vt est continuus vsus anisi, fœniculi, allij. Item vtile est fouere pectinem vel pannis calidis vel decoctis calefacientibus. Sed notandum ne vel pannus calidus, vel medicamenta calefacientia applicentur pectini antequam corpus sit euacuatum, quia esset periculum, ne humores attracti ad vesicam facerent, vel inflammationem, vel aliud malum.

Curatio stranguriæ ab intemperie frigida. Stranguria quoties efficitur ab intemperie frigida, quod tamen raro fit, nullo alio modo est curanda, nisi, quo pacto dixi curandam esse dysuriam ex frigida intēperie, scilicet medicamentis calorificis, diureticis, attenuantibus, tam intrinsecus, quam extrinsecus adhibitis: sed si fiat, vt sępe fit ab humoribus acribus, & vitiosis, scopus est, vt illi humores partim euacuentur, partim ad temperiem reducantur, quibus implendis necessarium est in primis, vt aer in actiuis qualitatibus sit temperatus, in passiuis humidus, somnus proderit, vigiliæ fugiantur, & in summa quiete corpus contineatur: aluus lenis habenda.

Vict. ratio. Ad subducendam aluum clysteres sunt vtiles, qui facultate sua obtundant acrimoniam humorum, vt qui fiunt ex lacte & oleo amygdalarum dulcium, ex succo ptisanę, & ol. dulci, ex butyro, & oleo. Sic & clysteres emplastici omnes, pręterquam quod leniant aluum, placant etiam humorum mordacitatem. Abstinendum ab omnibus mordacibus cibis, & acribus, vt allio, cæpa, porro, raphano: ab omnibus frixis & salitis, cauendum ieiunium, id est, secundum Aeginetam, a tarda comestione, sunt enim multi, qui tarde sumunt cibum, cum multum ieiunent, quibus cum vrina acrior reddatur, efficitur, vt hoc malum exacerbetur.

Ieiuniū cur nocuum. Inter cibos confert ptisana ex farre, oryza; iura etiam pinguia, pisces, vt auratæ, lucij, & omnes pelagi pisces. Inter olera conueniunt malua, buglossus, portulac. lactuca. A potu vini plane abstinendum, nisi vel consuetudo, vel virium imbecillitas cogat vos offerre vinum. Loco vini vtatur decoct. glyzyrrh. & sem. maluarum, quod placat maxime acrimoniam omnium humorum. Commodum etiam est decoctum hordei, cui pruna sint incocta.

Purgātia accōmodata. Præter victum, quia efficitur hoc malum ab humoribus acribus, & vitiosis, statim deueniendum ad expurgationem humorum, quia nisi statim occurratur, solent hi humores exulcerare

vesicam, & quia hi humores non habent opus præparatione, illico possunt remedijs accommodatis euacuari. Medicamenta, quę conueniunt ad euacuandos hos humores, sunt manna, thamar. syr. rosa. solu. sed serum caprinum maxime laudo: & his diebus proximis curaui nobilem quendam Germanum, ab acrimonia vrinę, quę erat vere stranguria, solo vsu continuo seri lactis caprini, vsque ad ℥.xl. & quolibet die vel altero adduntur ipsi sero ℥.ij. vel iij. syrup. rosa. vel viola. solu. Vbi tamarindis & manna vtendum est, hoc pacto medicamentum componitur.

℞. Tamar. ℥.ij. decoq. in aq. maluæ.

Deinde *℞. d d ℥.iiij. ß. in quibus dissoluatur manna. f. a. & facta colatura potetur.*

Num rhab. in hoc affectu conueniat.

Quæritur vtrum possimus hic vti rhab. nam si humores biliosi sunt & acres, quos educit rhab. videtur sane cōuenire. Dico perniciosum esse, secundum meam sententiam, rhab. vsum, quia illud maxime ducit per vrinam, quod inde colligere potestis, quoniam statim ac potatum est, vrina maxime tingitur; ergo ducit maxime per vrinam biliosos humores, & acres, & sic vrinam reddit acriorem, & potius auget malum quam minuit.

Intrinseca attemperantia acrimoniam humorum.

Humoribus expurgatis postmodum vtendum ijs medicamentis, quę attemperare possunt acrimoniam, tum intrinsecus, tum extrinsecus. Intrinsecus commodum est brodium pullę patuę, vitulinum, cui misceatur modo ℥ ß. syr. de papau. modo ℥ j. syr. de nymphęa, vel de portul. Fiunt & confect. aliquæ, quę ieiuno stomacho acceptę mire conducunt ad obtundendam humorum acrimoniam, vt est hęc:

Confectio accommodata ad idem.

℞. Sem. portul.
Nymphęa.
Maluæ.
Papau. an ʒ.j.
Sem mel.
Cucurb.
Citrulli an. ℥ ß.
Sacch albi, q. s. M. f. rotula, quarum potest accipi pro vice vel ℥. ß. vel ʒ. iij.

Inter cetera laudat Serap. mucilag. sem. psyllij ore acceptam, item lactis vsum. Sed quia dicit Hipp. lac biliosis esse inimicum, parandum lac igne, ita vt non possit corrumpi, quod fit, si moderate coquatur. Lac etiam inijcitur per clysterem in vesicam, & maxime attemperare potest, sed si his purgationibus & remedijs malum non cedat, iterum expurgandi erunt, & postquam expurgati erunt, iterum sunt attemperandi, quia sępe fit vt mala, quę vnica purgatione non superantur, superentur vel secunda, vel tertia.

Curatio incontinentiæ vrinæ.

Curatio incontinentię vrinę in hoc tota posita est, vt morbi illi, qui vitiant & labefactant facultatem retentricem, prorsus deleantur. Quoniam vero hi morbi solent esse intemperies frigidæ ipsius vesicę, vel solę, vel cum humoribus, propterea vt ante dixi in dysuria, victus instituendus, cuius facultas vniuersa sit calefactoria: aer similiter talis, vigilię optimę, exercitatio corporis bona est, cibi sint faciles coctu, carnes auicularum conueniunt, herbę item calefacientes, aromata. Sed quanquam dixi conuenire omnia calefactoria & extenuantia, est tamen adhibendum studium, vt quam diligentissime arceantur omnia medicamenta diuretica, quę quia ducunt urinam, certe magis profluere faciunt, & licet uideantur causam quoquo modo extenuare, augent tamen symptoma. Pro potu conuenit uinum nigrum adstringens, uel decoct. prunorum acidorum, decoctum sebesten, uel succus granat. decoctus cum aq. simplici.

Calefac. & extenuātia conueniunt.

Præter uictum si adsint humores frigidi & crassi, sunt primi præparandi, deinde expurgandi. Et ubi hoc factum est, adhibenda omnia extrinsecus, quæ possunt calefacere & adstringere, ut aq. aluminosæ, & fomentationes ex ijs factæ, fomentum factum ex rebus astringentibus, ut ex alumine, myrtho, galla. Soleo ego hoc fomento uti:

Fomentum.

℞. Ladani.
Mastich. an ℥. j.
Fol. rubi M. j.
Sumach.
Gallarum an. ʒ. iiij.
Cinnamomum.
Caryoph. an ʒ j. ß. bulliant omnia f. a. in aq. plantag. deinde cum spongia f. fomentum.

Habentur etiam in usu uaria linimenta, ut est illud:

Linimētum.

℞. Ladani.
Mastich. an ℥. ij.
Baccarum cupressi.
Thuris an. ʒ. ij.
Ligni aloes.
Styracis.
Calam.
Galanga.
Cinnamom an. ℥. j.
Terebinth.
Succi menthæ parum. Incorporentur omnia simul, & f. empl. quod detinendum est die & nocte

& nocte supra partem, sed prius extendendum supra corium. Preter hæc medicamenta extrinseca sunt etiam alia, quarum alia conueniunt propter qualitatem manifestam, alia propter occultam.

Occulta proprietate iuuantia.

Propter occultam qualitatem conuenientia multa a Marcello Emp. & alijs Medicis proponuntur, in primis laudatur lac caninum, vel adeps caninus cum alumine, ad fabæ magnitudinẽ deglutitus. Laudatur etiam cochleæ affricanæ combustæ ℥ ß, cum mulsa. Laudat idẽ Marcellus linguas anserum assatas, leporis cerebellum, & leporis testiculos assatos. Laudant alij cinerem erinacei, qui tametsi dictus sit a nobis prodesse in suppressione vrinæ, non obstat tamen, quin etiam possit conuenire in incontinentia, quia vt aiunt, caro illius animalis facultatem habet miram aduersum omnia vesicæ vitia. Similiter etiam ex Aetio pulmo hædorum, si combustus in cinerem redigatur, mire conferre creditur aduersus eos, qui mingunt in lecto.

Cinis erinaceorum.

Quæ porro conferunt aduersus hanc affectionem ob manifestam qualitatem, multa sunt a Medicis proposita pharmaca, sed quod ego habeo vsu probatum, est illud:

Elect. ad cõpescendam vrinam.

℞ *Fol. cupressi.*
Fol. oliuæ.
Bacc. lauri.
Cubeb. an. ℥ ß.
Caryoph.
Cinnam. an. ʒ j.
Fl. rof. rub. ʒ ij.
Mellis q. s. M. Cuius capiatur ℥ ß. vel cum vino rubro, vel cum aqua ex fol. quercus.

Sed si non profuerint hęc, quid agendum? Nil aliud, nisi vt miseri isti recondant genitale in vesicam, atque eam diu, & noctu alligatam gestent: sic enim vrina, quæ inuoluntarie exit colligitur in eo instrumento, atque ita neque carnes, neque pannos polluere potest.

Curatio incontinentiæ propter imaginationem.

Si fiat malum propter imaginationem, vt consuetum est illis, qui somniant varia, quid agendum? Malum huiusmodi nõ solet esse frequens in viris, sed in pueris, ea propter vix remedia, iis possunt adhiberi, quę sunt efficacia, quare & illis esset alliganda vesica, ea ratione, ne & seipsos & alios contaminare possint, & hoc in casu puto ego, in pueris nullum aliud esse remedium melius, quam ipsos affligere verberibus.

CAPVT XXXIII.

De lapide vesicæ.

INter alias causas suppressę mictionis recensebamus lapidem, quę causa quoniã morb. grauissimus est, & qui non raro occurrit, necessarium duxi, vt peculiaris a nobis institueretur de calculo vesicæ tractatio. Dicitur. n. hic morbus Græce λιθίασις. Latini calculum vesicæ, multi lapidem vesicæ, vocant.

De nomine.

Est hic affectus nihil aliud, nisi lapis vesicæ conglobatus, varias eius operationes lædens. Dicitur vesicæ, quoniam rarę sunt corporis nostri partes, in quibus non gignatur lapis, etenim in pulmone, iecore, corde, vtero, sub lingua & in varijs corporis partibus lapides reperti sunt; verumtamen solum dicitur λιθίασις Græce, quando vesica est affecta, ex quo loco elicere possimus scriptorem illum qui edidit Isagogen medicinæ sub Gal. nomine publicatam, de alio locutum esse, quando quendam morbum palpebrarum vocauit λιθίασιν, de quo non inconuenit, vt nonnulla dicamus, siquidem apud Hipp. 2. epid. 2. in historia Moschi habetur eum laborasse lithiasi, quem omnes interpretes interpretati sunt lapidem vesicæ falso, cum nulla communio sit huius cum oculis, vnde ibi vere interpretandum est de morbo oculorum, de quo etiam loquitur quando sexta sec. 4. epid. ait strabos fieri λιθιῶντας, id est palpebrarum vitio laborare, de quo etiam Aetius loquitur lib. 7. cap. 82. Dicitur conglobatus, non autem generatus, quia lapis vesicæ concrescit, non generatur, quia materia, ex qua fit, non generatur in vesica ipsa, sed aliunde in vesicam mittitur. Dicitur varias lędens operationes, siquidem lapidis modo impedit mictionem, modo incessum, plerumque dolorem etiam inducit, quo actio tactoria læditur. Quod dicunt aliqui veteres, alium esse lapidem masculum, alium feminam, sunt nugę aniles, sicut egregie dixit Cęlius Aurelianus 5. de chron. pass. 4. Hinc constat cuilibet lapidem in vesica esse morbum in via, & in numero, quia in vesica est corpus, quod esse non debet, & quia cauum ipsius vesicæ cum debeat esse expeditum & liberum, impeditur presentia huius corporis. Sed notate cum dico lapidem morbum esse, non intelligitur quod corpus illud sit morbus, quia morbus esset substantia, non accidens, quod apud omnes Philosophos & Medicos est absurdissimum, intelligo igitur dispositionem illam preter naturã quę fit pręsentia lapidis in uesica, esse morbum ipsum, non. s. lapidem. Causæ lapidis aliæ sunt internę, alię externę; internarũ alię sunt effectrices, aliæ materiales. De effectrice causa lapidis in vesica dubium est, An sit calor summus vesicę, an vero moderatus, an calor, seu frigus. Ex vna parte vr causa effectrix esse calor summus, quia Hip. 2. de nat. hum. 51. & Gal. 3. aph. 26. scribũt, lapidẽ uesicę esse morbũ peculiarẽ pueris, quia pueri calidissimi sunt, quasi dicat, ppea fieri in pueris calculos, quia in ipsis calor maximus est. Accedit alia Hipp. auctoritas in coac. ꝙ lapides

Genus affectus.

De causa effectrice calculi.

vesicæ non fiant post 40. annum, & si fierent, esse illos prius genitos, sed postea auctores, & ad magnitudinem reductos, est & alia Hipp. authoritas in lib. de aer. aq. & loc. vbi tradēs quomodo aquæ lutulentæ, & variæ calculos, & vrinæ impedimentum faciant, scribit, ijs quorum vesica calida, & ardens est extenuatis, consumptis, & expulsis subtilioribus partibus crassiores, & terrestriores remanere, sicque, paulatim tophos, & calculos succrescere. Ex altera parte videtur esse auctoritas, & ratio, quia vesica est corpus maxime frigidū, ea propter, cū vnumquodque operetur secundum suas qualitates, videtur vesicam operari secundum frigidam qualitatem, non secundum caliditatem. Est & auctoritas Gal. 3. in epid. 15. vbi dicit, quod præter naturam conducat ad lapidis generationem etiam frigida vesica, neruea, sāguinis expers, & capax. Ex quo loco colligi posse videtur, ex Gal. sentēna ad lapidis generationē facere potius frigiditatem, quam caliditatem. Ego vero puto, causam effectricem calculi nullam esse aliam, nisi calorem moderatum, absumentem partes aqueas & humidas, sicq; illis absumptis incrassantē, & exsiccantem materiam illam. Itaque neque calor vrens, neq; frigus congelans potest esse in causa lapidis, quia neque caliditas tanta potest inueniri in vesica, neq; frigiditas, quæ sicut in externis cōtingit, possit lapidē generare. Et quāquam Hipp. de mor. scripserit, similem esse generationem lapidis in pueris generationi ferri, quod fit, quando lapides & terra cōburuntur, ea tamen Hipp. sententia potius est inspicienda, & metienda ex parte materiæ, quam ex parte causę effectricis. Neque valet, huiusmodi morbum peculiarem esse pueris, quia etiam in pueris calor vesicæ nequaquam vrens est, quod apparet ex vrinis, quæ semper albidæ sunt, imo vero semper miratus sum, cur veteres dixerint, calculum vesicæ morbum esse familiarissimum pueris, quia hoc experientia constat, pro vno puero hoc morbo laborāte, reperiri viros decē. Nisi dicere velimus, in regionibus Hip. hoc verū fuisse, fortassis quod multi pueri calculosi reperirentur. Si itaque hoc apud vos constitutū, a caliditate moderata fieri lapidem in vesica, quæ caliditas modo dicitur frigiditas a scriptoribus modo multa caliditas: id enim euenit medijs, vt sæpe extremorum rationem subeant. Et hoc est quod diserte disputauit Alex. 1. prob. 108. æque in pueris atque senibus fieri vesicæ calculum a calore. Imo vero si Galeni verba 3. in 6. epid. 15. examinentur, manifeste docet calculos etiam in pueris qui sunt calidissimi nō fieri nisi moderato calore, & ob vrinæ crassitiem.

An pueris magis hic morbus familiaris.

Causa materialis calculi

Circa causam materialem Hip. 4. de mor. de generatione calculi, qui fit in pueris lactantib. in ea fuit sententia, hos calculos generari ex parte crassa, terrestri & sicca, vel ex fęce ipsius lactis nutricis, quod ventriculum ingressum, & ad vesicam delabens, in ipsa vesica relinquit sedimentum crassum atque terrestre, vt contingere dixit Hipp. in vase, cui immissa sit aqua turbida, quæ vbi diu residet in vase, pars purior supereminet, pars crassa in fundo subsidet.

Cur pars terrestris remaneat in vesica.

Sed quærat quis, quæ sit causa, cur hæc pars terrestris, & sicca remanet, in ipsa vesica exeunte tenuiore? Dico, tres potissimum, huius effectus causas esse. 1. angustiam colli uesicæ: sunt enim aliqui a natiuitate ita constituti, ut habeant collum uesicę angustum, quo fit ut humores tenues transeant, crassa uero materia remaneat, propterea bruta ut testatur Aristoteles decima partic. prob. 42. calculo non laborant. Vegetius tamen lib. 1. Veter. in c. 46 contrariū asserit, & mulieres minus uexantur calculo uesicæ, quia collum uesicæ habent latius quam uiri. 2. causa est debilitas expultricis, ideo multi sunt etiam inter seniores quorum expultrix facultas cū debilis sit in vesica, fieri non potest, vt materiam crassam excernat. Tertia causa est ipsius materiæ prauitas, & crassities: fit enim sæpe, vt licet facultas expultrix sit valida, & collum vesicæ latum, attamen materia adeo grauis, & crassa est, vt nequaquam possit expelli, sed retineatur in vesica, vbi retenta cum a calore partes subtiliores consumantur, quæ remanent crassæ, exsiccantur indies, magis exsiccatæ durescunt, tandemque lapidis formam induunt.

Hanc Hipp. sententiam secutus est Arist. 3. de histor. animal. 16 qui scribens, in defunctis nihil vnquam humoris excerni in vesicam, subiūgit, in viuis non modo humores excerni, sed etiam excerni sicca quædam excrementa, vnde fiunt calculi, ita vt inuenti sint in vesica lapides in forma conchyliorum. Hippocratis & Arist. sententiam videntur omnes recentiores Medici secuti, adeoque recepta fuit ab omnibus sententia, materiam calculi vesicæ esse humorem crudum, crassum & terrestrem exsiccatum.

Alia materia calculi.

Sed præter hanc materiam inuenio calculum vesicæ etiam ex alijs duobus materiæ generibus procreari, scilicet ex arenulis, & lapide renali. Ex arenulis efficitur hic lapis in vesica, quando hæc corpuscula a renibus in uesicam mandata, glutinosum & viscidum humorem inueniunt, quo veluti glutino alligata, & ferruminata in lapidem concrescunt: sed hoc raro fit, quia arenæ præterquam quod sua natura ineptæ sunt, vt possint simul colligari, & componi, habent & illud, quod mordent vesicam, & morsu excitant facultatem expultricem ad seipsas excernendas.

Lapis ēt renalis solet esse materia lapidis vesicæ siquidē vbi lapis, & is magnus, a renib. in vesicam mittitur, si exeat, nihil mali facit, si autē retineatur in uesica, humores circa ipsum concrescunt, & adhærent, ex quo fit, ut nunc unus, nūc alter humor sibi adhærens, sibique colligatus, tandem lapidem in molem redigat. Quod si nō unus lapis renalis, sed plures detrudantur in uesicam, fit ut interdum uel duo, uel tres, uel plures etiam fiant lapides in uesica.

Sex materia genera calculi.

Possumus his generibus materię addere alia duo, imo tria, quæ ab Arabibus sunt significata, ut est grumus sanguinis, uiscida & crassa pituita, & pus. Ex his omnibus fieri posse lapides, sicut dixi, non tantū Auic. sed etiam plures alij testantur, ita ut sex omnino sint materiæ genera,

ra, quæ præbent occasionem lapidis vesicæ. 1. humor crudus, & terrestris. 2. arena. 3. calculus renalis. 4. grumus sanguinis. 5. pituita crassa, ac viscida.

Fern. opin.

Cæterum Fern. vir doctissimus, & rerum nouarum studiosissimus conatus est & ratione, & experientia demonstrare, fieri non posse lapidem vesicæ ex alia materia, quam ex lapide renali. Ratione vtitur hac, quod ex vesica exit sanguis grumefactus, exit pus, & pituita crassa egeritur, inquit, ex ibit etiam materia hæc fæculenta & terrestris, quam retentam dicunt illi generare lapidem. Experimentum, quo nititur confirmare suam sententiam, est, se complures secuisse, qui mortui sunt calculo vesicæ, & semper lapides fregisse, & in medio lapide inuenisse veluti nucleum, quod aliud esse non poterat, nisi calculus e renibus electus in vesicam.

Fernelij ingenium fere semper laudare conor, verumtamen negare non possum, quin vir iste audacior paulo fuerit in destruendis veterum sententijs; nam quæ est, quæso, ratio, pus, sanguis grumefactus, exit a vesica, & non retinetur, ergo etiam materia crassa & terrestris non retinebitur? Nulla sane est consequentia, quia quod accipit ad probandum suum intentum, pro medio non est ponendum. Nam, vt dixi, licet sæpe pus rejciatur & sanguis ex vesica, interdum tamen etiam retinentur, ita vt ex ipsis fiant lapides. Sed dato etiam, quod nunquam retineatur, alia est ratio, cur materia fæculenta, terrestris & crassa retineatur. 1. quia hæc materia multo grauior est. 2. quia multo copiosior est, quam grumus sanguinis. 3. quia non est ita lubrica vt pus, & pituita. Quare videtur mihi hæc ratio Fernelij valde infirma, & tanto viro indigna.

Experimentum etiam, quod ipse proponit, tantum abest vt ipsi faueat, vt etiam nobis inseruiat, nam fatemur, sæpe inueniri in medio lapide nucleum, sed nucleus ille concrescit & generatur in vesica; etsi non semper concrescit, qua ratione potest negare Fernelius non posse interdum concrescere? videmus enim pituitam delabentem in fauces a capite vna nocte in faucibus concrescere, & ita condensari, vt lapidis formam referat, pari modo materia crassa, terrestris & fæculenta in vesica dum primum concrescit, euadit in globum paruum cui cum postmodum accrescat materia, & adhærescat instar corticum cæparum, fit vt & isti cortices tum comprimendo, tum caliditate loci totum globulum illum faciant durum, instar lapidis renalis. Accedit quod vix fieri possit vt lapis renalis sit principium lapidis vesicæ, aut si est, id quam rarissime contingit. 1. quia vt dixi, lapis renalis mollis est, & fragilis, vt quouis vel minimo motu atteratur, quo fit ut in uesica non possit tamdiu superesse, ut ex ipso fiat lapis. 2. ut diximus, lapis renalis in uesica mordet, & mordendo excitat uirtutem expultricem, quæ excitata huc, ut ait Gal. atque illuc mouet, donec exeat per collum uesicæ, aut quousque comminutus in arenulas, una cum urina exeat e uesica. Itaque uera est ueterum sententia, plerumque fieri lapidem uesicæ, ex materia, ex humore crudo, crasso, terrestri, exsiccato in ipsa uesica.

Causæ externæ.

Causæ externæ quæ lapidem vesicæ efficiunt, multæ sunt, in primis autem frequentes cruditates, vt ait Gal. 5. de tu. val. eos qui sunt corpore temperato si laborent calculo, ignominia & vituperio dignos esse, quia propter propriam intemperantiam victus id malum sustinent. Omnia quo congregantur hi humores in corpore, etiam inter has causas recensetur. Vrina crassa, turbida, aqua lacustris, & crassa, vt docet Hip. libr. de aere, aquis &c. cibi crassi, vt pasticia, lagana, carnes sylvestres, & crassæ, lac coagulatum, caseus, panis non fermentatus, & panis ex similagine, fructus duri, acidi, vt pyra austera, & tandẽ quicquid succos crassos, & terrestres in corpore nostro generare potest, & genitos a venis mandare in vesicam, est inter causas externas lapidis vesicæ. Quæ omnes licet ad lapidem etiam renum generandum concurrant, est tamen differentia quædam in effectu, quia alius est lapis renum, alius est uesicæ: renum lapis multo minor, lapis vesicę multo maior & durior est. Ad hæc calculus renalis vt plurimum colore rubeo est, vel subpallido, ac in corpore renum gignitur calculus autem vesicæ vt plurimum gignitur in spacio & capacitate uesicæ, ac coloris est cineritii, vel fusci, quem colorem puto Auic. vocasse subnigrum. Lapidis vesicæ vnum signum attulit Hip. 4. aph. 79. Sed vt notat eo in loco Gal. signum illud medicax est, quia in vrinis esse arenulas non minus attestatur, lapidem renum quam vesicæ, quare multo exactius tradidit signa Hip. 4. de morbis, vbi quinque attulit, scil. vrinam arenosam, vesiçam inflatam, dolorem inter meiendum, vrinam paulatim effluentem, & subcruentã.

Differentia inter calculum renum & uesicæ.

Signa lapidis vesicæ.

Hæc signa quanquam solent lapidem vesicæ comitari, sunt tamen plura alia quæ necessarium est intelligere, si exquisita huius affectus notitia est habenda. Nam vbi lapis qui in vesica est, paruus existit, percipitur quædam titillatio vaga circa pubem. Adhæc vrina sæpe intercipitur, vbi vero calculus vesicæ grandis est, ijsdem locis sæpe solet percipi quædam grauitas sensus ascendere difficile est, in præputio percipitur pruritus quidam, vrina crassa est, alba, turbida, in qua sedimentum est veluti mucus, atque arenosum. Sed de dolore notandum, interdum decipi Medicos & ægros, quod non sentiant aut dolorem, aut grauitatem, inde sese carere lapide putantes: nam potest lapis vesicæ ita tenaciter alligatus esse, vt aut nullum, aut exiguum sui sensus præbeat: quare non semper in lapide vesicæ exigitur hæc grauitas, aut sensus sic dolorificus.

Signũ pathognomonicũ lapidis vesicæ.

Præter hæc signa sunt & alia notanda, nam vbi qui lapidem habent in vesica, minxerunt, fere semper hoc habent, vt post mictionem appetant mingere. Adhæc pruriunt pudenda, & sæpe eriguntur: Rhases 10. contin. aliud signum addit, vt ipse putat, efficacissimum, quod præter appetitum egerendi foras exit anus calculosis: & ratio huius est, quia vt Aretæus inquit, inter anum & vesicam est tanta sympathia, vt vno grauiter affecto, alterum necessario coafficiatur. Sed quanquam hæc omnia quæ retuli, signa sunt ad demonstrandam calculi præsentiam, non sunt tamen vsque adeo certa, quin interdum fallere non possint: siquidem sunt alia multa mala uesicę,

la vesicæ, in quibus hæc eadem reperiuntur, ideo quod fallere non potest signum, est captum a syringa, atque etiam a manus immissione in anum: hi enim duo sunt modi certissimi explorandi lapidem in vesica. 1. vt syringa mittatur per collum in vesicam, atque ita agitando tentetur an adsit lapis, quia vbi adest lapis, solet cedere, atque ita apparere per contactum factum a syringa. 2. vt digitus longus illinatur ol. dulci, & eo pacto quo Aegineta & Celsus monstrarunt, mittatur in anum.

Prognost. Quo ad prognost. illud primo dicendum, quod scribit Aretæus lib. 2. de diut. pass. 4. vbi dicit, omnem vesicæ calculum grauem, & curatu difficilem esse, quia si lapis sit magnus, nullis medicamentis, nullis auxilijs potest conteri aut frangi, & cum non possit curari medicamentis, remanet solum vt per excisionem curetur: iam vero si non exciditur, inquit Aretæus, dolores perpetuo comitantur febres, vrinæ impedimentum, ita vt vita omnium sit miserrima: si autem excidatur, cum uesica sit membranosa & neruea, partes eius a magno lapide inter exerendum exciduntur, quo fit vt æger vel statim pereat, vel paucis diebus superstes esse possit. Si lapis sit mediocris, frequenter lotium impeditur, & licet possit excidi tutius quam magnus, tamen vesica quoque lancinari consueuit, & si vitæ periculum euadunt, suboriuntur fistulæ, propter quas fiunt perpetua vrinæ profluuia, vnde turpitudo nascitur incredibilis. Sin lapis sit valde paruus, inquit Aretæus, sæpe excisum hunc lapidem homines liberos facere, quanquam hæc res haudquaquam periculo vacat, & incredibili molestia. Paulus vero lib. 6. c. 20. ait, pueros vsque ad 14 annum curari, propter corporum mollitiem, senes vero difficulter, eo quod in ipsis vlcera omnia difficulter sanescunt, medias ætates medio modo se habere. Addit Paulus, & aliud, facilius curari illos qui lapidem magnum habent, quam eos qui paruum, eo quia illi inflammationi sunt assueti, hi vero non.

Ex quo loco colligimus contradictionem magnam esse inter Aretæum & Paulum, quia dicit Aretæus, mediocrem lapidem habentes facilius curari, quam qui magnum: Paulus vero facile curari eos qui lapidem habent magnum, difficulter eos qui paruum. Pro qua contradictione, vt ingenue fatear, nihil hactenus inuenire potui, quo liceat hos scriptores cōciliare. Quare cogor Aegınetam damnare, nisi eius litera corrupta sit, siquidem experientia quotidiana cōprobatur, rarissime eos qui lapidem excisum habent magnum, curari, sicut interdum curantur illi, quorum lapis sit vel paruus, vel mediocris. Et ratio etiam huic opitulatur, quia cum pars carnosa ceruicis vesicæ sit admodum pauca, foramine solum in hac parte facta potest extrahi lapis paruus, magnus autem nō potest, nisi rupto foramine, amplum autem foramen fieri nō potest, nisi etiam fiat in corpore vesicæ, quod corpus vbi semel scinditur, nunquam sanescere potest. Quare verius dixit Aretæus quam Paulus, facilius curari per factam sectionem eos, qui habent lapides paruos, quam eos qui magnos.

Curatio. Curatio lapidis vesicæ duplex est, vt in calculo renum. 1. ne fiat, quæ est præseruatio 2. vt factus tollatur. *Prophylactica curatio.* Ne fiat, illi prouidere debent, qui timent sibi lapidem oriturum esse, vel qui nati sunt a parentibus calculosis, vel quod in ipsis futuri lapides aliqua signa inueniantur. Hæc autem potissimum est sita in victus ratione, quæ nulla alia sit, nisi quam præscripsimus abunde, cum doceremus modum præseruandi a lapide renali. Quare quod ibi habuistis de præseruatione in ratione victus, idem transferatis ad præseruationem a lapide vesicę. Monet in hoc casu vnū Gal. vt abstineant pro præseruatione ab vsu lactis, & ab aquis frigidis impuris, & cœnosis.

Facti lapidis curatio. Porro vbi factus est lapis, & iam certa habentur signa, eum esse in vesica, primum ex anteactis & præcedentibus diligenter expendendum est, an lapis paruus sit, an magnus: si suspicio sit paruum esse lapidem, aggrediendum cum medicamentis ipsum conterere: & notate in vsu horum medicamentorum, ea debere esse multo efficaciora quam quæ administramus in lapide renali, tum quia lapis vesicæ durior est lapide renali, & ideo valentioribus indiget medicamentis, tum quia vesica multum remota est ab ore, vt ita necessarium sit, medicamenta, quæ ore sumuntur, antequam perueniant ad vesicam, in itinere multum virium amittere: Erit ergo progrediēdum medicamentis vehementissimis ad frangendum lapidem. Sed antequā ad medicamenta deueniamus, est necessarium, vt inedia & medicamētis accommodatis corpus vniuersum purgetur a bile, si bilis abundet, & a pituita: nisi enim corpus præpurgetur, medicamenta quæ lapidem frāgunt, secum deducerent humores ad vesicam, & potius detrimētum maximum adferrent. Vbi corpus purgatum est, in vsu habenda sunt medicamenta quæ lapidem atterunt, quæ partim qualitate manifesta, partim occulta id facere solent, quorum alia ore capiuntur, alia vero infunduntur, per collum in vesicam, alia extrinsecus vesicæ applicantur. Quę ore sumuntur plura proponūtur a Paulo, Galeno, & alijs scriptorib. vt est saxifragia, apium, petroselinum, adianthum, cicera rubra, vermes terrestres cocti, & triti, lapis iudaicus, sanguis hircinus collectus eo modo, quē docuit Marcell. emp. c. 26. suę medic. item coctus & in cinerem redactus, ad fragendum calculum commodus est. Ex his omnib. fiunt medicamenta varia composita, quę laudantur apud Aetium & Auic. Sed quod a multis comprobatum inuenio, & experientia cōfirmatū, illud est:

Puluis lapidem frangens.

℞ *Vitri assati & preparati ℥. x.*
Scorpionum vstorum ℥. v.
Vermium terrestrium vstorum ℥. iij.
Sem. fœniculi.
Apij an. ℥ ij.
Dauci ℥. ij. ß.

Sanguinis

Sanguinis hircini ℥ j.ß. Terantur omnia diligentissime. Vsus huius pulueris est vel ʒ.j. vel ℈.ij. in vino albo accipiantur stomacho ieiuno, & pluribus diebus continuetur. Auenzoar tanquam rem miram ad frangendum lapidem laudabat balsamum, & narrat se vidisse quendam in carcere positum, qui ex vsu balsami sibi lapidem fregit in vesica, & curatus est. Laudant Arabes & Cælius Aurelianus aq. thermales sulphureas, nam aluminosæ potius nocent, quam iuuant, imo sunt aliqui Arabum, qui existimant nunquam deueniendum esse ad excisionem lapidis vesicæ, nisi prius in hoc casu tentatum sit lapidem frangere vsu thermarum.

Lapidē minuentia quæ infundātur.

Medicamenta quæ ad frangendum lapidem infunduntur in vesicam, per collum multa quoque sunt: idem balsamum probatum est maxime valere, ol. scorp. petroleum, præsertim in pinguibus & pituitosis corporibus, succus citri acerrimi valet, nam si accipiatis succum hunc, & in eo laterem maceretis, videbitis ipsum colliquari, acetum etiam acerrimum prodest. Memoriæ enim est proditum, Hannibalem dum alpes transiret saxa aceto fregisse, succus verbenæ, sanguis vulpinus cum vino temperatus. Extrinsecus etiam pectini, & loco inter peritonæum & pectinem commendatur illitus sanguis vulpinus. Alex. Tral. laudat & caponum & hircinum sanguinem, si vel alter, vel vterque extrinsecus partibus illinatur.

Fomentatio pro pub.

Ad idem valent balnea & fomenta, vt est illud:

℞. *Anethi,*
Agni casti,
Saxifrag.
Virga pastoris,
Fenug.
Dauci an. M. ß.
Aq. communis lib. v.
Aceti acer. lib. ij Bulliant ad consumptionem quartæ partis, deinde facta colatura adde
Ol. scorp. lib. ij. & cum spongia f. fomentationes crebræ pubi, atque loco inter peritonæum & pudendum. Hæc omnia medicamenta intro accepta, & extrinsecus adhibita consueuerunt lapidem frangere.

Quomodo lapis ex collo vesicæ retrudatur.

Sed dum frangitur, euenire solet quoddam infortunium, cui occurrendi modum intelligatis necesse est. Est autem infortunium, quod vbi lapis contritus & diminutus est, dum propelluntur frusta a facultate expultrice, sistunt & confirmantur vel in collo vesicæ, vel in medio virgæ, vnde non modo vrinæ exitus prorsus intercipitur, verumetiam cruciatus, doloresque intolerabiles fiunt. Id quod etiam fit interdum, quando renalis lapis in vesicam delapsus a facultate expultrice truditur extra. Modus igitur hisce occurrendi est iste, quem docuit Gal. lib. de loc. aff. vt puer, vel vir cui hoc contingit, iaceat supinus, ac deinde crura ipsa attollantur sursum, & concutiantur ab alio, simulque comprimatur & tractetur penis: huiusmodi enim concussione & compressione solet fieri, vt lapis qui est vel in collo vesicæ, vel in medio virgæ, de loco moueatur, atque vel in vesicam retrocedat, vel per eam concussionem a facultate expultrice extra propellatur.

Antyllus Medicus antiquissimus, quatuor alios modos proponit, quibus lapidem in collo vesicæ firmatum detrudere possimus. 1. vt æger super equum nudum sine ephippio equitet, ita vt ventrem supra equi dorsum extendat, quo quidem motu & agitatione putat fieri, vt lapis de loco moueatur. 2. vt æger genu ponat supra genu, ac vehementer spiritum contineat; sic enim collum vesicæ cogitur intro, atque in eo conatu lapis in vesicam detruditur. 3. vt alter minister pedem ponat super ventrem ægri, atque comprimendo intestinum cogat sursum ascendere, sic enim in hac percussione, compressione & trusione intestinorum fit, vt lapis dimoueatur a collo. 4. vt minister ponat manum supra genua ægri, atque ipsa genua vi deducat ad pectus, & non solum deducat, sed etiam in deducendo dimoueat modo huc, modo illuc genua.

Serapionis modus efficax.

Serapio autem proponit alium & efficaciorem, sc. vt ponatur æger in aq. calida, atque ibi detineatur, tunc accipiatur syringa, vel candela, aut aliud instrumentum, quo immisso in collum detrudatur intro, sed quemadmodum recte monuit Auic. notandum est diligentissime, ne dum immittitur candela aut syringa, id fiat violenter, quia ex vehementia solet magis firmari lapis, atque etiam collum vesicæ vlcerari.

Si lapis fuerit in medio virgæ firmatus, omnia etiam sunt agenda, vt eo loco dimoueatur, nam superfundendum est ol. super penem, & eo superfuso fricandum leniter genitale, mox exsugendum. Quod si ea ratione calculus educi non possit, deueniendum est ad syringam, atque ea dexteritate, & eo quo diximus modo.

Sed si syringa nihil proficit, in hoc casu quid faciendum? volunt Medici vt post tentata alia remedia, ligetur penis infra lapidem circa collum vesicæ, ne possit calculus recurrere, hoc facto mandant vt incidatur penis per longum, atque extrahatur calculus, quo extracto curatur vlcus, vt alia solent.

Quo pacto cognoscatur lapidem magnum esse.
De excisione calculi.

Atque hæc solicitudo habenda vbi calculus vesicæ paruus fuerit. Vbi autem calculus magnus erit, non est aliud remedium, quam vt deueniatur ad sectionem. Sed video vos quærere quo pacto cognosci possit lapidem magnum esse. Rhases scribit, si medicamenta per mensem vnum integrum omni diligentia administrata fuerint, & nulla vtilitas facta sit, neque in vrina vlla apparuerint fragmenta lapidis, tunc constat lapidem non modo magnum esse, sed etiam infrangibilem & propterea nullo esse auxilio opus, nisi sectione.

In hac autem administratione notandum est, id quod Corn. Celsus lib. 2. cap. 26. notat, scilicet nec omni tempore, nec in omni vitio, aut ætate conuenire sectionem. Non conuenit omni tempore, quia solum vernum tempus obseruatum est commodum esse huic operationi. Non conuenit etiam omni vitio, quia nisi malum sit contumacissimum inobediens remedijs, ac nisi sit ea mali magnitudo, vt timeatur, ne statim iuguler, non est deueniendum ad sectionem. Non in omni ætate, quia, vt docet Celsus ex Aegineta, tantum ætas, quæ est inter 9. & 14. annum maxime apta est excisioni.

Sed video vos dubitaturos, non esse vnquam ad hanc operationem deueniendum, siquidem Hippoc. in iuramento suo dijs omnibus pollicetur, se nunquam secturum eos, quia habēt lapidem. Imo vero Auenz. lib. 2. tr. 6. cap. 1. ait, non solum inconueniens esse Medico quenquā secare lapidem habentem, sed etiam interesse, & spectare alios secantes: Responde dupliciter, primo Hippoc. & Auenz. non negasse faciendam esse vnquam sectionem hanc, sed negant hoc Medico Physico agendum, non autem operatori: siquidem vt optime monuit Auenz. multa sunt, quæ Medicos egregios non decent, sed decent chirurgos. 2. Respondeo, hos auctores intelligendos de viris, non de pueris; quia cum sectio puerorum sit multo tutior, eam facere, vel saltem spectare potest Medicus: secus autem sit de sectione virorum, quæ cum sit periculosa, & rari sint qui euadunt, sit vt debeat Medicus hoc opus plenum periculo euitare.

Modus quo per sectionem lapis extrahitur, quoniam a Corn. Celso loc. cit. dictus est, in præsentia dimittatur, eo magis, quod potius ad chirurgos, quam ad nos pertineat.

CAPVT XXXIV.

De inflammatione vesicæ.

De nomine. A Lapide vesicæ, & citra lapidem, solet vesica alium morbum experiri, qui Græce dicitur φλεγμονή seu inflammatio, Barbari vocant apostema calidum vesicæ, qui affectus an frequenter, aut raro eueniat, video apud Medicos dubium esse. Auic. enim scribit, hoc genus morbi raro contingere: Rhases autem ait, hoc affectu vesicam sæpe tentari. Quorum auctorum contradictio dupliciter a me tollitur. 1. quod Rhases loquatur de pueris: Auicen. de adultis. Nam Galen. qui cognouit pueros sæpe tentari lapide vesicæ, consentit quoque, scilicet eos sæpe, etiam vesicæ inflammatione vexari. Secus autem de adultis, qui & propter lapidem, & quia minus calidi sunt, circa eam partem minus etiam tentantur inflammatione. 2. respondetur, quod Rhases locutus sit de inflammatione, quæ fit per affluxum, Auic. autem de ea, quæ per collectionem: cum enim vesica sit neruea, & exsanguis, fieri vix potest, vt in ipsa tantum sanguinis aut humorum calidorum colligatur, quod inflammationem parere queat: sed non est absurdum, posse aliunde, & sanguinem, & alios humores in vesicam præcipitari, qui inflammationem efficiant. Cum igitur inflammatio vesicæ solum gignatur per affluxum, & non per collectionem, par est illam nullo alio modo posse fieri, nisi quemadmodum fiunt aliarum partium inflammationes.

Locus affectus quis. De loco posset esse aliqua controuersia, quia Fern: contendit non posse alibi fieri, quam in sphinctere, qui est musculus ceruicis vesicæ: & ratio est, quia reliquum corpus vesicæ adeo tenue est & membranosum, vt omnino ad inflammationem suscipiendam videtur esse ineptum. Sed hæc est veritas, non fieri inflammationem in vesica, nisi prius in ipsius collo seu ceruice, atque in partibus proximis collo, quæ sunt minus tenues & membranosæ, & magis etiam expositæ fluxui.

Causæ. Interna. Externa. Causæ inflammationis vesicæ sunt tum externæ, tum internæ. Internæ sunt humores calidi, scilicet sanguinei, & biliosi, sed magis immediatæ sunt ętas puerilis, habitus corporis sanguineus aut biliosus.

Externæ causæ sunt percussiones factę super partes vesicę, casus, vulnera, cibi & potus calidi & acres, medicamenta diuretica calida, vti cantharides, venena, vt Nicander recenset de Buberte animali, quod suo morsu dolores & inflammationes vesicę inducit. Annumerat his etiam Archigenes flatus, qui distendentes vesicam, occasionem prębent fluxui humorum. Itē importuna remediorum calidorum applicatio: sunt enim Medici adeo inepti, quandoque, qui in quolibet vel minimo dolore vesicę, pannos & medicamenta valde calide applicant: quę cum corpus sit plenum, attrahunt sanguinem, & humores calidos ad vesicam, vbi inflammationi gignendę occasionem prębent. Inter has causas etiam habetur anni tempus, vt refert Aretęus de hyeme, & autumno.

Signa. Signa vniuersalia inflammationis sunt dolor, grauitas, durities circa pubem, & inguina, febris acuta, mentis alienatio, vigilię, vomitus biliosi, vrinę difficultas, aluus adstricta, propter loci vicinitatem inflammati, egerendi perpetuum desiderium: addit Serap. anhelitus difficultatem, linguę nigredinem. Quę vero indicant inflammationem fieri a puro sanguine, sunt dolores, sanguineus habitus, & temperamentum corporis, ętas, &c. Quę a sanguine bilioso, dolores pungitiui magis sunt, habitus corporis biliosus, ętas, & victus ratio antecedens.

Progn.

Prognosti.

Progn. Inter omnes vesicæ morbos inflammatio maxime grauis est, quæ eo lethalior fit, quo maior est. Est autem maior inflammatio ex Auic. in qua febris valde acuta est, calor & dolor vehementissimus, vrinæ consummata retentio, nullum coctionis signum adest. Refert Rhases lib. 10. cont. ex sententia Gal. in lib. de morte veloci, quod quibus cum dolore vesicæ fit tumor sub axilla sinistra, instar citonij, ij septima aut decima die intereant.

Curatio.

Curationis ratio eadem est hic, quæ etiam in alijs partibus inflammatis, scil. vt id quod factũ est inflammationis, protinus deleatur, prouideatur autem, ne inflammatio augeatur. Pro quibus scopis implendis aer temperatus est el gendus, quia sicut aer calidus auget inflammationem, ita etiam aer frigidus, alioqui vesicæ infensus, & membrum lædit, & morbum auget: mouendum est, ab omni corporis animique motu abstinendum: imo vero corpus mouere non solum est noxium, sed etiam sedere, quia sectione comprimitur vesica, qua cõpressa manifestissimum est, magis inflammationem exacerbari. Aluus soluenda est si non soluta, cum clysteribus mollibus, & refrigerantibus, vt:

Clyster.

℞. Aq. hordei lib. ʃß.
Butyri recentis lib. j.ß.
Ol. ros. compl. ℥. v.
Salis ʒ. j. M. f. clyster.

Abstinendum prorsus est a vino omni tempore, & pro potu vtendum est aq. hordei, vel aq. cocta cum vino granatorum, vel cum iulepo rosatum, vel decocto sem. melonum, portul. &c. Poterimus etiam vti decocto sebesten, vel prunorum, parum edendum ac cibi debent esse faciles coctu, non exerementosi, refrigerantes potius. Vitandi omnes cibi calefacientes, & omnia, quæ prouocant vrinam, eo quia ducunt humores ad locum inflammatum.

Venæ sectio.

Præter victum etiam alia remedia sunt necessaria: primo igitur ea adhibenda, quæ prohibẽt ne inflammatio augeatur, vt sunt frictiones, cucurbitulæ, potissimũ autẽ venæ sectio, quam omnes Medici Græci, Latini, Arabes necessariam esse scribunt: cæterum de loco vbi facienda sit, Græci vt Paulus & Aetius nihil meminerunt, sed soli Arabes diligentissimi in curationibus instituendis, de loco dixerunt. Rhases 10. cont. & lib. 9. ad Almans. pro inflammatione vesicæ curanda, primum mittendum esse sanguinem ex basilica sinistra, deinde in progressu morbi secandam esse saphenam, statuit. Auic. etiam scripsit in principio mittendum esse sanguinem a basilica sinistra, post principium autem a saphena.

Sed quæret quis vestrũ, cur Auicen. potius eligat sinistram basilicam, quam dextram? Resp. pp duas causas id fecisse, primo ne sanguis qui retrahitur a vesica ad partes superiores, retraheretur ad iecur, si a dextra basilica mitteretur sanguis. 2. quia ab ea parte mittendus est sanguis, vbi deterior est. Sed in sinistra parte sanguis videtur ea ratione esse deterior, quia pars ea imbecillior, propterea cum succi in ea parte nõ probe coquãtur, fit vt sanguis eius deterior sit. His itaq; de causis puto Auic. elegisse sinistram basilicam.

Purgantia.

Rhab. & cassia cur fugienda.

Misso sanguine videndũ, an humores in corpore sint praui nec ne. Si adsint, statim sunt euacuandi, atque in ipsis euacuandis duo sunt maxime accommodata, primum vt medicamenta leuia administrentur, non grauia, neque valde calida; deinde vt fugiantur, quæ penetrant ad vesicam, quare fugiendum Rhab. & Cassia in hoc casu: siquidem etsi medicamenta sint lenia, sunt tamen diuretica, & humores quos ducunt, ad vesicam & locum affectum ducunt. Quare melior erit syr. rosa. manna, decoct. thamar. sebest. decoct. senæ, & similia.

Medicamenta intrinseca in principio.

Medicamenta localia, quæ in hoc casu necessaria sunt, alia extrinsecus, alia intrinsecus sumũtur, & quæ intrinsecus adhibentur, alia in principio inflammatæ vesicę, alia post principia adhibentur. In principio, sicut & in alijs inflammationibus adhibentur repercutientia, & adstringentia. Sunt autem in vsu horum duo notanda, quæ monuit Auic. 1. ne medicamenta, quę multum frigida sunt, adhibeantur. 2. ne medicamenta refrigerantia diu super affectam partem retineantur, quia cum vesica sit sanguinis expers, & neruea tota, maxime offenditur, siquidem vt Hipp. ait, frigidum semper neruis inimicum. Accedit his, quia materia quæ facit inflammationem, si diutius medicamentis refrigerantibus tractetur, plane induratur, & pene incurabilis euadit. Quare ol. violarum, succus portul. solatri, in principio accommodatissima sunt: poterimus & hoc linimento vti:

℞ Ol. viol. ℥. ij.
Succi portulacæ
Solatri an. ℥. ß.
Ceræ parum. M. fiat linimentum.

Quod si vrinæ suppressio vsum horum Medicamentorum prohiberet, ad ea medicamenta accedendum est, quæ vobis ostendi, cum tractarem de Ischuria.

Dolorẽ mitigantia.

Sæpe fit etiam vt dolor, qui est comes inflammationis, vsque adeo torqueat ægros, vt Medici cogantur ei occurrere. Igitur vrgente dolore etiam opio vti possumus, aut succo mandragoræ commistis vel cum ol. viol. vel chamomel. quod potest temperare nimiam frigiditatem illorum. Sic etiam propter eundem finem potest immitti in vesicã aliquid, quod valeat inflammationem repellere & sedare, vt est lac & mucilago psyllij. Sed notandum quod etiam monuit Auic. Medicos cautos esse debere in iniiciendis medicamentis in vesicam, quia si dolor non sustineat horum medicamentorum vsum, abstinendum omnino est, siquidem pars inflammata [illegible], grauius multo reddit malum. Post principia conueniunt ea remedia, quæ moderate

discutere

Discutiens empl.

discutere possunt, vt sunt linimenta facta ex ol. chamo. & anethino emplastrum quoque parari poterit tale.

℞. Ol. chamem. ℥. iiij.
Aq. anethi lib. ß.
Farina liliacea q. s. M. ad formam empl.

Maturãtia.

Quod si inflammatio ad suppurationem vergat, omni studio tentandum maturare suppurationem, id quod fit ex empl. & fomentis, quæ facultatem habent suppurandi: vbi autem suppurata fuerit inflammatio, reliquum est vt vlcus curetur eo modo, quo curantur etiam alia vlcera.

CAPVT XXXV.

De exulceratione vesicæ.

POst inflammationem, atque etiam ab alijs causis, consueuerunt in vesica oriri vlcera, quæ peculiarem tractationem & curationem exigunt. Fiunt autem vlcera varijs in partibus, vel in corpore vesicæ, vel in collo, vel in virga ipsa; vbicũque fiunt, morbus est in soluta vnitate, & quia in omni vlcere aliqua pars deficit, fit vt non solum morbus sit in soluta vnitate, verum etiam in mala compositione.

Causæ.

Causæ internæ, a quibus hæc vlcera vesicæ oriuntur, sunt humores acres, & corrodentes, est etiam sæpe pus, quod ex aperta vomica promanat. Adijciamus etiam calculum vel renum, vel vesicæ, atque vrinam ipsam acrimonia præditam. Tot enim modis fiunt vlcera vesicæ, quemadmodum proditum est a Medicis.

Externæ causæ sunt ex Gal. 1. de loc. aff. percussiones, cibi acres, medicamenta acria, item vsus cantharidum: sunt etiam aliqua venena, sicuti refert Nicander de Bupreste.

Signa. Vniuersalia.

Signa quibus cognoscuntur vlcera vesicæ, sunt dolores qui percipiuntur inter mingẽdum, præsertim vero in præputio, quia preputium cum sit pars maxime sensibilis, facile ipsi communicatur noxa vesicæ. Adhæc si pus, & sanguis commisceantur vrinę, aut squammæ, aut pelliculæ, aut corpora furfuracea, sicut dicit Hipp. signum est esse ulcus in uesica. Accedit his quod qui

Signa distinguentia locũ affectum.

ulcus habent in uesica, neque ambulare, neque stare, neque commode iacere possunt, quia in quocunque corporis situ uesica comprimitur, & compressa propter ulcera incredibiles cruciatus facit. Sed hoc nequaquam satis est, nisi sciatis signis proprijs distinguere locũ affectũ, quare signa etiam peculiaria tenenda sunt, quibus hos affectus distinguamus. Si vesicæ corpus fuerit exulceratum, dolor magis oritur in pectine, cum vrina squãmulę exeunt, nulla sanies, aut admodum exigua, eo quod cum corpus vesicę exangue & nerueum sit, in ipso vix potest vlla sanies colligi. Si pori vreteres fuerint exulcerati, cognoscitur, quia dolor est inter pubem & renes, pus quod exit cum vrina, est instar capillorum, sanguis exiguus exit, apparent interdum ramenta.

Si vlcus sit in collo vesicæ, dolor magis apparebit in loco, qui est inter peritonæum, & pudendum. Ad hæc dolor apparet magis dum incipit æger mingere, & dum desinit, pus adest in vrina, ipsique sanies est permixta, apparent interdum carunculæ, & si vlcus fuerit profundum, & sordidum, vrina etiam valde fætet.

Progn.

Si ulcus fuerit in virga, cognoscemus, quia primo egreditur sanies, mox vrina, adhæc dolor solummodo adest, quando mingitur, & apparet in ipsa virga, non alibi.

Prognost. omnia vesicæ vlcera grauia sunt. Hippoc. enim scribit vesicam incisam habere, lethale est. Sunt autem vlcera vesicæ grauia, propter duas causas. 1. quia membra neruosa discissa nunquam consolidescunt. 2. quia vt docet Galen. 3. meth. 5. omnia ulcera si debent sanari, necessarium est, vt contineantur in quiete summa: iam vero vesica perpetuo uexatur ab vrina, quo fit ut vix, aut cum magna difficultate curentur vesicæ vlcera. Est tamẽ differentia, quia quę fiũt in corpore vesicæ, sunt omnium grauissima, quæ in collo fiunt sunt minus grauia & periculosa, & quæ fiunt in virga, adhuc minus grauia sunt.

Indicationes.

Curationis scopus præcipuus in vlcere vesicæ est, vt consolidetur & ad cicatricem deducatur sed quia duo sunt impedimenta, quæ consueuerunt consolidationem impedire, humores qui fluxerunt, & qui confluunt, ideo assurgunt duo alij scopi, vt humores fluxi expurgentur, & impetus eorum, qui fluunt, vel retardetur, vel alio auocetur.

Victus rat.

Quibus scopis implendis necessaria est primo victus ratio, quæ eadem esse debet quam uobis præscripsi, cum de vlcerib. renum tractaui, vt scil. aer immoderatus fugiatur, omnis animi & corporis motus, somnus procuretur, atq; hic super latera. Ex cibis uitãdi sunt omnes salsi, acres acetosi, omnes qui sunt nimis dulces, crassi, difficilis concoctionis, omnia aromata, omnia diuretica: Conuenit autem in primis lac, ptisana facta uel ex hordeo, uel oriza, vel amylo, oua sorbilia, extrema omnium animalium; quæ omnia si condiantur vel succo uuæ immaturę, vel succo alicuius fructus adstringentis & refrigerantis, optimum est.

Vena sectio.

Post uictum notandum, an corpus abundet sanguine, quia vbi copia adest sanguinis, ante omnia secanda est uena basilica: si uenæ sectio prohibeatur aliqua ratione, utendum erit cu-

curbitulis

curbitulis facrificatis. Sin autem non abundet sanguis, sed potius acres, & salsi humores, sunt hi in primis præparandi, mox purgandi, eo pacto quo docui. Vbi purgatum erit corpus, vel per venæ sectionem, vel per cucurbitulas, cursus humorum erit retardandus, post deueniendum ad consolidationem & vnionem vlceris: igitur ante alia omnia studendum erit vlcera ipsa depurare ab humoribus prohibentibus consolidationem: emundantur autem vlcera potissimum medicamentis quæ infunduntur in vesicam, cuiusmodi est lac, quod quidem facultate detersoria mundat & lauat vlcera: similiter mel colatum, aqua hordei. ex. gr.

Vlcus mundificantia.

℞. Aq. hordei torrefacti. ℥. iiij.
Lactis asinini ℥. ij.
Mellis rос. ℥. j M. & cathetere infundantur in vesicam. Et notate, minus mellis rosacei me adiecisse, propterea quod hæc vlcera fac lacessitantur a medicamentis, quæ habent aliquid acrimoniæ, vt est mel, & ideo parum semper huiusmodi acrimoniæ admiscendum est; imo ego soleo vsum mellis auerlari, & vbi timeo acrimoniam, paro decoctum hoc.

Clyster pro vesica mundanda.

℞. Hordei vsti P. j.
Rad althææ ℥ ß.
Glycyrrh. ʒ iij f. decoct. & facta expressione, adde lactis asinini partem tertiam, vel quartam.

Extrinsecus ad emundanda vlcera, & præsertim quando sunt sordida, in vsu sunt medicamenta quæ exiccant, & adstringunt, vt est alumen, hypocistis, bolus arm. malicor. ex quibus fiunt decocta, & decoctis cum spongia fouentur loca vesicæ. V.g.

Decoctum pro mũdãdo ulcere uesicæ.

℞. Aq communis lib. j.
Aceti. ℥ ij.
Hypocistidis.
Cort granat. an. ℥. ß.
Boli armeni.
Alumi in petia ligat. ʒ. j. M. f. decoct. s. a.

Vbi fuerint repurgata vlcera, quod cognoscetis quando urina exit sine ulla sanie, tunc deueniendum ad medicamenta consolidantia, quorum alia extrinsecus adhibentur, & sunt eadem quæ modo docui vos, cum agerem de purgandis ulceribus, quia sicut facultate detersoria omnem vesicæ sorditiem eluunt, pari pacto, & sua vi adstrictoria consolidant ipsa ulcera.

Quæ infunduntur in uesicam, sunt plumbum ustum, thus, Cerussa, sarcocolla, quæ immiscẽtur lacti, & lac deinde iniicitur in vesicam. Ex. gr.

Medicamẽta consolidãtia.

℞. Lactis caprini lib. ß.
Thuris.
Sarcocollæ.
Cerussæ. ʒ. ij. puluerisentur, & misceantur.

Laudatur equisetum, succus consolidæ maioris, & est accommodatissimus succus plantag. lapis hæmatites, ex. gr.

℞. Succi equiseti ℥. iij.
Albuminis oui num. j.
Lapidis hæmatit. ʒ. j. ß. M. omnia diligenter, & conquassata per syringam in vesicam infundantur.

Notandum autem omnia quæ infunduntur neque debere esse actu calida, neque frigida, sed tepida, & egelida, priuata omni frigore sensibili. Ore vero medicamenta quę sumuntur, sunt Mumia, puluis consolidæ, puluis equiseti, trochisc. de Carabe, qui vel commisti aq. plantag. vel aq. ros. deuorantur ieiuno stomacho, & mirifice prosunt.

C A P V T XXXVI.

De scabie vesicæ.

Quod dixi de vlceribus vesicæ, idem statuendum de scabie vesicæ; fit enim interdum vt ab humoribus salsis, & acribus tunica interior vesicæ perinde discindatur, atque solet fieri in cute externa in scabie: & propterea ab Hippocrat. & alijs Medicis hic affectus dictus est scabies, quæ cognoscitur vnico illo signo, quod scripsit Hippocrat. in 4 aph. vbi dicit, quibus in urina sedimenta apparent surfuracea, ij scabie vesicæ laborant. Cum itaque totus hic affectus dependeat ab humore acri & salso, totum studium Medici conuertendum est ad expurgandum vniuersum corpus ab humoribus eiusmodi salsis, & acribus. Inter quæ remedia potissimum locũ obtinet usus seri, quod iam ore acceptum; quam etiam infusum in uesica mirifice prodest, eo magis ipsi sero uel immacerentur, uel incoquantur ea quę desiccant citra ullam insignem calefactionem

Causa.

Indicationes.

lesactionem, vt est lentiscus, myrthus, scabiosa, cortex granat. plantago, hæc omnia aut aliqua ex his immacerata sero caprino, atque infusa in vesicam, conferunt: sicuti etiam conferre experiētia probatum est aquam thermarum, ex his que desiccant citra vllam insignem calefactionē, vt est vel aqua villæ in agro Lucensi, vel aqua Beatæ Virginis in agro Patauino, quæ vel infusa per vesicam, vel ore accepta, atque etiam extrinsecus lauacro administrata, non solum scabiem vesicæ curant, sed etiam vlcera.

CAPVT XXXVII.

De vitijs partium genitalium in generæ.

Propria functio penis.

PRæter vlcera quæ fiunt in cole, oriuntur etiam quædam alia vitia quæ labefactant, & uitiant actionem ipsius penis, dico quæ propriam vltiant penis actionem, quia etsi hoc membrum deseruiat etiam emissioni vrinæ, nihilominus hæc est non propria eius functio. Sed ea est, vt sit veluti ductus & canalis quidam ad prouehendum semen ad generationem speciei. Sed quia vbi canales tortuosi sunt & simul compacti, non possunt dimittere aquarum excursus, sed necessarium est vt recti fiant, & vt lati ac spaciosi sint, ea propter necessariū fuit naturæ ita genitale instituere, vt posset & meatum rectum habere, atque etiam latum, & patētem. Ad quod agendum vna inseruit erectio, ita ut propria actio ipsius penis ad eiaculandum semen, uideatur esse erectio, & si huiusmodi actio vitiatur in pene, quemadmodum etiam uitiantur aliæ operationes, vel minus fit quam debebat, & hinc fit uitium quod dicitur varijs modis, Grçce ἀπραξομορία, nos dicere solemus ignauas partes, alij uocant maleficiaros & frigidos, quoniam erigere non possunt. Vel uitiatur hæc actio, quia & nimis fit, & non debito tempore, & modo, & hæc affectio dicitur priapismus.

Enumeratio affectuū penis.

CAPVT XXXIII.

De priapismo.

Definitio.

PRiapismus est, vt docet Galen. 6. de loc. aff. c. 6. auctio stabilis, & tentigo penis in longum & latum, citra veneris appetitum, & citra externam caliditatem. Aetius addit, cum dolore, & tensione.

De nomine.

Circa huius morbi tractationem aliqua sunt notanda pertinentia, & ad nomen, & ad rei ipsius essentiam. Quod ad nomen attinet, notandum hanc vocē priapismi, vt Galen. 14. meth. 7. docuit (quia neque apud Hippocr. neque apud alios scriptores antiquos reperitur) formatam esse a similitudine Dei hortorum Priapi, qui pingitur ab antiquis membro genitali semper erecto siue tenso vocatus est & hic morbus Satyriasis apud Gal. & Aetium.

Differ. inter Priapismū, & Satyriasin.

Sed inuenio factam esse a scriptoribus Medicis differentiam inter Priapismum & Satyriasmum. Aegineta in Satyriasi vult contingere omnia quæ in priapismo, sed id plus inesse, quod in Satyriasi adest palpitatio, & morbus familiaris est mulieribus. Cælius Aurelia. facit aliam differentiam, priapismum inquit esse paralysin vasorum seminalium, & aliorum neruorum ad partes ventris tendentium, quorum distensione ægri afficiuntur. Satyriasin vero inquit esse celerem passionem, fierique cum neruorum constrictione, ex stimuloso desiderio venereæ voluptatis. Hunc scriptorem vt puto maior Arabum pars sectata, fecerunt differentiam inter Priapismum, & Satyriasin, quod Satyriasis sit stabilis auctio genitalis, sed cum desiderio, atque etiam cum affectu venereæ voluptatis. Hæc itaque est differentia a Medicis inter hos affectus tradita. Sed vt versari possitis in auctoribus, debetis notare aliud esse Σατυριασμὸν, aliud satyriasin. Ille est vt Gal. lib. de tum. præt. nat. docet, & Aretæus cap. de elephantiasi, nihil aliud, nisi ipsa elephantiasis incipiens. Galen. enim inquit ideo hunc morbum elephantiam vocatum esse, quoniam cum incipit, facies eorum euadit Satyris similis. Satyriasis vero est morbus diuersus, de quo Philosophus 4. de gen. animal. 3. vbi scribit morbum hunc fieri propter defluxum humoris, spiritusque crudi in partes faciei: quem locum cum exponeret Michael Ephesius, dixit esse idem quod Elephantiasm. Sed mea sententia deceptus est, quia Elephantiasis non fit a spiritu crudo, sed ab humore melancholico prauo. Satyrismus vero, ut Galen. testatur in lib. linguar. Hippocr. est tumor oblongus circa aures obortus. Atque hæc de nomine huius affectionis.

Satyriasmos, & satyriasis, vt differunt.

Quo ad rei essentiam dictum est a Gal. esse stabilem auctionem, quia sæpe fit vt intumescat atque erigatur membrum, sed cum etiam cito decrescat, passio non est morbosa. Dictum

est

est etiam esse tentiginem in longum & latum, quia sæpe fit vt intumescat hoc membrum, sed quia tumor nō est cum tensione, vel non est in omni parte, sed solum in præputio, qui sc. morbus a Marcello dicitur Ceparia, eā propter hic affectus nō debet dici Priapismus, quia nec cum tensione, nec in omni parte, factus est hic tumor. Dictum est sine desiderio veneris, atque externa caliditate, quia sæpe efficitur tentigo propter immensam lumborum & testium calefactionem, quæ nullo modo dicitur Priapismus. Accedit etiam quod interdum fit tensio stabilis, & tumor, vt in Satyriasi Arabum, sed quoniam est cum desiderio, & voluptate, ideo vt distingueretur, hæc omnia fuerunt addita.

Ceparia.

Ex quibus omnibus cōficitur hunc affectum esse morbum in magnitudine, vt Gal. 14. meth. testatur, a quo morbo læditur facultas naturalis penis, non quidem necessario essentialiter, sed per accidens, vt plurimum.

Genus affectus.

Sed video vos dicturos, quomodo potest priapismus morbus esse, cum Gale. 6. de loc. aff. manifestissime dicat esse symptoma colis: Respond. dupliciter posse hunc affectum, & morbum & symptoma dici; morbus dicitur, si spectemus magnitudinem & tumorem illum; symptoma, si actionem læsam ipsius membri inspiciemus: nam cum actio huius sit debito modo & tempore erigi, & in hoc affectu neque modo neque tempore debito fiat erectio, ideo iure dici potest symptoma.

Locus affectus est ipsum genitale membrum.

Causæ autem vt Galen. 6. de loc. aff. dicit, aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internæ immediatę duæ sunt, vna est spiritus copiosus exiens ab arteriis apertis, & inclusus in cauernis membri. Secunda causa est spiritus flatuosus, flatus crudus, qui gignitur vitio ipsius partis, quam causam raro euenire, ipse Gal. ratione & experientia docuit. Internæ mediatæ duæ sunt, quarum vna est habitus corporis calidus, & humidus. Gal. enim dicit, qui hunc habitum corporis habent, similes esse, vti Plato in Timæo dicit arboribus immodice fructificantibus, qui cum plurimum semen producant, & proinde copiosos spiritus, huic affectioni sunt obnoxij. Deinde ætas iuuenilis, vt Gal. ait, quamuis enim pueri possent hoc vitio tentari, tamen iuuenes ipsi sunt qui frequentius hoc malo tentantur.

Causæ interna immediata.

Causæ externæ sunt cibi inflantes & multum seminis generantes, vt sunt cicera, oua, pultes, ostrea, eruca, nuclei pinei, satyrion, & herba illa cuius mentionem facit Theoph. qua refert aliquos consueuisse erigere virgam & uti venere; somnus super dorsum factus, inter has causas habetur, cogitationes frequentes rerum venerearum, sermones, aspectus, abstinentia longa a coitu, propter hoc monachi solent sæpe hac ægritudine tentari, nimius etiam coitus, strictura lumborum, manstrupatio sine seminis eiaculatione: refert vero Cælius Aurelianus senem quendam cum incassum longo tempore tractasset genitale, hunc morbum incurrisse.

Causæ externa.

Signa Priapismi ex se satis nota sunt, sicuti etiam quando fit hic morbus propter aliquam causam procatarcticam ex ipsa ægrorum relatione cognoscitur. Ceterum an fiat propter arteriarum dilatationem, an ob flatum crudum, cognoscitur eadem ratione, qua proposuit Gal. 6. de loc. aff. 6. quoniam si a flatu fiat, aderit palpitatio membri, item præcedente vsu rerum flatuosarum. Cognoscitur tandem ex remediis adhibitis, quæ si calefacientia sint, & dissipantia flatum, ac profuerint, signum est malum ortum a flatu. Si autem fiat morbus ex apertione arteriarum, cognoscitur quia nulla adest palpitatio, corpus boni est habitus & succulentum, longa fuit coitus abstinentia, vel longus & immoderatus vsus, vel præcessit vsus eorum ciborum, a quibus magna seminis fit copia.

Signa ex flatu crudo.

Ex apertione arteriarum.

Progn. solet hic morbus grauis esse & periculosus, ita vt Aræteus dixerit, quandoque breui temporis spacio homines interimere, & qui moriuntur, perire conuulsione, cruciatu magno & extremorum frigore.

Curationis ratio in hoc potissimum est posita, vt materia illa, quæ tumorem facit, eximatur & dissipetur, siue fuerint spiritus ex copia seminis oborti, siue flatus. Quæ autem euacuant spiritus & flatus, sunt medicamenta attenuantia & exsiccantia: Igitur eligatur aer qui frigidus sit & sit siccus, dormiendum, & vt aliqui volunt, neque super strata, neque super lectos, sed super corpora dura. Cauendum ne somnus fiat supra dorsum, & ubi dormiendum supra lectos, substernenda sunt folia aut agni casti, aut nymphææ papaueris. His remediis proditum est a Galen. consueuisse sacerdotes incendia libidinum coercere, abstinendum ab omni cogitatione, lectione & spectaculo libidinis, & potius cogitandum est, vt ægri tristentur & mæreant, aut timeant. Motus corporis, & præcipue lumborum nocui sunt. Venus vtilis est solummodo quando malum factum est ex copia seminis. Aluus si est stricta, soluenda est clysteribus qui humectent, & refrigerent. Potus aquæ melior quam vini, præsertim vero si aquæ incoquatur vel mentha, vel ruta, quas herbas Medici dicunt extinguere semen. Vtendum cibis attenuantibus, exsiccantibus, parum nutrimenti, & qui non sit flatuosus: propterea oua, carnes, conchylia, bulbacea omnia sunt fugienda. Neque laudare possum Auic. qui vsum lentiū coctarum probauit.

Spiritus & flatus euacuantia.

Post victum, quia dicebam ex sententia Gal. hunc affectum magna ex parte fieri ab apertis arteriis, primo deueniendum ad illud quod efficacissime sanguinem minuere & refrigerare potest, scil. ad venæ sectionem: vnde nisi aliquid prohibeat, lenita aluo, vel aliquo bolo, vel

Venæ sectio.

clystere, est secanda vena interna brachij dextri, & pro qualitate ac quantitate corporis est mittendus sanguis.

Misso sanguine videndum, an in corpore sint aliqui praui humores qui si abundauerint, necessarium est ante cetera eos præparare & expurgare. Sed dicit quis, ad quid necessaria est hæc præparatio? Primum quidem necessaria est gratia ipsius morbi, nam quia necessarium est vti localibus medicamentis, nunquam id facere poteritis tuto, nisi diligentissime præparatum sit corpus. Itaque corpore expurgato, ad localia est veniendum, quorum iuuant quædam manifesta; alia occulta qualitate.

Topica.

Si factum sit malum ex apertis arterijs, clarissimum est remedia debere esse refrigerantia, repellentia, & adstringentia. Quare summo iure factum est a Galen. qui ceratum rosaceum præcipit vt applicaretur lumbis, & pectini, prudenter etiam statuit Auicen. vt in hoc casu lamina plumbea pectini adhibita gestaretur, sicut, & alia multa, quæ lumbis magno cum fructu administrantur, vt Mandrag. hyoscyamus, papau. nymphæa, solatrum, portul. semperuiuum, quæ & sola & simul mista, in decoctis vel oleis parata, magno cum fructu administrantur.

Sed notate huiusmodi remedia quæ impense refrigerant, posse quidem impune lumbis adhiberi, & loco inter anum & pudenda, interdum etiam pectini, sed ipsi coli & pectini tumefacto, nunquam adhibenda, quia rebus refrigerantibus nimis solent isti humores intumescere, & magis contumaces fieri. Quare ipsi loco affecto cum frigidis admiscenda erunt discutientia, vt si fiat a flatu crasso, confert pyrethrum & conueniunt omnia aromata, vel in decocto, vel in puluere administrata. Sic dicit Marcellus myrrham administratam magnopere conferre. Sic etiã laudabat lentem coctam, & adhibitam: multa quoque alia habetis apud Gal. & Arabes composita medicamẽta, quæ postulante vsu vsurpare potestis. Quæ vero occulta qualitate prosunt sunt agnus castus & nymphæa, quę herbę siue intus capiuntur, siue extra administrantur, mire putãtur conferre. Gummate etiam iuniperi si membrum tumefactum inungatur, mire confert imo dictum verbenę potu exhibitum confert. Marcellus enumerat quasdam herbas quas scribit omnes proprietate quadam aduersus veneris incendium conferre, vt est apium, poleg. ruta, coriandrum, mentha, lactuca, nasturtium & anethum.

Occulta proprietate conferentia.

CAPVT XXXIX.

De impotentia coeundi.

Nomen.

VBi diminuitur vel ex toto aufertur actio erigendi, fit vitium quod dicitur Ignauia partium genitalium, quod vitium nihil aliud est, nisi impotentia perficiendi coitum, cum aptitudine, & desiderio. Dicitur impotentia perficiendi, quia alij sunt qui non erigunt, alij qui erigunt quidem, sed non perdurant, aliqui perdurant aliquandiu, sed semen emittere non possunt, qualis erat ille Corinthius, quem recitat Rufus apud Oribas. lib. 6. Alij sunt qui solum dormientes, non vigilantes perficiunt coitum, qualis erat ille Melesius, quem refert idem ibid. iure igitur dictum est impotentia perficiendi. Dicitur etiam cum aptitudine, & desiderio, quia senes & pueri inepti sunt, & propterea non dicuntur hac impotentia laborare. Vtcunque sit, hæc affectio est symptoma in genere affectionis diminutæ aut ablatę.

Genera varia huius affectus.

Quæ requirãtur ad venerem.

Causæ huius impotentiæ inuenientur a nobis, si sciamus quid & quot requirantur ad excitandam venerem. Tria autem sunt quæ necessario concurrunt ad perfectionem actus venerei. 1. virtus & robur, & hinc est, quod conualescentes & graui morbo tentati minime possunt exercere venerem, propter virtutem debilitatam. 2. instrumentum aptum, neque enim spadones, neque eunuchi possunt venerem exercere, propter ineptitudinem instrumentorum. 3. semen, quo fit vt in illis senibus vbi semen deficit, simul etiam desinat potentia exercendi venerem. Cum igitur hæc tria concurrant, necessarium est, vt impotentia coeundi oriatur vel propter virtutis defectum, vel propter instrumenti ineptitudinem, vel propter seminis vitium, aut propter hæc omnia simul.

Virtutis debilitas.

Debilitas virtutis contingit aut propter intemperiem aliquam, aut propter alium morbum, aut propter motus animi. Dicit enim Auic. hominum amorem, pudorem, timorem eneruare ita sæpe vires, vt fiant infirmi ad venerem. Sic etiam debilitatur virtus propter euacuationes nimias, propter nimiam abstinentiam. Dicit enim Rhases, quamlibet euacuationem etiam vrinæ, impedire actum exercendi venerem. Instrumenta vero quæ deficiunt, multa sunt, aut penis qui hanc impotentiam inducit, vel quia est laxior quam conuenit, vel longior, & maior: dicit enim Aristotel. 4. problemat. 23. eos qui virgam habent maiorem & longiorem minus erigere, & minus perdurare. Testes pariter inducunt hanc impotentiam, quando sunt intemperati, aut sicciores, aut humidiores, aut frigidiores facti. Alia membra principalia etiam faciunt hanc impotentiam, vt cerebrum quando grauiter ægrotat stomachus, renes, imo vero dicit Arist. 4. probl. 20. etiam crura varicosa homines reddere ad venerem impotentes.

Instrumenti ineptitudo.

Semen ineptum.

Ex

Ex parte seminis efficitur impotentia, quando aut nullum semen est, aut non tantum vt possit necessariam spirituum copiam ad genitale mittere. Hinc est quod dicit Arist. 2. de par. anim. 6. pinguia corpora sunt inepta veneri, eo quod quidquid debet conuerti in semen, totum in pinguedinem conuertitur, & consequenter cum corpus sit semine spoliatum, impotens redditur; similiter contingit, si semen sit frigidum & omnis expers mordacitatis.

Pingues ἄγονοι.

Causæ externæ multæ sunt, aer vel nimis frigidus, vel nimis calidus, nam maior pars brutorum animalium, neque summis frigoribus, neque summo calore vtitur venere. Sic etiam dicit Aristot. 4. probl. ex sententia Hesiodi, mulieres minus validas esse ad venerem hyeme, & viros æstate. Motus corporis nimius, & motus animi vehementes, vt pudor, amor, timor, hanc impotentiam inducunt, balnea item, & ieiunium. Vnde illis qui castitatem seruare volũt, iure ieiunium iniunctum est, quia dicitur in prouerbio: Sine Cerere & Baccho friget venus. Cibi refrigerantes & exsiccantes hoc idem faciunt. Fertur etiam de turdis torquatis, qui propter siccitatem reddunt homines impotentes. Sic narrat Arist. tempore belli esse prohibitum serere mentam, quia reddit homines imbecilles, & consumit genituram, quod etiam ab Hippoc. dictum est. 2. de diæta.

Causæ externæ.

Est dubium de equitatione, an scil. equitatio reddat homines imbecilles ad venerem, an vero prouocet. Hippocrat. lib. de aere, aquis, narrat Scythis populos propter frequentem vsum equitandi impotentes ad venerem euadere consueuisse, imo vero contrahere feminarum habitum. Ex altera parte Aristotel. 4. problemat. in statuit, equitantes luxuriosos euadere, continua enim partium virilium contrectatione excitantur spiritus, qui inducunt libidinem veneream.

Dicendum videtur, equitationem homines potius luxuriosos reddere quam impotentes per se, quia quod refert Hip. non refert essentialiter ab equitatione factum, sed refert, quoniam propter equitationem crura ipsis male habebant, & vt mederentur his vrebant venas post aures, hinc fiebat vt impotentes euaderent, non principaliter propter equitationem. An autem faciãt incantamenta & muliercularum veneficia hanc impotentiam, neque affirmare, neque negare audeo. Non affirmo, quia nullus probatus scriptor, neque vlla ratio persuadere potest. Non nego quia & multæ experientiæ sunt, & canones & leges id fieri posse videntur statuere: Itaque in incerto rem hanc relinquo.

Incantamenta.

Signa vniuersalia huius affectionis certissima sunt. An vero fiat ab vlla causa externa, solum potest cognosci ex relatione vel ægrorum, vel adstantium, sicuti etiam si hoc malum fiat vitio alicuius membri, vel cerebri, vel stomachi, cognoscitur facile ex præsentia & signis eorum membrorum.

Si factum sit propter vitium ipsius penis, præsertim propter laxitatẽ, dicit Auic. hoc cognosci, quia membrum frigidæ aquæ immissum, indutatur. Si ob testium aliquam intemperiem, vel ob aliquod vitium cognoscitur his indicijs, quæ scribit Gal. in art. med. cum docet signa intemperaturæ testiculorum.

Signũ laxitatis penis.

Si fiat ex paucitate seminis, cognoscitur, vt docet Rhases ex paucitate appetitus, ex corporis extenuatione, vel pinguedine nimia, ex prauitate coloris. Si a semine frigido oriatur, illud signum est, quod nullus adest appetitus veneris, nec tamen vllum signum est, quod alium errorem indicet.

Progn. Hic morbus quantum est ex sese, nunquam est lethalis, nec indiuiduo detrimentum vllum affert, solummodo propagationis speciei incommodat. Qui fit vel vitio ætatis, vel magnitudinis, nunquam curatur, reliqua vero genera aut sponte curantur, aut beneficio remediorum.

Curandi ratio tota in hoc posita esse videtur, vt si malum proficiscatur a vitio aliorum membrorum, illa membra corrigantur, & propriæ sanitati restituantur. Similiter si vitio imbecillitatis oriantur, studendum est corroborare. Quod si vitio seminis fit, vnus est his modus curandi, vt & cibis & medicamentis vtatur, quæ sanguinem & bonum & multum gignunt, quæ calefaciunt, quæ producunt semen, & quæ modice flatum inducunt. Itaque dormiendum est supra strata plumacea, super dorsum, corpus moderate exercendum in rebus ad venerem pertinentibus. Bibenda sunt vina generosa, panis sit optimus, carnes optimæ, oua prælaudat Rabbi Moyses, si eum cæpis & napis coquantur. Carnes etiam passerum mirifice commendantur ab Arabibus omnibus, præsertim autem si lacte & vino coquantur. Idem faciunt testes animaliũ, conchylia, ciceres, nuclei pinei, nuces auellanas laudat Auicen. conditas Sacch. Inter herbas veneri accommodatas magnopere laudat Marcellus raphanum, porrum sectile, vel capitatũ, asparagum, ocymum, fæniculum, satureiam, pastinacam, carduum vulgo artechoci. Addunt alij, & iure, Satyrion, galangam, nucem moscatam. Iam vero apud Medicos multa remedia componuntur, quæ & ore sumpta & extrinsecus administrata quadam proprietate putantur conferre. Pyrethri triti cochlear cum passo exceptum, dicit Marcellus inutiles viros ad venerem concitare. Sic etiam seminis lini puluis cum vitello oui sumptus idem præstare solet. Soleo ego vti hoc medicamento.

Victus rat.

Rotulę venerem stimulantes.

℞. Nucleorum pini,
Pistacior.
Auell. an ℥. j ß.

Sem. erucæ,
Pyrethri,
Nucis mosch. an ℥.ij.
Granorum cochi. vel sem bombacis.
Passerculorum cerebri an ℥.ß.
Rad satiriy coctarum in cinere ℥ iij.
Testiculorum galli assatorum ℞.ß.
Sacch alb. f. q. M. f. rotulæ. f. a. quarum accipiatur ℥.ij.iij. cum vino odorato mane. Extrinsecus ait Marcellus, quod si radix cucumeris agrestis incoquatur, & deinde inungantur genitalia, mire conferre. Similiter si fiat empl. ex lini radice cocta. Lac cum lana succida vmbilico applicatur. Ad idem confert fel leporis, fel tauri, coagulum leporis, leonis adeps si illinantur genitalibus. Illud efficacissimum est, modo cum cibis accommodatis administretur.

Vnguentum efficacissimū ad idem.

℞. Ol. sambucini ℥.j.
Pyrethri.
Euphorbij an ℥.j.
Moschi gr.iiij. Inungantur vola manuum & planta pedum, & genitale.

A proprietate occulta cōferentia.

Quæ similiter a proprietate occulta conferre putantur, multa sunt, primum refert Rhases si accipiatur cerui veretrum, vel testiculi, & in puluerem redacti ligentur supra dextrum fæmur, mire valet. Sic galanga ore retenta, ad idem putatur conferre. Lapis qui inuenitur in gallo, si alligetur collo dicitur prodesse, sicut & stellionis cinis panno obuolutus, & sinistra manu portatus, vtilis esse putatur.

FINIS LIBRI TERTII.

D. HIE-

D. HIERONYMI MERCVRIALIS,

DE VITIIS ARTICVLORVM, ET LVE VENEREA,

Liber Quartus.

CAPVT PRIMVM.

Cur articulares dolores sæuissimi.

TRIA in omnibus morbis grauia esse, memoriæ mandauit Seneca author linguæ Latinæ sapientissimus, mortis metum, dolorem corporis, & carentiam voluptatis. Inter quę mala primum locum tenet corporis dolor, quandoquidem vt memoriæ traditum est, ab Arist. 3 eth. 3. multo difficilius est humanæ naturæ, sustinere dolores, quam resistere voluptatibus. Iā vero inter dolores sæuissimos sunt illi qui torquent articulos, propter quos memoriæ mandatū est multos fuisse qui sese iugularūt, & inter ceteros de Polemone Sophista id relatum est, imo qui tormenta excogitarunt pro sontibus conuincendis, articulorum dolores producere tentarūt. Cur autē articulares dolores omnium sæuissimi sint, ab Hip. lib. de aff & ab alijs tres sunt allatæ causæ. Prima est, quia huiusmodi dolores fiunt in locis angustis. 2. quia fiunt circa partes sensibiles, quæ partes vbi dolore torquentur, omnium maxime solēt affligere ac turbare. 3. causa est, quia in articularibus doloribus plures partes simul torquentur. Nam in podagra pes qui multis articulis conflatus est, dolet. In Chiragra manus, ita vt manifestum sit, in articularibus morbis plures partes dolere. Cum itaque adeo acerbi sint articulorum morbi, & Medici munus sit, hos dolores tollere atque sedare, operæ pretium me facturum putaui, si hoc tempore tractationem de his dolorib. inciperem, eo maxime, quia hęc pars morborum est necessaria, & minus solet ab alijs in hoc gymnasio pertractari. Tractabo itaque ea diligentia, vt nec maiorem fructum, nec maiorē vtilitatē, & iucunditatem ab alio optare possitis. Quoniā vero dolor hic varias corporis nostri partes possidere consueuit, vbi vel totū corpus, vel plures corporis partes torquet, appellatur arthritis proprie: vbi possidet alias partes, vt pedes, appellat podagra, si manus chiragra: si genua gonagra, si tendines Tendonagra, vt prodidit memoriæ Cæl. Aur. lib. 5. diut. pass. c. 2. Cum autem tot sint articulorum morborum differentię, de arthritide proprie vocata prius sermonem habebo, in qua eund. ordinem seruabo, qui semper mihi fuit familiarissimus. Sed antequā eandem tractationem ex nostra methodo aggrediar, vtilissimum esse existimaui, si primo quid sit articulus, & quæ sit articulorum constitutio, breuiter vos doceam.

De nomine articuli.

Articulus, de quo libros 4. habemus Hipp. vt obseruatur apud Hipp. dupliciter capi solet, improprie & proprie. Improprie articulatio siue articulus dicitur omnis conformatio & compages seu vnio alicuius membri, sic dicebat Hipp. de natura pueri, carnem vigescentem a spiritu articulari. Sic idem Hipp. lib. 2. de morb. vt ego existimo, appellauit articulū pulmonis eius constitutionem: Sic etiam Gal. 8. de vsu par. 14. dixit cerebri ἐγκεφάλου, articulatam. Proprie vero articulus, vt ego obseruaui apud Gal. & Erotian. duplici modo sumi solet. 1. pro omnium ossium compositione & cohærentia. 2. sumitur pro vtroque osse, ex quibus efficitur ipsa articulatio. Tertio maxime omnium proprio modo accipitur, pro coniunctione duorum ossium, ita vt alterum capitulatum in alterius cauitatem ingrediatur, & hac postrema significatione plerumque apud Medicos accipitur articulus.

Plato de ossium generatione.

Diuinus Plato in Timæo, mirifica quadam oratione tradens ossium generationem, scribit conditorem nostrum in eis fabricandis terram acceptam leuem & puram contriuisse, mox in ignem, deinde in aquam, iterum in ignem, ac iterum in aquam coniecisse, instar fabrorum dum ferra durare student, sicque sæpe faciendo tandem ossa constituisse, quæ nec ab igne nec ab aqua liquefieri possunt. Quam Platonis sententiam, semper sumus opinati, captam esse ex eo præclariss. lib. Hipp. qui de carnibus, seu de principijs inscriptus est, vbi scriptum inuenitur, facta fuisse ossa ex pinguedine incalescente atque exusta. His addit Plato in eo discursu,

eundem conditorem in ossium fabricatione alterum addidisse, quod est unum ex principiis Platonicis, vt fieret articulus, aptus ad motionem, & flexionem faciendam. Quoniam vero ossa fragilia sunt, & propterea facile fracta, & discissa fuissent inter flectendum & mouendum, ait Plato ipsis ossium articulationibus circumdedisse neruos, ex osse & carne non fermentata conflatos, proinde carne densiores, & aridiores, ossibus vero agiliores, & flexibiliores.

Cur vero in articulis & iuncturis constituendis conditor ille sapientiss. paucam carnem circumdederit, inquit Plato idcirco fecisse, quia si maiori carnis copia circumdedisset, articuli inepti fuissent ad motus, ea propter paucam carnem adiunxit. Addit autem carnem, vt sic custodiri, & magis vniri possint, id quod clarissimum potest esse ex eo, quod relatum est ab Hipp. iar tic, tex. 26. vbi ex sententia Homeri scribit, Boues tempore hyemis facile luxari secundũ genua, quia eo tẽpore, cũ destituantur pecudes nutrimento, facile extenuantur, & illi articuli carne priuati facile luxantur. Addidit insuper conditor articulis conditis humiditatẽ, vt sic facilius inter mouendum rotarentur. Nam experientia quotidiana videtis, rotas vt facilius possint agitari, axungia aliqua semper humectari ab aurigis, sic natura voluit hoc viscido humido articulos nostros semper irrigari, de quo sermonem habens Aristot. 1. probl. 24. scribit hoc humidum vbi nimis congelatũ est, impedire motũ, & flexionem, vbi autem nimis fluidũ, impedire extensionẽ.

Tota igitur articulorũ natura, vt intelligere potestis, constituta est ex ossib. atq; nerueis partibus. Nam cartilagines, ligamenta & tendines, qui pertingunt ad articulos, omnes sub neruis comprehenduntur. Cum itaque hæc tota & integra sit articulorũ natura, necessariumq; sit arthritidem, de qua sumus loquuturi, fieri in his partibus, non est dicendum quod fiat in ossibus, quia ossa carent sensu. Dolor articularis acerbissimus est, quare necessarium est, vt fiat in parte maxime sensibili. Non fiat etiam in humore viscido, quandoquidem humor ille insensibilis est, & præterea vt dixi ex Aristot. humidum illud si congeletur, impedit motum, si nimis fluat, impedit extensionem, dolorem nunquam efficit. Neque etiam æstimãdum est, hunc dolorem fieri in carne, quia caro pauca est, & potius extima quam intima: isti autem dolores potius fiunt in profundis partibus. Quapropter necessarium est dicamus, fieri huiusmodi dolores & morbos duntaxat in partibus nerueis constituentibus articulum. Quapropter arthritis, vel vt dicunt barbari, iuncturarum dolor, nihil aliud est quam dolor & affectus earum partium neruosarum, quæ ad conformationem articulorum concurrunt, ex fluxu materiæ originem habens, & plures vel omnes articulos simul infestans. Hæc est natura & definitio arthriditis. Vocata autẽ est hæc passio arthritis, vt docet Galen. 2. meth. & Cæl. Aur. 5. de diut. pass. 4. a parte ipsa affecta. Dixi in definitione arthritidem esse dolorem, quoniam etsi imbecillitas concurrat, vt suo loco videtur, nisi tamen præter imbecillitatem dolor quoque adsit, nunquã vocatur arthritis. Dixi neruosarum partium, quandoquidem vt docuit Aretæus, 2. de chron. pass. 12. initia neruorum, articulorum vincula, & quæcunq; ex ossibus orta sunt ossibusq; inseruntur, dolent. Dixi quæ ad articulorum constitutionem concurrunt, vt distinguerẽ Gallicam luem ab arthritide, in qua re plurimi falluntur Medici. Nam tametsi in lue Gallica doleant quoque partes neruosæ, dolent solũ illæ mẽbranæ nerueæ, quæ ossa ipsa vestiunt. In arthritide dolẽt nerueæ illæ partes, quæ articulos constituunt. Dixi ex fluxu materiæ, quoniã vt notatũ habetis ap. Gal. 6. aph. 28. vbi sola imbecillitas articulos vexat, non fit arthritis, nõ fit dolor vllus, quia si dolor induci debet, necesse est vt continui solutio inducatur, continui solutio fieri nequaquam potest sine fluxu materiæ, præsertim cum durat: i vt iure dixerim, ex fluxu materiæ. Dicitur in defin. plures partes infestãs, quia licet sæpenumero podagra antecedat arthritidem, nihilominus, si solum pedes, dicitur podagra, si solum manus, chiragra, si solum genua, gonagra, arthritis vero quando vel hæc omnia, vel aliqua ex his simul torquentur. Quanquam Gal. 4. in 6. epid. tex. 3. IscRhiad, Ischiadẽ solã apud veteres Medicos appellatam esse arthritidem. Est hic affectus symptoma in genere actionis factoriæ læsæ deprauatæ. Morbus autem a quo dependet huiusmodi symptoma, triplex est, morb. in intemperie, & solutione vnitatis, & in mala conformatione, sita via. Nec obiicere mihi debet aliquis, Hip. 6. aph. 49. appellare arthritidem inflammationem, primo quia inflammatio non proprie dicitur de arthritide, sed improprie. 2. quia etsi cõcesserit podagram, vel arthritidem esse inflammationem, nihil tamen prohibet quin etiam statuamus, una cum inflammatione coniungi & vnitatis solutionem, & malam compositionem.

Genus affectus.

An arthritis possit fieri a sola intẽperie.

Sed in hoc loco maior dubitatio oritur, an arthritis possit fieri ex sola intemperie, ita vt sine vllo alio morbo sola intemperies possit articulares dolores efficere. Ex vna parte videtur hoc fieri non posse, quia Gal. 10. de med. loc. enumerans oẽs causas arthritides, de sola intemperie nullam facit mentionem. Aetius etiam lib. 12. etsi omnes arthritidis causas enumerat, attamen solius intemperiei nunquam meminit. Ex altera parte est autoritas Auic. qui 22. tertij tr. 2. cap. 5. & 7. manifestissimis verbis videtur docuisse, fieri articularem morbum etiam a sola intẽperie. Hip. etiam in lib. de affect. inter. de huiusce modi affectione sermonem habens, scribit, ipsam solam fieri ex sola siccitate, ex quo colligitur etiam, a nudã intẽperie posse fieri morbos articulares. Pro cuius solutione dicendum est, arthritidem aut proprie accipi, aut improprie. Si proprie accipiatur, pro ea affectione quam descripsimus, procul dubio cum in eius definitione positus sit materiæ fluxus, nequaquam fieri potest a nudã intemperie. Si autem improprie accipiatur, scilicet pro qualibet vel minima affectione articulorum, procul dubio sic statuendum est, posse fieri a nuda intemperie. Quare cum Auicen. & Hipp. id asseruerint, eos de impropria arthritide, non autem de propria sermonem habere existimandum. Hoc autem verum esse,

scilicet

scilicet reperiri arthritides impropias, scribit Plut. in vita Syllæ, eum incurrisse Athenis dolorem quandam stupidum, cum grauitate, quem appellauit psellesinon, hoc est, balbutiem podagræ, quasi dolor torpidus pedum sit podagra impropria, vt balbuties est sermo imperfectus. Locus proprie affectus est genus neruosum constituens articulos, neruus, membrana, tendo; non cartilago, non os, non ligamentum, quæ omnia sensus sunt experta. Sed dubium est, an etiam dolor, quemadmodum fit in nerueis partibus constituentibus articulum, ita etiam possit fieri in ossibus idem dolor. Ex vna parte videtur fieri non posse, vt hic dolor etiam fiat in ossibus quandoquidem Arist. a. de part. an. 9. & Gal. 16. de vsu p. a & Auic. in plerisque locis, videntur statuisse, ossa omnino carere sensu; quod si verum est, procul dubio videntur libera esse ab omni dolore. Et præter autoritates horum autorum ratio adducta est a Fernelio, quæ probat dolorem hunc nunquam fieri in ipsis ossibus, inquit id comprobatum fieri ex sectionibus podagricorum & arthriticorum, in quibus reperiuntur ossa in suo loco permanentia, & sine vllo medio humore. Reperiri a. gypsium, & alios humores extra ossa in partibus illis nerueis & ligamentis; ex qua ratione, & quo exemplo facile colligi potest, in ossibus non fieri hunc dolorem. Ex altera parte est autoritas Aretæi, qui manifesto sermone in cap. de arthrit. videtur sensisse, etiam hos dolores fieri circa ipsa ossa. Nam quærens ille autor, cur sit quod ossa illa interdum sponte doleant, præcisa autem & fracta nunquam doleant, inquit huius mirifici euentus causam soli Deo notam esse, attamen probabilem quandam causam afferri posse, scil. quod vehementer densa contactus sensum nullum habent, & propterea eum non possunt exasperari, & consequenter nullam asperitatem sentiant, fieri vt vel incisa, vel fracta nunquam doleant. Quia autem omnia corpora densa spiritu quodam viuunt, propterea per eundem spiritum & calorem, quendam obscurum sensum habere, ex quo cum in huius caloris essentia fit aliqua intemperantia, afficit etiam secretum illum sensum, & propterea in hac affectione dolere. Ex quo Aretæi discursu facile colligi potest, posse etiam in doloribus articulorum ossa dolere & affici, non a causa externa, sed interna. Sed de hac Aretæi sententia, non est, vt hoc in loco altiorem disputationem habeamus. Nam Arist. a. de par. an. 2. probauit etiam ipse, neruos propterea non sentire, quia præcisi non dolent; quo argumento licet nobis vti aduersus Aretæum, non dolere ossa incisa, quia non sentiunt. In hac controuersia sequor ego hanc sententiam, in articularib. doloribus etiam ossa aliquo pacto dolere, & aliquo pacto affici, verum tamen quia sententia est Hip. vbi plures partes dolent simul semper dolorem minorem obscurari a maiori, idcirco fit, vt cum dolor ossium sit exiguus, dolor neruosarum partium fit insignis, hic ab illo obscuretur, & propterea totus dolor non ossibus, sed neruis atque neruosis partibus adscribatur. Ratio qua adducor ad hanc sententiam amplectendam, est, quoniam in principio dolorum articulorum dolor adest tantum circa neruos & in partibus externis nullos apparet tumor, nulla apparet rubedo, quod signum est, materiam latere circa ipsa ossa. Vbi principium exactum est podagræ, iam incipiunt partes tumere, venæ attolluntur, rubet cutis, non alia ratione, nisi quia materia ab ossibus ad partes nerueas & extimas est transmissa. Secunda ratio, qua adducor vt credam fieri dolores etiam in ossibus, est inflammatio quam vt scribit Galen. 6 aph. 49. fieri in spacijs & cauitatibus articulorum, inde postmodum propagari in tendines & ligamenta, propter quæ cum cauitas & spacia articulorum sint ipsa ossa, videtur consentaneum, ossa in articularibus doloribus affici. Ad argumenta autem, quæ in contrariam partem afferebantur, primo respondendũ est, non esse verum, quod ossa sint prorsus expertia sensu. Imo vero magnus ille Auenz. lib. 1. tr. 9. c. 18. conatus est demonstrare, ossa etiam sentire, & quanquam Galen. Auicen. & Arist. videantur sensisse; ossa carere sensu, est tamen, vt dicit Auenz. hæc sententia ita accipienda, quod carent sensu exquisito, sed habent aliquem obscurum sensum, vt pedes rusticorum, cum nudi terram calcant, non videntur sentire, quia sensus eorum est obscurus, non est tamen negandum quin aliquo modo sentiant. Ita videbitis Arist. vocare eas aues apodas, non quæ prorsus carent pedibus sed quarum pedes sunt admodum parui. Nec valet ratio, ossa idcirco sensu carere, quia nerui ipsis minime inseruntur, quia sic etiam dicere possumus, ossa non nutriri, quia neque venæ, neque arteriæ ipsis insunt: sed quemadmodum nutriuntur propter communicationẽ, quæ ipsis præbetur a venis & arterijs proximis, pari pacto dicendum est ossa sentire propter virtutem ipsis communicatam a neruis, & partibus neruosis, quæ sunt ipsis proximę, quare absolute est affirmandum, ossa sentire, sed sensu obscuro, & propterea in ipsis ossibus fieri dolores articulares. Verumtamen non est ignorandum quod memorię mandauit Aretęus lib. a. de sig. & caus. diut. pass. 12. vbi potissimum scribit, dolores articulorum fundari in spondilib. spinę, maxime vero in osse sacro, in ea parte colli, quę dens vocatur, & in ipsis homeris: quo in loco volo vos cõmonefacere errorem, qui est in Gręco codice, & Latino. Nam vbi habentur dictiones bos, & asinus, certe mulio minus conueniunt in eo loco, quam bos & asinus inter se: sed condonãdus est error ille Paulo crasso, quandoquidem & ipse codicem Gręcum deprauatum habuit. Corrigatis igitur vbi scriptum est, bos & asinus, dens & humerus: nam facilis fuit lapsus dictionis ὀδοῦς in dictionem ὁ βοῦς, & dictionis ὦμος in dictionem ὄνος. Caufę arthritidis alię sunt immediatę, alię mediatę. Immediatę causę internę sunt humores, qui in ipsis articulationibus impacti dum disseparant ligamenta, tendines & neruos, huiusmodi inducunt dolores. Sunt interdum etiam flatus, sed dolores qui fiunt a flatibus nequaquam sunt veri dolores articulares. Ceterum diligenti speculatione dignum est, qui sunt humores, qui sunt causę arthritidis: In huius rei cognitione positus esse videtur cardo totius tractationis. Hipp. in lib. de affect. hanc senten-

An fieri possit i ossibus.

Causæ. Immediata.

tiam habet, dolores articulares fieri a bile & a pituita, quo in loco sub nomine bilis, vt ego semper existimaui, intelligit & bilem flauam & atram. Adstipulatur Hipp. ratio, quoniam cum dolores articulares sint contumaces, procul dubio necessarium est fateri ab humore rebelli & viscido fieri. Humor viscidus, & contumax, est pituita & quicquid sub nomine pituitæ comprehenditur. Verum quia pituita crassa est, ita vt non possit penetrare angustos articulorum meatus, est necesse, vt habeat aliquod vehiculum, vt ad illos perducatur: huiuscemodi vehiculum necessarium est vt tenuis sit substantiæ, cuiusmodi cum sit bilis, consentaneum est rationi ad generandos hos dolores pituitæ copulari bilem. Galen. 10. de med. loc. 2. diuersam aliquo modo Hipp. spectatus est sententiam, cum ibi scribit, causam materialem doloris articularis, vt plurimum esse quidem pituitam, & pituitam bili contmixtam, verumtamen fieri etiam interdum a sanguine, quo in loco pro pituita non pituitam modo propriam intelligit, sed vt ipse esplicat, quemlibet humorem crudum. Galeni sectatores Paulus & Alexand. quos deinde sectatus fuit Auicen. in eam sententiam venerunt, fieri dolores articulares, vt plurimum a bile, & pituita commixtis, quæ fuit sententia Hippoc. sæpe fieri a sanguine, raro a bile sola, rarissime a melancholia pura. Auenz. lib. 2. tract 7. cap. 29. videtur tenuisse, fieri arthritidem ab humoribus viscidis, & crassis. Rhases scribit, hunc affectum plerumque fieri a pituita, sæpe a sanguine, raro a bile, rarissime a melancholia. Et quanquam omnes horum autorum sententiæ videantur aliquo pacto diuersæ, conspirant tamen in hoc, fieri arthritidem a pituita & bile plerumque, quæ fuit sententia Hippocr. Ceterum Fern. lib 6. suæ patholog. vbi loquitur de arthritide, manifeste asseruit, arthritidem neque fieri vnquam a sanguine, neque a bile, neque a melancholia, sed duntaxat a frigido, & pituitoso humore; quæ sententia etiam videtur fuisse Aetij lib. 9. cap. 7. Sed aduertere debetis, Aetij codicem latinum esse deprauatum, & cum ego habeam domi antiquissimum codicem Græcum manuscriptum, inueni errorem latere, quia hæc debet esse sententia Aetij, quod scilicet in omnibus fit arthritis a pituitoso, frigidoque humore. Et quia videbat Fernelius aduersam sibi esse Hippocrat. autoritatem in princip. lib. de humor. & Galen. lib. 10. de med. loc. 8. qui omnes ex colore apparente in doloribus articularibus iudicarunt, diuersos esse humores, qui faciunt hunc morbum, inquit, non ex colore hoc esse iudicandum, quia propter dolorem fiat attractio ad locum affectum & sanguinis & bilis, quæ colore inficiunt diuerso partes affectas, & propter hoc, dicebat Fernelius, non sit existimandum alios esse humores, qui faciunt arthritidem a pituitoso, & seroso. Hanc de materia arthritidis sententiam gloriabatur ille Fernel. se inuenisse sola ratione, & vsu artis. Sed huiusmodi opinio non solum refragatur cunctis fere medicinæ scriptoribus, verumetiam rationi plane & experientiæ videtur mirum in modum aduersari. Rationi quidem, quia vt intellexistis, humor pituitosus natura iners est, neque facile ex sese penetrare potest in anfractus articulorum, quare necessarium est, vt si debet penetrare, aliquod vehiculum habeat, & propterea rationi aduersissimum, tot dolores posse fieri a solo pituitoso humore. Præterea constantissima est omnium sententia, & etiam ratio manifesta, vehementissimos dolores fieri a causa calida, & præsertim eos, qui abeunt & redeunt facilime. Sed dolores articulares sæpe sunt vehementissimi, sæpe abeunt & redeunt faciliter: Quare dicendum est fieri a causa calida, a materia subtili calida, vel sola vel mixta, non autem a frigida sola, qualis est pituita, atque illius serum. Ad hæc experientiæ repugnat, quia si semper fieret arthritis ab humore frigido, semper curanda esset calefacientibus, & exiccantib. medicamentis: Sed hoc est falsum, quia vt clariss. explicatum habetis ab ipso Galen. & ipsa experientia docet, non raro curantur dolores articulares refrigerantibus medicamentis. Neque valet quicquam ratio Fernelij, quod rubor & pallor in locis affectis videntur propter attractionē factam a dolore, quia sæpe videbitis partes rubere, pallidas esse, sine insigni dolore, sæpe item videbitis dolorem adesse vehementem, neque tamen colorem extimum mutare. Quare nihil valet responsio Fernelij aduersus Hippocr. & Galen. authoritates, dicentium, colorem arthriticorum in locis affectis indicium esse humoris dominantis. Est itaque firmiter credendum Hipp & alijs sequacibus hos dolores fieri a pituita plerumque, & a bile, vel æqualiter abundantibus, vel altero ipsorum humorum prędominante: fieri interdum a sanguine, vt docet Gal. Ceterum vt totam hanc materiam exquisite tractatam habeatis, discutiendum est paulo diligentius, quis sit verę locus iste, vbi colligitur materia, & vnde collecta defluit, quę afficit articulos, eoque magis est vobis diligenter discutiendum, quoniam etiam hac in re scriptorum sententias (a nemine forsan disputatas) controuersas inuenietis.

Fern. opin.

Fern. impugnatur.

Magnus Hipp. lib. de loc. in homine, duos locos & modos nobis proponit, in quib. scribit colligi materiam facientem arthritidem: Vnus modus est, quando materia, humor sc. distillans a capite ad partes inferiores, ab omnib. expellitur membris ad ipsos articulos, tanquam ad partes imbecilliores, & minime omnium resistentes. Alterum modum describit Hippocr. quando ex morbo aliquo relinquitur in carne materia morbifica, quę materia cum non possit perspirari, & euacuari per cutem a facultate expulsiua, pręcipitatur in articulos propter morbum debiles redditos. Post Hip. omnes qui de re medica tractarunt, videntur in hanc communem sententiam conuenire. Non vnum esse locum vnde materia corruet in articulos, sed varios & diuersos, modo caput, modo musculos, modo viscera, modo vniuersi corporis ambitum. Hę sunt sententię antiquorum de loco vnde mittitur materia ad articulos.

Locus affectus vere quis.

De modo aūt quo mittitur, & de generatione horū dolorū videtur cōem fuisse oīum sn̄iam, materiam transmissam per neruos in cauitatib. colligi, quę cū sint replerę, deinceps vasa circū-

stantia

stantia distendit, neruos, ligamenta, membranas, musculos: Imo vero interdum propter copiam humorum collectorum, ossa illa articulata dissipari, atque inde cruciatus acerbissimos oriri. Mitti vero vt dixi hanc materiam per venas primo maiores, deinde per minores & capillares, quarum orificia aperta transfundunt humores in ipsos articulos, vbi deinde commixtis humido illi natiuo, quod dixi insertum esse a natura articulis, illud coinquināt, deprauant, & consequenter morbum inducunt. Nam docet Hipp. in lib. de locis in hom. humidum hoc vbi male valet, male habere articulos, vbi bene, bene habere & ipsos articulos. Neque existimandum est, per neruos posse vnquam materiam ad articulos transfundi & præcipitari, quia si hoc fieret, interdum fierent etiam conuulsiones, paralyses, & alia mala neruorum. Cum vero, vt memoriæ tradidit Gal. 6. aph. 49. nunquam visum sit neque in articularibus morbis, neque in podagra, conuulsionem esse subsequutam. Idcirco neque existimandum est per neruos materiam mitti. Hæc itaque est sententia hactenus fere ab omnibus recepta, de loco mandante humores ad articulos, & de modo generationis huius morbi.

Fern. autem vir disertissimus placita veterum deserens, nouam de modo generationis arthritidis, & de loco, vbi materia colligitur, est sectatus sententiam. Lib. n. 6. patholog. c. 8. hanc materiam tractans, duo ante omnia scribit: Primum est, ex ignoratione veri loci, vbi materia colligitur, putatum fuisse, morbum articularem esse incurabilem, & a nonnullis esse vocatum Medicorum opprobrium. Alterum scribit Fernel. falsum esse, materiam efficientem morbi articularis colligi in internis partibus, & ab illis in articulos transmitti. Hoc autem falsum esse conatus est multis rationibus demonstrare. Prima ratio est, fieri nequaquam posse, vt humor vllus synceius a partibus internis, & a visceribus per venas feratur ad articulos. Altera ratio est, quod cum humor syncerus, commixtus maneat in venis sanguini, fieri nequaquam potest, vt ab intimis partibus per ora venarum reserata syncerus humor possit relicto sanguine solus exire. Tertia ratio est quod si humor exiret permixtus sanguini, plane inflammationem pareret in articulis: At experientia perpetuo comprobatum est, in doloribus articulorum non fieri inflammationem; Igitur consentaneum est rationi, inquit Fern. non posse ab internis partibus, neque syncerum humorem exire, neque permixtum sanguini.

Et quia poterat Fernelio quispiam respondere, hos humores nequaquam per venas ferri ad articulos, sed potius extra articulos: respondet hoc nequaquam fieri posse, quia in hydrope anasarca humores feruntur per vniuersum corpus, & per articulos, hydrope autem nequaquam experientia comprobatum est fieri aut arthritidem, aut podagram, aut ischiadem.

Vbi scriptor ille veterum sententiam refutauit, propriam opinionem statuere aggreditur, atque hoc tanquam firmum constituit, materiam efficientem arthritidem nullo alio in loco colligi & a nullo alio loco mandari, nisi a capite. Sed quia capitis duæ sunt partes, alia intra cranium, alia extra cranium, quod intra cranium non colligatur, putat se demonstrare hac ratione, quia materia intra cranium collecta, eijcitur per nares, per palatum, & modo in ventriculum, modo in thoracem delabitur, quasi materia illa nulla alia ratione possit a capite demitti. Sequitur igitur (inquit Fernelius) hanc materiam colligi extra cranium, atque deinde per summam corporis partem, hoc est, subtus extimam cutem decurrere & præcipitari in partes corporis inferiores. Quod autem colligatur hæc materia extra cranium, probat quibusdam signis: primo quia in arthritide capitis adest grauitas, somnolentia, dolor capitis, & præsertim quando capilli nutriuntur: quæ signa, inquit, esse certissima, materiam efficientem arthritidem colligi in ea parte. Hæc scribit Fernel. de loco vbi colligitur materia.

De modo vero generationis arthritidis subiungit, venas multas in iugularibus, in ea parte capitis extima terminari, atque ibi excrementa serosa & pituitosa deponere, quibus excrementis cum neque capilli nutriantur, neque ea possint ea vel per capitis cutem, vel per corporis ambitum dissipari & euacuari, fieri vt cumulata materia, necessario deorsum præcipitetur accepta occasione, vel a frigore externo, vel a calore ambientis, vel a frictionibus vel a percussionibus aliquibus. Et quanquam hæc materia præcipitetur & instar pluuiæ descendat per corpus, nequaquam per spinalem medullam corriuare, quia efficeret paralysin, neque per neruos vel musculos, quia fierent conuulsiones, & aliæ neruorum affectiones: igitur solummodo subtus cutem decurrit: vbi viæ sunt latæ & spaciosæ, ita vt materiæ decurrenti transitum permittant. Cur autem hæc materia potius in articulis firmetur, quam in alijs partibus, inquit esse, quia ceteræ partes latiores sunt & apertæ, ita vt nequaquam retineant humores fluentes, articulos vero angustos esse, & ratione angustiæ in ipsis faciliter retineri humores. Cur modo in vna, modo in alia parte fiant articulares morbi, ait esse propter decubitum, quia prout homines frequentius in hoc vel in illo latere decumbant, sic materiam modo in hoc, modo in illud latus magis delabi. Et quia videbat Fernelius contingere interdum, vt dolores articulares oriantur vel a leui podagra, vel a quadam leui ischiade, inquit idcirco fieri, quoniam materia tenuis, & serosa sua tenacitate & lubricitate præterlapsa corporis alias partes, in extremis tandem firmatur, id quod inquit fieri potissimum in calidis regionibus, in quibus humores sunt tenuiores, cum ea aduerso in frigidis regionib. humores alioquin crassiores, potius in superioribus partib. & proximiorib. firmentur, quam in extremis. Si interdum finito dolore, vnius partis, in altera parte nouus oritur dolor, dicit, id euenit, quia noua materia fiat, quemadmodum, quod fiant tophi & lapides in articulis, & aliæ materiæ duriores, scribit esse, tum quia a natura ipsa partes subtiliores dissipantur & crassiores remanent, tum quia medicamentis calefacientibus administratis

ſtratis, humores in lapidem conuertuntur, cum diſſipentur & exiccētur ſubtiliores partes remaneant craſſiores & terreſtriores. Hæc eſt ſententia Fernelii, & de loco materię collectionis, & de modo generationis arthritidis.

Refutatur opin. Fern.

Sed quia aduerſus hunc virum non eſt nobis agendum ſcriptorum authoritatibus, quandoquidem eas omnes negat, quapropter dimiſſis authoritatibus, quæ infinitæ ſunt, aduerſus ipſum ſolummodo, & aliquib. rationibus & experientia demonſtrabimus hanc ſententiam nequaquā veram eſſe. Quod. n. nō ſemper colligatur hæc materia in capite, prima hęc eſt ratio. Nam ſi origo mali ſemper eſſet in extima corporis parte, ſequeretur, etiam debere ſemper apparere ſigna ab ipſo relsta, & ſymptomata, vel grauitatem capitis, vel ſomnolētiam, vel aliquod aliud huiuſmodi: at experientia comprobatum eſt, eos qui articularibus morbis capiuntur, optime valere capite, naturalem fere habere conſtitutionem, neque offendi ſecundum partes internas, neque externas; imo ſcribit Fernel. ſomnolentiam eſſe ſignum collectionis materiæ. Quæro ab ipſo, ſomnolentia a quibus humoribus efficitur? proculdubio efficitur ab humoribus intra cranium quia ſomnus cū ſit ligamentū ſenſuum, & ſenſus domicilium ſit cerebrum, plane rationi cōſentaneum erit, non humores extra cranium, ſed intra debere efficere ſomnolentiam. Præterea ſi omnis arthritis efficeretur hac ratione, ſequeretur non poſſe eam alia ratione curari niſi per medicamenta capiti adhibita, & exiccantia: ſed dico plerumq; curari dolores articulares ſine remedijs capiti adhibitis. Tertio ſi fierent dolores articulares ex defluxu materiæ, proculdubio deberent interdum perſentiri humores fluentes ſub cute, quemadmodū percipimus flatus pertepātes. Sic etiam deberemus interdum percipere huiuſmodi motum humorum, rariſſimi autem ſunt qui humores excurrentes perſentiant. Vltimo ſi hoc verum eſſet, ſequeretur, vbi arthritis fit humoribus craſſis, debere ſemper prius ſuperiores partes infeſtari quam inferiores: ratio eſt: quia humor craſſus cum facile non deſcendat, nec facile labatur proculdubio facilius ſiſtitur in loco, vnde eſt fluxus, quam in remotioribus. Sed hoc non ſemper vſu probatur.

Experiētia repugnat Fern.

Experientiæ quoque repugnat opinio Fernelii, quia ſæpe videbitis ex morbis diuturnis, & acutis homines fieri arthriticos, & materia, quæ facit morbos acutos, non colligitur in parte cutis extima capitis, ſed eſt in internis partibus. Nam refert Auer. 7. coll. c. 31. ſeipſum factum eſſe arthriticum ex morbo acuto, in quo cum a Medicis male fuiſſet curatus, Natura per criſin humores morbi expulit ad articulos, & præſertim ad pedes, tanquam ad partes infirmiores. Præterea etiam videbitis vt dixi ſæpe podagricos bene valere capite, quod ſi materia faciens podagram a capite dimanaret, deberent vel in ipſo morbo, vel paulo ante morbum, apparere ſigna, quæ non perpetuo apparent.

Quapropter reſolute optimis autoribus exiſtimandum eſt, materiā efficientem arthritidem interdum colligi in capite, tam ſecundum intimam, quam ſecundum extimam partem, interdum etiam colligi in alijs corporis partibus, pręſertim autem in intimis atque visceribus, ſed plerumque in iecore & ventriculo, atque etiam in capite. Ratio eſt, quia vt intellexiſtis, cum materia faciens arthritidem ſit pituita & bilis, locus bilis eſt iecur, locus pituitæ etſi nullus ſit proprius conſtitutus a natura, verumtamen humores crudos & pituitoſos maxima ea parte, ſecundum Hippoc. & Gal. tam in capite quam in ventriculo colligi, perſpectum eſt, qui humores cum efficiantur multis de cauſis, ea propter arthritidis cauſæ internæ immediatæ plures ſunt: in primis autem eſt debilitas articulorum ex ſemine contracta. Nam vt docet Gal ad generandos articulares morbos, debent potiſſimum concurrere, materia fluens, & membri recipientis debilitas, quæ debilitas cum poſſit produci, & frequentiſſime producatur a cauſis externis, producitur tamen interdum a principio interno, hoc eſt, a mala diſpoſitione contracta ex ſemine parentum: ſic dicebat Hipp. in lib. de aer. aq. & loc. fieri podagricos & arthriticos ex podagricis & arthriticis. Sic etiam memoriæ prodidit Gal. 6 aph. 28. vitiatum ſemen parentum poſteros podagricos efficere. Vnde probanda Cæl. Aurel. ſententia, qui in lib. reſponſionum conatur demonſtrare, hanc rem eſſe poſſe.

Cauſa arthritidis. Internæ.

Temperatura quoque inter has cauſas ponitur; hinc eſt, quod qui ſunt humidi, qui corpore robuſto non admodum valent, facile tenentur in articularibus morbis. Sexus etiam & ætas, quandoquidem dicunt Cæl. Aurel. & Aretæus, viros magis quam feminas, infeſtari, mediæ ætatis magis quam pueros & iuuenes. Addit Hippocrates in lib. de affec. magis iuuenes tentari quam ſenes.

Externa.

Inter cauſas externas primum locum obtinet regio, vt eſt relatum a Cælio Aureliano de Caria & Alexandria, in quibus regionibus plures fieri arthriticos experientia comprobatur. Tempus etiam anni, de quo vt ſcriptum habetis apud Hip. 3. aph. 26. ver omnium maxime articulares morbos inducit, ſecundo autumnus, tertio hyems, vltimo æſtas. Inter cauſas dolorum articulorum externas ſunt morbi acuti præcedentes, quemadmodum retulit de ſe ipſo Auerrh. 7. coll. c. 3. Sunt etiam morbi longi, de quibus ſermonem habens Hipp. 7. aph. 63. dicebat in febribus longis morbos articulorum fieri. Euacuationes etiam ſanguinis narium ſuppreſſę, hos dolores inducere ſolent, vt habetis apud Hip. 2. prorrhet. Præter has ſunt etiam alię multę, vinolentia pręſertim & ebrietas. Dicebat Soran. Medicus, Ennium poetam propter vinolentiam perpetuos articulorum ſenſiſſe dolores, cruditates frequentes, venus immodica, immodicus labor, otium conſummatum, percuſſiones, caſus ſunt etiam ex his rebus, quę articulorum dolores faciant, atque hactenus de cauſis huius morbi, de quibus fuſiſſime Aretæus & Gal. Aurelianus.

Signa.

Signa vero indicantia hos affectus, trium ſunt generum, alia indicant incipientem affe-

ctionem

ctione, aliam consummatam, alia prognostica sunt. Incipientis affectionis signa, vt habetur apud Cæl. Aurel. plurima sunt, torpor quidam articulorum, formicationis sensus dum tanguntur, difficultas inter flectendum & distendendum, vbi expergefiunt ægrotantes videntur quasi palpitare, graues sunt, inquietudo quadam percipitur. Ad hæc in quolibet motu, vel minimo laborant horror, tremor & rigor, sine vlla manifesta causa contingunt. Hæc sunt indicia, quæ vbi apparēt in corpore alioquin valente, consueuerunt indicare futuram esse arthritidem.

Incipientis.

Vbi autem perfecta est & consummata, vt docet Hip. lib. de affect. calor & dolor articulos detinent, tumores fiunt in ipsis diu, distorquentur articuli, modo in vnā, modo in alterām partē, apparent tophi & durities, & si comparentur ceteris membris, ea sunt valde extenuata & gracilia. Addit Cælius Aurelianus qui arthritide vexantur, eos fere semper ad iracundiam propensos esse. Miror, qua ratione Hipp. 2. prorrheticorum, vrinas crassas cum alba subsidentia indicare articulorum dolores.

Perfecta.

Nam vt verum fatear, plerūq; videbitis huiusmodi vrinas crassas, quę nullo modo comitentur articulorum dolores: neque ratio vlla hoc mihi persuadere pōt. imo 4. Aph. 74. scribit, quibus timetur abscessus ad articulos, liberari vrina crassa, & alba. Quapropter hæc sunt ea illis; quæ apud aliquos librum istum suspectum reddiderunt.

Iam varo humorum qui malum hoc efficiunt, signa capiuntur a multis prædicamentis, a quantitate, qualitate, motu habere. Nam vbi sanguis facit dolores, solet apparere humor elatus, rubens color, ætas florida, vernum tempus, ratio vitæ antea acta ex rebus boni succi. Hęc omnia signa sunt a sanguine facti mali.

Signa humorum.

A sāgune.

Quod si a bile dolores ortum ducant, minores fiunt, timores, sed calor maior est, maior quoque est color. Color flauus apparet, temperatura biliosa id demonstrat, accessiones fiunt de tertio in tertium, & tandem iuuamentum percipitur ex vsu rerum frigidarum: ætas, tempus anni, vt æstiuum, & ratio victus, es calefacientibus cibis antea acta, idem mōstrare possunt. Sed si fit a pituita, cognoscitur, quia dolor minor erit, color parum mutatus a naturali, tumor ædematosus fit. & si pituita salsa erit, adeſt etiam pruritus, quotidianæ periodi apparent, cognoscitur etiā es temperatura naturali frigida, sexu, vt muliebri, ætate vt senili, ex ratione vitæ otiosæ pituitam gignente.

A bile.

A pituita.

Similiter si ab humore melancholico malum efficiatur, tumor erit nigricans, dolor profundus, grauis, quartanæ exacerbationes.

Sed si plures humores mixti hoc malum inducāt, cognoscuntur, quia huiusmodi omnia signa permixta, erunt prout hic vel ille humor simul mixtus malum efficiet.

Ab humore melancholico.

Est hic morbus, præsertim inueteratus, curatu difficilis. Quanquam Hip. lib. de affect. dicat fieri hunc morbum interdum acutum, interdum longum. Neque solum difficilis est articularis morbus, verumetiam vt testatur Cęlius Aurelianus sæpe solet esse incurabilis, præsertim vero insanabilis est ille, vt dicit Aretæus, qui antiquus & velut hæreditarius est, vt immerito damnati sunt a Cęlio Aureliano, omnes illi, qui existimarunt morbum articularem a natura & proprietate esse incurabilem. Causæ vero propter quas morbi articulares sunt adeo curatu difficiles complures sunt: prima est, quam posuit Hippocrates in lib. de loc. aff. in hom. quam etiam aliās vobis proposui, scil. locorum affectorum conditiones: nam & multitudo ossium, & multitudo neruorum & ligamentorum, quæ partes omnes duræ sunt, malum reddunt contumacius. Altera causa est, quia dolores omnes & morbi vt tollantur, opus habent quiete: ceterum articuli partes sunt, quæ in continuo, & irrequieto sunt motu, propter quod fieri vix potest vt ad sanitatem perueniant. Tertia causa est, quia hic morb. a principio negligitur, vix aliquem inuenietis, qui morbum inchoantem reprimere conetur: vnde fit vt neglectus a principio, postmodum inualescat magis, & fiat contumacior. Quarta & vltima causa quam ponit Aretæus & Lucianus, est, quia omnes a principio, dum incipiunt per varias partes dolores ac torpores percipere, aliud potius accusant, quam morbum ralij dolores existimāt nasci ex calceis strictioribus, alij ex cingulis, alij es aliqua percussione: non desunt qui accusant sellas & strata dura, ita vt cū omnia potius accusent quam domesticum malum, fit vt consequenter medicinas, si quas habent, diuersas & interdum pene contrarias adhibeant. Illę sunt causę cur articulares dolores apud omnes sunt curatu difficiles.

Prognost.

Cur arthritis curatu difficilis.

Est sententia Hipp. quarta in 6. epid. tex. 3. repetita & in fine libr. de humorib. Cuidā dolorib. articularibus vbi intestini dextri dolor superueniebat, fuisse morbum quietiorem, quem locum dum exponeret Galen. postquam aliorum interpretum sententias refutauit, cōcludit apud Hip. nomine intestini dextri intelligi colon intestinum. Cur autem hoc dolore superueniente mitigentur articulares dolores, duas dicit Gal. esse causas. 1. quia vbi eodē tempore partes duę dolent, vt idem dicit Hipp. semper dolor maior obscurat minorem. Altera, quia vbi superuenerit dolor colicus, fit transmutatio materiæ ab articulis ad intestina, propter quod euacuata & translata materia, quæ dolores articulares faciebat, ad alium locū, iure primum malum quietius redditur. Possemos forsan etiam ita interpretari Hipp. vt dicat, illum cui intestinum dolebat, esse factum arthriticum, atque inde leuatum, tum quia facile est materiam ab intestino ad articulos deferri, quod dicit Paul. libr. 3. capitul. 43. factum esse in quadam constitutione sui temporis, & quod experientia quotidiana comprobatur, tum quia vere dicitur leuari, qui es dolore magno, qui est colicus, transit ad minorem, qualis est articularis. Ratio curandi articulares dolores, duos habet scopos, primum remouendi dolorem, alterum autem auferendi

Gal. notatur.

di morbum a quo dependet dolor. Quia autem tollitur morbus, sublatis, quæ ipsum efficiunt, causis; hinc surgit scopus tollendi causas. Et quia causæ sunt, vt intellexistis, materia & aptitudo membri recipiētis, hinc fit vt suboriantur alij scopi, tollendi materiam, & corroborādi partes recipientes. Materia vero cum duplex sit, altera quæ fluit, altera quæ est fluxa, suboriūtur alij scopi intercipiendi materiam fluentem, & euacuandi eam, quæ fluxit. Materia fluxa duplex esse solet, aut dura aut mollis; si sit dura, primo mollienda est, deinde dissipanda: si sit mollis, est vel per dissipationem, vel per aliam euacuationem extrahenda. Ad hos omnes scopos consequēdos tribus generibus operationum solemus vti, diæta, chirurgia, & pharmacia. Quod pertinet ad diætam, debet inter cetera vitari omnis aer humidus, crassus & frigidus, est vero eligendus aer, qui moderate sit siccus, & in actiuis qualitatibus temperatus. Vigiliæ, somnus, si sint immoderata, nocent. Quare prouidēdum est, vt neque multum vigilent, neque nimis dormiant. Omnis animi vehemens passio est vitanda, præsertim vero mæstitia & ira. Abstinendum est a frictionibus corporis, ambulationibus, & omnibus exercitationum generibus, præterquā declinante morbo exercitationes conueniunt; aluus seruanda erit fluida, vel quacunque die, vel alternis diebus. Aliqui laudauerunt Veneris vsum, sed ego sum alterius sententiæ, quia non modo articulos debiliores reddit Venus, sed ad eos magnam humorum copiam perducit. Balnea valde noxia sunt, præsertim balnea ex aquis dulcibus. Dicebat enim Gal. 12. meth. 10. huiusmodi balnea duo efficere, primū scil. vias corporis apperire, & humores colliquare, ac fluxibiliores reddere; quanquam vbi grauior aliquis morbus, aut febris vrgeat, interdum iubet balneis vti, & dolores ijs prouocare, vt ibidem Gale. consulere videtur. De cibis, debet hęc esse perpetua lex, vt vitentur omnes crassi, humidi, duri, & difficilis coctionis, præsertim vero omnium copia est fugienda, panis optime fermentatus conuenit, conditus aniso, coriandris, carnes auicularum omnium, & carnes venationis omnes conueniunt, magisq; assatæ quam elixę. Olera pauca sunt quæ conueniunt præter fęniculum, & petroselinum, quo finxit Homerus Achillem esse vsum ad curandos equos a podagra; aromatum modicus debet esse vsus; ex fructibus conueniunt passulę, amygd. ficus aridę, & nuclei pini. De potu est controuersia, an vinum conueniat. Et quia hęc quęstio est longe ante nos tractata, sentio sic rem esse definiendam. In materia calida, & in principio morbi, nonnunquam nec vllum vini genus conuenit, sed conuenit solum in declinatione. Et hoc est, quod dicebat Auic. vinum non esse dandum, vsq; quo pertrāsierint quatuor tempora morbi. Vbi non debetis Auic. ita intelligere, quasi semper sit expectandus declinationis finis, sed sat est expectare, quousque morbus declinare incipiat. Neq; semper in declinatione conuenit, sed potissimum quando materia frigida fecit morbum. Vbi morbi articulares interdum inducias & interualla faciunt, tunc conuenit vinum flauum, antiquum & subtile, quemadmodum habetis apud Aet. & Rhas. Loco vini conueniūt aquæ diuersæ, vt aqua hordei, præsertim si materia sit calida; vel aqua cocta cum cinnam. coriandris, si materia fuerit frigida. Summatim vero omnis repletio, & omnis cruditas maxime vitanda est in his morbis. Nam relatum est, aliquibus fuisse præscripta omnia bona, & cum coacti essent simplici; & paupere mensa vti, hoc infortunio esse liberatos a morbis articularibus & simile quid narrat de quodam Porphyrius in vita Plotini; tantum potest vitæ temperantia in omnibus morbis, & præsertim in hisce auferendis. Sed oritur dubitatio circa victum, quoniam Galen. 12. meth. cap. 13. scribit victum inflammatis glandulis, & articulis hanc vnam indicationem habere, vt tot atque talia exhibeantur, qualia facilime coquuntur, quoniam quodcūque alimentum accedat, nihil refert, cum eæ partes tantum alimenti capiant, quanto sunt nutriendæ. Respon. contextum Græcum non habere ἄρθρα. i. articulos, sed κῶλα. i. extrema membra, vt etiam antiquus interpres transtulit, nam extremæ partes cum sint ignobilissimę, nec munus vllum commune habeant, non refert quo alimento nutriantur. Vel dicendum, quæ facilime digeruntur etiam attenuantia esse, cuiusmodi victum in primis in arthriticis laudat Gal. in initio lib. de attenuante diæta. Vel melius dicendum est, ibi loqui de inflammatione articulorum, non aūt de ipsa arthritide, quæ citra inflammationem plerumq; infestat, quęq; attenuantē victus rationem postulat. Vbi victus est institutus, in dolore articulorum curando, operę pretiū est attendere, quinam sit dolor, insignis an paruus. Si sit insignis, studendum est ante cetera eum sedare, Imo video Hip. fuisse sniam, ante omnia medicamenta dolores sedare. In pleuritide litigant Medici, cur Hip. ante omnia medicamenta dolorem sedet, & de hac re varij varia dixerunt, sed maior pars ipsorum conuenit in hoc, quod Hip. voluerit localib. in pleuritide tentare naturam morbi, (de qua re melius & fusius suo loco sumus locuti) quia non fuerant versati in doctrina Hip. metiuntur eo in loco regulas Hip. cum deberent obseruare, quid scribat alijs in locis. Et intelligatis Hip. hoc habuit pro constituto dolorem semper esse sedandum, quia ubi dolor vrget aliquā partē, semper fit attractio ad partem dolentem: quapropter iure merito Hip. vt tolleretur attractio, voluit sēper esse sedandū dolorē. Verumenim vero intelligēda est Hip. sententia sano modo, quia ubicūque uult dolorē tollere, in principio utitur tepefactorijs, & refrigerantib. medicamētis: significat aūt apud Hip. tepefactoriū, & frigefactoriū, medicamēta, quæ nō sunt admodū calida, nec admodum frigida. In materia frigida vult utendum esse tepefactorijs, in calidis vult vtendum esse frigefactorijs. Et quod hoc sit uerum, uideatis Hipp. in lib. de aff. internis: & de affection. mandat Hip. omnino abstinendum esse a ualde calefacientibus medicamentis in principio dolorum. His itaque regulis constitutis poteritis iam intelligere, cur Hipp. dolori sedādo ante cetera studium adhibuit. Si dolor fuerit remissus, ita ut neque urgeat ægrum, neque periculū

Curatio. Indicationes.

Victus rat.

An vinum conueniat.

Cur in arthritide dolor ante omnia sedandus.

fit

sit attractionis, dimittendus est dolor, & incumbendum causæ tollendæ.

Anodyna accommodata in principio.

Pro sedando dolore variantur remedia apud Medicos, vel ratione temporis, vel ratione materiæ, vel ratione magnitudinis doloris. Ratione temporis variantur medicamēta, quia in principio dolorum articulorum conueniunt medicamenta vel frigefactoria, vel tepefactoria, vt est ol. ros. album. oui, ol. nenuphar, lac, succus caruli, succus mādragor. succus hyoscyami, oleum cum vino, posca ex Aret. & quæcunque sunt eius generis medicamenta. In augmento mutantur etiam medicamenta ad dolorem, quia nunquam vtendum est more refrigerantis, & repercutientibus, sed refrigerantibus semper sunt commiscenda, quæ moderate discutiant ac dissipent, vt si prædictis admisceatur ol. chamom. hiaceum, crocus, fænugræc. sem. lini. In statu pariter mutantur medicamenta pro dolore, quia hoc tempore omnino auferenda sunt medicamēta repercutientia, & vtendum solummodo discutientibus, sed moderate. quemadmodum præter ol. prędicta est vitellus oui, adeps gallinæ, oleum laurin. ischæmum, farina hordei, farina fabacea, anethum.

In augmento.

In declinatione variantur medicamenta, quia tunc conueniunt omnia, quæ maxime discutiunt, vt est succus coriandri, aloe, myrrha, decoct. furfurum, Aristoloch. baccæ lauri, gentiana, limaciæ contusæ, stercus pulli pauonum, oleum antiquum, nitrum. Hæc est sylua omnium medicamentorum, quæ respectu habito ad tempus conueniunt in doloribus articularibus.

Anodyna in materia frigida.

Variantur similiter hæc medicamenta ratione materiæ, propterea si materia fuerit calida, poterimus vti frigidioribus, vt est papauer, nymphæa, semperuiuum, mandragora: sic dicit Hip. 5. aph. 25. frigidam affusam doloribus articulorum, & podagricis, torpefaciendo modice soluere.

Si materia fuerit frigida, omnino a refrigerantibus est abstinendum, quia materia magis congelatur, & infigitur, vnde melius est vti tepefacientibus.

Narcoticorum vsus.

Ratione magnitudinis doloris variantur medicamenta, quia vbi dolor non admodum magnus est, semper vtendum est medicamentis remissioribus: vbi enim est ita vehemens, vt sustineri minime dolor possit, tunc est ad narcotica medicamenta confugiendum, vt est opium, succus hyoscyami, mandragor. Et aduertite, non solum his in casibus locum esse medicamentis extrinsecis narcoticis, verum etiam sæpe adhibentur medicamenta intrinseca, cuiusmodi est philonium, Requies Nicolai, pilulæ de cynoglossa, quę omnia medicamenta in maximis doloribus adhibentur ad leniendum dolorem. Sed vt tutius in his doloribus possitis vti medicamentis narcoticis, quia sæpe continget vobis vti his, nonnulla sunt notanda. 1. vt nunquam nisi maxime cogamini a valido dolore, cōfugiatis ad narcotica, ratio, quam affert Rhases, quia sæpe ab ipsa natura finiūtur dolores citra vllū periculū. Accedit & illud, quod oīa medicamēta, quę narcotica sunt, venenata sunt. Quapropter vbi vtimur vel intrinsecus, vel extrinsecus, fieri nunquam potest, quin aliquod detrimentum accedat calori natiuo. Alterum est nunquam hæc medicamenta narcotica extrinsece esse applicanda frigida: & ratio est, quia vt memoriæ mandauit Hipp. 5. aph. 18. frigida neruis, & ossibus inimica esse, articuli autem, vt suo loco intellexistis, toti sunt constituti ex neruis & ossibus, nisi tamen adsit inflammatio, quia vbi partes dolentes erunt maxime accensæ, & feruidæ, tunc licet vti medicamentis narcoticis frigidis actu. Et hoc est quod dicit loco iam citato frigidam affusam dolorem soluere, & mediocriter sensum stupefacere. Tertium obseruandum, vt si fieri potest, antequam medicamenta hæc extrinseca adhibeatis, prius semper corpus euacuetis, præsertim si quando vtendum discutientibus: nam nisi hoc fiat, medicamenta discutientia, & calida magis solent trahere ad partem affectam. Video vos dicturos esse, id quod dicis de resoluentibus facile concedimus, sed de repercutientibus quid dicendum, estne necessarium ante vsum ipsorum præmittere euacuationem? Resp. considerandum esse, an materia multa sit, vel pauca, an locus sit profundus, an superficialis; si enim materia multa sit, docet Rhas. & bene nunquam repercutientia loco affecto esse adhibenda sed adhibenda esse supra locum affectum. Verbi gr. si genu doleat vehementer, & materia multa sit, quæ fluat supra coxam, erunt repercutientia adhibenda. Etenim si supra locum affectum adhiberentur, cū non possit tota materia repelli necessario horum medicamentorum opera magis congelatur, & infigitur. Similiter si locus fuerit profundus, non est vtendum repercutiētibus. Ratio est, quia hæc medicamenta repellunt humores in superficie contentos ad profundum, & ob id Galen. 10. de med. loc: (vt suo loco videbitis) in ischiade curanda, improbat vsum omnium repercutiētium. Hæc pro dolore tollendo. Pro causæ vero ablatione, quæ potius dicenda est præseruatio quam curatio, duo sunt scopi: vnus est ex parte materiæ fluentis, & morbum facientis, alius vero est ex parte loci recipientis. A materia indicatio habetur, vt euacuetur; a loco. n. recipiente propter debilitatem, cum debilitas tota posita sit in partis intemperie & laxitate, indicatio hinc habetur attemperandi partem, & corroborandi, Materia euacuatur vel per chirurgiam vel per pharmaciam. Quo ad chirurgiam, si sanguis faciat malum, aut saltem abundet multum in corpore, est omnium communis sententia, statim mittendum esse sanguinem, prius tamen lenita aluo, vt mos est. Quantitas mittendi sanguinem esse ea debet, quę accommodata sit viribus patientis. De loco mittendi sanguinem hoc debet esse constitutum, vt si dolor non sit vehemens, mittatur sanguis a parte sana, in suppressis hæmorrhoidibus vel mensibus a partibus inferioribus; secus autem a superioribus, si morbus sit vniuersalis, ita vt dolor vniuersum corpus infestet. Cæl. Aur. inquit, duo obseruanda esse. 1. est, quod semper eligendus est iste locus, ex quo facilius est sanguinem mittere: vel si non appareat facilitas hęc, inquit Cæl. potius mittendum esse a brachio

Repercutiētium vsus.

chio

Curatio arthritidis a pituitosis humoribus.

chio ſiniſtro, quia homines minus vtantur brachio ſiniſtro quam dextro. Ego etiam ſum huius ſententiæ, quod ubi dolor vniuerſalis ſit, & nihil aliud obſit, debeat mitti ſanguis a vena communi, nimirum dextri brachii, a qua facilius exinanitur vniuerſum corpus, ſed vt negotium chirurgicum abſoluam, ſolet curandis articularibus doloribus controuerſia inter Medicos oriri, an conducat vſpiam cauteria parare. In qua re maxime mihi placet, vt vbi articuli omnes imbecilles ſunt, & doloribus tentantur, de cauteriis nihil eſſe cogitandum, tum quia materiæ impetus a cunctarum partium imbecillitate inuitatur, tum quia periculum eſt, ne vbi figitur cauterium, eo magis tracta materia, detrimentum maius afferat. Ceterum vbi aliquæ tantum partes afficiuntur, in parte ſana, ſiue ſuperiore, ſiue inferiore fieri poteſt, (quod infra fuſius docebo,) vt ſcilicet ab ęgra parte abducatur materiæ curſus. Hippocrates in lib. de affec. inter. laudat cruſtas plures inuſtas ſpatulis; & certe vbi materia, (quemadmodum ſæpe contingit) a parte capitis poſteriore inter carnem & cutem delabitur ad inferiora membra, huiuſmodi vſtiones iuuare poſſunt, nempe quę ad cicatricem productæ, ita eam per totum, duram ac denſam reddunt, vt materiæ defluentis curſum, mirum in modum retardent, ac impediant, quo minus ad articulos coxarum ſaltem, ac pedum feratur. Vbi igitur miſſus eſt ſanguis, vel ſi nullus ſit ſanguinis miſſionis vſus, præparandi ſunt humores; & quia diximus, plerumque fieri hos dolores a pituitoſis humoribus, debent ante cetera iſti humores præparari, ſtœchade, iua, maiorana, calamentho, cichorio, Hyſſopo, vt:

Præparatio.

℞. Fol. iua.
Hyßopi.
Cichorij.
Maioran. M. ß. f. decoct. ſ. a.

Deinde *℞. huius decoct. ℥. iiij.*
Syr. de iua.
De hyſſopo an. ℥. j. Miſc.

Si materia fuerit magis bilioſa, præparatur capil. ven. lactuca, endiu. acetoſ. hordeo. flor. nymphęæ, ſem. communibus, vt:

℞. Fol. acetoſ.
Endiu.
Flor. Nymphaæ. an. M. ß.
Hordei P. ß.
Sem. melon. ℥. ß. f. decoct. ſ. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Syr. de ſucco acetoſæ.
De endiu. an. ℥. j. Miſc.

Si materia fuerint melancholica, præparanda erit fumoterræ, borra. bugl. cuſcu. cetrach, vt:

℞. Fol. ſcabioſæ.
Cuſcutæ.
Fumariæ.
Bugloſſ. an. M. ß. f decoct. ſ. a.
℞. d. d. decoct. ℥. iiij.
Syr. de pomis.
De ſucco borrag. an. ℥. j. Miſc.

Si materia fuerit mixta, miſcendæ ſunt etiam iſtæ intentiones. Imo ſcribit Rhaſes, ſemper miſcenda eſſe medicamenta, quia iſti dolores maiori ex parte oriuntur a materia bilioſa & pituitoſa.

Vomitus.

Vbi ſunt præparati, ſtatim ſunt purgandi. Si vomitus ſit facilis, optimum eſt vomitu purgari, quia fit motus multum cõtrarius motui naturæ & materiæ ad locum affectum. Nam Aretæus etiam in his caſibus laudat helleborum. Vbi vomitus non ſit facilis, per aluum ſunt ducendi humores, ita tamen vt eligatis potius mitiora medicamenta, quam valentiora. Purgabitur pituita pil. cochiis, diacathol. pil. de ſagapen. de Agarico. Exempli gratia.

Purgantia Pituitam.

℞. Pilul. arthreticar. ℈. iiij.
Agar. trochiſ. ℈. j cum melle roſ. ſolut. f. pilul. N. v.

Vel ſi placeret potus, ita poteritis parare.

℞. Agarici præp. infuſ. & expreſſ. ſ. a. ℈. iiij.
Diacathol. ʒ. vj.
Mel. roſ. ſolut. ʒ. ij. cum decocto cordial. f. potus.

Bilem.

Flaua bilis purgabitur pil. de Rhabarb. trochiſc. violar. cum ſcammon. diaphænicone, exempli gratia.

℞ Diaphænic. ʒ. iij.
Troch viol. cum ſcammon. gr. vj.
Flor. caſſ. ʒ. vj. M. f. bolus.

Vel hoc pacto.

℞. Rhabar infuſ & expreſſ. ſ. a. ℈. iiij.
Diaphænic. ʒ iij.
Vt eſt ani aſar. ℥. ij. ß.

Seri caprini opt. depurati q.s.f. potus.

Purgabitur melancholia pilul. de lapide lazuli, pil. cochijs cum hellebero, vel hoc medicamento. *Melancholiam.*

℞. Fol. epithymi.
Sena an. ℥.j.
Cort rad. hellebor. nigr. ℈.iiij.
Myrobal. nigr. ℈.v.
Flor. cordial. P.j.f. decoct. f.a.

Deinde *℞. d.d. ℥.iiij.*
Conf. hamech. ℥.iij.
Syr. violar. solut. ℥.ij. M.f. potus.

Vbi sic purgati fuerint humores, quia semper aliquæ remanent reliquiæ, sunt illæ penitus extinguendæ duobus modis, vel aliquibus confectionibus, vt theriaca, diaspolitico, diagalanga: soleo ego vti hac: *Reliquias dissipantia.*

℞. Spec. diaspol. ℥.j.
Iua. ℈.ij.
Theriaca opt. ℥.j.ß.
Sacchari boraginati ℥.ij. Misce.

Huius confectionis capitur singula vice ℥.v. vel ℥.j. quatuor horis ante cibum. Alter modus est per medicamenta diuretica. Dicebat enim Hippocrat. 4. aphor. 75. quod quibus ad articulos futurus est abscessus, si vrina multa & crassa exeat, liberantur ab abscessu. Ex quo Hippocr. loco colligitur, expurgationem factam per abscessum magnopere conducere ad hos finiendos affectus. Igitur vbi materia erit frigida, vtendum erit diureticis calidioribus, vt est manna, nardus, radix asparagi, rad. chamæpit. chamæpytheos. Vbi autem materia fuerit calida, est vtendum tepidioribus diureticis, vt sunt omnia sem. frigida, capil. vene. apium. Sunt præter hæc remedia quæ a proprietate existimantur conuenire ad destruendos hos dolores, vt sunt omnia ossa humana. Intellexistis altas ab Auer. partes a partibus similitudine quadam iuuari. Sic ranæ etiam alligatæ & in vnguentum redactæ, dicuntur maxime prodesse. Brassica etiam commendata est apud Oribas. Vtor ego hoc vnguento. *Diuretica.* *A proprietate conferentia.*

℞. Ol. rosar complet. in quo rana euiscerata sunt cocta, lib.ß.
Pul. ossium hum combust.
Pul. iua an ℥.ij.
Ceræ q.s. Misc. f. vnguentum.

Sunt multa alia remedia apud diuersos scriptores, de quibus non est facta mentio. Nã vt scribit Aretæus, ea est natura morborum articularium, vt vrgeant homines sponte inuenire propria remedia, adeo vt quisque habeat proprium remedium morborum horum.

Solent post longos dolores remanere durities & tophi in ipsis articulis, quæ tametsi dixerit Gal. incurabilia esse, verumtamen solent etiam Medici curationem huius affectus moliri, vt si prorsus non tollatur morbus, saltem mitigetur. In his itaque mitigandis duo sunt modi. Primus est, vt emolliatur durities, deinde dissipetur. Alter modus est, vt materia extrahatur vi ignis. Primo igitur, vbi vos aggrediemini curationem, studendum erit, vt omni ingenio emolliatis, primo emollientibus mitioribus, deinde grauioribus. Inter ea quæ emolliunt leniter, est aqua, in qua sit abluta lana sordida, huiuscemodi aqua calente abluantur tophi. Fiunt etiam decocta emollientia, vt est decoctum paratum ex cap. castrati, rad. maluauisci, malua, lapathio. Hæc omnia in debita quantitate coquantur, & illo decocto foueantur tophi. In vsu etiam sunt variæ pinguedines, vt gallinæ, anseris, vrsi, medull. cruris vitulini, ol. sem. lini. Ex his omnibus, vel pluribus simul commixtis parantur linimenta, quæ tophis illita possunt emollire ipsorum duritiem. Fiunt etiam cerota efficaciora, vt est istud. *Curatio tophorum in articulis.* *Emollictia.*

℞. Sagapeni. *Cerotum emolliens.*
Galbani.
Terebinth.
Asphalti.
Myrrhæ.
Bdellij.
Castorei.
Colophon.
Picis liquida.
Resinæ.
Ceræ albæ.
Mumiæ an. q.s.f.a. f. cerotum.

Hoc cerotum detinetur super tophos. Præter hæc remedia emollientia habemus in vsu lutum: lutum enim cum repletum sit bitumine, & terræ pinguedine, facultatem habet emolliendi. Vbi apparet longo tempore partem emollitam esse, adhibentur medicamenta discutientia, quæ medicamenta partim intus, partim extra administrantur. Intus in vsu est decoctum salsæparillæ & ligni sancti, cui miscentur herbæ & medicamenta articulos respicientia. Et vt habeatis exemplum, poteritis vti ad has durities hoc decocto: *Discutientia.* *Formula decocti ex ligno.*

℞. Lign.

℞. Lign. S. lmati ℥. vj.
Cort. ligni.
Salsa parillia an. ℥. ij.
Infundantur lignum & cortex per 24. hor. & salsa per 12. hor. in 10. libris aq. communis, deinde bulliant omnia ad consumpt. med. & in fine ponantur ad bulliendum in sacculo hac:
℞. Fol. iuæ arthritica.
Beton.
Stachad. an. M. j. ß. deinde colentur omnia, & seruetur decoctum pro syrupo, cuius mane & vesperi accipiantur ℥. viij.
Item *℞. idem lignum, & salsam.*
Aq. communis lib. xv. bulliant ad consump. quarta partis, & in fine addatur ad bolliendum hordei M. j. deinde colentur pro potu quotidiano.

Pilulæ probata. Soleo ante syrupum exhibere quasdam pilulas, quas probatas habeo ad quant. ℈. ij. singula vice, Sunt autem pilulæ hæ:

℞. Salis theriacalis ℥. vj.
Iua arthritic.
Pulu oss. lupi an. ʒ. iij. misce omnia & cum oxymel. squilit. formentur pilulæ.

Et quia præcipua intentio est hisce medicamentis discutiendi & dissipandi, optimum est, vt hoc decoctum accipiatur in stuffa, vbi possunt ægrotantes sudare. Vsus etiam theriacæ & mithridacij confert ad has discutiendas durities.

Extrinseca conuenientia. Extrinsecus conueniunt primo balnea discutientium aquatum & calefacientium, vt balnea Aponensia: conueniunt varia olea, vt est oleum myrtinum, anethinum, ol. de euphorb. ol. anitorum, caryophy. ol. ligni sancti, hæc omnia & per se sola, & simul commixta, magnopere solent discutere huiusmodi tophos. Sunt & cerata quæ id facere possunt, vt est ceratum sacrum Gal. ceratum de betonica.

Emplasma discutiens. Soleo ego vti & hoc emplasmate.

℞. Ammoniaci aceto dissoluti.
Bdellij.
Styrac. liquid. an. ℥. j. ß.
Pyrethri.
Faenugreci.
Castorei an. ʒ. iiij.
Euphorb.
Piperis albi an. ʒ ij.
Ol. irini q. s. ad dissoluenda gummata, & cum ficubus aridis f. emplastrum, quod diu supra tophos retentum, mirifice solet discutere.

Habetis etiam illud Galen. de quo sermonem habet lib. a. de simpl. med. facult. ex caseo antiquo, & ex brodio cruris porci saliti, cui etiam interdum adiungitur nasturtium. Et hæc medicamenta non solum discutiunt, verumetiam, vti ibi testatur Gal. attenuant durities, & educunt materias. *Suffumigatio discutiēs.* Discutit quoque suffumigatio facta ex aceto consperso supra lapidem pyritem ignitum. *Luta.* Sed præ ceteris duo sunt remedia, maxime efficacia ad dissoluendas has durities, lutum in primis, quale est lutum in hoc agro S. Petri, & S. Helenæ, hæc luta valde dissipant & exiccant, lutum D. Barthol. valde emollit. *Fouea.* Præter lutum sunt etiam foueæ calentes, in quibus imponuntur ægrotantes, a quibus facultate calorifica antri euocantur sudores mirifice, & per sudores discutiuntur tophi, & nodi, cuiuscemodi est lutum apud Neapolin, Myrtaeũ vocatum a Celso & ab Horatio. Etenim veteres ad illud mittebant arthriticos, & sæpe curabantur.

Cauteriorũ vsus. Vbi hæc remedia non prosint, quid agendum est? statim ad alterum modum extrahendi materiam, scilicet ad cauteria est deueniendum. Circa quę cauteria quatuor vos docebo, an conueniant, quando conueniant, vbi, & quomodo.

Cauterium quid. Est autem cauterium nihil aliud, nisi vstio facta in parte, vel a medicamentis facultate vstoria præditis, vel ab igne candente. Conuenire huiuscemodi remedia & veterum autoritas & ratio maxime persuadent. Habetis enim Hippoc. 6. aph. in 60. aph. Quibuscunque in ischiade os excidit, vbi manifeste monstrat, non solum conuenire ignem in articularibus doloribus, verũ etiam vtilissimum esse in alijs plerisque locis, ut in lib. de morb. & affect. internis, mirifice extollit vsum ignis in his morbis. Post Hippoc. habetis Aetium, omnes Arabes, Cæl. Aurel. qui communi quodam consensu ad tollendas durities articulorum, ad ignem confugiebant, tanquam ad sacrum remedium.

Ratio etiam persuadet, hoc remedium esse accommodatum, quia siue sit materia in fluxu, siue sit in fine, materiam fluentem ignis efficacissime coercet, efficacissime etiam consumit ac dissipat materiam iam fluxam, ita vt non solum authoritate veterum, verumetiam ratione, cauteria in his affectionibus sint comprobanda.

Quando agẽdum. Tempus autem vtendi his remedijs est, post tentata omnia remedia alia, vel quando materia ita magno impetu influit, aut ita crassa viscida, ac terrea est facta, vt nulla alia spes superstit elidendi ipsam, nisi igne consumente. Tempus etiam vtendi est, quando articuli sæpe excidunt propter fluxum materiæ. Nam ut dicit Hipp. loco nuper citato, nisi vrantur, necessario claudicant. Quamobrem confugiendum est in his ad huiuscemodi remedium.

Locus

Vbi agendum.

Locus vrendi non vnus est, sed varij ac diuersi sint, prout diuersæ etiam sunt partes quæ obsessæ fuerunt hoc malo. Est tamen quædam methodus, nam si materia fluit a partibus superioribus, tunc cauteria sunt facienda paulo supra partem affectam, spacio septem digitorum, aut etiam infra partem, non enim bonum est vrere partem affectam, quia periculum est in vrēdo, vt materia quæ alioquin præcipitatur a partibus superioribus, ad ipsam maiori impetu delabatur. Ratio autem, cur potius supra aut infra est, quia fit infra, quando timentur partes superiores, exempli gratia, si in dolore humeri, vel in dolore ceruicis necessarium esset cauteria administrare, si supra partem affectam placeat cauterium ponere, cum locus ille proximus sit neruorum principio, periculum fit conuulsionis, ea propter fiunt cauteria subtus locum affectum, Si vero affectus sit paulo infra, ita vt possumus vrere citra periculum læsionis nuchæ, tunc potius supra facienda sunt cauteria: & ratio est, quoniam magis & felicius intercipitur cursus materiæ fluentis, quam per cauteria inferius. Hoc autem agendum est, quando materia est in fluxu. Sed si materia sit firmata & nihil amplius fluat, tunc melius est cauterijs vti supra ipsum locum affectum.

Quomodo agendum.

Modi cauteria efficiendi varij sunt, prout variæ sunt & diuersæ partes affectæ. Vbi dorsum & lumbi sunt male affecti, docet Albuc. tres lineas transuersales atramento ducendas esse, supra locum affectum, atque in singula linea facienda esse cauteria ferro acuto candente, vel plura etiam, modo æger sustinere possit Neque miremini tot cauteria facere Albucasin, quia Hipp. in lib. de affect. inter. etiam vsque ad 40. & 50. vstiones facit in ischiade, & podagra.

Modi vrendi.

Qui modi sint vrendi, docebimus suo loco. Illud placet nunc monere, diuersos modos esse quibus fiunt vstiones, est in primis ferrum ardens, vel aurum, vel argentum. Sed quia huiusce modi ignis solet esse acerbior, & magis ægros cruciare, veteres vtebantur alia materia. Vtebatur enim Hippocr. in primis lino crudo: pro lino crudo debetis intelligere caules lini antequam macerentur, aut funem illum quo bumbardis accenditur ignis. Nam accipiebant veteres huiusmodi caules secundum longitudinem 4. vel 5 digitorum, deinde ponebant linum, ita per longum super locum affectum, post modum in summitate accendebant, ille caulis paulatim accendebatur, vsquequo etiam in extremo accensus carnem vrebat. Et notate rationem veterum: hoc faciebant, quia dum paulatim accendebatur ille caulis, pars assuefiebat persentire calorem, & vstionem, ita vt quando postmodum vere pars vrebatur, minorem cruciatum sentirent.

Lino crudo.

Fungis.

Idem etiam faciebant fungis, accipiebant fungos exiccatos, & ponebant supra partem affectam, & a summo accendebant & detinebant, vsquequo totus fungus combustus, combureret etiam & partem: Habebant etiam in vsu sal, & oleum, cingebant enim partem affectam circulo ex pasta, deinde implebant illum circulum sale vel oleo, postremo igne candente liquefaciebant sal, & oleum calefaciebant, deinde immittebant ferrum ignitum. Hi omnes modi vrendi apud scriptores veteres, nominantur a Cæl. Aurel. verumtamen pauci sunt qui sciant declarare, quomodo Hipp. vteret fungo & lino crudo.

Sale, oleo.

Vlcus apertum detinētia.

Alterum etiam animaduertendum est, vbi facta sunt hæc, parum prodesse, nisi diu aperta teneantur, & vt aperta maneant, vtimur primo mollientibus, & putrefaciētibus, cuiusmodi sunt pinguedines gallinæ, butyrum. Quia vero interdum contingit, vt cito consolidentur, ne consolidentur ante tempus, solent hæc vlcera helleboro nigro, sapone aspero, flore æris & sale fricari. Puluerizantur hæc omnia & apponuntur vlceribus, qui pulueres irritant vlcus, & efficiunt vt diu apertum maneat. Atque hactenus dictum sit de morbo articulari.

CAPVT II.

De Ischiade.

ETsi tractatio de morbis articularibus hactenus a nobis indicata, omnibus speciebus accommodari possit, propter vtilitatem tamen vestram, & vt semitas antiquorum sequamur, de duabus articulorum dolorum speciebus mentionem faciam, de ischiade scilicet, & podagra, quia videbitis plerumque Gal. distinguere podagram a morbo articulari. De ischiade sermonem primo habēs, incipiam a nomine.

De nomine.

Appellatur hic morbus dolor coxendicus, accepto nomine, vt docet Galen. 2. meth. ab ipsa parte affecta. Græci autem scriptores vocant ischiada, ischiaticum morbum, & ægrotantes appellant ischiaticos. Hipp. 6. epid. com. 5. tex. 22. & alibi sæpe appellat dolores coxendicos ea fluxione materiæ prouenientes, œdemata, quo nomine vt docet Galen. in expos. linguar. vsus est etiam pro omni articulari dolore: Latini Græcos sequuti vocant ischiaticos, sicut alij appellant coxarios; barbaram sectantes medicinam appellant sciaticam. Qui morbus nihil aliud est, nisi dolor quidam acerbus ex defluxu materiæ ad articulum coxæ. Vnde perspicuum esse potest hunc dolorem, vt & alia symptomata, esse in genere actionis tactoriæ deprauatæ, quod symptoma ab ijsdem etiam principijs proficiscitur, a quibus & ceteri articulares dolores, nimirum a solutione continui, a mala complexione, & a morbo in mala conformatione in via, siquidem cauitas & locus coxæ, qui debet esse expeditus, plenus est aliena materia.

Locus affectus.

Locus affectus.

Locus affectus secundum Cæl. Aurelian. est periosteon, & caput musculi: sed puto ego locũ affectum esse omnes partes constituentes articulum ipsum; quia tametsi neque nerui, neq; tendines, neque ligamenta interdum sint affecta, semper tamen ceteris partibus aliquo pacto coafficiuntur. Causæ ischiadis internæ & immediatæ sunt illæ, quas monstrauimus efficere morbos articulares, in primis vero est materia pituitosa & biliosa; secundo loco sanguinea; vltimo melancholia.

Causæ internæ immediatæ.

Materia pituitosa interdum colligitur ex ipsa parte, sed quemadmodum habetis apud Hippocr. in lib. de glandulis, plerumque pituita quæ facit dolorem ischiaticum, a capite defluit per spinalem medullam, a spinali medulla ad os sacrum, ab osse sacro ad ipsam coxam. Bilis semper mittitur a iecinore, nullus enim est locus alius, qui mittat bilem ad locum affectum, præter iecur. Sanguis mittitur a toto corporis ambitu, præsertim autem mittitur & ipse a iecore. Humor melancholicus a duobus locis subministratur coxæ. 1. a liene, deinde ab hæmorrhoidibus.

Externæ.

Externæ causæ sunt omnes illæ quæ faciunt articulares morbos, sunt tamẽ & aliæ magis peculiares huic morbo quam ceteris, in primis est equitatio, quę inter omnes corporis motus maxime ad generationem huius morbi conspirat, & habetis apud Hipp. lib. de aer. aq. & loc. vbi inquit, Scythas propter frequentem equitationem fuisse obnoxios huic morbo: sic nimia venus obambulatio in clunium, aluus suppressa, hęmorrhoides suppressæ, suppressi menses, cubatio super terram, perfrigeratio, casus, ponderis alicuius grauis eleuatio, potissimum vero, vt inquit Cælius, ex longis morbis vis pestifera solet coxas exercere.

Cur ex longis morbis fiat hic affectus.

Sed dicetis, quæ est ratio, vt ex longis morbis fiat ischias? duplex est, primo propter decubitum, quandoquidem qui longo tempore decumbunt, cum super hanc partem plerumque iaceant, necessario illam partem labefactant, & proinde facile ad eam humores defluunt. Alia causa est exiccatio, vt nostis, tametsi in diuturnis morbis crudi humores efficiantur, humiditates tamen natiuæ consumuntur, ea propter consumitur etiam illa humiditas natiua, quæ est insita articulo coxæ a natura, propter faciliorem coxæ flexionem, quæ exiccata quacunque flexione coxæ dolent.

Addidit Rabbi Moyses, longam moram sub sole, & in locis calidis efficere coxendicum dolorem. Quæ fuit etiam Hippocratis sententia in libro de int. affect. Cur mora sub sole & in locis calidis faciat hunc dolorem, explicat Rabbi, esse exsiccationem.

Ego autem existimo esse potius colliquationem humorum. Quia quicunque stant erecti; aut etiam sedent, plane laborant secundum coxas, qui sunt sub sole, & locis calidis, incalescunt secundum corpus, ob caliditatem colliquantur humores, colliquati fluunt ad coxarum articulos, tanquam ad debiliores partes.

Cur autũno potius fiat.

Refertur etiam intra causas externas tempus anni. Docet autem Hippocrates 3. aph. 22. Autumno maxime fieri dolores coxendicos. Sed dicet aliquis vestrum, cur nõ potius gignitur hic morbus tempore hyemis, & cur potius autumno, cum eo tempore abundet solum melancholicus humor, a quo minime omnium fieri articulares dolores compertum est? Dico non fieri in hyeme, quia etsi tum temporis maximus sit pituitæ prouentus, illa tamen pituita congelata, est iners, & pigra, propter quod non facile mouetur de loco ad locum: pituita vero quæ facit dolores coxendicos, debet esse vt vocat Hippocrates libro de inter. affect. epidemica, vagabunda, hoc est facile moueatur: itaque hac ratione non fit ischias in hyeme.

Quod fiat tempore autumni, Galenus in comm. duobus tribuit, prauitati humorum, atque etiam refrigerationi. Sed si mihi liceat libere loqui; non video, cur autumni tempore potius decumbere debeant praui humores in coxas, quam in alias partes: neque causam video, cur humores coxæ ita perfrigerentur, vt ratione perfrigerationis debeant sustinere hunc affectum. Accedit etiam & aliud quod vt habetis apud Theophrast. 6. de hist. plantarum, alui fluunt propter esum fructuum, vbi alui fluunt, haud facile fiunt coxendici dolores. Quapropter cum rationes Galeni non videantur mihi admodum accommodatæ, dicerem ego, hanc Hippocratis sententiam ex ijs esse, quæ prolatæ sunt secundum experientiam: vos qui versamini in Hippoc. multa videbitis quæ nulla ratione constant, sed experientia tantum: & forsan hoc probauit in suis regionibus fieri autumno coxendicos dolores, quia alioquin neque rei ipsius natura, neque Gal. rationes id probant, imo vero dixit Hipp. eodem loco, articulares morbos fieri vere, & rationabiliter, quia tunc fluunt humores. Vnde cum ischias sit morbus articularis, deberet potius vagari vere quam autumno.

Signa.

Cognoscitur hic morbus præcipue ex relatione ęgrotantis qui & locum affectum, & speciẽ doloris solus indicare potest Medico. Nam hoc habet peculiare iste dolor, quod in profundo articulo percipitur, & dolor & calor, qui pertingit non modo ad ipsam coxam, sed etiam ad genua, & crura interdum, propter quod Gal. vel author ille lib. definit. med. definiens ischiadem, dicebat esse morbum & dolorem coxæ validum, pertingentem vsque ad poplitem & crura, adest torpor in sedendo, difficultas in iacendo, claudicant qui ischiade laborant, & durante malo non solum coxa emaciatur, verumetiam efficitur breuior. Interdum dolent inguina, supprimitur vrina, & in mingendo non modica percipitur difficultas.

Causæ externæ & procatarcticæ cognoscuntur vel ex sola ęgrotantis, vel adstantium relatione. Causæ autem internæ non ita facile cognoscuntur colore, quia vt docet Hippocrates 1. de humor. cognoscuntur quidem humores colore, modo sint in superficie, & modo non recesserint intro.

Signa causarum internarum.

Humores autem efficientes ischiadem, non sunt in superficie, sed in parte profundissima, quo fit vt facile ipso colore dignosci non possint.

Cogno-

Cognoscuntur autem species doloris remedijs, ætate, habitu, & reliquis: quia si dolor sit grauis, modicus, si frigus potius percipiatur, atque ætas sit senilis, sexus muliebris, vita otiosa, temperatura phlegmatica, syndrome hæc signorum facit, vt intelligatur morbum oriri a pituita vel melancholia: si æger fuerit melancholicus, & habitu, & morbis anteactis. Ex aduerso si dolor sit magnus, calor percipiatur in parte, si iuuant refrigerantia, atque etiam exercitia & ætas, labor vitæ, & corporis temperatura consentiant, clarissimum erit, malum fieri vel a sanguine vel a bile. Discernetur sanguis a bile, quia qui fit a bile dolor, magis pungitiuus est, non ita pertinax.

Progn. Morbum hunc curatu esse difficilem in homine, scripsit Corn. Cels. lib. 4. cap. 22. Sed video vos dubitare, cur iste bonus author dicat, in homine, puto ego illum virum non addidisse illud verbum absque ratione.

Scripserat enim Celsus de medicina brutorum, & propterea cum obseruasset in brutis aut non fieri hunc morbum, aut alterius generis esse, ea propter addidit in homine esse difficilẽ. Et quod hoc sit verum, attendatis sententiam Arist. 2. de historia animalium 1. & Galen. 3. de vsu par. 1. Scribit enim Aristoteles bruta cum non sedeant super coxas esse ἀίσχια, hoc est, sine coxis. Quid vult dicere sine coxis? Vult dicere Aristoteles coxas brutorum esse prominentes, & extimas, neque ita articulatas esse quemadmodum articulatæ sunt coxæ hominum, propter quod cum hæc pars in brutis sit posita in summo, neque sit adeo articulata vt in homine, iure fit, vt parum exerceantur a dolore, & vbi exercentur facile curentur, quemadmodum ex aduerso, cum homines sedeant super illam partem, & hic articulus sit admodum positus in profundo, atque carne multa & tẽdinibus circumseptus, vbi materia, & humor eam partem occupat, non facile eliditur, neque facile vis medicamenti eo pertingere potest.

Bruta sine coxis quomodo intelligẽdum.

Dicebat Hippocrat. 6. aph. 19 & 66. quod quibuscunque ab ischiadicis doloribus vexatis coxa excidit & recidit, hisque macies superueniat, claudi fiunt & crus contabescit, nisi curantur. Idem quoque in fine lib. prorrhet. hanc sententiam nobis reliquit, morbum ischiadicum omnium maxime diuturnum in ijs seniorib. fieri, quorum aluus est adstricta, & quorum lumbi ac crura vehementer perfrigerantur, & vehemẽter torquentur. Addidit etiam eos diutius torqueri coxendicum dolore, qui pudenda arrigere nõ possunt: vos rationem peruestigetis: in iuuenibus autem inquit Hipp. breuiorem esse morbum, & ad summũ 40. diebus fieri. Et hoc in loco illud non est ignorandum, Gal. dixisse 10. de med. loc. arthritidem esse incurabilem, in qua fiunt tophi ac durities: quam sententiam Altomarus existimauit cõuenire etiam ischiadi, quasi Gal. voluerit dicere, etiam eam ischiadem esse incurabilem, in qua facti sunt tophi & durities. Sed sum alterius sententiæ, non posse Gal. eam proferre de ischiade: ratio est, quia in ischiade nunquam fiunt tophi, neque lapides, neque magnæ durities. Hoc autem demonstro & authoritate, & ratione, Rhases libro suo de iuncturis scribit, se diligenter obseruasse, & nunquam vidisse aut tophum, aut insignem duritiem in dolore coxendico. Adest & ratio vna allata a Nicolao Florentino, alias me.

Adfert rationem Nicolaus, quod huiuscemodi articulus sit in parte profunda, vbi non facile penetrant huiusmodi humores.

Addidit etiam, articulum coxæ amplum & spaciosum esse, propter quod non facile conglobatur & colligitur ibi materia. Addo ego huiuscemodi articulum duo habere, quæ iure obstant indurationi materiæ. 1. est, quod positus est in parte calidiori quam alij articuli pedum, vel manuum, vel genuum. Congelatio materiæ, vt intellexistis, efficitur propter frigiditatem partis, & propter exsiccationem factam a medicamentis. Cum itaque hæc pars sit calidior reliquis, & ad ipsam non facile perueniant medicamenta, iure merito non ita in ipso humores consolidescũt & indurantur. Habet, & aliud, quod siue stent siue iaceant ægrotantes, quantumcunque sit affectus iste articulus, semper aliquo pacto mouetur, vnde cum motus iste colliquet materiam, & impediat durationem, summa cum ratione fit, vt in hac parte neque lapides concrescant, neque tophi, quare non est incurabilis iste morb. hac ratione vt putauit Altomarus, sed quia vbicunque perdurat hic dolor, vt docet Hippoc. luxatur hæc pars, luxatio autem coxæ, vt habetis apud Galen. 16. de vsu part. aut est incurabilis, aut nunquã remittitur os coxæ cum excidit, aut quam rarissime: & ideo sapientissimus dixit Hipp. necessario claudicare, quando excidit aut recedit os coxæ.

Sed dicetis: si Hip. dicit os coxæ excidere, & recidere, signum est quod luxatio illa remittitur. Dico Hip. loqui de imperfecta luxatione, quia vbi illius partis facta est perfecta luxatio, nunquã aut quam rarissime remittitur ex Gal. sententia.

Curatio. Indicationes. In curatione ischiadis ijdem prope scopi habentur, quos monstraui haberi in alijs articularibus doloribus curandis, in primis vero circa victus rationem maxime confert non solum habere rationem aeris, verumetiam animum esse lætum, hoc est, quod memoriæ mandatum fuit, Hysmeniam Thebanum consueuisse ischiadicos curare cantilenis & musica, quia scilicet maxime confert ad retardandos & mitigandos cruciatus esse animo læto. Exercitatio corporis commoda est præsertim morbo iam declinante. De equitatione dubium esse posset, an conueniat. Hippoc. in libro de aer. aq. & loc. docet: frequentes equitationes dolores coxendicos efficere, cuius sententiæ fuit Cæl. Aurelian. Ex alia parte Plio, Themison & Theodorus vehementer probant equitationem. Definienda est hæc quæstio, quod purgato corpore, & declinante morbo, commoda est equitatio, in principio autẽ damnosa, & inutilis. Aluus, si in vllo morbo

An equitatio conueniat.

liquida est seruanda, maxime in ischiade, quia scriptum est ab Hipp. dysenteriam superuenire ischiadi maxime prodesse. Quamobrem vbi aluus est dura, tunc lenienda est, aut medicamentis aliquibus familiaribus, aut clysterib. acrioribus. Cibi esse debent faciles coctu, tenues & potius ieiunare iuuat, quam repleri nimis cibis. De vino dubium esse potest Hipp. ad lib. de affe. inter. vbi ischias facta est a sole, concedit vinum album & aquosum, vbi facta est a bile, etiam dulce vinum conceditur. In sanguinea ischiade non dicit esse dandum vinum, nisi valde aquosum. Omnes fere alij scriptores videntur maxime improbare vsum vini, quia est velut quoddam vehiculum, quo humores praecipitantur, & dimittuntur ad affectum locum. Dicendum est hac in re, quod alias dixi, authores librorum, qui sub nomine Hipp. scribuntur, admodum negligentes fuisse in assignando motu morborum: imo ipse Hippoc. 1. lib de acut. scriptum reliquit, Cnidios Medicos de ratione victus nihil memorię dignum reliquisse: quo fit vt ego saepe existimauerim, libros qui sub nomine Hipp. sunt vulgati, editos esse a Medicis Cnidijs, quia si vos versabimini in ijs legendis, facile patebit vobis, rationem victus in morbis esse indignam veris Medicis. Itaque statuendum est, vinum non conuenire, & authoritatem illam Hippoc. de aff. inter. non esse magnifaciendam. Loco vini conuenit aqua decocta, vel cinnamomo, vel coriandro: Soleo ego concedere vinum granatorum, quia cohibet humores desluentes ad locos affectos.

Num vinũ conueniat.

Venæ sect.

Instituto victu, ad aliam curationem est transeundum, & ante cetera vt docuit Gal. inchoanda est curatio a sectione venae. Sed de sectione venae sunt nonnulla consideranda, nam vbi corpus plethoricum est, & vbi humores qui abundant, & malum faciunt, sunt sanguine permixti, semper inchoanda est curatio a sanguinis missione, primo tamen lenita aluo, vel clysteribus vel medicamento lenienti.

De loco missionis sanguinis potest esse aliqua controuersia. Hipp. in loco nuper citato, scribit, si morbus sit a sanguine factus, secandas esse venas poplitis. Aristot. 3. histor. ani. 3. ex sententia Polybi scribit, consuetum extitisse vt in ischiade vena poplitis secaretur, aut vena malleoli. Et notate locum citatum ex Polybo esse in parte illa spuria Hip. quae adiuncta est fini lib. de nat. hum. Vnde etiam potest certissimum colligere argumentum, ea scripta esse Polybi, non Hipp. quia Polybi recensentur ab Arist. Melior autem solutio circa sectionem venae est, quam attulit Galen. 10. de med. loc. scilicet in secanda vena primo videndum esse, an sit plenitudo in corpore necne: si sit, primo secanda est vena brachij dextri communis, vt plenitudo tollatur, mox secanda est vena malleoli, vel poplitis. Quod si non adsit plenitudo in corpore, attamen fiat malum a sanguine, statuit mittendum esse sanguinem a poplite, vel malleolo. Et hoc est quod gloriatus fuit Galen. in lib. de cur. ratione per ven. sect. & 10. de med. loc. se vna die curasse coxendicos sola missione sanguinis a poplite.

Sed video vos dubitaturos esse, an etiã vbi sanguis non facit malum, sit mittendus sanguis in ischiade: ex prima parte non videtur esse mittẽdum, quia nulla adest indicatio, neque plenitudo vniuersalis, neq; particularis. Si nulla adest indicatio, ergo non videtur sanguinẽ esse mittendũ. Ex alia parte est Gal. 10. de med. loc. vbi scribit in ischiade nunquã esse medicamẽta localia adhibenda, nisi sit euacuatum corpus per sanguinis missionem: & eo magis addidit Galen. si adsit plenitudo, ex quo colligitur, ẽt sine plenitudine placere Gal. vt mittatur sanguis in ischiade. Vt huius rei habeatur resolutio, recurrendũ est ad Gal. 4. de tuend. val. 4. vbi sentit, in mittendo sanguine esse animaduertendum, an humores peccantes multũ recedant a natura sanguinis, an parum; si multum recedant, nequaquã erit mittendus sanguis, sed purgantib. erit agendũ: sin autẽ parum recedant, mittendus est sanguis, sed in modica quantitate. Quapropter si in ischiade per vrinas perspectũ erit, non multũ recedere humores peccantes a sanguine, audacter erit mittendus sanguis: vbi aũt multũ recedant, non erit mittendus. Sed video vos esse dicturos, clarissimũ esse humores qui faciunt morbũ articularẽ, semper esse permixtos sanguini. Imo aũt vt ostendit Auer. nunquam oriũtur humores separati a sanguine, nisi in locis proprijs. Si igitur semper sunt commixti sanguini, ergo videtur semper esse mittendũ sanguinẽ. Dico diligẽter esse aiaduertendum, an materia adhuc sit in fluxu, an sit firmata. Si sit in fluxu, semper vt docet Aui. inchoanda est curatio a missione sanguinis, modo nihil aliud prohibeat, gratia reuulsionis, non a gratia euacuationis. Sin autẽ materia non fluat, sed sit firmata, vel sit a sanguine, & humore, vel a sanguine tantum, mittendus est sanguis. Sed si sit ab humore recedente a sanguine, eo in casu fugienda est sanguinis missio. Et hinc patet quomodo sit hallucinatus Fern. cuius sententia si vera esset, sequeretur, nunquam expedire sanguinis missionem, nisi loco reuulsionis, quod quã sit a ratione alienum, facile vnusquisque intelligere potest. Misso sanguine cogitandum est de dolore, & videndum, an dolor sit magnus, an remissus: si sit remissus, causae abolendae studendum est: si autem sit magnus, incumbendum est dolori tollendo. Ratio tollendi dolorem est, aut repellentibus aut mitigatorijs medicamentis. Nam vbi humores aliquem in locum praecipitantur, atque ibi solutionem continui inducentes dolorem inducunt, sane verus modus tollendi illos dolores est, vt humores fluentes repercutiantur: sed in dolore ischiatico minime vtẽdum est repercutientib. vt statuit Gal. lib. 13. de med. local. Ratio aũt damnandi vsum repercutientiũ, tota est accepta a natura ipsius loci. Cum. n. articulus coxae sit profundus, procul dubio, vt alias docui; ab ipso nõ potest quicquam repelli. Imo vero humores in superficie positos, medicamenta repellentia magis impellunt ad locum affectum. Sed dicetis, cur ergo Auic. inquit: Repercutientia quandoque nocere; quasi videatur Auic. maiori ex parte commendare vsum repercutientium. Dico lib. Auic. mihi valde esse suspectum, & vbi dicit vsum repercutientium

Fern. notatur.

Repercutientib. non vtendum in ischiade.

quan-

quandoque nocere, corrigendum est, vel quandoque iuuare, vel plerumque nocere, ita vt sententia fuerit Auic. quandoque cogi Medicos adhibere repercutientia, sc. quando dolor adeo intensus est, vt sustineri non possit. Eo enim tempore, cum medicamenta repercutientia, quæ sunt refrigida, dolorem mitigent, possunt adhiberi, ita tamen vt quamprimum sedatus fuerit dolor, abstineatur ab vsu repercutientium.

Narcotica. Cum itaque repercutientia non plerumque conueniant in ischiadis curatione, recurrendum est ad alia, quæ mitigant dolorem: hæc autem sunt vel multum refrigerantia, vt narcotica, vel multum calefacientia, vel mediocria. Multum frigida, vt est mandragora, hyoscyamus, opium, cicuta, nisi ad extremam necessitatem redactus fuerit æger, non sunt administranda, tum quia (vt dixi de repercutientibus) repellant materias ad locum affectum, tum quia calorem natiuum hebetant. Pari pacto quæ immoderate calefaciunt, non conueniunt, eo quod & pars affecta nimis relaxetur, & ad locum affectum humores aliunde vocentur. Conueniunt itaque solummodo ea quæ mediocria sunt, quæ non excedunt primum gradum caloris, Anodyna vocantur a Galen. 5. de simpl. med. 19. *Anodyna.* Hæc autem sunt, ol. chamomel. anethin. ol. rosat. lumbricatum, lac & panis simul mixta. Sic & emplasmata facta ex lacte, ex fol. & rad. altheæ, maluæ, fœnugræci: hæc inquam omnia accommodatissima sunt, vel per se sola, vel mixta, ad leuandos dolores coxendicos.

Pro tollenda autem causa, videndum est ante cętera, qui sint humores, qui malum faciant: si sint humores pituitosi, præparandi & purgandi sunt. Similiter si sint biliosi & melancholici: nō dabo vobis formam medicamentorum, quia monstraui, cum de arthritide agerem, quomodo sint præparandi & euacuandi. *Purgātia ac cōmodata.* Illud autem scire debetis, in hoc malo debellando conuenire medicamenta vehementia, propterea scammoneata conueniunt, cōueniunt helleborum, colocynthis, gran. cnidium, & omnia medicamenta, quæ sunt ex his composita. Hæc dixi de euacuatione facta per aluum medicamentis ore acceptis.

Vomitus. Sed sunt duo alia genera euacuationis vtilissima in ischiade curanda. Primum est vomitus, qui vtilissimus est, tum quia euacuantur, tum quia reuelluntur humores fluentes ad ischiadem. Potest autem parari vomitus & ante cibum, & a cibo, raphano, & succo raphani & oxymelle, ex decocto genistę. Alius etiam modus vtilissimus est vomendi, de quo vos monui, dum tractatem de morb. Articularibus. Alter modus est per clysteres, sed illi debent esse acres, vt esset hic: *Clysteres.*

℞. Fol. centauri maior. & min. an. M. ß.
Colocynth. ʒ. iij.
Fol. orig.
Malua.
Violar. an. M. j. f. decoct. f. a.

Deinde *℞. d. d. decoct. lib. j. ß.*
Mell. rosat. sol. ℥. ij.
Hieralogadij ʒ iij.
Salis nitri ʒ. ß.
Ol. aneth. ℥ j. ß. Misc. f. clyster. Hæc est forma eorum clysterum, qui conueniunt in ischiade curanda.

Particularia medicamenta. Vbi purgatum est corpus, & euacuationibus malum non cedit, deueniendum est ad eam materiam, quæ impacta est in articulos, quæ si fuerit antiqua & rebellis, primo molliendus est locus iisdem medicamentis, quę monstraui in superioribus: vbi autem locus emollitus fuerit, deueniendum est ad extrahendam materiam. Extrahitur. a. vel per dissipationem, vel per eductionem. *Dissipantia materiam.* Primo itaque tentandum est materiam dissipare medicamentis, quæ dissipant, vt nostis ex Galen. sunt ea quæ calida sunt, & tenuem substantiam habent, quæ paulo plus calefaciunt secundo gradu, vt est ol. vlpin. costinum, rutac. de piperibus. Similiter etiam emplastra facta ex ruta, anetho, & rad. althęæ, & simil. Et vt habeatis aliquam formam, hæc erit.

Empl. dissipans.

℞. Rad. althęæ cocta, & cribrata ʒ. iij.
Fol. fænugræc.
Malua.
Ruta an. M. j. coquantur in ol. & aqua. f. a. deinde pistentur, & cōmixta hęc omnia cum pręd. rad. althęæ augeantur, addendo ipsis ol. rutacei, pingued. anser. an. ℥. ij. M. f. emplast.

Radix arundinis contusa, & loco dolenti apposita, mirifice prodest: prodest etiam cinis arundinis, vt habetis apud Aetium. Et sunt aliqui, qui existimant, Cæsarem Augustum laborantem ischiade fuisse curatum arundine, vt refert Sueton. sed sum ego alterius sententiæ.

Iberis. Si hæc non contulerint, deueniendum est ad medicamenta euacuantia μετασυγκριτικὰ dicta, nimirum ad synapismos, dropacismos, & vesicatoria. Inter cetera ex Democrito laudatur vsus Iberidis herbæ. Accipitur hæc herba, & contunditur, deinde cum æquali portione, aut paulo maiori axung. porc. miscetur, & apponitur loco dolenti. Si quæ mulieres sint laborantes, permittitur horis duabus. Si autem sunt viri, qui laborant, permittitur horis 4. solet enim hoc tempore proficere. Sed si non proficiat, repetendum est, seruata semper hac portione temporis, vt singula quaque applicatione duabus horis in mulieribus, 4. in viris detineantur medicamenta.

Cauteria. Quod si etiam hæc non contulerint, quid agendum est? Omnes, & præsertim Hip. recurrunt

 ad ignem,

ad ignem, quia quos morbos non sanant alia remedia, solet sanare ignis. Quis sit modus vrendi in his morbis articulatib. iam docui vos. Primo volo vos animaduertere, a nemine forsan notatum, & nobis est relatum ab Hip. de inter. aff. sic materiam cauteriorum in ischiade eurandam, atq; etiam in aliis, variandã esse, prout partes curandæ vel carneæ sunt, vel osseæ. Vbi partes sunt carneæ, monet Hip. vtendum esse igne: vbi autem vrendum est prope partes osseas & nerueas, vult non vrendum esse igne, sed potius vel fungis, vel lino crudo, vel aliqua alia materia. Nam quod veteres partes vsserint fungis, lino crudo, & alio modo, iam etiam vos docui. Sed diceris, quæ est ratio, quod in parte carnea vult vrẽdum esse ferro, in ossea & nerυea nequaquam? Dico, summa cum ratione esse factum, quia vbi caro vrenda est, opus est medicamentis magis exsiccantibus, quandoquidem pars carnea mollis & humida est. Vbi autem partes vrendæ sunt osseæ & nerueæ, cum sint partes siccæ, egent igni minus exsiccante. Vnde cum ferrum ignitum multo magis exsiccet, quam vel fungus, vel linum crudum, vel alia materia, plane summa cum ratione in carne vrenda magis conuenit, minus autem in aliis partibus siccioribus, vbi non adsit neq; linum crudum, neq; fungus, soleo ego vti titione ignito ex ligno quercus, vel ex ligno siculneo, vel aliqua alia materia quæ possit vrere & moderate exsiccare. Aetius scribit, veteres in curandis ischiadicis etiam interdum ferro vsos fuisse, sed maiorem partem adhibuisse vel stercus caprinum, vel radicem Aristoloch. vel struthij radic. quo loco potestis colligere, multo tutius esse in vrẽdis ischiadicis abstinere a ferro, quia partes illæ sunt osseæ, & nerueæ multum. Atque hic est finis curationis ischiadis.

Cur in parte carnea Hip vrat ferro, in ossea nequaquam.

CAPVT III.

De podagra.

Post ischiadem postulat nunc ordo, vt de podagra mentionẽ faciamus, quo morbo nihil hodie vulgarius est, nihil quod principes huius mundi magis perturbet, cuius etiam, vt tradidit Soran. Medicus, Aesculap. præter cap. 90. facit species. Quod dico, & dicturus sum de podagra, putatote etiam dictũ de chiragra, eum quia hæc duo membra sunt similia, tum quia sunt excarnia & frigida, & a fonte caloris remota vt his omnibus rationibus morbus articularis in vtroque sit vnus & idem. Apud Græcos, Latinos & Arabes habent semper hi affectus ideo nomen, nimirum vt sit vocatus podagra, quasi pedum agra, hoc est, captura pedum.

De nomine.

Est podagra dolor pedum, ex fluxione ortus, subinde repetens. In re, dicitur dolor pedũ, quia nisi adsit dolor, siue sit magnus, siue paruus, nunquam potest vere vocari podagra, propter quã rationem Serenus Medicus, vocauit rabidam podagram, eo quod semper dolore rabido homines torqueat. Dicitur etiam a fluxione ortus, quia vbi dolẽt pedes, vel propter percussiones, vel alia mala, nequaquam debet appellari podagra, nisi sit ex fluxione orta. Dicitur vltimo subinde repetens, quia vt optime admonuit Aret. nequaquam podagra efficitur continua, hoc est dolor continuus podagricus nunquam est, imo a longissima solet habere interualla, ita vt sit relatum de podagrico, qui in olympicis ludis vicit cursu, eo quod longissima habebat mali interualla.

Definitio.

Est symptoma in genere actionis tactoriæ læsæ, quod symptoma consequuntur tria genera morborum, sed potissimum vnitatis solutionẽ. Nam vbi adest dolor podagricus, morbus adest in mala conformatione, quia in via, in numero, in magnitudine adest etiam mala intemperies, sed potissimum adest solutio vnitatis, cuius merito cruciatus incurabiles efficiuntur.

Genus affectus.

Locus affectus est totus articulus, cauitas, ligamenta, nerui, tendines, & tandem quicquid est ad articuli conformationem cõspirans. Neque admiratio nos capere debet, quod materia quæ facit podagram, non mittatur a natura potius ad cutem, eo maxime quod facta est cutis veluti quoddam commune excrementorum receptaculum; quandoquidem propter tres causas materia potius retinetur in articulo. Prima est, quia est crassa, & viscida. Altera est, quia dolor & calor est in partibus intimis, merito quorum efficitur attractio potius ad eam partem, quam ad aliam. Tertia ratio est, quia materia est in loco profundo, vnde non facile potest elidi, & facile ad cutem transmitti.

Locus affectus.

Causæ internæ podagræ, & immediatæ sunt humores, in primis autem pituita, bilis, sanguis pituitosus vel biliosus, & tandem omnes ij humores, quos docui causas esse immediatas arthritidis. Causæ vero internæ, sed mediatæ plures sunt, in primis autem est pedum imbecillitas, quæ quanquam soleat oriri a causis externis, plerumque tamen solet esse natiua. Et hoc est, quod dixit non semel Gal. ex podagricis fieri podagricos, scilicet propter natiuam pedum imbecillitatẽ, merito cuius ij apti videntur ad suscipiendas fluxiones. Quare non male dixit Plutarch. in lib. de tarda num. vind. expedire, vt statim filij podagricorum curentur, quandoquidem videtur necessario, vt podagricorum filij fiant podagrici.

Causæ internæ, & immediatæ.

Sed video vos optare, vt afferam rationem propter quam podagra potissimũ inter morbos fiat propter hæreditatem. Dico, quia totus hic morbus sedem habet in seminalibus partibus. Nam ligamenta, ossa, nerui, & omnia similia membra sunt sedes ipsius podagræ, quo fit modo, cum hæc membra fiant ex semine, si semen sit vitiatum, necessario hæc membra vitiantur;

Cur podagra morbus hæreditarius.

vitiantur. Sed dicetis, cur est, quod podagricorum semen vitiatum est? Resp. id quod tradidit Hip. lib. de aer. aq. & loc. & in lib. de genitura, semen a cūctis nostri corporis partibus procedere, quanquam hoc Arist. negauit in 2. de gen. ani. Cum itaque secernatur semen ab omnibus corporis partibus, plane rationi consentaneum est, vt cum podagricorum pedes sint malesani, etiam pars seminis, quæ inde elicitur, sit vitiata, quæ cum misceatur ceteris partib. prauitatē cōseruat, & ea propter cum ex ea parte fiant pedes, & manus, materiam necessario retinēt vitiati seminis. Hæc est probabilis, & consentanea ratio, ob quam podagra fit per hæreditatem.

Præter pedum imbecillitatem est quoque corporis dispositio, veluti est laxitas, & latitudo vasorum, præsertim pedum & manuum, propter hanc enim humores facile, & a capite, & a toto corpore in pedes præcipitantur. Sic ventriculi imbecillitas maxime potest ad podagræ generationem, propter quam fiunt multi humores vitiosi & crudi, qui deinde per venas deducuntur ad extrema membra. Ad hæc inter has causas est; & sexus. Nam mulieres minus vexantur podagra quam viri. Et quanquam Seneca epist. 96. & Gal. hoc tribuerint potius ingluuiei, & gulæ virorum, nihilominus melior est ratio, quod mulieres, cum habeant menstruas purgationes, omnes expurgantur humores, qui facerent podagram: & hinc est, quod nunquam aut quā rarissime videbitis mulieres captas podagra, quæ singulo mense purgantur. Aetas similiter est referenda. Dicebat enim Hip. in lib. prænot. & alibi, pueros vix ante 14 annum podagra tentari, incipere vero post 14. annū, quando scil. Venere vti aggrediuntur. Potissimum autem solet podagra exercere post 30. annum, vt annotauit Aretæus. Causæ externę fere omnes, quę faciūt arthritidē, consueuerunt etiam facere podagram, & in primis quod spectat ad aerem, crassus aer feracissimus est podagricorum, propter quod Lucret. 6. lib. de natura. dicit, in Attica tentantur pedes, sicut & Cælius Aurel. scriptum reliquit, in Caria & Alexandria propter aeris constitutionem fieri consueuisse podagricos. Tempus anni etiam cōducit, vt est tempus hybernum. Quod etiam significatum est a Luciano lib. de podagra. Nec dicatis, debere potius æstate podagricos exerceri, quam hyeme, quod scilicet humores sunt magis fluxiles, quia quāquam tempore ęstatis humores sint fluxiles, attamen magis dissipantur, & ita nō infiguntur in articulis, neq; ita turbare possunt. Constitutiones etiam frigidę & siccæ faciunt podagricos, nimius motus, vinum, & otium. Nam propter hęc, vt ego existimo, Aristoteles 8. de historia animalium, cap. 24. dixit, equos regales maxime tentari podagra. Nimius Veneris vsus, nimiæ crapulę, omnium maxime faciunt podagram. Vnde venustissime fuit a Poeta Græco dictum, in matrimonio iunctam Venerem Baccho, filiā podagram fecisse. Potus aquæ frigidę, potus vini, niue & glacie refrigerati maxime faciunt podagras, propter quas iure Gal. conquestus fuit, suo tempore Romę maximā fuisse prodagricorum copiam. Cur vero, vt tradit Athenęus ex Alexandro, per 20. annos maximus podagræ prouentus fuit, quo tempore mori arbores nullos fructus produxerant, explicatam habetis rationem a nobis lib. 1. nostrar. var. lect.

Cur mulieres raro podagra laborent.

Causæ externa.

Cur hyeme potius.

Signa incipientis podagræ sunt torpores quidam pedum, imbecillitas, præsertim nodorum & pollicis, pedum quidam lænor, nam dixi alias, Strabonem appellasse hos dolores torpidos, pselismon seu balbutiem podagræ, eo quod sicuti homines dum incipiūt loqui, balbutiunt, sic etiam podagra inchoat, huiusmodi torpor, & dolor apparet. Præsentis podagræ signa clara sunt, adest tumor, dolor, ambulandi impotentia, inquietudo circa pedes & manus, ita vt nullū locum inueniant ægrotantes, vbi pacate possint ponere pedes.

Signa.

Signa causarum externarum habentur ex colore, ex specie doloris, ex calore, ex curatione. Nam, vbi dolor magnus est, vbi calor in pedibus, vbi color est rubens signum est fieri a sanguine podagram, præsertim si etiam prosint remedia refrigerantia, vbi color flauus est, & dolor maximus, pungitiuus, qui etiam a refrigerantibus lenitur, signum est malū fieri a bile: sicuti si color sit albus, dolor sit exiguus, si grauitas appareat in membro, & calida potius cum conferant, argumentum certum est, morbum originem ducere a pituita.

Signa humorum.

Docet Hipp. lib. de aff. internis, inter articulares dolores podagram esse omnium vehementissimam, & curatu difficilimam. Cur autem sit podagra adeo curatu difficilis, multæ sunt rationes, vt etiam alias ex Hipp. insinuaui. Nam in principio podagra solet negligi, nemo vult habere podagram, in principio accusant homines modo calceamenta, modo aliquod aliud impedimentum, ita vt vix quisque sibi persuadere possit, se habere podagram. Accedit etiam, quod homines neque patientia, neque remediorum vsu utuntur; imo cum in reliquis bene habeant, non adhibent remedium, vt potius maiori licentia vtantur, propter quod neglecta a principio podagra ferocior, & pertinacior euadit. Accedit etiam quod dicebam, locos affectos in podagra plures esse, duros, cauos, & profundos, propter quos non nisi cum summo labore vix possunt humores euelli. Et quanquam omnis podagra sit difficilis curatu, curari nunquam potest podagra tophacea, in qua apparet materia terrestris lapidea, & hoc est, quod dicit poeta ille:

Progn.

Cur podagra adeo curatu difficilis.

Soluere nodosam nescit medicina podagram.

Hipp. 2. prorrhet. scribit, eos qui ærumnose viuunt, qui aluum habent adstrictam, & qui tophos habent, nunquam a podagra curari. Ex aduerso curari iuuenes, in quibus nondum sunt facti calli, qui laborem amant, qui viuunt accurate, & quorum aluus fluida est. Scribit Aretęus, facilius viros & leuius tentare podagra, quam feminas: affert rationes, quia quod est consuetum, minus turbat: vnde cum podagra sit viris cōsueta, sit autem mulieribus insueta, illos minus turbat, has vero magis angit.

Hæreditaria podagra facta ab humore atro, siue tempore hyemis vel autumni, mala est, tum quia multo magis turbat, quam aliæ, tum quia diutius durat, nec ita medicamentis cedit. Ex aduerso podagra quæ fit æstate, quæ fit sine rumore, multo minor est, & multo facilior curatu. Sic quæ fit ex crapula mitissima omnium.

Curatio.

Omnis curandi methodus, vt plerisque in locis docuit Gal. tota desumitur ex natura morbi. Natura vero morbi constituitur ex proprijs causis, quare curatio etiam podagræ non aliunde petenda erit, quã ex causis. Et quia consideratur podagra vbi abiit, vel vbi præsens est, ea propter & curatio duplex est, alia quæ debetur paroxysmo, alia vero quæ debetur extra paroxysmum, quæ potius præseruatio dici debet. Tractabimus itaque primo curationẽ, quæ debetur podagræ ad præcauendam ipsam, nam hic videbatur esse cardo totius curationis.

Præseruatio a podagra.

Ad faciendam podagram quatuor concurrunt, materia quę dolorem facit, membrũ mandans, & membrum recipiens, & vię per quas materia recipitur. Materia semper sui euacuationẽ indicat, quia cum sit res pręter naturã, & sit etiam in loco pręter naturam, postulat necessitas, vt ex illo loco pellatur: membrum mandans cum gignat excrementa, quæ nascuntur ex vitiata coctione, & vitietur coctio, vt docet Gal. 3. de symp. caus. 1. vel essentialiter, vel accidentaliter: si accidentaliter sit vitiata coctio, remouendi sunt omnes errores externi: si vitiata sit essentialiter, remouenda est intẽperies, quę essentialiter facultatẽ lædit. Viæ autem per quas recipiuntur humores, cum peccent in latitudine, habetur indicatio eas constringendi & condensandi. Membrum vero recipiens cum attrahat materiam vel per debilitatẽ, vel per laxitatem, & debilitas oriatur potissimum ex intẽperie, indicatio etiam habetur, membrum recipiẽs corroborandum esse, quod quidem fit densando ne materiam recipiat. Et notate, in corroborando pedes & manus, scopum hunc esse debere præcipuum, ne materia recipiatur, non autẽ vt repellatur, quia cum pedes, & manus sint membra ignobilia, si materia repelleretur, necessarium esset, vt ad partes nobiliores repelleretur, quod absurdum esset. Quare corroborationẽ solummodo postulant pedes & manus, ne recipiant materiam.

Indicationes.

Victus rat.

Ad hos scopos implendos in primis est necessaria vitæ ratio recte instituta, etiam in præseruatione, si quid est, quod possit maxime prodesse, plane est sobrietas vitę, & victus institutus rectus. Aer est eligendus siccus, & si materia est calida, debet esse frigidus, si frigida, calidus: fugiendus est crassus potissimum & nebulosus: corpus moderate est exercendum ieiuno stomacho. Nam sicut nimia obambulatio pedes disponit ad podagram, sic etiam nimium otiũ, motus omnes animi sunt euitandi. Fricandum est caput, fricandæ etiam sunt sæpe partes superiores, præsertim si sola podagra infestet. Balnea & Venus sunt fugienda, tanquam podagræ generatrices. In cibo omnis parsimonia vtilis est. Refert D. Hieronymus, multos fuisse, qui cum podagra laborarunt, ad paupertatem redactos, tandem fuisse liberatos. Nam cruditates frequentes, & cibos crassiores sunt fugiendi. De potu etiam multi sunt, qui prorsus potum interdicũt, & certe, si fieri posset, vt æger sine detrimento abstineat a vino, vtilissimum est.

Vinum quomodo quandoque conueniat.

Peculiariter vero, vbi adeunda est podagræ curatio, est spectandũ, a quo humore fiat. Quod si a frigido, victus debet esse calidus, & siccus. Et propterea non est damnandus Rhases, qui cõmendauit vsum vini veteris in podagra, a frigidis humoribus facta. Sic etiam si fiat ab humore calido, victus debet esse frigidus & siccus.

Victu instituto est lenienda aluus, præparandi sunt humores, & expurgandi eo modo, quo monstraui, dum tractabam de morbis articularibus. Quia si humores sunt sanguinei, vel melancholici, eadem requiritur curatio, quæ requiritur in alijs, & idcirco non est necessarium, vt idem repetatur.

Circa expurgationem podagræ notanda.

Duo sunt circa expurgationem podagræ notanda: Primũ est, humores frigidos interdum crassos esse, interdum tenues: Vbi sunt crassi, cauendum est, ne euacuetur per medicamẽta humores tenues ducentia, vt est elaterium, granum cnidium, scammonea. Nam si hæc medicamenta adhiberentur habentibus crassos, & frigidos humores, procul dubio tenues euacuabuntur, & reliqui fient crassiores, & contumaciores. Aliud est notandum in expurgationibus podagricis, non primam sufficere purgationẽ, sed esse necessarium, vt iterum repetatur, quia cũ illi humores sint in partibus longinquis, summo studio & temporis longitudine opus est, vt illi humores euellantur, & consumantur.

Purgato corpore debet Medicus primo studere, vt membro mandanti occurrat: Quare si caput fuerit membrum mandans, primo expurgandum erit, deinde alterandum. Expurgatur autem per masticatoria & errhina. Quæ vero caput alterare possunt, & desiccare, sunt lotiones capitis, sunt etiam stillicidia aquarum. Nam si capitis intemperies calida fuerit, eligendæ sunt illæ aquæ, quæ possunt, & frigefacere, & alterare, vt est aqua Virginis, & Tegulæ. Si fuerint humores frigidi, vtendum erit calefacientibus aquis, vt est aqua D. Petri, aqua Aponensis. Hæc medicamenta & propter motum, & propter longitudinem vsus, maxime possunt emendare capitis intemperiem, & exsiccare. Sunt præter hęc alia medicamenta, quæ desiccant caput & alterant, vt est decoctum guaiaci: folliculi etiam excisi in partibus superioribus, præsertim vero in dorso, maxime exsiccant caput & alterant. Præter hæc sunt etiam cõfectiones quædam magnæ accommodatissimæ ad corroborandum caput, & alterandum vt est theriaca, mithridaticum. Apud Alexã. Trallian. habetis multa, & præsertim diacorallium, cuius descriptionẽ habetis apud Pau. Aeginet. li. 7. Appellatur autẽ diacoralliũ, pp Anagallidẽ Phęniciam, quę hoc medicamentum ingreditur, & quæ propter colorẽ vocata est coralliũ.

Capitis intẽperiem corrigentia.

Diacoralliũ

Modus

Modus exhibendi has confectiones superstitiosus est apud Alexand. vos potestis videre, seruat enim quendam logismon, numerum dierum, & quædam interualla, quæ nullam apud me rationem habent. Imo vero si videatis Cæl. Aurel. lib. 5. de diut. pass. qui dicit ante Galen. ni fallor, ex sententia Sorani damnat Medicos antiquos, qui dialcordium & diacentaurium in podagra exhibebant per integrum annum, atque aduersus antiquos vtitur duabus rationibus. Prima est, quia consueti cibi (inquit ille) solent annua diuturnitate interdum esse inutiles atque etiam nocui. Altera ratio est, quia relatum est, multos in hora vna medicamento adeo frequenti & diuturno incidisse in morbos acerrimos, vt in pleuritides, in apoplexias, & in alia mala multa.

Ventriculo vt prouidendum.

Si ventriculus fuerit mandans, est prouidendum ventriculo, scilicet vt possit cibos conficere, quia autem vbi ventriculus coctione frustatur, id semper pati solet propter frigiditatem, propterea studium præcipuum esse debet, vt ventriculus calefiat, & si sit humidus, exsiccetur. Ad hoc autem accommodata sunt remedia intrinseca & extrinseca; Intrinseca sunt confectiones stomachi, sunt aquæ thermales, vt aqua Aponensis, decoctum galli ex rebus stomachum corroborantibus, est similiter decoctum Guaiaci, hoc enim decoctum potest in podagra ventriculum corroborare. Extrinsecus sunt cerata & vnctiones, accommodata sunt etiam stillicidia facta ex aquis thermalibus, quæ mirifice calefacere & exsiccare solent. Laudant etiam in hoc casu aliqui vomitum factum a cibo, sed vt monet Cælius Aurelian. huiusmodi auxilium non admodum tutum est, quia vomitus frequens, caput, ventriculum, & omnia viscera solet turbare. Ratio enim est videre, eos qui frequenter vomunt, bene valere sensibus & animo.

Num vomitus conueniat.

Quod monstraui de capite & ventriculo, idem quoque putatote; vbi membrum mandans sit vel lien, vel iecur, vt scilicet ante cetera ipsi membro mandanti auxilium præsteiur.

Præsidium veterum.

Vbi prouisum est membrum mandanti, materia, quæ facit malum, est tollenda. Nam si primo velitis corroborare membrum recipiens & vias, antequam materia euacuetur, malum esset, quia impacta materia magis exsiccaretur, ac magis rebellis euaderet. Euacuatur materia eodem modo, & iisdem omnibus ingeniis, quæ monstraui in aliis articularibus doloribus, vt est, quando euacuatur lotis, balneis, foueis, vnctionibus, & omnibus aliis remediis, quæ iam proposui. Habebant veteres quoddam præsidium ad euacuandam materiam podagræ, cuius mentionem facit Cor. Celsus, & Plin. erat autem hoc remedium: Vas ex lapide Asio seu Sarcophago faciebant ad formam pedum, & pedes in ipso ponebant. Nam sicuti lapis ille propria facultate consumit carnes, ita etiam expertum est consumere humores constituentes podagram.

Condensantia vias.

Post euacuationem materiæ sequitur alter scopus condensandi vias, & corroborandi partẽ. Condensantur viæ per adstringentia, nam omnibus aliis factis, & expurgato corpore, & euacuata materia, & corroborato membro mandante, tutum est adhibere adstringentia cruribus, vt sunt lotiones, quæ fiunt ex aliquis aluminosis. Emplastra facta ex bolo Armeno, sanguin. Dracon. Sunt etiam, qui gypso obducunt crura, vt constringantur illæ viæ, ne permittant humores fluere. Soleo ego vti caligis factis ex corio canino, nam fiunt caligæ ex hoc corio, quibus constringuntur crura. Nam expertus sum, huiusmodi arctis ligationibus factum esse, vt fluxus humorum ad pedes sit penitus interceptus. Nam corium caninum hoc habet, vt in ea mensura in qua semel positum est circa partes, nunquam vel extendatur, vel relaxetur, & propterea est optimum ad constringenda crura.

Corium caninum.

Sic etiam oleum salitum iure laudatum fuit a Paulo, ad pręseruandum a podagra, quia exiccat, & exsiccando corroborat, vt faciunt etiam olea constringentia, vt oleum myrthinum, ol. etiam, cui admixtum sit alumen; succus nucum viridium admixtus oleo myrthino, corroborat relaxatas partes; corroborant etiam quæcunque auferunt ab ipsis intemperiem, vt si intemperies calida sit, corroboratur medicamentis refrigerantibus. Similiter etiam, si materia frigida, corroborantur pedes calidis medicamentis. Sunt præterea alia quamplurima medicamenta apud Plinium, Alex. Vict. Marcel. quæ proprietate occulta videntur conferre podagræ. Inter cetera est adeps vituli viui, qui illitus pedibus experimento comprobatum est, quod dolorem podagricum tollit. Similiter etiam cornu hirci crematum, & vino in mortario detritum ac appositum pedibus dicitur prodesse, modo tamen hoc obseruetur, vt affecto dextro pede, dextrũ cornu hirci capiatur, & pro sinistro sinistrum. Pariter narrat Serenus Medicus, si iuguletur hircus, & in pectus adhuc spirantis hirci ponantur pedes, dolorem ex toto tolli. Habetis apud Strabonem Medicum, de aqua Cydni fluuii, quæ putatur ab omnibus propria facultate podagram finire. Atque hæc est ratio curandi podagricos extra paroxysmum.

Occulta proprietate conferentia.

Curatio paroxysmi in podagricis.

Vbi autem paroxysmus vrget, statim videndum est, an dolor sit magnus, an vero non sit magnus. Si dolor magnus sit, studendum est lenire dolorem, & si fieri potest, simul etiam causæ ipsius vt tollantur. Vt autem hoc recte fiat, videndum est, an in corpore sit plenitudo, vel particularis, vel pura, vel notha. Vbi adest plenitudo, statim deueniendum est ad præsidium plenitudinis, hoc est, ad sanguinis missionem, & in doloribus podagricis mira est sanguinis missio. Locus autem erit, si ambo pedes affligantur, a vena communi dextri brachii: si solum sinister pes affligatur, mittatur a sinistro brachio.

Venę sect.

Quæ tollunt dolorem & administrari debent, sunt omnia, quæ monstraui etiam conuenire

Anodyna in podagra conuenientia. *Narcotica.*

in doloribus articularibus tollendis, potissimum vero accommodatissimum esse podagricis doloribus, ol. ros. lumbricarum, & lac & oleum ros. lac solum, ol. vitelli ouorum, & si dolor his non cedat, deueniendum est ad stupefacientia. Et notate, quod quamuis in podagricis doloribus non sit deueniendum ad vsum opij, nisi in extrema necessitate, minus tamen periclitari in his, quam in alijs partibus, quia hæ partes sunt ignobiliores, & remotiores a partibus nobilioribus. Quare postulante necessitate poteritis admiscere iij. vel iiij. gr. opij cum lacte, aut ol. vitell. ou. aut ol. ros. & his deinde liquoribus pedes inungere. Habetis etiam apud Aetium, & Auicenn. medicamenta, quæ Acopa vocantur, in quibus ingreditur opium, & hæc medicamenta solent dolorem lenire, citra vllum detrimentum. Inter cetera autem est necessarium in paroxysmo, vt ægros tenui victu nutriatis, atque vt omnino abstineant ab vsu vini, quia siue sit materia frigida, siue calida, vbi dolor vrget, relinquenda sunt omnia ea, quę possunt producere humores ad locum dolentem. Quod si his non cedat, agendum est ligaturis, frictionibus, & omnibus ingenijs, quæ possunt humores fluentes auocare. Hęc sunt agenda pro dolore tollendo. Quod si interim dabitur occasio in amouendis causis, non est dimittendum, vt scilicet & præparantibus, & euacuantibus humorum, & alijs, quæ necessaria sunt, humores fluentes dissipentur, & exsiccentur. Atque hic est finis materiæ tractationis de morbis articularibus.

Vinum fugiendum in paroxysmo.

TRA-

TRACTATVS EXCELLENTISSIMI D. D. HIERONYMI MERCVRIALIS,

De Morbo Gallico.

CAPVT PRIMVM.

De definitione & subiecto Morbi Gallici.

MORBOS nouos, & veteribus ignotos posse oriri, luculenter monstrauit Plutarchus in sympos. & Plin. exemplis abunde docet. Causę autem, quibus noui oriantur morbi, duæ potissimum ab Hippoc. & a veteribus sunt allatæ: Vna est ciborum varietas, & nouus conditurę vsus. Altera est aeris noua & varia intemperies; quæ causę tantum apud veteres potuerunt, vt non modo nouos morbos, verumetiam nouas & inauditas pestes excitare posse putarint. Sed præter has causas D. Basilius Medicus & Philosophus, nouorum morborum aliam causam affert, sed vt Christianus, Dei scilicet omnipotentis voluntatem, qui ob scelera cum homines castigare velit, non modo nouos morbos, verumetiam incredibiles & irremediabiles pestes nobis immittit.

Causa nouorum morborum duæ.

An vero morbus Gallicus, de quo vobis tractaturus sum, sit nouus morbus, inter scriptores longe lateq; disputatum est. Sed omissis his controuersiis, puto omnino nobis statuendum esse, quod hic morbus nouus sit nostro orbi, neque possit iure adnumerari inter genera morborum veteribus cognita, quæ genera, vt tradit Plin. lib. 26. capite primo, trecenta esse, enumeratum fuit. An hic morbus ob aeris inclementiam & prauitatem, an vero victus errores, & ob nouos cibos ortus sit, an vero Dei voluntate, certe non ita tutum est, tamen & pium magis, & tutum credere, quod missus nobis sit Dei voluntate: eo magis impellor ad hoc credendum, quia quo tempore pestis hæc cœpit in nos grassari, bella maxima erant, hominũ prauitas creuerat, vt iure Deus debuerit eo tempore esse iratus humano generi, & propterea simul peccata ipsorum aliquo punire immani pestis genere.

Sed vtcunque sit, non amplius hac in re immorandum est, sed ad ea veniendum, quæ magis vtilia nobis futura esse conijcio, quæ erunt, vt primo doceã vos, quis sit morbus Gallicus. Deinde in quo loco sedẽ suã habeat. Tum quæ sint causæ, quod tam varia in hoc morbo accidentia appareant. Ad hæc quæ sint signa, quibus possit cognosci. Postremo, quis modus legitimus & verus sit hunc morbũ curãdi. His etenim tractatis spero vobis satisfactum iri debere.

Propositio docendorũ.

Appellatus hic morbus varie est, nã modo Gallicus morbus, modo Gallica lues, modo Neapolitana, modo Hispana, & Indica, aliqui Veneream luem dixerunt, audio etiam Gallos appellare Italicam, Fracastorius nominauit Siphylidem, nec defuerunt, qui pudendagram dixerunt, ita quod varia huic pesti nomina imposita sint, prout vnicuique libuit, modo sic, modo aliter nuncupare.

Nomen.

Neque minor fuit dissensio in definiendo, quis sit hic morbus, nam fere nullum inuenietis, qui in definiendo hunc morbum alteri concors esse voluerit; nec tantæ diuersitatis alia causa fuit, quã quod nõ habuerunt veteres scriptores, quos sequerentur. In nouitate rerum licuit, & semper licebit varia nomina, & uarias effingere definitiones, vt hac ratione debeam quoq; excusari, si meam sententiam traditurus, non ita aliis concors esse videbor. Est itaque morbus Gallicus, secundum sententiam meam, dispositio seu affectio præter naturam, operationes naturales primo, & per se lædens ratione incognita. Circa quam definitionem, vt mentẽ meam medullitus penetretis, paulo morabor.

Definitio.

Dixi

Dixi primo dispositionem & affectionem, quia hoc nomen apud Medicos & Aristotelem duo significat, primo affectionem, quæ facile remouetur, & sic proprie dicitur dispositio, a Græcis *διάθεσις*. Significat etiam non modo hanc dispositionem contra distinctam habitui, verumetiam quamlibet dispositionem, siue sit habitus, siue vera dispositio. Ego autem accipio hic dispositionem generaliter, prout complectitur tam habitum, quam dispositionem propriam, & ratio est, quia morbus Gallicus licet interdũ sit dispositio propria, quod sc. remoueatur faciliter, est tamen interdum habitus, ita vt non solum difficulter eradicetur, verum etiam vsque ad finem vitæ perduret.

Dixi præter naturam hominis, quia nullum inuenietis morborum genus, quod bruta non subeant: & quanquam Arist. interdum videatur dixisse, epilepsia non tentari belluas, nos tamen ex Hippocrate in libro de sacro morbo, monstrauimus hanc sententiam falsam esse, ita vt quemcunque morbum mihi producatis, semper monstrabo vobis, bruta illo tentari, neque solum morbo, verum etiam peste: sed solus morbus Gallicus videtur humanum tantum genus depopulari, quasi quod is sit a Deo missus.

Dixi lædens operationes naturales, quoniam si quid est, quod proprium morbi Gallici possit dici, istud est, quod lædat operationes naturales, siquidem non videbitis vllum hoc morbo laborãtem, in quo non sit aliqua operatio naturalis offensa. Appello operationes naturales, quæcunque fiunt ab anima uegetante, quam Stoici naturam appellare consueuerunt, vt est nutritio, generatio, & quæcunque ab his oriuntur, & his deseruiunt operationes. Ceterum cũ offensio omnium operationum triplex sit, vel ablatæ, vel diminutæ, vel deprauatæ, in morbo Gallico operationes plane deprauatæ videntur, non quod etiam non diminuantur hæ operationes, sed quod plerumque deprauantur, & si diminuuntur, fit per deprauationem.

Operationes naturales deprauantur in morbo Gallico.

Dixi primo & per se, quia tametsi operationes animales, & vitales in morbo Gallico offendantur, non fit primo & per se, sed per actiones naturales prius læsas. Habetis sententiam Gal. 1. de loc. aff. 7. dicebat animalia sæpe lædi in actionibus suis, non vt animalia, sed vt corpora naturalia.

Dixi ratione incognita, vt distinguerem a morbis alijs quibuscunque, quod clarum est quando læduntactiones vel per dissolutionem, vel per corruptionem, vel aliquo modo: morbus Gallicus, qua ratione lædat operationes, certe admodum obscurum est, & fere incognitum.

Obiectio.

Sed video vos dicturos, videmus in morbo Gallico vlcera, gummata, videmus etiam praua alia symptomata, quomodo igitur dicis incognitum esse, qua ratione offendat hic morbus? Respondeo hæc non esse causas, neque naturã ipsius morbi, sed potius esse sympt. & effectus, quod effectus appareant, non nego, non video tamen neque veram naturam, neque veras causas. Ad hæc tametsi dixerim vlcera & gummata esse morbum Gallicum, tamen in ipsis est adhuc nescio quid, quod sane & rationẽ, & sensus nostros latet, quoniam non videmus hæc curari iis remedijs, quæ monstrata sunt a veteribus, sed potius remedio nouo & incognito, vt hinc dicendum sit, vlceribus, & gummatibus aliquid noui latitare. Quod vero non sit absurdum dicere, esse morbos, quorum natura & ratio ignoretur, profecto ex veterum monumentis luculenter demonstrauit Fernelius in libris de abditis rerum causis. Est hæc est descriptio morbi Gallici secundum sententiam meam. Sequitur vt videamus quisnam sit locus huius pestis, vt primo sententiam meam afferam, puto nullum aliud subiectum & locum esse, quam spiritus ipsos naturales, qui cum vbiq; sint per corpus nostrum dispersi, non est mirum, si nulla sit corporis pars, quæ vere huius morbi expers sit: cur vero non semper totum corpus inficiatur, sed potissimum partes genitales, iecur, os, minus vero extrema, non alia potior est causa, quam quod spiritus naturalis in his potissimum habitat locis, in testibus & genitalibus propter generationem, in iecore propter nutritionem, in ore propter illius partis naturam & conditionem. Quod vero spiritus naturalis sit potissima sedes huius morbi, illud mihi argumentum efficacissimum esse videtur, quod scil. morbus iste citissime depopulatur vniuersum corpus. Præterea morbus iste potissimum propagatur per coitum & oscula, in quibus actionib. manifestissimum est maxime operationum naturalium instrumenta elucere, quæ sunt ipsi spiritus.

Solutio.

Locus affectus.

Sed insurgit grauis dubitatio, quomodo spiritus possint esse subiectũ morbi Gallici, eo quod est sententia Arist. lib. de sensu & sensili, capite 1. sanitas & morbus sunt passiones corporis viuẽtis, quod corpora non viuentia non possint esse subiectum morbi, vel sanitatis: quod si verum est, spiritus sunt inanimes, sunt vitæ expertes, igitur non videntur posse esse subiectum morbi vllius, nedum Gallici.

Quo spiritus possint esse subiectum morbi Gallici.

Ad quod primo respondere possumus, spiritus non esse inanimes, neque vitæ expertes, quã sententiam multi secuti sunt, eo præsertim quod Gal. vbique testatus est, calorem natiuum esse vel animam ipsam, vel immediatum animæ instrumentum: iam vero spiritus naturalis est ipsemet calor, itaque iste spiritus vel est anima ipsa, vel primum animæ instrumentum. Accedit ẽt, quod videmus spiritus ipsos nutriri, augeri & imminui, adeo quod perspectum esse possit, animam a spiritibus non esse tollendam.

Sed dato etiam quod spiritus ipsos concedam esse inanimes, tamen Arist. sententia nihil cõtra me est, eo quod eius sententia eo in loco est, quod morbus & sanitas fiant circa corpora animata, vt excludat lapides & alia corpora, quæ omnino uita sunt orbata, quæ sane nec ægrotare, neque sana esse dici possunt. Non negat autem Aristot. quod in corpore viuente possit fieri morbus circa partes, non viuas, & inanimes.

Conditiones subiecti veri.

Itaque

Itaque clarum est nihil obstare, quin spiritus naturales sint vera sedes, & verum morbi Gallici subiectum, quod scil. habeat conditiones requisitas in vero subiecto alicuius rei, nimirum, vt primo subijciatur, vt per se, non per aliud subijciatur, & semper subijciatur. Et notate has conditiones, quia in sequentib. disputationibus multum inseruient vobis.

Sed quia ad confirmandam hanc sententiam non solum requiritur, vt rationes nostras afferamus, verum etiam maxime conducit, vt alias sedes putatas, tollamus, ea propter necessarium est, vt examinemus, an possit vllus alius locus esse subiectum huius morbi. Vt recta rerum habeatur cognitio, non modo necessarium est, vt ait Aristoteles, veritatem stabilire, verum etiam quæcunque ipsi repugnant, refellere & refutare, vnde cum nos statuerimus, verum morbi Gallici subiectum esse spiritum naturalem, operæ pretium est, vt aliorum sententias huic repugnantes refellamus. Multæ fuerunt aliorum sententiæ, qui varios corporis locos subiectum statuerunt, sed tres tantum præcipuas examinabimus, quarum vna caput huius morbi sedem fecit: altera genitalia: tertia iecur.

Quod caput nō possit esse subiectū morbi Gallici.

Quod caput non possit esse vera sedes huius morbi, tribus argumentis conuincam. Vno, quia non raro contingit, vt laborantes morbo Gallico caput prorsus inoffensum habeant, videbitis in actu practico non paucos laborare, & acriter vexari hac lue, nullas tamen habere capitis querelas, quod est argumentum efficacissimū, non posse in capite collocari hunc morbum. Alterū argumentum est quod caput nunquam primo, & per se in morbo Gallico afficitur, sed semper videbitis, quod vbi affectum est caput, aliquam corporis partem fuisse affectam; iam vero statuebamus illud esse verum subiectum, quod per se, & primo afficitur. Tertium argumentum est, quod tametsi caput sæpe hac lue laboret, tamen videbitis caput curari, & adhuc pestem relinqui in corpore, quod est argumentum caput non esse eius subiectum.

Instantia.

Sed dubitabitis; Cur igitur fit, quod in morbo Gallico sæpissime apparēt grauissima symptomata, vt rubores, pustulæ, gummata, tinnitus aurium, visus obscuritates, defluuia capillorum, & multa alia? Respondeo, id non fieri præter rationem, propterea quod spiritus naturales per omnes corporis partes distribuuntur, & potissimum ad caput; vnde cum sint infecti, & caput, vt ait Hip. veluti cucurbita trahat a toto corpore, iure fit vt ipsum coinquinetur a spiritibus naturalibus maculatis.

Solutio.

Cur vero potissimum ad caput ferantur spiritus, dicebat Gal. 3. de poten. naturalib. spiritum esse corpus omnium leuissimum & tenuissimum, quo ostenditur, spiritum ratione leuitatis ferri sursum, ratione tenuitatis penetrare, & proinde ferri ad caput, & omnes eius partes penetrare: Sed notate, quod quanquam hic morbus caput maxime infestet, verumtamen actiones principales animæ minime offenduntur: Videbitis raro a morbo Gallico offendi discursum, vel memoriam, vel imaginationem, & si virtutes sensoriæ offenduntur, fit potius ratione naturalium instrumentorum, quam ratione instrumentorum animæ rationalis.

Genitalia nō esse subiectum.

Quod genitalia, quæ erat secunda opinio, non possint esse subiectum morbi Gallici, probo & ratione & experientia: Ratione, quia si essent verum subiectum necessario semper genitalia læderentur, ex suppositione veri subiecti, sed hoc falsum est, quia non semper videbitis genitalia tentari in hoc morbo, quia absque vlcere, absque vllo genitalium morborum signo, non raro homines hac lue infestantur.

Præterea sunt alij, in quibus ab hoc morbo genitalia amputantur, quod si proprium huius morbi subiectum esset genitale, statim isti curati essent; nam ait Lucret. de ea peste, quam retulit Thucydides, & sæpe Gal. quod quicunque habebant pestem in genitalibus, ijs amputatis seruabantur. Ad hæc videmus, quod multi capiunt hanc luem post ea illa & ferina Venere, & tamen in his nihil patiuntur genitalia. Præterea multi solis osculis contrahunt hanc luem, pueri per lactis infecti exsuctionem, ita quod quamplurima sint exempla, quibus clarum est, genitale non posse esse subiectum morbi Gallici.

Quare genitalia maxime i hoc malo afficiātur.

Neque valet, quod genitalia plerumque in hoc malo exerceantur, quia hoc fit propter duas causas. Vna est, quia hæ partes maxime conteruntur, & ob contritionem facile fit via veneno. Altera ratio est, quia hæc membra laxa sunt, tenera & mollia, & de his dicebat Arist. 4. meteor. quod sint [illegible], dicebat etiam Arist. lib. de motu animal. c. 8. quod duo sunt in nobis veluti animalia separata, cor scilicet & genitalia; alterum, scilicet cor, ob humiditatem vitalem: alterum ob humiditatem seminariam, & generationi destinatam: propter quod facile intelligere potestis, non esse difficile, quod semen inficiatur in laborantibus hac lue, & ob hanc infectionē deinde conceptus infecti euadant.

Iecur nō esse verū subiectum morbi Gallici.

Tertia opinio est eorum, qui iecur pro sede posuerunt, quam sententiam scio hactenus maiorem partem esse secutam. Sed habeo rationes meas, quod iecur non possit esse proprium subiectum Gallici morb: probo, quia si esset verum subiectū, semper primo, & per se læderetur: sed hoc est falsissimum, igitur falsissimum est, quod iecur sit verum subiectum. Probo falsitatem, quia frequentissime videbitis adesse vlcera in pudendis, quæ si statim opportunis remedijs reprimantur, corpus omnino remanet illæsum. Quæro, an isti qui laborant vlceribus, debeant appellari Gallici? quod manifestissimum est, quia morbus contractus est ex infecta muliere, & curatus est remedijs Gallicis: si igitur est morbus Gallicus, non potest esse sine proprio subiecto: sed iecur nondū est læsum, morbus nōdū propagatus est: igitur dicendū est, vel morbum Gallicum esse sine subiecto proprio, quod falsum est, vel dicendū est, iecur non esse hoc verum subiectum.

Præterea scimus, hunc morbum contrahi per contactum, contactus clarus est, quod non

efficitur in iecore, quia multum abest, quod possit tangi iecur. Si igitur fit per contactum, quæro quando statim ingreditur hic morbus corpus per contactum, aut ponitur in proprio subiecto, aut non: si non ponitur, dicemus quod hic morbus migret de subiecto in subiectum: igitur non habebit proprium: quod tamen est rationi valde dissentaneum. Sin autem est in proprio subiecto, clarum est, non posse esse illud iecur, quia iecur longius est, quam vt possit contangi a membro affecto illo tempore.

Præterea si iecur esset subiectum huius, necessario semper læderetur facultas sanguificatrix iecoris. Probo, quia ad læsionem visceris, necessario sequitur læsio actionis propriæ, nam si lędatur cerebrum essentialiter, clarum est, quod lædantur ipsius actiones. Itaque si lęditur iecur, necessario læderur facultas sanguificatrix iecoris; sed hoc nequaquam videbitis, imo contrarium sæpe apparet: nam vbi facultas sanguificatrix læsa est, dicebat Galen. quod fiunt fluxus sanguinei, aut vitiatur color.

Dicebat Gal. 5. de loc. aff. 6. de placitis, se sępe agnouisse laborantes iecore solo colore, quia color est qualitas, quæ oritur a sanguine; vnde qualis sanguis, talis color esse solet.

Cum igitur sæpe videmus Gallicos, in quibus nullum argumentum apparet vitiatæ facultatis sanguificatricis, necessario sequitur, non esse verum morbi Gallici subiectum iecur.

Vnde etiam potestis iudicare, quales sint nugę, dicere, quod perpetuo in morbo Gallico iecur gignat sanguinem virulentum, quoniam si esset necessarium, sequerentur semper morbo Gallico laborantes, & præsertim antiquato, habere totum corporis habitum virulentum, quia caro fit ex sanguine, qualis sanguis talis caro: si Gallici iecur longo tempore faciat sanguinem virulentum, necessario quoque totus corporis habitus erit virulentus.

Ad hæc hoc nomen virulentum inuenio apud Galenum, & alios, duas solummodo res denotare, nimirum qualitatem humoris venenosam: sic videbitis apud Galen. lib. de constit. artis med. & 13. meth.

Videbitis Oribas. libro de hirudinibus virus appellare humorem venenosum. a. vero in primum epid. tex. 5. ait Galen. Hippocratem appellasse vomitus virulentos, quando fiunt ex flaua bile deusta; vtcunque capiatur sanguis virulentus, non nego quin interdum in Gallico morbo fiat, sed nego quod semper fiat, & quod iecur semper sit subiectum morbi Gallici. Non igitur caput, non genitalia, non iecur sunt subiectum verum, sed spiritus naturales.

Morbus Gallicus in quo genere morborum.
Error quorundam.

Sed dices, quæ est hæc affectio, quæ posita est in spiritu naturali? Dico non aliam esse nisi intemperiem: an vero hæc intemperies sit calida vel frigida, an humida, an sicca, dico posse esse omnem intemperiem, sed characterem huius morbi esse intēperiei gradum quendam, & quendam modum nobis cognitum, propter quod videbitis eos male sentire, qui ob morbum Gallicum putent quartum morborum genus esse fingendum, siquidem & Galenus omnino, & veteres ignari fuissent, quia nobis tantum tria morborum genera reliquerunt: nec est dicēdum hos excusandos esse, eo quod non cognouerint morbos lædentes modo incognito, quoniam cognouerunt morsum canis rabidi, cuius morbi profecto & ipsis fuit incognita ratio, & tamen non constituerunt propterea aliud genus morbi ab istis tribus.

Diacorallij.
In morbo Gallico esse gradum intēperiei incognitum.

Quod vero in morbo Gallico adsit gradus intemperiei cognitus, probatur, quia fiunt quidam effectus in morbo Gallico, qui sane non possunt reduci ad vllam intemperiem manifestam, sed solummodo ad gradum incognitum, nam clarum est actiones fieri, a temperatura, lædi ab intemperie.

Vt igitur perfectissimæ actiones fiunt a gradu incognito temperaturæ: sic etiam actiones insigniter læduntur a gradu incognito intemperiei.

Præterea videmus hunc morbum curari per remedia, quę nequaquam curant intemperies manifestas, cum tamen hęc remedia restituant actiones, necessarium est, vt restituant temperaturam, sed quia non restituunt temperaturam manifestam, sequitur quod restituant gradum temperaturę nobis incognitum, & quod tollant gradum illum intemperiei.

Quod item possit inesse omni intemperiei, probatur, quia videbitis aliquos intemperie frigida affectos laborare Gallico, videbitis rursus calidos, & hos frequenter tentari lue Gallica, non raro videbitis corpora arefacta & marasmata laborare Gallico, vt etiam corpora humidissima, ita quod non sit negandum, quod hic morbus omni intemperiei iungatur, sed quod characterismus eius sit gradus & modus intemperiei nobis incognitus.

Gradus ille intemperiei, quem dicebamus esse characterem morbi Gallici, introducitur quidem post intemperiem inductam, ita tamen, vt non multum temporis intercedat inter hunc gradum acquisitum, & ipsam intemperiem, quę quanquam possit esse a principio ab omni materia disiuncta, tamen plerumque copulatur materię, & non copulatur, dū membra, & viscera corrumpit, citissimam occasionem prębet generationi prauę materię. Est vero hęc materia cui iungitur hęc intemperies, sanies quędam corrupta & praua, tenax, & viscida, quę per spiritus paulatim propagatur, & inde per membra & viscera. Atque hic est modus generationis istius pestis.

CAP.

CAPVT II.

De causis morbi Gallici.

Causæ vero quæ ipsam faciunt, vel sunt externæ, vel internæ. Externæ comprehenduntur omnes sub contagio: contagium autem duplex est, aut immediatum, aut mediatum. Immediatum dico, quando corpora a corporibus immediate tanguntur: mediatum quando medio alicuius alterius corporis tanguntur: corpus vero mediū est aer vel externus vel inspiratus & expiratus, vel vterque. Iam vero manifestum est, quod Gallicus non potest contrahi per contactum medio aeris externi factum, quia si hoc fieri posset, innumeri quotidie caperentur hac peste; sicuti enim videmus, quod tempore pestis ob aerem medium innumeri tentantur peste: sic cum multi sint Gallici si per medium aerem posset contrahi, qui conuiuunt Gallicis inficerentur, quod cum non sit obseruatum vnquam contingisse, iure colligere possumus, hoc boni habere hanc luem, quod per aerem non communicetur: vnde miratus sum sæpe doctissimos viros, præcipue Fracastorium, qui in hac sententia fuerunt, quod etiam per aerem possit contrahi.

Neque etiam medio aeris inspirati & expirati contrahitur, quia si hoc esset, Medici qui vlcera oris Gallici curant, interdum caperentur hac lue: sed hoc non constat, quemadmodum dicebat Arist. de phthisicis, constat enim, quod phthisici laborantes per aerem inspiratum & expiratum contaminant astantes: de Gallico est inauditum: vt hinc sequatur, hunc morbum neque per aerem inspiratum, neque per expiratum contrahi; igitur sequitur vt solum per contactum corporeum immediatum fiat: sed aduertite me sub nomine contactus, intelligere coitum, oscula, suctionem lactis, nec non dispositionem paternam & hæreditariam, nam memini me legisse apud Plautum in Amphitrione, etiam dispositiones paternas & hæreditarias appellari contagiones.

At dubitabit quis, cur sit quod non possit per aerem contrahi morbus iste, quoniam Aristotel. 7. probl. sect. 4. & Alexander 2. probl. 39. scribunt, ophthalmiam contrahi per medium aerem, eo quod spiritus infecti exeuntes contaminant aerem, qui iterum oculos inquinant: si hoc verum est, cur non potest ex vlceribus præsertim oris spiritus emanare, qui inficiat aerem, & aer deinde venenatus alia coinquinet corpora? respondeo hoc rationabiliter fieri in ophthalmia & phthisi, in morbo Gallico non fieri, quia inter spiritus omnibus crassiores & immobiliores sunt naturales, vnde non possunt extra corpora eiaculari: spiritus enim animales & vitales sunt subtiliores, & proinde possunt longe eiaculari extra corpora. Vnde in ophthalmia spiritus animales eiaculati venenant aerem, in phthisi spiritus vitales, quia vna cum aere exeunt, possunt longe ferri extra corpora, & ita aerem commaculare, & alia corpora inficere.

Cur morbus Gallicus non contrahatur per aerem.

Modus verus quo contrahitur hic morbus, non est alius, quam explicatus fuit ab Aristotele & Alexandro locis citatis, quia scil. vel ex mutua contritione corporum, vel per semen, vel per ingressum lactis Gallici in corpore spiritus maculati miscentur non maculatis, quibus communicant vel intemperiem solam prauam, vel intemperiem vna cum illa proluuie, praua, & fœda; spiritus deinde vel intemperie sola, vel etiam sorditie venenati postmodum excurrunt per corpus, atque modo viscera inficiunt, modo non, vt suo loco dicam.

Modus quo contrahitur hic morbus.

Sed dubium est, an per vestes, vt putarunt nonnulli, possit communicari hic morbus. Ego ne rem longius traham, credo fieri non posse, nam cum statuerim, aerem medium non posse transuehere hunc morbum de corpore in corpus, tāto minus existimo alia corpora externa, eo quod cum ab aere nullum fomentum capiat sanies Gallica relicta in vestibus, alteratur ab aere. vnde alterata, & immutata, vim omnē morbificam amittit. Internæ causæ & mediatæ non aliæ sunt, quam ichores & sanies illa praua per contactum spiritibus naturalibus communicata, infixa, tenaciter adhærens. Cur vero huiusmodi sanies modo citius, modo serius propagetur, multæ concurrunt causæ. Primo est latitudo vel angustia meatuum, quia latioribus meatibus faciliter hauritur hæc pestis, vbi viæ sunt angustæ, difficilius propagatur morbus, concurrit etiam maior vel minor spirituum naturalium copia: concurrit maior vel minor dispositio viscerum, & morborum: atque hinc est, quod iecur, cum sit corpus laxum, cum abundet multis spiritibus, cum vasa sint lata, meatus latos in se habeat, facile & prius omnibus aliis visceribus tentetur: post iecur sunt genitalia, post genitalia os ipsum, quæ partes facilius tentantur ob causas iam dictas.

Internæ causæ mediatæ.

Sic etiam inuenietis experientia, homines, quorum corpora sunt duriora, frigidiora, eo minus morbo Gallico ceteris tentari, sic piscatores, rustici, senes minus exercentur aliis. Audio etiam Turcas non facile tentari hoc morbo, quamuis continuo misceantur cum captiuis infectis, & ratio putatur a me, quia corpora ipsorum dura sunt, & præsertim genitalia, quia recutiti sunt. Habetis igitur quomodo hic morbus sese in corpora insinuet, quando vel fit magna attritio, vel commixtio spirituum naturalium inter sese, etiam sine attritione.

Quibus hunc in modum constitutis, reddenda est a me ratio ad vndecim problemata pulcherrima, quæ occurrunt circa huius morbi tractationem. Primum est, cur sit, quod per annos interdum hic morbus lateat in corpore, ita vt nullum indicium appareat, sed tandem

Probl. vndecim.

sese

sese prodat & magna sæuitia grassetur. Secundum est, cur fit quod aliqui solo vno coitu contrahāt hanc luem, aliqui innumeris vix possunt contrahere. Tertium, an possit aliqua mulier habere consuetudinem cum viro infecto, & ipsa infecta, & illæsa remanens, alterum inficere. Quartum, vnde fit quod principio, cum morbus ille cœpit nostras oras depopulari, ferus erat, & immitis valde, nunc autem mitior factus sit. Quintum, quare fit, quod licet vniuersaliter sit factus mitior, nonnunquam tamen fit valde immitis & ferox. Sextū, an verum fit hunc morbum cum ægris nunquam facere pacem, sed solum inducias. Septimum, quamobrem modo pilos tentet, modo neruos, modo ossa, modo carnes, aut alias partes. Octauum, an vlla fit certa via euitandi hunc morbum, etiam quod homo consuetudinem habeat cum muliere infecta. Nonum, cur hic morbus neminem ex sese interimat, sed tamen sympt. dura faciat, & interdum per totam vitam perdurent. Decimum, an sicut cœpit hic morbus esse nouus, ita quoque futurū sit, aliquando definant: etiam legere potestis apud Plinium lib. 26. c. 1. morbos nouos, qui orti sunt vt, mentagra, gemursa, elephantiasis, in Italia tandem desiisse. Vndecimum, an sit vlla regio, in qua hic morbus magis, quam alia vagetur, nam multi morbi relati a veteribus, videntur propria quadā ratione certas oras peruagasse, sicut scribit Lucret. 6. de natura, elephantiasin in Aegypto, & podagram in Attica regione peruagasse: sic in Italia Dracunculi quidam in crure oriebantur, qui deuastabant populos, & interimebant, cuius morbi quoque mentionem fecit Plutarchus 8. sym pos. 9. Gal. 6. loc. aff. 3. Auic. 3. 4. tract. 2. cap. 21. qui etiam se vidisse hoc morbi genus testatus est. Sic refert Aretæus aphtha vocata esse Syriaca, eo quod in Syria peruagarētur: refert etiam Agatarchides in Aethiopia quoddam morbi genus peruagasse, quo qui corripiebantur primo pediculos alatos e corporibus emittebant, post pediculos sequebatur scabies mira, quæ homines vsque ad mortem comitabatur.

De primo proble. Cur hic morbus aliquandiu lateat.

Ad primum problema respondeo idem quod respondetur de canis rabidi morsu, quod nimirum, sicuti certum est, latere interdum per annos venenum canis rabidi in corpore, sine vllo signo, quod testati sunt omnes Medici post Hippocrat. etenim nec Hipp. nec veteres cognouerūt hunc morbum, vt ego monstraui in varijs lectionibus contra Cælium Aurelianum, sic quoque rationi consonum est, hanc pestem posse latitare in corporibus multos annos. Modus autē quo latet, scitu certe dignus est, etenim diximus proluuiem hanc esse viscidam, tenacē, propter quod tenaciter adhæret, & miscetur spiritibus; quia vero non potest effectus clarus demonstrari, nisi in solidis, & humoribus, cum hi spiritus viscera & humores inueniunt, qui magnam resistentiā faciant, & qui ipsos respuant, durat morbus in spiritibus, & non communicatur partibus ceteris: vbi vero paulatim incipit hic morbus agere, non percipitur eius operatio. Sic Galen. 1. de loc. aff. demonstrās dari in corporibus alterationes imperceptibiles, afferebat exemplum de gutta, cuius actio primo illo tempore est insensibilis, sic prima actio spirituum naturalium infectorum insensibilis est, ita vt si coniungamus tempus, quo repellunt viscera venenum, & tempus quo sit insensibilis operatio, potest esse tempus anni, & annorum, atque ita haberi ratio cur venenum canis rabidi, & veneuum gallicum interdum multis annis latitet in corpore, absque hoc quod vllos de se prodat affectus.

Sed dices quomodo potest hoc vitium tanto tempore in solis spiritibus perdurare, si enim continuo viscera repellunt, cur non extinguitur venenum? cur permanet tanto tempore? Primo concurrit tenacitas, & viscidítas illius saniei gallicæ, quæ mixta est spiritibus, concurrit etiam medicina neglecta, quia vbi a principio medicina malis non adhibeatur, paulatim crescunt mala, & vires magnas capiunt; concurrit postremo mala victus ratio, error in omnibus rebus non naturalibus, qui non modo conseruant illam pestiferam tabem in spiritibus verumetiam continuum fomitem & augmentum ipsis suppeditant, ita quod non debeat quisquam mirari, si maneat atque perduret interdum multis annis hic morbus occultus. Retulit in collegio D. Belloeatus, alias se vidisse nobilem quendam Veronensem, qui hoc malo per 30. annos fuerit detentus, sine tamen suspicione, aut aperta causa illius morbi.

Cur aliqui vno coitu contrahant, alij vix innumeris.

Erat secundum problema, cur fit quod interdum vno coitu contrahatur morbus Gallicus, interdum non contrahatur: id quod pluribus de causis contingere potest. Prima varia & diuersa corporum dispositio, vnde fit, vt qui magis dispositi sunt ad morbum capiendum, citius contrahant, qui vero minus, tardius inquinentur. Quæ ratio est, quod quibus aliqua corporis pars laborat, semper morbum in ea parte concipiunt; verbi gratia si quis podagra laboret, & capiatur Gallico, videtur hæc pestis magis grassari in pedes. Ita quoque si quis oculos læsos habet, & Gallico tentetur, magis oculi infestantur.

Altera causa est incuria & negligentia, nam qui sese post coitum recte emundant, qui omnem malam illuuiem auferunt, serius capiuntur Gallico: contra qui nullam curam gerunt, qui conseruant illam spurcitiem, isti citissime hac lue tentantur.

Præterea multum ad hoc facit mora in coeundo tracta, quia quicunque diutius morantur, quicunque valde incalescunt, hi citissime & vno coitu inficiuntur: ex aduerso qui statim rem suam absoluunt, qui parum incalescunt, serius & difficilius contrahunt luem. Postremo illi velocius ceteris inquinantur, quicunque magis ardent in libidine, qui magno impetu feruntur ad concubitum, & hinc est, quod iuuenes facile & cito inficiuntur, eo quod ardentes admodum in rem veneream labuntur. Idem etiam illis contingit, quia raro venere vtuntur, quia si quando contingant amata, magno impetu feruntur, & propterea cito contrahunt, quod contingit Monachis sæpe, & his qui raro experiuntur venerem, ratio est quod intus

magnus

magnus fit confluxus spirituum ad genitalia, adhæc viæ aperiuntur veneno. Ex aduerso qui frigidi sunt in amando, quicunque frequentissime vtuntur venere, isti omnes tardius tentantur eo quod genitalia non admodum calent, pauci spiritus ad ipsa confluunt, & iure isti minus sunt obnoxij huic morbo, & ego noui quendam, qui quotidie vtebatur venere etiam cum infectis, & nunquam tentatus est Gallico. Ad 3. probl. respondeo, arduum quidẽ esse creditu, quod mulier non infecta, alium possit inficere; attamen neque hoc prorsus a ratione est alienum, quoniam si, vt dixi hoc venenum potest latere in corpore per annos, non videtur esse absonũ, quod possit latere in muliere in spiritibus, & deinde in coitu spiritus illi venenati, alios quoque coinquinare: habetis exemplum apud Auicen. de puella quæ nutrita veneno, ipsa nequaquam venenata erat, sed alios, cum quibus consuetudinem habebat, venenabat. Habetis etiam exemplum tempore pestis de felibus & canibus, qui sæpe a peste euadunt, & tamen alios inficiunt. Itaque perspectum vobis esse potest, non dissentire rationi, quod mulier quæ visa sit viro inquinato, possit ipsa expers esse huius luis, & tamen possit alios inficere, cum quibus cõcumbit. Ad 4. probl. respondeo, quod a principio, quo morbus iste cœpit nostras regiones depopulari, multæ conspirarũt causæ, quæ ipsum ferum & immitem effecerunt, quæ causæ cum hoc tempore defecerint, iure factum est, vt hic morbus cœperit esse remissior. Causæ autem quæ principio effecerunt immanem hunc morbum, fuerunt nouitates symptomatum; nam homines nouitate huius deterriti animos despondebant, ex quo corpora tota tradebant morbis, sicque ab ipsis grauius affligebantur. Ita namque sub peste grauius inficiuntur illi quicunque animos magis despondent, & qui timent, quod contingit in peste relata a Thucydide, imo vero Galen. 3. in 3. epid. tex. 57. dicebat, in ea peste homines animosiores fuisse seruatos. Atque hæc est ratio, cur corpora dormientium, magis inficiantur ab aere inclemente, quoniam corpora dormientium, cum non gubernentur ab animo, sola sese tradunt aeri, nullam faciunt resistentiam, & idcirco grauius & facilius infestantur ab aere.

An mulier infecta nondum alium possit inficere.

Cur morbus iam mitior sit quam dũ incœpit.

Sic in principio ob rei nouitatem nondum inuenta erat medicina, nondum habebant guaiacum, quod quasi cælitus datum, potest solummodo debellare hanc pestem. Quod si primo illo tempore aliqua adhibebantur remedia, vt erat argentum viuum, sandaracha & reliqua, ea erãt admodum venenata, sine ratione, sine methodo dabant, propter quod non modo remedia nõ proficiebant, imo vero magis oberant, quia corpora venenatis medicamentis male tractata sæuius etiam contaminabantur.

Tertia causa erat, quia omnia circa principia solent esse vehementiora: sic accepimus mentagrum & alios principio fuisse morbos sæuissimos, deinde paulatim remissos & retusos.

Quod vero, (& est quintum problema,) hoc tempore etiam interdum cõtumax fit hic morbus, & ferox, est pluribus de causis, aut quando inuenit corpora debilia, humoribus prauis plena, ad patiendum etiam disposita, quibus fit morbus contumacior: aut etiam morbus hic fit contumax, quando renouatus est, nam consueuerunt morbi ingeminati & renouati semper deteriores esse. Quod etiam alij morbi huic coniuncti fiant contumaciores, non alia est ratio, nisi quia morbus morbo accedit: ad hæc morbus accedit nouus membris prostratis, & infirmis, vt iure postmodum membra male tractata, non possint neque nouum, neque vetustum a se depellere.

Cur nonnunquã hic morbus fit ferox & contumax.

Ad sextum respondeo, morbus Gallicus, nisi statim comprimatur, solet altas radices figere, & quanquam mitior appareat, tamen intus alit venas, & ita incremẽtum accipit ratio est, quia spiritus naturales, in quibus fomes hic latitat, vbi semel venenum conceperunt, toti per totum corpus inficiuntur, cum itaque toti sint infecti, modo vnam contaminant partem, modo alteram, vnde in vna parte curantur & depurantur, in altera parte non curantur, ita quod non possint fere vnquam toti simul depurari, quin semel aliqua pars spirituum contaminata maneat, vt iure dictum sit a vulgo, hunc morbum facere inducias, nõ pacem, eo quod semper aliqua pars spirituum labefactata relinquatur.

Cur hic morbus faciat inducias, nõ autem pacẽ.

Ad septimum respondeo, varias partes a lue Gallica infici, vel quia magis dispositæ sint & præparatæ ad eam recipiendam, vel quia minus repellunt: vnde quando carnes sunt magis dispositæ, & minus resistentes, tum ipsæ potius tentantur: rursus quando ossa sunt magis disposita ipsis magis ponitur & habitat ipse morbus.

Tandem de morbo Gallico est eadem ratio, quam retulit Galenus de calore febrili, qui scilicet modo depascitur solida, modo spiritus, modo humores, prout scilicet isti sunt magis dispositi ad inflammationem, vel minus resistunt flammæ & igni.

Quare hic morbus modo pilos, modo neruos, modo alias partes infestet.

Ad octauum dico, non ignorare me multos esse qui magna pollicentur, qui vt vendant nugas, dicunt sese habere secreta, quibus possint fugare hunc morbum, etiam si infectis vtantur.

Sed ego hęc fabulas existimo, quia necessario in coitu fit attritio genitalium, fit permixtio spirituum, aperiuntur pori & meatus, vt non videatur fieri posse, quin spiritus infecti misceantur poris, & eos etiam commaculent.

An possit hic morbus fugari etiã quod ĩfectis vtantur.

Sed video vos dicturos esse, quod medicamẽta hac in re possint duo præstare, nimirũ dẽsare poros genitaliũ, ita vt nõ pateat aditus spiritib. alterũ quod possint spiritus cõfirmare, & ita corroborare, vt a sese longe repellant labẽ, eo magis quod Gal. 1 de antid. c. refert de Mithridate, & Antonino Imperatore, quod ex vsu theriacæ & Mithridatij sese tradiderunt tutos a venenis.

Cur etiam dicetis, non possunt medicamenta inueniri, quæ securos homines reddant ab hac lue? Respondeo aliam esse rationem venenorum, quæ intus capiuntur, aut extrinsecus,

aliam vero morbi huius, qui per contactum contrahitur, nam venenum non statim sese immiscet spiritibus, hoc autem contagium statim miscetur spiritibus. Præterea venena prius ingrediuntur ventriculum, deinde disperguntur per viscera, & spiritus contaminant, hæc vero pestis statim ingreditur intima, & spiritus contaminat. Postremo ea quæ præseruant a venenis intus sumuntur, ita vt possint & ipsa diffundi per totum corpus, atque ita confirmare viscera & spiritus. Medicamenta autem, quæ isti pollicentur, sunt externa, nec possunt vim suam ita diffundere per intima.

Deinde si quid esset, quod possit præseruare ab hac peste, esset ea antidotus, quæ ipsam curat; sicut theriaca quæ curat venena, præseruat etiam a venenis, & omnia quæ præseruant a veneno, curant etiam venenum. Ceterum decoctio guaiaci, quæ sola curat Gallicum, non potest præseruare, eo quod videmus quotidie, qui capiunt hanc antidotum, etiam coinquinari. Ergo tanto minus alia remedia possunt homines tueri. Sed dicetis; nos videmus quotidie multos commisceri, & tamen non coinquinari, cur etiam hac arte id fieri non potest? Dico non posse artem spiritibus naturalibus eam facultatem resistendi ingenerare, quam potest natura, non nego tamen, hæc remedia & alia non posse aliquid efficere, vt non ita faciliter contrahatur morbus; sed quod omnino possit nos reddere tutos, nego. Itaque non sinatis vos decipi, quia ad euitandum hoc malum, tria solum remedia inuenio, aut fugere scorta hæc prostituta & infecta, aut castitatem seruare & vosmet euitare, aut vxorem ducere, & hac sola vti, melius enim est, vt dicit D. Paulus, nubere, quam vri.

Cur hic morbus nemine interimat ex sese.

Ad nonum respondeo, mortem fieri, quando cor ipsum vehementer læditur, iam vero vt docuit Galenus libro de marasmo, natura semper quantum fieri potest, cor ipsum defendit, & maxime a morbo Gallico, vt iure obseruatum sit, hūc morbum ex sese neminē iugulare. Quod autem in Gallico natura potissimum defendat cor, apparet quia in Gallico nō fit febris, nisi per accidens: in Gallico non alteratur respiratio, nisi raro & in extremis: in Gallico nō alteratur pulsus, nam nulla sunt signa ex pulsu, quæ sunt argumenta efficacia, quod natura in hoc morbo cor tueatur, quomodo vero tueatur, accipite. Etenim spiritus vitales semper sunt robustiores naturalibus, vnde cum sint robustiores, iure repellunt semper venenum a sese, id enim contingit, quod scripsit Aristoteles 4. de partib. animal. a. de bile, quam dicebat non pati cor, vt sibi approximetur, quia bilis est valde inimica cordi. Sic quoque de Gallico morbo dico, spiritus vitales non pati, vt hæc labes contingat cor, quia est valde inimica ipsi. Sed hoc in loco insurgit dubitatio, quomodo hoc fiat, quoniam sententia Medicorum est, quod spiritus vitales gignuntur ex naturalib. quomodo fieri potest vt si spiritus naturales sint venenati, etiam vitales non veneneentur. Dico calorem cordis hoc efficere, nam puto vos scire, quod aurum impurum & non defęcatum si in igne ponatur, calore ignis depuratur, illustratur, perficitur: sic quoque spiritus naturales venenati calore cordis depurantur, illustrantur, & perficiuntur in vitales.

An sicut cœpit hic morbus esse, ita quoque futurum sit vt aliquādo desinat.

Erat decimum nobis propositum problema, num sperandum sit vllo tempore desiturum esse morbum Gallicum, in quo problemate mea est sententia, procul dubio futurum esse, vt quandoque pestis hęc prorsus finiatur. Ad hoc existimandum, multis impellor coniecturis. Vna est quia, cetcri morbi, qui tempore maiorum apparuerunt, noui omnes, sunt tandem penitus extincti. Altera est, quoniam a principio quo morbus hic cœpit, vsque ad nostra tempora valde imminutus est: vnde si pręterita pręsentibus comparemus, existimandum est, indies esse minuendum, ita vt tandem prorsus aboletur.

Sed dicetis qua ratione tandem fiet, vt hic morbus extinguatur? Puto multis rationibus hoc esse euenturum. Primo ratione victus, eo quod homines in victu quotidie fiunt diligentiores: deinde ad hoc conspirabit etiam prudentia ad coitum, quia homines longo rerum vsu edocti, tandem discent effugere hoc contagium. Pręterea munditiés circa corporis cultum magnopere pręstabit ad hoc obtinendum. Quod hęc nostra coniectura non sit vana, potestis intelligere, si consideretis pestem. Cur est quod tempore maiorum, Italię regio frequentissime peste exercebatur, nunc vero rarissimas videbitis regiones, quę peste inficiantur, & si quādoque incipit statim supprimitur. Huius rei nulla maior potest afferri ratio, quam hęc, quod maiores nostri fuerint negligentiores in mundandis vrbibus, in curandis corporibus, in fugiendis contagiis, nostri vero diligentissimi sunt, & tantum potest hęc diligentia, vt vrbes rarę videantur quę peste laborent. Idem de morbo Gallico dicendum est, sęuisse hunc morbum ante, quia homines negligentes erant, nunc vero & in posterum hanc luem desituram, quod velint superi esse hoc sęculo.

An sit aliqua regio in qua hic morbus magis grassetur quā in alia.

Erat vndecimum problema, numquid sint aliquę regiones, in quibus magis grassetur morbus Gallicus, quam in aliis. Cuius vt resolutionem habeatis, intelligere debetis, omnes morbos, qui alicui regioni familiares sunt, esse vel ob cibos, vel ob aliquos humores proprios, vel ob ventos & aerem. In Aethiopia scabies illa, in Arabia Dracunculi, de quibus Galen. & Auicenna meminerunt, non alia ratione eueniunt, nisi ob victum; populi illi edacissimi sunt, & pręsertim locustas in cibis habent, cuius cibi conditione ita corpora inficiuntur. Podagra vero in Attica regione abundat, ob delitias, & veneris vsum, apud Laertium in vita Empedoclis & apud Clem. Alex. 6 strom. habetis, interdum quendam flatum Agrigentinorum agros peruagasse, qui ęgritudines inferebat, & pręsertim mulierum sterilitatem. Itaque habetis omnes morbos priuatę regionis natos, vel a victu, vel a more gentis, vel ab aere: morbus vero Gallicus a nullo horum fit; igitur sequitur, quod hac ratione non possit esse peculiaris alicui regioni;

veruntа-

veruntamen cum contrahatur per contractum, præſertim ex coitu, dico peculiariſſimum eſſe hunc morbum earum plagarum cæli, ſub quib. homines magis veneri operam dant. Ideo fius eſt Italorum vt abundent hoc morbo, quia indulgent veneri, & viuntur paſſim mulieribus infectis, vt non mirum ſit eſſe quaſi peculiarem morbum noſtrarum plagarum.

CAPVT III.

De differentijs, & ſignis morbi Gallici.

Diffe. morbi Gallici.

Differentiæ morbi Gallici tres vere exiſtunt, quanquam non vere eſſentiales, quia morbus Gallicus alius eſt inueteratus, alius nouus, alius eſt morbus vehementior, alius mitior, rurſus alius eſt hæreditarius & natiuus, alius vero accidentarius, qui per concubitum comparatur.

Signa.

Nūc ſigna videamus, quę vt facile cognoſcere valeatis, primo querelas ęgrotantium recte contemplemini, & ſemper quæratis, an vſi ſint muliere infecta, numquid orti ſint ex patre Gallico, nunquid biberint lac mulieris infectæ, hæc dico, quia morbi Gallici indicia alioquin incerta maxime ſunt, niſi conſtet, vel habitam eſſe rem cum infecta, vel ortum eſſe ęgrum ex patre Gallico, vel vſum lacte vitiato. Fontes ex quibus colliguntur hæc indicia, tres ſunt, actiones læſæ, extrinſeca excrementa, & accidentia mutata. Quæ ex primo fonte hauriuntur, ſunt mæror, & triſtitia, auditus grauis, interdum cum tinnitu aurium, obtuſio viſus, vox rauca, vigiliæ vexant, tuſſicula adeſt, ſentiuntur laſſitudines quædam ſpontaneæ corporis, pigri ſunt & torpidi ad motum, minuitur facultas coctrix ventriculi, iecur & venæ etiam non coquunt, vis quoque appetitoria eſt emortua, Atque tot ſunt ſigna capta ab actionibus læſis morbi Gallici.

Ab actionibus læſis.

Ab excrementis.

Quæ vero capiuntur ab excrementis, ſunt mala quædam pituita oris, & quaſi vrinæ mutatæ, ſabuloſæ, ſubalbæ, profluuim materiæ ſpermaticæ: ſudor interdum prauus & fœtidus.

Ab accidētibus mutatis.

Quæ deinde ſumuntur ab accidentibus mutatis, ſunt plurimum cognitu neceſſaria, dolor articulorum in primis & perioſtiorum, dolores capitis vehementiſſimi, faciei & oculorum color mutatus, præſertim pilorum defluuium. Et notate nonnullos voluiſſe hoc proprium habere morbum Gallicum, vt defluāt pili palpebrarum, quod ego minime firmum argumentū eſſe exiſtimo, eo quod Ariſtoteles 11. problem. 57. ſcribit, putatum eſſe, quod pili palpebrarum defluant immodica venere vtentibus: vndè ego colligo, in morbo Gallico, eos ſolum amittere pilos palpebrarum, qui ob nimium coitum contraxerint ipſum, aut qui cōtracto hoc morbo immodice venere vtuntur. Cauſam vero cur pili palpebrarum ex immodica venere decidant, puto eſſe, quoniam, vt Ariſtoteles in problemate docuit, maxime in coitu laborant oculi, palpebræ maxime agitantur, ideo ſicuti in immodica venere oculi contrahuntur, eo quod exſiccantur, ſic palpebrarum pili decidunt, quia humor quo nutriuntur, abſumitur: ita non eſt proprium ſignum morbi Gallici, vt Gallicus eſt. Ad hęc ſunt vlcera capitis, barbæ, pudēdorum, & denique totius corporis, præterea tubera, tumores inguinum, tumores, & gummata tibiarum, brachiorum ſciſſuræ, & hiatus manuum & pedum.

Alia eſſe ſigna incipientis morbi Gallici, alia conſūmati.

Hic eſt catalogus ſignorum, circa quæ neceſſarium puto vt tria a vobis obſeruentur. Vnum eſt, omnia hæc initio morbi Gallici obſcura eſſe, ſed progrediente morbo fiunt clariora & vehementiora: ex quo colligere poteſtis, alia eſſe ſigna, quæ comitantur incipientem hunc morbum; alia quæ conſummatum & perfectum. Incipientis ſigna ſunt, laſſitudo ſpontanea totius corporis, dolores capitis, & corporis vagi, non firmi, nec fixi, grauitas membrorum, torpor a ſomno, pigritia ad motum, calor faciei mutatus, gonorrhæa, caries, & vlcera pudendorum, adeſt quandoque & febricula, præſertim abſque vlla magna putredinis nota.

Confirmati huius morbi indicia ſunt, capitis dolor continuus, vlcera capitis, vlcera oris, quę modo cruſtoſa ſunt, modo purulenta, modo calloſa, raucedo, tumores faucium, & præſertim palati, dolor firmus capitis, & corporis, defluuium ſuperciliorum, gummata dura, tinnitus aurium, ſciſſuræ, manuum, & pedum.

Ad morbū hunc indicādum concurrit ſyndrome ſignorū.

Alterum notandum circa hæc ſigna eſt, quod ſicuti minime neceſſarium eſt, vt ad morbum Gallicum concurrant omnia prædicta ſigna, ſic non facile eſt inuenire quempiam qui laboret morbo Gallico, & habeat vnum tantum ſignum, nam videbitis ſi habeat defluuium capillorum, habere & vlcera, habere dolores varios: atque ſic de ſingulis, nunquam aut rariſſime inueniuntur laborantes morbo Gallico, quin multa ſecum ſigna habeant, ratio eſt, quia vt dixi fomes morbi Gallici poſitus eſt in ſpiritibus naturalibus, ſpiritus naturales diſſipati ſunt per vniuerſum corpus, proinde cum inficiunt membra, & humores, vix fieri poteſt, vt nō inficiant ſimul multas partes.

Duo præcipua ſigna morbi Gallici.

Prognoſt.

Tertium notandum eſt, quod quandoque hæc ſigna poſſunt ſequi alios morbos, nihilominus duo ſunt præcipua, quæ ſigna morbi Gallici & aliorum diſterminant. Vnum contumacia morbi, & accidentium, quia vix inuenietis morbū aliquem, cuius accidentia adeo contumacia ſint, ſicut accidentia morbi Gallici. Alterum nec contemnendum ſignum eſt, inobedientia remediorum, vbi videtis morbos ordinariis remediis non cedere, neque remediis a veteribus morbis relictis, hoc ſignum efficax eſt ad cognoſcendum morbum eſſe Gallicum.

Signa prognostica sunt, quod, vt dixi, nemo ex morbo Gallico per se iugulatur, dico per se, eo quod morbo Gallico potest copulari alter morbus, qui iugulet, vt si fiat febris pestilens, si Asthma, aut alter morbus lethalis. Sunt aliqui qui existimāt, quod morbo Gallico laborantes sint liberi a morbis pestiferis, dicuntque hoc esse, quia aliud genus humorū in Gallico dominatur, aliud quod sit aptum gignendis febribus pestiferis, idcirco minus Italiam infestari peste, quia abundat Gallicus. Sed has puto esse nugas, ratio, quia character febris pestiferæ est putredo, siue occulta sit, siue non: quis negat in morbo Gallico adesse putredinem, & esse membra disposita gignendæ putredini? Videmus in Gallicis vitiatos humores, spiritus, coctiones, ita vt nō sit sperandū, quod isti sint prorsus liberi a peste, bene verum est, quod qui semel habuerūt morbum Gallicum, & perfecte curati sunt, minus capiuntur, ratio est, quam dicebat Galenus primo ad Glauconem, vbi inquit eos, qui antea purgati erant, non esse captos peste, sic qui Gallico curati sunt, ita vt sublatus sit fomes putredinis: sed quod illi qui laborant Gallico, non sint subiecti pesti, non credo.

Italia cur peste non sæpe infestetur.

Gallicus nequaquam acutus est, sed chronicus, & idcirco in senibus deterrimus; ratio capta est ex Hipp. 2. aph. vbi tradit hoc oraculum, senes minus ægrotare iuuenibus, sed morbos lōgos eos comitari ad mortē. Difficilior curatu est morb. Gallicus ex hæreditate, vel suctione lactis, quam si sit contractus per coitum, quemadmodum si mulieres exacte purgentur, vel si viri habeant hæmorrhoidum fluxum, minus vexantur a Gallico, & si quando vexantur, facilius ceteris liberantur, eo quod habent cloacas, & partes, per quas sordes omnes expurgantur.

Febris morbo Gallico iūcta difficilior est curatu.

Defluuiū capillorum bonum signū.

Si vero sit Gallicus cum febre, dico tunc esse grauem & difficiliorē curatu, eo magis, si febris sit effatu digna, quoniam remedia, quæ curant morbum Gallicum, sunt calida & sicca, quæ febri sunt valde aduersa, vt ratione hac sit timendus ille morbus Gallicus, qui est cum febre.

Quod si sit defluuium capillorum, si ægri faciliter sudent, ipsi etiā facilius liberantur, & ideo quando pili cadunt, non timeatis multum, ratio est, quia argumentum habetis, corpus apertum esse, vitiatam esse superficiem, & ideo morbum facile tollendum esse, superandum est. Ex aduerso si adsint gummata, si dolores perosti ... nihil ludant ægri, valde suspectum habere debetis ægrotum, eo quod in intimis residet morbus, nec corporis extima sunt aperta, ita vt non sit vobis sperandum, naturam esse quicquam auxiliaturam.

Sunt qui dicunt, epilepsiam, asthma, & alios morbos lethales, si quis habeat, & capiatur Gallico, liberari, & dicunt idcirco esse, quia tota natura in morbo Gallico mutatur, & ideo facile fit, vt in mutatione illa morbi pene naturales euellantur.

Sed hæc fabulæ sunt: concedo, naturā mutari a Gallico, sed fit mutatio ad peius: qui igitur fieri potest, vt isti morbi, qui in corpore sano natura sua sunt difficiles, alteri prauo morbo copulati, non reddantur difficiliores? Hoc tamē habetote, quod qui semel curati sunt morbo Gallico, & iterum illaqueātur, aut nunquam aut difficulter ... ratio est, quia si antidotus & vera remedia non potuerunt auferre dispositionem corporis ad hunc morbum, signum est, eam dispositionem valde magnam esse, & propterea vbi iterum morbus ... maxime laborandum est, & suspicandum de salute.

CAPVT IV.

De curatione morbi Gallici.

Curationem morbi Gallici nunc aggrediar, quæ quoniam necessarium est, vt sit paulo longior, eam in tria summa capita diuidam. Primum erit de purgatione instituenda. Secundum de antidotis Gallico administrandis. Tertium de modo succurrendi quibusdam accidentibus, quia sunt multa & sæua symptomata, sed nonnulla solo decocto curantur, nonnulla vero alia expostulant auxilia, quæ peculiarem exigunt tractationem. Primum igitur caput aggrediar de purgatione, quæ profecto maxime necessaria est, quoniam si debellanda est hæc lues, & a spiritibus tollenda, fieri id nequaquam potest, nisi omnes viæ expurgentur, vt pateat antidoto aditus. Sunt aliqui in ea sententia, quod non debeat statim antidotus administrari, nec statim sit morbus Gallicus curandus. Adducunt experientiam, quod interdū appareat adhibitis a principio medicamentis exasperari. Ratione vero hac vtuntur, quod hoc malum a principio sponte curari possit, quia si medicamentis irritetur, magis per corpus propagatur.

Curatio. Diuisio curationis.

De purgatione.

2. aph. 29.

Ego vero sum alterius sententiæ, & puto non minus hanc sententiam esse perniciosam quam falsam; ait enim Hipp. in lib. de loc. in hom. & in lib. de sacro morbo, quod a principio semper morbis obuiandum est, & quod sit habenda magna solicitudo, vt nascentes morbi statim extinguantur, nec hoc sine ratione; & quanquam hoc sit in omnibus morbis verum, verissimum tamen est in morbo Gallico, ratio est, quia in principio hic morbus latitat in extremis, & non curatur medicamentis per alterationem, sed per expulsionē operātibus. Iam vero cui dubiū est, facilius expelli posse hanc pestē, quando in extremis corporis est, quā quādo iam per viscera propagata est? ea propter hoc sit apud vos constans, statim ac apparent morbi gallici signa, incipiatis occurrere, hoc autem facietis, si primo purgationes instituatis, & quia monstratū est a me hunc morbum copulari omnibus intēperiebus, erit vobis initio curationis

cogitandum,

cogitandum, an morbus sit iunctus frigidæ intemperiei, an vero calidæ. Et cum dico intemperiem, non intelligatis nudam, quia rarissime, imo nunquam contingit, vt sola intemperies sit in corpore, vbi est Gallicus morbus.

Curatio morbi Gallici cũ intemperie calida cum materia.

Si fuerit iunctus intemperiei calidæ, est statim instituenda victus ratio, quæ refrigeret & exsiccet aliquantisper: dico exsiccet, quia fere perpetuum est in hoc morbo, vt sit exsiccandũ. Somnus & quies moderata esse debent, aer temperatus, exercitationes debent etiam in calida intemperie adhiberi, & notate, quod cum hic morbus per sudorem fere semper expellatur, exercitationes hac ratione semper conueniunt, hinc fit, vt rustici hac lue raro teneantur, quia laboribus diuturnis statim hoc virus in ipsis dissipatur.

Sed dicet aliquis, est sententia Hippocrat. 6. epid. quod calidis naturis conuenit aquæ frigidæ potus, & quies. Similiter scribit, corpus impurum si exerceatur, fieri vlcera: igitur non videtur exercitatio in purgatione corporis Gallici cum calida intemperie conuenire. Respondendum, Hippocrat. intelligendum esse de calidis naturis simpliciter, id est, de illis naturis, quæ sunt calidæ sine morbo aduentitio, quod non est in morbo Gallico. Præterea & si fiant vlcera, vbi corpora impura exerceotur, est tamen illud bonum, vt scilicet morbus e latebris corporis ad extima veniat.

Abstinendum est omnino a Venere, duplici de causa; primo, quia eneruantur vires, quæ necessariæ sunt in hac longa extenuatione. Ad hæc ex attritione, & motu coitus, morbus, qui in vna parte est, facile per vniuersum corpus diffunditur. Potus debet esse aqua cocta cum hordeo, vel cum cinnamomo, cum anisis, vel etiam concedendum est vinum aquosum, tenue.

Cibus sit panis optime coctus, & aniso vel fœniculo conditus, oua tremula, carnes pullorũ, auicularum, hædi. Ego præsertim laudo iecora omnium animalium, quoniam est sententia omnium Medicorum, iecora proprietate & similitudine naturæ conseruare etiam iecur hominis, quod maxime studendum est facere in morbo Gallico, quoniam solet hoc viscus maxime omnium maculari. Ex herbis conueniunt borrago, acetosa, cichorium, sonchus, hepatica, endiuia. Ex fructibus passulæ, pistachia, caricæ.

Notanda in victu.

Notandum est circa victum, vt semper exhibeatis, quæ tueantur iecur, tum etiam quæ possunt propellere excrementa ad cutim, & ratio est, quia si morbus est hac via extinguendus, optimum est assuescere naturam paulatim, vt excernat per eas partes.

Lenientia aluum.

Instituto victu lenienda est aluus, pro quo conuenit syrupus de polypodio, cassia, elect. lenitiuum, elect. indum, vt:

℞. *Elect. indi.* ℥. iij.
Elect. lenitiui ℥. j.
Misce pro bolo.
Vel ℞. *Syr. de polypodio* ℥. iiij.
Aquæ borraginis ℥. v.

Præparatio.

Leuita aluo veniendum est ad præparationem humorum, qui præparantur duobus, syrupis videlicet, & electuarijs. Capiuntur enim electuaria ad quantitatem duarum vel trium ʒ. ante syrupum immediate, vt est:

℞. *Sacch. borraginati.*
Sacchari bugloss an. ℥. ij.
Pul. cardui benedicti ʒ iij. *Misc. & f. electuarium.*

Syrupi vero multi sunt, vt est de fumoterræ, cichorio, lupulis, succo borraginis, de scolopendria, de eupatorio, de epithymo. Pro decoctione conueniunt scabiosa, lupulus, cuscuta, scariola, chamædris, chamapytis. Et aduertite, semper fere necessarias esse duas purgationes, antequam deueniamus ad vsum decocti, quia operæ pretium est, vt viæ aperiantur diligentissime, ita vt pro prima purgatione fiat syrupus, hoc modo.

Præparatio prima.

℞. *Fol. scabiosæ.*
Lupulorum.
Cichorii.
Buglossæ an. M. ß. f. decoct. s. a.
Deinde ℞ *d. d.* ℥. *iiij.*
Syr. de lupulis.
De eupatorio an. ℥. *j. M.*

Secunda.

Pro secunda purgatione poteritis capere similem syrupum:

℞. *Fol. borraginis.*
Scariolæ.
Sonchi.
Fumiterræ an. M. ß. f. decoct. s. a.
℞. *d. d.* ℥. *iiij.*
Syr. de fumoterra compos.
De cichorio compos. an. ℥. *j.*

Vena sect.

Dum præparantur humores, est vobis cogitandum de venæ sectione, quia male iudicio meo faciunt, qui passim in omnibus Gallicis statim venam pertundunt, & ratio est, quia sem-

Duo obseruanda ante venæ sect.

per per venæ sectionem malum magis per vniuersum corpus distribuitur. Quocirca duo erunt vobis semper animaduertenda: Vnum, an sit plenitudo in corpore, quia si adsit plenitudo, etiam quod morbus sit in principio, semper mittendus est sanguis: ratio est, quia plenitudo de se exigit hoc remedium, quia vbi adest plenitudo, indicatur esse mittendum sanguinem. Ad hæc vbi plenitudo est, non est timendum ex venæ sectione, quod morbus propagetur per partes, ratio est, quia vbi plena sunt vasa, facile locus exinanitus repletur a loco vicino, qui abundat sanguine, vnde non est necesse, vt natura sanguinem ab extremo corporis moueat, vt locum inanitum repleat. Vbi vero non est plenitudo, & morbus sit in principio, dico, hoc in casu periculosam esse venæ sectionem; & ratio est, quia cogitur natura, vt repleat vasa inanita, a loco affecto sanguinem mouere. Quod si etiam non adsit plenitudo, & tamen adsit fluxus, & periculum sit, ne morbus distribuatur, dico hoc in casu sanguinem esse enacuandum, vt compescatur fluxus ille. Et ego in his casibus pertundo saphenam, scarifico crura, quia ex hac venæ sectione non accedit corpori multa inanitio, accedit tandem retractio humorum ad partes inferiores.

Purgatio.

Postquam præparati fuerint humores, & de sanguine facta sit deliberatio, veniendum est ad eos expurgandos. Et primo debent expurgari medicamentis leuioribus, vt esset in bolo, hoc modo:

℞. *Conf. Hamech ℥. ß.*
Diacatholi ℥. j.
Trochisci violarum ʒ. j. ß. M. f. bolus.

Quod si potus magis placeat, componetis hoc modo:

℞. *Fol. epithymi.*
Senæ an ℥ ij.
Myrobal. nigror. ʒ. j. ß.
Passular. ℥ ß f. decoct. s. a. in aq. borrag.

Deinde ℞. *d. d. ℥. iiij.*
Rhabarbari electi.
Cortic. ellebori nigri an ʒ. j.
Cinnamomi
Schœnanthi an gr. v. infundantur s. a.

Et facta diligenti expressione adde
Conf. hameeh ʒ. iij.
Syr. violati solutiui. ℥. ij. ß. M.

Curatio morbi Gallici cũ intemperie frigida.

Quod si magis adhuc corpus expurgandum sit, vt in secunda purgatione, sunt in vsu medicamenta valentiora, vt elect. ros. Mes. elect. solut. de prunis, pilulæ de hermodactylis, de lapide lazuli, cochiæ cum elleboro: hæc conueniunt semper, vbi præparati fuerint humores, eo quod hæc medicamenta ab vniuerso corpore vehementer trahunt.

Quod si morbus Gallicus copulatus sit frigidæ intemperiei, aggrediendum erit contraria ratione, vt scilicet instituatur victus ratio, quæ nonnihil ad calidum inclinet, aer calidus, & siccus paretur, somnus & vigilia sint moderata, motus conuenit, & exercendum valde est corpus.

Pro potu vinum album, mediocre: eædem carnes conueniunt. Ex herbis vero pulegium, organum, mentha satureia, calamentum, maiorana. Ex fructibus conueniunt amygdalæ, pistachia.

Purgatio prima.

Instituto victu statim erit deueniendum ad præparandos humores. Pro præparatione sunt multi syrupi, vt de menta, de betonica, de stæchade, byzantinos. Decocta similiter conueniunt prædictarum herbarum. Pro prima purgatione hæc vobis erit.

℞. *Fol. mentha.*
Maiorana.
Betonica.
Agrimonia. M. ß. f. d. s. a.
℞. *d. d. ℥ iiij.*
Mellis rosati solutiui.
Oxymell simpl. an. ℥. ß.
Syr. de bethonica ℥. j. M.

Secunda.

Pro secunda purgatione habeatis hanc formam.

℞. *Fol. stæchadis.*
Fumaria.
Pulegij an. P. ß.
Absynthij. ʒ. ij. f. d. s. a.
℞. *d. d. ℥. iiij.*
Syr. byzantini.
Oxymel compos.
Syr. de menta an. ʒ. vj.

Conueniunt etiam electuaria, cuiusmodi est illud.
℞. *Sacchari rosati.*

Conserua

Conseruæ saluia. an. ℥. ij.
Scordy puluerizati ʒ. ij. misce pro electuario. Huius electuarij capiuntur ʒ. ij. vel ʒ. iij. immediate ante syrupum.

De sanguinis missione in hoc casu non est habenda ratio, nisi gratia reuulsionis, quia scopus est reuellere & comprimere fluxum aliquem, reuera quamuis sit intemperies frigida, agẽdum vel per venæ sectionem, vel per cucurbitulas, sed parce.

Vbi præparati erunt humores primo purgandi sunt leuius hoc modo:

℞. Myrobal. indorum.
Myrobal. chebulorum an. ʒ. j.
Sebesten num xij.
Polipody. ʒ ij f. d. in aq betonica.
℞ d. d ʒ. iiij. vel v.
Oxymellis ʒ. iiij.
Agarici electi. ℈. iiij.
Zinzib.
Cariophyl. an gr. iiij. fiat infusio s. a. deinde expressioni adde.
Electuarij rosʒ ij. ß.
Syr. ros. solut. ℥. iij. misce pro potu. Pro secunda purgatione erunt ex vsu pilulæ, & electuaria, ex. gr.

℞. Pilularum de agarico ℈. iiij.
Trochisc. albandal. ℈. ß.
Diacatholic. ℥. j. M. pro bolo.

Duo notanda in purgatione.

Circa hanc purgationem semper duo sunt notanda. Vnum est quod sæpissime contingit, vt mixti sint humores, nempe melancholia & pituita, item pituita & bilis, quo in casu diligentes estote, vt misceatis ea, quæ vtrumque humorem possunt expurgare. Alterum notandum est: quod debetis considerare, an morbus Gallicus viscus aliquod occupauerit, quod si fit, eiũt miscenda medicamentis tam præparantibus, quam euacuantibus ea, quæ respiciunt viscus, vt si iecur syr. de eupatorio, de cichorio. Si lien, syr. de fumoterræ, de epithymo.

CAPVT V.

De Antidotis administrandis.

SEquitur caput secundum a nobis propositum circa morbi Gallici curationem, quod summatim septem complectitur. Primum, quæ sint antidoti, & quales. Secundum, quibus conueniãt hę antidoti. Tertiũ, sub qua forma conueniant. Quartum, qua quantitate debeant administrari. Quintum, quando sint administrandæ. Sextum, vbi administrandæ. Septimum, quomodo His enim habitis, nihil desiderabitur circa administrationem antidotorum. Sunt itaque tres antidoti, quarum vsus est in morbo Gallico, Lignum sanctũ, salsa pariglia, & radix chinæ. Quæ sit forma harum, & numquid istæ plantæ notæ fuerint ueteribus, non debetis a me expectare, quia hoc requiro vt discatis a doctissimo Guilandino ætatis nostræ splendore. Solum dicam de his antidotis, quę sit facultas ipsarum, & quæ sint eligendæ.

De ligno sancto. Qualitates ligni.

Lignum Guaiacum clarum est, quod ante omnia alia inuentum est, & sicut maior pars remediorum casu quodam, & experientia inuenta est, sic lignum sanctũ quod prosit morbo Gallico experientia & casu proditum est. Quod ad qualitates quas habet, omnium fere est sententia calidum, & siccum esse circa secundum gradum, paulo plus vel minus, nam neque mordicat multum, neque urit, & tamen gustu sensum aliquem caloris præ se fert, quod argumentũ est, calidum esse, & siccum circa secundum gradum. Quod ad secundas qualitates, attenuat & adstringit Quod ad tertias prouocat sudores; præter quas omnes facultates habet aliam, sed occultam nobis, quod magnopere valeat in superando morbo Gallico.

Sed debetis scire guaiacum esse duplex, nimirum lignum, & corticem. Cortex habet eandẽ prope facultatem, sed paulo minorẽ, nisi quod vehementius exsiccet, dicebat Galenus 6. simpl. quod cortices omnium arborum magis exsiccant, quam ligna.

Salsa pariglia.

Salsa pariglia calefacit in primo gradu, vt putant omnes, exsiccat vero in secundo, quæ cũ sit tenuioris substantiæ, non est dubitandum, quin uires ipsius sint paulo inferiores, attenuat tamen magis propter substantiæ tenuitatem.

Sunt qui dicant etiam adstringere, sed non video, qua facultate possit multum adstringere aut corroborare, quia si contemplemini substantiam, si gustetis, vix poteritis comprehendere, quod ullo modo adstringat. Hanc etiam putatum est proprietate quadam esse donatam, qua morbum Gallicum euincat, prouocat sudorem.

Radix chinæ in qualitatibus actiuis reputata est temperata, quod exiccet, credunt omnes; An hæc conferat Gallico, siue sit magnum pretium quo uenditur, siue alia ratione, non ad-

modum constat experientijs, quia rari sunt qui experiuntur, interdum dedi, sed potius in alijs morbis, quam in Gallico, ita vt iure mihi videantur dixisse illi, qui asseuerant non cõuenire in curatione morbi Gallici: Eligentur hæ plantæ dum in vsum trahendæ sunt, quia multum refert, an hanc vel illam plantam capiatis.

De electione ligni.

Sunt qui laudant lignum guaiacum iuuenculum, & non annosum, alij vero vetustum. Lignum non annosum habet has notas, quod est in paruis truncis, & maior pars materiæ albicat. Annosum ex aduerso crassius est, & maior pars materiæ nigricat: hoc namque commune est omnibus arboribus, & corporibus, vt quanto magis accedunt ad senectutem, tanto fiunt nigriora ratione siccitatis. Dicebat Aristotel. aerem & aquam esse causas albedinis, propter quod cum corpora senescentia amittant aerem & aquam, iure amittunt albedinem, & nigriora fiunt.

Ego vero sum alterius sententiæ, quod lignum eligendum sit mediæ ætatis, ita quod non sit admodum vetustum, neque etiam admodum iuuene: ratio est, quia sicut corpora animalium in medio ætatis maxime vigent, sic quoque arborum facultates validiores sunt in media ætate, quam in extrema. Indicia vero ligni mediæ ætatis sunt hæc, quod corpus medium est inter crassum & paruum, non excedit albedo nigredinem, odoratum est, acre, subamarum, succulentum, sine vllo cariei vestigio.

Corticis electio.

Cortex ligni melior est, si sit ligni vetusti: quod si sit ligni mediæ ætatis, similiter melior est, si dum frangitur nigrescit, si nullum puluerem de se mittit. Aduertatis etiam semper in eligendo ligno, melius id esse, quod cortice proprio vestitum est, quam quod denudatum. Ratio est, quia cortices arborum, vt docet Theophrastus, sunt a natura facti, vt tueantur lignum ab externis iniurijs, & ne calor interius expiret, vnde quando ligna sunt a proprio cortice denudata, necessario offenduntur a corpore externo, & necessario calor intimus expirat, & cum calore euanescit virtus.

De salsæ electione.

Salsa vero ea eligatur, quæ albicat, quæ si linguæ apponatur, nonnihil adhæret, quæ fracta puluerem non mittit, & nulla carie contaminata est.

De china electione.

China vero ea bona est, quæ rufa est, & grauis & ponderosa, nam spongiosa illa, & leuis inanis est prorsus. Similiter hæc radix debet esse aliena ab omni carie, & eo magis, quia cariffin e constat. Istæ igitur sunt antidoti, quæ in vsu habentur pro curatione morbi Gallici.

Quibus conueniant hæ antidoti.

Videamus secundum caput quibus conueniant hæ antidoti. Lignum Guaiacum innumeris experientiis comprobatum iam est, vim mirificam habere aduersus morbum Gallicũ, ita vt vsque ad tempora nostra nullum sit adhuc inuentum remedium, quod æque morbum hunc tollat. Itaq; conuenit lignum omnibus Gallicis, & præsertim omnibus morbis, qui Gallico sunt copulati: præterea omnibus humiditatibus, & frigiditatibus ventriculi, distillationibus præsertim frigidis.

Lignum.

Salsa.

Salsa conuenit morbis Gallicis, tamen maxime conuenire exploratum est, vbi sunt vel gummata, vel dolores capitis, vel tumores. Similiter cõuenit vbi iam morbus Gallicus tractatus fuit a Guaiaco, nempe dum remissa est sæuities. Ceterum aduertere debetis, salsam ex aduerso sese habere, quam lignum erga ventriculum, quia ventriculus si sit infirmus, magis offenditur a salsa, sicuti etiam non parum offenduntur, qui obnoxij sunt doloribus colicis.

China.

Chyna putata est a nonnullis prodesse Gallico, sed potissimum prodest quando copulatur Gallicis, vel phthisi, vel sputo sanguinis, uel hydropi, vel asthmati, vel epilepsiæ, vel paralysi, etenim in omnibus his morbis, iamdudum comprobatum est, radicem chinam magnopere conferre.

Sub qua forma conueniant.

Tertium sequitur caput, sub qua forma administrentur huiusmodi antidoti: Et vt a Guaiaco incipiam, inuenio illud administrari in decocto, & in substantia. In decocto, quia vt docet Galen. 3. de alimentorum facult. quæcunque decoquuntur, virtutem & facultatem propriam decocto donant. Decoctum autem guaiaci duorum est generum: Aliud enim est simplex aliud compositum. Decoctum simplex dicitur illud, quod paratur solũmodo ex aqua & ligno, ex. gr.

Decoctum Guaiaci simplex vt fiat.

℞. Ligni sancti triti lib. i.
Aquæ communis lib. xij. maceretur per 24 horas, deinde bulliant ad consumptionem medietatis, uel tertiæ partis.

Et aduertite quod etiam hoc decoctum simplex varie solet administrari & parari. Alii enim apponunt modo plus aquæ, modo minus, modo plus coquunt, modo minus prout exigit, & natura morbi, & natura ægri.

Compositũ quare fiat.

Decoctum compositum inuenio fieri propter tres causas, vel vt retundatur aliqua facultas ligni, vel vt vis ipsius augeatur, vel vt habeatur ratio variorum affectuũ aut viscerum. Vnde si remittenda eius facultas est, ne scilicet nimis calefaciat, addimus herbas aliquas, vt cichorium, endiuiam, aut decoquimus in aquis destillatis endiuiæ, cichorij, & hyssopi. Exempli gr. si velitis facultatem ligni extrahere, & timeatis eius nimiam vim calorificam, & siccitatem ita componatis.

Modus cõpositi decocti.

℞. Ligni guaiaci incisi lib. j.
Aquæ endiuæ,
Hordei,
Cichorij an. lib. iiij. Infundantur per 24. horas, deinde bulliant ad consumptionem medietatis.

Quod

Quod si velitis herbas addere, aduertatis nō esse addenda, nisi in fine decoctionis, & addendas in sacculo, ne scilicet commisceantur ligno. Et ratio est, quia herbarum facultas per elixationem cito elicitur, & si magis elixentur herbæ euanescit virtus. Quod si componendum erit decoctum, vt facultas eius augeatur, ita componatis.

℞. Ligni sancti ℥. iiij.
Corticis ligni. ℥. iiij.
Aquæ communis lib. xij. macerentur per 24. horas & bulliant ad consumptionem medietatis.

Si vero habenda sit ratio ventriculi, vel aliarum partium, additur vinum interdum propter vētriculum, interdū herbæ, quæ respiciant alia viscera affecta. Dabo vobis exemplum: si vultis cōponere decoctum cum vino, ita componere debetis:

℞. Ligni sancti triti. ℥ ix.
Corticis ligni ℥ iij.
Aquæ communis,
Vini optimi an. lib. vj. Immacerentur prius in aq sola per. 24. horas, deinde bulliant, & in medio ebullitionis adde vinum, & bulliant, donec consumatur medietas. Scio etiam multos esse, qui a principio vinum apponunt; sunt etiam qui apponunt in fine. Ego semper delegi hunc modum, & ad hoc impellor hac ratione, quia si a principio addamus vinum, & bulliat quantum aqua, vinum illud præterquam quod insuauissimum euadit, etiam vim suam remittit: quod si etiam in fine apponatur vinum, magis seruat vires, quam par sit, ideo huiusmodi decocta valde turbant caput, ideoque si in medio decoctionis apponatur, fugiantur hi duo scopuli, neque redditur insuauis potio, nec facultas expirat, nec periculum est, vt tenet caput, quia in ea coctura satis frangitur facultas vini.

Guaiacū in substantia tripliciter datur.

In substantia administratur lignum tribus modis: Vnus est quando ex puluere ligni fiunt pilulę, quæ vna cum decocto propinantur, & scio Medicos multos circumforaneos vti hoc modo, quia non possum negare, quin interdum magnopere conferant, sed interdum expertus sum valde obesse, quia fiunt oppilationes, ideo vidi aliquos qui curati a morbo Gallico in iecoris obstructiones inciderūt, quare animaduertatis, an uenæ sint latæ, nec ne, & an corpora sint substantia densiori, nam faciliter retinetur hæc materia, generat enim succum lentum, qui tandē sua crassitie obstruit.

Alter modus est per electuarium, accipitur puluis ligni, & miscetur modo saccharo rosato, modo saccharo borraginato, modo melli, & hoc fit, quia iecur potest dulcedine faciliter attrahere lignum & antidotum. Exemplum autem erit huc:

℞. Pul. ligni ℥. j.
Sacchari borraginati,
Rosati, an. ℥. ij. M. dosis est ℥. ij. ʒ ß. vel ℥. j.

Tertius modus administrandi est in conditura, sed est magis delicatus modus, quam vtilis, sunt enim quidam qui curant, vt folia guaiaci condiantur, quę putant prodesse Gallico: sed huic imposturæ paruam fidem habeo.

Salsa decoctū duplex. Simplex.

Decoctum salsæ etiam duum est generum, vnum simplex, alterum compositum. Simplex est.

℞. Salsa incisæ. ℥. iij.
Aquæ communis lib. viij. Macerentur per 12. horas, deinde bulliant ad consumptionem medietatis, aut tertia partis. Et notate hunc esse Medicorum vsum, vt plus aquæ addant salsæ, & minus macerent. Cur plus addant aquæ, multi varias causas sunt commenti, sed nullam inuenio, quæ, mihi satisfaciat, nisi quod existimo, quod a principio radix constiterit caro, & propterea homines sumptibus deterriti, cœperunt plus aquæ addere, quem vsum postea posteritas secuta est; secus non video cur plus aquæ sit addendum, eo quia substantia salsę tenuior est, facultas imbecillior, & ideo ab aquæ copia magis hebetatur. Cur vero minus maceretur, non iniuria factum est, eo quia istę 12. horæ sufficiunt, vt pręparetur concoctioni, si excedantur, salsa nimis humescit, & imbecillior euadit, vt postmodum dum coquitur, non ita efficax sit.

Compositū fit ob duas causas.

Compositi modi decoctionis salsę, & ipsi inuenti sunt propter duas causas, vt scilicet facultas ipsius augeatur, vel vt succurratur aliis affectibus, & aliis membris; vt enim obtūdatur facultas salsę, non videtur vnquam necessarium, eo quod hęc facultas satis imbecilla est. Quando volūt augere vim salsę, ita componunt.

℞. Salsæ ℥. iij.
Ligni ℥ ij.
Corticis ℥. j ß.
Aquæ communis. lib. viij Infunduntur per 24. horas lignum, & cortex, salsa per 12. deinde bulliant ad consumptionem medietatis, post colentur pro syrupo.

Decocta salsę quę fiunt propter varias intentiones, vel fiunt propter ventriculum vel propter alia membra, quę patiuntur, quando fiunt propter ventriculum, ea adduntur, quę possint magis astringere & calefacere. ex. gr.

℞. Salsæ. ℥. iiij.
Ligni ℥. iij.
Aquę communis lib. vj. macerentur per 12. horas, deinde bulliant ad consumptionem medietatis, in medio decoctioni: addantur uini optimi lib. iij. & seruetur pro syrupo.

Quod

Ad suffusionem.

Quod si velimus respicere alia membra, ita paratur, exempli gratia, si sit in animo, cum salsa pariglia curare principium suffusionis, neque timeatur ventriculus, ita parabitis decoctum:

℞. Salsæ ℥. iiij.
Aquæ communis lib. viij. Macerentur per 12. horas, deinde bulliant ad consumptionem medietatis, & in fine addantur ab bulliendum in sacculo.
Fol. euphragiæ.
Fæniculi.
Betonicæ. an. M. j. ß. deinde colentur pro syrupo.

Quod si velitis curare obstructiones iecori, loco harum herbarum addetis Cetrach, eupatorium, petroselinum & similes, quæ possunt iecoris obstructiones tollere. Quod dixi de his, idem de aliis corporis partibus cogitandum est.

Chinæ decoctum vt plurimum simplex parari solet, quandoque tamen paratur etiam compositum. Simplex hoc modo paratur.

Decoctū chinæ simplex.

℞. Chinæ in frusta minutissime incisæ ℥. ij.
Aquæ communis lib. x. Infundantur in aqua calida per 24. horas, deinde bulliant ad consumptionem medietatis, postmodum coletur, & conseruetur in loco calido. Etenim hoc decoctum solet facile contrahere acorem, ea propter nonnulli Medici mandant, vt quotidie fiat ne acescat, alii vero mandant, & iure, vt detineatur decoctum in loco calido, verbi gratia, inter cineres calidos, vel etiam inter furfures calidos, qui cum conseruent calorem chinæ, faciunt vt quam minimum vel nullo modo acescat.

Cōpositum.

Componitur etiam decoctum, præsertim quando animus est cum hac radice alioquin imbecilla, curare morbum Gallicum: dixi enim chinam minime omnium cōferre ad morbum Gallicum. Exemplum compositi decocti est,

℞. Chinæ ℥. j.
Ligni ℥. iiij.
Corticis ℥. ij. Infundantur in lib. x. aquæ communis, & macerentur per 24. horas, deinde bulliant ad consumpt. medietatis & colentur pro syrupo.

Circa hæc omnia præscripta decocta duo sunt vobis aduertenda. Vnum est quod ex guaiaco, & ex salsa paratur quoddam secundum decoctum, quo vtimur pro potu quotidiano loco vini. In decocto chinæ administrando non fit secundum decoctum, sed semper vtimur primo decocto, etiam pro potu quotidiano.

Decocta secunda uel pro potu ut parentur.

Modus autem parandi secunda decocta est, quod quādo iam factum est primum decoctum, accipitur idem lignum vel salsa, & iterum ebullitur in aqua, exempli gratia, quando feceritis primum decoctum ligni, vel salsæ, ita secundum ordinabitis.

℞. Idem lignum uel salsum.
Aquæ communis lib. xij. uel xv. nam obseruandum quod in secundo decocto apponitur & augetur quarta pars aquæ primi decocti, *& bulliat (nec macerentur) ad consumptionem tertiæ vel quartæ partis.* Nunquam paratur vsque ad consumptionem medietatis. Ratio est, quia non debet hic potus adeo esse iniucundus, quemadmodum primum decoctum. Putant quidam, totam vim ligni absumptam esse in primo decocto, sed falsissimum est, & videbitis interdum secundum decoctum, quanquam minus ebullitum, tamen acrius & amarius esse, ratio est, quia facultas ligni fundata est in parte tenui, quæ interdum in primo decocto non ita elicitur, quemadmodum in secundo.

Vt fiat iucundior hæc potio, aliqui bulliunt in fine passulas vel caricas, certe hoc modo fit aliquantulum gratius, sed ad summum tertia die acescit, & ideo obseruate, ne vnquam iubeatis simul ebulliri passulas aut caricas. Quomodo igitur fiet gratius? Soleo in fine incoquere glycyrrhizæ ℥. ij vel iij, quæ potest iucundiorem reddere potum, nec vnquam corrumpitur.

Est & alius modus dulcem reddendi potionem; Accipio passulas magnas, quæ zizabia appellantur, deinde curo enucleari, & postquam perfectum fuerit primum decoctum, ita feruidum proiicio super passulas in linteo contentas, iubeo diligenter exprimi succum ex istis passulis, atque ita paratur iucunditas secundo decocto, nec periculum vllum est vt corrumpatur, aut acescat.

Alterum notandū est, esse aliquos qui apponunt medicamenta soluentia decoctis, vt helleborum, senam, epithymum, aut aliquid quod leniat aluum. Sed horum institutum nunquam probare potui, quia istæ antidoti curant expellendo, quod si addamus medicamenta, quæ trahunt, est, agere, perinde ac illi, qui calcaribus vrgent equos, & trahunt habenas. Accedit quod facultas antidotorum labefactetur, ne dicam corrumpatur ex mistione soluētium, quia sunt inimica tono viscerum.

Soluētia nō miscenda antidotis.

Itaque consulo vt nunquam soluentia misceatis, sed potius si aluus non obediat, aut alterna quaque die, clysteribus leniatur, vel decima quaque die exhibeatis medicamētum, quod possit ducere per se, & eo tempore non exhibeatis decoctum. Medicamenta vero quæ hoc tempore possunt administrari, sunt syr. de epithymo, de polypodio, syr. rol. sol. de fumo terræ, pilulæ de agarico, pilulæ de tribus. His medicamentis potestis tuto vti decima quaque die: sed nullo modo admiscete hæc vel illa cum decocto.

Sequitur caput de quantitate, quæ duplex est, alia continua, alia discreta. Continua, quæ

administratur

administratur in guaiaco est ab ℥.viij. ad a.vsque. Chinæ est secundum aliquos vsque ad libram vnam,& vltra,sed nunquam pertransiecti libram. Salsæ est ab ℥.ij. vsque ad ix.quæ quantitas mutatur ratione corporis,& prout stomachus magis vel minus sustinere valet. Quantitas discreta decocti ligni est a 20.diebus ad quinquaginta , nam rarum est , quod minus 20. vel plus 50. diebus detur , frequentissime solemus dare vsque ad quadraginta , prout postulat morbus & vires ægri sustinent.

De quantitate administranda. Continua.

Quantitas discreta salsæ est, a x.vsque ad 20.dies, pertransimus interdum vsque ad 30.sed raro,frequenter attingimus 20.& 25.diem. Decoctum chinæ primis diebus,quando repertum est istud remedij genus,solebant Medici exhibere vsque ad 50.dies,sed nunc 50.non transimus interdum peruenimus vsque ad 25.

Discreta.

Tempus opportunum exhibendi has antidotos, est primo ver, deinde autumnus. Hippocratis præceptum fuit libro de aere,aqois & locis, cauenda esse solstitia in purgationibus omnibus. Sed duo tempora mihi videntur inepta exhibitioni harum antidotorum, scilicet summa hyems & æstas:hyems quia nō potest prouocari sudor, nec corpus perspirabile fieri. Summa æstas inepta est, quia tunc temporis corpora sunt infirma, ita vt non possint sustinere huiusmodi decoctum. Accipitur semper hora matutina oriente sole, aut quattuor horis ante prandium, & 3. vel 4 ante cœnam.

De tempore.

Locus in quo exhibetur debet esse calidus, ea propter consueuerunt Medici parare cubilia calida, quando non habentur, ideo magis laudo, quando datur occasio, eligantur Laconica vel stuffæ, in quibus sudor facile elicitur, & omnia felicius succedunt. Vtcunque sit, semper debet locus, in quo administratur decoctum, esse calidus.

De loco.

Modus exhibendi est varius,& quia alium modum seruamus in decocto guaiaci, & alium in decocto vel chinæ vel salsæ. In decocto guaiaci vtimur tribus modis, cum tenuissima diæta, diæta tenui, & diæta largiori. Tenuissima diæta est, quando damus ℥.ij panis biscocti, & tantundem vel nucleorum pini, vel amygdalarum, vel pistachiorum, vel passularum. In potu vero damus secundum illud decoctum.

Modus administrandi.

De pane contendunt multi, an vtendum sit pane biscocto: aliqui amplectuntur, quoniam sententia est Hippocratis hunc panem exsiccare, & ipse vtitur in curanda hydrope, dicunt isti, studium est exsiccare, igitur conuenit. Alij ex aduerso damnant, primo quia panis hic difficulter concoquitur, & aluum astringit, nam est sententia Celsi lib.2.cap.29. quod panis hic si sit biscoctus, aluum astringat : sed aiunt hoc morbo non debemus astringere aluum sponte astrictam, nec molestiam facere ventriculo. Dico nos vtrumque facere posse & dare panem biscoctum & panem optime coctum : Et soleo curare vt sumant crustas panis optime cocti, quia siccat, non astringit aluum, nec difficulter coquitur : potest & biscoctus dari, quando scil. corpora famelica sunt, & non habeant adstrictam aluum. Cur in ijs corporibus conueniat, ratio est, quia saturat, nec implet : præterea ijs non est difficilius coctu, quia valida corpora valenter coquunt biscoctum.

Itaque si modo seruetis has rationes nunquam errabitis, siue detis crustas panis bene cocti siue biscoctum.

Tenuis diæta est, quando semel tantum in die damus carnem assatam aut oua. Largior, diæta, quæ in vsu esse solet, est, quando cum secundario decocto damus vinum, carnes, aut oua semel vel bis in die. Hæc tria genera diætarum habent etiam methodum in vsu, quia si morbus sit magnus & vires sint validæ, tenuissima vtimur victus ratione. Si morbus sit magnus, & vires inualidæ, aut morbus paruus & vires validæ, vtimur tenui diæta ; si vero morbus fuerit paruus, & vires imbecillæ, vtimur diæta largiori: hoc tamen obseruandum est perpetuo, vt primis diebus, quando vtendum est tenuissima diæta, non incipiatis statim, sed per 3. aut 5. dies vtamini paulo pleniori victu, deinde paulatim ascendatis ad victum tenuissimum. Ratio hæc sumpta est ab Oribasio 10. coll. qui dicebat, non esse mutandam victus rationem ab extremo ad extremum, nisi debito aliquo modo.

Semper autem capiatur decoctū calidum, & quanto calidius sustinere potest, eo melius, quia sic magis propellit ad extrema, quod optamus. Dum vero accipitur, animi accidentia debent esse læta, & abesse omnis tristitia. In tenuissima diæta nunquam vtendum est exercitatione, quia vt scriptum est ab Hipp. 2. aph. vbi fames, laborandum non est. In diæta tenui vtendum est exercitatione, sed moderata. Vbi victus largior instituitur, exercitatio vehemens conuenit, eo quod adiuuat mirifice expulsionem.

In decocto salsæ, & chinæ eadem fere seruatur victus ratio, quam docui in guaiaci decocto, nisi quod cum salsæ decoctum sumatur paucioribus diebus incipiunt etiam ægri capere prima die duos syrupos, eo quod breue est spacium, & idcirco multiplicandi sunt potus.

Postquam perfecta est decocti exhibitio, necessarium est, vt etiam per plures dies seruetur optima viuendi ratio, & ante omnia videntur duo magnopere conferre : Vnum est exercitatio vehemens ; alterum vt per 15. dies saltem bibant in prandio, & cœna aquam secundariam cum vino, hoc enim experientia comprobatum est, confirmare quicquid comparatum est boni.

CAPVT

CAPVT VI.

De accidentibus morbi Gallici.

Causæ.

TErtium sequitur caput de nonnullis accidentibus motbi Gallici, quæ quidem varia sunt, sed præcipue duo. Dolor articulorum & periostiorum, nec nō gummata dura, quæ duo maxime perturbant ægros, & resistunt remediis. Sed vt melius possimus venari curationem, inquirendæ sunt altius causæ, quarum aliæ sunt effectrices, aliæ materiales. Effectrices sunt mala iecoris temperatura, & mala partis recipientis dispositio, quæ causæ efficiunt huiusmodi accidentia, quæ quoniam non reperiuntur in corpore, nisi morbo iam consummatu, ideo posterius ceteris omnibus apparent.

Causæ materiales, sunt primo humor melancholicus, & biliosus, qui gignitur a iecore intemperato: sed præter hoc adest & pituita, quoniam isti humores non possunt acquirere visciditatem, & tenacitatem, quam habent, nisi pituita tanquam gluten ipsis commisceatur.

Morbus generationis.

Modus generationis istorum symptomatum est, quia isti humores demandantur a iecore & aliis partibus ad ossa, ad musculos & artienlos, vbi congregantur inter ossa & membranas, ingentes dolores pariunt, continui solutione, & tensione. Similiter vbi inter artieulos congregantur, in quibus locis sunt capita neruorum, efficiunt, vt veluti dissiliant capita neruorum, ex qua discissione efficiuntur isti dulores articulorum.

Quod si isti humores colligantur, & recipiantur in musculis, faciunt primo tumores, qui deinde concrescunt in gummata dura & rebellia, eo quod calor musculi non multus est, materia crassa, & tenax, a calore dissipantur partes tenuiores, vnde remanent crassæ, & terrestres, quæ inibi relictæ faciunt gummata illa dura, & rebellia.

Sed notare debetis, hæc omnia fere accidentia contingere in doloribus articulorum: in arthritide fiunt dolores, fiūt purri, & gummata. Sed potissimum fiunt in Gallico hac ratione, quoniam viscera, & membra interiora repellunt hunc iabum, id est, saniem, qui recipitur a barticulis, & musculis, eo quod hæ partes sunt ignobiliores & infirmiores.

Hæc accidentia Gallica difficulter curantur, & causa difficultatis multiplex est, primo natura loci, quia sunt in partibus remotis a fonte caloris. Præterea causa est crassities materiæ, quę neque retrocedere potest, neque dissipari. Non potest retrocedere, quia semper viscera eam repellunt, non potest dissipari, quia crassa est, & viscida. Accedit & tertia causa, quia fomes continuus suggeritur a vitiatis visceribus.

Prognost.

Curationis vero scopus est, vt materia hæc tollatur: tollitur autem si primo emulliatur, deinde attenuetur, & in fumos conuertatur, atque dissipetur: hoc vero efficitur duobus modis, tum per antidotos communes, tum per antidutos proprias & priuatas. Per communes, quia primo quando curare vultis hæc symptumata, propinatis decoctum vel guaiaei vel salsæ: nec solum propinatis, verum etiam extrinsecus fouetis locos affectos, vel eodem decocto, vel spuma collecta, dum bullit lignum, nam si accidentia sint parua, eliduntur interdum his solis remedijs.

Curatio.

Quod si id non eueniat, neque inunctiones moderatæ prosunt, quales sunt, quæ fiunt ex adipe vrsino, ex medulla ceruina', ex diachylone, recurrendum est ad antidotos priuatas, quæ sunt duæ, scilicet inunctio ex hydrargyro, & suffumigium. Aliqui sunt adeo audaces, vt etiam primis diebus veniant ad has autidotos, quod periculosissimum est, & vidi his diebus elapsis quendam Germanum, qui cum a principio inunctus fuisset argento viuo, in malum incurabile lapsus est. Vt vero sciatis artem vtendi huiusmodi antidotis, docebo breuiter quid sit argentum viuum, & quid suffumigium, quibus conueniat, quomodo parentur, quando administranda sint, & quo in loco.

Argētum Viuū quid.

Argentum viuum puto vnicuique vestrum notum esse, siue sit metallum, siue corpus medium inter metalla, & plantas, quia hæc non quæram. Est corpus subterraneum argentum viuum.

Galenus autem videtur solum meminisse artificio effecti, sed decipitur, quia nullum tuuenietis argentum viuum arte factum, & quanquam scriptores, vt est Theoprastus, Vitruuius, Dioscorides, Plinius, factitij argenti viui videantur meminisse, id tamen non est factirium vere: sed sunt varij modi, & variæ mineræ, e quibus elicitur argentum viuum, adeo quod est solum corpus naturale. Galen. 9. de simpl. falsus est, & nullam videtur habuisse argenti viui notitiam: vnde locus ille 4. de simpl. 9. vbi posuit argentum viuum inter caustica, certe mendosus est, quoniam doctissimus Fallopius indicauit eam particulam hydragyros non debere adesse.

Nec miremini Gal. dixisse, se non habuisse argenti viui experimentum, eo quia veteres nundum traxerunt in vsum Medicum hoc argentum.

Facultates argēti viui.

Quæ porro sit facultas huius corporis, non admodum constat inter scriptores, quia alij fecerunt ipsum frigidum, & humidum, vt Auic. & Arabes, alij frigidum, & siccum, alij calidum

& humi-

& humidum: Quos omnes a veritate deviasse existimo, propterea quod non omnia argenti vivi experimenta fecerint. Nunc quoniam mihi huius corporis effectus apparent, puto neminem esse adeo ignarum, quin videat argenti vivi facultatem calidam, & siccam esse, & insigniter, scilicet circa tertium gradum. De huius natura nihil aliud dicam, nisi quod constet ex parte terrea, optime excocta, ex aere, & spiritibus, qui ex mixtione adeo sunt cōclusi, ut non possint exire, & quia aer & spiritus conclusi semper quærunt exitum, & moventur, hinc est quod argentum vivum semper moveatur, quia multi spiritus, & aer colligatus est a parte terrea, qui ut inveniat exitum, sese movent, cuius naturæ cum existat, potest attenuare dura & emollire, potest etiam dissipare & exsiccare. Unde non immerito Medici in his morbis invenerunt hoc remedium esse præstantissimum, & scietis, quod inventum hoc non est recentiorum, ut aliqui putant, est arabum, Avicennæ, & Rhasis, quia isti in ulceribus contumacibus, & tumoribus utuntur argento vivo. Fit igitur linimentum ex hoc ut videbitis.

Suffumigia sunt fumi, qui ex rebus aridis eliciuntur, & in corpus per poros & foramina latiora trahuntur.

Suffumigiū. Fiunt vero & hæc suffumigia ex argento vivo, & sulphure, ex thure, & myrrha, & aliis ut videbitis.

Inūctio quibus cōueniat. Convenit inunctio in his omnibus, qui sunt validis viribus, qui caput robustum habent, qui experti sunt sine fructu alia medicamenta benigniora: Non conveniunt autem illis, qui infirmis sunt viribus, qui articulos debiles a natura habent, qui caput imbecillum gerunt, & destillationibus, atque aliis ægritudinibus obnoxii sunt. Ratio vero cur non convenit, qui capite imbecillis est, quia maxime hoc medicamentum in caput fertur, ut patet ex sputis, & copia aquæ, quam per palatum reiicit æger.

Sed dicetis, quæ est causa potissima, cur si ungantur pedes hydrargyro, si genua, si brachia aut manus, quod ita statim caput afficitur, cur tantum aquæ copiam reiiciant? Mea sententia est, hanc causam esse, quia aer & spiritus, qui colligati sunt in materia illa excocta, ubi linimentum a calore naturali attenuatur, & dissolvitur, erumpunt, perinde ut erumpunt spiritus e bombarda, erumpentes trahuntur & ingrediuntur arterias, & venas, & quoniam natura eorum est ut ferantur sursum, ea propter statim atque elapsi sunt, veluti a vinculo efferuntur in caput magno impetu, & quia dum efferuntur in caput, secum ducunt plurimos vapores, in capite duo faciunt, eliquant & attenuant humiditates capitis, ita ut ipsæ eliquatæ deinde per os dilabantur.

Preterea efficiunt ut vapores secum in caput evecti, & ipsi convertantur in aquam, quę aqua deinde in os defluit, atque ita efficitur illud copiosum sputum. Quod hoc verum sit, potestis intelligere, quia hi qui inunguntur, si detineant aurum in ore, videbitis spiritus illos, & vapores argenti vivi concrescere circa aurum. Sed scire etiam debetis nō solum hos spiritus petere caput, sed etiam universum corpus, verum quia sunt subtilissimi, pertranseunt carnes, & firmantur solum circa ossa. Atque hinc est quod sæpe videntur ossa ipsorum, qui inuncti sunt argento vivo, colorem referre argenti vivi, & ipsum argentum, eo quia spiritus ipsi subtiles ut concrescunt in ore circa aurum, ita concrescunt etiam circa ossa.

Suffumiga quibus cōueniant. Suffumigia conveniunt iis omnibus, qui sunt maxime robusti, ut sunt rustici, aut qui habitum corporis instar rusticorum gerunt: Nocent vero, & sunt fugienda iis, qui habent infirmum pectus, phthisicis, peripneumonicis, aut alio morbo circa pectus laborantibus: ratio est, quia fumi isti attrahuntur una cum aere in pectus, & quia fumi isti sunt permixti argento vivo, ea propter valde nocent pulmonibus, quoniam argenti vivi facultas nimia est, quam ut possit impune sustineri a membro laxo & raro, quale est pulmo. Non convenit etiam destillationibus obnoxiis, nec iis qui habent intestina debilia, & qui solent pati tormina, & dysenterias, vel dolores colicos, eo quod intestina debilia magnopere læduntur ab iis remediis, & rarissime consulto, ut quis utatur suffumigio, quia vix fieri potest, quin aliquod viscus a suffumigiis oblædatur.

Modus faciendi linimēta ex argento viuo. Simplex. Modi quibus linimenta ex argento vivo fiunt, varii sunt, prout varia esse solet varietas Medicorum in remediis parandis. Sed ego duo summa genera invenio, alterum simplex, alterum cōpositum. Simplex conficitur hoc modo.

℞. Argenti vivi lib. ß.
Butyri aut axungiæ porcinæ q. s. ad inspissandum, & extinguendum argentum vivum.

Alia inunctio est huiusmodi.

℞. Argenti vivi saliva extincti ℥. iiij.
Olei amygd. dulc. ℥. v.
Pinguedinis porcinæ ℥ iij.
Ceræ parum M. fiat linimentum.

Ita simplicia linimenta parantur, & interdum dosis argenti vivi augetur, interdum minuitur, prout Medico videtur necessarium.

Cōpositum. Componitur autem non alia ratione, nisi ut vires argenti vivi frangantur, quoniam est veluti venenum, quod solet vires corporis labefactare, nisi corrigatur, & ut a me exemplum huius compositionis habeatis.

℞. Argenti

℞. Argenti viui lib. ß.
Axungiæ porcinæ lib. j.
Theriacæ ℥. iij.
Thuris.
Myrrhæ.
Masticis, an. ℥. ij.
Camphoræ. ℥. i.
Olei rosati ℥. ij. misce s. a. & fiat linimentum.

Hoc est exemplum eorum linimentorum ex argento viuo, quæ composita sunt, & in vsu habentur.

Sunt etiã, qui non solum argento viuo extrinsecus vtuntur, verum etiam intrinsecus, veluti sunt illi, qui præbent præcipitatum, quod fit ex argento viuo deusto, & quibusdam alijs admixtis. Aduertite, quod inueni veteres etiam aliquid simile quãdoque vsurpasse, quoniam Paulus lib. 7. scribit, suo tempore aliquos fuisse, qui darent argẽtum viuum deustum in colicis, & Biliosis: recentiores Paracelsistæ exhibent anmonium præparatum. Sed hæc omnia valde perniciosa sunt, & quanquam polliceantur isti vobis securitatem, tamẽ non credatis, nec alieno vitæ periculo has experientias faciatis.

Suffumigia quoque inuenio vario modo a practicis parari, nec multum refert, nam quomodocunque faciatis, pauca differentia est, sunt tamen suffumigiorum alia benigna appellata, alia maligna. Benigna dicuntur, eo quia non ingreditur diabolus ille argentum viuum: Maligna vero dicuntur, in quibus ingreditur. Benigna sic componuntur.

℞. Thuris,
Nucis myristicæ,
Cyperi,
Calami aromatici.
Styracis.
Caryophyllorum. an. ℥. ij.
Camphoræ,
Schœnanthi. an. ℥. j.
Galliæ muschatæ. ℈. ij.
Terantur omnia, & seruentur.

Quæ vero maligna sunt duobus modis cõficiuntur. Vnus est simplicior, alter magis compositus. Simplicior est:

℞. Cinnabaris ℥. iij.
Myrrhæ,
Thuris,
Laudani an. ℥. j. terantur omnia diligenter, & cum styrace liquida fiant trochisci, & seruentur pro usu.

Fiunt & alia magis composita, quæ habent antidotos, quæ frangunt venenum ipsius argenti hoc modo.

℞. Cinnabaris ℥. iij.
Myrrhæ,
Ligni aloes.
Laudani.
Thuris. an. ℥. ß.
Ligni guaiaci triti. ℥. j.
Scordij ℥. iij.
Theriacæ ℥. ij. Fiant trochisci cum styrace liquida.

Modus administrandi vnctiones.

Hi sunt modi, quibus componuntur inunctiones ex hydrargyro, & suffumigia, quorum formas poteritis immutare, & alias effingere secundum has.

Modus vero administrandi varius esse solet, nam sunt aliqui qui statim post cibum administrant, aliqui ante, aliqui inungunt vno modo, alij alio. Sed modus, quem magis approbo in linimento, est hic, vt post expurgationes exquisitas, dum corpus iam recreatum est, per duas vel tres horas ponitur æger in loco calido, & mane, postquam expurgata est aluus, ponitur ad ignem nudus, & inunguntur hæ partes, internodia brachiorum, manuum, genuum, & pedum.

Sunt etiam qui totum brachium inungunt, & tota crura, sed quo pauciores partes inunguntur, eo magis probo, atque quantum fieri potest hæc inunctio remoueatur a partibus vicinis visceribus.

Cum inunguntur hæ partes, debent fieri vehementes frictiones, vt possit linimentum recte, & vehementer penetrare. Peracta inunctione obuoluuntur partes inunctæ stuppa cannabina, vel falcijs, & ita calidus æger, & bene obuolutus deponitur in lecto calido, vbi curari debet vt sudet, vel per duas horas dormiat, deinde surgendum, & paulatim deambulandum, demum cibandus est.

Cibi vero sint optimi, vinum, panis optimus, oua, carnes perdicum, vel caponum, vel aliarum

aliarum auium, quæ optime nutriunt, quoniam spiritus vehementer dissipantur, vires facile collabuntur, vt periculum sit, nisi eas conseruare studeamus, æger deficiat. Sed aduertendum est, quod aliqui monent, quod quando inunguntur, & quando facta est inunctio, detineant aurum in ore, quod ego etiam laudo, quoniam spiritus argenti viui petunt os, vbi si inuenerint aurum, naturæ quadam familiaritate illi adhærent, sicque dentes & palatum relinquunt.

Modus vtendi suffumigio.

Modus vtendi suffumigio est, vt post purgationem & exhibitionem ligni paulisper reficiatur æger, per tres vel quatuor dies, deinde ponatur in cubili calido, & mane dum surgit e lecto, accipiat oua sorbilia duo, vel panem vino optimo lotum, vel quid simile, vt Marzapanem quod possit alere, neque tamen onerare.

Hoc facto quiescat per duas horas, in cubili vbi est, paratur tectorium, & intra illud ponitur æger supra scamnum, ponuntur & carbones igniti, deinde obuoluitur tectorium ægro, vt tegat vndique, & supra carbones ponitur trochiscus suffumigij, vel puluis, & ita continetur æger, donec totus fumus euanuerit.

Sed est aduertendum, quod aliquãdo ægri præ fumo illo incidunt in animi deliquium, quod cum contingit, est statim aperiendũ tectorium, & auferendi carbones: vt vero sciatis hoc, adstet aliquis, qui eum vocet, & loqui faciat.

Sunt etiam qui curant, vt per cannulam attrahatur in corpus ille vapor: Sed hic modus est immanis & perniciosus valde, placet mihi, vt eo tempore, quo æger sumit suffumigium, cannulam ore detineat extra conopæum, vt scilicet possit attrahere externum aerem, nec ingrediatur in corpore vapor: Vbi etiam mihi magis placet, vt detineat extra conopæum, oculos, & os, quia sic minus læduntur a suffumigij veneno.

Postquam factum est suffumigium, animaduertendum est, vt sudor detergatur, & eo deterso quiescendum est paulisper, deinde reficiendi sunt cibo, & conuenit victus ratio eadem in suffumigijs, quam ostendimus conuenire eam in vnctionibus.

Quantitas linimenti.

Quantitas linimenti varia esse debet, pro varietate hominum, sed animaduertendum, vt nunquam vtamini vna vice linimento, quod contineat plus duabus drachmis argenti viui, quod si non proficiat, potestis augere argentum, melius tamen est semper augere, quam detrahere, hæc enim tutior est via. Si enim paulo plus addatis argenti, clarum est, quod nocumentum illud non emendetur, melius est non proficere, quam nocere.

Quãdiu vngẽdus æger.

Numerus dierum quibus vtimur, ipse etiam incertus est, alij vngunt nouem diebus, alii duodecim, alii etiam quindecim, sed semper interpolate, inungimus tribus primis diebus, deinde desistimus vno vel altero die, iterum inungimus tribus diebus, deinde desistimus vna vel altera die.

Sed hic debet esse constans terminus, vt inungatis vsquequo videatis malum esse sublatum, vel saltem valde imminutum. Quod si malum non minuatur, & superueniant sæua accidentia, vt fluxus alui, vel suffusiones vehementes, & prauæ, vel dentium offensiones, si magna hæc sint symptomata, debetis omnino desistere, quia signum est naturam non posse sustinere hoc medicamentum. Quod si symptomata hæc sint exigua, debetis paulatim desistere, & si videbitis naturam se reficere ab accidentibus, debetis iterum repetere inunctionem.

Quantitas suffumigii, & quamdiu vtendum.

Quod dico de inunctione, idem est dicendum de suffumigiis, quia par fere est terminus in vtrisque nisi quod vbi in suffumigijs superuenit fluxus alui, est omnino desistendum, quia iste fluxus non facile solet compesci in suffumigiis, nam videntur ipsa intestina petere & ipsa edere. An semel vel bis in die inungendum, etiam variæ extiterunt sententiæ: Ego tamen sum huius sententię, quod satis superque sit semel in die ęgros ita affligere.

Tempus vtẽdi linimento & suffumigio.

Tempus opportunum est ver, vel etiam autumnus: æstate mihi videntur hæc omnino esse fugienda, quia in his administrandis egemus viribus validissimis, quæ æstate sunt infirmæ, corpora sunt squalida, & si magis affligamus, periculum instat capitale. Summa etiam hyeme non est tutum, quia tametsi administremus ea in locis valde calidis, tamen nequimus effugere, quin eo tempore corpora hominum difficile sudent, cum tamen maxime in hac cura exigantur sudores.

Erosio palati vt curetur.

Accidentia quæ superueniunt, sunt erosiones palati, damna dentium praua, fluxus alui, quibus necessarium est statim occurrere. Ea propter iis quibus eroditur palatum, debetis curare, vt sępissime abluant os aliquo refrigerante & adstringente, vt:

℞. Fol. plantaginis,
Portulacæ, an. M. ß.
Hordei p. j. bulliant simul in s. q. aqua, deinde facta expressione adde
Syr. myrthini.
Diamoronis. an. ℥ ij cum lib j. decocti fiat gargarismus.

Dentium firmatio.

Colluimus etiam os lacte chalybeato, quod est pręstantissimum. Vt vero dentes firmentur primo debent expurgari ab illa illuuie, quam reliquit vel argentum, vel suffumigium, & mundari vel melle, vel oxymelle simplici, deinde firmentur sic:

℞. Vini rubri astringentis lib. ß.
Nucum cupressi,
Myrthini an. ʒ. ij.

Mastichis ℥.j. bulliant simul in dicto vino.

Pro fluxu vero compescendo est aduertendum, an fluxus sit nimius & sanguineus, an vero non. Si non sit validus, sat erit munire intestina aliquo clystere, ne offendantur, vt esset hic:

Fluxus alui vt curãdus.

℞. Lactis chalybeati lib. j.
Vitellos ouorum num. ij.
Pinguedinis castrati ℥.ij. misce & fiat clyster.

Quod si sanguinolentus esset fluxus, statim deueniendum est ad eos clysteres, & ad eas innunctiones externas, quæ possint sedare, veluti si lacti chalybeato addatis puluerem sanguinis Draconis, boli armeni & alia quæ solent sistere, (vt etiam aloes) sanguinem fluentem. Extrinsecus etiam potestis aliquo linimento, vt oleo myrthino, oleo cytoniorum inungere, vt ille fluxus coerceatur. Atque hic est finis nostri tractatus de morbo Gallico.

FINIS LIBRI QVARTI.

CL

CL. VIRI D. D. HIERONYMI MERCVRIALIS,

PRACTICÆ MEDICINAE PATAVII PROFESSORIS PRIMARII,

Liber Quintus.

CAPVT PRIMVM.

De febribus in genere, & in specie.

QVEMADMODVM sapienter fecerunt veteres, qui omnem philosophiam in Theoricam, & Practicam sicut & Medicinam diuiserunt: Sic sapienter existimarunt ad vsus humanos, ad beatitudinem acquirendam, actiuam Philosophiam, & Medicinam longe antecellere. Et vt de Medicina loquamur practica pars adeo contemplatiuam excellit, vt Arist. 10. eth. scripserit, Medicos ex libris minime fieri: quasi voluerit Practicam Medicinæ partem eam vnam esse, quæ Medicos facit.

Tractatio de febrib. inter practicas excellit.

Cum autem hæc pars Medicinæ alias multas partes sub se habeat, ea, quæ in tractandis febribus versatur multum excellit alias partes. Primum quia si tractationis certitudinē spectemus, febris tractatio omnium certissima est, quippe quæ tactu indice optime cognoscitur, & iudicatur. Si etiam frequentiam aduertamus, nullus est morbus, qui corpora nostra frequentius violet & molestia afficiat, atque ipsa febris, & Hip. lib. de flatibus dicebat omnibus (paucis exceptis) morbis febrem copulari. Postremo cum omnes alii morbi vnam vel alteram aut plures partes obsideant, vna febris totum corpus occupat. Adeo vt his rationibus compulsi veteres Romani nulli alteri morbo quam febri templum erexerint.

Huc accedit, quod inter ea, quæ in conseruando hoc nostro Orbe Deus, & natura adhibuerunt, calorem præcipuum esse, nemo est qui dubitet; sic Heraclytus omnium rerum originē ab igne fecit. Sic veteres (vt est apud Platonem in Protagora) Prometheum finxerunt ignem e cælo suffuratum nostris regionibus communicasse; immo vero Hipp. lib. de carnib. calorem hunc immortalem esse, omnia intelligere, omnia videre, scire præsentia, atque futura dicebat: quandoquidem si æthera contemplemur, si aera, aquam, & terram, nil calore orbatum esse videbimus. Præcipue vero lucet calor in animalibus, inter animalia potissimum in homine, vt iure dixerit Arist. illum animalium omnium esse calidissimum. Calor iste vbi optime constitutus est, recte cum homine agitur, quod si vitietur protinus corpus corrumpitur. Cumque varij modi huius caloris corruptionis sint, frequentissimus tamen, (veluti dictum est) communissimus, & præcipuus est ille modus, qui febris vocatus est.

Postularent itaque fratres amantissimi, omnes hæ rationes, vt vos ad capessendam doctrinam incenderem. Sed quia video vos satis inflammatos; id tantum dicam, me omni industria & labore esse effecturum vt & solidam, & veterem, atque perspicuam doctrinam habeatis. Et quoniam, vt dicit Philosophus in lib. de mem. & reminisc. quæ ordine traduntur, facile intelligentia comprehenduntur, dabo operam. vt ordine certo incedam: qui cum multiplex esse soleat, is videtur a Plat. ab Arist. & Galen. esse obseruatus, vt semper vniuersalia particularib. anteponantur. Itaque ego vniuersalia primum quædam percurram: deinde ad particulares febrium tractationes descendam.

Ordo tractādorum.

Erunt autem quæ in vniuersum de febribus tractabo, quod sit febris nomen; Quæ natura: quod subiectum, quot sint differentiæ, & quot causæ. Signa & curatio quoniam melius in particularibus dignoscuntur, vniuersaliter minime tangam; quod etiam fecisse Auicen. quem hoc loco profitemur, aduertimus. Quo ad nomen febris dicta est a Latinis a feruore, sic a Græcis dicta est πυρετὸς ἀπὸ τοῦ πυρός. Imo vero, vt testatum habemus a Galen. 3. de fract. t. 8. Hippo. inuenitur appellasse febrem. πυρετὸν.

Sed dimisso nomine ad eius naturam inuestigandam properandum, quæ cum compareretur ex accommodata definitione conueniret forsan, vt definitiones veterum vobis proponere qui tot fere modis febrem definierunt, quot ipsi fuere scriptores, ita vt Medicina in nullo videatur hæsisse magis quam in febris definitione: sed ne vos in rebus inutilibus detineantur, quam ego putabo legitimam esse ceteris omissis proponam. Ceterum priusquam hoc aggrediar, eximendus est quidam scrupulus, scil. cur Galen. in lib. de diff. feb. & primo ad Glauc. definitionis febris nullam fecerit mentionem. Et quod dubitare maxime facit, est, quia ipsemet, vbi tractare instituisset differentias morborum, auspicatus est a definitione morbi. Auicen. etiam omnem suam tractationem de febribus inchoauit a definitione, vt his rationibus videatur Galen. in lib. de diff. feb. defecisse. Hunc nodum puto eximi verbis ipsius Galen. qui lib. 4. de diff. puls. 1. & 2. c. dicit, res nomine ipso comprobatæ sunt, & cognitæ, minime indigere definitione.

Cur Gal. nullā febris definitionē attulerit.

Iam vero natura febris ex ipsomet nomine febris cognita est, quandoquidem, vt ipsemet testatur 6. epid. com. 1. t. 29. homines communi quadam notatione sciunt, febrem esse calorem præter naturam ea propter Galen. qui aliud studebat, libenter definitionem febris omisit. Non autem hoc facit in lib. de diff. morb. quia nomen morbi non ita denotat naturam morbi, quemadmodum nomen febris. Atqui in 1. lib. ad Glauconem alia ratione non attulit febris definitionem, nempe quia Glauco ille philosophus a Galen. petierat vt breue aliquod febrium curandarum commentariolum sibi exscriberet, quo in itinere, atque etiam alibi dum occasio exegisset, vti potuisset. Vnde febris definitionem, quæ in explicandis rerum essentijs solummodo necessaria videtur maxima ratione omisit. Auicen. autem qui ordinem resolutum obseruandum sibi proposuerat, cum videret definitiones rerum apprime accommodari huic ordini, & in febrium tractatione initio sui lib. & in omnibus pene tractatibus auspicandis semper a definitione initium sumpsit. Vt hac ratione etiam ad nos, qui profitemur, Auicennam legere, hoc in loco pertineat definitionem febris afferre, quæ est: Febris est intemperies calida totius corporis a corde lædens operationes primo & per se.

Auicen. cur definitionē febris attulerit, Galen.

Dicit primo febrem esse intemperiem, quia procul dubio morbus est, & cum sit morbum necessario est mala quædam constitutio. Mala autem constitutio cum esse possit in partibus similaribus, & dissimilaribus, esse malam constitutionem similarium partium compertissimum est: & propterea necessario esse intemperiem atque eam calidam. Vnde qui ab hac sententia recesserunt, atque voluerunt febrem esse calorem natiuum in igneum mutatum, in diuersa [illegible] sunt delapsi, vt dixerint febrim esse substantiam, quod calor natiuus sit substantia quædam ex calido, & humido, aut sanguine, & spiritu conflata.

Quod quidem quam absurdum sit, etiam vulgares cognoscunt, febrem minime esse huiusmodi substantiam, sed in qualitatis prædicamento esse collocatam. Verumtamen illud ignorare non debetis intemperiem vt docet Gal. lib. de inæquali intemperie duplicem esse, alteram æqualem, inæqualem alteram, æqualis intemperies dicitur illa, quæ tres habet conditiones, vt omnes partes occupet, vt sit in facto esse, non autem in fieri, ac tertio vt destruxerit partium temperamentum. Rursus inæqualis intemperies tres alias conditiones obtinet, vnam, quod non omnes partes inuaserit, alteram quod sit in fieri, non autem in facto esse; tertiam quod non prorsus mutauerit temperamentum. Cum itaque duplex sit intemperies, febris tam est intemperies æqualis, quam inæqualis: æqualis, vt est febris hectica, inæqualis, vt ceteræ omnes. Sed quæret aliquis vestrum, quomodo cognoscemus an temperamentum sit prorsus mutatum necne, in quo potissimum dicitur notari differentiam vtriusque intemperiei. Respondeo quod a Galen. scriptum est lib. de inæquali int. cap. 5. cognosci temperamentum mutatum esse ex actione læsa, quia vbi partis læsa est actio, certum est temperiem non esse tamen, vbi vero non læsa est actio neque etiam læsum est temperamentum, sed appellatur tota ea latitudo alterationis, affectus præter naturam vsque ad mutationem partis. Priusquam autem vlterius procedam, duo hoc loco occurrunt, non sine summa animaduersione prætereunda. Vnum, cur, cum dixerim febrim esse intemperiem calidam, non addiderim siccam; quod faciat hac in re dubium. Est primum, quia Hipp. 1. aph. 16 dicit victum humidum febricitantibus conuenire omnibus, vt conuenit victus humidus omnibus, necessarium sit similiter in omnibus reperiri siccam intemperiem.

Imo vero Galen. in com. huius aph. etiam & de T. V. in acutis 1. t. 8. & 1. de temperamentis dicit, febrim esse affectum calidum, & siccum adeo vt videamur magnopere defecisse in definitione omittentes hanc particulam siccam. Sed facile potest tolli hæc omnis controuersia, siquidem possumus considerare febrem duobus modis, vel secundum formam, vel secundum læsiones, quas in corpore humano facit. Si febris formam spectemus procul dubio est affectus calidus & siccus, siquidem est pura qualitas ignea. Sin autem spectemus læsiones, semper febris lædit secundum qualitatem calidam, non. a. secundum qualitatem siccam. Et ratio huius est, quia interdum forma febris superatur a materia, quæ cum humida sit potius lædit secundum humidum quam secundum siccum. Quod cum Arist. aduertisset. 1. sect. probl. 29. dicit febrim esse affectum calidum & humidum. Et quando Plato in Timæo dixit alias febres fieri ab aere alias ab aqua, alias a terra, considerauit febres subiectiue sic quoque intellexit Gal. quando 6. epid. 5. circa finem dixit quasdam febres esse humidas quasdam siccas, ibi enim considerans varia subiecta, in quibus febris propagatur, dixit ipsam esse affectū calidū & humidum, quia vt plurimū

posita-

posita est in humoribus. Quod si Gal. quoque interdum dixisse inuenitur febrem esse affectum calidum, & siccum, respexit potius ad formam febris quam ad læsiones. Itaque iure factum est a nobis, vt dimiserimus hanc particulam: quia febris minime semper siccitate lædit, vt lędit calore. Sed quid dicemus ad Hippocratem?

Fui semper huius sententiæ, Hippoc. sententiam esse ita interpretandam, vt loquatur de victu humido actu, id est liquido. Et quod me impulit in hanc sententiam, illud fuit, quod frequentissime Hipp. vbi instituit curationem aliquam, semper dicere solet, si febricitet, conuenire sorbitiones, si non febricitet, conuenire cibos, vt verissima sit hęc perpetuo sententia, omnibus febricitantibus conuenire victum humidum, liquidum & sorbilem.

Dicere etiam possumus iure Hipp. victum frigidum omisisse, quia per se victus frigidus nunquam conuenit, ratio est, quia in febricitantibus debemus semper eum victum exhibere, qui sit facilis coctu, & qui possit statim distribui, quia vis coctrix in febre est imbecillis, sed victus frigidus multum abest vt possit coqui, quia calori aduersatur, & vbi Medici prudentes laudant cibos frigidos, laudant magis vt medicamenta, quam cibos.

Aliud hoc in loco consideratione dignum est, intemperies calida cum sit affectio caloris quædam & in nobis sint duo calores (licet non defuerint qui vnum; & qui tres, & qui quattuor posuerint) vnus natiuus, alter ascititius, vt docuit Galen. 2. epid. com. 4. t. 16. & 23. videtur dubitari, an in febre afficiatur natiuus calor, an ascititius. Hac de re notantur apud veteres & recentiores innumeræ lites. S. quidem alij dixerunt, esse ascititium, alij calorem natiuum conuersum in igneum.

Ego vero semper fui huius sententiæ, vtrosque calores in febre pati: Et ad hoc me illud hortatur, quod si spectemus opera caloris natiui aut ascititij, vtraque hæc opera in febre mirum in modum læsa videntur. Vt est pulsus, nutritio, & alia, de quibus suo loco. Hoc autem ego puto voluisse Galen. quando neque semper dixit esse calorem natiuum mutatum, neque semper calorem ascititium, sed modo vnum, modo alterum.

Idem puto significare Auer. qui 3. col. 3. dicit febris naturam commixtam esse ex calore putredinali atque etiã natiuo. Quod si Auic. videtur duntaxat meminisse extranei caloris id fecit, quia hac voce complecti voluit tum natiuum, tum ascititium calorem, qui cum sint læsi & extra naturæ terminos iure merito extranei nomine digni sunt. Quamobrem hoc firmiter teneudum, in febre vtrumque calorem læsum esse: & factam esse ex læsione vtriusque intemperiem.

Num febris affectus vniuersi corporis.

Quæ quidem totius corporis est, nam præter id, quod ipsa patet, in febre totum corpus super calefactum esse, attestantur id & veterum testimonia.

Nam Hipp. 1. de morbis tractans de febre a bile, & pituita, dicit nunquam febrem fieri in corporibus nostris nisi totum corpus incalescat. Aristot. etiam 1. sect. problem. 20. explicatis verbis dicit febrem esse calorem totius corporis excedentem Galen. pręterea 1. epid. com. 1. t. 29. de febris natura sermonem habẽs ait, esse calorem pręter naturam diffusum per vniuersum corpus, vel per plures partes, vel per nobiliores.

Quę postrema verba Galen. ideo addidit, vt potius sensum, quã rationem sequeretur, siquidẽ sæpe contingit, vt febricitantes cõperiantur habere extrema refrigerata, quod quidem est, non quia calor per totũ corpus non propagetur, sed impeditur, vt contingit in lypirijs, in quibus calor vi quadam cohibetur in pręcordijs, & quando corpus est obstructum a frigidis humoribus.

Auic. quoque in definitione sua dicit, calorem febrilem per venas & arterias in totum corpus distribui, adeo, vt apud omnes scriptores constans sit, febrim esse affectum totius corporis. Quod quidem cum constet solidis, spiritibus, & humoribus in omni febre necessarium est, calorem horum trium esse oblęsum, sed diuersis modis, quemadmodum suis locis declarabo. Dictum est etiam hunc calorem esse a corde, quia quantumcunque corpora nostra calefiant nunquam febrire dici possunt iure, nisi calorem pręter naturam induerit Cor.

Subiectum febris quod.

Et ratio est, quia si, vt audiuistis, intemperies est calida febris, proinde afficiuntur vtrique calores. Nisi igitur id, vnde pendent calores aliarum partium prius non sit affectum, minime febris esse potest. Et hoc est, quod mox intendebat dicere Gal. quando in lib. de Marasmo dicit, fieri non posse, vt vlla intemperie, pręsertim calida, afficiatur totum corpus, nisi prius cor afficiatur. Adeo vt ex his omnibus colligere possitis subiectum ipsius febris esse quidem cor & totum corpus, sed principale & primum esse cor ipsum, eo quod vera sit febris, quando cor est affectum pręter naturam, etiam vero corpus extensiue, quia totum corpus essentialiter & extensiue febri subijcitur.

Num solida partes subiectũ febris.

Postquam constitutum fuit subiectum febris totum corpus & pręsertim cor esse, superest vt videatur, vtrum totum ipsum corpus sit subiectum, an tantum ipsius particulæ. Nam celebratissima fuit Hippoc. sententia, corpus nostrum conflatum esse ex solidis membris, & humoribus & spiritibus. Ex vna parte non videtur posse esse verum subiectum febris, nisi pars solida. Nam si febris morbus est, & si morbus lædit immediate actiones, necesse videtur esse, vt febris in ea parte sit collocata, cuius est actio, & quę operatur. Sed pars solida est ea, quæ operatur, vt d. Galen. 1. de loc. aff. & 3. aphor. 17. & 5. de simpl. med. 8. Itaque hac ratione videtur non posse poni morbus, nisi in parte solida. Consentit huic sententiæ Arist. qui in lib. de sens. & sensibus definit morbum esse passionem corporis viuentis. Sed in corpore nostro neque spiritus, neque humores viuunt, sed vitam habent tantum partes solidæ, ergo in his solis, non alibi videtur esse ponenda febris.

Ex altera parte, si verum esset hoc, quod dixi, sequeretur totum discursum Galen. 1. cap. lib. 1. de diff. feb. vacuum esse: quippe qui examinans differentias essentiales febris eo loco ponit eas, quæ sumuntur a subiecto. Et sicuti tres facit febrium differentias, scil. diarias, putridas, & hecticas: sic tria subiecta esse dicebat; spiritus nempe, humores & partes solidas. Præterea, cum febris omnis esse habeat in calefacto esse, & febris hectica hoc veluti charactere definiatur: sequeretur, si partes solidæ in omni febre essent calefactæ, vt consequenter omnes essent hecticæ.

Clariss. viri qui gustarunt hanc difficultatem, vt tollerent, dixerūt partes solidas in omni quidem febre esse calefactas. Ceterum, cum possit aliquantum calefactum esse vel per consensum, vel per essentiam, in alijs febribus, dixerunt partes solidas esse per consensum calefactas, in febre autem hectica per essentiam. Sed hic explicandi modus difficultatem omnem non tollit: siquidem omnis affectus per consensum, si durat, necessario conuertitur in affectum essentialem, multis in locis, & præsertim 1. de loc. affect. docet Galen. igitur si hoc verum est, sequeretur, vt saltem omnis febris, quę durat, euaderet hectica. Quamobrem ad fugiendum hunc scopulum, puto ego dicendum esse, in omni febre partes solidas necessario calefactas esse. Verumtamen illud etiam habere in aliquibus febribus, vt calefiant iuxta regulam propositam ab Aristotel. 6. physicor. vbi dicebat, in omni motu semper esse aliquod iam motum, & aliquod, quod mouetur. Cum igitur semper solida in febribus calefiant, necesse est, vt semper etiam aliquid sit calefactum.

In tribus differt febris hectica ab alijs.

Neque valet, secuturum esse, vt omnes febres sint hecticæ, quia etiamsi concedimus in omni febre calefactas esse partes solidas: differunt tamen in trib. febres hecticę ab alijs. In vno, quia in hectica febre partes solidæ tantum calefactæ sunt, non. a. calefiunt. In alio, quia calor hecticarum febrium in habitum conuersus est, calor aliarum autem non habitu, sed, vt d. Gal. in c. 1. 8. meth. in habitudine est. Postremo differt, quia calor solidorū in hecticis occasio est ceteris partibus, vt incalescant: in alijs autem febribus non sunt solida calefacta occasiones, sed potius ipsa recipiunt ab humoribus & spiritibus calefactum esse, & calefieri, adeo vt etiamsi hoc statuatur de solidis: vere tamen sint tres differentiæ febrium denominatæ ab illis partibus, vt s. l. diceme quæ ceteris præstant occasionem caliditatis.

Dictum est in definitione, lædens operationes, quia vt scribit Gal. lib. de inæq. intemp. 5 terminus & finis omnis alterationis est læsio operationis, adeo, vt alteratio omnis dicatur πάθος siue passio, donec non lædit actiones, quas vbi lædit, non amplius passio, sed dispositio & διάθεσις, & propterea res permanens est, & vocatur.

Vnde quantumcunque cor incalescat nisi illius actiones lędantur, numquam potest dici febris. exemplo est ira, in ira enim nemini dubium est, quin cor accensum sit, quia ira est ebullitio sanguinis circa cor: sed in ira non semper fit febris, quia non semper læsæ sunt operationes ipsius corporis,

Quæ operationes potissimum a febre lędantur.

Sed hoc etiam in loco dignum inuestigatu est, quę operationes potissimum a febre lędantur. Aetius lib. 5. c. 7. dicebat in febre lędi firmitatem vitalem, & adstipulatur ratio: quia si cor est origo actionum vitalium, & est principale subiectum, nemo non videt, necessarium esse, vt in primis vitales actiones lædantur. Auicen. in sua illa definitione, quam, vt colligere possumus, ex Alex. lib. de febre, accepit ab Empedocle. Et Zeno dicit, in febre offendi functiones naturales, Sed animaduertendum est, Auicen. in hoc loco Perip. fuisse secutum, qui & facultatem vitalem & naturalem sub nomine naturæ comprehenderunt. Alij fuerunt, qui putarunt a febre lædi omnes functiones.

Ego vero puto hanc rem ita esse constituendam, vt cum febris sit passio totius corporis, necessario lędat actiones communes toti corpori. Actio. a. communis toti corpori, vt d. Auerr. 2. coll. 7. nulla alia est, nisi actio caloris natiui. Vnde concludendum est, a febre lædi omnes actiones caloris natiui. Læduntur a. præsertim actiones proprię cordis, quę, vt d. Gal. 2 progn. 6. nullæ alię sunt, nisi pulsus & motus arteriarum, quo fit, vt in febre lædantur actiones caloris natiui communes toti corpori, & pręsertim motus arteriarum, quæ est propria actio cordis.

Passiones a veterib. appellatæ fuerunt actiones.

Adde Auerr. 3. coll. 3. non tantum lędi actiones a febre, sed etiam passiones. Addo ego, lædi etiam vsus. Cur autem Galen. & Auicen. actionum tantum meminerint læsarum, non autem passionum, aut vsuum, ea potissimum ratio est, quod sub nomine actionum putarunt complectendas esse tum passiones, tum vsus. Nam qui versati sunt in veterum scriptis, facile possunt aduertisse, etiam passiones ab ipsis vocatas esse operationes. Sic Aristot. in fine lib. 3. eth. appellabat temperantis viri operationes, quæ potius passiones sunt. Et 2. polit. 7. similiter vocanit passiones operationes:

Dictum est postremo primo, & per se, ad differentiam earum calidarum affectionum, quæ lædunt quidem operationes, sed non per se, sed per alium. V. g. caliditas coniuncta inflammationi, lędit quidem operationes, sed propter ipsam inflammationem & tumorem, ea propter minime hęc caliditas febris dicitur. Et hoc est quod d. Gal. multis in locis, Hipp. & veteres Medicos non vocasse phrenitin, & pleuritin febres, sed inflammationes, quia non est febris, quę lędit, sed inflammatio, & tumor. Explanatis hunc in modum nomine definitione ac subiecto, sequitur, vt de differentijs febrium agamus.

CAP.

CAPVT II.

De differentijs febrium.

Differentiæ cum sint partim essentiales, vt dicit Galen. initio de diff. feb. partim accidentales. Et accidentalium aliæ sint proximæ essentialibus, aliæ vero sint remotæ. Primum de essentialibus loquemur.

Differentia essentiales tres.

Dicuntur enim essentiales differentiæ febrium, non a. propriæ, quia febris, cũ sit accidẽs, & accidentis esse & inesse non potest vere essentiam habere, sed dicuntur essentiales metaphorice. Essentia igitur febris, vt d. Gal. 6. epid com. t. 19. nulla alia est, nisi calor p.n. Itaque vt venemur has differẽtias essentiales, videre oportet, quid nam essentialiter, id est, inseparabiliter insit calori p.n. Primum quod inest calori est, vt sit in subiecto: siquidem vulgata est Philosophorũ sententia, accidentium nil aliud esse, existere quam inesse. Itaque iure a Gal. dictum est, maxime proprias differentias essentiales febris eas esse, quæ sumuntur a subiecto ipsius febris. Inest præterea aliud calori p.n. vt suscipiat magis, & minus, siquidem inter alias conditiones, quæ tribuuntur qualitati ab Arist. hæc præcipua est, vt suscipiat magis & minus, quod substantiæ negatum est. Ergo secunda differentia essentialis febrium capitur ab intensione & remissione caloris. Inest tertio essentialiter ipsi calori p. n. vt agat & moueat. Nam inter omnes qualitates omnium maxime actiua est ipsa caliditas, adeo, vt non defuerint Philosophi, qui vim agendi vni calori attribuerint.

Et, vt obiter hoc dicam, forsan in hoc laudandus est Plato in Timæo, qui igni tribuebat tanquam propriam quandam conditionem, vt sit maxime motiuus. Igitur surgit tertium differentiarũ febrium genus, quod sumitur a motus modo, vt loquitur Gal. siue potius a motu. Et hoc discursu, vt puto, ductus Gal. initio lib. de dif. feb. dicebat Hip. sapientissimum 6. epid. com. 1. t. 29. complexum esse in enumeratione differentiarum febrium has tres essentiales differentias: sc. a subiecto, à magis & minus, & a modo motus.

A modo motus.

Sed video quæri, cur sit, quod Gal. dixerit differentias essentiales febrium capi ab his trib. tantum non a. ab alijs. Puto respondendum esse, Hipp. & Gal. sectatum fuisse sensum. Nã apud Medicos semper sensus pro singulari ratione est. Si itaque sensum ipsum spectemus tactus, de calore præternaturali, nil aliud cognoscere possumus, nisi subiectum, magis & minus, & ipsum motum, alias enim conditiones caloris possumus aut visu, aut cogitatione complecti, tactu nõ possumus in calore quicquam percipere, nisi subiectum, intẽsionem & remissionem, atque etiam motum, ideo non est mirum, si Gal. & Hipp. qui sectati sunt sensum appellarunt tantum differentias essentiales febris eas, quę sensu tactus dignosci possunt.

Est ergo prima differentia capta, a subiecto. Et, vt aliæ sint febres hecticę, alię diarię, alię vero putridę. Hecticę, quę originem habent a calefactione solidarum partium. Diarię, quę principium ducunt a spiritib. calefactis. Putridę, quæ similiter oriuntur ab humoribus calefactis.

Differẽtia a subiecto quę.

Ceterum quia hęc tria videlicet spiritus, humores, & solida mixta inter se sunt, merito quęri posset quo pacto vnum accẽdatur, & inflammetur, altero non inflammato, quę res quoniam difficilis est Gal. & alii Medici tentarunt ipsam exemplis illustrare, nam scriptum est a Platone in Politico, quod res arduæ declarantur exemplis: accipiam igitur exemplum traditum a Gale. primo imaginemini calefactũ igne vas, in quo deinde apposita sit aqua, & spiritus, siue aer; vas ipsum procul dubio calefactus est, sed aer, & aqua calefiunt ab illo vase. Sic fit vt solida, quæ appellantur continentia, in febribus hecticis, calefacta sunt, & calefiunt humores, & spiritus. Rursus imaginemini vas frigidum, in quo ponatis aquam calefactam, procul dubio aqua calefacta calefacit vas ipsum, illud non dicitur calefactum, sed dicitur quod calefiat ab aqua calefacta idẽ fit in febribus putridis, quia humores sunt veluti aqua calefacta membra solida vt vas, quæ calefiunt ab humoribus. Rursum imaginemini vtrem intra quem trahatur aer calidus, procul dubio aer calefactus calefacit vtrem. & aquam vtrem contactam. Sic, fit in diarijs, spiritus sunt calefacti, humores vero & solida dicuntur calefieri, vt dicuntur calefieri vter, & humor in vtre ab aere. Et hæc de prima febrium differentia, quæ a subiecto capiebatur.

Habet vero hęc differentia, cum sit tanquam genus, sub se species, quas cum sim enumeraturus, vbi particulatim de ipsis tractabo, non est quod vos detineam.

Est secundum genus differentiarum essentialium, quod sumitur a magis & minus, secundum quod Hip. nominauit alias febres mordaces, & molestas, alias blandas & mites. Nam etsi calor omnis febricitantium quodam modo mordax, & molestus sit: tamen, si febres inter se comparentur, cum aliæ alijs calorem habeant minus molestum, fit vt iure Hipp. dixerit, alias esse blandas, alias vero mordaces,

A magis, & minus.

Tertium genus, quod sumitur a modo motus initio de feb. dif. a Gal. fuit silentio prætermissus. Sed minime tamen damnandus est, quandoquidem 9. epid. explicatis verbis nobis hanc differentiam proposuit, vbi ait, quando Hip. nominat febres acutas intelligendum esse de caliditate celeriter manui occurrente & velocem suum motum ostendente. Ex quib. verbis clare quisque videre potest, secundum Gal. sententiam Hipp. nobis proposuisse differentias febris a modo motus, sub illis verbis, in quibus acutas nominat.

A motu.

Differentia accidētales. Proximæ.

Differentiæ accidentales aliæ sunt, vt audiuistis proximę essentialibus, aliæ vero remotæ. Proximæ dicuntur illæ, quæ indicant quidē differentias essentiales, sed per accidens, e.g. per se qualitates tangibiles indicantur a tactu, vbi indicantur a visu, quia non sunt eius propria obiecta, dicuntur indicari per accidens. Sic Hipp. 6. epid. t. 29. cum 1. dicebat aliquas febres esse rubras, aliquas pallidas, alias vero liuidas. Nam dicuntur a Gal. hæ differentiæ essentialib. proximæ, quoniam indicat subiectum febrium, a quo capiuntur differentię essentiales.

Remotę, & pure accidētales differētię.

Porro, quę sunt pure accidentales, proponuntur a Galen. & Anicen. confuso modo. Quamobrem expedit, vt ordine eas proponam. Nam dicuntur differentiæ pure accidētales, quæ essentialiter non inhærent ipsi calori p.n. Capiuntur a hæ differentiæ a diuersis prædicamentis, a tempore motus, ab ordine, a loco, a more & a coniunctis. Sunt enim hęc quinque capita & loci, a quibus sumuntur omnes differentię accidentales febrium. Quæ a tempore sumuntur, vel sumuntur a tempore vniuersali vel particulari; Quando ab vniuersali capimus, dicimus alias esse longas, alias breues, alias esse celeres, alias tardas, & alias esse omni tempore affligentes, id est cōtinuas, alias vero esse interpolatas. Quando a tempore particulari capimus differentias, dicimus alias esse hybernas, alias ęstiuas, Vt dicit Hipp. æstiuæ quartanæ breues. Dicimus etiā alias nocturnas, alias diurnas.

Ab ordine similiter sumuntur varia differentiarum genera. Nam vbi febres ordine quodam incedunt, dicuntur febres periodicę & ordinatę Latini scriptores, & presertim Plinius, appellant has statas, quasi ordine stato & firmo semper incedant. Vbi autem nullo ordine progrediuntur, vocantur febres erraticę. Corn. Celsus vocauit has vagas febres. Isidorus lib. 4. origin. scribit Hipp. vocasse has febres erraticas πλανήτ. Sed toto cęlo aberrauit hic, quia Hippo. in lib. de inter. affect. meminit quandoque generum τυφῶν, sed multum abest, vt vllum genus eorum sit febris vaga & erratica.

A loco captę differentię sunt, quando dicimus aliam febrem externam, aliam internā. Nam quandoque vruntur intima, & extima tepent; quandoque vruntur extima: sic dicere solemus quasdam esse febres catarrhales, & erraticas: quę originem habent a capite, alias vel iecoris vel pulmonis. Quanquam, vt dixi, veteres non consueuere sic febres appellare.

A more sumuntur differentiæ, quādo dicimus alias esse benignas, alias malignas. A coniunctis, solent quoque complures febrium differentiæ accipi. Siquidem febres vel coniunguntur aliis morbis, vel aliis febribus. Si coniunguntur alijs febribus, fiunt innumeræ differentiæ febrium complicatarum. De quibus suo loco. Sin autem coniungantur alijs morbis, & non febribus, fiunt febres, quæ ab Auicenna dicuntur accidentia.

Num febres sint accidentia.

Altimari rationes, nullam febrem esse accidēs.

Circa quam postremam differentiam inueniens multas controuersias esse ortas: Nam Diocles & Erasist. vt in lib. de plac. Philosophorum, sub nomine Gal. existimarūt, omnes febres esse accidentia: adducti hoc argumento fallaci; quod omnes febres sequantur aliquam inflammationem. Fuerunt alij contra, qui existimarunt, nullam febrem esse accidens, ideo deceptū Auic. inter quos extitit Altimarus, qui duabus rationibus contra Auic. probare voluit nullam febrē esse accidens.

Prima ratio fuit, omnem febrem esse intemperiem, propterea esse morbum, non autem accidens. Alia ratio fuit, quod si febris esset accidens, vel esset actio læsa, vel excrementum mutatum. Sed neutrum est, ergo d. Altimarus, non potest esse accidens cum non sit neq; affectus præter naturam, neque excrementum mutatum, nec actio læsa.

Sed veritas est, non omnes febres esse accidentia, vt voluerunt Diocles & Erasist. Neque verum est etiam, nullas esse accidentia, quandoquidem manifeste apud Galenum habemus, dari aliquas febres, quæ sint accidentia. Nā Gal. ad Glauc. 3, & 4. nec non 4. aph. 66. & 73. docuit esse aliquas febres accidentia, quæ sic dicuntur, quia sequuntur alios morbos, eo pacto, quo sequuntur accidentia.

Accedit his omnibus testimonium Rhasis, qui 17. continent. c. 2. vbi tradit de febribus, scribit Gal. in hac sententia fuisse, quod febris aliquando dicatur accidens. Sed quid dicemus ad rationes Altimari? Dicimus primo, quod vel possumus accipere accidēs proprie vt distinguitur a morbo, vel cōmuniter, vt scil. comprehendit omnes præter naturam affectus, quo quidem modo aliquando accipi testis est Gal. præcipue li. de diff. sympt. Si accipiamus accidens communiter, intemperies omnis, & proinde febris dicitur accidens, similiter omnis dispositio præter naturam potest dici accidens. Si accipiamus proprie vt Altimarus procul dubio febris nō potest dici proprie accidens. Hæc est vna responsio. Altera est, quod febris dupliciter a nobis imaginari potest, vel per se sola, vel vt sequitur alios morbos. Si febris per se sola accipiatur, procul dubio semper est morbus, nunquam accidens, quia semper est intemperies: si vero accipiatur, prout sequitur alios morbos, in hoc casu debet dici accidens.

Est aliud circa differentias febrium considerandū, vbi scilicet sit collocanda febris pestilens, nam vt intelligere potuistis, nullam eius mētionem fecimus: quod autem sit febris, clarum est, igitur sub quodam febris genere est ponenda. Dico omnino reponendam inter putridas, clarissimum huius rei testimonium a Gal. habemus 6 epidem. 1. com. tex. 29. quo in loco scribit febrem pestilentialem totam esse positam in putredine, sed clarius adhuc Galen. 1. differ. feb. 4. 5. & 7 ponit febrem pestilentialem inter febres putridas. Sed dicetis, si est putrida, cur igitur non curatur ea rōne, qua curātur aliæ febres putridæ. Dico hoc esse, quia vt dicit Gale. 6. epid. loc. cit. genus putredinis febris pestilentialis est valde diuersum a putredine aliarū febriū, primum quia

putredo

putredo pestilentialium est excellens, magna, deinde vero quia in pestilētiali adest occulta qualitas, venenata, & naturæ nostræ inimica, ita quod necessario varietur curatio pestilentialium a curatione aliarum febrium putridarum. Sed demus esse febres putridas, in quo genere putridarum debent reponi? Dico quod inter continuas, sed eum continuarum, sint variæ differentiæ, febris pestilentialis, indifferenter in omnibus febribus putridis est ponenda. ratio est, quia siue bilis, siue melancholia, siue pituita faciat febrem putridam, potest ad eum gradum putredinis peruenire, vt fiat excellens, & venenata putredo. Sed quid respondendum est de febribus pestilentialibus hecticis. Dico quod hectica pestilentialis, quamquam occupet solidas cordis partes, tamen primo occupat humores, & vbi occupauit solidas parum iam durat, quia statim iugulat. Sed de febre pestilentiali fusius suo loco, & tempore.

CAPVT III.

De causis febrium in genere.

Præparatio corporis ad febres vel est interna, vel externa.

EXplicatis hunc in modum omnibus differentijs, sequitur vt de causis febrium generatim tractemus. Et quia ex definitione allata innotuerunt causa materialis & formalis, ac finalem causam nullus morbus habet, de causis effectricibus tantum disputatio est habenda, quæ vel possunt esse vehementes, vel remissæ. Vbi sunt vehementes, semper febres inducere consueuere. Vbi vero non sunt vehementes non producunt febres, nisi quando inuenerint corpora ad febrem suscipiendam præparata. Ideo pro absoluta tractatione earum causarum, operæ pretium est, vt imitantes Auic. de corporib. præparatis ad febres primum agamus. Huiusmodi enim tractatio vtilis est tum ad curationem; tum ad præseruationem instituendam. Nam dicit. Galen. 8. meth. 8. nonnulla corpora esse admodum præparata ad febres, vt Aethiopum. Quare dicit Alexan. lib. 1. problem. 79. frequentissime a febribus confici. Sic etiam sunt alia quædam corpora, quæ febriculosa suapte natura sunt. Nam dicit Plin. lib. 7. cap 51. Cn. Mecænatem semper laborasse febre. Sunt & alia, quæ sint corpora præparata, quæ non.

De præparatis ad febres, vt hæc tractatio possit absolutius fieri, tria intelligantur necesse est. Primum, præparationem corporum ad febrem posse esse vel ab interno, vel ab externo. Ab externo fiunt præparationes corporum, quando fiunt febres a causis externis. Nam idem est tunc agens, & disponens materiam ad formam suscipiendam. Quæ autem fit ab interno principio, a duobus potissimum oriri solet, vel a similitudine qualitatum, vel a raritate corporum a similitudine quidem: Nam vulgatissima sententia est Philosophorum, in habentibus symbolum facilem esse transitum: a raritate vero, quia corpora rara, & cauernosa facile suscipiēt humores, & alia quæuis. Vel fit hæc præparatio ab vtrisque, id est, & a similitudine qualitatum, & a raritate pororum. Alterum sciendum, præparationem ad febres dupliciter intelligi, vel ad febres in vniuersum, vel speciatim, id est, ad hanc vel illam speciem febris. Tertium sciendum est, in proponendis corporibus præparatis ad febrem diuersos fuisse inter se Auic. & Gal. Et, vt primo de Auic. sermonem habeamus, is in eo capite hunc ordinem seruat. Primum enim proponit quæ sint corpora præparata ad febres, & secundo loco ponit, quæ sint imparata ad febres. Itaque ad febres capiendas primo loco dicebat esse apta corpora calida & humida; secundo loco calida, & sicca, tertio calida tantum, & in passiuis qualitatibus temperata; quarto humida tantum, & in actiuis qualitatibus temperata.

Impræparata vero seu inepta corpora ait primum esse frigida, & humida, deinde frigida tantum, tertio humida tantum.

Gal. 8. meth. aliam viam videtur secutus. Nam in principio octaui cap. illius 8. libri proponēs; quæ sint corpora disposita ad febres, primo loco statuit calida & sicca, quæ dicit esse paratissima, & sua lingua [illegible], ad febres suscipiendas, secundo loco calida & humida, tertio calida tantum, quarto sicca tantum. Post hæc inquit esse corpora temperata, quasi hæc media sint inter maxime præparata, & inter impræparata.

Ex quibus omnibus colligi potest, non exiguam diuersitatem in his proponendis fuisse inter Auic. & Gal. Vos vt rem definitam habeatis, recurrendum est ad rei naturam. Nam, vt nuper dixi, præparatio ad febrem oritur intrinsecus a similitudine qualitatum, & raritate meatuum. Vnde cum febris in vniuersum sumpta sit affectus calidus & siccus, sequitur corpora calida, & sicca maxime omnium similia febri, & consequenter omnium paratissima esse, vt dicit Gal. Nam Arist. 4. meteor. dicit corpora vstibilia esse ea, quę calida, & sicca sunt, & quę meatus patentes habent, huiusmodi sunt stuppa, lignum siccum, & palea.

Hac etiam ratione possumus defendere communem veterum sententiam, qui, vt dicit Archelaus, existimant capras perpetuo febrire, scilicet ob siccitatem & caliditatem corporum illarum. Secundo loco similia naturę febris esse corpora, quę calida quidem sunt, & humidum inflammabile habent, humidum cum sit esca caloris, reddit apta corpora ad suscipiendam febrē. Ideo Arist. loco dicto dicit, huiusmodi corpora esse inflāmabilia, quale est oleū & pix. Tertio loco sunt pręparata ad febrē corpora, quę habēt qualitatē vnā, sed actiuā similē, nullā aūt passiuā

dissimilem, sed temperatam. Huiusmodi sunt corpora calida tantum. Postremo disposita sunt ad febres corpora, quæ vnam qualitatem similem habent, & in actiuis temperata sunt, vt corpora sicca. Si hæc corpora sint prompta, & facilia ad capiendas febres.

Quæ corpora inepta ad febres secundũ auctorem. Ceruι nunquã febriunt.

Ex aduerso inepta, difficilia, & imparata dicuntur non tantum quæ densa sunt corpora, sed quæ ambas qualitates habent dissimiles, & contrarias febri. Huiusmodi sunt corpora frigida, & humida. Sic enim dictum est salamandram ab igne non affici, quia habet qualitates contrarias igni. Et hoc modo possumus dicere, verum esse, ceruos nunquam febre tentari. Nam enarrat Plin. lib. 8. cap. 32. de natura, non tantum ceruos carere febre, verumetiam se vidisse mulieres, quæ carnem ceruinam edebant, perpetuo febre carere.

Num temperata corpora febribus obnoxia.

Secundo loco sunt imparata ea, quæ vnam dissimilem & contrariam qualitatem habent febri, eamque actiuam, nullam autem passiuam. Huiusmodi sunt pure frigida. Tertio loco sunt imparata ea, quæ habent vnam qualitatem passiuam contrariam, nullam autem actiuam similem. Huiusmodi sunt corpora pure humida, sed sunt magis exposita, quam prædicta duo. Postremo loco sunt ea, quæ habent vnam qualitatem passiuam similem, & qualitatem actiuam dissimilem, vt sunt corpora frigida, & sicca. Et notate quod corpora illa, quæ sunt minime omnium imparata in genere, hæc eadem esse aliquando parata ad febres in specie, vt sunt frigida, & sicca, de quibus sermonem habens Galen. 7. Meth. scribit exposita esse illi febris hecticæ speciei, quam Philip. vocauit hecticam senectutis. Hæc igitur sunt corpora, quæ intrinsece id est interna ratione dicuntur parata, vel imparata ad febres. Inter quæ vt audistis dicit Galen. media esse temperata, quæ sententia semper mihi suspecta fuit, quandoquidem non tantum videtur contrariari sententiæ ipsius Gal. verumetiam Arist. contrariatur Galen. quia is lib. de opt. corp. const. longo discursu probare conatus est, corpora temperata omnium maxime resistere morbis. Quod si verum est, quomodo fit, vt corpora temperata febribus exponantur magis quam intemperata? Ad hæc videtur contrariari sententia ista Arist. qui 5. probl. sect. 22. dicit corpora σύμμετρα, magis tentari morbis quam incommensurata. Vt huiusmodi nodus dissoluatur, dicendum est, esse paratum corpus ad morbos dupliciter intelligi, vel in genere ad omnes, vel ad aliquas species particulares; corpora temperata in genere sunt omnium ineptissima non tantum ad febres, sed ad quoscunque morbos, & sic locutus est Galen. lib. de optima corporis constitutione. Verum, si hæc comparetur priuatis speciebus febrium ad aliquas febres, sunt magis parata corpora temperata quam intemperata. Sic igitur intelligenda est Galen. auctoritas in lib. de art. constit. & ratio est, quia corpora temperata nullam habent qualitatẽ dissimilem febri. corpora vero frigida, & humida, aut frigida, & sicca habent aliquas qualitates dissimiles febri, & ideo dicuntur esse ineptiora febri suscipiendæ. Restat autem videre, quid sit dicendum de Aristot. qui 5. probl. 22. dicit corpora ἀσύμμετρα, magis tentari morbis quam ἀσύμμετρα. Nam quicquid dicant alij, qui hunc locum examinarint, sensus philosophi sententiæ est, corpora σύμμετρα, cum habeant æqualem omnium partium temperiem, vbi aliquo morbo tentantur, magis tentari, secundum totum, quam corpora ἀσύμμετρα, quia cum corpora temperata habeant omnes partes corporis eiusdem temperaturæ, & conditionis, & inter se admodum similes, quando morbus vnam corripuit partem, in omnes postea propagatur, scilicet ratione similitudinis.

Diximus Auic. inter corpora ad febres præparata primum locum dedisse calidis, & humidis, & quia & methodo, & ex Gal. demonstratum est, primum locum deberi calidis, & siccis; iure dubitabit aliquis, qua ratione impulsus Auic. illud dixerit. Sunt qui dicunt Auic. solum locutum esse de putridis, sed hæc responsio mihi non placet, quia institutum Auic. fuit vniuersaliter corpora ad febres parata docere, atque melius est vt dicamus eum locutum esse secundum opinionem aliorum nempe Athenæi (vt insinuauit primis verbis) qui in ea fuit opinione, vt putarit omnes febres esse putridas, vt dicit Gal. 1. de differ. feb. quanquam etiam Arist. 1. probl. 23 dixit febrem fieri ex humidi, & calidi exuperantia.

Quinã ad febres diarias magis præparati.

Hæc dicta sint de corporum præparatione in vniuersali ad febres, speciatim autem ad febres diarias omnium maxime præparata sunt corpora calida sicca, id quod verbis clarissimis dicit Auic. 1. 4. c. 5. & ratio est, quia ista spiritus habent naturæ febris similes, scilicet spiritus subtiles, ac tenues. Paulus Aegin. lib. 2. c. 26. d. ad febres diarias maxime præparata esse corpora, quæ habent effluxiones non vaporosas, sed fuliginosas, & acres.

Posthæc sunt calida & humida; tertio loco calida, quarto sicca. Hic est ordo eorum corporum, quæ præparata sunt ad diarias febres. Ad putridas autem febres in primis disposita sunt citra omnium controuersiam corpora calida & humida, quod docuit Galen. sæpe, sed potissimum 8. meth. 7. Et hæc est ratio propter quam homo multo frequentius tentatur putridis febribus, quam bruta, siquidẽ, vt dicit Arist. 4. sect. probl. 4. homo est calidissimus & humidiss. omnium animantium. Et possumus hoc confirmare tum auctoritate Gal. tum Arist. Gal. enim loco dicto probabat corpora calida, & humida esse præparata ad putredines, quia omnia excrementa fetida reddant. Et Arist. 13 par. probl. 4. & Alexan. 1. probl. 29. dicit hominem emittere feces fætidissimas respectu brutorum, tum quia calidus & humidus est, tum quia vtitur victu calido, & humido. Inter homines vero magis expositi sunt febribus putridis illi, qui habent corpora pinguia, & obæsa, de quibus sermonem habens Arist. 2. de partibus animalium. cap. 5. dicit obæsos, & pingues citius interire, quam alios. Posthæc sunt corpora calida, sicca: tertio loco, calida tantum; quarto, humida tantum: quinto frigida, & humida; sexto frigida, septimo sicca tantum,

postremo

postremo frigida & sicca. Sed video statim nobis sese offerre dubium, qui fiat, vt putredini corpora frigida & sicca sint omnium minime exposita, siquidem, vt apud Aristot. & in lib. de iuuent. & senect. & vita & morte, senectus est quędam putredo, aut saltem est via ad putredinem. Itaque cum corpora similia sint frigida & sicca, videtur esse necesse, huiusmodi esse præparata maxime ad putredinem. Soluendus hic nodus hunc in modum, quod putredo duplex est, alia naturalis, scil. quæ generationi naturali contrariatur: alia morbosa. Frigida & sicca corpora præparata sunt quidem ad naturalem putredinem, sed minime ad morbosam, de qua loquuntur Medici; & consequenter nos. Ad febrem becticam præparata sunt in primis calida & sicca, quorum membra assimilantur lignis aridis, vt quæ statim accenduntur; post hæc sunt calida tantum, deinde calida, & humida, quarto sicca tantum; quinto frigida, & sicca, [illegible]imo frigida, & humida.

Num frig. & sicca corpora putredini minus obnoxia.

Quæ corpora bectica magis subijciantur.

Hic est ordo corporum pręparatorum ad febres secundũ species acceptas, circa quod est grauis, & pulcherrima difficultas, an scilicet, secundo loco post corpora calida, & humida ponenda sint calida, & sicca in dispositionem ad putridas; quod hoc non sit verum, videtur demonstrari & ratione, & experientia, atque etiam auctoritate: ratione, quia si accipiamus definitionẽ putrefactionis traditam ab Aristot. 4. met. 5. Putrefactio nihil aliud est nisi corruptio caloris natiui in vnoquoque humido facta a calore extraneo; quod si verum est, procul dubio necessarium est ad putrefactionem adesse humidum; ergo corpora calida, & sicca, non videbuntur disposita ad putredinem non tantum secundo loco, sed nec v. nec sexto. Est etiam auctoritas Aristotel. & Alexand. nuperrime allata, vbi demonstrabat corpora calida & sicca minime exposita putredini. Probatur experientia, quia videmus in plaga orientali corpora minime putrescere, nam mummia, & corpora inde allata minime sunt putrefacta, ratio est, quia corpora sunt calida, & sicca. Præterea videmus arbores minime obnoxias esse putredini, & hoc videre potestis, quia nulla arbor male olet, ratio est, quia non sunt subiecta putredini. Vt hanc veritatem intelligatis, tria sunt vobis adnotanda, primum est, quod hoc nomen φθορὰ siue corruptio, & σῆψις siue putrefactio differunt, quia corruptio proprie dicitur de omni mutatione in imperfectius, putrefactio vt habetur apud Rabbi Moysem aphor. 23. apud Galen. 2. com. in Timæum Platonis dupliciter accipitur, primo pro mutatione quacunque in materiem specie dissimilem; veteres dicit Galen. appellabant putrefactionem mutationem vini in acetum, ligni in cinerem, sic etiam Galen. 1. de dist. feb. cap. 6. vocat putrefactionem mutationem apostematis in pus, quæ fit per coctionem: alio modo sumitur putrefactio proprie (dicit Galen.) pro mutatione substantię in alienam materiam cum fœtore. Quo in loco debetis illud animaduertere Galen. diuersam putrefactionis definitionem tradere ab Arist. in Meteor. c. 8. vbi dicit putrefactionem esse mutationem totius corporis substantiæ putrescentis ad corruptionem a calore extraneo factam. Ex quibus colligere potestis secundum Gal. hanc putrefactionem principaliter non requirere humiditatem, quia eius non facit mentionem, vt facit Arist. Secundum adnotandum est, quod cum Medici dicant corpora calida, & sicca non intelligunt corpora omni humore orbata, sed quæ sunt sine multa carne, & adipe, quæ scil. habent in se humores calidos, & acres, vt bilem vtramque, vel alium humorem similem. Tertio adnotandum est, quod ad putrefactionẽ principaliter concurrant caliditas, vnde corpora quanto magis sunt calida, tanto magis habent causam propriam putredinis. His constitutis respondere potestis dupliciter ad definitionem ex Aristot. allatam, vno modo quod Medici paulo diuersius sentiunt de putredine, quam Arist. quia Galen. non nominauit humiditatem, sed tantum substantiam corporis putrescentis: vel dicere potestis, quod corpora calida, & sicca, non sunt sine omni humiditate, sed habent humores calidos, & acres, merito quorum fit vt & ipsa putrescant. Sic etiam possumus dicere ad auctoritatem Arist. & Alex. quod quando intelligunt corpora calida, & sicca, intelligunt ea comparatione ad alia, quæ sunt calida, & humida, non autem ab omni humore priuata. De corporibus Aethiopum dico procul dubio illa minus putrescere, quam corpora nostra, quia sunt calida, & sicca; tamen & illa putrescunt, imo, ne putrescant, ea natio solet cõdire cadauera aut sale, aut alijs aromatibus vt scribit Herod. in Melpomene. De Plantis quid dicemus, dico plantas procul dubio minus putrescere, quam corpora animalium, quod signum habetur ex graueolentia cadaueris: verumtamen alia ratione plantæ non putrescunt, est autem ratio, quia vt dicit Arist. 2. de part. animalium c. 3. carent excrementis, cur careant dicit Arist. quia excrementa fiunt vbi cibi concoquuntur, in plantis nulla fit cibi concoctio, & ideo in plantis nulla fiunt excremẽta, nam accipiunt arbores cibum coctum, & confectum in visceribus terræ. Sed dicit quis nos videmus ab arboribus emanare varios liquores. Procul dubio dicendum est hæc esse excrementa. Et notate id, quod habet Gal. com. in Timæum, quod ea, quę exeunt ab arboribus, dupliciter exeunt, vel per expressionem, vel per effluxionem, quæ per expressionem dicuntur succi; quæ per effluxionem vel sunt aquea, & humida, & dicuntur lacrymæ, vel sunt crassiora, & vocantur lac vt in fico, vel sunt crassissima, & vocantur gummata; sed nihil horum est excrementum. Quare iure dictum est ab Arist. plantas carere excrementis.

Atque hæc dicta sint de præparatione ad febres ab intrinseco principio ratione tẽperamenti. Sunt etiam multæ aliæ res, quæ disponunt corpora ad febres, sed non immediate. Atque in hoc numero sunt ætas, sexus, & corporis habitus. Quod ad ætatem attinet, in vniuersum iuuenes & pueri magis præparati sunt ad febres quam senes. Hoc docuit nos Hipp. aph. lib. cum dicit, senes iuuenibus ægrotare rarius. Quod tametsi Galen. magna ex parte tribuat prudentiæ se-

Causæ mediatæ corp. ad febres disponentes.

nili;

nisi tamen si de febribus loquamur, tribuendum est multo magis proprio illius ætatis temperamento. Speciatim vero feb. diariis magis exponuntur adolescentes & pueri, putridis & iuuenes,& mediæ ętatis homines. Nam senes non ita dispositi sunt, ideo vero hac ratione (uoi fere immunes a febribus pestiferis, quia raro tētantur putridis. Hecticis obnoxii sunt tum senes, tum iuuenes, tum pueri.

Quod spectat ad sexum, viri in vniuersum magis dispositi sunt ad febres quam mulieres propter calorem, sed ad putridas magis dispositæ sunt mulieres quam viri. Sed notare oportet hęc dicunt habita consideratione febris vt febris est, id est secundum propriam naturam febris, nam potest contingere, vt res secus eueniat, vt scil. mulieres, & senes propter excrementa magis subijciantur febribus putridis quam iuuenes, similiter pueris propter voracitatem. Corpora tenuia & macilenta facile capiuntur hecticis, contra pinguia & obæsa magis tentantur putridis, ideo vere Aristot. 2. de part. animaliū 5. dicit corpora pinguia & obæsa citius interire, quod supra quoque notauimus.

Corporis habitus.

Hactenus diximus de præparatione corporum ad febres a principio interno, consequens est, vt de preparatione a principio externo loquamur. Et quia vt dixi, ex sententia Philosophorum idem est disponens materiam, & tribuens formam, ideo causę externę, quę disponunt corpora ad febres, illę eędem sunt efficientes febrium. Quare vno hoc cap. tam disponentes, quam efficientes causas complectemur. Priusquam autem hoc agamus, occurrit dubium, cur Auicen. noster nullum caput peculiare fecit de causis in vniuersum febrium. Breuiter dicendum est, ideo non fecisse, quia viderat easdem causas esse in vniuersum efficientes febrium, quę etiam sunt efficientes ephemerarum, ideo cum de causis disponentibus tantum tractasset, statim vno capite tractauit de causis febrium diariarum, & de causis febrium in vniuersum. Hoc autem se ita habere intelligere possumus ex Gal. qui in lib. 1. de differ. feb. 3. longa oratione proposuit easdem causas febrium in vniuersum, quas proponit Auicen. diariarum. Auicen. diuidit huiusmodi causas in accidentales & essentiales: dicens causas esse omnes res calefacientes, tam essentiales, quam accidentales. Sed quia Auic. non ita ordinate complexus videtur totum orbem causarum, operę pretium est, vt confugiamus ad Galen. & eius ratione vtentes inueniamus omnes causas febrium. Gal. enim de causis morb. 2. & 1. de diffi. feb. 3. in corporibus necessariis eo modo augeri dicit calorem, quo augetur ignis in rebus externis. Sunt autem quinque quibus extrinsecus augeri solet calor. Primum est vicinia rei calefactibilis. Est enim hoc perspectissimum, corpora rebus calidis approximata calefieri. Secundum est motus tum animi tum corporis. Tertium est putrefactio. Quartum est retentio difflationum cōtinuarum. Quintum & postremum est cibus & potus, seu ea quę sumuntur, quod attinet ad viciniam, in hoc genere causę febrium sunt balnea nimis calida, medicamenta calefacientia, potissimum autem est aer calidus & siccus, & insolatio, sub sole mansio. Nam hac etiam ratione fit, vt ęstas fit feracissima febriū, quia calida & sicca. Plagę etiam Orientales feracissimę sunt febrium. Vnde dicit Alex. in probl. med. Aethiopas facile tentari febrib. neq; tantum ad generandas febres in vniuersum maxime faciūt tempus anni, & regio, verumetiam, vt dicit Hip. toto 3. lib. aph. etiam aliqua tempora, quæ magis vnam febrem quam aliam proferunt, v.g. autumno, fiunt quartanæ: hyeme quotidianæ: vere diariæ & sanguineæ, æstate biliosæ ardentes.

De causis efficientibus febrium.

Sed circa hoc tria occurrunt scitu digna. Vnum est, cur fiat, vt qui nimium manent sub sole, febribus facile capiantur: qui autem ad ignem manent, non capiantur. Videbitis enim eos, qui operantur ad ignem, vix vnquam febrire.

Cur a sole febris ignatur, non autem ab igne.

Præterea est etiam dignum quæstione, cur, si quispiam continuo contrectet febricitantem at tamen a febre non tenetur. Videretur. n. consentaneum, si ob viciniam rei calidę fiunt febres, vt fierent etiam hoc modo.

Postremo, quia dixi ex Hippo. ęstate fieri ardentes febres, dubium est, quia Arist. 1. sect. probl. 29 in quo multos aph. Hippoc. explicat, ille dicit hyeme, & temporibus frigidis fieri magis febres ardentes, & 14. sect. problem. dicit habitatores plagarum frigidarum maxime vexari febribus ardentibus.

Ad primum respondere possumus cum Gal. 1. de diffi. feb. vt vitio rerum calidarum gignatur febris in corporibus nostris oportere, vt caliditas communicetur cordi. Communicatur autem caliditas cordi per medium aerem a causis externis. Vnde cū qui viuunt sub sole, & in aere calido hoc habeant, vt aer calidus facile penetret in cor, hinc fit, vt a febribus tententur. qui operantur prope ignem, & qui conuersantur cum febrientibus, licet secundum superficiem calorem aliquem nanciscantur, non est tamen in ipsis aer, qui attrahitur calidus, ut attractus in cor possit illud incendere, & consequenter febrem facere. De sententia autem Arist. nisi litere Græcæ sensus percipiatur, vix potest sufficienter huiusmodi tolli difficultas, dicit enim Aristoteles iis in locis habitatores plagarum frigidarum, & in aere frigido fieri febres magis ardentes. Sed aliud est, dicere quod hyeme fiant febres magis ardentes, aliud autem quod fiant magis id est frequentius ardentes. Nam verum est, quod dicit Hippoc. in ęstate fieri magis, & frequēter febres ardentes, quia vt dicit Aristotel. explicans hunc locum 5. problem. 1. sect. tunc temporis fiunt humores biliosi, & humores, qui hyeme sunt concreti, liquantur, vnde fit, vt febres frequentius & copiosius fiant eo tempore. Ceterum hyeme, & regionibus frigidis, fiunt quidem rarius febres ardentes, sed quæ contingunt, magis ardentes sunt, quam quę contingunt æstate. Duplex est ratio, nam Arist. vna ratio est, quia febres ardentes in hyeme, & regionibus frigi-

dis fieri nequeunt nisi a causa potentissima, ideo affectus, vt sit potentissimus, necesse est. Altera est, quia hoc tempore & in hac regione corpora hominum constipata sunt, vnde cum prohibeatur effluxus caloris, fit, vt hic cohibitus in corpore magis, atque magis augeatur. Huc accedit auctoritas Hippocratis, qui scribit, quod duarum tertianarum, quæ fiunt hyeme, & æstate, periculosior est, quæ fit hyeme, quia tunc corpora sunt magis conclusa, ideirco ignis cum non possit expirare, fiunt maiores ardores. Vnde si quando febres ardentes in corporibus contingunt, vere ardentissimæ fiunt, quod non tantum intelligendum est de ardentibus febribus, verum etiam de omnibus morbis intestinis feruidis.

Causa 2. febrium in genere motus, tum animi, tum corpore.

Aliud genus est motus. Nec puto quenquam esse, qui hoc experiatur a motu non modo nostra corpora calefieri, sed & febrire. Sed cũ duplex sit motus, animi & corporis, de eo corporis a plerisq; dubitatum est, qua ratione calorem inducat. Et vt varias relinquam opiniones, puto ego eum fieri propter duas causas. Prima proposita est ab Arist. met. 13. fieri calorem, vbi colliduntur in sese solida corpora, ita vt aer rarefiat, & ignitur. Id enim fit in corporibus omnibus, vt quotiescunque vehementer mouentur partes solidæ in se collidantur, atque ita atterentur, & inter sese calefiant. Vnde fit, vt postmodum purgatus hic calor in vniuersum corpus, præsertim in cor febrem inducat. Secunda causa est humorum, qui colliquãtur, qui colliquati, & per corpus moti, dum aerem & corpus vehementer agitant, calefaciunt, & ita febres inducunt.

In hoc genere causarum collocantur vacuationes omnes corporis, operationes medicamentorum, & alia consimilia, a quibus febres oriuntur. Et sicut nimius motus causa febris est; sic & nimia quies, vt dicit Gal. 8. meth. a. iũ 3. cap. lib. de dif. feb. Sed differentia est, quia nimiũ otiũ nõ p se, sed per aliud febrẽ inducit. Siquidem nimia segnitia retinentur excrementa in corpore, gignuntur crudi succi, qui deinde obstruentes febrem pariunt. Quod dixi de motu corporis, idem dicendum de motibus animi, a quibus fieri febrem non modo Gal. dicit, sed & Auic. hoc loco. Et quia motus animi alij sunt, qui fiunt ab internis ad exteriora, & alij, qui contra, priores, veluti sunt gaudium & verecundia, nõ febrem inducere apti sunt, eo quod calor mouetur extra corpus, ita vt potius refrigerare quã calefacere possint. Alij motus, vt est ira, timor, tristitia, non solum calefaciunt corpora nostra, sed etiam febres inducunt, eo quod cum spiritus intra corporis penetralia moueantur, atque hi sua pte natura calidi sint, fit vt feruidiores facti, non solum calorem, sed etiam febrem faciant.

Quomodo a motibus animi fiat febris.

Sed hoc loco duo nobis occurrunt examine & consideratione digna. Vnum est, quomodo ipsi veteres omnes Medici inter causas externas animi motus posuerũt, cum tamen internæ videantur. Aliud est, de timore & tristitia; siquidem Galen. 4. de causis puls. cap. 3. scribit, in timore & tristitia cor refrigeratur, quomodo ergo inter causas febrium Gal. cõnumerauit has passiones? Ad hoc dupliciter responderi potest. Primo modo, motus animi considerari possunt vel secundum seipsos, vel secundum obiecta, a quibus concitantur. Si secundum se considerentur, certe sunt res mere internæ. Sed si secundum obiecta; sunt pure exteriora, ideo Medici hæc respicientes, appellarunt causas externas.

Possumus etiam respondere, posse aliquid dici causam externam, vel quia extrinseca sit, vel quia euidens. Primo modo sane animi motus non sunt res externæ, quia non sunt extrã nostra corpora, sed quia sunt causę euidentes. Nam si quis febrem incurrat propter iram, aut propter aliud, ab omnibus cognoscitur, ideo dicuntur motus animi causæ externæ, quia sunt euidentes. Ad 2. respondendum, metum, tristitiam, & alia huiusmodi in corporib. nostris fieri interdum paulatim, interdum cito. Vbi fiunt paulatim, refrigerant quidem, & faciunt pulsus tardos, & hoc modo locutus est Gal. Si autem fiant cito, calefaciunt potius cor, quam refrigerant.

Et ne putetis, hoc esse figmentum merum ingenij mei, videatis Arist. lib. de respir. cap. 19. a principio. Inquit enim eo loco, timorem eam esse animi passionem, in qua calor velociter ab externis ad cor refugit, in qua celeri fuga dicit Arist. fit magnus motus in corpore, & ex motu interdũ ita cogitur circa cor calor, vt non tantum calefiant homines, verum etiam intereant interdum, scilicet quod calor & spiritus circa cor subito coactus calefecisset, & calorem natiuum strangulant. Hoc etiam, domini, illud est, quod docere voluit Galen. quando 1. de tuend. val. a. dicebat, a nimijs animorum motib. humores fieri biliosos, id est, valde calidos; siquidem ex eo motu ad interna, & generatur bilis, & genita deducitur ad stomachum.

Causa tertia febrium putredo.

Tertium genus causarum est putredo, quæ inducit febres in corporibus nostris, quoniam vt dicit Gal. 4. cap. lib. 1. de diff. feb. vapores putridi, & ideo calidi rapiuntur in cor, qui ipsum calefacientes consequenter febres inducunt. Hæc autem putredo æque potest esse interna, atque etiam externa. Sic enim dicit Galen. loco citato febrem pestilentem produci ab aere morbido, & putrido.

Cum autem omnis putredo, vt dicit Arist. lib. 4. meteor. cap. 1. sit extinctio caloris natiui a calore externo, dubitatum est, qua ratione corruptio huius caloris, quæ generat febres in corporibus nostris efficiatur. Ex vna parte fuerũt, qui dixerunt, fieri semper putredinem a prohibita transpiratione, quorum sententiæ videtur in primis fauere Galen. qui 9. meth. 7. dicit ea tantum putrefieri, quæ calida & humida cum sint, in loco calido humido cõclusa sunt. Hoc etiam plerisq; in locis confirmauit Gal. scil. fieri putredinem in corporib. nostris a prohibita transpiratione. Et vt hoc possitis intime penetrare, debetis repetere naturam tribus coctionibus, quæ fiunt in nobis, propria loca destinasse, ad excernenda vniuscuiusque coctionis excrementa.

Vnde

Vnde vbi hæc excrementa non excernuntur, in quacunque coctione sint retenta, a calore extraneo capiuntur, & consequenter putrescunt. Igitur id certum est, putredinem fieri ob prohibitum hanc excrementorum transpirationem.

Ex altera parte est authoritas Gal. cap. 6. lib. de inæq. intemperie, vbi dicit manifeste, non tantum prohibitam transpirationem, verumetiam alias causas facere putredinem. Etsi hoc non diceret, ipsa experientia docet. Videmus enim quotidie, corpora frigida, & humida putrefieri. Quamobrem hoc constitutum esse debet, frequenter, imo frequentissime, fieri in nobis putredinem ex prohibita transpiratione, & hoc voluisse Gal. loc. cit. verum fit etiam putredo ab alijs causis, vt ab aere putrido inspirato. Vnde non est mirum, si Gal. cum hoc vidisset, duo genera causarum fecit febrium, alterum putredinem, alterum prohibitam transpirationem, quod frustra fecisset, si putredo semper oriretur a prohibita transpiratione.

Est hoc loco animaduertēdum. Nam audiuistis a putredine fieri febres. Hoc si verum est, qui fit igitur, quod cum quotidie in intestinis gignuntur putredines insignes, nihilominus non videmus febres ex his factas. Putredo etiam exigua in alia parte solet facere febres, & quod in corporibus nostris fiant quotidie putredines in intestinis, docent quotidiani fœtores, qui percipiuntur ex fæcibus, & crepitibus. Et ratio huius rei est, quia etsi hæc putredo sit interdum eximia: fit tamen in locis ita inuolutis, & remotis a corde, vt eo minime peruenire possint vapores putridi, qui calefacientes febres inducant. Nam Plato in Timæo dicit intestina facta fuisse oblonga, & flexuosa, ne cogerentur homines continuo edere, & excernere, & consequenter diuinas mētis operationes turbare.

Ego autem addo, propter hoc facta fuisse intestina anfractuosa, vt cum recipere deberent copiosa excrementa, & hæc ibi putrefieri, ne putredo ad partes nobiles penetraret, & vitæ incommodaret. Hæc etiam est ratio, cur fit, vt excremēta aliarum coctionum, quæ fiūt in corpore nostro non putrefiant, sed tantum primæ coctionis, quia scil. & multa sunt, & in loco posita, vbi minime possunt a calore natiuo regulari, vt par est.

Causa quarta febrium prohibita trāspiratio.

Quartum genus est, prohibita transpiratio, quæ tota posita est aut potissimum in clausione eorum meatuum, quos fabricauit natura ad expellenda tertiæ coctionis excrementa, quæ pensatio meatuum vel fit in corporibus impuris, in quibus exsuperāt acres humores, vel fit in corporibus puris, & temperatis, scil. si fiat in corporibus impuris, retenta illa excrementa calida, & acria sane calorem intestinum augent, & consequenter febres faciunt.

In corporibus autem puris dicit Gal. iure huiusmodi prohibitam respirationem non necessario facere febrem, sed plenitudinem facere, quæ interdum quidem facere potest febrem, sed nō semper. huiusmodi prohibita transpiratio, & densatio pororum, quantum colligitur ex Gal. 9. meth. 7. & 3. de T. V. fit, vel quia pori, & meatus replentur, vel quia in simul conniuent, & constringuntur, vel quia caro inter meatus existens constringitur, replentur meatus a viscidis, lentis, crudis, & crassis succis. Constringuntur autem carnes, & similiter etiam meatus dicit Gal. 3. meth. a. vel a frigidis, vel ab adstringentibus, vel a siccantibus. Frigida quæ condensant meatus sunt, veluti aer frigidus, aquæ gelidæ, balnea frigida. Adstringentia sunt veluti medicamēta adstringentia, balnea aluminosa. De siccantib. autem dubitatio est, an ea quę exsiccant, corpora cōdensent, an potius rarefaciant. Nam perspicuum est, corpora eorum, qui detenti sunt hectica & marasmo rarefieri, & propterea vtuntur Medici remedijs opplētibus meatus. Ad hec videmus corpora senilia esse quidem maxime exsiccata, esse tamen potius rata quam densa. Dicendum est, siccantia operari posse in corpora nostra dupliciter, vel paulatim, vel repente. Quæ paulatim operantur, sunt quæ rarefaciunt corpora nostra, quia cum humore illud humidū, quod est in meatibus, consumunt, & consequenter cum meatus vacuos relinquant, faciunt corpora rara, contra illa, quæ exsiccant subito, adstringunt, non autem rarefaciunt.

Causa quinta febriū cibus & potus.

Quintum & postremum genus causarum totum positum est in his, quæ intus sumuntur, siue sint medicamenta, siue cibus & potus. Medicamenta cum corpus euidentissime incendant, citra omnium controuersiam febres inducere nata sunt. Ceterum cibus & potus febrem faciunt aut qualitate, aut quantitate. Qualitas vero vt dicit Galen. 3. cap. lib. 1. de diff. feb. potest esse tum ascititia, tum etiā natiua. Ascititia cum cibi, vel potius aliqua mala fortuna corrumpuntur, ita vt corrupta & intus sumpta statum nostri corporis violet, & ita febres inducant. Qualitate etiam natiua hoc facere possunt, quotiescunque nimium acria, & calida sunt. Huiusmodi dicit Gal. esse allia, cæpas, nasturtia, & alia huiusmodi, quæ sua nimia caliditate incendunt spiritus & humores, & consequēter inducuntur febres. Copia etiam possunt cibi, & potus facere febres, quando vel excedunt, vel nimium deficiunt. Si excedant, cruditates inducunt tum acidas tum nidorosas, a quibus deinceps febres fiunt; sic etiam d. Gal. 8. met. 2. deficientes cibos seu nimiam inediam parere febres. Quæ autem sit ratio. d. Gal. loc. cit. inedia bilem confluere in ventriculo, & ex hoc confluxu incendi spiritus, & consequenter fieri febres.

Sed est quoque altera causa proposita ab Arist. in fine libro de iuuent. & senect. nec non proble. sect. proble. 7. Quibus in locis dicit, ieiunantium stomachos fieri æstuosos & incensos, quoniam aer contentus in huiusmodi stomacho, cum non ventiletur ab ingressu ciborum fieri, vt hic immotus veluti incendatur & caleat. Vnde dicit, ora ieiunantium propter hoc male olere quia scilicet aer immotus, & ideo calefactus incendit, & putrefacit humores, vnde fœtor. Hactenus habuistis, quæ sint in vniuersali causæ efficientes febrium, superest, vt cuiusque generis febrium particulares tractationes aggrediamur. Sed quia omnis huiusmodi tractatio institui-

tur

tur propter curationem, cuius gratia omnis medicina comparatur: & quia tum ad curationem instituendam, tum ad victum instituendum, necessarium est cognoscere tempora, & mutationes febrium: hinc fit, vt priusquam particularem tractationem aggrediamur, necesse sit tradere certam theoriam temporum febrium, vt iure merito Auicen. diligentius, priusquam tractaret peculiariter febres, voluerit tractare de horis, & temporib. febrium. Sed video ingeniosum aliquem duo esse hac in re percunctaturum. 1. cur Auicen. initio tractationis febrium voluerit agere de temporibus febrium, & Galen. in lib. de differ. febr. huiusmodi tractationem in fin. lib. secundo, habuerit. Alterum est, cur Auicen. in tractandis febribus de temporibus potiss. egerit, in tractandis alijs morbis huiusmodi diligentia non sit vsus. Breuiter resp. ad vtramque summo iure, vt audiuistis hoc fecisse Auicen. quia vniuersa ipsius tractatio dirigebatur ad iudicium & curationem instituendam. Galen. autem cum sibi proposuisset in his lib. naturam solam febrium edocere, & modum agnoscendi ipsas proponeret, minime pertinebat ad ipsum, ante solam tractationem de temporibus verba facere: sed quia etiam nonnihil hæc cognitio confert ad scopum Galen. propositum, hinc fit, vt in fine tractationis aliqua etiam de huiusmodi temporibus adiungere voluerit.

Ad 2. vero resp. febrem habere huiusmodi tempora & plura & magis euidentia, quam habeant ceteri morbi; siquidem, vt mox dicemus, febres habent duplicia tempora, morbi ceteri, quod non habeant paroxysmos ita euidentes, fit, vt in ipsis non vsque adeo referat exquisita temporum cognitio, vt iure Auicen. particularem tractationem de horis febrium instituerit. Itaque hunc imitati, de temporibus morborum tractaturi sumus, vt instructiores accedatis ad particulares febres omnes intelligendas. Tempus, vt mihi obseruare licuit, tria significat, mensuram motus totius orbis, quemadmodum accepit philosophus 4 phys. vbi de tempore exactissimam tractationem habet: sic proprie dicitur a Græcis χρόνος. Nostri non alio nomine vtuntur, quam temporis. 2. sumitur pro parte aliqua huius temporis. Nam primi rerum parentes propter vitæ nostræ commodum distinxerunt hoc in quatuor; in ver, æstatem, autumnum, & hybernum tempus; appellaruntque huiusmodi tempora horas nomine Græco, quasi sint partes quædam totius motus. 3. significat tempus mutationem, quam faciunt plantæ, animalia, & etiam morbi. Nam omnia viuentia, vt cuique perspectum est, primo oriuntur, deinde augentur, postremo sistunt, deinde declinant; ita vt habeant principium, augmentum, consistentiam, & declinationem. Neque credendum est fabulis illis, quas habetis apud Plinium lib. viij. cap. xxv. commenta sunt, Crocodilum semper augeri, numquam senescere. Ad similitudinem horum (quemadmodum scribit Galen. lib. de morb. tempor. c. 1. inuenerunt Medici etiam in morbis fieri huiusmodi mutationes, ita vt primo oriantur, secundo augeantur, tertio consistant; postremo declinent. Sed vt idem notauit Galen. tres sunt differentiæ inter tempora animalium, & inter tempora morborum: quia apud Græcos tempus morborum dicitur καιρός, tempus animalium siue ætas χρόνος, alia differentia est, dicit Galen. quia in animalibus principium fere semper longum est, in morbis sæpe statim augmentum succedit principio, cur hoc fit? inquit Galen. hoc esse, quia animalia corpora sunt, morbi accidentia, iam vero necessarium est vt corpora in principio efformentur, accidentia nequaquam opus habent vt fingantur, quia statim fiunt: tertia differentia est, quia finis in animalibus semper malus cum sit mors, in morbis semper bonus, cum sit declinatio, & mali solutio.

De significationibus temporis.

CAPVT IV.

De temporibus febrium.

CVpiet aliquis vestrum intelligere, ad quid Medici in morbis hæc tẽpora sint imaginati. Et inuenio apud Gal. propter tres causas hæc tempora excogitasse, vna est propter artem prognosticam, si debet Medicus intelligere exitum morborum, procul dubio necessarium est, vt habeat quædam tempora determinata; propter quæ cognoscat morbi statum, vt possit iudicium proferre: altera causa fuit propter curationem, quia prout variantur morbi, sic necessario variatur curatio; variari morbos non posset Medicus faciliter cognoscere, nisi per hæc tempora metiatur varietatem: tertia causa fuit propter victum in ægris instituendum; nam clarum est quod non vnus victus semper debeatur morbis, sed prout illi magis, vel minus inualescunt, sic etiam modo augere, modo remittere cibos oportet, atque tempora morborum si bene intelligantur, ducunt Medicum ad præscribendam hanc varietatem. Et hoc in loco accommodatissima historia filiæ Philonis recitata ab Hipp. 1. epidem. com. 2. cui cum large e naribus sanguis fluxisset, & ea ratione seruari deberet, obijt, quia intempestiue cenauerat.

Habetis igitur morbos sua tempora habere. Galen. scripsit duos libellos, quos appellauit de temp. morb. Et nos locuturi sumus quoque de his breuiter & perspicue. Sed quatuor ante cetera diligenter memoria tenenda. Primum febres, de quarum temporibus sumus locuturi, duo habere tempora, aliud vniuersale, aliud particulare. Particulare, siue particularia tempora sunt quatuor illæ mutationes, quas in vnaquaque accessione subit febris, scil. principium, augmentum, status, & declinatio. Hæc enim quatuor cum reperiantur in vnaquaque accessione, dicuntur

Tempus particulare.
Tempus vniuersale.

tur

tur particularia tempora, quod particulares, & euidentes mutationes efficiuntur in vnaquaque accessione. Vniuersale tempus est totus ambitus omnium paroxysmorum a principio morbi totius ad finem. Do exemplum: Quartana cum sit febris, habet & tempus particulare, & vniuersale. Tempora particularia quartanæ sunt initium vniuscuiusque paroxysmi, quando scilicet incipit rigor: augmentum, quando abeunte rigore apparet calor: statum quando calor in summo est. declinatio, quando calor remittitur, & sudor apparere incipit. Hæc tempora particularia finiuntur circuitu 12. 14. aut 20 horarum. Tempus autem vniuersale dicitur totus ambitus, & circuitus quartanæ a principio ad finem: quæ vt suo loco videbitur, interdum anni spacio, interdum 8. vel 10. mensium, & modo maior, vel minori mensium, & dierum numero fit. Nam in hoc toto curriculo febris apparent similes mutationes, quemadmodum in particularibus paroxysmis, adeo vt & augeatur febris, consistat, atque etiam decliner. Aliud quod intelligere debetis est, necessario hæc tempora interdum reperiri in omnibus morbis, interdum vero non reperiri, vt neque omnia viuentia pertranseunt hæc quatuor tempora, quia alia in principio, alia in augmento, alia in statu obeunt. Sic non omnes morbi hæc quatuor habent.

In morbis lethalibus certissimum est, non inueniri hæc omnia tempora, quandoquidem omnes moriuntur vel in principio morbi, vel in augmento, vel in statu. In declinatione nullus vnquam perit, vt dicetur, ideo in morbis lethalibus semper ad minus desideratur declinatio. In morbis salutaribus secus est, quia licet interdum aliqua tempora desiderentur, plerumque tamen in ipsis omnia hæc tempora inueniuntur. Nam interdum vsu venit, vt inchoantes morbi vel augescentes statim opera Medici finiantur. Plerumque autem hoc contingit, vt & a natura, & a Medico curentur quidem hi morbi, sed per sua tempora. Tertium obseruandum est, in morbis qui percurrunt hæc quatuor tempora, non semper hæc tempora esse manifesta, quandoquidem vsu & experientia comprobabitis interdum augmentum insensibile esse, interdum statum.

Tēpora quatuor morborum nō semper in morbis manifesta.

Quod cum viderent aliqui Medici insulsi, dixerunt hæc tempora non esse in omnibus morbis necessaria, sed interdum deficere statum, interdum augmentum, interdum etiam principium. Sed vt nuper dixi, id quod insensibile est, isti putarunt perinde, atque non esset. Quartum obseruandum est, Medicos pro indicijs, & curatione instituendis hæc tempora febrium adhuc distinxisse, quandoquidem voluerunt quodlibet tempus tum vniuersale, tum particulare febrium habere principium, medium, & finem, adeo, vt liceat assignare principium principij, medium & finem, & sic de singulis. Archigen. declinationis finem adhuc diuidebat in duas partes, sed nimia hæc Archigenis diligentia fuit a Galeno damnata in libro de temp. morb. & iure. Neque valet, Domini, Galen. & alios præter hæc tempora proposuisse inæqualitatem quandam, nec non etiam interualla paroxysmorum, quoniam illa inæqualitas non est tempus separatum, sed est pars quædam principij, & a Galeno assimilatur igni scintillanti, quæ dum vult accendi, modo emicat, modo occultatur, ita vt inæqualitatem quandam faciat, quemadmodum fit hæc inæqualitas, quoties in initio paroxysmi calor obrutus materia febrili modo exsurgit & emicat modo deprimitur, & occultatur: quod si Galen. ponit viij. c. lib. de tempor. morb. id facit gratia curationis instituendæ.

Idem etiam dicendum de interuallis, scilicet non esse neque ipsum tempus morbi aut febris separatum, quemadmodum non est inæqualitas, sed est tempus sanitatis potius, quam tempus morbi. Vnde veteres Medici solebant in interuallis mittere ægros ad consuetas operationes, quasi in hoc tempore homines sint potius sani, quam ægri. Quod etiam aduertentes legislatores, sanxerunt, vt qui quartana laborant in diebus interualli sese excusare nequeant, quo minus in iudicium vocati compareant, scilicet intelligentes & ipsi, hæc interualla esse potius tempora sanitatis quam tempora morborum.

De principio morborum.

Principium quod a Græcis dicitur ἀρχὴ, tripliciter apud Medicos sumitur, vt dicit Galenus primo aphor. 12. & 1. de locis 17. & 19. principium enim significat primam cuiusque morbi inuasionem, quam Græci significantes vocant ἐπισημασίαν. Secundo modo sumitur pro tribus prioribus diebus morbi, quibus Aegyptij prohibebant, ne Medici in his tribus primis diebus quicquam agerent, vt dicit Aristoteles 3. polit. ca. 5. ideo vero si quid agebant Medici in his diebus suo periculo agebant. Hanc legem imitati sunt illi Medici, qui, sectantes Thessalum, a Galeno frequenter Diatritarij vocantur. Sumitur tertio modo principium pro prima parte totius morbi. Nam secatur quilibet morbus in principium, augmentum, statum, & declinationem. De hoc principio quoniam frequenter loquuntur Medici, nos etiam locuturi sumus. Auicen. tertio ca. primæ fen. quarti: & Galen. 2. de diff. feb. in fine, & 3. de locis cap. 3. definierunt esse principium tempus illud, in quo calor a materia veluti suffocatur, & in quo non apparet signum coctionis, neque signum contrarium coctioni.

Addit duo commemoratu digna Auicen. vnum est, in omni ægritudine inueniri necessario principium, ita vt de hoc a nemine sit dubitatum: verumtamen esse in aliquibus ægritudinibus principium admodum obscurum, & prorsus insensibile, cuiusmodi fit tum in epilepsia, tum apoplexia: in quibus ægritudo vsque adeo celeriter fit magna, vt vix inchoasse sentiatur. Alterum monet Auicen. interdum in morbis acutis prima die apparere in vrina excrementa, aut sedimentum aliquod, quod etsi videri possit coctionis signum, tamen dicit Auicen. minime esse, sed esse potius partem crudā alimenti, quæ antea actis diebus superfuit in coctione & fabrica sanguinis. Auerrh. 3. collectan. cap. 9. hanc eandem videtur gustasse difficultatem, qui loquens de

principio

principio dicit in hoc tempore sese manifestare, quidem morbum veruntamen nondum naturam tractare materiam. Si igitur materia a natura non tractatur, non possumus dicere vere, quod in principio febris vel alterius morbi appareat vel coctio, vel cruditas, vel defœdatio vrinæ. Verus itaque character principij est, vt in ipso non appareat signum coctionis, neque signum contrarij coctioni. Hoc loco oritur contemplatio, cur Auicen. dicit in principio non apparere signa coctionis, nec contrarium coctioni: & potius non dicit non apparere signa cruditatis. Nam multo clarior fuisset eius sermo, si dixisset, non apparere nec signa coctionis, nec signa cruditatis. Ego autem dico, summo iudicio Auicen. vsum huiusmodi sermone. Nam Aristot. initio 4. meteor. vbi coctionis naturam explicauisset, dicit coctioni duo esse contraria, scilic. ἀπεψίαν siue ὠμότητα, nos dicimus cruditatem & μώλυσιν Latini dicunt defœdationem. Cruditas, vt exemplum afferamus, in rebus quæ elixantur exterius, dicitur, quotiescunque humidum minime terminum debitum acquirit, sed flatulentum & crudum permanet.

Duo contraria coctioni ex Philosopho.

Fit a. defœdatio seu μώλυσις, quando humidum non tantum non coquitur, verumetiam corrumpitur, quæ tamen corruptio duplex esse potest, vt docte dicit Galen. 2. aph. 17. Nam vel corrumpitur humidũ imperfecte. Si imperfecte, potest corrigi, & per vlteriorẽ coctionem perfici. Sin autem perfecte & integre corrumpatur, minime potest vnquam ad benignum reduci. Et affert Galen. exemplum vini acescẽtis, quod vinum, si parum acescat, potest corrigi, vel mutatione doliorum, vt audio frequenter fieri in Græcia, vel aliter, sin autem multum acescat, minime potest corrigi. Igitur Auic. vt complecteretur iam cruditatem, quam defœdationem, dicit potius non apparere contrarium coctioni, i. sub nomine contrarij complectens, & defœdationem & cruditatem. Nam in febribus salutaribus apparet interdum cruditas in vrinis, in febribus exitiosis apparet corruptio, ideo voluit Auic. complecti principium tam salutarium, quam exitialium febrium.

Post principium sequitur aliud tempus, quod a Græcis tribus nominib. dicitur αὔξησις, ἐπίδοσις, ἀνάβασις nos dicere possumus augmentum, incrementum & ascensum. Definitur hoc tempus tum ab Auicen. tum Galen. 1. aph. & 1. de cris. quod sit tempus illud, in quo calor non amplius suffocatur, sed incipit apparere manifeste. Et similiter incipiunt apparere signa vel coctionis, vel contrarij coctioni, id est, vel cruditatis, vel defœdationis coctionis, scilicet & cruditatis in morbis salubribus, defœdationis vero in morbis mortiferis.

De augmento morborum.

In febribus hoc tempus dare conspicitur, non in illis dicitur principium quando incipiunt apparere rigores, tremores, horrores; augmentum vero quãdo iam finito frigore incipit calor per totum corpus expandi.

Hoc tempus Archigenes negauit reperiri inueniri, sed Gal. in lib. de temp. morb. damnãs Archigenem monstrauit, sicuti fieri non potest, vt aliquis ab imo loco summum petat, nisi ascendendo: sic fieri non posse, vt quispiam morbos a principio ad summum accedat, id est, ad vigorem, nisi ascendat, & ascendere nihil aliud est, nisi augeri siue crescere. Itaq; multo fecisset melius Archigenes, si dixisset, id quod sæpe nos docuit Gal. 1. de cris. & alibi passim, ipsum augmentum quandoque insensibile esse, non quod non inueniatur in morbis. Succedit augmento tertium tempus, quod a Græcis vnico nomine dictum est ἀκμή, nostri dicunt modo vigorem, modo statum ipsius morbi, fuerunt inter Medicos, qui hoc tempus dari negarent, sed melius fecissent (quod etiam de augmento diximus) si dixissent tempus hoc esse insensibile, vt docet Galen. primo de cris. Vigor est tempus, in quo iam calor per vniuersum corpus propagatus est, & coctionis signa apparent vel contrarij ipsius coctionis. i. defœdationis. Et qui studiosi sunt Auerrho debent aduertere 3. collect. cap. 9. manifeste literam eius esse corruptam, quod si maiores nostri cognouissent, minime multas turbas excitassent circa cognitiones status. Nã vbi litera Auerrhoi dicit in statu cessare coctionem, legendum est potius in statu fieri coctionem, quia & sequentia & antecedentia verba id necessario postulant. Addit vnum Auicen. dignum consideratione, scilicet statum quandoque vno perfici paroxysmo, quandoque duobus; neque cognosci vnquam nisi postquam abijt.

De statu morborum.

Et, vt hanc rem intelligatis, debetis pro nunc memoria repetere, febres, vt alios morbos, vel esse acutas, & breues; vel longas & tardas. Breues simpliciter dicuntur febres, quæ salutares sunt, & citissime terminantur, vt diaria febris. Acuti autem morbi sunt illi, quoniam celeriter mouentur, & cum periculo sunt, vt dicit Archigenes in hoc laudatus a Galeno. Addit Hippocrat. 1. epid. com. 1. cont. 3. & 1. de acutis nominatim febrem continuam semper copulari acutis morbis.

Morbi longi & tardi dicuntur, qui diu durant: tardi sunt, qui tarde mouentur. In morbis acutis celeriter solet status apparere, atq; in his siue sint acutissimi, siue sint simpliciter acuti, siue sint acuti per decidentiam, status nunquam solet perdurare vltra vnam vel alteram diem, aut accessionem. In morbis autem longis, & tardis secus est, quia status interdum perdurare solet pluribus accessionibus, & pluribus diebus, vt manifestum est in febre quartana.

Hinc colligatis differre morbum acutum a breui, qui a breuis ille dicitur qui cito finitur, siue sit lethalis, siue salubris, exemplum habetis de diaria, quæ quidem est morbus breuis non tamẽ acutus. Morbus autem acutus est ille, qui tres illas habet conditiones: i. quod celeriter moueatur, & quod cum periculo: & qui semper cum febre continua. Itaque omnis morbus acutus est etiam breuis, non econtra omnis morbus breuis est acutus, vt apparet de febre diaria, quemadmodum non omnis morbus longus est tardus, neque omnis tardus longus. Rursus vt docet

Galen.

Galen. 1. aphor. & 2. de cris. acutorum alij sunt, qui 4. die ad summum finiuntur acutissimi; vt apoplexia, angina; alij qui septimo vt febris ardens, tertiana 2. Auicen. alij 14. vt pleuritis; alij 40. & dicunt acuti ex decidentia, eo quod hoc tempore isti morbi non sint semper acuti, sed intermittatur acuties.

De declinatione morborum.

Statum morbi excipit quartum semper quod Græce dicitur ἄνεσις nos declinationem, siue remissionem dicimus. Et nihil aliud est, nisi illud tempus, in quo iam natura superauit morbũ & materiam morbificam, calor remissus est, & aliqua vacuatio, salutaris apparere solet vel per sudorem, vel per vrinas, vel per aluum, vel per insensibilem transpirationem. Sicut enim in statu fit pugna inter naturam, & materiam morbificam, adeo vt plerumque sit incertum, vter sit victurus an morbus, an natura, sic in declinatione semper manifesta est victoria naturæ aduersus morbum & materiam morbificam. Propterea & Galenus & Auicenna dixerunt in declinatione neminem perire.

Nũ in declinatione morbi ægri etiã perire possint.

Ceterum quia Galenus 3. de cris. 9. & Auerrh. loc. cit. dixere in declinatione etiam interdum ægros perire. Hinc maxima lis orta est inter Medicos priores & recẽtiores, vtrũ scilicet possit quispiam extingui in declinatione morbi, Galenus videtur hanc rem diffiniuisse in lib. de cris. scilicet aliam esse declinationem vniuersalem, aliam particularem, id est, declinationem, quæ est pars totius morbi & declinationem, quæ est pars peculiaris paroxysmi. In declinatione vniuersali dicebat Galenus neminem posse perire, quia character proprius declinationis morbi est victoria ipsius naturæ supra morbum. Victorem aliquem concidere post partam victoriã, non videtur rationi consentaneum. In declinatione particulari dicit Gal. sese innumeros vidisse perire. Et afferunt isti rationem, quod in particulari accessione post statum vsque adeo remaneãt postratæ vires ægro, vt concidant. Sed parcant mihi manes Gal. puto multo melius dici, in nulla vera declinatione posse perire quenquam. Quia character cuiusque declinationis est, vt sit victoria ipsius naturæ, sed in falsa declinatione, quæ tantum apparet in accessionibus particularibus, potest quidem aliquis perire.

Quæ falsa quæ vera declinatio dicetur.

Sed dicetis, quæ est vera, quæ falsa declinatio? Docuit hoc Auerrh. loco citato, docet & experientia: nam dicit Auerrh. in vera declinatione semper vires remanere validas, & vt ait ipse, veram declinationem semper fieri, cum viribus validis. Falsa autem declinatio fit semper cum viribus imbecillis, quemadmodum contingit in morbis exitialibus; siquidem morbi exitiales cũ habeant semper vires imbecillas & languidas interdum propter imbecillitatem etiam in statu vsque adeo fractæ & sedatæ sunt, vt morbus declinare videatur, cum potius non morbi, sed declinatio potius virium sit.

Et si dicatis, videtur interdum mori æger, quando melius sese habet, dico quod sunt Medici, qui decipiuntur, quia sæpe æger adeo postratis est viribus, vt natura non audeat ire cõtra morbum, & tum Medici ignari putant ægrum melius sese habere, quod falsum est, quia in declinatione, vt declinatione, nunquã potest æger mori; & idcirco si qui dicant interdum mori ægros in febre illa παρακμάζουσα, dicatis quod somnient, numquam. n. inuenietis neque experientia, neque etiam apud auctores probatos. Et quanquam Galen. 3. de cris. 9. id dicat, pace eius non admodum probo, licet dicat fieri raro. Similiter quia videmus in declinatione morbi fieri errores, qui ægros interimunt; dico quod dicit Gal. 3. de cris. 5. ægri tunc moriuntur in principio noui morbi causati ab errore.

Signa temporum morborum.

Igitur habetis, in delinatione vera neminẽ contingere perire, sed in falsa. Vt audiuistis. Auicen. in docendis febrium temporibus vsus est solis pene signis concoctionis, cum tamen Hipp. 1. aph. 12 & Galen. 5. de cris. & alibi sæpe multis alijs signis vsus sit, videlicet morbi natura, anni tempore, accessione siue circuitu. Sed, vt puto, ob hanc rationem fecit Auicen. quia tametsi sint complura temporum signa, nullum tamen efficacius, firmius, & illustrius est signum, quã sumptum a concoctione, eo quod morbus non est aliud, nisi pugna quędam naturę cum materia morbifica: cuius pugnæ vnicum est peculiare signum concoctio.

Præterea in sequentibus de iis clarius locuturi sumus, quando singularia morborum tempora declarabimus.

An status possit pręcognosci.

Dixeram, si memoria tenetis, Auicen. statuere, statum cognosci tãtum postquam abijt, quæ sententia Auicen. omnibus maximam suspicionem attulit, quia si status præcognosci non potest, ad quid ergo tot regulæ? tot prępcepta? quæ afferant Medici, vt pręcognoscant status. Ad hęc nullo modo posset in morbis recta victus ratio institui, probo, quia habetis ab Hippocr. 1. aph. quod tota ratio instituendi victum in morbis sumitur, & præcognitione status, quia si status est propinquus tenuissimo victu est vtendum, si longinquus, paulo pleniori. si igitur status non posset præcognosci, hæc essent vera. Nonnulli dixerunt, duplicem esse præcognitionem: aliam esse pure coniecturalem, aliam esse certam. Inquiunt isti, coniecturaliter quidem potest nosci, sed certa cognitione non.

Ego vero talem responsionem puto esse contrariam Hipp. & Gal. & destruere pene totã medicinam. Est contraria Hippo. qui 1. epid. 2. t. 45. dicit coctionem significare securitatem iudicii & celeritatem. Si ergo tuto cognoscit iudicium, & fit in statu iudicium, nõ est dubiũ, quin Hip. voluerit certam etiam dari status cognitionem.

Pręterea 2. aph. 26. dicit Hip. quod non est fidendum iis, quę eueniunt pręter rationem, ergo fidendum est iis, quæ eueniunt cum ratione, ergo vbicunque habemus signa rationabilia futuri status, erit fidendum ipsis, ergo erunt cocta signa futuri status.

Est

Est quoque contra Galen. qui ait 1. de crif. 16. disputans contra eos qui negabant dari status præcognitionem demonstrauit efficacissimis exemplis, certam haberi posse de statu præcognitionem.

Destruit postremo hæc responsio regulas medicinæ, quia si diligenter examinetis propositum Hippocr. in 1. aph. in instituenda victus ratione in constituendis temporibus medendi, omnibus videtur omnia dirigere ad status præcognitionem, qui si ignoretur, quis non videt omne studium Medicorum ruere statim? Quamobrem hanc rem ita puto esse decernendam, triplicem enim esse cognitionem, aliam coniecturalem, quæ sæpe fallit, aliam certam, quæ quandoque fallit, aliam certissimam, quæ nunquam. Cognitione hac certissima non potest status, neque ulla alia res præcognosci. Et hoc est quod voluit nos docere Auicen. certissima cognitione non posse cognosci statum, nisi postquam abiit, siue ipse, sequenti paroxysmo.

Triplex cognitio.

Ceterum, certa cognitione, quæ interdum, sed raro fallat potest præcognosci status. Et ita intelligendus est Hippo. & Galen. sed dicet quis, nonne Galen. 1. de crif. 16. de statu loquens de eo certissimam haberi præcognitionem. Quod si verum est, non ergo mea resolutio quicquam valebit. Aduertite Domini, quantum valeat, Galenum audire sua lingua loquentem. Interpres eius loci duos errores commisit. Vbi textus Græcus habet aliquando, bonus interpres vertit sæpe. Multum autem refert, dicere aliquando & sæpe. Alium errorem commisit, quia vbi Galenus dicit certam cognitionem, interpres ait certissimam. Et potestis videre hãc correctionem in exemplaribus non recentissimis, sed etiam vetustissimis. Itaque tantum abest, vt Gal. auctoritas nobis noceat, vt potius faueat. Neque valet ideo medicinam nostram futuram esse fallacem. Quia etsi non habeamus certissimam illam status præcognitionem, habemus tamen certam, quæ raro nos fallit, & hæc sufficit. Nam dicit. Hipp. in lib. de arte veteri, si are esse medicinam non vti hypothesi, veluti illi vtuntur, qui tractant res dubias, & obscuras.

An medicina fallax.

Est aliud discussione dignum, an verum sit quod tradit Auicenn. in statu fieri coctionem. Primo videtur hoc verum non esse, quia sequeretur necessario eodem tempore fieri coctionẽ, quo accidentia sunt grauissima, nam scribit Hipp. 2. aph. 30. circa principia, & fines omnia imbelliora, circa vigorem omnia vehementiora esse. Sed hoc falsum est quod in statu fiat coctio. Probatur falsum esse, quia scribit Hippo. a probl. 7. quod vbi fit pus semper fiunt dolores maiores, quam facto pure. Igitur sequitur quod in statu quando factum est pus non sint maiora accidentia. Præterea Gal. 3. acut. vlt. scribit Hip. in acutis morbis vti sorbitionib. quando sperat, vires vsque ad statum sufficturas; & subiungit Gal. qui status interdum fit cum coctione. Ex quibus verbis clare videtur sequi, non semper fieri coctionem in statu, imo raro. Post hunc est auctoritas Auer. 3. collectan. cap. 6. vbi scribit, quod quando tremor incipit digeri, est augmentũ morbi, quia sunt fortia accidentia, quando cessat coctio, cessat augmentum, & incipit status ex quibus clare uidetur velle, quod in statu non fiat coctio.

Pro resolutione quæstionis dico omnino in statu fieri coctionem quod clare testatur Galẽ. 2. aph 49. & 50. de crif. cap. 5. Sed vt hanc resolutionem intelligatis, notate coctionem habere terminos, vnum quando incipit, secundum quando fit, tertium quando iam consummata est: similiter intellexistis status tria habet tempora principium, medium & finem i. primus terminus coctionis in augmento habetur; secũdus in principio, & medio status; tertius in fine status, ita quod in augmento incipiat materia digeri in principio, & medio status perficitur coctio, in fine status est perfecta. Hac habita resolutione potestis soluere omnia argumenta: nam quando dictum est ab Hipp. quod dolores fiunt maiores dum pus fit, quam confecto pure, verum est, quia pus fit, & in fine augmenti, & in princ. & medio status, quo tempore omnia accidentia sunt grauiora, in fine status factum est pus, tum etiam accidentia sunt imminuta. Similiter cum Galen. scribit. 3. acut. quod Hipp. vtitur sorbitionibus dum sperat propinquum statum, qui status fit interdum cum coct. Addoquod vete dixerit Galen. quod interdum fit in statu, scilicet quod interdum consummata est etiam coctio in status princ. quia frequentissime, in fine status est consummata interdum in princ. status & medio, quanquam antiquus interpres, qui forsan difficultatem gustarat, transtulit, sepissime in statu fieri coctionem. Sed quid dicemus ad Auer. quem tueri quidem vellem, sed vereor me non posse, nam timeo illum errasse, si qua tamen ratione tueri posset, quod pro distestione intellexerit inchoatam, non consummatam, quasi dicere voluerit, vbi cessat princ. digestionis, cessat augmentum, & inchoatur status. Sed neque hæc responsio mihi satisfacit quia videtur velle quod digestio solũ fiat in augmento, quod falsum est.

Diximus statum posse præcognosci modo. Videndum est, quæ sint ea signa, quæ nos docere possunt huiusmodi statum & alia tempora morborum, & præsertim febrium. In quibus signis tradendis, quia Auicen. paulo confusus fuit, ego sub propriis generibus vos docebo. vt intelligatis. Sunt talia vel προφαινόμενα vel ἐπιφαινόμενα, i. præapparentia vel postapparentia. Præapparentia sunt signa, illa quæ manifestantur vel antequam accedant tempora, vel eo tempore, quo accidunt: ἐπιφαινόμενα vero, seu post apparentia sunt, quæ apparent, postquam absit tempus. Priora signa capiũtur a multis fontibus. Aut enim a specie morbi, aut a tempore, aut ab accessionibus. Speciem morbi hoc in loco voco vel acutiem vel tarditatem ipsius febris, quẽadmodum Galenus & Auicenna.

Signa docentia tempora febrium.

Cognoscitur autem acuties, vel tarditas morbi, vel motu, vel materia, vel facie ægri, vel uiribus. Si enim febris celeres motus habeat, signum est, acutam esse, & ideo statum statim

Hh futu-

futurum esse, & contra, si febris tardos motus habeat, signum esse, eam esse chronicam, diuturnamque, & ideo augmentum, & statum morbi tarde esse accessurum.

Exempli gratia, apoplexia, conuulsio, angina, isti morbi ex sua acutie indicant augmentum & statum esse propinqua.

A materia quoque sine subiecto cognoscitur & acuties & tarditas. Quia sicut habetis apud Galenum multis in locis, & præsertim 2. de cris. si materia febris sit biliosa, id est, tenuis, acris & mordax, indicium est, esse acutam, & ideo augmentum, & statum properare, ratio est, quia natura stimulata ab acredine materię, necessario solicitat peruenire ad vigorem. Sin autē materia fuerit tenax, crassa, dura cuiusmodi pituita, vel humor melancholicus est, argumentum est, febrem esse tardum, & ideo statum quoque futurum remotum, ac longinquum.

Exemplum habetis, quia in lignis viridibus, & crassioribus tarde accenditur ignis, in tenuibus & aridis citissime.

A facie ægri cognoscitur & acuties & tarditas: quia si cito facies ęgri consumitur, certum est febrem esse acutam, & consequenter statum accelerari, quod si facies ęgri nihil consumatur, signum est, febrem futuram diuturnam, & consequenter, statum esse valde remotū. Atque hoc est, quod dicit Hipp. 2. aph. 28. malū esse, si facies ęgri & corpus consumatur plus quam oportet, aut nihil consumatur, quoniam alterum mortem, alterum indicat morbi longitudinem.

A viribus quoque sumitur cognitio speciei morbi: quia si vires statim collabuntur, signum est, febrem acutissimam esse, & proximum statum habere. Sin vires sub morbo durent validę, signum est, morbum fore diuturnum, & non ita proximum statum.

Sed hoc loco scrupulus occurrit, quia Galenus secundo de diff. feb. ii. dicebat vires validas facere paroxysmos, seu morbos breuiores, imbecilles non longiores, ergo videtur falsum esse, quod vires infirmę morbum esse acutum, & ideo breuem, indicent. Sciendum, vires validas, sicut & infirmas posse comparari vel morbo magno, vel paruo.

Si vires validę coniungantur morbo paruo, sane semper indicant morbum breuem. Siquidem facile est, vt infirmus hostis cito ab aduersario valido superetur. Si autem coniungantur vires validę morbo valido, metuenda est semper morbi longitudo. Sicut experientia comprobatur, pugnas, quę fiunt inter validos certatores, longas esse & pertinaces; contra, si vires infirmę copulentur morbo magno, sane necesse est, vt cito res finiatur. Et ideo huiusmodi in casu vires infirmę semper significant, morbum fore acutum, & statum esse proximum: at si morbus sit paruus, & vires infirmę, potius metuendum de diuturnitate, quam de celeritate.

Similiter dum dicit Auicē. si vires statim corruant, signum est statum esse propinquum id est si vires citra causam manifestam, & subito labātur, signum est statum esse propinquum, quia morbus est acutus, si vires sunt validę ita tamen quod morbus etiam sit magnus, necessario lōginquus est status. Et hic est primus fons pro cognoscendis morborum temporibus vniuersalibus Alter fons capitur à tempore.

Atque hoc complectitur constitutionem anni, regionem, ętatem, & tempus pulsationis seu pulsus. Constitutio anni ostendit tempora morborum, quia si constitutio sit calida & sicca, vt est ætas, qui in ipsa fiunt morbi, plerumque sunt acuti, & ideo celeriter augentur, & celeriter ad statum perueniunt.

Contra, si tempus anni fuerit frigidum, & siccum aut frigidum, & humidum, vt est finis autumni, & hyemes morbi longi sunt, & consequenter tarde augentur, & tarde ad statum perueniunt.

Et hoc est quod nos voluit docere Hip. 2. aph. 25. cum dicebat, æstiuas quartanas esse breues, autumnales vero longas, & præsertim qui hyemem attingunt.

Sic regio potest tempora morbi indicare, quia in regionibus calidis & siccis, vt est Arabia, nē Hispania, morbi & febres acutæ vt plurimum fiunt, & celeriter augentur & celeriter ad statum properant, contra vero sub plagis septentrionalibus in regionibus frigidis & humidis febres diuturnæ fiunt, & consequenter status tardatur.

Atque hoc est quod docere nos voluit Hippocrates in lib. de aere, aquis & locis, cum dicebat, eos, qui habitant inter ortum & occasum hyemalem non tentari Pleuritide, Peripn. neque aliis morbis acutis.

Sic etiam sentit Gal. com. 2. tex. 23. lib. de tempor. morb. 8. regionem Romanam, quę est calida & humida obnoxiam esse hæmititæ.

Ab ętate quoque capiuntur argumenta temporū febrium. Quia in ætate iuuenili febres vt plurimum acute fiunt, & celeres, & quę cito augentur, cito ad statum perueniunt. Contra autem in senectute, in qua non tantum febres, & morbi fiunt plerumque longi, & diuturni, sed etiam tardissime ad statum perueniunt. Et hoc est, quod docuit Hippocrates 2. aphor. 40. vbi dicebat raucedines, destillationes, atque adeo tales morbos in senibus longo tempore concoqui.

A tempore motus pulsus, seu a pulsatione quoque sumuntur indicia temporum. Quia si in febribus pulsus fiant celeres, frequentes, magni, signum est febrem acutam esse, celeriter moueri, & consequenter cito esse expectandum eius statum, contra vero si pulsus sunt tardi, si sunt rari, signum esse febrem etiam tardam esse futuram, & diuturnam, & proinde statum quoque non ita celeriter esse accessurum: adeo vt cognoscere possitis ipsa tempora magnopere valere, id est regionem, ætatem, & pulsum, ad indicanda morborum tempora,

Signa

Signa quæ capiuntur ab accessionibus, hæc sunt, quod si accessiones magnæ sint & coniuncta habeant vehementia accidentia, signum est, statum adesse, quandoquidem in statu semper vehementia fiunt accidentia. Sin autem minuantur paroxysmi, & simul etiam minora fiant symptomata, signum item est statum finiri, & properare declinationem. Si accessiones anticipent argumentum est augmenti morbi. Et contra si post cedant accessiones, ita vt febris semper tardius accedat antecedente, signum item est, morbum declinare. Hippocrates 4. aph. 30. scribit, si febris quotidie accedat eadem hora, esse difficilis iudicij; id est, tarde properare ad iudicium seu ad statum.

Quem locum interpretans Galenus dicebat hanc rem ab Hippocra. vsu & experientia fuisse comprobatam, & si quæ ratio est afferenda, est, quod materia fixa sit & viscida, adeo vt opus sit longo tempore ad eam expugnandam. Sed aduertatis hoc loco, quod non semper hæc regula de protractione accessionum certa est, quia videbitis etiam declinantibus morbis interdum protrahi paroxysmos; & hoc contingit cum committuntur aliqui errores ab ægro in victu, qui sæpe sunt in causa, vt paroxysmus qui breuis esse deberet, fit longior. Sed dicetis, quæ est causa breuitatis, & longitudinis paroxysmorum, quando nō fiunt errores ab ægro. Dico alias esse causas internas, alias externas & hoc etiam licet obscure significauit Auicen. Causa interna est corporis temperatura, quia si is qui febricitat sit denso habitu, si habeat meatus angustos, profecto in isto semper paroxysmi sunt longi. Ratio est, quia conclusus calor diu durat, vbi non potest expirare, ideo diu fouetur. Præter corporis temperamentum est etiam ætas, quia inclinans semper facit longos paroxysmos, hinc est quod qui sunt in senio, semper longiores paroxysmos habent. Similiter est caloris debilitas, quia corpora frigida semper habent paroxysmos longiores, quam corpora calida; ratio est quia calor antequam accendatur a lignis viridibus diu reluctatur, sic in corpore frigido, antequam calor exurgat, diu durat. Præter has causas est quoque materia, quia vel est multa, & fit paroxysmus longus, vel crassa, hac ratione paroxysmus fit longissimus, veluti in lapide, & corpore crasso ignis diutius durat: sic calor febrilis, vbi accensus est in materia terrea & crassa, diu durat. Tertio est materia frigida, quia vbi humores in febre sunt frigidi, necessario calor in hac materia, diu perdurat.

Externæ causæ breuitatis aut longitudinis paroxysmorum sunt aer, regio, & omnes circa cibum, & potum errores, Atque tot de signis præapparentibus.

Signa postapparentia seu ἐπιφαινόμενα, alia sunt critica, alia sunt coctionis, & cruditatis. Critica ea sunt, quæ cum euacuationibus apparent, vel vrinæ, vel sudoris, vel sanguinis, vel fæcum, seu egestionum.

Hæc signa vt dicit Galenus 1 aph. 12. vel apparent principio febris, & morbi vel in progressu. Si apparent in progressu, semper significare solent statum morbi adesse: quia si hæc sunt signa crisis, fit crisis in statu propterea hęc sunt signa status. Sin autem appareant in principio morbi seu febris, diligenter aduertendum, an finiant morbum, an potius non finiant.

Si morbum finiunt, signa sunt status. Nam, vt alias docui, sunt aliqui morbi, qui statum habent statim & cito. Sin autem huiusmodi signa critica non finiant morbum, expendendæ sunt vires ægrotantis.

Quia si vires ægri validæ sunt, signum est, morbum futurum diuturnum & statum non esse ita propinquum. Sin vero vires sunt infirmæ, indicium est mortis propinquæ. Siquidē vbi hæc signa apparent, quæ solent esse salubria, si vires offendant, exitialia prorsus euadunt signa coctionis, & cruditates nascuntur, quod si vel sputo, vel vrina, vel alijs excrementis appareat signū coctionis, si in prima die apparuerit nubecula in vrina, tum signum est augmentum iam adesse, proximum futurum statum, quia vt dicit Hippocrat. coctio semper iudicij celeritatem significat. Atque hæc signa sunt vniuersalia temporum morborum, & febrium.

Particularia tempora habent quoque sua signa peculiaria, quæ magna ex parte intelliguntur, intellectis vniuersalibus signis, veruntamen & ipsa opus habent aliqua particulari speculatione, & vt a princ. initium sumamus, signa quæ demonstrant particulare princ. febrium, vel sunt pathognomonica, vel assidentia pathognomonica dicuntur illa, quæ simul cum morbis inuadunt, siue sint accidentia, siue affectionis preter naturam, exemp. gratia dolor punctilis in pleuritide est signum pathognomonicum, quia est accidens quod inuadit cum morbo. Sic in febre coarctatio pulsus est signum pathognomonicum principij febris, inæqualitas illa febris a Gal. nominata, extremorum frigiditas, debilitas virium, hęc omnia sunt signa pathognomonica ipsius principij. Signa vero assidentia sunt illa quæ quandoque simul inuadunt, quandoque non inuadunt simul, sed adueniunt, & vt vno verbo dicam secundum Gal. dicuntur ea, quæ a morbo separantur. Hæc signa ab Auicen. numerantur quæ sunt signa principij assidentia, alteratio coloris, pigritia, angustia, tarditas motus, mollificatio palpebrarum, grauitas sermonis, horripilatio inter patulas pulsus, saliuę, saltus temporum, tinnitus aurium sternutatio, membrorum corporis motio, Hæc sunt signa enumerata ab Auic. pro assidentibus non pathognomonicis principij febrium. Signa augmenti, status & declinationis febrium non sunt multa, quia magna ex parte ex vniuersalibus colliguntur. Augmentum enim vt docet Auicenna duas habet partes, vnam, quando calor incipit exsurgere & augeri, nec non pulsus maior fieri: alteram, quando iam frigore penitus sublato calor non tantum per vniuersum corpus expanditur, verumetiam augetur, & durat hęc pars quousque calor ipse augetur, vbi calor amplius nō crescit tum finitum est augmentum.

Febres eo tempore accedētes cur difficilis iudicij ex Hip.

Stat⁹ signa. Declinationis signa.

Hh a Status

Status signa sunt accidentia vehementia, caloris summi permanentia. Vbi enim calor magnus est, & in eodem statu persistere videtur, cum siti, inquietudine, dolore & alijs symptomatis, tunc status certissimus est, velut si calor remittatur, si accedentia omnia minora fiant, & vel sudor, vel mador appareat, declinantis iam febris certissimum signum est. Et hæc est theoria temporum febris ceterorumque morborum tam vniuersalium, quam particularium. Remanet, vt particularem febrium tractationem aggrediatur, cuius gratia omnia instituta sunt.

CAPVT V.

De ephemera.

Cur primum de febribus diariis agendum.

PRo cognitione cuiusque febris particularis primo tradam illius definitionem essentialē, mox differentias, si quæ erunt, deinde causas signa, postremo curationem, vt autem initium capiam a febribus diarijs, quod quidem fecit Auicenna, multa me impellunt. Primum quia febres diariæ omnium simplicissimæ sunt. A simplicioribus semper inchoandum esse dicebat Gal. 1. ad Glauc. 2. Altera ratio est, quoniam vt Alex. Trall. meminit lib. 12. suæ medicinæ, febres diariæ sunt communissimæ omnium, eo quod omnia corpora sint his pene subiecta. Tertia ratio est, quia febres diariæ secundum sui generationem antecedunt semper & hecticas & putridas, adeo vt fiant quidem tum putridæ, tum hecticæ post diarias, nunquam autem veræ, & puræ diariæ fiant post has scilicet putridas & hecticas.

Addere possumus aliam rationem, nempe facilitatem curationis Dicit enim Galen. 1. de diff. feb. & alibi sæpe, febres diarias esse omnium facilimas curatu. Quæ forsan fuit ratio, quod Hippocrates de curatione febrium diariarum vel nihil, vel pauca scripserit. Cornelius Celsus Hippocratis sectator lib. tertio, cap. quinto, putauit, propter hanc facilitatem curationis febres diarias vix dicendas esse morbos. His itaque rationibus inductus, auspicabor hanc tractationem a diariis febribus.

Dicitur apud Græcos ἐφήμερος πυρετός. Nos dicimus diariam, eo quod non pertranseat vnam diem naturalem, id est, spacium viginti quatuor horarum. Sic dicit Aristoteles 5. de historia animalium decimo nono, quoddam animal esse dictum ἐφήμερον, quoniam vna tantum die viuit. Et Nicander vocauit quoddam venenum colchicum ἐφήμερον, eo quod vna die interimit, quod etiam tributum est cicutæ a nonnullis, & præsertim a Phocione. Definitur hæc febris definitione generali, sed contracta per differētiam essentialem, acceptam a calore, id est, a subiecto ipsius caloris, scilicet, si addamus definitioni vniuersali febris, hanc fieri cum calore miti, seu ex accensione prçuia spirituum, nam siue dicamus vno modo, siue alio, perinde est. Siquidem cum spiritus sint corpora aeria, vbi accenduntur, calorem quendam non insuauem reddunt, sicut etiā facit acr, tametsi Plato in Timæo aliud intelligens dixerit ab aere fieri quotidianam febrem. Vnde cum febris diaria originem ducat, vt dicit Aetius, ex parte aeria accensa, iure merito fit, vt calor ipsorum sit potius mitis, & suauis, & iucundus.

Nec obstat, quod febrem plerique definierint, vt etiam Gal. esse calorem igneum, quia si cōparetur calor spirituum in febre hac, calori ante febrem, procul dubio nōnihil est maioris acredinis, merito cuius potest ignea nuncupari. Sed comparatus hic idem calor calori aliarum febrium, merito nomen meretur iucundi, & suauis.

Sed dicetis, quomodo potest hæc differentia esse essentialis, ita vt faciat differre diariam febrem a ceteris? cum Galenus 7. de simplic. medic. ca. de Terra Samia, dicit febres pestiferas habere calorem mitem. Respondeo, dicere quidem Galenum in febribus pestiferis non esse calorem magnum & vehementem; sed quod appellet pestilentiarum calorem suauem nunquam reperietis, quia etsi exiguus sit; tamen habet nonnihil insuauitatis, quę percipitur a solerti Medico, vbi corpus contrectatur. Cum ergo in diarijs calor primum in spiritibus accendatur, & deinde communicetur caliditas humoribus, & præsertim solidis, videre oportet, qui sint illi spiritus, qui primi hoc patiuntur.

Qui spiritus primi patiātur ephemeram.

Constitutum est apud plerosque, tria esse genera spirituum, scilicet animales, naturales, & vitales; animales & naturales non primum accendi ex eo conuincitur, quod in his febribus neq; operationes animales, neque naturales, quarum sunt instrumenta, hi spiritus offenduntur, vt reliquum sit solos vitales esse, qui in diarijs flagrant, consecutiue tamen possunt etiam accendi spiritus naturales, animales nunquam accenduntur in diaria, quia si accenderentur necessario perturbarentur operationes animæ, quod non videtur fieri.

Sunt autem vitales duplices, alij enim sunt implantati omnibus corporis partibus, quæ sunt partes constituentes calorem implantatum; alij sunt influentes, qui calorem influentem a corde continuo deferunt per omnes corporis partes.

De spiritibus implantatis sapienter iudicauit disertissimus Fernelius dum dicit fieri non posse, vt in diaria spiritus implantati accendantur: siquidem cum sint partes caloris implantati, magna ruina accederet vniuerso corpori ex his febribus, vt videmus hecticas febres magnam hanc subire ruinam, quia in ipsis spiritus implantati igniuntur, & ardent.

Rema-

Remanet itaque in febribus diarijs solos spiritus vitales influentes esse, qui accensi febribus diarijs efficiendis occasionem præbent, præbent autem occasionem febris diariæ, quod cum a causis internis incalescunt, partes aliquæ corporis id calefaciunt, propinquæ calefaciunt alias vicinas, donec calor propagetur ad cor vsque vbi spiritus isti influentes accensi cum dissemi nantur per vniuersum corpus, illud & præsertim secundum partes solidas calefaciunt. Vnde caliditas totius sequitur, quæ febris est, & vno die durat, quia cum spirituum substantia sit aerea; ac tenuis, facile, & breui spacio consumitur. Sed dicetis, si hæc substantia in hoc pauco spacio consumatur, cur Galenus 8. & 9. methodi scribit aliquas esse febres diarias, quæ perdurant etiam vsque ad sextum diem. Dico Domini duo in hac re dubia, vnum est, quod istæ febres pro prie non dicuntur diariæ, sed Galen. & alij posuerunt sub hac specie, quia sub nullo alio genere melius collocantur. Sed de his suo loco. Aliter dico, quod febres quæ durant vsque ad sextam diem, sunt veluti plures diariæ simul copulatæ, quia hoc die vna pars spirituum accenditur, altero die altera pars, ita quod continuis huiusmodi accensionibus, videtur fieri quasi vna febris sola.

Hæc febris vt audistis cum sit effectus quidam necessario habet suas causas. Causæ omnium febrium diariarum omnes sunt externæ. Et hoc intelligatis sequutus Auic. quatuor etiam verba faciam de causis.

Est causa (vt habet Galen. 1. de local. affe. & apud omnes) illud a quo in corpore humano fit aliqua affectio: id vero a quo nascitur aliqua affectio in corpore duplex est, vel est extra corpus humanum, vel in corpore humano positum; illud quod extra corpus humanum est, & generat affectionem in nobis appellatum est communi nomine causa externa. Galen. in libro de caus. procatarct. & alibi sæpe vocat causam procatarcticam, alij vocant præincipientem, sunt qui vocent causam accidentem, non desunt etiam qui vocent hanc causam πρόφασιν id est occasionem. Illud quod intra corpus humanum est, & facit affectionem appellatum est communi nomine modo causa interna, modo causa abdita, modo dicitur causa προηγουμένην siue causa antecedens. Hæc causa antecedens, seu abdita adhuc duplex est, vna quæ appellatur vere προηγουμένην siue causa antecedens; alia vero est quæ dicitur causa συνεκτικὴν siue causa a Latinis vocata contentiua. Alex. in suo libello de febribus vocat causam coniugalem, & vt hoc assequamini dabo exemplum, sit quis, qui febrem compararit ex nimio frigore, constipata sit cutis, ex constipatione cutis humores putruerint, & ex putredine orta sit febris hic habetis quatuor quæ se subsequuntur primo frigus externum, quod est causa procatarctica; habetis deinde obstructionem, quæ est causa antecedens deinde humor putrescens, qui est causa coniuncta: est deinde febris, quæ febris est ipse morbus, ita quod clarum est, quod Arabes omnes iure dixerunt tria esse genera causarum febrium, & et aliorum morborum, s. causam procatarcticam, antecedentē, & coniunctā. Sed dicetis, quid ad nos Arabes? cupimus scire an Gal. & Græci hæc causarum genera fecerunt. Ego lubentissime, de hac re disputarem, sed video vobis inutile esse his immorari; hoc tamen dicam me mirari Fuchsium virum in lectitando Gal. diligentissimum, qui 2. Paradox. cap. 1. contra omnes fere Medicos asseruit non inueniri nomen hoc causæ contentiuæ, neque esse hoc genus causæ apud Galen. Multi sunt loci Gal. ex quibus clare potestis intelligere tria esse causarum genera, sed præ ceteris dabo vobis nonnullos, primus est 1. de local. aff. capit. 2. quo in loco potestis videre Galen. depingere vobis causam contentiuam eo modo, quo Arabes: dicunt Arabes causam contentiuam morbi esse, qua præsente adest morbus, & qua remota remouetur Galen. ipsissimis verbis inquit, quo agente fit affectio, quo remoto remouetur affectio id causa est; certe Auicen. & ipse, & Arabes ex nullo alio loco videntur accepisse causam continentem, quam ex hoc loco. Præterea videtur Galen. 1. de caus. puls. cap. 1. inquit Gal. quod causæ contentiuæ pulsuum sunt tres, vsus, facultas, & instrumentum, dicit Gale. non modo in pulsibus causas continuas esse, verum etiam in omnibus alijs rebus. Idem Galen. 6. epidem. commen. 3. tex. 18. secundum Latinos, inquit quod Medicus non solum debet considerare causas procatarcticas, antecedentes, verum etiam contentiuas. Sunt multi alij loci, Imo locus ille, quo vtitur tanquam Achille ad debellandam hanc causam, scilicet in Arte medicinali cap. 88. totus est contra suam sententiam ibi Galen. scribit quod interdum Medicus vtitur curatiua solum, interdum conseruatiua solum, nonnunquam vtrinsque. Vtitur conseruatiua solum in his morbis, qui solum habent esse in fieri; curatiua solum in iis quorum esse est in facto esse, vtitur vtrisque dicit Gal. in iis morbis qui partim fiunt, partim sunt facti. Declarans autem postremo Galen. quomodo vtatur curatiua, inquit quod Medicus tollit, tollens morbum factum, dispositionem eam, quæ causa est læsionis operationum, & quam dicimus esse causam, si tollitur simul moribus, cum tollitur causa morbi, ergo hæc causa est causæ coniuncta, & verum est quod Leonicenus male transtulit eum locum, quia vbi textus Græcus habet causam, male transtulit essentiam.

Est igitur vt dicebamus omnis causa febris ephimeræ externa, a qua scribit Gal. lib. de caus. procatar. omnia corpora imbecillia primum lædi, & licet dictum sit a causa procatarctica non sumi curationem, propterea quod vt habet Gal. 2. de medicamentorum compositione secundum locos, cap. 1. debet Medicus causas procatarcticas inuestigare duabus de causis, vna est vt dispositionis natura magis intelligatur, altera est vt possit Medicus cognitis omnibus morborum causis saltem præseruare a futuris ægritudinibus. Sunt qui vario modo distribuant causas ephemerarum, alij enim sub quinque cap. reducunt, alij sub tria, nos autem more nostro

Galenum & Auicennã sequentes eas omnes sub peculiaribus quibusdam generibus complectemur, Hæc autem sunt ea, quæ extrinsecus eueniunt motus coporis, motus animi, cibi & potus, & alia, de quibus in sequentibus.

Causa.

Causæ omnes extrinsecus antecedentes, quæ faciunt febres diarias, vt dicit Auicẽna, sunt ea quæ calefaciunt vel per se, vel per accidens. Et inter has primum locũ habent, quæ sunt vere extrinsecæ. Huiusmodi est aer, siue sit calidus, siue frigidus, vt balnea tã naturalia, quam artificialia. Post hæc sunt motus corporis & animi, qui vel sunt actiones vel passiones. Actiones habet labor, cursus, ambulatio, lucta. Passiones habet ira, metus, dolor, intolerãda sitis, nimia cogitatio, & amor, quæ omnia motuũ genera propterea febres faciunt, quia per se & primo calefaciunt.

Postremo sunt ea, quæ sumuntur interius, siue cibi vel potus, siue medicamenta. Addere etiam potestis aliam causam, & est apostematum omne genus. Hæc est series omnium causarum, quæ afficiunt febres diarias. Circa quarum contemplationem duo sunt consideranda: vnum est quod dicit Gal. in lib. de causis. morb. in fine a. cap. scilicet vt omnes hæ causæ efficiẽtes producant, tria necessario requiri, vt causæ fiot vehementes. Nam non omnis causa exterior potest facere febrem, sed magna sit necesse est, deinde oportet, vt hæ causæ debito tempore operentur, quia si quispiam sub sole maneat dimidiæ horæ spacio, etiamsi sit æstuosissimus, febrem non facit, quia deficit tempus debitum.

Postremo requiritur præparatio corporũ, in qua agere debet. Nam experientia quotidiana docet, corpora rusticorum tota die sub ardente sole laborare, neque tamen febricitant, quia tametsi causæ sint vehementes, tametsi tempus sit debitum, deest tamen corporum aptitudo.

Vtrũ ira necessario coniunctam habeat cordis caliditatem.

Alterum circa causas exantinandum, vtrũ ira necessario coniunctam habeat cordis caliditatem necne. Nam si facit febrem ira, quis nõ videt, oportere cor, & corpus vniuersum flagrare, verumtamen hæc res non caret dubitatione. Nam Galenus 1. epi. com. a. t. 78. dicit corpora irascentium esse frigidi temperamenti. Auicenna quoque cap. secundę fen. 4. dicit, interdum timorem copulari iræ. Si itaque irati timent & sunt frigidi in temperamento, non videtur rationi cõsonum, vt in ipsis vnquam excitetur febris.

Contra autem est sententia Aristo. 2. Rhet. 1a & 3. eth. cap. de fortitudine, quibus in locis dicebat, neminem iratum timere, ideo sect. problem. dicit iram, & timorem esse motus contrarios. Quam etiam sententiam videtur secutus Galen. 2. cap. lib. de causis morb. vbi dicit iram esse feruorem sanguinis circa cor, & ob motum vehementem febres inducere, sed hac de re infra copiose.

Dicendum est id, quod videtur latenter docuisse nos Galenus eo loco 1. epid. dicto scilicet iratos seu irascentes in duplici differentia esse, alij sunt quos vocat Hippocrates & Gal. ὀργίλους & ὀξυθύμους, nos possumus transferre iracundos. Alij sunt, quos vocant Græci, & præsertim Galenus, θυμοειδεῖς, nos possumus dicere magnanimos. Priores sunt illi, qui facilime irascuntur & rixantur, cuiusmodi sunt feminæ plurimæ. posteriores sunt qui irascuntur & iram conseruant, sed sine rixa & garrulitate. Iracundi sunt, qui possunt esse frigido intemperamento, vt dicit Galenus & qui etiam simul timere possunt. Posteriores autem, id est magnanimi dum irascuntur, nunquam timent, & hi sunt semper calido intemperamento: & hi sæpe sub ira febricitant. Nunc videamus signa, de quibus gloriatus Galen. de cris. 2. capitu. vlt. & 8. de meth. sese ea primum omnium luculentissime, & profusissime proposuisse. Sed priusquam hoc aggrediamur, eximendus est quidam scrupulus. Nam Auicena. 1. 4. tr. 1. capitulo quinto, loquens de signis febrium ephemeratum, dicebat eas esse quidem facilis curationis, sed difficilis cognitionis: id quod accepisse videtur a Galeno 1. ad Glauc. 2. Ceterum idem Galenus 1. de differ. feb. 7. circa primum dicit cognoscere febres diarias ab aliis non esse vsque adeo difficile. Et hoc dicit Galenus aduersus nonnullos, qui putabant impossibile esse huiusmodi febres discernere, adeo vt euidentissima contradictio appareat in verbis Galeni, & inter Galenum & Auicennam. Quidam dixerunt, Galen. & Auicennam quando dixerunt diarias esse difficilis cognitionis, locutos esse de ignaris Medicis: vbi autem dicebat Galenus non esse difficilem hanc cognitionem locutum fuisse de peritis Medicis, atque etiam de seipso. Sed mihi pura infantia videtur: quia dicere a peritis Medicis cognosci diarias, ab imperitis non cognosci, est res quam rustici dicerent, quia ignari Medici neque hoc, neque aliud cognoscunt. Ideo satius est, vt dicatur diariæ cognitionem posse comparari vel curationi vel cognitioni aliarum febrium. Si comparemus cognitionem curationi, proculdubio difficilis est cognitio, quia curatio facllima est. Et hoc modo locuti sunt Auicenna & Galenus primo illo ad Glauc. Sed si compareretur cognitioni aliarum febrium; procul dubio facilis est, quandoquidem hectica multo difficilius cognoscitur præsertim in principio quam diaria: adeo vt hic sit ordo in cognitione, quod febres putridæ initio cito cognoscuntur, difficilius diariæ difficillime omnium hecticæ.

Cur diaria difficulter cognoscantur.

Sed dicetis, quæ est causa difficultatis? Hæc est, Domini, quod diariæ momentaneæ sunt. Etenim sunt affectus, qui facile dissoluuntur, vt sæpe prius habeant, quam cognosci possint. Sunt autem signa febrium diariarum alia vniuersalia, alia vero particularia. Vniuersalia reduxerunt alii ad quinque capita. Alex. Tralk reducebat ad tactum, pulsum, & vrinam, Nos vero imitantes Galen. & 1. ad Glauc. & 1. de differ. feb. dicimus, signa vniuersalia ephemerarum sumi ab intrinsecis & extrinsecis. Si sumantur ab intrinsecis, aut sunt actiones læsæ, aut

exce-

excrementa mutata, aut qualitates mutatæ. Ex actionibus læsis vitales tantum vt est pulsus, & respiratio significare possunt has febres, quia numquam in hac febre facultates animales aut naturales læduntur. De Pulsu dicit Gal. 3. de præsag. ex pul. 7. eũ in diarijs esse magnum, celerem, & crebrũ, quia cũ in hac febre sola eructationis necessitas aucta sit, necessario pulsus talis reddit.

Sed circa pulsum tria videntur notanda. Vnum est, quod dicit idem Gal. 2. de cris. vlt. & 1. ad Glauc. scilicet omnes diarias in vniuersum habere quidẽ huiusmodi pulsus magnos, verũ tamẽ non esse oĩum æqualem magnitudinem, sed aliquas diarias habere maiores, ex nimijs curis, ex mœrore: & ex lassitudine, in quibus pulsus sunt minores, quã in febrib. ex insolatione, & ex ira.

Secundum est, quod in diarijs pulsus cito redeunt ad naturalem statum. Tertium est, quod semper diastole in pulsu est maior, quam systole. Et ratio est, quia multo maior in diarijs est necessitas attrahendi aerem frigidum, cui operi inseruit diastole, quam sit necessitas expulsionis fuliginum quam facere nata est systole. Et quia Domini, non est ita facile omnibus medicinam exercentibus, statim intelligere hanc subtilitatem diastoles, & systoles. Auicenna monuit, vt loco huius Medici tyrones considerent expirationem, & inspirationem. Quia inspiratio semper maior est, qua correspondet diastole, quam expiratio: ergo magnus Hipp. tanti fecit in medicina facienda respirationem, vt huic vni intentus videatur interdum, non semper cõtemnere pulsum. Atque hæc sunt signa diariarum ab actione vitali læsa.

Ab excrementis mutatis sumuntur quoque signa diariarum: quia in his exigui sunt sudores, ideo potius pauci madores apparent. Et quando videbitis desinere febres cum copiosissimis sudoribus, semper suspicari debetis, febrem illam non esse diariam. Ab vrina capiũtur signa: quia statim in febribus diarijs vrinæ apparent cum signis coctionis scil. cum sedimento albo, coloris naturalis, & substantiæ mediæ inter tenuem & crassam.

Sed pro intelligentia huius rei not. quod monuit. Auic. non semper esse metiendas diarias ex hoc vno signo, quia interdum vrinæ apparent crudæ, & sine vlla ex dictis notis. Et tamen inquit Auicenna, est febris diaria. Aliud notandum, quod dicit Gal. 1. de cris. 17. scilicet in aliquibus tertianis interdum apparere initio vrinas laudabiles, quales descripsimus.

Sed dicetis, cur ergo Gal. ad Gluc. 1. & 1. de diff. febr. 7. dicit, hoc esse signum inseparabile, & proprium diariarum, vt in prima die habeãt vrinas, quales diximus? Nam si etiam tertianæ habent, non est illi signum proprium. Si enim omnes diariæ habent, vt dicit Auic. non igitur est inseparabile signum, aut ergo fefellit nos Gal. dicens, esse signum proprium, & inseparabile aut res alio modo intelligenda. Et ideo, vt tueamur Galen. dicendum, signum proprium & inseparabile posse intelligi dupliciter: aut per se solum, aut per se, & per accidens. Per se solum vrina prædicta est signum proprium, & inseparabile diariarum. Et hoc dicit Gal. quia quantum est ex natura diariarum, certe & solæ, & omnes hoc habent signum. Per accidens autem non ita est, quandoquidem accidere potest, vt docebat in aliquibus febribus tertianis, vt initio appareãt vrinæ similes fabis, quia nondum calor febrilis tractare incœperit materiam febrificam. Sed vrinæ sint, quales erant paulo ante febris inuasionem, quemadmodum etiam accidere potest, vt quis paulo ante, quam febrire incœperit, cruditates in venis habuerit, quæ inuadente febre, atque vna cum vrina commista peperint huiusmodi diuersitatem vrinæ.

Sed sicuti hæc, quæ dixi, sunt pure fortuita & accidentia, ita quoque naturale, & propriũ est, vt in his febribus vrina reddatur, quæ habeat sedimẽtum optimum, boni sit coloris, & mediocris consistentiæ, quæque calorem suauem & iucundum præ se ferat. Sed aduertendum circa caloris suauitatem, ne decipiamini, quia sunt aliqui Medici, qui statim atque tangunt brachia, videntes manus a calore non offendi, dicunt febrem eam esse diariam, quia calorem iucũdum habeant ægri. Sed falluntur sæpe, qui rem ita iudicant. Quia manus ægri, vbi contrectantur, ab aere ambiente semper refrigerantur, aut ad teporem rediguntur; ideo ne fallamini, non sitis cõtenti contrectare manus & brachia, sed pectus, quia caliditas ipsius pectoris semper certo docebit, vtrum sit iucunda aut mordax, & ideo vtrum sit diaria, an alia.

Circa caloris suauitatem in diarijs notanda.

Inter signa, quæ sumuntur a mutatis qualitatib. vt audistis, primum est, caloris suauitas, quod signum, dicit Galen. esse inseparabile & proprium. Sed circa hoc nonnulla vtilia notanda sunt. Vnum est, nullam febrem habere calorem ita familiarem & iucundum, vt est calor naturalis, in sanitate. Et hoc testatum facit Gal. 6. epid. com. 1. tract. 29. Aliud notandum, non semper in diarijs statim apparere caloris suauitatem, sed in aliquibus paulo post manifestari, quemadmodum in illis febribus, quæ oriuntur a constricta cute. Et hoc etiam prodidit Galen. 2. de cris. vlt. Postremum not. omnes diarias quidem habere calorem iucundiorem, tum putridis, tum hecticis: veruntamen inter has sunt quædam, quarum calor paulo acrior est, vt dicit Gal. de febribus, quæ a mœrore & tristitia fiunt.

Caloris suauitas.

Alterum signum a qualitatibus sumptum est, quod nulla diaria incipit cum rigore aut cum horrore, sed refrigeratione sola eaque leui in nullis est inclinatio ad somnum, non coarctatio pulsus, vt solet esse in putridis, non pigritia, non dolor vllus capitis effatu dignus non ceterarum partium, & si quis est, aut est admodum exiguus, aut statim sedatur non profunda caloris retractio. Atque tot sunt signa, quæ capiuntur ab intrinsecis. Signa porro, quæ ab extrinsecis sumuntur, sunt hæc duo. Vnum est, quod in omnibus diarijs principium lene est. Augmentum, vt dicit Auicenna, est tantum duarum horarum status, sine vllo symptomate, & in declinatione, si ægri mittantur ad balneum, vt faciebant veteres, nullo horrore tentantur. Et hoc solet esse signum maximum ad discernendas febres putridas a diarijs.

Alterum signum est, quod omnes diariæ oriuntur a causis externis, quæ causæ duas habent conditiones. Sunt enim recentes, sunt etiam manifestissimæ. A quo his conditionibus distinguuntur causæ diariarum a nonnullis putridis, quæ tametsi fiunt a causis externis, non tamen illæ recentes, neque manifestæ, sicut causæ ephemerarum, quemadmodum notat. Gal. 1. de diff. feb. 3. & 7. Sed dicet aliquis vestium, fiunt febres diariæ interdum ex leui obstructione fiunt etiã a bubonibus seu inflammationibus & tamen istę causæ non dicuntur causæ procatarcticæ. Ad hoc responderi potest quod febres diariæ fiunt semper causa procatarctica, vel mediate vel immediate, vnde quæ fiunt a bubonibus dicuntur etiam fieri mediate saltem a causis procatarcticis, quia vt docet Hip. & Gal. 4. aphor. 55. febres diariæ, quæ sequuntur bubones semper demonstrant bubones ortos esse a causis externis, sic quoque dico de leui obstructione, hæc enim si faciat diariam est ex causa externa, propter quod dicitur febris facta mediate saltem a causa externa, quod si quando ex obstructionibus solis internis orta videatur diaria, dico febrem illam non vere appellandam esse diariam, quanquam vna die solum duret.

Prognost.

Et hæc de signis vniuersalibus diariarum.

Particularia signa particularium febrium cum pendeant a causis externis, facile est, eas cognoscere ex relatione astantium & ægrotorum. Verum, si quid in ipsis cognitione dignum est, habebitis, cum tractabo particulares diariarum species. Omnis diaria de prognosticis loquar, est facilis curationis & salutaris. Neque vos mouere debet febris illa Anglica diaria, quam scribũt vna die extinguere homines, siquidem illa, vt puto, putrida censenda, quippe cum ex putredine spirituum oriatur. Nam sum huius sententiæ, & spiritus putrescere posse: postquam Arist. dicit initio 4. mete. omnia putrescere, excepto igne, sed de hac quæstione alias.

Febris Anglica qualis fuerit.

Febres diariæ ex Bubonibus semper bonæ sunt, cum hoc prodiderit Hip. 4. aph. 55. Et ratio est, quia, vt dicit Gal. omnes huiusmodi febres fiunt a causa externa, & indicant apostema, & inflammationem non in intimis corporis, sed in extimis contineri, sicuti si febris non sit diaria, signum est apostema, & inflammationem esse in intimis corporis visceribus.

Hoc in loco problema oritur, quomodo fiat, vt febres diariæ, quæ oriuntur a spiritibus incensis, possint esse salutares. Nam scimus, in extremis gaudijs, & extremis timoribus homines perire, aut saltem ad syncopas sæuissimas peruenire, non alia ratione, nisi quia spiritus vel nimium congregantur, vel nimium disgregantur. Si igitur sola disgregatio, vel congregatio spirituum vsqueadeo exitiosa est, quomodo ijdem spiritus flagrantes & incensi non afferunt necem? Et huiusmodi nodus tantum potuit apud quosdam, vt ausi sint asserere, nullam febrem fieri a spiritibus incensis. Ego autem in hac difficultate ita statuendum puto, spiritus esse corpora leuissima, & tenuissima, vt dicit Gal. 3. de facult. natural. 14. Ad hæc, spiritus sunt corpora calidissima omnium eorum, quæ fiunt in nostro corpore: ideo dicit Gal. 1. de plac. 3. spiritus esse igneos. Hac igitur re constituta, dico, spiritus, cum sint sua natura calidissimi, etiamsi in febribus incendantur, non admodum tamen recedunt a propria natura, & ideo non est mirum, si nullum detrimentum afferunt. Ceterum cum sint leuissimi, & tenuissimi, possunt ratione huius qualitatis, aut propter tenuitatem nimium diffusi euanescere, aut nimium collecti, & congregati penitus aboleri, vt hisce rationibus pateat, propter calorem spiritus non posse extinguere nos, sed propter leuitatem & tenuitatem.

Feb. diariarum conuersio.

Licet autem omnis febris diaria sit salutaris, habet tamen hoc, quod in alios morbos facile conuertitur. Circa quod primum videre oportet, in quas febres diariæ conuertantur, deinde propter quas causas. Postremo quando sit cognoscenda futura conuersio. Conuertuntur in synochas, in putridas, & in hecticas. Causa autem propter quam conuertuntur in primis est error, vt dicit Gal. 1. cap. nono meth. Error autem vnde fit hæc conuersio vel est Medici, vel ægri, vel error ministrorum, committuntur autem ista errata tum circa cibos, quando scilicet intempestiue cibantur; tum circa balnea, quando tempestiuius quam par esset administrantur, similiter committuntur circa exercitationes, & tandem circa omnia, quæ administrantur circa ægrum; neque mirum, quia si errores in sanis ægritudines nouas faciunt, profecto non est irrationale, vt augeant ægritudines languentium, propter quod magnus Hip. in princ. aphor. magnopere cauendum dixit ne committantur errores vel ab ægro vel a Medico, vel ab adstantibus. Alia causa permutationis est dispositio corporum ægrotorum, quia si corpora, quæ tentantur diaria sint calida, humida, & repleta facile conuertuntur in ipsis diariæ in putridas. Si corpora eorum sint arefacta, calida, & sicca, facile conuertuntur ad hecticas. Et hoc non tantum didicistis a Gal. verum Auenzoar lib. 3. tract. 1. capi. 1. cognoscens hoc, dicit tunc febres diarias conuerti in alias, quando in corporibus reperiuntur incommensurati, & inæquales humores, tum secundum copiam, tum secundum qualitatem, tum maxime secundum substantiam. Cognoscitur in primis hæc conuersio vehemens, ex Galen. 1. de differ. feb. 7. quia si febris diaria non finiatur 24. horarum spacio, si sit declinatio longa & difficilis; si pulsus non redeant ad naturalem statum, si dolor capitis non finiatur, & tandem, si nullus sit mador, timendum est, ne diaria in aliam conuertatur.

Mador in ephemeris vnde.

Signa cõuersionis diariæ ad hecticã.

Sed dicetis, si hæc febris non sit ab humoribus, ad quid ergo in ipsa desideratur mador? Hæc est ratio, quia spiritibus flagrantibus, si secundum naturam sint accensi, fiunt euaporationes, quæ per cutim exhalantes, vbi externo aere tanguntur, in sudorem vertuntur, vt præ ceteris docuit Theophrastus in lib. 5. de sudoribus. Quamobrem vbi huiusmodi mador non apparet, vel est, quia cohibentur vapores, qui cohibiti, periculum est, ne putredinem faciant, vel quia corpora

pora sunt vsque adeo arefacta, vt non mittant vapores, & ideo periculum est ne fiat transitus ad hecticam, quæ cognoscitur, quod arteriæ quædam torrido calore sunt affectæ, & pulsus durus est, paruus & æqualis, similiter si refecto corpore cibis, augeatur calor.

Sed dicetis, qui fit, vt hectica statim post diarias generetur, nam hectica est in habitu febris; habitus longo tempore comparatur, quare non videtur consonum rationi, vt febris hectica possit statim fieri post diariam. Accedit his auctoritas Arist. qui in prædicamento qualitatis tractaos de habitu & dispositione, dicit, dispositionem facile amitti, nisi sit quædam longo tempore contracta, quales sunt febres hecticæ. Ex quo loco licet etiam colligere secundum Arist. hecticas longo tempore necessario comparari. Dicendum est id, quod proditum habemus a Gal. 8. meth. c. 1. scilicet febres in habitu posse bifariam cōcipi, vel prout obsident partes solidas, quæ dicuntur a Græcis [illegible], vel prout acquiruntur pro habitu longo tempore, si primo modo intelligantur, possunt fieri hecticæ post diarias a primo, quia post primum diem potest calor figi in solidis partibus, atque ita facere hecticam, quanquam hoc raro contingat, & forsan tantum ex mærore, vt dicit Galen. 3. de præsag. ex pul. 4. Sed si intelligantur secundo modo febres hecticæ, non possunt, statim fieri, neque post diarias, sed longo temporis interuallo acquiruntur.

Cognoscitur conuersio in synochas febres diariarum, quando eo tempore, quo declinare deberent, corpus magis flagrat & accenditur. Cognoscitur etiam, quia in declinatione facies rubicundior est, s. propter spiritus incensos ad caput elatos. Cū febres diariæ conuertendæ sunt in putridas, cognoscuntur, quia cum deberent finiri, succedit horripilatio, calor euadit acrior & mordacior, vrinæ crudæ fiunt, pulsus inęqualis redditur, paruus, & contractus. Nam hæc omnia signa sunt iam iam inchoantis febris putridæ.

Postquam itaque, vt vidistis, febres diarię cōuertuntur in hecticas & putridas, necesse est ipsarum curationem intelligere. Nā cum sua natura sint curatu faciles, postularet ratio, vt aspernaremur hanc curationem. Veruntamen Gal. 1. ad Glauc. & 8. meth. & Auic. hoc in lib. diligentissimi fuerunt, in tradenda curatione diariarum, s. vt docerent nos modum callendi, ne diariæ in deteriores febres conuertantur.

Curatio. Est autem curatio harum febrium duplex: alia vniuersalis, alia particularis. In instituenda curatione harum febrium animaduertendum est curationem nil aliud esse, quam operationē cum ratione factam ob recuperandam sanitatem. Modo videndum est, quę sit ratio bene operandi; hæc perbelle docetur ab Arist. in lib. morū, quando scil. agitur id, quod agi deberet, quibus deberet, quantum deberet, & quomodo deberet: ita quod etiam recta curatio diariarum in his quinque posita sit, videamus primum, quid sit agendum, id quod nobis indicabitur a natura morbi, est natura huius febris intemperies calida & sicca. iam vero regula proposita nobis ab Hippocr. in lib. de flat. dicit, contraria esse contrariorum remedia, exigit ergo vt refrigeretur & humectetur. Quia autem morbi sunt hæ febres breues & tuti, parum ab ipsis vires violantur; & ideo de viribus in his febribus nulla cura habenda est. Quantum sit agendum, cognoscitur ex magnitudine ipsius: quæ cum sit parua, non multum etiam agendum est, ea propter omnia parce in hac curatione sunt agenda, sic dicebat Auicen. parum in balneis morandum esse: Sic quoque determinandum de tempore agendi, quod cum comparetur ex temporibus & conditionibus morbi, tempora autem diariarum sint omnia breuia, cursuque vires maxime cōstent, certum est omnino abstinere oportere ab omnibus, & quicquid agendum est in declinatione ipsius, aut etiam post declinationem agendum est, excipit tamen Auic. duos casus, vnum quando patitur æger horripilationes, alterum quando patitur faciliter syncopas; quibus in casibus non expectatur perfecta declinatio. Modus operandi totus habetur ex ætate, regione, consuetudine, stato vitæ, & tempore anni: ita quod modus medendi in hac febre variatur secundum horum omnium diuersitatem.

Instrumenta, quibus agendum est, sunt ea fere sola, quæ collocantur in victus ratione. Nam cum sit morbus paruus, & missio sanguinis sit remedium magnum, de ea non est cogitandum. Pariter etiam de pharmacis, pręsertim vacuantibus, non debet Medicus esse solicitus, quia totum malum positum est in spiritibus non in humoribus, sed si quid in hoc genere conuenit, sola sunt medicamenta, vt suo loco videbitis, alterantia.

Superest igitur victus ratio, quæ in hoc genere febris vnicum auxilium est, vnde prouidere oportet, vt aer habeatur frigidus, humidus: somnus sit moderatus, motus & quies, vt ablegentur omnes animi passiones, vt cibus sit refrigerans & humectans, quemadmodum notant Gal. & Aetius, nutriat quidem, sed non multum: dico non multum, quia vt docet Galen. 7. & 8. meth. quæ multum nutriunt sunt difficilis coctionis, & consequenter viscida sunt, & obstruentia: præterea debet esse optimi succi, facilis coctu. In hoc igitur genere optima est ptisana, panatella cum seminibus melonum aut cucurbitarum, olera seu herbæ coctæ in iuribus, paruæ pullæ vt lactuca, endiuia, borrago. Potus sit aqua cocta simpliciter, vel aqua hordei, vel si ventriculus ferat aqua frigida, id quod commendat Auic. non desunt qui volunt etiam esse vinum concedendum, ideo Auerr. 7. collect. 6. proponens curam febrium ephemerarum miris laudibus celebrat vsum vini in iis, qui sunt assueti. Sed si pauciferum, vel aqua multa maceratum. Et quidem hæc est vniuersalis ratio curandi diarias.

De particu-laribus dia… Sed quia non curantur febres in vniuersali, seu species febrium, ideo necesse est, vt exerceantur ingenia circa has febres particulares. Nec dicatis inanem fore hunc laborem, nam licet

diariæ

rijs tractatio. diariæ vnum tantum diem durent, & non opus videatur Medico, necessaria tamen est earum curatio, vt possitis prouidere, ne mutentur in alias. Diariæ igitur cum omnes originem ducāt a causis externis, quæ sunt numero sex, vt ordinate omnia habetis, percurremus has febres secundum genera rerum externarum, quæ dicuntur a Medicis res non naturales. Febres igitur, quæ fiunt ab aere, vel ab aere fiunt calido, vel frigido. Et cum dico de aere, qui est ambiens, idē dicendum est de balneis, quippe quæ febres faciunt vel calore vel frigore. Aer calore facit febrem, quia vel calefacit vniuersum corpus, vel caput, & ita per partem & post partem communicatur calor cordi, vel quia attrahitur per inspirationem ad cor.

De febribus diarijs, quæ fiunt ab aere.

Sed dubitari video, quomodo fiat, vt febres generentur propter calefactionem, capitis factā a sole, seo aere calido, quandoque dicit Gal. agens contra Arist. 8. de vsu part. 2. cerebrum semper esse calidius quocunque aere calido. Quod si verum est, non videtur fieri posse, vt vnquā cerebrum ita calefiat ab aere, vt inducat febrem. Respondeo duplici ratione posse fieri hanc febrem a caliditate aeris: Vna est, per refractionem radiorum solis factā in capitis partib. solidis. Nam sicuti videmus solida corpora percussa a radiis solarib. vehemēter ardere, sic etiam capita hominū percussa a radijs solis incenduntur, quod deinde incēdium cōmunicatū per venas, & arterias cordi febrē tandē facit etiā si cerebrū ipsum non incalescat. Alia ratio, qua pōt fieri hæc febris sine refractione, est quod calefactæ venæ & arteriæ ab aere sine cōcalefactione cerebri calefaciunt partes proximas, & ita pedetentim communicant extraneum calorem toti corpori.

Cognoscitur hæc febris relatione ægri, sed, Domini, vos non debetis confidere relationibus ægrotū, & adstantiū, sed multo gloriosius est Medico cognoscere febres propria industria atq; solertia. Atq; hoc est quod dicit Hip. 1. prognost. debere Medicum non tantum prædicere futura, verum etiam, & præterita, & præsentia. Itaq; spretis relationib. aliorū sic cognoscetis febrem factam ab aere calido, quia calefactio præcessit, graue caput redditur, extrema membra calida, oculi rubent & facies, pulsus magnus est, anhelatio etiam est magna, vrinæ autem copiosę. Et hoc signū soleo proponere ego ex Hip. qui initio lib. 2. de morb. & in fine 4. de acutis dicit eos, quorum capita nimium calefiunt, reddere copiosam vrinam. Ratio est, quia huiusmodi calore pituita capitis colliquatur, & per venas, & per cauitates maiores demittitur in vesicam. Curatur hæc febris cibis refrigerantib. & humectantib. Vino admodū aquoso, decocto lactucæ, end. præsertim vero conuenit in curatione huius & balneum totius corporis, & stillicidiū seu balneum totius capitis. Nam, vt alias dixi, veteres ægris facile præcipiebant balnea, quia tūc temporis rarissimi erant, qui quotidie non lauarentur, vt copiose docuimus in lib. 1. nostræ gymn. Balnea pro capite fiunt vel ex aquis dulcib. in quibus incocta sint nymphæa, lactuca end. vel fieri soleni ex ol. vt ol. rof. de nymph. de cucurb.

Vrinas copiosas ex Hip.

Curatio diariæ ab aere calido.

Balneorum vsus in hoc affectu.

Sed in vsu huius medicamenti Gal. 8. met. 3. duo monet perpetuo obseruanda: vnum, vt huiusmodi remedia administrentur frigida actu, ideo vero solebant Medici veteres etiam, & niue, & glacie refrigerare hæc remedia. Aliud monet Gal. vt cum hæc administrantur, semper ex alto supra caput demittantur. Et ratio est, quia motus mirum in modum adiuuat remediorū penetrationem. Aer frigidus facit quoq; ipse febres diarias duabus rationibus. Vna, quia a frigore spiritus vehementer repulsi intro simul colliduntur, & collisi incēduntur: alia ratione fit febris a frigore, quia vt inquit Gal. 1. de diff. feb. 3. ab ipso constipantur meatus cutis, quibus cō stipatis prohibetur difflatio vaporum, adeo vt vaporibus cohibitis spiritus simul coacti magis ardeāt. Et quod dico de aere frigido, idem quoque dicendum de balneis refrigerantibus & adstringentibus.

Aer frigidus quomodo causet diarias.

Cognoscitur hæc febris, quia pręcessit refrigeratio vel ab aqua, vel a niue; pręcessit lauatio in aquis adstringentib. vrina alba, oculi extuberantes, cutis arida redditur, color corporis ad nigredinem quandam conuertitur, pulsus veloces, & duri fiunt. Curatur a remedijs calefacietib. aperientibus & relaxantibus, huiusmodi sunt frictiones, quæ fiunt manibus inunctis vel ol. camom. vel amygdal. amar. soleo ego etiam vti hac inunctione.

℞ Ol. anethini ℥. ij.
Aq. viol.
Chamom. an ℥. i. ß.
Salis ʒ. i. M.

Nam si manus madefiat hoc liquore, & ijs calidis corpus fricetur, non tantum aperitur cutis, verum etiam relaxantur, post conuenit balneum præsertim factum ex rebus, quæ habent facultatem aperiendi, vt si aquæ dulci incoquatur chamomelum, amaracum, anethum, origanum, & cetera, quæ possunt maxime aperire. Vtor ego in his febribus vnctione corporis ex vino albo, oleo anethino, & modico nitri, hæc enim maxime cutim aperiunt densatam, id quod studendum est, quia huiusmodi febres solent facile in putridas conuerti. Commēdatur etiam prouocatio sudoris: de quo loquens Auic. dicebat bonum esse, vt corpora integumentis multis tecta sudent, quod tamē intelligere dicebat agendum esse non semper, sed quando sponte sudor non profluit, nam Arist. 2. sect. probl. 30 dicit multo melius esse sudorem prouocare nudo corpore quam tecto. Et probat, quia sic sudantes semper sunt coloratiores. Vos autem ita hanc contradictionem apparentem dirimatis, quod semper melius est, sudare sine violētia, quā cum violentia. Vbi autem non licet sudare absque vi, tum deueniendum est ad tegumenta.

Atque hoc voluit Auic. scilicet si febrientes propter obstructionem nequeant sponte & bīs de sudare, prospiciendam esse, vt in tegumentis contecti sudent. A vigiliis fiunt & a somno febres

De diarijs a vigilijs, & a somno.

febres hæ, vt Galen. docet. A vigiliis fiunt, quoniam inter operandum spiritus inflammantur, & ita febres faciunt, a somno contra fit febris, quia cum spiritus nimium otientur, cumque vapores continuo retineantur, fit vt spiritus velut coacti & suffocati magis intendantur, & febres faciant.

Cognoscitur diaria ex vigiliis, vt habet Gal. 1. ad Glauc. ex propriis signis, quorum primum est, quia vigiliæ antecesserunt, adest grauit. palpebrarum, inflatur vultus, vrinæ perturbantur. Contra autem qui febricitant ob nimium somnum vultum floridum habent, somnolenti sunt, & pulsus velut submersos habent. Curantur febres ex vigiliis primum ablegatione omnium curarum, victu humectante. Huiusmodi est vsus lactucarum, succi amygd. dulc. Succus hordei etiã vtilis est, præ ceteris in huiusmodi febribus maxime vtilis esse solet balneorum vsus, adeo vt veteres ad conciliandum somnum balnea pro remedio singulari semper habuerint.

Curatio diariã a somno.

In iis autem quæ fiunt a somno frictiones corporis conueniunt, abstinentia vini aut saltem vsus vini moderati, vsus ciborum exsiccantium. Sequuntur febres, quæ fiunt a nimio motu. Qui cum sit duplex, alter qui proprie est actio, alter uero qui est passio motus, vt actio facit febrem diariam, eo quod ex immodico cursu, ex immodica equitatione, & tandem ex omnib. qui nimis laborare faciunt corpus, aer, qui in corporibus necessario semper est motu collisus siue attritus, vt dicebat Aristoteles ignitur, & ita igneus factus vniuersum corpus calefacit, & ad febrem deducit. In hoc genere sunt & illi motus, qui fiunt, dum corpora medicamentis purgãtur: siquidem in his propter frequentes exsurrectiones spiritus pari modo incẽduntur ob aetem attritum.

De diariis a nimio motu.

Cognoscuntur diariæ ex anteacto nimio motu non tantum præcedentib. uel cursibus, vel ambulationibus, vel aliis similibus, verum etiam, vt dicunt Galen. & Auicen. & lassitudine, ex labore, & calore iuncturarum. Addunt etiam & Gal. 1. ad Glau. cap. 2. & Auicen. in his, qui sic febricitant consueuisse apparere quendam madorem in fine, nisi tamen nimis laborarint. Et prudenter hoc addiderunt, quia vbi nimium quispiam laborat, exsiccantur cunctæ corporis humiditates; adeo, ut neque mador fieri possit. In libro de puls. ad Tyrones scriptum inuenietis pulsus eorum, qui immoderate laborant esse paruos obscuros, & debiles, qui in his resoluti sunt spiritus, calor quoque languescit, vt necessario arteriarum motus sit immoderatus, adest quoque tussis sicca propter vapores, qui a pulmonibus feruescentib. eleuati stimulant arteriam asperam: vrina horum flaua est, subtilis, acris, & mordax, nam experientia hoc comprobatur ab omnibus laborantium, & currẽtium vrinas maxime mordere, imo hac ratione solent venatores comprehendere ceruos, si non sinant ipsos mingere, quia ex cursu adeo acris fit vrina, ut ipsos adigat cursum sistere.

Addo ego aliud signum ex Arist. 38. part. probl. 5. ubi dicit Athletas si nimium exerceantur, pallescere, eo quod calor eorum natiuus hebetatur, vt etiã necesse sit eos qui in febres incidunt ob nimios motus, fieri non posse, ut florido corpore fruantur.

Cognoscitur febris facta a medicamentorum motu, quia corpora sunt exsanguia, facies dimissæ sunt, & præ ceteris a siti exercentur, quia tum propter frequentes exsurrectiones, tum propter calorem medicamentorum spiritus accenduntur; sic etiam post sanguinis euacuationem, quando natura tentat vacuum locum replere spiritus vehementer confluentes simul colliduntur, atque ita accensi febres inducunt. Curantur febres ex nimio motu, quiete in primis.

Curatio diariarum ex nimio motu.

Nam dicit Hipp. 2. aph. 48. vbi motus laborem facit, quies remedium est. Et visum est aliquibus, Hipp. hoc oraculo rem vanissimam docuisse, quia nemo est tam ignarus, qui vbi nimium laborarit, sese quieti non dedat, cum etiam bruta hoc faciant, sed tuebuntur. Hipp. consummatissimi Theorici, similiter vtilis est somnus factus in stramentis mollibus. Præterea inter alia remedia sunt etiam cibi, qui debent esse eius naturæ, vt alant faciliter & multum, atque cito distribuantur, humectent, ac refrigerent, vt vitelli ouorum, testes gallorum, & carnes pullorum, a Rhase cõmendantur fructus humectantes, vt sunt pepones, & cucurbitæ. Conuenit vinum, imo maxime a Gal. laudatur vinum admodum generosum. Gal. 3. cap. lib. 1. ad Glauc. laudat, vt qui nimium laborarunt, & febricitant, fricent corpus, & oleo dulci illinant. Alex. Trall. in c. 1. lib. 12. studiosus contradicẽdi Gal. dicit multo melius consultum fuisse Gal. si ẽt oleo aquam permisceri iussisset, eo quod oleum sua natura non ita humectat, quemadmodum si coniungatur aquæ. Alex. fauet Aristo. qui 5. sect. probl. 6. dicebat, oleum & aquam simul mixta lassitudinem magis tollere, quam ol. purum, vt propter hanc etiam rationem debuerit Galen. vt dicit Alex. commiscere aq. Sed, facile est tueri Galen. quia huiusmodi vnctionem præcipit faciendam post vsum balnei, quando iam corpus vniuersum irrigatum & madidum est, adeo vt nõ videatur opus mistione aquæ, cum tantum sit in superficie aquę, vt possit sufficere ad adiuuandum olei penetrationem, quo tempore frictiones adhibitæ etiam valde conferre possunt. Præ ceteris maxime commodum est balneũ in hac curatione, imo dicebat Alex. Trall. omnes quasi natura ductos statim in hac ægritudine balnea adire quanquam sæpe erratur, quia æque Medici ad balnea mittunt corpora repleta, & corpora cacochyma.

Curatio diariæ a motu medicamentorum.

Curatur diaria a motu medicamentorum, quieta & ipsa: præterea cibis qui sint optimi succi, qui facile coquantur, atq; etiam nonnihil adstringentes, vt cydonia, sorba, mespila, plantag. portulaca. Carnes etiam viscidę, vt sunt cerebella hædorum, Pedes vitulini quoque magnopere iuuant; theriacę etiam vsus post febris discessum vtilis est. Nam inter alias præclaras dotes quas habet theriaca, hęc non negligenda, quod medicamentorum vim effrenatam compescere con-

te consueuit, quod vbi fecerit argumentum est bonitatis illius. Adhibentur in hoc casu cordi medicamenta, quæ refrigerent, & roborent, vt est succus rosarum cum aceto rosato, & camphora similiter ventriculo adhibētur fomenta ex cibo quæ illum roborant, vt est oleum absynthinum, myrthinum, cydoniorum.

De febri diaria a pathematis animi facta.

Præter motus corpōtis animi quoque motus diarias inducere consueuere, inter quos cum alij sint quibus spiritus ab exterioribus ad interiora feruntur, & alij in quibus cōtrariū fit quod spiritus dispergūtur, seu distribuātur a cētro ad circumferentiam. Priores faciūt febrē, eo, quod spiritus violenter moti ab externis partib. ad interiores simul colliduntur, & ita accenduntur in hoc genere sunt oēs illæ febres, quæ fiunt a mœrore, timore, & a profundis cogitationibus: contra in alijs fiunt febres, quia dum impetu a penetralib. corporis spiritus mouentur ad exteriora, tum motu, tum etiam calore earum partiū, per quas feruntur, incalescunt, calefacti non possunt sustineri a membris, ideo expanduntur, in hac expansione accenduntur, vt febres inducant, id fit in ira, & gaudio, atque hæ sunt causę generationis harum febrium.

Cognoscūtur posteriores hæ febres, quia pulsus vehementes, vt in iratis, & gaudentib. vultu colorati sunt, & rubicundi. Sed notate id, quod dicit Auic. rubedinem esse in febre ex ira, quādo iræ nullus copulatus est timor. Adhæc vultus sic febrientium tumidus est, oculi rubei sunt, quasique videntur exire ex capite. Est tamen differentia inter febres ex ira, & gaudio, propterea quod qui febriunt propter iram præ se ferunt in vultu iram ipsam, qui febriunt ex gaudio, hilari vultu sæpe sunt. Dixi nuperrime ex Auicenna rubere febrientes ex ira nisi sit timor copulatus, circa quod consideratu dignum est, an verum sit, quod iræ timor coniungi possit, ex vna parte est Auicen. hoc in loco, & Gal. 2. de causis puls. cap. 1. Hi omnes videntur testari iræ interdum coniungi timorem. Ex altera parte est auctoritas Arist. quam etiam supra in medium attulimus 2. Rhetor. cap. 12. & 3. ethic. cap. de fortit. quibus in locis clarissime dicit Aristo. non posse fieri, vt irati vmquam timeant. est etiam ratio pro Arist. quia timor, & ira sunt motus contrarii igitur non possunt simul fieri, quod sint motus contrarii probatur, quia fit ira propter expansionem spirituum a centro ad circumferentiam, fit vero timor propter congregationem spirituum a circumferētia ad centrum. Dicendum est breuiter verum esse id quod dixit Gale. & quod dixit Arist. modo sane intelligatur, nā ira duplex est, vel magna, uel moderata. Et qui irascuntur uel sunt debiles, uel sunt fortes: in ira moderata, & in uiris debilibus possunt simul esse, & ira & timor in fortibus, & in magna ira nequaquam possunt copulari quādo igitur scribit Aristoteles nullum iratum timere loquutus est de ira magna in uiris fortibus: quando Galen. & Auicen. contrarium dixerunt, loquuti sunt de ira in quocunque uiro moderata, non ita magna, ita quod uerum sit hoc signum adesse scilicet rubedinem faciei, cum iræ non copulatur timor. contra autem in iis, qui febricitant ob mærorem, ob tristitiam, & ob alia huiusmodi pulsus parui, debiles, & obscuri sunt, calor acris & mordax, vrinæ igneæ, vultus tetrici & melancholici, adeo vt Galenus & Auicenna horum pulsus esse inæquales; & Gal. 4. de causis puls. capite de pulsibus timentium, dicit in his id contingere, quod videmus fieri in iis, qui fugiunt. Nam fugientes interdum currunt, interdum sistunt gradum, & modo vno, modo altero modo incedunt. Sic dicit Galen. pulsus timentium modo fiunt veloces & magni, modo tardi, & parui adeo ut & inæquales & inordinati semper fiut.

Cur timidi palleant.

Inter alia signa ponunt etiam Galen. & Auicen. pallorem, qua de re nonnihil difficultatis oriri possit. Nam Aristoteles 38. part. problem. 4. dicit pallorem esse putrefactionem, in timentibus & mærentibus, non videtur, quæ putrefactio esse possit palloris effectrix. Galenus etiam lib. de multit. 4. de tuend. valet. 14. methodi, videtur in ea fuisse sententia, vt pallor efficiatur a bilis effusione, supra cutim. Alia est etiam ratio generationis palloris scilicet propter priuationem floridi coloris, id est propter recessum sanguinis a partibus extimis ad intimas, vt docet Galen. 6. epid. com. 3.

Hac in re breuiter sciendum, differentem esse illum colorem, qui a Græcis dicitur ἀχροια, a nostris decoloratio, & illum, quem nos Latini vocamus pallorem. Pallor enim qui a Græcis interdum χλωρότης, interdum ὠχρότης dicitur, certum est, ipsum fieri ab effusione bilis. Et de hoc colore locutus est Galenus locis citatis. Ceterum decoloratio quę etiam nomine palloris a Latinis plerumque designatur duplicem potest habere originem, aut putrefactionem, vt dicit Aristo. aut recessum, & vt ita dicam, reditum sanguinis a partibus externis ad internas. In timore & tristitia fit potius decoloratio quam uerus pallor. Neque hoc fit propter putrefactionē neque proper bilem, quandoquidem non ita cito fieri possit; sed fit tātum propter sanguinis recessum a partibus externis ad internas, qui quidem recessus subito fit. Præter hæc signa sunt & alia scilicet oculorum cauitas, cum enim spiritus intro recessit, oculi remanent ipsis priuati, & propter hoc fiunt caui. Curantur hæ diariæ primum, quæ fiunt per spiritus effusionem, per ea, quæ congregant spiritus, hæc enim maxime sibi auxiliātur, quemadmodum econtrario vitanda omnia, quę possunt spiritus dissipare, præsertim inedia, quæ sola potest hominem ad iram prouocare, & febrem gignere. Conueniunt infusiones corporis in aquas refrigerātes in quibus incoquantur rosę, folia myrthi, plantag. lact. nymphęæ inunctiones factæ ex oleo ros. ex aqua ros. aq. nymphęæ solatri. Nam irrorantur corpora, & præsertim caput huiusmodi aquis. Ad hæc conuenit quies, abstinentia a risu, ira, & gaudijs. Contra autem curatio earum febrium, quæ fiunt vel a timore vel mœrore, fit ablegatio omnium solicitudinum, somnus immoderatus est fugiendus, ablegandæ sunt profundę cogitationes omnes, de quibus dicebat Plato, quod con-

ficiunt

ficiunt animum cauenda sunt ea, quæ vehementer exsiccant, & præsertim iubent Medici, vt venus caueatur, lenita febre, statim mittendi sunt ægri in balneum aquæ dulcis, post balneum adhibendæ innunctione a toti corpori, quæ fiant vel ex oleo rol. vel oleo amygd. dulc. vel oleo viol. & oleum etiam odoratum conuenit, modo non sit impense calidum, confert vsus eorum quæ lætificant, vt est borrago, melissa. Cibi sint optimi succi, & humectantes, & faciles coctu, vt carnes pullorum, hædorum, columborum paruorum, & pisces saxatiles, oua tenera. Auic. & Auer. 7. coll. 6. laudabant in his febribus vinum album, aquosum, & aromaticum, vbi etiam dicit vinum lætificare animum, statimque reficere spiritus, id quod alias etiam dixerat Zeno, quando dicit vino dulcescere hominum ingenia, sicuti lupinos aqua. Pari pacto curari solent diariæ, quæ fiunt ex illis passionibus, quæ quodammodo pertinent ad animum & ad corpus. Huiusmodi est dolor, nimia sitis, inedia, syncope. Ab his enim fiunt febres eo, quod spiritus vitales, & naturales nimium perculsi, & agitati incalescunt. Cognoscuntur hæ febres a sensibus ipsis, quia & dolor & inedia, & sitis, & syncope satis per se sunt sensibus manifesta. Curantur vero illa quidem quæ ex dolore fit cum ijs, quæ dolorem sedare apta sunt, vbi febris fit ex syncope offerenda sunt ea quæ spiritus reuocant statim. Huiusmodi sunt cibi potulenti, vt est vinum & alica simul mixta, ex Aetio lib. 9. cap. 6. vt sunt iura, cum vitellis ouorum, panis cum vino, hæc enim exhibita sicut statim syncopem finire consueuere: sic quoque febrem ipsam extinguunt. Et quod dico de syncope, idem dicendum est tum de ea febre, quæ fit ex immodica siti, tum de ea, quæ fit ex fame, seu inedia, nisi quod febribus, quæ fiunt ob ingentem sitim, nullum auxilium præstantius est, quam potus frigidus copiosus, In illis autem febribus quæ fiunt ab inedia abstinendum ab vsu balnei. Sed adhibenda ea edulia, quæ moderate nutriunt, & optimum illud remedium, quod proponit Auer. scilicet vbi quispiam propter nimiam inediam vel in febrem vel in syncopem incidat, vt statim etiam in accessionis initio exhibeantur cibi, &c. Inter febres, quæ fiunt a repletione connumerantur illæ, quæ fiunt ex bubone, aut alijs apostematibus, de quibus non loqueretur Auic. dicit totam earum curationem positam esse in curatione ipsius bubonis, & apostematum, vt in hac non debeamus quicquam esse soliciti.

Curatio diariæ a dolore, syncope, siti, inedia.

De feb. diariis, quæ fiunt a repletione.

Sunt multæ aliæ præter hanc febres ex repletione, sed fere illæ sunt maiores momenti, quæ efficiuntur a repletione & cruditate ex vino, aut alio vt vinum, & idem caput complecti videatur hæc omnia genera.

Cruditas, repletio, quæ fit a vino dicitur a Græcis κραιπάλην, nostri imitantes Græcos crapulam nuncupant. Nam Gal. 5. aph. 5. dicit hoc nomine crapulæ significari omnem noxam, quæ capiti infertur a vino: id quod etiam dicit Aetius lib. 4. cap. 16. & libro nono cap. 25. Sed circa hoc duo videntur notanda, vnum est, differentiam esse, & apud Græcos & Latinos inter ebrietatem & crapulam. Colligitur etiam ex Gal. 4. de T. V. t. 90. Nam etsi interdum hæc duo nomina confundantur, sæpe tamen ebrietas significat eam turbationem, quæ vna tantum die durat, crapula autem eam significat turbationem, quæ pluribus diebus durat. Aliud etiam notandum, vtramque hanc ebrietatis speciem duplicem esse adhuc: vnam in qua neque animus, neque corpus quicquam operari potest, quia tam corpus quam animus valetudine, sepulti sunt, & hæc dicitur ab Hip. θωρῆξις 5. aph. 5. vt Galen. in explanat. linguarum Hipp. & Erotianus in onomastico docet. Alia species ebrietatis est, in qua tametsi animus sit sopitus, corpus tamen aliquid operatur. Et huiusmodi affectus, Domini, ἀκροθώρηξις dicitur, vt est apud Aristot. 3. sect. problem. 2. & 24. nec non apud Plutarch. 3. quæst. conuiual. cap. 8. Ab his omnibus fieri solet diaria, eo, quod calore & tumultu factis a vino spiritus & sanguis incalescit adeo, vt febris efficiatur, quæ cognoscitur in primis ex potu vini, qui præcessit florido vultus colore, copia vrinarum, quæ coloratæ sunt, & rufæ, pulsu veloci, & magno, profundo somno, calore miti, & blando, Aristot. 3. partic. probl. 1. & 6. ait ebrios interdum rigere. Sed de pulsu est nonnihil controuersiæ, siquidem Auicenna a p. doct. 3. tract. 1. c. 10. dicit pulsus, qui fiunt a vino, esse minus vehementes, quia est subtilius, rarius, & leuius, quam qui fiant a cibo: contra autem Gal. 3. lib. de causis puls. c. vlt. in fine, vbi dicit pulsum, qui fit a cibo, non esse dissimilem ab eo, qui fit a vino, eo quod hæc alant. Dicendum est breuiter, vehementiam & magnitudinem pulsus dupliciter considerari posse: vel secundum durationem, vel secundum impetum. Si impetum spectemus, vterque pulsus similis est. Et ita loquebatur Gal. loc. cit. sin autem consideremus durationem, vehementia pulsus, quæ fit a vino, minus durabilis ea, quæ fit a cibo. Curatio diariæ ex ebrietate in hoc posita est, vt primum vinum e corpore tollatur, id quod fieri potest in primis vomitu deinde clysteribus, tum etiam medicamentis tam aluum, quam etiam vrinam mouentibus. Pro vomitu optimum est ol. oxymel. sed succus raphani cum aqua, vel oleo potentissimum est, & eo maxime quod raphanus a proprietate mirum in modum valet contra ebrietatem, vt apud Athen. 1. lib. si vomitus non succedat clysterea vsurpandi sunt primum lenes, deinde acres. Nam Galen. 2. de medicamentis local. in cap. de dolore cap. inter alia medicamenta aduersus capitis grauitatem magnopere extollit vsum clysteris. Sed si neque hoc iuuat, deueniendum ad ea, quæ purgant ipsum corpus. Huiusmodi est decoctum tamarindorum Sebesten, quod quidem decoctum quadam proprietate caliditatem vini coercet, & ebrietatem e corpore tollit.

Differentia inter ebrietaté, & crapulam.

Ad prouocandum lotium in hoc casu mirifice commendare videtur Aristot. oleum in postremo problemat. 3. sect. Postquam euacuatum est corpus cogitandum est de remittenda caliditate iecinoris capitis. Auicenna vbi timebat incendium iecinoris, & humorum, laudabat

Ad calorem iecoris.

dabat hoc in casu venæ sect. quæ ideo vtilis esse potest, vt præseruentur ægri ab alijs febribus. Vos autem vti poteritis perfusione iecinoris cum succo lactucæ, cichorij, & modico aceti. Capiti etiam prospicere oportet perfusionibus ex aqua tepida cum succo hederæ, vel brassicæ. Ol. etiam rosom phacinum cum modico aceti, & aq. nymphçæ ad remittendum capitis incendiu valet, quæ etiam omnia proprietate quadam, & virtute frigerifica ebrietatis noxam tollunt. Conuenit frigidæ potus, præsertim in assuetis, somnus, & quies. Declinante febre mittuntur ægri in balneum. Et Domini notate veteres Medicos in omnibus fere diarijs adhibuisse balnea, quia apud ipsos erant in frequenti quotidiano vsu, & erant facilia paratu. Nostro tempore hoc remedium desideratur, propter inopiam horum instrumentorum. Nutriendus est deinde æger cibis facilibus coctu, & refrigerantibus, vt succo ptisanæ, succo alicæ; conuenit potus aquæ, conueniunt herbę refrigerantes coctę, & pręsertim quę proprietate quadam tollunt ebrietatem. Atque hæc fere sunt remedia, quæ adhibentur ad ebrietatem factam.

Ebrietatem arcentia. Et quia in hoc negotio vtile etiam est, scire sese præseruare ab ebrietate, & consequenter ab hac febre, scire debetis veteres multa remedia habuisse, quibus vtebantur, vt sese tuerentur ab ebrietate. In primis autem vtebantur dum erant iturti ad conuiuia, coronis capiti, & collo circundatis ex hedera, myrtho, & rosa, vt apud scriptores habetis, & præsertim decimoquinto libro Athenæi, præterea vtebantur amygdalis amaris. Nam si v. vel vi. deuorentur ante potum, mirifice prohibent ebrietatem sua virtute exsiccatoria. Adhæc brassica præmansa, & puluis lapidis pumicis, iure vel aqua sumptus etiam ebrietatem sedat, & prohibet. Folia quoque lauri idem faciunt post potum. Aristoteles loco antedicto laudat oleum, eo quod oleum, prouocans vrinam consequenter efficit, ne vapores caput impetant quam etiam alijs de causis, & auctor lib. 4. de rat. vict. in acut. t. 90. laudat allium quod etiam probatum est a Galeno in explicatione illius loci. Sicuti autem fiunt diariæ ab vsu importuno vini: sic etiam ab vsu importuno ciborũ, qui vel sua qualitate calorifica, vel corruptione calefaciunt spiritus, & consequenter corpus, ita vt febrem inducant.

De diaria ab importuno vsu ciborũ.

Cibi, qui qualitate hoc faciunt, sunt veluti, allia cępe, nasturtia, aromata omnia, & omnia piperata; hæc enim interdum nimis deuorata solent febres diarias inducere, vt optime notarunt Arabes Medici. Huiusmodi febris dignoscitur ex relatione ægrorum, immoderata febris cognoscitur immoderata siti, incendio hypochondriorum, præsertim iecinoris, necnõ vrinæ ardore, & rubore. Curatur autem hęc febris primum per subtractionem horum ciborum, scilicet vel per vomitum, vel per aluum: quemadmodum dictum est de vino. Conferunt etiam medicamenta vrinam cientia, dummodo frigida sint, vt semina communia. Post euacuationem deinde refrigerandum est corpus lactucis, & alijs refrigerantibus siue coctis siue crudis, potu aquæ, balneis. Nam hoc in casu magnam opem solent afferre ipsa & balnea.

Alia ratione, vt nuper dicebam, cibi solent febrem inducere, quando ob nimium calorem ita corrumpuntur, vt vapores feruidi, & corrupti ex ipsis elati spiritus incendant, & febres faciant, quod eo magis inquit Galen. fit, quando ij, in quibus corruptus est cibus nequaquam quiescunt, sed potius mouentur, ex quo motu fit, vt vapores magis eleuentur, atque ita fiat maior febris occasio. Huiusmodi corruptio dicitur κνίσσα, Latini vocant nidorem, & nonnulli nidorosam cruditatem, Auicenna vocat nauseatiuam sacietatem. Cognoscitur huiusmodi febris primum ex relatione ægri, qui refert se confici ventris torminibus, ructis, odore tetro, nam, qui hanc corruptionem siue nidorosam cruditatem patiuntur, solent in ore persentire saporem quendam velut ouorum corruptorum seu assatorum. Præterea cognoscitur hæc febris a cruditate, capitis grauitate; oculis, & facie rubentibus, tumidis, calore vehementi pulsu magno, & veloci, dicebat Gal. in lib. de puls. ad Tyron. vrinarum claritate, rubore, & copia. Habet & aliud hæc febris, quod interdum prorogatur ad tertium vsque diem. Auic. addit etiam vsque ad septimum diem. In curatione huius debebitis, Domini, semper esse magis vigilantes, quam in alicuius alterius ephemerę curatione, eo quia Galen. fuit diligentiss. si negligatur, non modo conuertitur in putridas, verumetiam in valde perniciosas febres. Itaque primum videre oportet, numquid in hac cruditate aluus fluat, an potius sit adstricta. Si enim fluat adhuc vobis considerandum est an materia exiens sit cibus corruptus, & aquo quę solet gigni, ex corruptis cibis, an vero sit quid aliud; quod si materia exiens fuerit cibus corruptus, nihil innouandum est, imo dicit Gal. bonum esse, quia vbi cibi corrupti exeunt, multo melius est, quam si in intestinis atque ventriculo retineantur, & Cornel. Cel. Medicus elegantiss. solebat dicere quod vna die fluere aluum, atque etiam pluribus sępe est pro valetudine.

De nidorosa cruditate.

Illud vnum prouidendum est, ne ij cibi corrupti inter exeundum intestina violent, sicuti interdum facere solent, propterea si mordax sit materia, quę exit, vtendum est clysteribus, qui possint acrimoniam obtundere. Huiusmodi esset iste.

Clyster cõueniens in materia mordaci quæ exit.

℞. *Fol. lapathi.*
Portul.
Maluæ.
Lactucæ an. M. j. f. decoct.

Deinde ℞. *dictæ decoct. lib. i.*
Ol. amygd. dulc. ℥ v.
Butyri recentis ℥. iij. M.

Et aduertite in his casibus omnino abstinendum a sale, ne acrimonia maior addatur humoribus

moribus exeuntibus. Interim dum cibi corrupti exeunt declinante febre est vtendum balneis, quæ maxime conferunt ad percoquendas cruditates, imo Columella auctor grauis in principio sui libri scribit consueuisse homines adhibere balnea ad percoquendas hesternas cruditates: sic etiam eodem tempore, & eadem ratione vngendus est ventriculus aliquo linimento, quod possit calorem eius roborare, & confirmare, cuiusmodi laudatur a Galeno oleum ablynth. nardinum, vnguentum foliatum, & spicatum. Quod si fluor sequatur, nec amplius cibi corrupti exeant, quid agendum. Dico huic malo statim succurrendum esse, quia ex fluore sæpe cōtrahitur in intestinis quidam læuor, quædam lubricitas, quæ efficit, vt mala itte medicabilia sequantur, ideo adhibenda sunt statim astringentia remedia, primum quidem leuia, vt sunt cydonia ante cibum, seu diacitonium simplex, mespilæ, confectio ex coruis, & si hæc non conferant, deueniēdum est, ad clysteres, qui maxime astringere possint, ita vt quam primum fieri possit reprimatur fluxus. Dixit Gal. & repetit Auic. vnum quod est notandum, scilicet quod vbi aliquis non possit arcte aluum stringere, agendum est ceratis. Ex quo potest is colligere maxime referre ad coctionem, & roborationem ventriculi, vt partes illæ ventriculi arcte constringantur. Finito fluxu adhibenda sunt ventriculo, quæ ipsum cōsolari, & roborare possunt, vt est confectio diacalamentum appellata, diaspoliticum, quas omnes confectiones dicebat Galen. 3. de tuend. valet. valde conferre ad roborandum ventriculum, & consolandum calorem natiuum. Et hæc sunt agenda, quando cum hac febre adest iste fluxus. Sin autem sit aluus adstricta & corrupti cibi retineantur, omnino consultum est aluum soluere, vt cibi corrupti e corpore auferantur. Et ratio est, quia cibi corrupti numquam possunt ad benignum reduci, sed simile cantur sanguini, potius sanguinem corrumpunt, & quia potest aluus solui, & per vomitum, & per clysteres, atque medicamenta, quid agendum sit luculentissime docet Galen. quando monet, vt diligenter expendatur, vtrum cibi sint retenti in ventriculo & locis sibi proximis, an potius sint retenti in inferioribus intestinis. Cognoscetis autem hoc, quia vbi retinentur in ventriculo, & partibus superioribus, dolores & cruciatus percipiuntur supra vmbilicum. Sin autem retineantur in intestinis inferioribus, cognoscitur, quia partes subtus vmbilicum torquentur, tument, & puncturis afficiuntur. Vbi ergo perspectum est, humores in ventriculo esse, statim deueniendum est ad vomitum, & in hoc casu oleum cum aqua commodissimum.

Vomitus quando conueniat.

Iuuat etiam manibus ol. vnctis vim inferre ad vomendum, nam & oxymellis vsus & succi raphani non ita commodus est, quia suapte vi & acutie magis ventriculum. Si autem isti cibi retineantur in intestinis inferioribus, veniendum ad clysteres primum lenes, deinde paulo acriores, si illi non conferant, inter alios hic vtilis esse solet.

> ℞. *Iuris veruecis lib. j. ß.*
> *Succi maluæ.*
> *Pariet. an. ℥. iij.*
> *Ol violati ℥. vj.*
> *Salis ʒ. j. M.*

Si adsint in intestinis flatus, clysteres parabuntur ex rebus flatum discutientibus, vt sunt illi, qui fiunt ex decocto furfurum, & anisorum, vna cum hordeo, & oleo vel anethino, vel chamomelino, vel rutaceo. Sed si cibi corrupti non possint excludi, neque vomitu, neque clystere, tentandum est eos educere pharmacis, non quibusuis, sed lenioribus inter quæ potissimum a Galen. commendata est hieta, verum si aliqua ratione medicamentum administrare non potestis Gal. 8. meth cap. 5. commendauit magnopere vsum illius medicamenti, quod vocatum est diatrion pipereon.

Postremo incumbendum ipsi ventriculo, qui dum ob sui imbecillitatem fuerit causa corruptionis ciborum, prouidendum, vt confirmetur atque corroboretur. Propterea laudabat in hoc casu Galenus lanam purpuram tinctam, & ventriculo obductam. Laudabat etiam mastichen, rosam. Vos autem id etiam vsurpare poteritis, quod in simili casu sese feliciter egisse gloriatur Galen. in lib. de præcog. ad Posth. in casu Imperatoris. Nam poteritis hoc linimentum adhibere.

Linimētum vētriculo vtile.

> ℞. *Ol. nardini ℥. j.*
> *Rof. rubrarum.*
> *Mastiches.*
> *Corall. rubeor. an. ℈. j.*
> *Vini odorati.*
> *Ceræ q. s. M. & f. linimentum pro ventriculo.*

Sunt etiam multa alia, quæ solent adhiberi in casibus similibus ad confirmandum os ventriculi. Inter alia sunt fomentationes factæ ex absynthio in vino adstringenti, macerato, & calenti, superposito ipsi stomacho. Hinc quoque quies conuenit, & somnus. Atque tot agenda sunt in hac curatione, vbi aluus fuerit astricta, quæ quāquam ex methodo summa ratione sint nobis a Gal. proposita, Alex. tamen Tral lib. 12 c. 1. occasionem nactus est increpandi Galen. eo, quod in huiusmodi casib vbi ventriculus laborat potius calida intemperie, quam alia, vsus fuerit extrinsecus, & intrinsecus calida remedia. Intrinsecus diatrionpipereon, extrinsecus autem purpuram, & alia medicamenta calida. Vtitur hac ratione Alexan. quod quia nidorosa corruptio proficiscatur a calida stomachi intemperie, sic, præter rationem calidis medicamentis vti.

Auer.7.coll.7.qui alias consueuit Galen. increpare, hoc in casu contra Alexan. tribus modis Galen. tueri uidetur. Prior fuit, Galen. accepisse indicationem eorum remediorum non a febre, sed a natura partis affectæ, quæ, cum uentriculus, & ipse non sustineat medicamenta neque actu nec potentia frigida, iure Galen. laudauit calida medicamenta. Posterior fuit, quod corruptio nidorosa, etiamsi efficiatur a causa calida; tamen refrigeret uentriculum, quia ut dicit Galen. in lib. de tempera. & citatur etiam ab Auer. calor natiuus uniuscuiusque partis, cum sit commoderatus & temporatus, æque læditur a summo calido, atque a frigido: quanquam a frigido per se, a calido autem per accidens lædatur. Cum itaque semper refrigeretur uentriculus, iure Galen. adhibuit calida remedia, etsi causa sit calida. Tertia ratio est, quod forte in regione Galen. quæ erat frigida optimum erat, administrare remedia calida in hoc casu, quod minime concessisset in Arabia, aut alia regione calida. Addo aliam, Galen. sibi proposuisse in huiusmodi curatione euacuare putridos & corruptos cibos potius, quam alterare: cumque & hiera & diatrionpipereon sint medicamenta dissipantia & vacuātia, iure fuere proposita, imo vero dico semper medicamenta, quæ calidos succos educūt calidissima esse, Quare merito reprehendendus est Alex. qui nō erubuit Gal. diuinissimum ab ipso vocatum damnare, sicut etiā dum damnat quod purpura, nardino, absynthio, mastice utatur: in qua re ipsum defendēs idem Auer. dicit propter duas causas recte fecisse Gal. tum quia indicationem accepit a parte affecta, quæ semper est corroboranda, tum quia etiam si accidentaliter calefactus videatur, essentialiter tamen non est.

Circa vsum diatrioni pipereon not.

Sed circa vsum medicamenli diatrionpipereonis duo breuiter not. vtilia ad praxin. Vnum est, cum vsurpandum hoc medicamentum, melius esse, vt piper crasso modo contundatur, quemadmodum de dispolitico dicit Gal.4.de T.V. Et ratio est, quia sic calefacit quidem ventriculum, sed aut nihil aut parum penetrat in iecur. Alterum not. in hoc casu, vt exhibeatur hoc medicamentum in exigua quantitate, id est, a ʒ.j ad ʒ.ʒ.ad summum. Et ratio est, accepta tum ab Arist. 1. sect. probl. 44. tum a Serap. qui dicit, piper exigua quantitate sumptum mouere aluum. Sin autem sumatur magna copia mouere vrinam. Quanquam Auicen. 2. lib. in ca. de pipere hanc Arist. sententiam contrario modo sumpserit. Iam etiam in curanda hac cruditate multo vtilius est, corruptos cibos mouere ad aluum, quam ad vesicam, quod si per vsum huius medicamenti res vobis succedat, vt cibi exeant corrupti, bene erit, sin minus exeant, dicit Galen. post vsum huiusmodi medicamenti, exhibendos esse clysteres, qui veluti n anu ducent cibos corruptos extra aluum. Atque hæc de febre ex cruditate nidorosa. De acida cruditate, id est, in qua cibi corrumpuntur ab aciditate, dubitatum est, an febris ab hac cruditate oriatur

Num febris ab acida cruditate oriatur.

Gal 8. meth. 5. & Auerrh. 1. c. diserte dicit, minime fieri febrem ab hac cruditate. Et vtuntur hac ratione, quia cum aciditas fiat a frigore, fumi & fuligines non attolluntur in hac cruditate. Vnde non possunt incalescere spiritus, & febrem facere. Contra autem Alex. Trall. existimauit etiam ab acida cruditate fieri posse febrem, eo quod etiam aciditas sequatur calidam causam, probat hoc Alex. eo quia videmus vina, & frumenta contrahere aciditatem sicuti in locis frigidis ita etiam in calidis. Auicenna quasi medius inter vtrosque hos viros docuit fieri quidem diariam ab aciditate, sed rarissime.

Ego autem puto meliorem sententiam secutum Gal. siquidem, vt ipse dicit 4. de simpl. medic. 7. duplex est aciditas; alia, quæ semper fit a cruditate, qualis est quæ apparet in fructibus immaturis; alia est, quæ sequitur putrefactionem, huiusmodi est aciditas vini, & ficuum corruptarum. Nam scimus, etiam ex ficubus, corruptis confici acetum. Aciditas, quæ sequitur cruditatem, fit ex mistione aquæ cum parte terrea inconcocta, quæ aqua quoniam cruda est acorem facit, vbi coquitur vel a sole, vel ab igne, transit in dulcedinem, & hinc est, quod dum maturantur fructus a sole, vel dum coquuntur ab igne, dulcescunt. Acidiras autem, quæ fit ex putredine, inde oritur, quia calor natiuus a putredinali, diminutus sublatus, aut corruptus, non potest regulare humidum, vnde fit fluidum, & consequenter acidum. Iam vero ex nulla re huiusmodi acida exhalant vapores aut fuligines calidæ, & acres, vt faciant in spiritibus accensionem, quemadmodum, experientia cognoscitur, cum acetum etiam refrigeret. Ergo si a nulla re acida emanant vapores aut fuligines, fieri nequit vt ab vlla aciditate, etiamsi fiat a causa calida, febris inducatur. Cum igitur in hoc errauerit Alexand. quod scilicet in aciditate fit ille calor, qui possit facere febrem, consequenter errauit, quando putauit in hac aciditate vtendum esse cibis frigidis, & duris, nam licet in hoc casu possit calor externus inesse ventriculo, non est tamen is, neque tantus vt huiusmodi cibos coquere valeat. Atque hic est finis earum febrium, quæ vere ephemeræ, nuncupantur. Sequitur, vt tractemus de alijs, quæ non sunt vere diariæ, sed & a Galen. & ab Auicenn. mediæ constituuntur inter diarias, & putridas. Appellantur autem huiusmodi febres a Græcis σύνοχοι,

CAPVT

CAPVT VI.

De Synocho imputri.

Avicenna vocat has febres ex oppilatione, de quibus tractat 1.4. tract. 1. capit. 33. Gale. 9. meth. 2. dicit, Græcos vocare σύνοχον febrem eam, quę a principio vsque ad finem habet vnicam accessionem absque vlla euidenti mutatione. Et hoc nomen, inquit, potius barbarum esse quam Græcorum. Siquidem apud probatos scriptores non reperitur hæc vox vsurpata, quinimo in fine lib. 2. de nat. hum. probat Hip. non fuisse auctorem illius libri, quia ibi huiusmodi vox vsurpata inuenitur, quanquam 1. epid. com. 3. t. 2. dicit Hip. sub nomine continuarum fuisse complexum etiam synochos. Vtcumque autem sit febris synocha est cōtinua, vnam habens accessionem, a principio ad finem, sine vlla mutatione.

Est vero synochus duplex, alia, quæ appellatur sine putredine, alia quæ vocatur cū putredine: de synocho cum putredine non est nobis loquendum, sed de ea syncho, quæ est sine putredine, & quæ annumeratur a Gal. inter diarias.

Causa huius febris nulla alia est secundum omnes scriptores, nisi oppilatio, quod vt intelligere potestis, debetis scire apud Galenum 9. met. 1. duplicem esse oppilationem, altera a Græcis dicta στέγνωσις, seu occlusio, & hæc fit quando venæ prauæ clauduntur, vel ab apostemate, vel a frigido aere, vel ab aquis adstringentibus, vel a siccitate, atque ab hac specie oppilationis fit febris diaria vera, vt suo loco dixi; alia autem species est, quæ dicitur ἔμφραξιν, nos dicimus obstructionem. Et hæc nil aliud est, nisi occlusio venarum tam internarum quam externarum, facta ab humore viscido & crasso. Hæc obstructio vbi corripit corpora sanguinea, aut inuenit ea impura, id est, prauis humoribus vitiata, aut inuenit pura, & sine cacochymia. Si ea reperiat impura, non tantum fit accensio succorum, verumetiam putrefactio, & generatur synochus cum putredine, de qua loquemur suo loco. Vbi autem reperit corpora pura, facit febrem synocham sine putredine, de qua nunc loquemur, & quæ propterea media est inter putridam & diariam, quia durat plusquam vna die, & est sine putredine. Modus autem quo generatur hæc febris, est, quod succi, id est, sanguis contentus in venis cum non possit perspirare, incalescit, atque ita incalescit, vt non solum ipse, verum spiritus etiam cum ipso inflammetur, & consequenter febrem faciat. Dixi autem succos vel sanguinem, quia Gal. in lib. de mult. 10. appellat totam massam sanguinis. Et in hac febre quando dicimus sanguinem inflammari, non intelligimus sanguinem, qui est quartus humor, sed totam ipsam massam in venis contentam, quæ nomine succorum appellatur. Hac igitur inflammata & ardente fit febris synocha sine putredine.

Modus generationis synochi.

Sed dicetis, quomodo potest sanguis inflammari sine putrefactione? præterea si potest inflammari sine putrefactione, cur prius Galen. hanc febrem enumerat inter diarias? Nam cum fiat ab humoribus ardentibus, deberet potius humoralis quam spiritualis nuncupari. Respondeo, sanguinem posse ex Galen. locis citatis, & Auicen. 1.4. tr. 1. capit. 33. inflammari sine putredine, quicquid sit de aliis humoribus, propter duas causas: Vna est, quia sanguis est gratissimus naturæ thesaurus; & quantum fieri potest, a putredine defenditur a natura, quod minime est de ceteris humoribus; quippe qui propterea facilius putrescunt, quia non ita diliguntur, nec custodiuntur a natura, quæ permittit quidem, vt sanguis accendatur, vt ardeat, sed non ita faciliter permittit, nisi summa vi coacta, vt a putredine tentetur. Alia ratio est, quia sanguis est calidissimus omnium humorum calore natiuo; qui calor natiuus cum sit copiosus in sanguine, ipsum fortiter gubernat, adeo vt non sinat ipsum occupari a calore extraneo, & putredinali, ac propterea potest quidem calor sanguinis augeri, ita vt accendatur, sed non potest ita faciliter putrefieri. Cum autem accenditur sanguis, semper vapores, & fuligines de sese emittit, qui vapores si sint contumaciores, faciunt febrem diuturniorem, ita vt pertranseat interdum quartam, quintam & sextam diem. Sin autem vapores sint minus contumaces, fit febris breuior, ita vt non pertranseat tertiam diem: potest etiam dicere causam longitudinis, vel breuitatis istius febris totam pendere ex qualitate obstructionis, quæ si contumax fuerit & rebellis fit synochus, quæ perdurat etiam ad septimum diem, vt testatur Auicenn. si obructio minor, febris non pertransibit tertium diem. Sed dicetis, quomodo fit hæc febris. Debetis scire quod in corporibus omnium semper fiat perspiratio vaporum, nec vnquam tanta est occlusio, seu obstructio, vt possit omnino impedire hanc difflationem, imo dicit Gal. etiam ab ossibus aliquid semper perspirare, necessario, quanquam sint corpora durissima, & constrictissima. Igitur cum in his obstructionibus impediatur hæc libera euaporatio, vapores retenti igniuntur & simul spiritus vitales accenduntur, atque ita faciunt synochum: sed istę euaporationes, quæ interdum impediuntur, aut sunt multæ, aut paucæ, ita quod aut plus est quod euaporat, aut plus id quod retinetur, aut semper æquale est illud, quod exit illi, quod remanet; si plus sit id quod remanet, fit synochus, quæ semper procedit augendo, & vocatur ἐπακμαστικός, sin autem plus sit id quod exit, minus vero quod remanet, fit alia species, quæ dicitur παρακμαστική, & semper procedit decrescendo.

Quomodo sāguis inflammetur.

Differentia synochi.

Postremo, si id quod remanet vaporum, æquale sit illi, quod effluit, tertia & vltima species

cies synochi, quæ dicitur ὁμότονος, seu ἀκμαστική id est, quæ a principio vsque ad finem neque angetur, neque minuitur euidenter. Sed hæc nomina, vt optime dicit Gale. 6. epid. com. 1. t. 29. minime sunt vocabula antiquorum, sed nomina a recentioribus inuenta, vt distinguerent potius diuersos morbos febrium synocharum, quam vt facerent diuersas species.

Erat secunda dubitatio, cur Galen. febrem synochum connumeret potius inter diarias, quam inter putridas; cum tamen efficiatur a sanguine feruente. Huius rei duæ sunt causæ. 1. quia Medici sequuntur sensum, præsertim sensum tactus. Iam vero si expendamus tactum, diariæ & synochi sunt simillimæ, quandoquidem vtriusque calor blandissimus est, & minime mordax. 2. ratio est, quia hæc febris nullas habet accessiones, breuis est, cuiusmodi solet esse diaria. Et quanquam fiat a sanguine feruente, caret tamen putredine, quæ est legitimus character febrium putridarum.

Signa. Hæc febris synochus sine putredine, quam Auic. vocat famosam, difficilis cognitu est, quandoquidem simillima est diariis. Et cum sit in confinio putridarum, arduum est eam ab aliis discernere. Ideo Galen. qui solet gloriari, sese statim cognouisse febres. 4. capit. 9. meth. insinuat, se in historia illius serui non cognouisse hanc febrem exacte, nisi tertia die. Quanquam autem cognitu sit difficilis, habet tamen propria quædam signa, quæ cognoscere oportet. In primis enim hæc non videtur incipere ab vlla causa procatarctica recenti, & manifesta, præterea semper pertransit primum diem, pulsus huius febris magni sunt, vehementes & veloces: interdum vero sed raro tardi, scilicet propter oppilationes; vrina media est inter putridarum & ephemerarum vrinas. Adhæc color vultus floridus est, & sanguineus, pulsant tempora capitis, calor totius corporis ingens, & æstuosus est, qui calor primo contactu videtur esse mitis, paolo post apparet tangentibus acrior, ac paulo mordacior, tensio apparet in toto corpore. Præterea incipit cum rigore vel horrore, neque fit ab vlla causa externa & euidente.

Atque hæc sunt signa, quæ proposuit nobis Gal. 9. meth. 4.

Prognost. Curatio. Est synochus sine putredine sua natura salutaris, quandoquidem ex genere diariarum est. Veruntamen non est contemnenda, quandoquidem non solum conuertitur in putridas; verumetiam conuertitur in putridas perniciosas & pestiferas. Quare expedit curationem huius optime cognoscere, in qua instituenda duo sunt semper habenda ante oculos scopi: vnus est, vt intemperies calida, & sicca, nec non sanguinis feruor mitigetur: alter est, vt humores, qui obstructionẽ faciunt sanguine, vt audietis infra, misso, detergãtur, attenuẽtur, incidantur atque dissipentur, vt oppilatio tollatur.

Pro quibus scopis comparandis inprimis instituenda est victus ratio; quæ eo debet esse exactior, quod hæc febris magna est, & cito ad statum properat, vt summatim debeat esse victus tenuis, non tamen vt diatritarii putabant, vt prorsus sit abstinendum a cibo. Ideo eligendus aut parandus est aer frigidus & humidus: somnus prouocandus, & quies tam animi quam corporis: aluus, nisi fluat, clysteribus soluenda est: qui vel debent esse ex aqua pura, vt faciebat interdum Rufus apud Oribas. aut, si aqua simplex infusa non soluat aluum, parari poterit clyster hunc in modum.

℞. *Hordei P. j. ß.*
Fol. maluæ.
Lactuc.
Brassicæ an M j. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. *d decoct lib. j.*
Sacch. rubri ℥. ij.
Ol communis dulcis ℥. vj.
Salis ʒ. j. M.

Et aduertite in his febribus magnis semper clysteres, preterquam quod facilius recipiuntur, & diutius retinentur, habent etiam vim refrigerandi intestina, & consequenter viscera flagrantia, A vino abstinendum est, loco cuius aqua hordei simplex, vel modico mellis ita vt simul nutrire possit, & abstergere, atque aperire aptissimum est decoctum sebesten prunorum acidorũ, posca etiam optima est, siquidem hæc omnia refrigerant, & sanguinis incendium obtundunt.

Pro cibo succus hordei conueniens est, quo etiam vtebantur Gale. in seruo eo Iura etiã auicularum, in quibus coquantur herbæ refrigerantes vt capillus veneris, rad. cesech. commoda sunt; & sic detinendi ægri vsque ad tertiam diem, postquam declinante morbo transeundum est ad victum pleniorem. Instituto victu omnes Medici consulunt, statim cogitandum de sanguinis missione, quæ ideo necessaria est, quoniam etsi sua natura non sit morbus magnus, facile tamen transit in putridas graues; vt propter hoc narret Galen. sese illi seruo sanguinem misisse.

Preterea statim in hac febre aperienda est vena vt possit remitti feruor sanguinis, & denique vt tuti remedia aperientia in hac febre necessaria possint administrari, aperientia nãq; nisi prius sit vena secta, & aliqua ex parte deobstructæ viæ vsurpare non licet. Sed tamẽ prius aluus exoneranda est vel clystere, vel si tempus supperat aliquo medicamento leniente.

Iam vero de tempore, quo mittendus sanguis, dubitare quis posset, quia Gal. tertia tantum nocte illi seruo sanguinem misit. Verum sum huius sententiæ, vbi cognita est febres & ipsius periculum, statim deueniendum ad hoc præclarum auxilium. Quod si Galenus distulit ad

tertiam

tertiam diem, vel fecit ob diſſidium aliorum, vel quod ſibi nondum erat perſpecta, & integre nota febris natura.

De quantitate mittendi ſanguinis poteſt etiam haberi controuerſia. Nam Gale. narrat loco citato, ſeſe miſiſſe ſanguinem illi ſeruo vſque ad animi defectum. Ideo vero magnopere laudat hoc factum, tum quia hac larga ſanguinis miſſione refrigeratur ſtatim corpus, & conſequenter ægri mirum in modum recreantur, tum quia vomitus prouocatur, aluus mouetur, & ſudor cietur, quæ omnia & optanda & vtilia ſunt. Sed ex alia parte idem Galen. lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, nec non lib. 9. met. ca. 10. commemorat multos, qui a larga ſanguinis copia vel ſtatim ſunt extincti, vel paulo poſt, vel in morbos frigidos & exitiales præcipitati ſunt; vt, propter hanc rationem non videatur tutum conſilium, auferre ſanguinem vſque ad animi defectum.

Nũ ad lipothymiam vſque ſanguis mittendus ſit.

Ad hæc Auerrh. 7. coll. c. 8. huiuſmodi Gale. conſilium confutare conatus eſt tribus rationib. 1. fuit Medicum nunquam debere facere, quæ non facit natura, & cum natura nunquam vacuet ſanguinem vſque ad animi defectum, dicit Auerrh. neque Medicus hoc facere debet. 2. ratio eſt, quod in copioſa, ſanguinis vacuatione æque euacuatur vtilis ſanguis, vt noxius, quod quidem fieri non debet, ſed tantum euacuari ſanguis noxius. 3. ratio hanc febrem conuerti faciliter in putridam, & ideo neceſſe eſſe, vt conſeruetur calor natiuus, qui poſſit tueri ſanguinẽ a putredine. In larga miſſione perditur potius calor natiuus, & ideo ſanguis magis exponitur putredini. Auic. qui vidit hanc difficultatem, dicit non eſſe mittendum ſanguinem ad animi defectum vſque, ſed proxime; quaſi dicat, eſſe quidem mittendum ſanguinem in ſigni copia, ſed non ita, vt animus concidat.

Vos autem pro huius rei ſolutione nonnulla notare debetis. Vnum eſt, Galen. & Græcos eius ſequaces audaciſſimos fuiſſe in mittendo ſanguine. Nam apud ipſos nunquam inuenietis mentionem vnciarum, ſicut facimus, ſed mentionem heminarum ſeu cotylarum, nam cotyla, ſeu hemina eſt genus ponderis nouem vel decem vnciarum, adeo vt compertum ſit minimam menſuram obſeruatam a Galen. in ſanguine mittendo, fuiſſe nouem vel decem vnciarum. Alterum obſeruandum, differre syncopen ab animi defectu, quia ſyncope eſt cita virium ruina, defectus animi eſt veluti inchoata quædam ſyncope. Adhæc debetis annotare, aliud eſſe, mederi ſeruos, & robuſtos, aliud eſſe, & ingenuos, & nõ ita robuſtos. Itaque ſic conſtituendum eſt, in corporibus ſeruilibus, & robuſtis licere mittere ſanguinem vſque ad initium ſaltem animi defectus, eo maxime, quando corpora ſunt admodum ſanguinea, quale erat corpus a Galeno tractatum. Vbi vero contingit curare corpora liberorum hominum, quæ non ſunt ita robuſta, poteſt quidem inſignis copia ſanguinis educi, ita tamen, vt recedatur etiam ab initio animi defectus.

Sed quod ad rationes contra Galen. poſitas, primum ad loca ipſiuſmet citata dicendum eſt, illos fuiſſe extinctos aut male tractatos, quod importune adhibita eſſet larga ſanguinis miſſio, vel quod non fuerint ſeruatæ conditiones, quæ requiruntur. De Auerrh. primum dicendum eſt, falſum eſſe, quod natura non euacuet vſque ad animi defectum, quia in motibus criticis interdum, & aluus mouetur, & ſanguis copioſiſſimus a naribus cum animi defectu, imo vero, etiam ſi natura hoc non faceret, propterea non debet Medicus abſtinere, quippe qui aliquãdo talia facit, quæ natura non facit, neque poteſt facere, natura remittitne oſſa luxata? minime vero, attamen Medicus remittit.

Ad ſecundam rationem reſpondendum, verum eſſe, In larga ſanguinis miſſione euacuari etiam ſanguinem vtilem. Veruntamen ſi omnia ſpectentur, multo maior eſt vtilitas, quam detrimentum eſt. Nam cũ copia peccet ſanguinis, diminuta ipſius copia, certe diminuitur peccatum ſanguinis, vt plus ſit noxii ſanguinis, quam innoxij, qui demitur.

Ad tertiam rationem dicendum eſt, ex larga ſanguinis miſſione ſtatim ſubtrahi fomentum ipſi putredini, quia etſi aliquid caloris natiui adimatur, adimitur tamen multus, vel totus calor præter naturam, qui eſt parens & auctor putredinis. Quare, vt dixi, interdum ſanguis mittendus vſque ad animi defectum, ſemper autem in magna copia. Quo facto, conuertẽdum eſt ſtudium ad auferẽdum cauſam obſtructionis, id eſt, ad pręparandos ipſos humores, & deinde euacuandos. Quamobrem ſtatim, niſi aluus ſponte fluat, poteritis ipſam ſoluere hoc bolo.

Bolus purgans.

℞. Flo. caſſiæ ℈. vj.
Diaſebeſten ſine ſcammon.
Pulpa tamarind. an. ʒ. iij. ß. M. & cum ſacch. f. bolus. qui capiatur duabus, vel tribus horis ante cibum, ſiue veſperi ſiue mane.

Aluo lenita ſunt præparandi humores hoc ſyrupo.

℞. Fol. lactucæ.
Acetoſæ.
Capil. veneris.
Deinde *Cichorij an. M. ß. f. decoct.*
℞. d d. ℥. v.
Oxym. ſimpl.
Syr. de ſucco acetoſæ an. ℥. j. M. quo ſyr., poteritis uti quouſque uideantur uobis uia aliquantiſper aperta, & quouſque humores etiam ſunt extenuati.

Et aduertite, melius esse in his febribus ardentibus, vt hi syrupi exhibeantur frigidi actu, nisi tamen tempus esset frigidum, quod tamen euenire non solet: quia hæ febres plerumque fiunt vere: præparati humores purgabuntur hoc medicamento.

℞. decoct. thamar. & senæ ℥. iiij. & ess.
Agar. trochis. ℈. iij. Infundantur omnia s. a.

Deinde facta diligenti expressione adde:

Mellis rosat. solut. ℥. iiij. ß. M. pro potu. quo sumpto & corpore purgato, deinde frictiones adhibendæ sunt, quæ administrari poterunt sapone, & nitro, & hoc puluere, qui efficacissimus est ad obstructiones tollendas:

Puluis pro frictione totius corporis.

℞. Far. lupinorum ℥. j.
Pulu. fl. chamomeli ℥. j. ß.
Pulu. nitri ℥. j. M. & totum corpus diligenter fricetur. Post quam frictionem balneum vtilissimum est: quippe quod magnopere iuuat ad laxandam cutim, & consequenter ad diflandos humores omnes præparatos.

Nũ purgantia cõueniãt.

Circa curationem synochi occurrit dubium. Est autem, quod præcepimus purgandum esse, quæ res & rationi & auctoritati Gal. videtur esse dissentanea. Rationi, quoniam synochus est febris spiritualis, & in sola sanguinis efferuescentia collocata. Vnde non videtur conuenire vlla humorum expurgatio. Est etiam auctoritati Gal. dissentaneum, quia is, vbi dicit, curationem a se factam in illo seruo, non commemorat vllam purgationem. Respondendum id, quod etiam propositum est ab Alexan. Tral. ex sententia Gal. scilicet hanc febrem oriri ab obstructionibus: & has fieri vel a copia sanguinis, vel a viscidis humoribus. Si fiat a sanguinis copia, sane sanguinis missio est vnicum præsidium. Et ob hoc Gal. qui curauit synochum factam propter copiam sanguinis, iure tacuit omnem purgationem, siquidem facta sanguinis missione, & sublata omni causa statim febris finita fuit. Sin autem febris & obstructiones oriantur a crassis humoribus, tunc etiam præparatio & expurgatio necessaria est. Quod autem aduertit Alex. de remedijs extenuantibus & præparantibus, ne scilicet nimium calida administremus, prudẽter quidem factum est, eo quod nimium calida etsi extenuent, attamen etiam magis incrassant, & consequenter obstructiones, & febres mirum in modum augent. Vnde vsus oxymellis in his febribus semper vtilissimus est, imo vero etiam, si obstructio fiat a melancholico humore, non damnãdum puto huius vsum, quicquid dicat Alexan. Quia nunquam a pura melãcholia fieri potest; imo, si fieret a pura, acetum quidem per se solum aduersum est melancholiæ, vt dicit Hippoc. 3. acut. 38. Sed non oxymel, quandoquidem vis exsiccatoria aceti egregie in hoc medicamento correcta est. Neque etiam formidandus oxymellis vsus in biliosis, eo quia mel inimicum sit bili; quandoquidem non accipitur mel separatum, nec solum, inuenta est enim hæc compositio ab antiquis, & conseruata per duo, aut tria millia annorum, quia simul commixta mel, & acetum adeo sese mutuo contemperant, vt & omnis noxa caliditatis mellis auferatur ab aceto, & omne damnum ipsius aceti emendetur facultate mellis. Propter quod prudentissime dictum est a Galen. in lib. de cibis boni, & mali succi capit. 12. quod oxymel omnibus ætatibus, & omnibus naturis accommodatissimum est, oraculum vobis aureis literis describendum. Quod vero dicit Trall. non conuenire oxymel vbi obstructiones factæ sunt ab humorib. crassefactis a sicco, eo quod si crassefacti sint a sicco, non sicco non dissoluũtur: Domini sciendum est, quod hæc, quæ crassefacta sunt a sicco, vt dicit Arist. 4. meteor. dissoluũtur ab humido, quod tamen humidum actu, potest etiam siccum potentia, sic etenim videmus ab aceto dissolui lapides & saxa, dissolui gemmas. Quod si verum est cur ergo non possunt etiam vt iudicauit Galen. dissolui humores crassefacti a sicco ope oxymellis. Et hactenus de febribus omnibus diarijs.

CAPVT VII.

De hectica febri.

CVr post diarias de hecticis tractare deliberauerimus plures fuere causæ. Præcipua est, quia cum hic tractatus breuis sit, & putridarum longissimus, videtur vtilius esse, vt ab his breuioribus morbis expediamur, quo lõgiori possimus cõtinuam operam nauare. Altera ratio fuit, quia Gal. in lib. meth. hunc ordinem seruauit, vt sc. post diarias statim hecticas tractarit. Tertia ratio fuit, quod inter diarias, & hecticas insignis intercedit similitudo. Primum enim si generationẽ spectemus, interdum generatur hectica a causis procatarcticis, vt diaria, vt dicetur suo loco. Præterea si consideremus paroxysmos synochæ, febris vna est accessio, sicut etiam est hecticæ. Si etiam consideremus signa multa sunt similia, & præsertim vrinæ. Si etiam consideremus curationem, dicit Galenus 11. meth. 2. esse simillima, & præsertim in hoc, quia pura curatio sine præseruatione debetur, & diarijs & hecticis febribus, quod quidem non contingit putridis, quippe quæ causam habentes, exigunt non tantum curationem, verum etiam præseruationes.

Declaro magis, curatio vt scitis debetur morbis factis, præseruatio illis qui fiunt, iam vero &

ro & febris diaria & hectica sunt morbi facti, ea propter ipsis debetur vera curatio, putridæ autem partim sunt factæ, partim fiunt adhuc, & idcirco egent non modo vera curatione, verumetiam præseruatione. Ratio vero qua Gal. 1. ad Glauc. dimiserit hecticç tractationem, existimo Domini quod hęc fuit, quia ille lib. factus est a Gal. in gratiam Glauconis, qui iter facturus erat, iter autem facientes non facile incurrunt in febres hecticas, imo numquam, sed in diarias frequenter, & alias. Idcirco Gal. eó in lib. diligentissimus fuit in diarijs curandis.

Quod si Auic. & multi Græci alium ordinem sectati sunt, fecit quidem Auic. coactus suo ordine compositiuo, qui postulat, vt a simplicibus semper ad magis composita procederur, sicut etiam alij Græci forsan eam rationem secuti sunt, quod plerumque hecticæ consequantur putridas. Sed vtcunque sit, parum refert siue prius, siue posterius tractentur, dummodo habeatur absoluta rerum tractatio, quam hoc tempore polliceor.

Hectica itaque febris sic dicta est, vt dicit Galenus 1. capit. lib. 8. meth. & in primo de diff. feb. vel quia occupat tenaciter membra solida, quæ a Græcis vocantur ἕξιν, seu habitus, vel quia est quidam habitus præternaturalis longo tempore comparatus, id quod etiam Aristoteles in prædica. qualitatis, in prima scilicet specie, aliquando significasse videtur, vbi dicit aliquas esse febres seu morbos qui sunt veluti habitus, nos de hectica primo modo accepta pertractabimus. Et priusquam vlterius progrediamur vnum notandum, quod a nemine animaduersum vidi, & est, neque Hip. neque veteres vllos Græcos hecticæ febris meminisse, imo vero Corn. Cels. & fere omnes illius sæculi Medici alto silentio febrem hecticam præterierunt. Causam autem cur morbus adeo vulgatus & familiaris sit præteritus ab antiquis, puto hanc fuisse, quia febres hecticæ in principio & augmento difficiles sunt cognitu. Et cum plerumque sequantur alias febres vel diarias vel potius putridas, vt suo loco dicetur, facile fit, vt & in augmento, & in principio capiantur pro febribus putridis, vbi vero febris hectica longe progressa est tunc facilis est cognitu. Et de hac siue specie, siue gradu hecticæ aperte locuti sunt veteres, sed sub alio nomine, nempe sub nomine Marasmi & Tabis. Quare puto ego hunc nodum a nemine tentatum ita dissoluendum.

Cur Hip. & Cels. de hectica febri nihil egerint.

Est febris hectica intemperies calida & sicca morborum solidorum lædens operationes, vel si placet vobis definire hanc febrem, vt bene Auerrh. 3. coll. 11. circa finem, dicere potestis febrē hecticam esse calorem extraneum fixum in substantia membrorum impedientem operationes & consumentem humiditatem substantialem. Si tenetis memoria, iampridem demonstrauimus febrem in vniuersum sumptam, esse intemperiem tantum cal. eo quod dantur febres, quæ humidæ sunt & siccitate non lædunt.

Ceterum, febris hectica cum semper ob siccitatem lædat necessario definienda est per siccitatem, vt dicatur intemperies calida & sicca. Neque obstat quod Galenus 1. de diff. feb. dixisse videtur fieri hecticam interdum absque siccitate, quia cum sint quatuor humiditatis species, vt Galenus docet 7. meth. in fine capit. 5. & capit. 6. in febre hectica necessarium est, vt sępe aliqua ex his humiditatibus cōsumatur, & consequenter, vt aliqua introducatur siccitas, quanquam non est semper necesse, vt extrema illa siccitas adsit, quæ marasmus dicitur, vt propter hanc Galen. iure dixerit hecticam quandoque esse sine siccitate, id est, sine marasmo. Dixi solidorum seu solidarum partium, quoniam, tametsi in febribus hecticis etiam spiritus & humores sint calefacti, vt dicit Gal. 5. capit. lib. de inæque intemp. & Paulus Aegin. libro 2. capit. 31. attamen, vt alias dixi, omnis febris subiectum verum sunt solidæ partes corporis, & præsertim cordis. Veruntamen differentia maxima est inter febres hecticas, & alias, quia in aliis febribus intemperies est in membris solidis κατὰ σχέσιν, vt dicit Galenus 8. met. id est, secundum dispositionem, in hecticis autem κατὰ ἕξιν, id est habitum. Declaro rem magis. In alijs febribus etsi calor in facto esse occupet solidas partes, tamen facili negotio potest inde auferri: in febre hectica non tantum difficulter aufertur, verumetiam aliquam humiditatem substantialem semper depopulatur, & in hac magnopere laudandus Auerrh. qui suæ definitioni addidit hunc veluti proprium characterem, sc. quod consumat humiditatem substantialem. Sed dicet quis, si res ita habet, cur ergo Gal. in 1. de diff. feb. dicit primam speciem seu primum gradum febris hecticæ esse facilam curatu? Nam diximus calorem hecticum difficulter auferri a solidis partibus.

Differentia, inter hecticas febres, et reliquas est maxima.

Respondeo aliud esse considerare febrem hecticam in se, aliud esse comparare gradus, & species inter sese. Si consideramus febrem hecticam secundum sui naturam, cum sit habitus, est semper difficilis curatu. Ceterum si comparamus primam, secundam, & tertiam speciem inter sese, certe facilis curatu dici potest prima species, quia respectu aliarum specierum facile tolli potest. Cum igitur character huius febris sit non tantum fixio caloris extranei, verumetiam consumptio humiditatis substantialis, operæ pretium est, si totam naturam huius penetrare cupimus & simul inuestigare omnes ipsius species, vel gradus, vt antea diligenter videamus quotuplex sit hæc humiditas substantialis, siquidem quot species huius reperientur, tot erunt exsiccationes, & consequenter tot erunt species vel gradus hac in re. Et in enumeratione humiditatum substantialium inuenio varietatem non contemnendam inter principes scriptores. Arist. 3. de hist. animalium 20. duo genera humiditatum fecit, alterum vocat natiuū & cogenitum, alterum autem vocat adnatum, & posterius, in primo genere posuit sanguinem, adipem, carnem, & medullam, ac alia huiusmodi. In secundo genere cōnumerat semen & lac.

De humiditatibus secūdarijs.

Ceterum Medici alia via incedere voluere in enumerandis substantialibus humiditatibus,

nam dimittentes adnatum, illud congenitum, & natiuum intimius conſiderarunt, & in varias ſpecies ſunt partiti. Galenus 1. de facult. natural. 15. & Hippoc. 1. omnium lib. de alimento. præter humidum natiuum, & radicale tria genera humidi alimentalis proponit, alterum vocat futurum alimentum, alterum vocat proximum alimentum, alterum vocat alimentum verum. Futurum vult Hippoc. eſſe ſanguinem contentum in venis, & alibi, nec non cibos: proximum vocat eundem ſanguinem, quod a venis effuſus eſt per ſpacia ſolidarum partium, vt ſuo tempore aſſimiletur & vniatur partibus alendis: alimentum ſimpliciter & verum nuncupat illud humidum, quod iam vnitum eſt, quodque congelatum & aſſimilatum eſt ſecundum qualitates.

His addit Galenus in 1. de fac. natural. 11. vbi laudat Hippocr. & 7. & 10. meth. humidum ſubſtantiale & inanitum, quod ſiue ſit aliquid cæleſte, vt dicit Hippocrat. in libro de principiis, & Ariſtoteles 2. de gener. animalium 3. ſiue elementale, non eſt huius loci, vt diſputemus. Sat eſt ſecundum Hippoc. in putridis ſuccis principaliter venarum efficiuntur febres aut hecticas fieri non poſſe, niſi quando vel ſecunda humiditas, vel tertia conſumitur, vel humidum ipſum ſubſtantificum. Galenus circa cognitionem hecticarum duas videtur habuiſſe diuerſas ſententias; alteram 10. meth. cap. vlt. alteram 1. de diff. feb 8. capite. In libro meth. diſtinguens ſolida corpora ab humoribus, & ſpiritibus docuit ſolida conſtare ea humido, quo aluntur, ex carnoſa ſubſtantia, nec non ex fibris & membranis, vbi calor febrilis depopulatur humidum alimẽtale ſolidorum præſertim cordis dicit primam ſpeciem ſeu gradum febris hecticæ induci. Vbi autem depopulatur carnem circumfuſam membranis & neruis fieri ſecundam ſpeciem ſeu ſecundum gradum. Vbi autem depaſcitur ſubſtantiam membranarum & fibrarum, tertiam, & poſtremam fieri febris hecticæ ſpeciem.

Gal. circa cognitionẽ hecticarũ duæ diuerſæ ſententiæ.

Ceterum, in 1. de diff. feb. conſiderans tantum modo humorem ſubſtantialem, dicit, vbi humor hic incipit feruere, & conſumi, fieri primum gradum hecticæ vbi vero magna ex parte conſumptus eſt, oriri ſecundam ſpeciem; ſicuti tertia ſpecies fit, quando ex toto humiditas illa conſumpta eſt. Et afferebat Galenus exemplum lucernæ, quæ cum conſtet ellychnio oleo imbibito, & oleo circumfuſo aſſimilatur humiditati & primæ & ſecundæ & tertiæ, quemadmodum declarauit Auic. Modo in lucerna primum, quod conſumitur, eſt oleum circumfuſum, ſecundum eſt infixum, tertium ipſum ellychnium, hoc eſt humidum, quo ellychnium vnitur, & conſiſtit. Hæc fuit ſententia Galeni circa generationem hecticarum. Aetius libro 5. cap. 92 nonnihil inter Græcos defleæiſſe videtur a Galeno, quippe qui quatuor humiditates ponit, & ſimiliter quatuor ſpecies hecticæ, primam fieri cum ſubſtantia aquæ concocta vreato, & pinguedo liquatur; ſecunda cum conſumitur humiditas rorida; tertium cum cato interſecta fibris; poſtremo cum ipſæ fibræ, & membranæ conſumuntur. Atque hę ſunt illuſtriores Græcorum ſententiæ a poſterioribus etiam ſuſceptæ. Ex Arabibus quoque duas circa hanc rem diuerſas ſententias reperio. Alteram Auic. alteram Auerrh. Auicenn. 1. fen. 1. capit. de hum. & 14 tract. 3. capit. 1. quatuor & ipſe genera humiditatum præter quatuor humores, propoſuiſſe videtur. Primam ac innominatam voluit eſſe in ſanguine, qui a venis magnis ad oſcula paruarum transfuſus eſt, & ibi contentus: ſecundam humiditatem voluit eſſe hunc eundem ſanguinem iam ex venis effuſum, & per carnes ſolidarumque ſpacia inſtar roris diſperſum. Et ſicuti priorem dicit eſſe innominatam; ſic ſecundam rorem appellandam eſſe voluit. Tertiam humiditatem conſtituit eſſe eum humorem, qui non tantum diſtributus eſt, verum etiam vnitus, agglutinatus, & ſecundum qualitatem aſſimilatus eſt, vnde glutinis nomen adeptus eſt. Quartam demum ipſam dicit eſſe humiditatem natiuam primogeneam, ac ſubſtantialem qua vniuntur, & veluti conglutinantur partes omnes ſolidiores viuentes.

Ex prima humiditate dicit Auicen. fieri tantum febres putridas, addo ego etiam peſtiferas Vbi autem ſecunda humiditas exſiccatur, dicit Auic. fieri primum hecticæ febris gradum, vbi autem 3. humiditas conſumitur, fieri ſecundum gradum, ſicuti tertius & poſtremus fit, quando calor febrilis iam depopulatur illam humiditatem natiuam, & primogenitam. Vtitur etiam Auicen. exemplo lucernæ imitatus Ga. quod ſc. flamma prius conſumat oleum circumfuſum, deinde oleum imbibitum in ellychnio, & demum ellychnium ipſum. Auerrh. autem 3. collect. cap. 11. poſtquam in fine definitionis huius febris dixiſſet, calorem extraneum conſumere humiditatem ſubſtantialem, diuidit hanc humiditatem in tres, primam dicit eſſe eam humiditatem, quæ infixa eſt ſubſtantiæ paruarum venarũ, in qua re differt ab Auicen. quod is conſtituat primam humiditatem non infixam ſubſtantiæ paruarum venarum, ſed ab ipſis contectam, ſecundam humiditatem dicit Auerrh. eam eſſe, quæ carnibus imbibita eſt, quam tamen adhuc cibo poſſe reſtaurari dicit, tertiam vero eſſe humiditatem radicalẽ, ſeu primogeneam ac profundam ſolidorum membrorum. Dum cõſumitur a calore febrili prima humiditas, dicit ipſe fieri primam hecticæ ſpeciẽ, ſicuti ſecunda fit, vbi ſecunda conſumitur, & 3. vbi iam calor febrilis depopulatur humiditatem radicalem. Addit Auerrh. hanc poſtræmam, & 3. ſpeciem irremediabilem eſſe, eo, quod menſura vitæ noſtræ definitur, & determinatur ſecundum proportionem menſuræ huius humiditatis.

Tot ſunt & Græcorum, & Arabum de generatione, numero, & modo hecticarum ſententiæ, quæ tametſi diſcrepantes videantur, nihilominus ſi diligenter expendantur vniuſcuiuſque verba, imo vero ſi naturam rei, quam quilibet eſt ſecutus, examinemus, aut nihil, aut pa-

rum

rum omnino diuersæ esse videbuntur, vt andietis. Etenim conueniunt in hoc omnes, tertiam, & postremam hecticæ speciem irremediabilem esse, & fieri, cum calor febrilis maxime depopulatur, aut etiam penitus depopulatus est humidum primigenium, natiuum & radicale, quod Plato in Timæo sub vinculis triangulorum vnde mors, & vita pendet, intellexit. Hæc vnanimis omnium Auctorum sententia ipsi rei naturæ, consentanea, & verissima omnino est, quandoquidem si huius humidi naturam diligenter inuestigemus, tres conditiones consecutum egregias cognoscemus: Prima, quod corpori cordis infitum fuit, vt esset purum, viscidum, & copiosum, quemadmodum docet Aristoteles in lib. de breuit. & long. vitæ. Habuit vero hanc primam conditionem, quia cum in ipso collocanda esset vita, opus erat, vt ita pararetur, quo posset sustentandæ vitæ diuturnæ sufficere, qua etiam ratione, vt dicit Galenus in libro de Marasmo, factum est, vt tenacissime & profunde sit insitum partibus solidis, ne scilicet facile violaretur & consumeretur, propter quod minime mirum est, si hoc humidum postremum omnium aliorum a calore febrili expugnatur, & conficitur id, quod ænigmatice voluit nos docere Plato, quando in Timæo dicit corpora animalium & viuentium sustentari & conseruari vinculis triangulorum. Secunda conditio, quam sortitum est humidum primigenium, fuit, vt esset veluti glutinum quoddam seu vinculum, quo partes solidæ sua natura siccæ simul coniungerentur, & coniunctæ conseruarentur. Et hæc conditio vsque adeo necessaria fuit, vt non prius vita nostra finiatur, quam finiatur hæc humidi operatio siue vsus. Tertia conditio huius humidi fuit, quod caloris natiui, qui auctor & parens est omnium bonorum subiectum & sustentamentum verum est. Nam, cum calor natiuus, vt dicit Galenus primo aph. 14. & 5. de simpl. med. 21. cum inquam calor sic sit substantia quædam conflata ex sanguine, spiritu & semine, necesse est, dicamus, non aliud esse, nisi corpus quoddam constans ex humido hoc primigenio, radicali, & natiuo tanquam ex materia & ex forma ipsius caloris, adeo vt verum & legitimum subiectum caloris insiti nihil aliud sit, nisi hoc humidum insitum & primogenium.

Tres humidi radicalis conditiones.

Hinc colligi potest, Altimarum lib. 1. de febribus cap. 11. longe fefellisse, quando laborauit, vt probaret subiectum omnium febrium nullum aliud esse, nisi calorem natiuum, quandoquidem, si hoc verum est, cum humidum primogenium sit subiectum huius caloris, sequeretur, vt omnis febris sit quid factum, si posita esset in hoc humido natiuo & primogenio, consequenter omnis febris esset hectica tertiæ speciei saltem inchoata, præsertim, quod Galenus 4. aph. 37. diserte probare conatus est, calorem natiuum, & febrilem maxime diuersos & differentes esse, sed hac de re disputare longius, non est præsentis loci, præsertim cum sciam etiam ab alijs esse refutatam.

Substantiam febrium nō esse calorem natiuum.

Illud constitutum habeatis, oportet primam speciem febris hecticæ fieri, quando humiditas, partibus alendis distributa vel consumitur vel consumpta est: nam quando calor extraneus depascit sanguinem, siue succos existentes in quibusuis venarum partibus, conueniunt omnes nullam hecticæ speciem fieri, sed putridas tantum simpliciter, siue pestiferas, & licet Galen. vij. meth 6. recenseat etiam hanc inter alias siccitates, nihilominus cum pendeat a facta caliditate humorum, non autem solidorum, non facit vllam hecticæ speciem. Secundam speciem fieri, quando humiditas carnibus infusa, & carnes ipsæ circumfusæ membranis, fibris & neruis, consumptæ sunt, quam humiditatem, alimento posse recuperari omnes fatentur. Tertiam vero & vltimam speciem, quam omnes marasmum vocant, fieri, quando humiditas primogenia viuens, ligans partes solidas, & calorem natiuum sustentans, vel consumitur vel consumpta est, quæ ideo reparari non potest, quoniam seminaria est pars, & nobis a primo ortu tributa, adeo vt nec alimento, nec vlla re alia resici & recreari possit. Et sicut ob viseiditatem huiusmodi humiditas longo tempore consumitur, & difficile: sic humiditas carnium facilius consumitur, facilime autem omnium humiditas quæ roris instar per partes alendas distributa est.

Sed circa hanc speculationem duo scitu digna sunt. Vnum est, de febribus colliquatiuis vocatis scilicet cum febres hæ ideo vocatæ sint a Medicis colliquatiuæ, quoniam ab ipsis aliqua substantia colliquatur. Quid autem illud quod in his febribus ita colliquatur, vt hoc nomen sint adeptæ? Puto nihil aliud esse nisi carnem & pinguedinem, id quod præ ceteris ostendit subita extenuatio corporum, quæ occupantur ab hac febre. Cum enim paucis diebus sub his febribus corpora ægrorum priuentur, & pinguedine & carne, certum esse potest, has esse, quæ vere colliquantur.

Sed diceris, quę est differentia ergo inter has febres & hecticas secundæ speciei? Notate differentiam in febribus colliquatiuis. Cum calor febrilis putridus sit, habet quoque secum coniunctam humiditatem, vnde fit, vt hic calor colliquet sensibiliter non insensibiliter in halitus & pinguedinem & carnem, quas deinceps colliquatas effundit ad intestina, propter quod deiectiones in his febribus semper appareant oleosæ, pingues, & fętidæ ob putorem.

Quæ differētia inter febres colliquatiuas, et hecticas secundę speciei.

Et propterea fęces colliquatiuæ nuncupantur, citoque corpus contabescit. In febribus hecticis secus est, quia cum calor ipsarum sit calidus & siccus, consumit quidem carnes, & pinguedines, sed consumit longo tempore, & consumit insensibiliter, eo quod materias has conuertit hic calor in halitus, & fumos, non autem ad intestina mittit deiectiones oleosas, & pingues sensibiliter, quemadmodum faciunt febres colliquatiuæ, sed potius exiccatas, ac veluti torrefactas, vnde longiori tempore tabes accedit: Et hoc explicate dicit Galenus in fine libro 10. meth. addens illud, in febribus colliquatiuis conducere magnopere corporum

aptitudines, quippe cum huiusmodi febribus tententur tantum corpora obæsa, seu calida & humida, sicut hecticis tentantur corpora calida & sicca, vt carnes supra prunas positas, si pingues sint, videmus colliquari, & fundere succum pinguem, sin autem sint exsuccæ, atque aridæ, consumuntur ab igne sine vlla colliquatione. Concludendum itaque est primum gradum esse, quando humiditas alimentalis dispersa pro solida consumpta est, vel maxime consumitur, secundum cum humiditas agglutinata carnibus atque carnes ipsæ, & pinguedines circumfusæ membranis, & fibris consumuntur; tertium cum humiditas primogenia, quæ tertia species nomine proprio marasmus passim vocatur. Verumtamen scire oportet duo, primum omnes humiditates in qualibet specie compati, atque hunc ordinem seruari, vt primo prima, secundo secunda, & tertio tertia exsiccetur, contra quam aliqui dixerint posse prius exiccari tertiã, aut secundam; nam id Galen. 7. meth. 6. & de præsag ex puls. lib. 2. cap. 8. Alterum sciendum est, qua ratione febrilis calor dissipet, & consumet, vtrum scilicet magnitudine, an potius alia ratione.

Vtrum sit a magnitudine dubitatio insignis est. Nam ex vna parte videtur hoc fieri non posse, siquidem Gal. 3. de præsag. ex puls. & Aetius lib. 5. cap. 92. dixere nullam febrem hecticam esse magnam, si non est magna febris, itaque non videtur, quod ob caloris magnitudinẽ fiat hæc consumptio. At ea alia parte videtur esse opus magnitudinis caloris, primo, quia multo difficilius est materiam dissipare per halitum, quam eliquare. Si febris hectica dissipat per halitum & insensibiliter, & febris ardens dissipat per colliquationem, videtur calor hecticæ maior esse, quam calor febris ardentis. Adstipulatur huic rationi Auicen. qui secunda primi 3. cap. 19 dicit, calorem hecticæ maiorem esse calore tertianæ febris, & idem Auic. lib. de viribus cordis 4. cap. dicit calorem hecticæ esse maiorem calore causi, id est, febris ardentis, quia si est adeo magnus hecticæ calor, iure fit propter magnitudinem caloris, non autem ob aliud febris hecticæ calor dissipetur. In hac non aspernanda difficultate dicendum est, consumptionem carnium, & pinguedinis minime fieri a calore hectico propter eius magnitudinem, sed propter diuturnitatem. Hinc est, quod initio hæc febris minime colliquat & dissipat, sed in progressu. Sicuti enim videmus quemlibet vel minimum tempore diuturnitate exsiccare, & indurare, haud secus etiam iudicandum, calorem hecticum propter sui diuturnitatem, & carnes, & alia dissipare. Sed quid dicemus ad Auic. & ad rationẽ? Dicendum est, calorem posse esse maiorẽ alio calore dupliciter, vel secundum intensionem, vel secundum extensionem. Intensiue, vt loquuntur Philosophi, multo maior est calor tertianæ, & ardentis febris quam hecticæ; extensiue minime, quandoquidem in hectica calor æquabiliter & vniformiter diffusus, & propagatus est per omnes particulas solidas ipsius corporis, quod quidem minime est in alijs febribus. Et hoc dicere voluit Gal. 5. cap. lib. de inæq. intemperie, quando dicit in hectica totum temperamentum corporis esse mutatum. Neque valet difficilius esse dissipare per halitum quam colliquare, quia maxima vis est etiam diuturnitatis agentis in agendo, ita vt superet etiam intensionem.

Calorem hecticum non posse prius cõsumere humiditatẽ radicalem.

Igitur hoc verissime constitutum sit, calorem hecticum sua diuturnitate dissipare, & consumere primo humiditatem roridam, secundo carneam, tertio radicalem, ita vt falsum sit quod nõnulli dixere, posse calorem hecticum prius consumere humiditatem radicalem quam alias, quia necesse est omnino, in consumptione esse hunc ordinem. Ex toto hoc discursu possumus colligere scriptores Græcos & alios, sicuti conuenire in declaranda tertia specie hecticæ, dissensisse in declarandis alijs duabus. Quia vt primum de Aetio loquamur, is secutus est Gale. in fin. 10. meth. vt hic videatur primum locum dedisse consumptioni carnis, attamen res non ita est; si bene intelligatur, quia intendens Aetius eam hecticam, quæ fit a febre ardente, dicit primum ab hac febre colliquari carnem recenter coagulatam, quo facto introducitur calor hecticus qui deinde pedetẽtim primum depopulatur humiditatem roridam. 2. carnem circundatam partibus neruosis 3. partes ipsas neruosas, id est, humiditatem, vt heri diai, colligantem membranas, fibras & neruos.

Haud secus etiam iudicãdum de Gal. Auic. & Auerr. quorum alii cõsiderantes humida substantialia seiuncta a partibus solidis, alii vero considerantes eadem solidis coniuncta, modo vnã modo aliam videntur secuti sententiam: cum tamen omnes conuenerint in ea veritate, quam heri explanaui. Neque eo putandum est, Auic. deflexisse a placitis Gal. siquidem cum sibi eum sequendum proposuisset 7. meth. c. 5. & 6. in nulla alia re dicere possumus discordasse Auice. a Gal. nisi in hoc, quod voluerit has humiditates tres esse, quid medium inter partes solidas, & ipsum sanguinem, cum & Gal. & ratio doceat, has humiditates esse partes ipsius carnis. Ideo vero ipsemet Auic. prima primi cap. de membris, dicit, sanguinem, vt conuertatur in carnes vnica mutatione egere, vt in solida, agere plurib. mutationibus, quod nihil aliud est, nisi sanguinem immediate conuerti in ipsam substantiam carnosam.

Num marasmus, & febris marasmodis sint vnum, & idẽ.

Cum igitur iam perspectum sit, principes medicinæ minime discordasse in statuendis tribus hecticæ speciebus, præsertim marasmo; contemplatione dignum est, an marasmus tertia species hecticæ, & febris marasmodes sint vnum, & idem, an aliquid diuersum. Nam adeo scriptores hac in re confusi videntur, vt sit necesse, ab his modis explicare ingenia vestra; quod vt fiat, oportet scire, marasmum aliquid vniuersalius significare quam ipsam febrem marasmodem. Nam, cum sit veluti quoddam genus, diuiditur marasmus in duas species, scilicet in cal. marasmum & frigidum, quod frequenter vsitatum inuenietis apud Galenum in lib. de marasmo tũ in libris meth. tum in lib. de inæq. intemperie. Marasmus calidus siue torridus nihil aliud est, nisi cõsumptio omniũ humiditatum etiam radicalium facta a calore p. n. vnde febris marasmodes ẽt

Marasmus calidus.

dicitur

dicitur primo de differen. febr. viij. & huiusmodi consumptio, seu exsiccatio duos gradus habet. Vel enim ex toto consumpta est humiditas primogenia, ita vt concidant vires. Atque hic marasmus dicitur interdum simpliciter torridus a Galen. interdum syncopofus, eo quod consumpto humido primogenio & calore natiuo, in quibus, vt dictum, collocatus est nexus totius vitæ, necessario concidunt vires. Alter gradus est, in quo nondum ex toto consumpta est humiditas tota primogenia, sed solæ carnes totæ, vt Gal. innuit 10. meth. in fine. Et hic marasmus dicitur sæpe febris marasmodes, quasi sit febris quidam exsiccans humidum primogenium, sed non ex toto, neque perfecte.

Marasmus torridus. vel syncoposus. Marasmodes febris.

Alius est marasmus frigidus, qui nil aliud est quam consumptio humidi primogenii facta a frigido. Hic quoque marasmus duplex est: alter naturalis, alter aduentitius. Naturalis frigidus marasmus dicitur ab Aristot. in lib. de breuit. & long. vitæ, proprie μάρανσις, & nil aliud est, nisi consumptio humidi radicalis, facta sponte naturæ propter defectum caloris natiui. Huiusmodi est senectus non tantum plantarum, verumetiam omnium animalium: siquidem senectus naturalis nil aliud est, quam naturalis frigidus marasmus, & via ad mortem: alter vero aduentitius, & præter naturalis, atque hic est consumptio humidi eiusdem facta a frigido morboso, ob quod partes cum nutrimento orbentur, ac propterea continua humidi natiui consumptio reparari nequeat, fit vt id consumatur, atque ita cum frigido siccitas inducatur, quæ senium, aut hectica Philippi iccirco vocatur a Galeno, quod quidam Medicus nomine Philippus omnium primus vocarit huiusmodi marasmum, senium quoddam morbidum, & ascititium. Et sic intelligere potestis non tantum marasmum torridum posse induci a febre, sed etiam marasmum frigidum, id est, senium Philippi. Sed est hęc differentia inter vtrumque, quod, vbi fit a febre senium Philippi, antecedit quidem febris, sed desinit postmodum febris, & remanet purus marasmus, quod quidem non requiritur in torrido facto a febribus marasmo, in quo remanet semper ipsa febris.

Marasmus frigidus.

Senium Philippi.

Causæ febris hecticæ.

Cum igitur explicatam habeatis naturam, & generationem hecticę, superest, vt videamus, quę sint huius febris causę. Febris hectica causam continentem & coniunctam nullam habet, quod voluit significare Galen. quando 11. meth. cap. 2. dicit, hecticam habere solum curationem, non autem pręseruationem. Siquidem pręseruatio respicit causam, vt curatio respicit solum affectum. Sunt ergo omnes febris hecticę causę antecedentes. Atque hę causę vel sunt alii morbi, vel sunt alię febres. Alii morbi sunt veluti scribit Gal. 10. meth. internę inflammationes. Philippus Medicus, vt dicit Gal. cap. 7 lib. de marasmo, putauit, nullam aliam inflammationem facere hecticam, nisi ventriculi, & iecoris. Sed hęc opinio confutata est a Galen. 1. de differ. feb. 8. vbi dicit, non tantum inflammationem iecoris, ventriculi, renum: verumetiam & pulmonis, & coli intestini facere hecticam. Hipp. 2. de morb. commemorat quendam morbum, quem vocat tabem dorsalem. Sed huiusmodi morbus, qui fit a dorso, non est proprie febris hectica, licet vocatur ab Hipp. tamen.

Sed dubium est hoc loco, vtrum febris hectica fiat magis ab inflammatione ventriculi, & iecoris, an potius pulmonis. Fieri magis ab inflammatione pulmonis, videtur probare vicinitas pulmonis cum corde, siquidem rationi consonum est, quo magis appropinquat locus inflammatus cordi, eo promptius cor incurrere affectum calidum & siccum, cuiusmodi est hectica. Ex alia parte est auctoritas Galeni, 10. meth. capit. 8. vbi dicit, fieri magis hecticas ab inflammato iecore, & ventriculo, quam a pulmone. Dicendum est, ab inflammato pulmone promptius fieri primam & secundam speciem hecticæ; ab inflammato autem ventriculo & iecore facilius inducitur marasmus. Ratio est, quia cum hæc viscera præparent toti corpori alimentum, vbi sunt vitiata, non possunt præparare, ideo quod membra solida cum priuata remaneant debito alimento contabescunt, & consequenter marasmum incurrunt.

Febres autem, quæ faciunt hecticam, vel sunt diariæ, vel putridæ. Diariæ aut occupant corpora calida & humida, aut calida & sicca. Si occupent calida & humida corpora, causa ipsius febris diariæ aut extinguitur statim a resistentia corporis humidi & calidi, nec facit hecticam; aut, si sit insignis & magna, inducit febres putridas non hecticas, quas etiam non inducunt, quia impressiones externæ, quæ faciunt diarias, durant pauco tempore. Contra autem, si occupat corpora calida, & sicca propter symboleitatem, facile deducit hæc corpora in febrem hecticam.

Putridæ febres vt inducāt hecticā.

Porro febres putridæ faciunt hecticam vel propter vehementiam, vel propter diuturnitatē, vel propter errorem; propter vehementiam, vt sunt ardentes febres, & colliquatiuæ scil. quæ ob ignis vehementiam depopulantur statim humiditates, & hecticam inducunt: propter diuturnitatem faciunt hecticas, tertianæ, quartanæ & omnes aliæ febres, quæ longo tempore durant. Propter errorem faciunt putridæ hecticam, si vel Medicus vel æger committat errorem, aut necessitate committantur. Ab ægris committuntur errores, quando, potant vinum continue in putridis febribus, aut vtuntur alijs cibis calidis. Similiter, quando nolunt admittere medicamēta debita refrigerantia & humectantia. Errat autem Medicus, quando in ardentibus febribus omittit vsum aquæ frigidæ, vel aliorum refrigerantium, & humectantium, vel quando administrat remedia nimis calida, quam deberet. Committitur necessitate error, quando in febre magna cogitur Medicus propter vires vel propter syncopen cibare importune, offerre vinum, & vti alijs medicamentis calefacientibus.

Hæ sunt omnes causæ antecedentes febrium hecticarum, circa quas duo dubia occurrunt:

vnum

vnum est, vtrum sit perpetuo verum, hecticas carere causa continente: & idcirco vnam curationem non præseruationem exigere, nam quæ facta est ex febre putrida adhuc permanente, videtur habere causam coniunctam, vt multi dixeruut, & ob id etiam præseruatione indigere: alterum dubium est, vtrum, sicut hecticæ fiunt a causis antecedentibus, ita quoque fiat interdum a causis externis. Circa primum videtur quandoque hectica causam habere coniunctã, siquidem, vbi febres hecticæ fiunt a putrida, contingit plerumque, vt putrida hecticæ maneat coniuncta. Vnde cum fuerit ipsius hecticæ causa, videtur hectica interdum habere causam coniunctã, & eo maxime, quod febris putrida hecticæ iuncta curationem propriam postulat. Dicendum est, hecticam in quantum hectica est, etiamsi producta sit a putrida febre, non dependere tamẽ a putrida. Signum est, quia sublata febre putrida, tamen remanet hectica, quod minime fieret si esset causa illius coniuncta. signum igitur est hanc non dependere ab illa tanquam a causa: neque valet, quod putrida requirat propriam curam, quia eam requirit vt morbus, non autem vt causa hecticæ, aut ad debellandam hecticam. Et hoc est quod voluit docere nos Gal. 2. prorhet. 17. quando dicit vbi aliquid inducitur ab alio, remota causa producente remoueri, & affectionem: vbi autem non producitur, sed productus est effectus etiamsi euacuentur humores producentes, nihilominus affectum remanere.

Num hectica interdum fiat a causis externis.

Circa secundum Galen. 3. de præsag. ex pulsi. cap. 4. & 1. de diff. feb. 8. dicit febrem hecticam induci ab ira, mærore & a lassitudine cum æstu. Idem quoque dicit Aetius, quinimo Alexan. s. probl 86. quærens rationem, cur ex lassitudine fiat interdum febris hectica, non autem diaria, aut putrida, esse propter dispositionem, quam habent corpora solida ob siccitatem, & qua carent spiritus ac humores, quia puri sunt. Contra autem est idem Gal. 2. de cris. vlt. Auenzoar lib. 3. cap. 13. tract. 1. & Actuarius 2. lib. meth. c. 1. Hi omnes videntur habuisse sententiam, quod hectica non possit fieri ab vlla causa externa, imo Auic. 1. 4. tract. 3. cap. 1. dicit longinquam esse, vt febris hectica fiat a causa externa, quia multo difficilius est, inflammare membra radicalia, quã spiritus & humores, nisi sit causa magna.

Pro resolutione huius dubij dicendum est, hecticam fieri a causa externa, dupliciter intelligi posse, vel immediate, id est nulla alia febre, vel diaria, vel putrida intercedente, vel mediate scil. mediante aliqua febre diaria, ita tamen vt totum videatur dependere a causa procatarctica. Si primo modo intelligamus, scil. immediate, sum huius sententiæ, fieri non posse vllam hecticam a causa externa. Et ratio est, quia nunquam in corpore sano possunt solida ita esse comparata, vt a causa calefaciente citius accendantur, quam spiritus qui sunt corpora aeria; accipiatis paleam, nemini dubium est, quin palea est corpus maxime aptum recipere ignem; ad hęc est corpus porosum, & propterea aere plenum est: peto a vobis si palea accenditur, anne primo accendatur aer qui in poris ipsis continetur, an ipsa palea. Certum est primum aerem accendendum esse, deinde corpus paleæ, cur hoc est? quia licet palea sit corpus aridissimum, tamen aer contentus in palea magis dispositus est ad concipiendum ignem, ipso corpore sic etiam Domini in corporibus calidis, & siccis, quia solida ipsa quantumcunque sicca, & arida sint, tamẽ minus disposita sunt capiendo igni febrili, quam spiritus, qui sunt corpora aerea, & vaporosa. Nec dicatis mihi quod possit idem dici de humoribus, quod scil. humores sint magis dispositi corporibus solidis ad capiendum ignem, quia hoc non est perpetuum, nam possunt interdum esse solida, vt in corporibus calidis, & siccis, magis disposita ipsis humoribus. Possumus hoc & alia quoque ratione comprobare, nam si videamus causas externas, quas dicunt immediate inducere hecticam; hæ sunt mæror, ira, æstus, & lassitudo. In his certissimum est magnopere laborare & agitari spiritus. Si laborant spiritus, ergo multo videntur esse promptiores vt accendantur quam corpora solida. Hoc idem voluisse videntur Auctores omnes, & præcipue Galen. 2. de cris. in fine, vbi concludens illud caput, dicit febres hecticas nullas fieri a principio, Neque valet responsio Altimari, qui dicebat intelligendum esse hanc Galen. sententiam, quod non fiat primo vlla febris hectica, nisi scil. fiat a procatarcticis causis; non valet inquam hæc responsio, imo vero potius fabulosa est, quia Galen. eo in loco cum tradidisset signa febrium diariarum, quæ fiunt a causis procatarcticis, inquit Gal. non loquar de febribus hecticis, quia nulla fit primo, vult dicere Gal. quia nulla fit a causis procatarct. vt fiunt diariæ, mihi hæc videtur esse clara Galen. sententia. Præterea Galen. 1. de diff. feb. inquit nonnullas febres hecticas habere similem generationem ijs diarijs, quæ fiunt mærore, & lassitudine cum æstuatione, si habent similem generationem, quæro vbi est similitudo hæc? nam non est dicendum quod sit similitudo, quia fiunt a causa procatarct. propterea quod hoc esset fabulosum, sed similitudo consistit, quia vt in illis accenduntur spiritus, ita etiam in ijs. Probo alia auctoritate Gal. nam eodem 1. cap. 9. tradens signa quibus cognoscere possumus febres hecticas factas a principio, hoc potissimum signum ponit, quod habeant nunquam fieri nisi præcedente diaria. Ceterum mediate fieri potest hectica a causa externa scil. mediante febre talitem diaria. Quid igitur dicemus ad Galen. & alios? Dicendum est, causas externas interdum ita esse vehementes & subitaneas, vt etiam si inducant prius diarias, tamen cum hoc non ad sensum agnoscatur, tribuuntur causę magis euidenti. Huiusmodi est causa exterior, quæ cum sit euidentissima, & diaria immanifesta, hinc fit, vt effectus hecticæ tribuatur causæ euidenti: interdum vero paruas, & tunc faciunt diarias tales.

Signa.

Sequuntur signa, quæ cum a Galeno & Auicenna confuse satis proponãtur, ego ad tres classes ea redigo. Nam alia sunt signa diagnostica, alia distinctiua, alia vero prognostica. Rursum

diagno-

diagnostica vel indicant hecticam solam, vel coniunctam cum putrida, de qua dicebat Galen. quod difficiliora sunt signa cognoscendi hecticam solam. Signa indicantia solam hecticam, vel indicant eam incipientem, vel iam factam, vel consummatam & confirmatam.

Signa hectica incipientis.

Quæ indicant hecticam incipientem plura proposita sunt a Gal. vt 2. de cris. & de feb. sunt autem hæc, quod ad tertiam & quartam diem durat febris calor æqualis, est sine vlla accessione, sine vllo augmento, præterquam quod a cibo calor videtur augeri, quemadmodum calx affusa aqua bullit, & inualescit, ciboque confecto remittitur, ita vt quemadmodum dicit Gal. videatur quædam incompressa adnoratio, id est calefactio sine horrore, vel frigore. Præterea, febricitantes non sentiunt sese febrire, magna virium imbecillitas adest cum labore, pulsus paruus est, debilis, frequens: calor primo occursu mitis videtur, paulo post acer, & mordax apparet, arteriæ, addit Auic. & venæ calidiores sunt, quam partes proximæ circumpositæ. Cur autem arteriæ sint calidiores partibus circumiacentibus triplex est causa: vna motus arteriæ, qui facit calorem videri maiorem: altera causa est, quoniam vt dicit Gal. 4. de causis puls. 16. vbi cor vehementer calefactum est, vt in hectica, calorem communicat arterijs, quæ ab eo oriuntur, tertia est, quia cum calor hecticæ sit sine euaporatione in alijs partibus, in arterijs est cum euaporatione propter sanguinem.

Signa hectica facta.

Præter hæc signa indicantia, alia sunt, quæ indicant hecticam iam factam, & sunt præter antedicta etiam nonnulla alia, quorum principium est extenuatio totius corporis. Nam, cum in hoc secundo gradu, vt audistis, colliquentur carnes & pinguedines, necessario cōsumuntur corpora, & apparent macra & extenuata, cutis arida est; squallida hypochondria tensa & extenuata, pulsus minor, debilior, durior, & magis tensus.

Ab vrina nullum signum accepit Galenus, verumtamen Auicenna, & Arabes eum vident, nil aliud esse in hecticis, quod spectat ad vrinas, quin reperiatur, vel in diarijs, vel in putridis imaginati sunt, vrinas in hac secunda specie habere pinguedinem supernatantem.

Vtrū in hectica vrina pinguis reddatur.

Sed video dubitari posse, quomodo in vrina possit apparere vlla pinguedo, quoniam, vt audiuistis nuper, Gal. 10. meth. in fine ponens differentiam inter colliquatiuas febres, & hecticas, dicebat, in colliquatiuis deiectiones esse pingues; in hecticis minime esse, sed liquari instar vaporum; sicuti igitur deiectiones non habent vllam pinguedinem, ergo nec etiam vrinæ deberent habere, contra quod dixere Arabes.

Dupliciter responderi potest, vno modo illam pinguedinem positam ab Arabibus non esse veram pinguedinem, sed assimilari, & esse substantiam aeriam quandam supernatantem, & spiritu plenum excrementum contentum in superficie vrinæ, quod vocarunt Arabes pinguedinem propter similitudinem. Alio modo responderi potest, pinguedinem propositam ab Auicenna, & alijs esse admodum exilem respectu pinguedinis apparentis in deiectionibus colliquatiuarum febrium. Galenum vero neglexisse id quod est exiguum.

Signa marasmi.

Præterea ad signa commemorata Arabes tria alia addunt, siccam tussim perpetuam, pulsus vel siccitatem, & caliditatem tum in volis manuum, tum in plantis pedum, tum maxime in digitorum musculis. Signa vero marasmi sunt duorum ordinum, quia alia indicant primum gradum, alia secundum. Primus noscitur manifesta coloris deprauatione, siquidem qui hanc calamitatem incurrunt, amittunt florem vultus, vt dicit Alexand. subnigri fiunt, palpebras, vt dicit Gal. præ imbecillitate attollere nequeunt, contracta circa oculos concrescit cutis, squallida euadit, hypochondria tensa fiunt, & inania, pulsus paruus, & maxime debilis: apparent in oculis quædam humiditates aridæ, quæ lemæ appellantur. Et notandum Gal. a signis oculorum inchoare signa marasmi, quia oculi maxime possunt ad significandum statum corporis, vt vj. epidem. sect. 4. cap. 27.

Secundi gradus certissimum signum est facies Hippocratica, id est, nares acutæ, oculi caui, tēpora demissa, & excauata, aures secundum Rhasem breuiores, facies tota squallet. Ad hæc habent hi miseri hypochondria ita exinanita, & consumpta, vt videamus tota hærere dorso, &, vno verbo, illi qui occupati sunt, secundo gradu marasmi, nil aliud sunt, quam cutis, & ossa, & veluti sceletos quidam. Præterea pili in his videntur longiores, quod consumpta tota carne vsque ad radices appareant, vngues curui sunt, quod caro, qui adhæret, tota sit consumpta. Et Hippocr. 2. epid. appellabat hanc ægritudinem ferinam, eo, quod secundum vngues assimilentur feris rapacibus. Auicenna addit his signis pediculos in marasmatis fieri, cuius sententia, vt recte intelligatur debetis scire nequaquam fieri posse, vt in marasmo laborantibus gignantur pediculi, quia siue dicamus eos fieri ex carne corrupta, vt iudicauit Aristoteles 5. de histor. Animal. 31. siue ex sanguine corrupto, vt Theophrastus 2. de caus. plant. c. 22. siue ex profunda cute, vt putauit Gal. 1. de compos. medic. c. 7. fieri non potest, vt in marasmo laborantibus gignantur pediculi; quid igitur vult dicere Auicenna? eius sententia est, quod qui sunt pediculi in istis eo tēpore exeunt, nam refert Apollonius ex sententia Aristotelis in morituris pediculos relinquere capita, & reperiri in puluinarib. cuius ratio affertur ab Alexandro 2 probl. 30. quod cum pediculi nutriantur sanguine, & foueantur, vbi in morituris deseruntur a sanguine, & a tempore, quod exeunt, & quærunt meliorem locum, quod tamen minime verum est de cunctis morituris, sicuti de marasmatis. Aristoteles 19. sectio. probl. 37. quod etiam adnotat magnus ille Rhases lib. 10. ad Almansorem dicit hecticos, seu, vt transtulit Gaza, tabe consumptos habere vocem acutam propter imbecillitatem. Sed quia alias docui, veteres non habuisse vocem hanc ἑκτικὴ in morbis, sciendum, illum locum Arist. corruptum, & fefellisse Gazam, propter huius rei ignorantiam.

rantiam. Nam puto omnia illa verba esse purum glossema insertum textui a librario, præterquam quod aliqui contextus Græci loco vocis [illegible] habent [illegible]. Oritur dubium circa signum palpebrarum. Nam vt dictum est, ex sententia Galeni marasmati non possunt attollere palpebras ob imbecillitatem.

Ceterum idem Gal. dicit in illis, qui consumuntur acutis morbis, quandoque propter imbecillitatem non posse palpebras claudi, quomodo ergo ab imbecillitate possunt fieri duo motus contrarij, vel duæ quietes contrariæ, scil. non eleuare palpebras & non deprimere? Respondendum breuiter clausuram palpebrarum semper esse opus validæ virtutis. Itaque cum ad claudendas palpebras requiratur semper robusta virtus, consequens est, vt imbecilla virtus neque apertas claudere, neque clausas aperire valeat, adeo vt inter exitialia signa semper Hipp. connumerarit, oculis conniuentibus, & dimidio apertis dormire, aut manere. Hactenus signa febris hecticæ solius significaui. Quod si hecticæ putrida coniuncta sit inquit Gal. difficilimum hoc est cognitu, cognoscitur tamen vt docet Gal. & Auic. quatuor signis, vnum est, si postquam declinarit putrida pulsus adhuc maneant debiles, veloces, carnes aridæ, & arteriæ calidæ: alterum est, si cum certum fuerit adesse hecticam interdum etiam appareant refrigerationes, horrores, pulsus concentrationes, tum clarum signum præter hecticam adesse quoque putridam. Tertium est, si cum febricula perpetua corpus sit plus extenuatum, quam conueniat in putridis, quartum, & postremum signum est, quod in vrina apparet quædam pinguedo supernatans, quod signum tametsi Gal. 10. meth. scribit non reperiri in omni hecticæ specie, adhæc etiam reperiri in quibusdam putridis, nihilominus coniunctum hoc signum cum alijs maxime facit ad cognoscendam febrem putridam cum hectica coniunctam. Signa distinctiua hecticæ ab alijs numerantur plura apud Alex. lib. 12. c. 4. & clara sunt ex traditis; siquidem distinguuntur diariæ ab hecticis caloris blanditie, in primis, quia calor hecticus siccus, & acris est, calor vero diariæ mitissimus, & celeriter manui occurrit, quasique videtur manibus circumfundi, præterea in diarijs pulsus sunt magni, & veloces, in hectica parui. In diaria dicit Alex. statim apparet in vrina coctio, in hectica non apparet, & præsertim si æger cibum sumat. Distinguitur putrida ab hectica, quia in putridis semper sunt aliquæ adnotationes, vel horror, vel dormitatio, vel aliquid aliud, quod faciat compressam adnotationem, in hecticis nulla vnquam est compressa adnotatio, semper æqualis est. Distinguitur tandem a synocho, quia in synocho calor non est ita acris, pulsus est magnus, & velox; in hectica calor est acris, pulsus sunt parui admodum, & debiles. Et hæc est series omnium signorum, quæ febres hecticas indicant, & distinguunt.

Signa hecticæ cum putrida coniunctæ.

Circa quæ signa tria sunt paulo diligenter expendenda. Vnum est, vtrum verum sit laborantes hectica semper ab accepto cibo maxime incalescere. Secundum est, quæ sit causa vera, an verum sit exemplum a Gal. allatum de calce, cur soli hectici habent hoc. Tertium est, vtrum verum sit, nullum hecticum sentire sese febricitare. Circa primum inuenio diuersitatem inter scriptores. Serapio inter Arabes grauissimus fuit huius sententiæ, huiusmodi signum apparere tantum in secunda & tertia specie siue gradu. In prima specie minime. Alexan. Trall. lib. 12. cap. 4. hanc sententiam habet, in nulla hectica augeri calorem a cibo, sed inquit, ita apparere, quia occultus calor propter cibum ingestum manifestatur. Ceterum Galenus 3. de præsag. ex puls. cap. 3. & septimo, nec non 1. de differen. feb. cap. 9. dixit, hecticarum tria propria esse signa: vnum est, æqualitas continuata caloris, vt nullam accessionem, nullum principiũ, nullum augmentum, aut aliud tempus habeant, sed semper sunt æquales. Alterum signum proprium dicit esse, vt non sentiant se febrire hectici cum habeant inæqualem intemperiem. Tertium dicit signum inseparabile hecticę esse, vt ab accepto cibo incalescant magis, atque etiam pulsus augeatur. Ita quod ex Galen. facile deprehendi potest errasse Alexand. qui dixit non vere augeri calorem, sed ita apparere.

De tempore autem post cibum varias adhuc inuenio sententias. Nam Galen. dicit interdum vna hora ab accepto cibo, Auenzoar duabus horis, Auerr. autem tribus horis. Pro resolutione huius varietatis dicendum est, hęc omnia signa reuera quidem esse in omni specie hecticę: verũ tamen in prima sunt obscuriora, in secunda & tertia multo manifestiora sunt. Vnde Serapio Medicos, qui manifesta tantum signa proponebat, iure negauit hoc signum in primo gradu seu prima specie Galenus a. & manifesta & immanifesta proponere voluit.

Sed quid de Alex. dicere possumus? augmentum caloris duplici modo posse concipi, vel prout indicat tempus particulare morbi, vel prout indicat solam caloris maiorem manifestationē. Si primo modo concipiatur, procul dubio verum est, quod d. Alex. sc. minime calorem a cibo ita augeri, vt faciat peculiare tempus. Si secundo modo sumatur, falsum est, quia vere in hecticis, vt experientia comprobabitis, a cibo apparet in ipsis maior caliditas, & maior pulsus frequētia, neque propter hoc inferendum est, calorem hecticorum nõ esse æqualem, quia etiam si magis manifestetur a cibo huiusmodi caliditas, manifestatur tamen vniformiter & ęqualiter per totum corpus, adeo vt semper in hecticis verum sit, dicere ęqualem reperiri intemperiem.

Nec quicquam refert, quod alij dixerint post horam vnam, alij post duas, alij post tres, quoniam Gal. respexit initium incalescentiæ, quod quidem fit paulo post a cibo; alij vero considerarunt ipsam incalescentiam in statu, id est, in summo.

De secundo quod quidem & disputatu est, & scitu dignum, Galenus & eius sequaces in hoc conueniunt, eandem esse causam, cur post cibũ incalescant hectici, quę est, cur calx affusa aqua incendatur, & maxime caleat, causam autem caliditatis calcis videtur existimasse nullam aliam

esse,

esse, nisi antiperistasin seu contrarietatem quandam; siquidem cum aqua frigida sit & humida, & in calce conseruetur ignis, qui calidus & siccus est, fit, vt ratione antiperistasis ignis refugiens maior fiat, atque ita calcem calidiorem reddat. Auerroes quarto collect. 33. aliam sententiam affert. Nam reddens causam propter quam hectici statim a sumpto cibo magis incalescant, dicit ideo hoc euenire, quoniã corpora eorũ cũ sint calefacta calefaciũt alimentũ adeo, vt alimenti caliditas accedens maiorem ipsorum solidorum caliditatẽ efficit. Hoc proposito ab Auerrh. damnat omnes deinde alios Medicos, quasi fabulas, cantionesque proponant: & peculiariter circa exemplum calcis damnat eos, quasi fabulas proponãt. Damnat autem huiusmodi exemplum, quoniam si verum est, incalescere corpora hecticorum a cibo, quemadmodum incalescit calx ab aqua affusa, sequeretur alimentum esse partibus alendis contrarium: quod tamẽ falsum est, vt iure falsum etiam sit exemplum a Gal. & aliis allatum. Probat assumptũ Auerrhoes quia calx inquit ideirco incalescit, quia aqua propter suam frigiditatem igni contrariatur, quasique ex infimis cauernis expellit ignem ipsum: vnde si hoc pacto incalescerent membra hecticorum, sequeretur quod cibus esset perinde contrarius membris nutriendis, atque aqua ipsi calci. Concludebat itaque Auerrh. non posse alia ratione incalescere corpora hecticorum a cibo, nisi ob additum alimentum. Et quia videbat instantiam afferri de aliis febribus putridis, dicit in aliis febrientibus solida non esse calefacta: & consequenter non posse alimentum calefacere. Nonnulli vt Galenum tuerentur, dixerunt contra Auerrh. non inconuenire alimenta contrariare, non quidem partibus solidis, vt aluntur, sed vt corpora sunt febrili calore tentata. Præterea dicunt fefellisse in hoc Auerrh. quod putarit calefieri calcem ab aqua propter contrarietatem: cum ob aliam potius rationem hoc eueniat. Est a. alia ratio, quod in corporibus hecticorum latet ignis febrilis, qui ab aqua tactus vapores emittit, qui postmodum calorem prædictum efformant, quemadmodum dicunt isti, ignis latens in corpore calcis, vbi aqua superfunditur, bullas facit, quod vapores emittat. Sed hic modus defendendi Gal. minime argumenta Auuer. tollit. Primum, quia in corporibus hecticorum non latet calor febrilis, sed manifestus est, latet quidem in corpore calcis, siquidem sensu nullo modo ignis in ipso percipitur quantumcunque minutissime conteratur. Præterea si verus hic esset Galen. defendendi modus, sequeretur, corpora hecticorum etiam dum potant, incalescere debere, quod tamen minime vsu venire probatum est. Probo autem quod ita deberet fieri, quia ex potu irrorantur membra, & propterea deberent magis incalescere.

Quamobrem alia ratio est redarguendi Auerrh. & alia defendendi Gal. redarguitur. n. Auer. sententia hoc argumento: quod alimentum solidis partibus minime adhærere potest vsque adeo breui tempore. Nam Galen. 4. de v. p. a. declarãs, quod sit munus ostij inferioris ventriculi, d. esse, vt non dimittat cibum exire, nisi totus sit in chylum conuersus, quod cum etiam in ventriculis robustis & sanis fieri non possit, nisi spacio sex aut septem horarum, qui fieri potest, vt spacio trium horarum cibus in ventriculo coquatur, distribuatur per corpus, & consequenter solidis vniatur, & incalescentiam hanc efficiat. Altimarus qui forte vidit hanc grauissimam rationem, inquit non totum cibum statim distribui in hecticis, sed solummodo partes tenuiores, neque inconuenire, quod istæ partes tenuiores duabus horis a cibo illabentes in membra solida faciant hanc incalescentiam. Sed Domini hæc responsio Altimari est etiam contra Galenum, quia 4. de vs. part. loco cit. dicit pylorum ventriculi nunquam dimittere vllam partem chyli nisi totus chylus sit confectus. Ea propter non est dicendum, quod primum exeat pars tenuior, & deinde altera pars. Sed cõcedamus gratis Altimaro, hoc esse, quod scilicet primo partes tenuiores exeant, dico etiam necessarium esse quod etiam post septem vel octo horas a cibo magis incalescant hectici, probo quia si incalescunt vbi partes tenuiores irrorant membra, procul dubio quando totus chylus iam egressus vẽtriculum, & iecur, incipit membra irrorare deberet magis incalescere corpus ipsorum. Neque valet quod Gal. 2. aph. 17. dicit quãdoque nutrimentum citissime distribui; quoniam eo loco sermonem habet de vino, quod cum non sit conuertendum in chylum, cito elabitur ventriculo, & consequenter potest citius distribui. Igitur hoc firmo argumento conuinci potest, non posse hecticorum corpora a cibo incalescere, quod alimentum solidis partibus distributum incalescat, & consequenter calor corporis augeatur quo circa hæc res grauissima, & difficillima est, & iure merito dixit Gal. modo sibi videri, modo vero hoc esse problema Physicum. Modus igitur defendẽdi Gal. & alios veteres, quã rom puto, diuersus est ab omni alio modo, quem proposuere alii. Vt autem meam sententiam audiatis, sciendum, quod tametsi. 3. capit. lib. de Marasmo d. Galen. nõ licere operationes ignis æquiparare operationibus caloris natiui: licere tamen æquiparare caloris febrilis & præternaturalis. Itaque si videbimus, quot modis augeatur calor ignis, sciemus etiam, quod modis in nobis possit augeri febrilis calor, & præcipue hecticus.

Quot modis possit augeri febrilis calor.

Modi augendi ignem.

Quatuor sunt modi, vt d. Theophr. in lib. de igne, quibus ignis incrementũ suscipit: vnus modus est, per motum. Nam fabri quotiescunque ignis calorem augere cupiunt, motu folium aeram attenuare, & consequenter calorem augere laborant. Alter modus est per antiperistasin. Nam, vbi ignis coercetur a cõtrario frigore, in ea lucta fit vt maior euadat, & ob hoc idẽ fabri solent sæpe flammas irrorare aquá gelida, vt calor augeatur. Neutro horum modorum perspectum est augeri posse calorem in hecticis a cibo, non quidem motu, quia hectici & edentes & alio tempore semper in summa quiete detinentur; nõ etiam antiperistasi, quia primum cibus hecticorum & calefactus semper sumitur, & iterum in ventriculis eorum calefit, vt actu atque

frigore

frigore hoc minime facere possit. Praeterea si antiperistasi hoc fieret, multo promptius efficeretur vel quando potaret aquam gelidam, vel aliquid aliud frigidum sumeret, quod tamen fieri non videmus. Remanet ergo, vt vel tertio modo vel quarto augeatur calor febrilis hecticorũ, Est a. tertius modus per alimenti additionem. Nam videmus si materiam combustilẽ igni addamus, eius vim & calorem incrementum manifestum suscipere. Quartus modus est per coactionem siue constrictionem. qui. n. fornacum vim sciunt, illud sciunt, fornaces eo fieri calidiores, quo magis in angusto loco cogi potest ignis. Sed calorem febrilem hecticorum non augeri posse ob alimenti additionem iam probatum est, siquidem, vt dixi, si alimentum solidum hectici capiant, nihilominus semper duabus, vel tribus horis a cibo incalescunt: nec tamen verisimile est, vsque adeo exiguo tempore in ventriculis infirmis posse conuerti in chylum & exire a ventriculo, ac per vniuersum corpus distribui.

Altimarus, & qui viderunt hoc dubium, dixere, propter duas caussas alimentum in hecticis cito distribui posse. Primum, quia corpora ipsorum cum sint perusta & sicca, vim insignem habent attrahendi, & ideo posse quamcitissime alimentum ex ventriculo attrahere. Deinde quia cum alimentum partes crassas, & tenues habeat, crassae quidem diutius in ventriculo morãtur, sed tenues citissime elabuntur. Verum, pace huius docti viri, hae rationes admodum inualidae sunt. Nam fuit Gal. sententia 5. de inaeq. intemp. in corporibus hecticorum totam temperaturã esse immutatam, qua temperatura cum facultates omnes operentur, quis non videt in hecticis necessario attractricem facultatem infirmissimam esse? Et hoc cum aduertisset Auerr. 7. collig. 15. d. in curãdis hecticis ideo esse opus fricatione, quoniam vis ipsorum attractiua infirmissima est, adeo vt prima ratio Altimari nil valeat. Minus etiam valet secunda, vt diximus, quia Galen. loc. cit. 4. de v. p. d. nil prorsus cibi exire e ventriculo priusquam totus sit in vnam chyli naturam commutatus. Vnde haec distinctio partium tenuium & crassarum longe a Gal. mente esse videtur. Sed demus hoc gratis Altimaro: hoc tamen effugere non poterit, quin si vera sit eius sententia, debeat fieri maior calor in hecticis septẽ, vel octo horis post cibũ, quo tempore pars crassa alimenti distribuitur. Hoc tamen minime verum est: imo, quanto magis distribuitur a ventriculo cibus in hecticis, tãto magis decrescere videtur calor. Igitur reliquum est, vt solum quomodo augeatur calor in hecticis, id est per coctionem, &, vt sic loquar, per conclusionem, vel obstructionem.

Vera ratio cur in hecticis a cibo calor augeatur.

Modus a. quo efficitur, hic est, quod vbi acceptus est ab hecticis cibus a ventriculo, propter debilitatem facultatis coctricis multi statim crassi vapores ab eo attolluntur, quemadmodum videmus eleuari frequẽtissime in omnibus, qui tarde coquunt cibos, isti vapores per corpus penetrantes vniuersos meatus solidorum veluti concludunt. Vnde fit vt calor huiusmodi occlusione magis coactus maior consequenter euadat, & tamdiu durat augmentum caloris, quousque isti vapores crassi dissipantur. Cur vero vapores crassi cito in hecticis distribuantur, & penetrent, ea est potissimum causa, quod eorum corpora propter insignem siccitatem maxime aperta sunt, adeo vt vapores quemadmodum statim tolli solent in cerebrum; sic quoque in vniuersum corporis habitum vel velociter rapiuntur, qui donec durant, durat etiam calor. Vt autem dissipantur, consequenter etiam calor minuitur.

Cur hoc non contingat in putridis febribus.

Cur autem hoc nõ appareat in putridis febribus duplex est ratio; vna, quia corpora ipsorum sunt obstructa, ita quod vapores crassi non possint penetrare, nec permeare; altera, quia etiamsi augeatur a cibo calor, tamen febrile incendium in ipsis vsque adeo ingens est, vt obscuret alium calorem.

Exemplum calcis accõmodatissimũ

Iam vero videamus, vtrum huic modo exemplum calcis possit accommodari. Puto ego accommodatissimum esse, siquidem vera ratio, propter quam affusa aqua calor in calce manifestatur est, quia ab aqua obstructis meatibus calcis, vapores, & calor qui prius perspirabant continentur, contenti ignem ibi contentum magis cogunt & augent, vnde fit vt auctus mirum in modum tandem erumpant, adeo vt etiam saxa frangat, & bullas excitet, quemadmodum sensu ipso manifeste cognoscitur. Atque hoc etiam verum esse, ex eo facile potest conijci, quod si vel vinum, vel acetum super calcem spargatur, minime ita incalescat, & fremet. Ratio est, quia & vinum & acetum cum corpora sint tenuissima, minime obstruunt meatus calcis, sed potius aperiunt: propter quod d. Theophr. in lib. de igne, acetum magis extinguere ignem in carbonibus, quam aquam, quoniam intimius penetrat ad originem ignis, consequenter eam destruit.

Num verũ sit, hecticos non sentire se febricitare.

Erat tertium & vltimum propositum, vtrum verum sit, omnes hecticos non sentire se febricitare, adeo, vt liceat colligere, semper hominis tentari hectica, quando non sentiant se febrire. Ex vna parte est auctoritas Gal. 3. de praesag. ex puls. 3. & c. 5 de inaeq. intempe. & 1. de differ. feb. 9. Quibus locis d. Gal. hoc esse proprium signum hecticorum, vt non sentiant se febrire. Gal. assenti sunt omnes Arabes, & Graeci.

Ex altera parte est experientia & vsu probatum, aliquos hecticos percipere febres proprias, & econuerso esse alios, qui ab omni febre hectica liberi sed manifesta putrida detenti tamen non sentiant se febrire. In hac re videtur ita statuendum, veram esse Gal. sententiam, si sane intelligatur. Verum enim est hecticos, & praesertim, qui diu ea febre sunt capti semper, & continuatim febrem non percipere: & hoc modo intelligenda sententia Gale scilicet esse proprium hecticorum, vt semper & continuatim careant sensu febris, quod si aliqui alij febricitantes dicant, interdum se non febrire, aut non percipere febrem, id neque semper neque continuatim in ipsis apparet, & ideo non licet inferre: Non percipit se febrire, ergo hecticus est, sed uidendum est, an

illud

illud semper dicant, & omni hora, quia vbi interdum dicunt se non percipere, interdum a. sensum febris habeant, certissimum est, eos hectica febre carere, quæ febris hectica in primo gradu facilis curatu est, in secundo difficilis, in vltimo impossibilis, præsertim quando vt dicit Hippoc. 5. aph. vel superueniant alui fluxus, vel capillorum defluuium. Atque hæc sunt signa significatiua, distinctiua, & prognostica febris hecticæ.

Curatio.

Curatio, vt dixi, hecticæ pura est, quia enim careat causa, non est opus præseruatione, verumtamen, quia, vt dixi, hectica plures gradus habet, & tertius gradus maxime ab alijs diuersus est, ideo separatim tractabimus de duobus: quibus eadem curatio conuenit differens tantummodo secundum magis, & minus, postremo de tertio gradu, qui Marasmus est, sed dicet statim aliquis, si tertia species febris hecticæ est incurabilis, cur igitur curatio instituetur. Respondeo id quod scriptum est ab Aetio in cap. de elephant. & a Sorano Ephesio lib. de inter. medic. etiam in desperatis casibus non negandam esse operam medicinæ, duabus de causis, tum vt vita protrahatur saltem, quod optatur ab ægris, tum etiam vt ægri non adeo inique mortem ferant, vt ferunt, dum vident se a Medico plane destitui. Scopus præcipuus in hectica simplici est, vt dicit Gal. 10. meth. refrigeratio & humectatio, eo quod intemperies est calida & sicca. Sed dubitari potest, vtrum sit magis refrigerandum, an humectandum. Paulus Aegineta lib. 2. 35. loquens de cura hecticæ videtur constituisse primum scopum humectationem, contra Aetius d. in curanda hectica omnino refrigerandum esse. Dicendum a. est, in prima specie magis refrigerandum, quia nondum siccitas euidens est, in alijs speciebus cum siccitas insignis appareat, magis humectandum est, quam refrigerandum, ideo in primis aer est eligendus frigidus, & humidus, quo in casu Auerrh. laudauit aerem septentrionalem: qui si non possit haberi, parandus est irrorationibus, aq. & aceto factis, herbis sparsis super pauimenta, vt salice, rosa, lactuca, nymphęa, endiuia, sandali.

Num in hectica plus refrigerandū, vel humectandum.

Imo vero Auicen. etiam commendauit, vt indumenta repleantur sandalis; rosis, & similibus refriger. Alexand. præcipit libro 12. cap. 5. diligenter esse aduertendum, non esse refrigerandum totum corpus, sed attrahendus est tantum aer frigidus ore. Vnde soleo curare, vt febrientes contecta habeant corpora, ne ab aere frigido lædantur, ita tamen ne immoderate incalescāt. Aetius enim iure semper calefactionem vitandam iubet, ne vires magis prosternantur, & vt simul vas frigida plenum prope lectum habeant, a quo attrahant refrigeratum aerem. Prouidendum vt dormiant, siquidem d. Auerrh 7. coll. 15. nullum esse corpus, quod magis indigeat longo somno, quam hecticorum corpora. Actuarius idem præcipit, quia somnus si quid aliud humectat, quod maxime expetendum est in curatione hecticorum continendi sunt febricitantes in summa quiete tum corporis, tum maxime animi; ideo ablegandi sunt mærores, ira, curæ, sitis, fames. Sed ægri detinendi sunt gaudio & risu. Si aluus non respondeat, prospiciendum est ipsi, vt tertia saltem quaque die moueatur. Et nil melius est vsu clysteris, qui hunc in modum paratus vtilis erit.

Clyster pro constipata aluo.

℞. Iuri capi vel vituli lib. j.
Olei amygd dulc ℥. v.
Succi maluæ ℥. ij.
Butyri ℥. iij.
Sacch. rubri ℥ j ß.
Salis ʒ. 1. M. & f. clyster.

De potu certum est, abstinendum esse a vicino, nisi vires interdum cogant præbere paucife rum vinum, & dilutum. Aqua extracta per alembicum ex pullis optima est, decoctū hordei frigidum. Inter cibos, qui debent esse frigidi, & humidi Gal. 10. meth. cum laudæ ptisanam, conuenit panis recentissime & optime fermentatus, nec non aqua fermentatus, carnes pullorum, caponum, quo capones Arabes commendant, & iure, vt nutriantur frumento, & amygdalis, caro hædina, vituli, quas humidas esse d. Gal. optima sunt oua sorbilia, conueniunt, & iura, in quibus cocta sit lactuca, endiuia, borrago. A fructibus abstinendum. Pisces saxatiles conueniunt. Omnino autem optimum est coquere aqua & aceto. Aqua etiam rosacea, commista alijs aquis cōuenit pro coquendis carnibus.

Laudo etiam illud cibi genus, quod dicitur gelatina. Sed aduertite acetum acerrimum, & solidum fugiendum esse, & ratio est, quia nimis penetrat, & neruos alioqui denudatos valde offendit. Scribit Alexand. 2. de problem. 80. vnum obseruatione dignum, scilicet consueuisse Medicos hecticis ante cibum aquæ modicum exhibere potandum, vt membra exsiccata humectentur, sicque alimentum facilius recipiant, vt parietes facilius calcem recipiunt, si prius aqua irrigentur.

De vsu lactis notāda.

Inter alia ciborum genera maxime omnium solent Medici amplecti vsum lactis. Et ideo, vt totam rem breuiter cognoscatis, quatuor de lacte docendi estis, quod lac conueniat, quo tempore conueniat, quantum conueniat, & quo modo conueniat. Et fere omnium sentētia. Quod pertinet ad genus lactis, nullum melius esse humano, post hoc secundas partes obtinet lac asininum: postremum lac hædinum seu caprillum. Veteres mittebant hecticos ad Tabias, qui locus est prope Neapolim. Et hoc faciebant, vt felicitate pasturæ lac euaderet vtilius ægris. Vbi non possumus hanc rationem inire curandum est, vt animalia, quorum lacte sumus vsuri, optimis carnibus & pane, ouis, & alijs cibis refrigerantibus, & humectantibus alenda: si sit iumentum, poterit nutriri hordeo optimo, herbis cichoraceis, lactuca, salice. Tempus sumendi est matutino

no tempore quinque horis semper ante cibum, & eum moderatissimum; possumus etiam exhibere, postquam ægri balneo sunt egressi.

De quantitate videtur esse discrimen. Auicen. vult, vt initium sumatur ab ℥ j. & augeatur dosis singula die vsque ad v. vel vj. vncias. Galen. a. 10. meth. præcipit, vt inchoetur lactis vsus a cyatho. Pendit a. cyathus apud Gal. circiter ℥. ij Sed hæc diuersitas exigui momenti est. Potestis vos prout ægrum prima vice videbitis sustinere posse, ita etiam mensuram lactis exhibere. Modus sumendi est, si fieri potest, vt lac a mammillis exugatur. Id si non licet, procurandum est, mulier, vel bestia in cubile introductis vt cyathus in aq. tepida detineatur, & ex animali lac in illum mulgeatur, & deinde, addito ne conuertatur in caseum modico sacch. statim sorbeatur. Nam nihil est, quod æque statim sub aere vitietur atque lac, & semen, quod si aluus fluat, vt sæpe contingit, lac ipsum coquatur lapidibus ignitis; & quia sunt etiam interdum, qui horrent semel lac, ideo iure a Medicis commendatum est, vt in his commisceatur lac cum ab alijs ferculis. Hæc de ratione victus.

Medicamenta vero aut interna sunt, aut externa. Interna medicamenta purgantia penitus sunt fugienda, nisi quod vbi aluus valde astricta sit, potest administrari manna; & cassia, multo melius est solis alterantibus vti refrigerantibus, & humectantib. Ideo serapia de violis, de nymphea, di cich. lactuca, de endiuia conueniunt cum accommodatis decoctis, quæ decocta melius erit ex iure pulli parare. Verbi gratia.

℞. Fol. nymphea.
Maluæ,
Lactuca,
Endiuiæ an M. ß. bulliant in iure pulli aut vituli f. a. deinde facta expressione.
℞. Prædicti iuris ℥ v.
Syr. de end.
Nymphea. an. ℥. ß. M.

Eclegma refrigerans et alens.

Solemus etiam præter huiusmodi potiones vsurpare quoque aliquas confectiones, quæ vim habeant refrigerandi & alendi. V. g.

Sem. cucurb.
Citrulli.
Melonum an. ℥. ß.
Carnis cap. ℥. vj. Contundantur omnia in mortario; deinde cum modico iuris reducantur ad formam eclegmatis, & in fine adde.
Pulueris santalorum omnium ʒ. j. & ß.
Puln. rof. rubearum. ʒ. j. M. Capiatur autem singula vice mane & vesperi vnum vel alterum cochlear huius confectionis ante cibum vna hora, aut altera.

Remedia externa aut applicantur toti corpori, aut partibus. Toti applicatur balneum aq. dulcis, cuius facultates & laudes expressit Gal. 10. meth. Sed quanquam omnes mirifice extollant balnei vsum, quod balnea mirifice iuuent omnes hecticos, quia valde humectant, quod exoptatur in istis, non omnes tamen conueniunt de modo vtendi. Alex. Trall. lib. 12 c. 4. vult semper balneo tepido vtendũ, vt lac est tepidum, Alex. sententiam sequuti sunt Auenzoar, & Rhases, puto ego ductos fuisse istos hac ratione, quia calida balnea calorem augent, frigida calorem hecticorum alioqui debilem nimis frangunt, contra Auerrh. 7. coll. c. 15. frigido; eo quod corpora calefacta qualia sunt hecticorum, non sunt neque amplius calefacienda, neque relaxanda, sed refrigeranda. Et quia potuisset aliquis dicere Auerrh. etiam tepida balnea per accidens refrigerare, hoc non vtile esse in hecticis respondet, sed potius in putridis, Gal. a. distincte tollit huiusmodi dissidium, vbi d. initio balneum tepidum esse administratum, vt præparet corpus. postremo autem vsurpandum frigidum, nam voluit dicere Galen. quod cum finis Medici debeat esse refrigerare, vt hoc melius possit consequi, primo tepida balnea sunt adhibenda, quæ disponunt ad refrigerationem, deinde frigida; neque valet Auerrh. ratio, quod tepida ex toto nani, quia hoc forsan verum esset, nisi post vsum tepidi adhiberetur frigidum. Itaque vbicumque placebit vobis balneis vti, debebitis primum immergere ægrum in tepidas aquas; deinde in frigidas, post quod balneum optimum est, corpora iam humectata inungere vel oleo Sabino, vel ol. rof. simp. vel omphac. Et quia plerique in balneis periclitantur, ne syncopen incurrant, prospiciendum est, vt ægri in hoc casu semper habeant subtus nares odorata. Huiusmodi sunt rosæ, violæ, folia citri, & similia: quæ odoratu non sunt calida, quales etiam sunt santali.

Num olea hecticis conueniant.

Partes autem quibus in hecticis remedia adhibentur, sunt cor, & pectus, iecur, & renes. Sed circa vsum horum communia quædam notanda. Vnum est, vt vnguenta & olea fugiantur, quoniam in corporibus hecticorum facile ardent & febrem augent. Nec obstat, quod nuperrime commendauerim oleum, quoniam hoc euenit post balneum: quando sc. corpora ita sunt humectata, vt periculum nullum immaneat ardoris, aut incendij maioris. Præterea notãdum, medicamenta externa hæc debere esse potentia & actu frigida, non ita tamen, vt immenso frigore oblint partibus exsiccatis, præsertim cum scripserit Hippocrat. 2. apho. 36. quæ sunt nimis frigida valde nocent pectori. Tertium est vt huiusmodi medicamentis semper commisceantur odorosa. Quartum est, vt non diu hæc remedia super partes affectas detineantur, sed subinde mutentur, & hoc quia nisi mutentur, etiam quod sint frigida, tamen incalescunt, & consequenter nullum emolumentum faciunt. Quintum est ne hæc remedia nimis astringant, quia cum

astrin-

astringentia sint terrea, & sicca, valde obsunt. Quare pro corde & pectore hæc epithemata conueniunt.

Epithemata pro corde, et pectore.

℞. aquarum rosa.
Borrag. uiol. an. lib. s.
Acetosa.
Enduiæ.
Nymphea an. lib. s.
Cort. citrio. ʒ. iij.
Sandalorum omnium camphoræ an. ℥. s.
Mis. & cum panno lineo fiat perfusio, & cordi & pectori, quemadmodum dictum. Iecinori autem similiter sunt adhibenda quædam, vt.

Epithemata pro iecore.

℞. Succi hepatica.
Lactuca. an. ℥. s.
Aquarum enduiæ acetosæ an ℥. iij.
Cithory an. ℥. s. s.
Aceto rosar. ℥. ß. M. & f. fomentum. De renibus etiam magna sollicitudo est habenda; si quidem inter alias calamitates, quib. hectici solent esse obnoxij, seminis profluuium est, quo solent magis & magis tabefieri. Igitur contra hoc malum optimum est, perfundere renes. Ideo Gal. in hoc casu vtitur suo illo vnguento, quod vocat infrigidans. Et fit ex ol. rosato omphacino & cera. Vos autem poteritis huiusmodi perfusionibus vti.

Perfusio pro calidis renibus.

℞. Succi polygoni, &
Lactuca an ℥. j.
Succi Semper uiui. ℥. v.
Seminis papaueris.
Mandrag. subtil. pul. an. ℈. ij.
Aceti. ʒ. v. mis. f. perfusio. quæ debet quidem frigida esse actu: sed non admodum præsertim in hecticis, quorum corpora cum sint admodum aperta & debilia, & carne priuata, facile in ijs neruosæ partes immenso frigore læduntur. Atque curatio hæc debetur primæ & secundæ speciei hecticæ. Tertia species hecticæ scilicet marasmus duos habet gradus; quorum secundus prorsus incurabilis est, quia totum corpus cadauerosum est, & emortuum ideo de ipso tractare non oportet. Loquendum a. est de primo, qui marasmus & ipse dicitur. Dicitur a. marasmus, quia corpus maxime confectum est siccitate, quia siccitas inducta est a caliditate, ad differentiam alterius dicitur marasmus torridus, aut, d. Philippus ευφρυγη. Curatio itaque huius posita est in humectatione & refrigerio, sed potissimũ in humectatione, eo quod siccitas potissimum sit, quæ lædit. Conueniunt igitur omnia auxilia, quæ audistis proposita esse in alia specie hecticę. Sed q̃a maior est affectus, & maior siccitas, & maior inanitio, cõsequẽter opus est maiorib. auxiliis & humectatoriis & restauratoriis. Vnde quo ad potum omnino abstinendum a vini vsu, nisi tamen vires secus exigant, quod contingit, vbi syncope imminet. Nam, vt d. Gal. in fine lib. de marasmo, præter marasmum torridum & frigidum, de quo mox, est alius quidam marasmus medius inter vtrumque, qui syncopus est. Et quia hic modo calorem, modo frigus dominus habet, fit ut interdum propter frigiditatem, & propter uires cogamur vinum dare, paucum tamen aquosum, & adstringens seu subadstringens vt d. Gal. fugienda est aqua frigida omnino in potione, quia cum calor sit languidiss. faciliter a frigore aquæ extingueretur. Cum ergo in marasmo torrido nõ liceat vinum dare, solẽt Medici varia potuum genera parare; inter quæ in primis est aqua destillata ex carnibus, aqua cochlearum, aqua extracta ex carne testudinum.

Curatio marasmi.
De nomine marasmi.
Aqua ex carne pro marasmo.

Soleo ego parare huiusmodi aquam ex carne;

℞ Carnis parua pulla. ℥. j.
Carnis testudinis ℥. j.
Cochlearum ℥. ß.
Amyg. dulc. ℥. ij.
Santalorum omnium ʒ. ij. Terantur omnia diligenter, & commista ponantur in phiala vitrea ad alembicum, s. a. Extracta enim aqua non est ingrata, & utilis est.

Circa cibos laborantium marasmo tria obseruanda, vnum vt cibi soli exhibeantur, qui optimi succi sunt, & multum alunt. Huiusmodi sunt cibi optimi, panis optime fermẽtatus, vitelli ouorum testes gallorum, carnes caponum, amygdalę, nuclei pinei. Imo vero, Arabes & pręsertim Auicen. laudat ut animalia, quarum carnibus marasmati sunt vsuri, nutriantur frumẽto & amygdalis, caseus mollis recẽtissimus, vt laudat Alex. Et quia facultas coctrix horũ ęgrorum admodum imbecilla est, omnes carnes sunt contundendæ & eliquãdæ, vt potius sorberi quam mandi possint.

Aliud notandum, vt nutriantur frequenter, sed parum, adeo, vt quater aut quinquies in die cibentur. Nam cum habeant infirmam ventriculi facultatem, tum retentricem, tum alteratricem, si paucis vicib. multum cibi præberetur, sane neque sustinere neque concoquere possent quod si etiam parum pręberetur & raro, vires, quę sponte labuntur, magis ad hũc ruerent, vnde partiendum est in plures vires. Tertium notandum est, quod proposuit Alex. a. probl. 80. vbi d. Medicos aliquos in nutriendis hecticis consueuisse semper præbere ante cibum aliquid

potus & aquæ vel iuris, quod maximè conuenit facientibus in marasmatis. Sicuti n. cæmentarij vbi nouos faciunt parietes, madefaciunt illos, quo possit magis calx hærere, haud secus necesse in corporibus marasmatis priusquā cibum sumant, irrigare mēbra arefacta aliquo humore.

Nū carnes cochlearum et testudinū conueniant.

De lacte idem dicendum quod heri dixi. Illud vnum addam, cum marasmus egeat paulo solidiore cibo, bonum est, ut lac belluarum, quo vti crassefiat paulisper iniectis silicibus ignitis id quod etiam facere vtile est in omni hectica curanda. vbi aluus nimis fluit. Solent, Medici præsertim, laudare mellis vsum. Sed non ita tutus est, & perniciosus est in prima & secunda specie hecticæ.

Consueuere practicantes in his casib. administrare carnes cochlearum & etiam testudinū, sed Altimarus hunc vsum damnare conatus est, eo quod hæc edulia sint difficilia admodum coctu, & ideo nequeant superari ab infirmis hecticorum ventriculis. Sed, pace Altimari, non video vllam rationem, qua debeat improbari inueteratus hic vsus, siquidem cū opus sit exhibere cibos, qui multum alunt, fieri non potest, vt non sint etiam difficiles coctu, quia, vt d. Galen. 7. meth. cap. 9. omnia multum nutrientia viscida sunt, & consequenter coctu difficilia, propter quod soleo ego dicere etiam caponum carnes, cum multum alant, difficulter coqui.

Præterea possumus & carnes testudinum & cochlearum ita contundere, eliquare & parare vt euadant non ita difficiles coctu. Et fortè ad hoc respexit Galen. 2. aph. com. 11. & 18. & etiam 8. de medic. local. quando dixit bulbos, cochleas, & huiusmodi cito, & multum alere, quod scil. possint parari ita, vt hæc omnia præstent. Quamobrem vbi quoque vobis continget vsurpare hæc genera ciborum, curate vt parentur instar contusorum, &, vt habeatis rationem.

Ratio utēdi carne testudinum.

℞. Carnes testudinum ℥. iiij.

Optime coquatur, deinde contundatur, & cum iure caponis fiat contusum, cui adijciatur vnica ana vel altera succi nucleorum pini. Et hac forma potest parari contusum ex cochleis. Fiunt etiam confectiones, quas vocant illi testaratina, eo modo, quo heri ordinaui. Et vt habeatis formulam.

℞. Carnis cancrorum fluuiat. caponum, testudinis, cochlearum an part. aequal. decoquunt in aqua communi, cui adde olei amygd. dulc. ℥. iiij.

Vini albi astringentis lib. s. deinde facta decoct. omnium colentur tum.

℞. dicta collat. lib. ij.

Lactis amygd. dulc. lib. j.

Sacch. fini. ℥. viij. ponantur ad bulliendum vsque ad spissitudinem mellis, deinde adde præd. carnes tritas, camphora, santali, sicci rasura eboris an ʒ. ij. misc. & cum foli auri, fiat mixtura s. a. qua mixtura, vt dixi nobis soleo uti in illis corporibus, quæ a marasmo penitus consumpta sunt.

Auerr. 7. collect. 5. in cura hecticæ laudat picationem, id est appositionem picis toti corpori, & laudat adductus hac ratione, quod corpora laborantia hectica habent virtutem membrorum attractiuam nutrimenti imbecillam, vnde necessarium est machinari aliquid, quo possit nutrimentum attrahi, atque istud est picatio. Ex qua Auer. auctoritate potestis colligere illos vehementer hallucinatos fuisse, qui dicebant idcirco hecticorum corpora incalescere post cibum, quia membra vehementer attrahunt cibum a ventriculo. Sed quanquam hæc ratio Auerr. sit grauis, tamen puto picationem in hoc casu conuenire, & ratio est, quia cum corpora sint valde incensa, & exusta, picatio potest minimum iuuare attractionem: sed potius sua caliditate magis membra arefacere, & incendere, quod autem decepit Auer. fuit auctoritas Galen. 7. meth. qui huiusmodi picationem commendauit in illa affectione, quæ dependet a siccitate ventriculi, quæ affectio, quia similis est marasmo, putauit bonus Auerr. idem remedium conuenire posse vtrique affectioni quod quidem non est vero consentaneum, quia in illa affectione Gal. vbi laudat picationem, non adest febris, vel saltem non sunt membra vsque adeo incensa, & calefacta.

Curati senij morbosi seu marasmi frigidi.

Post marasmum torridum tractat Auic. de alio marasmo, qui a veteribus dictus est senium morbosum, interdum etiam marasmus frigidus, interdum senium Philippi, & hectica senectutis. Et quanquam hic affectus non sit vera febris, vt d. Galen. 5. c. lib. de marasmo & 7. meth. 9. Pilip. tamen, quia cum marasmo torrido communicat in siccitate, voluere omnes simul etiam hunc tractandum.

Definierunt Galen. 1. c. lib. de marasmo. & Auic. 1. 4. tr. 3. capi. 9. hunc marasmum esse corruptionem corporis viuentis factam a sicco primum in corde, deinde in alijs membris cum extinctione caloris natiui. Et quia ad corruptionem humidi natiui sequitur semper siccitas, conuenire omnes, verum characterem huius marasmi esse ipsam siccitatem, vt etiam nomen Græcum significat, tum apud Medicos, tum apud Aristot. qui vocant μάρανσιν eum affectum, quem Medici marasmum. Hic affectus duplex est alter quidem naturalis, alter vero præter naturam. Naturalem apello non quod fiat a natura, quia nullam vnquam corruptionem molitur natura, sed quia fit secundum communem naturæ cursum. Vtraque hæc affectio efficitur tum in corpore viuente omni etiam in plantis, tum potissimum fit in homine; quæ fit in homine, & naturalis est, nihil aliud est nisi ipsa senectus, quæ non potest vllo modo dici morbus, nisi velimus dicere, vt dicebat Aristot. 5. de dignitate anim. capit. 4. quod senectus sit morbus Physicus id est naturalis, quæ fit in plantibus per metaphoram si fit naturalis, id est, secundum naturæ cursum, dicitur etiam senectus, & ab Aristot. lib. de iuuent. & senect. maransis, sic videbitis dicere scriptores arbores senescere: quæ vero fit præter naturam, & in

homi-

hominibus, & plantis proprie morbus vocatur, a Latinis marcor. In hominibus hæc affectio preter naturam dicitur modo marasmus sicut a Græcis, modo senium Philippi, modo hectica senectutis, Cor. Cel. eleganti s. appellat proprie tabem. Dimissa naturali tabe id est marasmo naturali, agemus de marasmo aduentitio. Voluit Gal. 1. c. & 7. meth. 7. huiusmodi marasmum duplicem esse aut simplicem sc. aut compositum. Compositum vocauit, in quo frigiditas copulatur siccitati; simplicem, in quo est pura siccitas absque dominio vel caliditatis vel frigiditatis. Errat Aetius lib. 5. cap 9a. vbi senectam ex morbo, quæ est hæc tabes, idem fecit cum marasmo tepido volens esse passionem calidam & siccam. Sed Rabbi Moyses in aph. quasi irridet Galen. quod putarit ab inedia & nimia fame posse introduci siccitatem absque frigiditate. Neque vsque adeo errauit hic vir, siquidem, vbi corpora nostra priuantur diu alimento, necessarium est, vt calor natiuus hebetetur, quo hebetato necessario sequitur frigiditas, vnde fieri non potest, vt siccitas ex defectu nutrimenti introducatur, quin simul introducatur frigiditas. Quid ergo dicendum, vt tueamur Galenum? Certe, ea in re mihi plane non satisfecit, ni dicamus, quod etiam videtur ipse innuere, vt istud quod d. Gal. rarissime contingere, & etiam durare non soleat. Potest quidem fieri, vt aliquibus diebus corpus priuatum alimento exsiccetur, neque refrigeretur, aut calefiat. Sed si duret media, si corpus magnopere exsiccetur, fieri non potest, vt simul etiam frigiditas non introducatur. Et hoc est quod d. Auerr. 3. collect. contra Medicos, sc. fieri non posse, vt illa intemperies simplex detur, aut si datur, vt diu duret. Quare cum marasmus, sit corruptio humidi natiui, & consequenter caloris, constituendum est, esse siccitatem summam vnacum frigiditate coniunctam, adeo vt semper refrigeratum sit vniuersum corpus, præsertim cor quod d. Galen. 5. cap. libro de marasmo, vbi contra Philippum d. marasmum hunc propterea febrem non esse, quia in nulla febre refrigeratur cor, cum tamen in hoc affectu semper sit refrigeratum. Sed si verum est, quod dicebamus heri, in nulla febre cor refrigerari, manifeste videtur sibi contradicere Galen. siquidem 3. de præsag. ex puls. 5. d. ferre d. in aliquibus febribus cor refrigerari plus iusto, vt aperta repugnantia videatur in verbis Galen. pro qua dissoluenda dicendum est, Galen. eo in loco 3. præsag. eam rem de cordis frigiditate in febribus proponere tanquam exemplum quoddam, non quod reuera in vlla febre cor refrigeratum sit.

Num detur intemperies simplex.

Quod si alio modo respõdendum est, dicere possumus cor frigidum esse, dupliciter dici posse, vel simpliciter vel secundum quid; simpliciter nunquam cor in febre refrigeratur, sed secundum quid, id est, comparatiue ad alias febres, quandoquidem fiunt interdum pestiferæ febres vsque adeo lentæ & hebetes, vt si comparentur ceteris, plane cor in ipsis refrigeratum esse videatur. Quanquam etiam dicere possumus, Gal. id dixisse non de toto corpore cordis, sed tantum de aliqua eius parte. Corn. Cels. lib. 3. cap. 22. tres species proposuit tabis seu marasmi ἀτροφίαν, καχεξίαν, & φθίσιν. Sed vere si res ipsa æstimetur, minime sunt species tabis aut marasmi, sed potius sunt causæ, vt suo loco dicetur.

Itaque multo melius fecerunt alij, qui ex sententia Galen. 7. meth. 5. & 6 nec non libr. de marasmo. 6. tres gradus fecerunt huius marasmi, quemadmodum febris hecticæ. Nam alius gradus est, cum exsiccatur humiditas illa rorida. Secundus, cum exsiccatur humiditas adiposa, & carnosa: tertius gradus est cum humiditas natiua consumitur, adeo, vt sint vere tres gradus, seu tres species marasmi frigidi, vt & febris hecticę, & ceterorum morborum, quia in omni morbo est principium, est medium, est & finis, secundum quæ tempora licet nobis species tres facere.

Tres gradus marasmi ex Gal.

Causæ marasmi frigidi vel sunt internæ, vel sunt externæ. Inter internas causas prima est frigiditas siue potius caliditatis extinctio cum virium debilitate, propter quam, cum nutritio vitietur, consequenter corpora alimento orbata relinquuntur, vt deinde necessario siccitatem, & demum tabem hanc contrahant. Altera causa interna est dispositio quædam, & naturalis corporis aptitudo. Vt. n. nonnulli ad phthisin natura propensi generantur: sic interdum fiunt homines inclinati ad hunc marasmum. Sed quæ huiusmodi sit inclinatio, non ita facile intelligitur. Veruntamen, si consideremus ea quę d. Gal. 10. meth. 8. & lib. de marasmo 7. nec non Rabbi Moyses 3. aph huiusmodi promptitudo posita est maxime in temperamento naturali primũ cordis, deinde iecoris, vltimo ventriculi; adeo vt qui viscera hæc a natura sunt sortiti sicca, maxime omnium propensi sint ad suscipiendam hanc affectionem.

Causa marasmi frigidi.

Sed hoc loco oritur dubium ex repugnantia dictorum Gal. nam 7. c lib. de marasmo d. a pulmone sicco natura nunquam fieri huiusmodi marasmum: contra autem 10. meth 8. d. pulmonem etiam sua siccitate conferre ad hanc tabem frigidam inducendam. Dicendum est breuiter pulmonis insignem siccitatem posse etiam facere hũc marasmum: verum multo difficilius & multo rarius quam cetera uiscera, & ideo Gal. qui respexit difficultatem & raritatem huius ægritudinis in lib. de marasmo. d. nequaquam fieri.

Nũ pulmonum siccitas possit facere marasmum.

Ad hæc ętas quoque causa mediata est huius ægritudinis, quia Galen. & præsertim Auic. prima 4 vbi tractat de hac ægritudine scribit, senes potissimum tentari hac ægritudine. Circa quã Auic. sententiã dubitare soleo. primũ, quia, si spectemus rationem, iuuenes & pueri habent humidum, quod multo facilius consumitur, quam humidum senile, si ergo ęgritudo est pura siccitas, cum pueri & iuuenes promptius exsiccentur, consequenter videntur promptiores esse ad hominis ęgritudinem capiendam. Si spectemus auctoritatem Rhases. 30. continent. d. Iuuenes & pueros magis tentari marasmo frigido quam senes. Si etiam spectemus experientiam, testati possum, in hoc vitæ meæ curriculo vidisse multo plures iuuenes hoc marasmo

Num senes iuniores ue magis huic marasmo obnoxij.

tentatos quam senes. Itaque ex omni parte videtur, si non falsa, saltem suspecta esse sententia Auic. dicendum .a. puto tentari aliquo morbo intelligi dupliciter, vel vniuersaliter & simpliciter, vel particulariter. Vniuersaliter ab omni causa potest magis iuuenis tentari marasmo frigido quam senex. Particulariter autem senes magis tentantur a frigido marasmo, qui fit a causis frigidis quam vlla alia ætas. Et ratio est quia ceteræ ætates habent plus caloris, & consequenter plus resistunt causis lædentibus. Senes vero cum habeant pusillum calorem, consequenter parum resistere possunt causis refrigerantibus.

Causæ præter naturam internæ sunt nimiæ vacuationes sanguinis, vrinæ, morbi diuturni, febres ardentes, & inedia, quæ nimis euacuando, & exsiccando huic affectioni non raro occasionem præbent, & præ ceteris, vti narrat Rabbi Moyses ex sententia Gal. est apostema indissolubile, sunt vero apostemata indissolubilia illi crudi, & rebelles tumores duri riuorum præcipuorum. Videatis Gal. 5. de loc. affe. 2. vbi d. sese vidisse, & simiam maxime exsiccatam & gallū propter tumores duros qui erant circa cor. Simili tumore Antipatrum (ni fallor) consumptum dicit Gal. 4. de loc. aff. c. vlt. Externæ causæ sunt & ipsæ complures, Aer vel nimium æstuosus, sicuti enim videmus propter nimiam caliditatem corpora, & hominum, & brutorum magnopere æstuare, ita vt propter siccitatem canes, & multa animalia incurrant rabiem, pariter contingit, vt homines propter vehementem æstuationem sub sole, incurrant huiusmodi affectionem; vel nimium frigus, vapores praui, & venenati attracti in corpus quando scilicet vel ex foueis frumenti, vel ex cauernis, vel ex aquis putrefactis attrahitur habitus perniciosus, & lethalis, qui statim intemperiem magnam in cor immittit, permutatio a motu ad otiū, vt narrat Rabbi Moyses ex sententia Galen. in libro de somno, & vig. quem nos desideramus, & lib. quem appellat Micropulsum puto ego esse de puls. ad Tyrones in hac enim mutatione calor languescit magnopere, & quasi propter otium hebetatur, vnde postmodum sequitur siccitas, nimiæ solicitudines, nimia Venus, & vsus immodicus, potus frigidi, atque etiam ciborum frigidorum quando scil. vel a Medico, vel ab ægro sumitur ipsa frigida intempestiue, id est quando sumitur in corpore nimis debili, nimis extenuato, aut quando sumitur frigida post balneum, vel post vehementes, & magnas exercitationes frigida petetur, non solum vehementer offenditur imo vero statim iugulatur; & ratio est quia vbi corpora per excitationem sunt aperta, frigidum facile penetrat, & ita intime penetrat, vt calorem sæpe, & statim interimat. Habet hic marasmus omnia prope signa, quæ habet etiam & calidus & torridus marasmus, & sunt signa faciei cadauerosæ manifesta. Tria autem videntur sibi propria esse. In primis est frigus totius corporis, & quia si contrectentur corpora huiusmodi ægrorum, tota frigida sunt, etenim in vero marasmo quantumcunque consumpta sint membra, semper tamen calent, & quasi ardent in hectica senectutis si tangatis frigent. Ad hęc pulsus ipsorum maxime rarus, maximeque tardus est, in alijs autem speciebus hecticæ est quidem pulsus paruus, & debilis, sed celer, & frequēs, vrinæ albæ sunt, aquosę & omnino tenues. His potestis addere quartum, & est similitudo quædam quæ apparet inter hos, & illos, qui sunt ob senium valde confecti, & consumpti. Prognosticum signum in his est, quod prima species & secūda huius curabilis, sed difficiliter. & vidi ego curatos aliquos, tertia vero prorsus incurabilis: quippe cum in hoc gradu corpora sint pura cadauera. Vnde Galen. cap. 5. lib. de marasmo. & Auic. sapientissime dicebant quod si tertia species huius hecticæ posset curari, fieri etiam posset, vt Medici homines a morte liberarentur atque immortales fierent. Nos de solo curabili affectu tractabimus.

Igitur pro cura primæ speciei opus est humectare, & etiam calefacere simpliciter, propterea quod hic morbus simplex est sine vlla materiæ commixtione, est intemperies frigida, & sicca vnde aer eligendus est calidus & humidus, dormiendum est quantum fieri potest, & præsertim dormiendum in plumaceis stratis: imo Gal. 7. meth. in cura siccitatis ventriculi laudat vt noctu, vel puerulus; vel catulus supra ventriculum detineatur. Nam corpora hęc cum calidissima sint, & humida, maxime recreant & reficiunt exsiccatos ventriculos, ab irgandæ curæ, quæ icēdum ait, lauare etiam optime corpora: &, vt d. Galen. ex sententia Hom. summa curationis est, lautè sumere, & dormire. Potus conuenit ex vino. Sed vinum debet esse mediocri substantia, & viribus dicebat Gal. quia generosum, sicut calefacit, ita etiam exsiccat. Cibi conueniunt optimi, & faciles coctu ex ouis, ex carnibus caponum nutritorum, vt dixi. Et soleo curare, vt parentur contusa ex his carnibus cum lacte nucleorum pini, vel lacte amygdalarum, præsertim a loco cibi conuenit in his casibus, & lac, & mel, lac si humanum, atque eius mulieris, quæ optime sit nutrita, quæ fugiat omne genus ciborum refrigerantium, & exiccantium, in humani penuria habendum asininum, vel caprinum. Sed quia omne lac huiusmodi est nimis serosum, ea propter iure commendatur, vt inijciantur lapides igniti, vt serum absumatur. De melle dicebat Galen 4. de simpl. medic. quod si in corpore calido administretur calefacit, & bilem auget. Si vero in corpore frigido calefacit quidem, sed illa caliditas valde vtilis est, propter quod si quid aliud in ipsa senectute commendatus est mellis vsus. Extrinsecus præter balnea commendantur frictiones, picationes, de quibus Aet. l. 3. cap. 180. ex pice eliquata corpori adhibita, deinde vi extracta. Et notandum, deceptum esse Auer. 7. coll. 16. vbi commendauit picationes in marasmo calido, quæ quidem non conueniunt, sed conueniunt potius in frigido, quippe cum calefaciendi potestatem habeant, simul etiam nutrimentum attrahunt. Ad hęc etiam conuenit in hiatum mollire cum his clysteribus, quos docui vos in marasmo. Atque hic est finis tractationis febrium hecticarum.

CAPVT VIII.

De febribus putridis.

TRactatio de feb. putridis maxime omnium necessaria est Medicis futuris. Primũ, quia, vt d. Gal. 3. c. lib. 3. de diff. resp. omnes morbi acuti vel sunt febres putridæ, vel sunt coniuncti cum febribus putridis: imo, vt meminit Galen. 1. de diff. feb. 5. fuit dogma antiquum, omnes febres putridas esse. Nam Hipp. lib. de veteri medicina d. homines febricitare non calido simpliciter; sed vel calido salso, vel calido amaro, aut aliquo alio simili, quasi dicat semper febricitare homines ab aliquo humore putrescente. Præterea Plato in Timæo dum tractaret febriũ theoriam ascribens vnum quodque genus febris alicui elemento significasse videtur apud ipsum omnes febres fuisse ab humoribus. Athenæus etiam, quem Galen. refutare abstinuit, fuit huius sententię quod vt ipse ait præter diarias, omnes febres sunt putridæ, nec immerito, quia vt docui vos alias ex Galen. etiam hecticæ febres quodammodo putridæ dici possunt. Et quod magis est, Galen. quoque non videtur ab hac sententia abhorruisse, vt ideo pertineat maxime vigilare circa hanc tractationem: quam vt perspicuam & exactam habeatis, statui primo vniuersalem putridarum rationem explicare, deinde particulares species diligentissime expendere. Quæ vniuersaliter tractabo tria erunt, primum, quæ sit vniuersalis natura & causa putredinis: quæ sint signa febrium putridarum: postremo quæ sit methodus, & ratio vniuersalis curandi has febres putridas. Et quia causa putredinis seu febrium putridarum est vel humor putrescens, vel ipsa putredo: primum breuiter declarandum, quid sit putredo: de qua re scriptores & prolixi, & obscuri fuere: ego vero & breuitate, & luciditate qua potero maiore vtar. Constat apud omnes Medicos, & Philosophos omnia hæc sublunaria ex elementis commixta esse, quorum elementorum harmoniæ quam diu durant, tamdiu esse, & vita rerum permanet, vbi autem hæc harmonia alteratur, & corrumpitur, statim vita, & essentia rerum permutatur: quoniam vero hæc harmonia elementorum diuersis modis alterari, & corrumpi potest, ea propter diuersæ corruptionis differentias ab auctoribus traduntur, vt ab Arist. lib. de longit. & breu. vit. a Theoph. lib. de igne, a Galen. lib. de causis morb. Fit vero alterat. vel corrupt. harmoniæ elemẽtorũ duob. modis, aut intrinsecus, vel extrinsecus. Si intrinsecus fiat hæc alteratio vel corruptio aut fit subito, aut paulatim. Si subito fiat, nascitur ea corruptionis species, quæ Græcis dicitur πνῖγος, a Latinis suffocatio, & hæc est quando a multitudine humoris calor naturalis repente obruitur, quod Galen. 2. aph. 2. in Athletis scripsit contingere, quod scilicet ob sanguinis nimiam copiam suffocantur. Si vero paulatim fiat hæc corruptio a Græcis dicitur μάρανσις, nostri vocant marcorem, atque hæc corruptio contingit quando humidum paulatim absumitur, atque euanescit; vt contingit senibus. Si extrinsecus corruptio ortum ducat, vel efficitur a frigido, sicco, vel a calido, vel a frigido humido: vbi efficitur a frigido sicco, dicitur a Græcis αὔανσις, nos possumus dicere exsiccationem, possumus etiam dicere extinctionem, Vnde Virg. 1. Georg ait penetrabile frigus indurat, & hęc efficitur quando plantę, aut animalia necantur sub aere valde frigido, & sicco, vel etiam quando ignis sub aere valde frigido extinguitur: vbi autem fit hæc corruptio a frigido humido, nuncupatur a Græcis σβέσις, possumus & nos hanc appellare extinctionem. Ceterum si corruptio ortum ducit a calido, vel fit a calido magno, & statim agente, vel a calido modico, & paulatim operante, vbi fit a calido magno dicitur καῦσις a Græcis, Latini dicunt exustionem, vt contingit vbi corpora a febribus ardentibus consumuntur, vbi autem efficitur a calido modico, & paulatim agente dicitur σῆψις, seu putrefactio. Ita quod ex hac diuisione potestis, facile colligere, putrefactionem differre ab aliis corruptionum generibus, quas differentias omnes si probe examinasset Fern. vir magnus, secundo de abditis rerum causis, non dixisset hanc solam differentiam esse inter corruptionem, & putrefactionem, quod corruptio fiat statim, putredo autem paulatim: neque item alium errorem non contemnendum commisisset, vbi dixit putredinem fieri cum a frigore, tum a calore. Videamus modo circa quid hæc putredo existat, quod quoniam alias diffuse disputaui, nunc tantum versabor circa definitionem putredinis, allatam ab Aristot. 4. meteor. 1. quod eo libentius facio, quia Galen. 2. de diff. feb. 9. huiusmodi definitionem vt optimam cunctis aliis anteponendam indicauit.

De putredinis definitione.

Est putredo corruptio propriæ, & natiuæ caliditatis in vnoquoque humido a calore ambiẽte. Dicitur corruptio, seu φθορά, quoniam, vt d. Rabbi Moyses 23. aphor. ex sententia Galen. 2. commen. in Timæum, veteres omnes vsi sunt hac voce pro omni mutatione ad deterius, seu imperfectum, quemadmodum vsi sunt nomine putredinis tum pro mutatione ad speciem dissimilem, veluti quando vinum mutatur in acetum: vel pro simili mutatione sed cum fętore. Dicitur cal. innati, quoniam quamdiu calor natiuus inuiolatus perdurat in corporibus, tamdiu expers remanet cuiusque putredinis. Et cum calidum natiuum sit substantia quędam ex sanguine, semine & spiritu, in putredine minime hęc omnia delentur, aut corrumpuntur, sed harmonia & ligamentum ipsorum dissoluitur, vt ideo putredo non sit simpliciter corruptio caloris facta, sed sit corruptio in fieri tãtum, vt propter hoc forsan in aliquibus codicibus Gręcis legatur non simpliciter φθορά, sed τις φθορά, id est corruptio quędam: Dicitur in vnoquoque humido quia tria sunt in corporibus animalium humida, aliud est elementare quod vel aqueum, vel

aereum existit, aliud est nutrimentale, quod est vel sanguis, vel pituita naturalis, vel quicquid in nutrimentum accedit, vt humidum terreum, quo fruuntur plantæ, aliud excrementitium, atque hoc vel vtile vel inutile dictum est ab Arist. in vnoquoque humido; Respondeo sic dixisse, vt comprehendat quodlibet genus horum humidorum, non quidem quod simul in qualibet putredine cuncta humida corrumpantur, sed quod nullum est humidi genus, quod non sit capax huiusmodi putredinis, tametsi aliud genus putredinis subire videatur humidum natiuum, aliud alimentale, aliud excrementitium. Dicitur vltimo, ab externo calore: quoniam, vt Arist. testatus est 2. sect. probl. 33, vt calor natiuus concoquit, sic calor externus semper putrefacit, cũ, vt audiuistis, a calore ambientis putredo fiat, nisi prohibeat; quin etiam summo hyemis tempore putredines oriantur: siquidem, vt d. Auer. 3. col. 4. nunquam potest aer ad tantam frigiditatem peruenire, quin aliquid caloris in se contineat vt merito huius caloris etiã in summo hyemis oriantur putredines, propter quod præclarissime scriptum est a Gal. 1. de temperamen. 4. nil posse putrefieri a frigido, & sicco.

Cur Gal. diuersam definitionẽ laudatã Arist. probet.

Ceterum, circa Arist. definitionem, duo consideranda sunt. Vnum, cur Gale. 2. de diff. feb. 9. vsq; adeo laudet hanc definitionem, cum 11. meth. 8. diuersam definitionem attulerit; vbi d. putredinem esse mutationem totius substantiæ putrescentis a calore externo. Aliud considerandum, quod Gal. laudet hanc, cum 5. de simpl. medicamentis 5. dixerit putrediñe fieri cum fętore. Ad primum sum huius sniæ definitionem allatam a Gal. nil differre nisi verbis a definitione Arist. Et vt vtramq; perpendamus, vtraq; tres particulas habet. Prima particula est in Aristo. corruptio, in Gal. mutatio ad corruptionem. Iam vero, quis non videt idem esse corruptionem & mutationem ad corruptionem? Secunda particula in Arist. est caloris natiui in vnoquoque humido, in Galeni definitione secunda particula est totius substantiæ corporis putrescentis. Iam vero dicere, calorem natiuum corrumpi in vnoquoque humido, nil aliud est, nisi dicere, totam substantiam corporis putrescentis corrumpi. Nam cum corpora constituantur ex humoribus gubernatis & conseruatis a calore natiuo, vbi calor natiuus amplius non gubernat, certum est, totam substantiam dissolui, & consequenter putrescere adeo; vt etiam hæc secunda particula & in Gal. & Arist. eadem sit. Tertia quoq; manifeste eadem est, siquidem, siue dicamus calorem ambientis aeris, siue externum, nil refert. Nam, Galen. 2. de d. f. febr. 9. interpretans quid apud Arist. sit calor ambientis aeris, d. esse calorem externum in vnoquoque genere, siue sit in terra siue in aqua, siue in corpore, siue extra corpus semper habet rationem ambientis. Et hoc nobis, significasse Arist. quando initio 4. meteor. d. Ideo in hyeme minus putrescere corpora, quia calor externus minor est tũ in aqua, tum in aere, quasi velit, et calorem externũ in aqua repertum esse putredinis parentem. Neq; placere mihi potuit illorum snia, qui nomine ambientis dixere fuligines esse intelligendas; siquidem fuligo est pars putrescentis corporis nõ autem causa putredinis. Itaque si vnam quamque particulã definitionis Arist. & Galeni expendamus, manifestum fit, ambas esse concordes & ambas optimas, vt Argentorius super Artem parvam iure damnandus sit, qui ausus fuit asserere nec Arist. nec Gal. putredinem intellexisse.

Nũ omnis putredo fiat cum fętore.

Ad secundum de fętore dicẽdum, putredinem duplicem esse apud Arist. 4. meteor. 1. aliam contrariam simplici generationi, atque hanc naturalem nec non interitus omnium rerum finem, aliam vero esse putredinem violentam, & morbosam, de qua loquuntur Medici, & quam definiisse puto tum Arist. tum Gal. & quam putredinem proprie vocarunt; nam primam vniuersalem minime vocarunt putredinem veteres. Hæc putredo violenta & morbosa, est adhuc duplex: alia, quæ partem tantum corporis putrescentis depascitur, alia quæ totum corpus putrescens. Putredo prior quam diximus naturalem, & vniuersalem est sane expers omnis fętoris. Nam videmus omnia corpora senescentia cum putrescunt, putredine hac naturali non fætere, imo vero secunda putredo, quæ morbosa est, neque omnis fætorem habet, quia si exigua sit, & non etiam semper hæc secunda putredo totum subiectum vt altera, vel totam carnem vel totum sanguinem capit, partem tantum occupet, omni graueolentia & fætore caret. Sic videmus fungos putrescentes non tantum non fætere, sed interdum olere: quinimo moschus, si vera est ipsius generatio vt dicitur, est sanguis cuiusdam animalis Gazelæ dicti, putrefactus, & tamen odoratissimus est. Ad hæc vbi sanguis conuertitur in pus laudabile clarum est, quod hoc fit a putrefactione sed in hac putrefactione nullus inuenitur fætor imo inter alia signa optimi puris tradita ab Hip. hoc vnum est, quod sit sine fætore nec dicat aliquis fætorem non fieri post putrefactionem, sed in ipsa putrefactione, quia etiam cum hæc putrescunt, modo putrefactio non sit insignis protsus fætor omnis abest. Itaque neque omnis putredo morbida fætida est: sed tantum putredo insignis, ea quæ depascitur totum corpus. Et de hac loquitur Galen. 5. de simpl. med. vbi d. medicamenta putrefacientia id facere cum fætore.

Non omnis putredo etiã morbosa fætet.

Addite, quia insigniter putrefaciunt. Hinc intelligitur Fern. duos errores commisisse, 2. de abditerum caussis 10. Vnum, quando dixit omnem putredinem esse cum fætore, alterum, cum probare conatus est, putredinem interdum esse morbum totius substantiæ. Nam putredo numquam est morbus, itaque tribus maximis argumentis probari potest. Primo quia non lædit immediate operationes, vt facit morbus, sed si lædere debet, necessario id facit medio intemperiei: præterea putredo fit in humoribus, qui non sunt corpora viuentia, at morbi subiectum debet esse corpus viuens & animatum. Ergo nunquam putredo potest esse morbus. Vltima ratio est, quia putredo est in fieri, morbus autem res permanens est, & facta, non autem est in fieri. Ita quod hisce omnibus argumentis facile conuincatur Fernelius

nullam

nullam putredinem morbum esse posse.

Habetis igitur integram naturam putredinis in vniuersali sumptæ. Nunc, quia loquimur de putredine, quæ fit in corpore humano, consequens est, vt inquiramus causas huius putredinis. Sed antequam vlterius progrediamur scire debetis huius nostræ putredinis Gal. 11. meth. cap. 7. tres differentias fecisse, vna est quod alia est putredo, cuius causa permanet, & alia cuius causa abest, sursus alia est totius corporis, alia vero partium corporis: deinde alia est cum inflammatione, alia sine inflammatione. Causas omnium harum putredinis specierum si cognoueritis, cognoscetis etiam causas omnium febrium putridarum. Galen. lib. de causis morb. cap. 2. videtur omnes putredinis causas referre in duo, scilicet in pharmaca putrefacientia, aut excrementa, nec nõ in prohibitam transpirationem 3. vero epid. com. 3. tex. 1. tres causas putredinis agnouisse videtur, calorem externum humiditatem atque immobilitatem. Vt etiam ex methodo inueniamus omnes has causas dicendum est nobis, putredinis alias esse causas naturales, alias efficientes, alias vero concausas, appello hoc in loco concausas loca ipsa conclusa, vbi fit ipsa putredo, sine quibus nihil videtur in corpore nostro putrescere posse. De causa materiali iam constitutum est omne humidum nostri corporis esse causam materialem putredinis, siue sit humidum elementare, siue nutrimentale (vt sic loquar) & excrementitium, hæc enim tria humidi genera supra posuimus, præter quæ sunt etiam corpora humida scil. caro, adeps, & similia. Nam perspectum est, omne genus humidi, quodcunque sit, ad putredinem tanquam causam materialem concurrere. Superest vt de causa efficiente & de loco putredinis verba fiant. Gal. 8. cap. de causis morb. d. putredinem fieri & a medicamentis siue excrementis putrefacientibus & a prohibita transpiratione. Idem Gal. 3. in 3. epi. t. 2. dicebat, putredinem fieri ab humiditate, immobilitate, & calore externo, sed vt vno genere omnes causas effectrices complectar dico vnam esse causam effectricem totius putredinis, & hanc nõ aliam esse, quam ipsummet aerem ambientem siue calorem externum, siquidem defecisset. Aristot. & Gal. si tradenda definitione putredinis non attulisset veram causam effectricem. Aut magis quod ipse Gal. 2. de diff. puls. initio d. veras definitiones tradi per causam effectricem. Modus autem quo puto ego aerem esse causam effectricem totius putredinis est, quod aer ingreditur corpora humana vel per arterias, vel per inspirationem, vel per cibum, vel medicamenta, quæ ore capiuntur. Hipp. in lib. de natura humana, & præsertim lib. de flatibus videtur omnes causas putredinis referre in aerem externum, & in cibos: quam sententiam videtur somnasse Auic. nec quis existimet lib. illum de flatibus non esse Hipp. vt conatus est probare tempore nostro Valeriola, quia videbitis grauissimos scriptores eum librum vt genuinum Hipp. citare, nã Celsus in procemio dum refert Hipp. dogma esse, quod morbi fiant a flatu, hunc ipsum librum intelligit, similiter Erotianus in Onomastico, Stobæus ex sententia Galeni, Gregorius Nazianzenus, auctores grauis. Si omnes citant hunc lib. tanquam Hippocr. vt prætermeam multa loca Galen. in quibus citat hunc librum tanquam genuinum. Aer igitur externus vt habetur in hoc lib. gignit in nobis putredinem duobus modis, vel attractus per arterias, & pulmones, vel attractus per cibos, & potus.

Porro aerem attrahi per cibum, res est nota. Nam Hipp. in lib. de flatibus homines vna cum cibo attrahere aerem, quia statim vbi sumptus est cibus, fiunt eructationes, quæ quidem non contingunt quia flatus gignatur ex cibo, quia cibus eo tempore nondum alteratus est, sed quia aer cum cibo attractus egredi nititur, vt ideo Medici ipse moneant, ne homines magno impetu cibos deuorent, quia tunc vt d. Auic. multus aer cum cibo attrahitur. Aer per arterias, & pulmones duabus rationibus putredinem inducit, prima est, quando ita concluditur, vt ventilari non possit, alia ratione quando non solum concluditur, verumetiam quando permixtus est corporibus impuris, ac contagiis, quæ Hipp. sua lingua vocat μιάσματα. Concluditur autem aer in corporibus nostris vel quãdo cutis corporis astringitur, aut balneo astringente, vel aere frigido, aut alia aliqua ratione, vel etiam concluditur aer in corpore, quando obstruunt meatus ab humoribus viscidis, & crassis, ita quod aer etiam externus non videtur per se putredinem facere posse, nisi coarctetur, & hoc est quod scribit Gal. 11. meth. 4. ea corpora maxime putrescere quę calida, & humida sunt, quæque in loco calido conclusa sunt. Aer autẽ, qui per cibos putredinem corporibus nostris ingenerat, id facit multis modis, & quanquam Gal. simpliciter in lib. de cibis boni, & mali succi dixerit cibos prauos putredinem facere, Veruntamen Auicen. 1. 4. vbi tradit causas putredinis, videtur paulo latius hanc rem explicuisse. Igitur cibi putredinem faciunt, vel quia praui sunt prauos dictum, secundum substantiam, tunc etiam secundum qualitatem, vel ob nimiam copiam, vel nimiam prauam præparationem, v.g. quando vel nimis assantur, vel sartagine coquuntur, vel duriores efficiuntur, vel importunitatem sumendi, vt quando sumuntur nondum priore cibo confecto, vel quia non eo ordine quo deberent, vt quãdo capiuntur liquida non in principio sed fine, vel aliquam aliam causam ex relatis ab Auic. Aerem autem immixtum cibis facere putredinem etiam innuit Arist. 13. part. probl. vbi tradit causam fœtoris oris ieiunantium, & lib. de iuuen. & senect. c. vlt. Externus igitur aer est verus, & primarius auctor omnis putredinis quippe qui vel calidus aut putridus attrahitur in corpus aut cibo, aut respiratione, vel in corpore conclusus nimium incalescit, & calefactus primum humores dissoluit: dissolutos, vel dissipat, vel in cinerem conuertit. Et hoc est quod d. Arist. 13. sect. probl. & 14. probl. 7. vbi quærens rationem, propter quam habitantes locis concauis citius senescant, d. ideo esse, quia in huiusmodi locis aer conclusus, & immotus manens putrefacere citius corpora facit.

Sed h. l. occurrit contradictio. Arist. qui 22. sect. probl. 4. & 25. sect. probl. 17. quærens rationẽ

propter quā fructus cōseruantur in vtribus flatu plenis d. ideo esse, quoniā omnia, quę mouentur putrent; vt cum fructus in huiusmodi vtrib. contenti non moueātur cōsequenter & minime putreāt, ita quod voluerit Arist. immobilitatē conseruare a putredine, cuius cōtrariū habet sect. [illegible] vj. Ex quibus verbis appatet contradictio in verbis Aristot. Petrus Aponensis, qui vidit hanc difficultatem, vt contradictionem tolleret, d. duplicem esse motum: alterum alterationis, alterum localem; quæ mouentur localiter d. hæc minime putrere; quæ autem mouentur motu alterationis a putredine facile tentari, ideo, quando Aristot. d. cuncta mota putrescere locutum de alteratione, secus a. cum locutus est sermonem habuisse de motu locali.

Hæc solūdi contradictionē ratio mihi placere non pōt, quia cū Arist. d. oīa mota putrescere subiūgit, quę cōtinētur in vtribus carere vacuo, ideo nō moueri. Ex quib. verbis colligitur eū esse locutū de motu locali, non de alteratione. Nodus hic explicatu difficilis est, & multos doctos diu fatigauit, nec vt libere dicā, ipse quoque hac in re resolutus sum; quandoquidē aperta est in Arist. cōtradictio. Puto tamē hūc in modū diei posse, aerē posse trib. modis cōsiderari, vel penitus immotū, vel penitus motū, vel partim motū, & partim immotū. Si cōsideremus ipsum penitus immotū, procul dubio res, quas cōtrectat, cōseruat. Et ratio est, quia cōtinuo illo tactu fit similis rebus quas tāgit. Et cū in hac similitudine perseueret, fit, vt res tactæ cōseruētur, quia simile a simili conseruatur. Aer penitus motus & ipse conseruat a putredine, ratio est diuersa, quoniam vbi aer hoc modo mouetur, semper renouatur, renouatus aer consumit omnia excrementa, & calorē natiuum rerum continuo reficit & recreat. Et hoc est quod d. Arist. 14. sect. probl. eos, qui habitant in locis apertis & eleuatis tardius senescere, quoniā his in locis aer continuo renouatur a ventis ita, vt nec ipse putredine contamineur; nec alias res putrescere faciat.

An aer partim motus partim immotus causa putredinis.

Ceterum aer partim motus & partim immotus hic est, qui auctor est putredinis, siquidem motus aer incalescit, calefactus calorem natiuum rerum hebetat, & consequenter putredinem inducit. Cum autem ex hoc motu non renouetur fit, vt neque etiam suo hoc motu pusillo impedire queat putredinem. Et hoc est, quod d. Arist. de vtribus flatu plenis, in quibus cum prorsus manet aer immotus, conseruat a putredine. In locis concauis mouetur quidem aliquantis per aer, sed non mouetur motu libero, quia non renouatur, & cōsequenter putredinis occasionem insignem præbet. Sed est & altera dubitatio, quia Arist. lib. de longit. & breuit. vit. capitulo quinto, ait omnia pinguia imputrescibilia propter aerem, cum tamen manifeste appareat pinguiores carnes celerrime putrescere. Bocceferreus qui vidit difficultatem dixit duplex esse pingue aliud ex puriore sanguine, aliud carnosum, illud esse imputrescibile, hoc autem non. Sed hæc respon. nulla, quia æque omnia pinguedo velociter putrescit, imo idem Aristot. 2. de partib. anim. cap. 5. scribit, quæ pinguescunt celeriter senescere. Quare dicendum est aliud esse genus pinguedinis oleosum, vt oleum, aliud adiposum seu carnosum, de primo loquitur Arist. nam non solum oleum non putrescit, imo, alia a putredine conseruat, & quidquid sit, Aristot. vtitur voce λιπαρόν, quod est apud Auctores omnes proprium olei epitheton, quod etiam ipsemet Aristot. testatur 4. met. capit. 9. vbi ait fuliginem esse πιμελῶν seu adiposorū, putorem verò λιπαρῶν, vt olei. Iam vero viuentia, quæ habent hanc pinguedinem sunt plantæ resinosæ, vt olea, de cuius viuacitate plura prodidit Plin. cap. vlt. lib. xvj. picea, pinus, larix, abies, cedrus, quæ diutissime viuunt, nec putrescunt.

Dictum est a me concausam putredinis esse locum vbi corpora putrescentia clauduntur: videndum est quomodo hæc loca faciant putredinem, & quæ sint hæc loca. Quo ad primum clarū est, aerem ipsum conclusum in corpore, atque etiam calorem internum, continua opus habere ventilatione, & agitatione, vnde si quando aufertur hæc ventilatio calor naturalis quo pacto a fuliginibus suffocatur, & diminuitur: ipso diminuto aer magis incalescit calor externus augetur, qui dissoluens humidum, qui ante calore natiuo gubernabantur primo fluida ipsa reddit, deinde magis auctus, dissipat, & comburit, atque tandem in cinerem conuertit, propter quod iure dicebat Arist. quæ putrescunt primo humida, deinde fieri sicca, & hoc etiam est quod dicere voluit Auerr. 3. coll. 3. vbi per se semper a calore externo, per accidens a frigore putredinem fieri docet.

Loci in quibus fit putredo in corpore humano.

Sequitur vt de locis, in quibus fit putredo in corpore humano loquamur. Galen. vniuersaliter xj. meth. 4. d. loca cal. & humida ea esse, in quibus prouenit putredo. Et hanc istam omnes scriptores secuti sunt. Ceterum, quia in corpore nostro multa huiusmodi loca comperiuntur, quæ sint proprie apta ad faciendum putredinem, cōtrouersum inuenio. Nam, Alex. Trall. lib. 12. suæ medicinæ in principio varias sententias circa hanc rem proponit. Et, vt ego colligo, tres fuere sententiæ. Vna eorum, qui credidere, in venis non fieri putredinem, secunda eorū, qui putarunt in venis tantum fieri putredinem. Tertia fuit opinantium tum in venis, tum extra venas fieri. Qui putarunt non fieri in venis putredinem, vt d. Alexan. adducti sunt hac ratione, quod in ipsis minime gignantur vermes, qui quidem in locis vbi fiunt putredines fieri solent. Sed friuola est hæc ratio, quia vermes nō gignuntur ex qualibet putredine, sed tantū ex humoribus crudis, & crassis putrescentib. qui non in venis, sed inueniuntur in intestinis. Hanc istam secuti sunt nonnulli recētiores, inter alios Ioubertus 2. lib. parad. medic. vbi multis rationibus conatus est probare, in venis non fieri putredinem. Et inter alias tribus, quantum puto grauioribus vsus est.

Prima fuit, quod omnis putredo fit cum fœtore. In venis nullus generatur fœtor. Igitur nulla etiam putredo. Secunda ratio fuit, quod cuncta conseruantur in locis proprijs ex sententia Arist. 4 phys. in tract. de loco. Sed venæ sunt loca propria humorum, & sanguinis. Ergo non possunt

possunt putrescere humores in venis. Tertiam rationem sumpsit a Galen. qui 6. epid. 1. t. 29. ponēs differentiam inter febres pestilentes & alias d. differre pestifera ab alijs putredine. Si differunt putredine, sequitur alias febres, ait originem non habere ab humoribus in venis putrescentibus. Multas alias rationes affert, sed vt dixi hæ tres sunt potissimæ.

Hęc sententia falsa est, & multa medicinæ dogmata subuertit, & non solum veterum auctoritate refutata fuit, verum etiam experientia, & sensu patet, sæpe in venis fieri putredinem, quoniam nisi putrescerent humores in venis, ratio continuitatis febrium nulla esset, quia vt s. J. dicetur, character continuarum est, vt efficiantur ex putredine venarū. Neque valēt rōnes huius, primum quia, vt audistis, non est verum, omnem putredinem fieri cum fætore, sed solum insignem, & propterea cum in febri pestifera insignis putredo fiat in venis, ibi etiam, & eo tempore apparet fœtor, id quod cognoscitur ex vrinis fœtentibus, quæ cum a venis exeant, necessario demonstrant in venis fœtorem quoque esse. Et licet res conseruentur in proprijs locis, id tamē habent, vbi res nihil vitij contrahunt aliunde Sed cum contrahunt, minime loci potestas est efficax ad prohibenda hæc vitia, propter quod humores in venis quando putrescunt, ideo putrescunt, quia non sunt in statu naturali, sed vel contaminati sunt, vel commixti alijs rebus prauis. Nam valet auctoritas Galen. quoniam, vt habetis ab eod. 3. de præsag. ex puls. 3. & 9. de simpl. medicam. cap. de terra lamia, & 3. de causis sympt. differunt febres pestiferæ ab alijs non simpliciter putredine, sed putredine insigni, quam vocat Hippocr. vbique σηπεδόνα nos dicere possumus putrilaginem, ea propter cum putredo pestilentialium febrium sit deterrima, aliarum aūt non sit ita praua, iure Gal. posuit hanc differentiam, non quod in putridis alijs non putrescant humores, sed quia illa putredo non est adeo praua, aut lethalis, vt in pestiferis. Qui putarunt in solis venis fieri putredinem duab. rōnib. permoti sunt: vna, quod venę sint loca caua nec non calida & humida, & proinde putredini accommodata. Altera, quod videamus sanguinē extra vasa potius congelari quam putrefieri, vt eo magis in ipsis venis debeat putrefieri, & quia videbant illi instantiam de cōtinuitate, & interpolatione febrium dixerunt fieri continuas febres ex crassitie humorum, interpolatas vero fieri ex tenuitate eorundē. Sed si vera esset hæc sententia, sequeretur nullā firmam rationē afferri posse cur in febrib. fiant rigores, neq; ēt certa vnquam ratio afferri posset cur fierent periodi in febrib. Neq; hoc tribuendum est crassitiei, aut tenuitati humorū; propterea quod crassities, & tenuitas breuitatem quidem, & longitudinem faciunt febrium, non aūt interpolationem, & periodos. Nec ualent rōnes aduersæ, siquidem, etiamsi venæ sint loca calida & humida, sunt tamen, & alia huiusmodi loca in corpore humano, quod si extra corpus sanguis congelatur, certum est tamen intra corpus sanguinem a venis excretum putrescere, vt apparet in inflammationis & multis alijs accidentibus.

Opinio eorū qui putredinē tantum in uenis fieri dicunt.

Qui existimarunt fieri putredinem & in uenis & extra, in sectas diuersas partiti sunt. Alij. n. putarunt solū putrescere bilem, & facere febrem, adducti autem sunt ad hoc credendum hac rōne, quod inter oēs humores sola bilis habet qualitates igneas, & quæ facile calorē admittit extremum. Et huius sentētiæ videtur fuisse Anax. qui ut Arist. 3. de part. anim. 2. d. omnes morbos acutos ortu a bile; & ideo viuacissima esse ea animalia, quæ carent bile, cuiusmodi est ceruus; camelus, delphinus. Hanc etiam sententiam videtur habuisse auctor lib. 2. de nat. humana in fine, vbi scriptum est, omnes morbos acutos, pręsertim febriles, ortu a bile, quod etiam habetur in libro de iudicatorijs, vbi dicit acutos fieri a bile. Et hæc sentētia si sano modo intelligatur nō penitus aliena a veritate uidetur, quoniam omnes febres, si non fiant a bile, necessario tamen videntur habere iunctam bilem. Et ratio est, quia vt colligitur ex Hip. a. & 3. lib. de morb. bilis est veluti sulphur, quo accenduntur reliqui humores, ita vt rarissimum sit, ut uel in humore melāncholico, vel pituita accendatur ignis, nisi aliqua portio bilis misceatur, quæ est tanquam sulphur, quo alij humores igniuntur.

Sentētia eorum, qui uolūt in uenis & extra fieri putredinē

Num sola bilis putrescat.

Verum hæc sententia simpliciter prolata falsa est, quoniam experientia quotidiana probatur, & vrinis & egestionibus non tantū bilem, verum ēt alios putridos humores excerni: vt minime verum sit, solam bilem in corporib. nostris putrefieri, & putrefactam febres inducere. Alij fuere, qui probare conati sunt, solam pituitam putrescere: & hoc vt refert Alex. Trall. demonstrare conati sunt duabus rōnibus vna quod pituita sit humor viscidus & crassus, & ideo obstructiones, & consequenter putredinem inducat. Altera ratio, quod phlegma deductum sit ἀπὸ τοῦ φλέγειν id est ab ardendo, quasi phlegma idem significet quod ardor, vt d. Alex. Trall. Sed hęc ēt sententia licet videatur verbis Hipp. 4. de morbis consona, vbi scribit frequentissime febres a pituita fieri, veruntamen falsa est Siquidem ex vrinis, & egestionibus, ex pharmacis ipsis facile licet intelligere etiam alios humores putrescere, nec prima ipsorum ratio valet, quia etsi pituita uiscida sit ac obstructiones faciat, & consequenter putredinem, non ideo probatur solam pituitam putrescere. Neque ēt quicquam ualet ratio illa nominis, quia etiamsi inde deductum nomen fateatur; est tamen potius per antiphrasin, vt dicit Alex. & bene, quā secus. id est, a contrario sensu. Nam Gal. 3. de fract. t. 5 & Cæl. Aur. lib. 3. de diuturnis morbis c. 1. dicebat Gręcos Medicos sæpe hac forma loquendi uti: quemadmodum quando uocant fel dulce.

Num sola pituita putrescat.

Alij credidere omnes humores putrescere excepta melancholia, eo quia humor melancholicus a Plat. in Timæo terrę assimilatus est, terra vero frig. & sicca est, consequenter inepta putredini, imo maxime putredine aduersatur. Sed putrescere etiam melancholiam, & quartanæ febres, & alij morbi docent. Neque valet frig. & siccam esse, quoniam dicitur quidem melancholia talis respectu aliorum humorum, verum & ipsa corpus & substantia est humida actu, &

Nū melancholicus humor etiā putrescat.

propterea

propterea putrescibilis. Colligite ergo, omnes humores putrescere, & putrefactus seu putrescentes febrem inducere omnibus locis nostri corporis, tam extra venas, quam in ipsis venis. Dixi enim nostri corporis, vt sanguinem purum excludam, de quo litigatur, vtrum putrescens faciat febrem quoniam minime in corpore nostro inuenitur talis purus sanguis.

Definitio febris putrida

Generatio febris putrida.

Nunc videamus intellecta natura putredinis generationem febris putridę, quę febris nil aliud est, nisi intemperies totius corporis calida, a putrescentibus humoribus inducta. Necessario dixi totius corporis intemperiē, propterea, quod tametsi putredo sit in corporibus nostris, vbicumq; locorum sit, nisi fiat intemperies totius corporis, numquam dicatur febris putrida. Dixi ea humoribus putrescentibus, & non ea humidis, quia febres interdum fiunt ea putredine corporum humidorum, quæ febres non proprie appellantur putridæ, veluti cum cordis corpus putrescit, non dicitur ea febres putrida, sed hectica pestilentialis: ita quod febris putrida proprie illa est, quæ fit ea humoribus solum putrescentib. Et cum sit intemperies totius, sane oritur ab eo membro, quod est principium omnis temperaturæ. Hoc a. est cor ipsum. Iam vero cor calefactum redditum, vt intemperiem cōicet toti, necesse aut ipsam ea se habeat aut aliunde acquirat. In febre putrida cor acquirit intemperiem calidam ab humoribus putrescentib. qui vel Immediate calefaciunt ipsum cor, uel mediate. Immediate calefaciunt quotiescunque uel putrescunt in ipso, vel circa ipsum, uel putridi aliunde mittuntur in cor. Mediate a. cōicāt putrescētis humoris intemperiem, quando in aliqua parte corporis putrescentes vapores, & fætore fuligines in cor mittunt, ita vt a parte vbi est putredo per partem & post partem, feruidi uapores, & fuligines putridæ calidā intemperiē cordi cōmunicent. Hæc itaq; est febris putridæ generatio. Circa quā dubiū oritur, vtrū sit necesse semper humores putrescere ad hoc, vt huiusmodi febrem inducāt, an vero possint aliqui humores tantū inflāmati eam facere absque putredine.

Num humores tantum inflammati absque putredine faciāt febres putridas.

Et quia de sanguine mōstrauimus eū tantum inflāmatū synochū sine putredine facere, dubitatur de bile; vtrū queadmodū sanguis tantū inflāmatus facit febrē: sic bilis inflammata tantum possit facere febrē putridā. Ex vna parte videtur hoc impossibile, quandoquidem omnes Medici ad hæc vsq; tempora tria tātū proposuere febriū genera, diarias, putridas, & hecticas. Cum a. febris ex bile accensa non possit reponi nec inter diarias, nec inter hecticas, nec inter putridas, videtur aut nulla esse, aut dicendum est, nos ueteres oēs fefellisse. Ex altera parte non defuere & inter maiores nostros, & inter recentiores, qui conati sunt demonstrare posse fieri febrem sine putredine ex bile tantum accensa. Atq; ad hoc confirmandum vsi sunt auctoritatib. tū Galeni, tum Auer. Gal. quidem quia ipse 10 meth. c. 3. & 5. historiam narrat cuiusdam iuuenis laborantis febre tertiana referēte, in qua dicese cibum exhibuisse in principio accessionis, & infert hanc febrem non fuisse nec a putredine nec ab obstructione, quoniam cibus initio accessionis, detrimentum attulisset. Alius est locus Gal. 1. epid. com. 2. t. 20. ubi proponēs differētias inter febres ardentes & tertianas, ait febres tertianas ea copiosa bile fieri per carnes dispersa, ardentes vero fieri non ea copiosa bile, sed ex inflammatione bilis & vasorum nulla facta putredinis mentione, probat etiam id ex auctoritate Auer. quippe qui 3. collig. 2. damnans Gal. quasi uoluerit calorem externum semper esse putredinem, euidētissimo argumento docet posse ex sola combustione humorum sine putredine febrem fieri.

Sed vt ingenue dicā, non possum hanc sententiam sequi, quoniā bilis extra venas aut tumorē facit, aut nō facit. Si faciat tumorē huiusmodi est erysipelas, febrem faciens cū putredine, atque inflāmatione. Veruntamen alio modo bilis febrem facere pôt, eo quia vbi tenetur a calore externo, semper aūt priusquā in cinerem vertatur, necessarium est, vt dissoluatur, quæ dissolutio nil aliud est nisi putredo. Igitur vanū est imaginari, posse bilem comburi & incinerari, nisi prius putrescat. Sed quid dicemus ad Gal. 10. meth. ubi narrat historiā iuuenis? Multum abest, mea sententia, vt dixerit eam febrem ortam esse ea humoribus inflammatis, verum est eum dixisse, in illo iuuene ob æstuationem aeris, acres succos infestasse ns ventriculi absque putredine, ideo possumus ēt dicere, Gal. etsi dixerit, non adfuisse putredinē, nec obstructiones circa ventriculum, non negasse tamen quin putredo in aliqua alia parte fuerit, quę febrem pepererit.

Ad locum 2. epid. dicendum est, etsi Gal. expresse non meminerit putredinis eo in loco, nihilominus eā necessario subintellexisse. Et quod hoc verum sit, initio illius commentarii Galen. dicese exquisite tractasse de tertiana in lib. de diff. feb. & lib. de crisibus, quasi oīa, quæ dicebat in febrib. dicat secundum dogmata citatorū librorum, in illis lib. nunquā Galen meminit febriū humoraliū sine putredine, & in fine 2. de diff. feb. examinans hanc rem, nullam mentionē facit. Nec valet quod aliqui dicunt Gal. nō meminisse eo loco huiusmodi febris, quia tractabat tātū febres frequentes, nō raras, cuiusmodi est proposita, quoniā alibi idem Galē. atq; ēt in 1. epid. sese absolute tractasse febres in l. de diffe. vt hinc inferendum sit, non potuisse quicquam omittere, quod ad febrem tractandā exacte pertineret. De Auer. aūt dicere oportet eū hac in re fefellisse, & a Medicia valde recessisse, siquidem etsi, vt ipse d. humores tractari a calore externo comburantur nihilominus, vt dixi, minime comburi possunt ni prius putredinem concipiant. Loquor a. de humoribus, qui reperiuntur in corporib. nostris, i. in loco calido & humido. Igitur dicimus somnium esse, quod isti fingūt scil. reperiri febrem humoralem citra putredinem, neq; ēt Gal. vnquam somniasse, quāquā dixit synochos fieri calescentib. humorib. quia hos clarissime posuit inter diarias. Differentię putridarū propositæ sunt ab Auic. absq; ordine. Ego a. vt ordinatim progrediar, puto sic esse differentias inueniendas, quod aliæ capiantur a materia seu subiecto ipsius putredinis, aliæ vero sumantur a loco. A materia putrescēte sumuntur differētię,

Differentia putridarum febrium.

quoniam

quoniam humores qui putrescũt aut sunt biliosi, & fiunt febres biliosæ, aut est pituita, a qua pituitosæ; aut est melancholiæ, vnde oriuntur febres melancholicæ, aut est tota sanguinis massa, quando febres fiunt sanguineæ, aut sunt ichores humorũ, a quib. fiunt synochæ cũ putredine; ita quod secundũ subiecta putredinis tot sint differentiæ febriũ putridarũ. Sed video dicturum quempiam esse fieri interdum febres putrescente vel lacte, vel semine, vel chilo, de quib. dubitari posset, cuius generis sint. Ita astatuẽdum est, si sit exigua hæc putredo oriri diarias, quemadmodum oriuntur ex bubonib. Sin a. putredo sit insignis, necessario aliquem alium humorem in putredinem trahi, a quo postmodum putrescente denominantur huiusmodi febres. v.g. si putrescat semen, & cum illo aliqua portio bilis, denominabitur febris biliosa, & ratio est, quia semper in hac febre erunt aliquæ conditiones, quæ solent febres consequi biliosas.

A loco sumuntur differentiæ, quandoquidem aut putredo fit in venis, aut extra venas siue ut dicit Auer. 3. collig. 4. vel in loco secundæ digestionis, vel in loco tertiæ. Si fiat in venis, semper oriuntur febres continuę, nec appellantur continuæ, quia continuo infestant, sed quia putredo est intra venas. Nam dicit Galen. 2. de cris. 6. verum characterem continuarum febrium esse, vt putredo fiat in uenis.

Iam vero hæc putredo venarũ aut fit in cunctis venis tã majorib. quã minorib. aut in aliquibus tantum. Si fiat in omnibus tam maioribus, quam minoribus, vel putrescũt omnes humores & oriuntur febres pestiferæ maxime lethales aut non putrescunt oẽs humores, sed vel vnus vel duo, vel plures, & tunc fiunt febres ardentes hemitritæi: nec dubitet aliquis vestrum, quo fieri possit, ut intra venas vnus humor, uel plures putrescãt ceteris intactis, propterea quod hoc fit ratione dispositionis materiæ, scil. quod unus humor sit dispositus ad putrefactionem, & alterationem quemadmodum si misceamus aquã, & bitumen & apponamus ignem videbimus comburi bitumen non autem aquam, quamquã sit mixta, quia bitumen aptum est ut inflammetur, aqua nequaquam. Sed dicetis vnde est hæc varia humorũ aptitudo? Hinc est, quia, vbi aliquis humor vitiatur aliquo pacto, statim relinquitur a natura, nec amplius gubernatur, & propterea totus ille humor exponitur iniuriis caloris externi, atque ita putrescit: alij vero humores gubernantur a calore natiuo, qui conseruat ipsos ab iniuriis externi caloris. Si putredo fiat tantum in aliquib. venis, aut fit in venis cordi proximis, aut fit in venis remotis a corde. Si fiat in venis cordi proximis, semper producit febres ardentes velut dicit Alex. acutissimas, quæ ab Arabibus dicuntur conclusæ. Sin aũt putredo fit in venis remotis, fiunt quidẽ febres continuæ sed non adeo lethales, sed non adeo magnæ, & fiunt pro natura humoris putrescentis. Et hinc est, quod in febrib. continuis interdum apparent dolores vel dorsi, uel lumborum vel alicuius alterius partis, prout scilicet vel in hac, vel in illa parte putredo efficitur.

Atque hæc est series omnium febrium putridarum, quæ continuæ sunt. Circa quas tria breuiter sunt notanda. Quæ sit causa continuitatis: cur febres cõtinuæ interdũ exacerbationes habeant, huiusmodi sunt proportionatę vocatęcũ interdũ non habeãt exacerbationem, & dicuntur improportionatæ. tertiũ est cur febrium continuarũ aliquæ diuturniores, aliquæ vero breuiores. Continuitatis febriũ, quantum video, tres causæ sunt. Prima est continuitas venarum, & arteriarum cum corde. Cum. n. cor sit auctor febris & origo putridarum in uenis & arteriis, facile fit, vt ob continuitatẽ cum corde perpetuo a venis subministretur cordi aut humor, aut vapor putridus, atq; ita faciunt febrẽ continuã. Altera causa est quoniã putredo fit in locis cauis & abditis: vnde eum nequeãt vapores diflari, nec possit calor febrilis, perspirare fit, inquam, vt perpetuo fomes febrilis cõseruetur. Tertia causa est, quoniam parti sanæ humorum semper contigua est pars putrefacta: cumque omne quod tangitur a putrido putrefiat, facile fit vt putredo longe lateque propagetur, & consequenter febris perduret.

Dolores vel dorsi uel lũborũ vnde.

Secundum quod cõsiderãdum est, quę sit ratio, propter quã in cõtinuis interdum apparent exacerbationes interdum minime. Huius rei vera ratio est, quod tametsi pars sana & ægra humoris sint veluti coniunctæ, nihilominus interdum fit, vt vna pars humoris putrefacti ex toto finiatur, & altera nouam putredinem acquirat, ex quo sequitur deinde, vt appareat veluti quædam imago remissionis febris, atq; etiã renouationis, & exacerbationis: vbi vero nihil putrefacti humoris dissoluitur, neq; noua materia putrescit, sed veluti quidam continuus fluxus conseruatur, tum fiunt febres continuæ improportionatæ, quæ eædem sunt semper a principio vsq; ad finem solutionis. Causa diuturnitatis & breuitatis continuarum, quod erat tertio propositum, est ipsa materia quoniam si sit copiosa, si sit crassa, & viscida, & varia, vbi obstructiones sunt contumaces, & rebelles, & ubi committuntur errata, fit ut diuturnæ sint febres: cõtra si materia sit pauca, si tenuis, si nulla errata consequenter febris breui durat.

Causa exacerbationis, in febrib. cõtinuis.

Si putredo fiat extra uenas, aut fit sparsa per totum corpus in meatibus, & in cauitatib. præsertim in carnibus, ut d. Gal. 1. epid. com. 2. t. 20. vel collecta in aliquo loco particulari. Si putredo sparsa sit in cauitatib. & carnib. fiũt febres interpolatæ, de quibus mox tractabimus. si putredo in aliquo sit collecta loco particulari, aut locus hic est in partib. abditis & intimis, & cordi proximis, aut est in partibus extimis & remotis a corde. si sit in intimis partibus, cordi propinquis, vt in diaphragmate, in pectore, in pulmone, ut plorimum facit febres continuas: dico ut plurimum, propterea quod Gal. & præsertim Auic. scribit fieri febres interpolatas quotiescunque putredo est in capsa cordis, quando scil. consumpta materia putrescente, noua materia influit. Si putredo fiat in loco remoto a corde, aut materia est multa, aut est pauca. Si humor sit multus, tunc fere facit continuã, si vero humor paucus sit præsertim in partibus proximis cu-

ti, fiunt febres interpolatæ, & quæ sunt breuiores, eo quod cum sint loci hi proximi cuti, per ipsam potius vapores putridi difflantur, quam vt communicentur cordi. Circa quod notate duo vnum quod hæ oēs febres fiunt per vapores putridos, qui a loco putrescente per arterias, & venas diriguntur ad cor. Alterum adnotare debetis, quod quando dico ex putredine extra venas fieri continuam febrem, intelligo non vere continuam febrem, quia character harum febrium vt intellexistis ex Gal. est putredo in venis; sed dicuntur continuæ ratione durationis, quia scil. nullum est tempus, in quo febris hæc non adsit, & hæ febres solent dici febris accidentia, quia vt plurimum sequuntur inflammationes renum, vel aliarum partium, de quibus dicit Gal. 1. aph. 12. quem has inflammationes solent febres interpolatæ comitari. Harum febrium interpolatarum natura, vt diligenter, & perspicue percipi queat, breuiter videmus, quę sint causæ verę interpolationis febrium, cur febres interpolatę interdum breues, interdum longę sint vltimo, quę sit vera ratio illarum periodorum, quæ tantam admirationem humanis ingeniis pariunt.

In interpolatione tria spectare oportet, paroxysmi finem, quem uocant barbari eradicationem secundo considerandum, illud interuallum, quod est inter paroxysmum, & paroxysmum tertio consideranda reuocatio paroxysmi. Finitur siue eradicatur paroxysmus eo, quia vapores putridi, & humidum putredinale penitus consumptum est, quod d. Galen. 2. de diff. feb. circa finē. Consumuntur isti vapores vel quia per cutim dissipātur, cū sint in extimis partibus, vel quia humor & fomes penitus cōsumitur neq; est alius cōtinuus putrescibilis, qui duret in continuis. Hinc afferebat Gal. exēplum lignorum in quibus, vbi est consumptus oīs humor, & soli cineres relicti, tunc flamma penitus extinguitur, quāquam est quędā differētia in hoc exēplo, propterea quod in lignis sit maxima pars cinerum, in humorib. paucissimi cineres. Sed dicetis vnde ergo est quod ex putredine extra venas febres quoq; continuantur? Dico hoc esse quia materia putrescens, est in loco abdito, & intimo propter quod non possunt vapores putridi dissipari, præterea est multa, ita quod multo tempore subministrantur vapores putridi cordi, atq; ita continuant febrem. De interuallo dubitatum est antiquitus, quisnam status sit ægrotantium eo tempore, quo febris vacat. Aliqui existimarunt esse statum ægritudinis, quoniam tametsi materia coniuncta morbifica sit penitus consumpta, nihilominus materia antecedens adhuc persistit.

Quis status ægrorum in interuallo.

Et hoc obiter dicam, etiam apud Iurisperitos lex constituta est, qua habetur, laborantes tertiana febre, vel quartana, vel comitiali, non esse habendos pro sanis, etiam quando vacat morbus. Alii putarunt statum interualli esse potius sanitatis statum. Et in hāc sententiam sunt adducti, tum quia febris videtur finita, & materia morbifica consumpta, tum quia in plerisq; hoc tempore nulla insignis operationum apparet læsio, quæ vt alias audistis, est proprius character cuiusq; morbi. Alii existimarunt statū interualli esse potius statum neutralitatis, quam vel sanitatis, vel ægritudinis. Alii dixerunt corpus esse ægrū eo, quia materia antecedens morbifica adhuc durat, tametsi materia coniuncta sit consumpta, quod etiam videntur confirmasse veteres legislatores: nam vt legitur xxi. digest. de edicto ædilitio ita Iabolenus sanxit, eas, qui tertiana aut quartana febre, aut podagra vexarentur, quæ comitialem morbum haberent, ne iis quidem diebus, quibus morbus vacaret, recte sanos dici. Ego uero sum huius sniç in hoc interuallo debere dici pręternaturalem affectum ægrum, sed ita ut nō habeat insigniter actiones lęsas; ad hoc existimādum sum impulsus auctoritate Gal. qui 4. aph. 63. hac de re loquēs d. in interuallis febrium interpolatarum reperiri quēdam affectum p. n. a quo subinde paroxysmi sequētes renouantur; qui affectus p. n. ut puto, a Gal. minime morb. explicite vocatus est. Ratio, propter quam paroxysmi renouantur, vt d. Gal. 1. de diff. feb. & Auic. tota posita est in humorum noua cōgregatione, ita quod idcirca paroxysm renouētur quia humores reaggregent, & faciant morbum. Quā collectionē vt cōprehendatis scire oportet, cōparatum esse natura, vt vnaquęq; pars nostri corporis facultatem habeat depellendi a sese, quicquid noxium & molestum est, nisi tamē impediatur. Nā impediri potest hæc facultas a suo munere propter tres causas, vel propter sui debilitatem, quæ, vt d. Gal. 5. cap. lib. de diff. morb. aut oritur ab intemperie aliqua, aut a raritate partis, aut a mala qualitate, nam semper vbi vis, & facultas alicuius particulæ est imbecilla, vel intemperata est, vel nimis rarefacta, aut mala aliqua qualitate imbuta. Secunda causa cur vis expultrix impeditur, est propter robur partium vicinarum: Cum enim omnis pars depellat ad vicinā, certe si pars vicina sit robustior, impedit quo minus depellere queat. tertio & postremo impeditur propter ipsam materiam depellendam, quæ si sit copiosa nimis superat vim ipsius facultatis expulsiuæ, si sit nimium crassa, nō potest moueri de loco ad locum, si sit nimium viscida vsque adeo adhæret parti, vt facultas expultrix, etiamsi sit robusta, etiamsi pars vicina sit infirma, nihilominus depelli nequaquam potest, ita quod habetis tres causas, propter quas impeditur vis expultria particularum.

Paroxysmorum renouatio vnde.

Cū tractaremus de causis renouationis paroxysmorū, eo venimus, vt constitutū sit, totā renouationis vim positā esse in coaceruatione humorū, quæ fit propterea, quod facultas expultrix, nisi impediatur sēper ab oī parte materias nocētes repellit. Nūc vt hāc tractationē perficiamus scire oportet, materiā quæ in corpore cumulatur, duab. modis coaceruari; vno modo per defluxū seu per influxū, alio modo per cōgestionē. Atq; hęc oīa habentur a Gal. in ult. c. 2. lib. de diff. feb. coaceruatur materia per defluxum uel influxū, quoties in ea parte, vbi materia congregata est, ea uel mittitur a parte expellente, vel sua sponte defluit, vel attrahitur ab ipsa parte.

Declaro omnia magis manifeste, mittitur, materia in partem, quoties ab aliqua parte, quæ sit nobilis, sublimis, robusta, densa propellitur in aliquam partem ignobilem, decliuem, imbecillam,

becillam & raram sponte fluit materia, vt quando a capite defluit in oculos, vel ex conuerso quando vapores in caput tolluntur, quæ fiunt sola materia proclinatione absque vllo vel partis mittentis, vel suscipientis auxilio. Vltimo influit materia in partem, quando ab ipsa attrahitur. Attrahit a. pars potissimum propter duas causas, vel propter dolorem. Calor a. partis est causa attractionis tripliciter tum quia generat vacuum dissipando & absumendo humores, quod cum abhorreat natura, ad replendum vacuum aliunde attrahuntur humores, Secundo propter rarefactionem, quia rarefactæ partes cum debiles euadant, veluti inuitant, partes proximas ad deponenda excrementa in sese, & excipiunt quamcunque materiam. Tertio calor est causa attractionis, quia partem intemperatam reddit, debilior facta fit susceptrix excrementorum peregrinorum.

De dolore, vtrum attrahat necne, iure dubitatur. Nam Galen. lib. de curat. per v.s. & alibi sæpe dicebat, dolorem attrahere; Hæc sententia ita suscepta est pene ab omnibus, vt sit in ore omnium, dolorem attrahere. Veruntamen, si res diligenter expendatur, dolor est pura passio, potius corporis affectus: a passione quam imaginabimur proficisci actionem. Quare non est verum, dolorem simpliciter attrahere, quia dolor, qui est passio ageret. Mea est sententia dolorem esse causam, vt partes omnes circumuicinæ parti dolenti in motu ponantur, ita vt in motu positæ demittant deinceps humorem, & excrementa in partem dolentem. Atque hanc sententiam significatam habere potestis a Galen. 13. meth. 3. Vnus ergo hic est modus, quo materia per influxum congregatur, Alter modus congregationis est per congestionem. Appellatur a. congestio, quando in aliqua parte sponte, & absque quo aliunde mittatur, coaceruantur humores, & excrementa. Et differens est hic modus a priore, quia a nulla alia parte mittitur materia, sed ibi tantum gignatur. Hoc autem tribus de causis; vel quia pars illa facultatem expultricem debilem habet, vel quia habet debilem concoctricem, vel quia obstructa est. Propter debilitatem expultricis fit, vt excrementa quæ per coctionē necessario generantur, inibi retineantur, & retenta cumulentur. Ratione imbecillitatis coctricis fit, vt excrementa complura gignantur quæ ibid. retenta cumulum necessario efficiunt, & hæc excrementa, vel sunt crassa, vel viscida, vel leuia. Ratione obstructionis pariter fit, vt cum nequeant fuligines quotidianæ dissipari paulatim coaceruentur, & plenitudinem in parte efficiant. His constitutis duobus modis congestionis materiæ, videndum est, quomodo in interpolatis febribus materia congregetur. Dico resolute his duobus modis secundum Galen. febres interpolatas fieri per congregationem tam per defluxionem, quam per congestionem; etenim vbi materia in venis ad putredinem exposita stimulat virtutem venarum expulsiuam, quæ virtus stimulata expellit ipsam materiam, extra venas, in expulsione cum materia pertranseat partes sensibiles, vellicat, pungit, stimulat, atque ita modo horrorem, modo frigus, modo inducit rigorem, vbi vero materia extra venas sita est in aliquo loco, ibi putrescit, atque ita febrem interpolatã facit: paroxismus autem tamdiu durat, quamdiu putredo durat, & tamdiu renouatur, quamdiu tanta materia est in venis posita, quæ stimulet facultatem expulsiuam. Atque hic vnus est modus generationis febrium interpolatarum ex congregatione materiæ per defluxum. Alter modus generationis interpolatarum est ex congregatione materiæ per congestionem, quæ fit hoc pacto, quod vbi pars aliqua corporis male affecta est in sese, vel obstructa (vt intellexistis) congregat excrementa, quæ vbi incipiunt putrere, ratione caloris trahunt ad sese etiam humores aliunde, & in hac attractione fiunt horrores, vel rigores, vt dicit Gal durat paroxysmus quousque materia putrefacta resoluitur, sed cur iterum renouatur? Hæc est ratio, quia in eadem parte, vt optime notat Galen. remanet mala qualitas, malus quidam fomes, merito cuius iterum materia, congeritur congesta putrescit, putrescens attrahit ad se aliunde humores.

Differentia materię loci affecti in cõtinua & interpolata febre.

Et hinc scire potestis, quæ sit differentia continuarũ, & interpolatarum, quia febres continuæ siue continuæ fiunt ex materia in venis cumulata, & ibi semper putrescente. Febres autem interpolatæ fiunt a materia putrescente extra venas, & collecta vel per congestionem, vel per influxum, ita, vt materia, quæ influit, etiamsi mittatur e venis, attamen non mittitur putrida, sed veluti initiata putredini, id est, disposita & præparata ad suscipiendam statim putredinem.

Sed video aliquem dubitantem, si hoc verum est, cur Medici in febribus interpolatis contemplantur vrinas? Nam vrinæ indicant tantum statum venarum & arteriarum: materia, quæ auctor est febrium interpolatarum extra venas est, non ergo quicquam conferre potest vrinæ speculatio ad iudicandũ materiam in febrib. interpolatis. Et dubium hoc ita solicitauit Gentilem, vt coactus sit in quæstionibus extrauagantibus dicere, materiam, quæ facit febres interpolatas, extenuari, & in venas redire: & ideo posse ab vrina indicari.

Sed sum alterius sententiæ, scilicet etiamsi materia extenuetur in his febribus, non posse tamen in venas redire, sed potius vel consumi in halitus, vel per alias partes dissipari. Vnde sum huius sententiæ, vrinas in interpolatis esse spectandas propter materiam coniunctam, quia cum plerumque materia effluat e venis antequam putrescat, ex venis cognoscimus & copiã & qualitatem huius materiæ antecedentis.

Habetis ergo, quæ sit vera ratio renouationis paroxysmorum. Et quia d. Gal. in fine lib. 2. de differ. feb. cognita veritate alicuius dogmatis, facile cognosci errores aliorum, circa ipsum videndum breuiter quantopere errauit, qui ab hac recessit. Multi fuere, sed inter recentiores duo præcipui, vnus Fern. alter Laur. Iouberius vterque doctissimi Fern. lib. 4. de morb. cap. 9. postquã sententiam Gal. vt perniciosissimam humano generi malus confutauit, tandem in hanc sen-

tentiam

tentiam venit, interpolatas febres a cōtinuis differre in qualitate. scil. in materia & loco. In materia, quia interpolatæ, d. Fern. fiunt a syncetis humoribus putrescentibus, scilicet tertiana a bile, quotidiana a pituita, quartana a melancholia. Continuas autem febres ait fieri non ab humoribus synceris, sed sanguini permistis.

Loco quoque d. Fernel. bifariam, quoniā continuæ fiunt ab humorib. putrescentib. in venis, interpolatæ fiunt ab humoribus putrescentib. in hypochondrijs circa viscera, vt circa uentriculum, iecur, lienem, pancreas, intestina, renes, & alias huiusmodi partes, ita quod locus materiæ putrescentis secundum Fernel. est capacitas, seu spacium illud, quod in pręcordijs inter viscera reperitur. Conatus est hanc probare multis rationibus, potissimum ex anatome, & symptomatis consequentib. febres interpolatas. Ex anatome, quia testatur sese secuisse cadauera interemptorum ab interpolatis febribus, & inuenisse semper focum putredinis circa aliquam partem ex dictis. Ex symptomatis conatur quoque hoc adstruere, quia quicunque febribus interpolatis solicitantur, solent vel dolere & æstuare aut secundum iecur, aut pancreas, aut secundum renes, & lumbos, aut secundum lienem, adeo, vt vbi est focus putredinis, ibi quoque semper sit aliquis dolor aut aliqua æstuatio. His præterea sex alias rationes addit, quibus sese probare putat, quod febres interpolatę non possunt fieri ab humoribus a venis extra venas mistis, prima eius ratio est, quod si febris interpolata fieret per hanc trāsmissionem, sequeretur omnes morbos, qui ortum ducūt ab humoribus, fieri in venis ipsis, quod quidem absurdissimum apparet. Secunda ratio est, quod non licet imaginari humores a venis extra venas ita repente protrudi, vt faciunt huiusmodi horrores, & rigores. Tertia ratio est, quia non possemus rationem adferre cur in febrib. continuis non fiāt rigores. Quarta ratio est, quia in principijs febrium interpolatarum apparent vrinæ albæ, & tenues, quod si fierent per extramissionem deberent apparere crassæ, & rubræ. Quinta ratio est, quia si hoc verum esset, sequeretur bilem nunquam facere posse frigus, propterea quod bilis sua natura acris calida, & mordax est. Sexta ratio est accepta a Fernel. ab Auicen. qui dicebat melancholiam minima copia esse in venis, inquit Fernel. si verum est, & parte fiat interpolata quartana ex transmissione humoris melācholici a venis, quo modo poterunt fieri tot periodi quartanæ cū in uenis semper paucissima sit melancholia. His rationibus addit Fernelius alia duo, vnum est, quod per hanc opinionem non potest adferri vera ratio febrium complicatarum. Alterum quod si vera esset hæc sententia sequeretur per sectionem venæ statim curari febrem interpolatam, eo quod secta vena euacuaretur materia, que facit febrem, & ita curaretur febris. His igitur rationibus hanc veterum sententiam expugnasse putat Fernelius, propriam vero consonam esse. Et quia poterat aliquis dubitare aduersus Fernel. non apparere ex hac sua sententia causas horroris, rigoris vel frigoris, quæ spectatur in interpolatis, respondet fieri frigora, rigores, & horrores in his, quia dum putrent humores vel ipsi vel eorum uapores percutiunt membranas quibus viscera vestiuntur, quæ membranæ cum sint partes maxime sensibiles, stimulatæ, & commotæ ab acribus humoribus huiusmodi horrores & rigores pariunt.

Causa horroris, rigoris, & frigoris, secundū Fernel.

Sed quanquam Fernel. sententia admodum speciosa sit celebratissima, & verisimilibus rationibus suffulta, nihilominus magnas repugnantias secum gerit. Et vt statum totius causæ intelligatis, duo breuiter docendi estis, vnum est, neque Galen. nec nos negamus, interdum fieri interpolatas febres ex putredine circa viscera, siue ibi coaceruata sit per influxum, siue per cōgestionem: sed quod semper interpolatæ febres fiant hac ratione sola illud est, quod negamus, immo fiunt etiam ab humoribus in aliqua parte corporis coaceruatis, congestis, & putrescentibus, ita quod non inconuenit secundum Galenum in varijs corporis locis extra venas reperiri posse fomitum febrium interpolatarum. Alterum quod docendi estis, est, quomodo fiant horrores, rigores, & frigora, id quod explicatum habetis a Galen. lib. de rigore, & palpitatione, & tertio de symp. causis cap. 5. nam vt intellexistis particulæ semper res molestantes conātur a sese protrudere, vbi scilicet robustæ sunt: vbi vero resistentiam inuenerit, fit veluti quædam lucta inter materiam, & vim expulsiuam: ex qua lucta efficiuntur varij effectus. exemplum est, si aliquis certet aduersus virum debilem, statim deijciet eum, si pugnet aduersus fortem nequaquam deijciet statim, sed inter illos fiet varia lucta, & varia pugna. Idem quoque cōtingit propemodum inter facultatem expulsiuam, & materiam molestantem, quia si materia molestans sit mitis, vt pituita dulcis facile vis expultrix expellet eam, & propterea parua quædam inæqualitas datur, sed cum modicam resistentiam inuenerit, inæqualitas quædam solummodo patitur, quod si humores sint acriores aliquantisper, calor naturalis nititur quidem expellere, sed cum illi resistant, fit quædam caloris natiui fuga, ita ut horror ille, qui in febribus videtur, suboriatur, quod si humores multi sint calidi, & valde mordaces, dum a venis mittuntur, vellicant & pungunt summopere partes sensibiles, quibus punctis calor naturalis fugiens molestiam, intra sese condit, atque sic suboritur frigus, quod si adhuc prædictæ qualitates humorum intendantur, calor naturalis quid facit? perinde facit, atque illi, qui habet aduersarium potentissimum, illi enim modo fugiunt, modo sese vertunt, vt contendant: ita calor naturalis aduersus hos humores acerrimos, modo resistit, modo fugit; atque sic sequitur rigor ille, qui apparet in febribus. Ita quod secundum Galenum, & Auicen. horrores, frigora, & rigores differunt secundum materiæ remissionem, & intensionem maiorem. Notate tamen Hippocrat. in lib. de flatibus diuersam rigoris originem assignasse, ubi scribit totam originem horum symptomatum proficisci ex spiritibus ipsis, & flatibus; quam etiam sententiam sequutus est Aristot. 2. meteor.

cap. de

cap. de terræmotu. Immo idem Hipp. lib. 1. de morbis, vnde forsan Plato in Timæo suam sententiam est mutuatus, aliam rationem rigoris attulit, scilicet sanguinis congelationem; sed de hac Hipp. sententia non est præsentis loci vt disputemus.

His ita constitutis Fernelij opinio multis rationibus damnari posse mihi videtur, & præsertim tribus, prima est. Nam si verum esset, semper fieri febres illas ex putredine, circa præcordia, aut putredo esset in ipsis visceribus, aut esset extra viscera. Si in ipsis, necessario semper interpolatæ febres coniunctæ essent cum aliqua inflammatione viscerum, quia si putrescerent humores in iecore, vel liene non possent fieri febres sine inflammatione. Sed hoc absurdum est, quod in interpolatis inflammentur viscera ergo falsa opinio. Sin autem extra fieret putredo, necesse esset huiusmodi putredinem vnica accessione plerumque finiri, febris enim interpolata eo, quia materia putrescens existens tota sibi continua aut diu duraret sine vlla interpolatione, aut vnica accessione finiretur: quod si dicat Fernel. continuo mitti hanc materiam extra præcordia aliunde, cur non etiam dicet, posse hanc materiam mitti ab ipsis vasis.

Præterea, si verum esset dictum Fern, sequerentur in omni febre interpolata semper symptomata sæuissima vti sunt animi deliquia, ardores maximi, fluxiones alui prauæ, vt dicit Galen. 5. de medio locali contingere in inflammatione iecoris apparere; siquidem, vbi in aliqua parte putrescunt synceri humores, semper videmus hæc immania symptomata oriri. Igitur si circa viscera putrescerent synceri humores, necesse esset, semper in interpolata febre apparere sæua symptomata, quod experientia non comprobatur. Tertia & postrema ratio est, quia vult Fern. quod horrores, & rigores fiant propterea quod humores putrescentes vellicãt, & mordent magno impetu membranas, quæ vestiunt viscera. Si hoc verum esset, sequeretur in febribus interpolatis semper & rigorem, & frigus apparere, non tantum initio sed in augmento etiam & statu. Et probatur, quia si fiunt rigores eo quod vel vapores, vel humores putridi percutiant membranas vestientes viscera, sane & in augmento & statu non tantum & humores & vapores putridi attolluntur, verum multo maiores & acriores sunt in augmento & statu, quam in initio ergo semper stimulabunt membranas, atque ita semper rigorem, vel horrorem facient. Ad hæc maior est putredo in augmento, & statu, ergo maiores deberent esse rigores. Ita vt clarissime pateat sententiam Fernelij maximis contrarietatibus implicari. Quare videamus quem exitum habeant fundamenta, & rationes quas in medium afferebat. Quando igitur dicebat ex anatome, & ea symptomatib. febres interpolatas consequentes apparere fieri ex putredine, circa præcordia. Respondeo, iam nos demonstrasse ita fieri sed non semper Nunc ad rationes. Et ad primam qua dicebat quod sequeretur omnes morbos in uenis oriri. Respondeo non hoc quidem necessario sequi, propterea quod, vt statuimus, febres etiam aliquæ oriuntur a putredine per congregationem extra vasa. Vnde neque Galen. neque alij existimant interpolatas fieri solum quando humores mittuntur a venis extra venas: sed dato etiam quod efficiantur per solam defluxionem, dico non conuenire quod febres omnes interpolatæ fiant, ab humoribus qui prius in uenis fuere. Secundæ rationi respondeo, nequaquam necessariam esse, vt semper humores mittant a venis ad loca remotissima, immo sæpe transmittuntur ad loca propinqua, dato etiam quod transmittantur ad loca remotissima, non est necesse vt celerrime ferantur, eo quod videmus sæpe febres habere rigores, & frigora, quæ durant ad alteram horam, immo vero dato etiam quod celerrime moueantur humores, quid inconueniens sequitur? nonne videmus in epilepsia, & in conuulsionib. alijs materiam statim a cerebro ad partes remotissimas transferri? Tertiæ rationi respondeo, qui in continuis febribus non efficitur, neque frigus, propterea quod humores non possunt transmitti extra venas nisi resoluti in sudores, & tenuissimos vapores, cur vero non possint transmitti, ratio est, quia calor natiuus antequam humores putrescant est quidem validus, & expellere potest, vbi vero humores cœpere putrescere, iam calor natiuus infirmus factus est, & ideo non potest expellere, atque hac ratione contingit vt sæpe in principijs continuarum rigores fiunt, non fiunt autem amplius, quoniam iam calor naturalis elanguescit. Quartæ rationi respondeo, vrinas in princ. interpolatarum apparere quidem iure albas, & tenues, ratio est, quia tunc temporis humores alio mittuntur quam ad vias vrinæ, vbi vero iam febris est in statu fuligines incipiunt mitti ad vrinas, quæ ipsas & crescere & rubescere magis faciunt. Erat. 5. ratio Fernelij, quod bilis cum sit calida, & acris non deberet facere rigores, vel frigus per se, sed per accidens, hoc pacto, quia bilis cum pungat partes, calor naturalis fugiens molestias intus sese claudit, atque ita externa priuata calore refrigerantur. Ad 6. rationem dico humorem melancholicum, quamuis paucus in venis semper sit, tamen sufficere tot efficiendis paroxysmis, quia continuo regeneratur hic humor in venis, aut transmittitur a liene vel a iecore; ita quod durante noua generatione, durat etiam repetitio paroxysmorum. Quod vero dicebat non posse adferri rationem complicationis febrium dico posse quidem afferri, quandoquidem febres interpolatæ complicantur duobus modis vno modo quando humores transmissi a venis putrescunt in diuersis locis, & in diuersis temporibus, propter quod cum sint diuersæ mineræ putredinis, diuersas etiam faciunt febres interpolatas: alia causa complicationis, est quando diuersi humores, vel in diuersis locis, vel in ijsdem, vel in diuersis temporibus, vel in ijsdem temporibus, putrescunt ita quod constituta hac etiam opinione interpolationis febrium, licet omnino afferre rationem interpolatarum febrium complicatarum. Quod postremo loco dicebat si hoc verum esset, posse statim inuadi interpolatas

a. ab febres

febres sola venæ sectione dico hoc nequaquam sequi, propterea quod ut curentur perfecte hæ febres, non solum debet materia antecedens amputari, verum etiam debet extingui illa mala qualitas, ille malus fomes, merito quorum fit noua aggregatio materiæ, quod quidem non potest obtineri sola venæ sectione, sed etiam requiruntur alia auxilia. Ita quod ex his colligi potest rationes Fernelij alioquin doctissimi nequaquam valere aduersus veterum sententiam. Superest vt sententiam Iouberti videamus, qui in paradoxis suis multis argumentis conatus est demonstrare quod locus materiæ febris continuæ, & interpolatæ sit vnus, atque, idem, scilicet quod semper materia, quę putrescit, quæue facit has omnes febres posita sit in corde. Duo autem potissimum proponam: vnum est, ibi debere esse materiam coniunctam febris, vbi est febris ipsa. Sed in corde est febris, ergo in corde est putredo, quæ est causa coniuncta febris. Aliud argumentum est, ibi esse putredinem, vbi sunt accidentia comitantia putredinem. Sed in corde sunt accidentia huiusmodi sc. æstuatio, ardor, deliquia animi. Igitur ibi etiam debet esse putredo, quemadmodum dicit iste si materia putrescens esset in ambitu corporis, deberent extrema semper deuri & feruere.

Non contentus Ioubertus his rationibus d. fieri non posse vt quemadmodum vulgus Medicorum opinatur, putredo interpolatarum fit in locis prope cutim, quia multo facilius est, vt huiusmodi vapores per cutim dissiparentur, quam vt cor peterent. Ceterum etsi hæc opinio ingeniosa sit, & multis rationibus munita: tamen falsa est, non quod interdum non fiat putredo circa cor, sed quod & semper, pręsertimque in interpolatis, fiat. Nam vt de tertiana & quartana primum loquamur, fuit sententia Arist. 4. de part. anim. 2. nullum genus bilis approximari cordi. Si ergo bilis antequam putrescat, minime appropinquat cordi, multo minus cum putrescit, debet approximari, quandoquidem putrescens quilibet humor multo magis inimicus & perniciosus est visceribus, quam dum integer est. Adeo quod dicendum sit numquam fieri febres ab his humoribus, aut dicendum est falsam esse hanc sententiam. Respondet huic Ioubertus, quod cor admittit pus, ergo potest etiã admittere humores putrescentes. Dico hoc falsissimum esse, quod scilicet pus admittat cor. Sed dato etiam quod admittat, magna differentia est inter pus, & humores putrescentes, quia pus naturale est admodum æquale, lene, humores vero putrescentes, & præsertim vtraque bilis sunt acres, mordaces, & toto genere inimici corde.

Nec valent argumenta eius, quia cum duplex sit materia coniuncta febrium, sc. & vapor putridus qui est causa coniuncta instrumentalis, & non per se, & humor, qui est causa coniuncta per se, verum est, in corde semper reperiri aut vaporem, aut humorem, ideo in febribus interpolatis, vbi putrescentes humores longe a corde recedunt fat est, quod vapores putridi, a loco putredinis in cor ferantur, & ibi calorem febrilem accendant. Et sicut huiusmodi materia vaporosa semper reperitur in corde, sic non est mirum, si & æstuationes, & incendia, & alia symptomata semper circa cor ostendantur. Huc accedit quod in febribus interpolatis non deuruntur extrema, sed potius circa cor apparet ardor, eo quod in meatibus internis est calor natiuus, & externus in externis partibus est solummodo, calor febrilis natiuus exiguus est. Idcirco summarum ne fit, vt in interpolatis incendantur interna, non autem externa. Quod autem dicebat æquius esse, vt vapores per cutim dissipentur, quam vt petant cor, hoc etiam minime necessarium est. Nam fuit sententia Hippoc. in lib. de locis in homine, cutem, & partes extimas in nostro corpore solidiores esse quam intimas, merito cuius soliditatis fit, vt hi vapores febriles nequeant facile per ipsas diuaporare: sicut e conuerso facile per venas, per arterias rapiuntur in cor. quia vt d. Gal. 5. de simpl. medicamentis 5. meatus & vasa omnia interna multo amphora & patentiora sunt, quam ea, quæ vel in cute, vel subtus reperiuntur, quod si verum est, iure igitur vapores putridi emanantes ab humoribus extra venas potius ad cor penetrabunt, per vias latas, quam vt per cutim expirent: accedit etiam aliud quod scilicet communio venarum & arteriarum tanta est in internis partibus, quod facillime per ipsas possunt a longinquis partibus vapores communicari cordi. Quamobrem videre potestis, quæ sit vera natura omnium febrium interpolatarum. Atque sic resolutum est primum caput de ipsis propositum. Erat secundum caput cur interpolatarum febrium aliæ magis, aliæ minus durent. Huius causæ plures sunt. Nam primo longæ, aut breues esse solent, vel propter materiæ varietatem, secundo propter virtutem, tertio propter corporis dispositionem, quarto & vltimo propter errores. Propter materiam, quia si materia sit copiosa, si sit viscida & crassa, necessario febres longæ sunt, contra autem si humor exiguus sit, si tenuis, si subtilis, semper febres minus diuturnæ, sed breues sunt pariter si materia vniformis extiterit, vniformes quoque erunt paroxysmi, si sit materia varia, varij quoque erunt paroxysmi.

Longitudo & breuitas febrium intermittētiū vnde.

Ratione virtutis fiunt quoque febres modo longæ, modo breues, quoniam vbi virtus naturalis valde robusta est, & facile, & cito morbosam materiam expugnat, vt dicit Gal. 2. de diff. feb. ex aduerso, si facultas naturalis infirma sit, necessarium est, vt ipsis pugna cum materia diu perduret. Ratione dispositionis corporis fiunt quoque febres aut diuturnæ, aut breues: quoniam vbi corpus densum est; vbi sensus omnes hebetes & languidos habet, semper febres longiores suboriuntur, eo quod propter corporis densitatem materia tarde consumitur, & propter hebetem sensum natura tarde concitatur, vbi autem corpus rarum est, vbi similiter sensus vegetos & admodum acutos habet, fit vt & celerrime natura moueatur in pugnam, & celeriter etiam materiam per corpora rara pellat, & dissipet, & consequenter febres breues oriantur.

Postremo fiunt febres longæ propter errores, quandoquidem si Hippocrat. in epid. de quodam

dam retulit, qui extinctus est, quoniam intempestiue cœnauerat, multo magis existimandum, errores commissos vel ab ægro, vel Medico, vel ab assidentibus, febres diuturniores facere: quoniam ex erratis multiplicantur humores, fiunt crassiores, & propterea paroxysmi longiores redduntur, vt ex altera parte certum est, solertiam & diligentiam tum Medici, tum ęgri, vim magnam habere ad febres interpolatas breues efficiendas. Cur etiam antecedunt aut postcedant eadem est fere ratio, quia antecedunt vbi materia augetur, postcedunt, & tardant, vbi mat. tenuior fit, aut minor. Hoc est caput secundum, quod proposueramus tractandum. At quia sæpe a nobis facta est mentio rigoris, & horroris: licet pauca quædam dixerim in superioribus lectionibus, tamen quia Auic. multus est in explicatione horum symptomatum, antequam aggrediar curationem, & exactissime, & breuiter naturam horum omniũ docebo. Constat apud vos omnes, animales actiones, & præsertim motrices non raro lædi, atque ipsarum læsionem in triplici esse differentia, quia vel læduntur ablatæ, vel diminuuntur, vel deprauantur; rigorem, & horrorem constat ex Galen. 2. de sympto. causis, a. & lib. de rigore, omnia hæc sympt. esse actiones motrices læsas, deprauatas; ita quod in his symptomatibus facultas motrix lædatur deprauate, vbi vero actiones motrices deprauantur, aut contingit per defectum facultatis: vel virium instrumentorum. Defectus autem facultatis fit potissimum per frigidam aliquam intemperiẽ, & quando fit iste defectus, appellatur tremor, eo quod natura tentamus mouere membra; cum prę debilitate non possit corpus sua natura niti ferri deorsum, natura ex aduerso nititur membrum illud sustinere, atque ita in hoc nixu & renixu naturæ, & corporis fit motio deprauata, quæ dicitur tremor. Causæ vero quæ materiam frigidam inducunt, plures numerantur a Gal. & Auic. inter alia est senectus, senectute enim refrigerantur omnia membra, timor a quo calor retractus ad centrum, facit vt reliqua membra refrigerentur, ebrietas, cruditas, ignauia, otium, gelidæ aquæ potio, quę omnia cum refrigerent ipsum corpus, consequenter vim motricem infirmant, fit ẽt defectus virtutis motricis, alia de causa, scilic. propter obstructiones instrumentorum motus, nam vbi nerui sunt obstructi; virtus quidem motrix pertransit, sed infirma, debilis, non tota, propterea quod spiritus vel ipsa facultas, quæ instar lucis propagatur propter obstructiones nequeunt libere transire: sed percunctabitur aliquis vestrum a me, quomodo fieri possit, vt ebrietas faciat tremorem; eo quod refrigeret à quoniam videmus ebrios maxime feruere, & calidos esse, vt potius dicendum sit, eos tremere propter calorem non propter frigus: Respon. Aristot. huic dubitationi 3. sectio. problem. 1. & 5. a quo etiam mutuatus est Galen. lib. de tremore, & rigore, & secundo de sympto. causis, idcirco ebrios refrigerari, & tremere, eo quod ignis exiguus, & paruus extinguitur ab igne magno, sic & calorem natiuum extingui, & fere suffocari a calore vini, & propterea cerebra refrigerari, refrigerata deinceps tremere, si ob membrorum vitium motus deprauetur, est quia virtus membrorum expultrix offensa est ab aliqua re noxia, quam dum propellere nititur, efficitur ille motus deprauatus, qui motus si paruus, efficitur horripilatio, si sit magnus, efficitur frigus, si adhuc maior, efficitur rigor. Est dubitatio, quia Galen. 1. capit. 4. de causis symptom. 1. capit. lib. de rigore, & tremore, censet tremorem inter motus deprauatos, at in fine capit. quarti, lib. de rigore, appellat symptoma debilis, & violenti impotentia. Respon. si consideretur motus in se; cum non fiat, vt deberet, est deprauatus si facultas est debilis, nam ita intelligendus est locus 4. capit. lib. de rigore vbi pro [illegible], legendum est [illegible], cum sic, & antiquus interpres legerit, & loci ratio postulet, & Galen. dicat idem in fine subsequentis capitis. Horripilatio, vt docet Galen. 2. de symptom. causis capit. 5. est cum in corpore percipitur leuis quædam, & inæqualis refrigeratio, in lacertis punctio cum pigritia quadam, & veluti membrorum fractione, hæc est propriè horripilatio siue horror, nã siue horrorem, siue horripilationem dicas, nihil refert. Frigus dicitur quando præter dictum motum percipitur in membris sensibile frigus. Rigor dicitur, quando propter frigus & horrorem membra concutiuntur valde, & quassantur, quam rigoris naturam Galen. in lib. de rigore scribit D. Platonem in Timæo ignorasse. Huiusmodi igitur symptomata hanc inter se videntur habere differẽtiam, quia in horrore adest offensio motricis, in frigore adest offensio maior, in rigore vero adest offensio maxima, ita vt quod dictum de vno, cum differant tantum secundum magis, & minus, idem putare dictum de alijs.

Rigor aut est cum febre, aut sine febre, rigorem sine febribus dicebat Gal. 2. de symptomatum causis 5. raro tempore Hippoc. visum esse, atque hoc adscribebat Galen. lasciuiæ, & gulæ sui temporis; cuius rigoris multæ, & a Gal. & ab Auicenna referuntur causæ; inter ceteras causas est aqua feruens, aut aqua frigida corpori affusa, similiter medicamenta acria vlceribus imposita, aer frigidus, cibi frigidi, ignauia & desidia, propter quam congregantur in corpore nostro humores frigidi, & vitrei, adhæc dolor, & timor: sed aduertendum est a vobis, quod quando dico rigorem fieri ab huiusmodi causis sine febre, fieri etiam cum febre, vt notatum est ab Hip. lib. 1. de morbis, siue sit Hipp. siue sit alius Auctor. Rigor cum febre, aut fit a causa calida, aut fit a causa frigida, qui fit a causa calida, vel efficitur a materia vaporosa, vel materia humorali, a materia vaporosa efficitur rigor, quando vapores acres, & mordaces facultatem expultricem stimulant, & quasi musculos expungunt, imo tantum potest hæc materia in efficiendo rigore, vt Hippocr. lib. de flatibus videatur hanc solam causam agnouisse. sc. flatus. Rigor qui fit a causa calida humorali, fit quia humores acres & mordaces, siue sint biliosi, siue sint salsi, virtutem expultricem stimulant, quæ stimulata, nititur eos extrudere, atque hic rigor efficitur semper in principijs febrium, fit etiã in febre ardente, & quando efficitur in febre ardente, aut fit in die critica,

& cum signis coctionis, aut in die non critica, & cum virium debilitate, si primo fiat d. Hippo 4. aph. 58. quod febres soluuntur, si vero fiat secundo modo, dicit idem 4. aph. 46. quod lethale est. Vbi fit rigor a causa frigida similiter aut fit a vaporib. aut fit ab humorib. a vaporib. quotiescunque exhalationes frigidę in corpore nostro attolluntur, quæ vellicantes membra stimulant virtutem expulsiuam ad hunc motum edendum, quod si fiat ab humorib. est, quando vel pituita vitria, vel humor melancholicus, vt in quartanis motiuam ipsam virtutem stimulant. Et aduertite, quod vt scriptum est ab Hip. 1. de morbis, fiunt rigores vehementes ab huiusmodi pituita, & bile quanquam, vt notatum est a Gal. lib. de rigore, veteres omnes videntur ferme in hoc cõsentire, quod rigor fiat ab humorib. etiam intra venas latitantib. veritas autem est, quod motus iste solum omnino fiat ab humorib. a venis extra venas propelluntur, non autem vbi inuenis retinentur. Circa hanc rigoris speculationem sunt tria, quæ in cõsiderationem venire possunt, vnũ est quod videtur contradictio insignis inter Gal. & Auic. Gal. 10. meth. 4. scribit, ad rigoris generationem concurrere copiam humorum, acrimoniam, motus velocitatem, & facultatis debilitatem ita quod Galen. inter alias causas rigoris, videtur hanc omnino constituere, quod etiam imbecillitas facultatis concurrat. Verumtamen expresse contrarium huius habet Auic. qui scribit, vehementem rigorem fieri, a valida virtute expulsiua, & ratio etiam videtur fauere Auic. quoniam rigor est motus vehemens, & concussio, concussio, & vehemens motus necesse est ut fiant a facultate valida, nam si conciteris equum debilem nunquam curret, si validum curret, & velocissime, imo Galen. lib. de rigore cap. 5. manifeste ponit hanc differentiam inter tremorem, & rigorem, quod ille virtute imbecilla, hic a valida fiat: secundum, quod in controuersiam venit, est, an rigor solum fiat a causa frigida, an etiam a causa calida? ratio huius controuersiæ est desumpta ex verbis Arist. & Gal. Arist. 8. problem. sectione in pluribus problematibus, & præsertim 10. visus est habuisse hanc sententiam, quod rigor semper fiat a causa frigida, imo, & ille qui a calida, nam quærens philosophus cur sit quod ęque horrescimus, si affundatur calida, atque frigida, respondet, a frigida nos horrescere, quia calor intro clauditur, a calida uero propterea, quod fugus illud, quod reperitur in ambitu corporis fugiẽs calidum colligitur in vno loco, unde postmodum inducit rigorem. Idem etiam censuit Hipp. 1. de morbis, & Plato in Timæo. Sed aduersus hanc sententiam est Gal. in lib. de rigore, item 2. de symptoma. causis cap. 5. & 6. quibus in locis Galen. manifeste docet, rigorem effici tam a causa calida, quam a causa frigida, quamuis enim dicit Galen. in quolibet rigore adsit frigefactio, tamen a causa calida potest rigor induci: ex quibus locis apparet manifeste controuersium inter Gal. & Arist. de causa rigoris, alterum considerandum est, si rigor fiat a causa frigida & calida, an maior a frigida, an vero minor a calida fiat, ratio dubij est, quia uidetur controuersia inter Gale. & Auicen. Galen. omnium fatetur minorem fieri a causa calida, Auicen. uidetur secundum non nullos, quod fiat maior a causa frigida. In prima controuersia soluenda laborant magnopere interpretes omnes, & ne conteram tempus in recensendis prauis interpretationibus, dico Domini, facultatem expulsiuã posse considerari secundũ duas operationes, secundum resistentiam, quam facit a causis noxiis, vel possumus cõsiderare secundum comparationem, qua expellit, & vt hoc intelligatur, cogitare oportet, quod virtus expulsiua, quando stimulatur, primo conatur resistere, ne stimuletur, postquam resistere non potest insurgit ad expellendum id quod stimulat, hoc ita constituto dico verum esse quod dicit Auicen. & quod dicit Galen. etenim quando scribit Galen. & Auicen. vehementem rigorem a valida fieri virtute, considerat facultatem expulsiuam secundum hanc operationem, quæ est expulsio, quia certe nisi vehementer expelleret virtus expulsiua non fieret rigor. Quando vero Gal. scribit concurrere ad rigorem facultatis imbecillitatem, considerat facultatem expulsiuam secundum primam operationem, secundum resistentiam quasi sit hæc Gal. sententia, quod rigor fit quando facultas est impotens resistere quin offendatur, est enim imbecilla, quia non potest resistere quin offendatur, non negat tamen Gal. facultatem consideratam secundum expulsionem validam esse. Igitur concludens breuiter dico, quod ad rigorem concurrat facultas imbecilla secundum resistentiam, & valida secũdum expulsionem vt dicit Auic. sed instabit adhuc aliquis, verum, quod fiat omnino rigor a virtute debili, secundum debilem expulsionem, quia vt mox dicebat Hippoc. 4. aph. 46. scribit quod rigor si superuenerit virtute debili existente lethale est, igitur videtur verum esse, quod a debilitate efficiatur rigor: dico eo in loco Hipp. sermonem facere de facultate vitali, non autem de facultate naturali, & animali quasi dicat, si rigor superuenerit, & facultas vitalis debilis fuerit, lethale, vel melius dicendum loqui de facultate debili, nõ ob rigorem, sed ob aliam causam ex antecedente morbo.

Erat secunda dubitatio an rigor fieret tam a causa calida quam a causa frigida, pro cuius resolutione tria sunt apud vos cõstituenda, vnum est rigorem immediate effici neque a causa calida, neque a frigida dico mediate, quia causa immediata rigoris est copia humorum actiũ, vel vaporum velociter motorum, Alterum constituendum in rigore semper necessario refrigeratas esse corporis partes aliquas, & hoc dicit Gal. lib. de tremore, & rigore c. 6. quãdo probat, Platonem ignorasse rigoris naturam. Tertiũ a uobis constituendum est mediatam causam rigoris posse esse caliditatem, & frigiditatem, eo quod humores mordaces, & qui impetu feruntur possunt esse tum frigidi, tum calidi, itaq; cum rigor ab istis fiat, consequenter possumus dicere, quod & a calido & a frigido fiat, quapropter si Aristot. sententia fuit, quod semper in rigore sit refrigerata aliqua pars procul dubio veritatem dixit, si vero voluerit rigorem fieri semper a

frigore

frigore, tanquam ab immediata causa falsum est, quia vt dixi vera causa immediata est copia humorum velociter latorum. Erat tertia dubitatio, an rigor fiat maior, vbi humores sunt frigidi, an vero vbi humores sunt calidi, Auicen. secundum nonnullos videtur habuisse hanc sententiam, quod fiat maior a causa frigida eo quod ipse scribit materiam, quanto magis viscida est tanto maiores facere rigores, inquiunt isti viscidior materia semper est frigidor, ergo videtur secundum Auic. a causa frigidiori fieri maiorem rigorem. In hac opinione præter alios fuit maxime Auerrhoes, qui 3. coll. cap. 30. scribit, Medicos errasse, qui voluerunt a causa calida fieri vehementiores rigores, & aduersus Medicos vtitur duabus rationibus, vna est quia in externis, videmus fieri maiores rigores ab aere frigido, quam a calido, quoniam sub aere calido solũ horrescemus, sub frigido rigemus d. Auer. Si igitur simile est intra corpus nostrum, atque est in aere externo, videtur maior rigor fieri a causa frigida, quam a calida, altera ratio est, quod rigor fit quia calor natiuus intro retrahitur, quod si ita est, sequitur inquit Auic. quod tum magis retraheretur calor, quando fugit maiorem inimicum; sed magis inimicum calori est frigus, ergo a frigore magis contrahetur calor, & consequenter fiet maior rigor. Pro resolutione huius dubij pono hanc resolutam conclusionem quod datis ceteris paribus, semper maior erit, qui sequitur humores calidos quam qui sequitur frigidos, quæ fuit clarissima sententia Galen. s. de symptoma. causis 5. & 6. dico iure ceteris paribus, quia si materia frigida fuerit copiosa, & maiori impetu feratur, calida autem sit minor, & minori impetu feratur, proculdubio a causa frigida sequitur maior rigor, sed si copia materiæ sit similis in frigida, & calida, si etiam similis vtriusque impetus, dico quod rigor semper maior efficietur a causa calida. & ratio est, quia datis ceteris paribus, semper maior acrimonia est in materia calida, quam frigida, sed quid dicemus ad Auicen. & Auerr. dico primum contextum illum duobus modis legi; legitur vno modo viscidior, altero modo mordacior, ita quod si legamus mordacior clarum est, Auicen. consentire & veritati, & Galen. dato etiam quod legendum sit viscidior dico Auicennam posse defendi propterea quod non est necesse vt materia viscidior semper sit frigida, quoniam si misceatur bilis & pituita, materia fit viscida, non est tamen frigida, & ad hanc materiam dicebat Hippocr. 1. de morbis. effici vehementissimos rigores, vel dicere possumus Auicen. locutum esse in eodem genere materiæ, quasi velit dicere, quod vbi humor faciens rigorem est viscidior, quod & rigor sit vehementior, non vehementior eo, quod materia sit viscida, sed quod sit magis pertinax, ratio est quia facultas expultrix maxime laborat in expellendis humoribus viscidis, & cũ magis laboret, fit necessario motus vehementior, & ideo rigor etiam maior; vel possumus dicere a frigido humore fieri maiorem rigorem extensiue, a calido vero intensiue. Ad Auerrh. respondeo verum esse quod sub aere externo calido horremus, non autem rigemus, quia nunquam potest aer ad eum gradum caliditatis peruenire, vt mordicet, & faciat rigorem, verumtamen non esse simile exemplum de calore interno, atque de externo, quoniam calor internus ponitur in materia acri, ita vt possit mordere, & stimulare virtutem expulsiuam: calor autem externus in aere positus, est in materia benigna, quæ non est mordax, & propterea parcat mihi Auerr. male comparabat calorem externum calori interno Ad secundam eius rationem dico, calorem natiuum esse positum in quadam mediocritate, quæ mediocritas duo habet extrema, vnum est frigus, alterum est calor summus; calor positus in hoc medio dico, quod magis sibi inimicum habet immodicum calorem quam frigus, contra quam dicit Auerr. probo, quia citius extinguitur calor natiuus noster sub immodico calore, quam sub immodico frigore, ab immodico calore statim comburimur, a summo frigore nemo statim interit, ita quod ratio Auer. non videtur vera, quod frigus sit magis inimicum calori natiuo, quam calor; sed concedamus Auerrh. frigus etiam magis inimicum esse, dico quod ratio non valet; quia ad rigorem efficiendum non solum requiritur vt calor infra reuocetur, sed requiritur etiam vt vis expultrix excitetur maxime ad expellendum; maxime autem excitatur ab humoribus calidis, minus a frigidis, ratio est quia vt intellexistis maior acrimonia copulatur isti, quam huic. Atque hic sit finis secundi capitis de signis.

Quæ ratio sit periodorum in febribus interpolatis.

Sequitur tertium caput explicandum, difficilimum omnium scil. causa periodicationis febrium, nam Hippoc. lib. de sacro morbo in principio damnans eos, qui epilepsiæ generationem tribuebant dijs, quod is affectus admiratione dignus sit, dixit, epilepsiam nil diuinius habere, quã alij habeant morbi, & febres periodicas esse non minus admirandas quam epilepsiam. Galen. etiam lib. 3. de dieb. decr. c. 8. dicebat, rationem periodorum in febribus vsque adeo difficilem, vt nihil magis. Quapropter cum hæc contemplatio, & admiranda, & difficilis sit, non est mirũ, si tot sententiarum diuersitates in ea extiterunt. Quæ vt breuiter, sed diligenter perquiramus, scire oportet ante alia quid sit periodus, seu periodicatio apud Medicos, de alijs auctoribus non loquor, apud quos varia est periodi significatio.

Periodus quid.

Periodus a Gal. in 2. ca. lib. de temp. mor. definitur esse reditus quidam circuitum affectus ab ijsdem in eadem, ordine eodem, quanquam in lib. de definit. medic. paulo diuersus videtur tradere periodi descriptionem. Addita est a Gal. hæc particula (eodẽ ordine) non sine ratione, propterea quod sunt multæ febres, quæ redeunt quidem ab ijsdem in eadem, sed non eodẽ ordine. Et hę febres nequaquam dicuntur periodicæ, sed Græcis πλανῆται, latinis errones, Celsus vagas vocat; propterea huiusmodi febres periodicas ordinatas Plin. li. 28. c. 8. appellat ab ordine certo status. Isidorus li. 4 orig. scribit etiam vocari typhos, sed nescio quo exemplo, cũ typhus sit aliud morbi genus, cuius sæpe meminit Hippoc. lib. maiore de morbis. Cum ergo febres periodicæ

ordinatæ sint semper, iure dubitatum fuit semper, quæ sit vera causa illius perpetui ordinis, qui interdum vsque adeo est certus, vt videatur dirigi a non errante intelligentia. Cuius causæ inuestigatio d. Galenus 3. de dieb. decret. c. 8. est longe difficilima, & propter magnam difficultatem non debet vobis mirum esse, si hactenus medicinæ scriptores adeo diuersi fuerunt: examinabo hic nonnullas opiniones, atque illas illustriores.

Astrologorum opinio de causis periodorum.

Astrologi, quos secutus est Petrus Aponensis in Concillat. quæstione 98. huiusmodi ordine solum videntur tribuere planetis, ita quod cum sanguis tribuatur Ioui hac ratione non habeat periodos vllas, & sicuti humor melancholicus gubernatur a Saturno, habeat a Saturno tardissimo omnium planetarum, vt tarda moueatur, & quartanariam periodum faciat, deinceps pituitam tributam Lunæ moueri quotidie quia Luna mouetur celerrime, bilem Marti. Ita quod horum sententia periodos febrium solum fieri a syderibus, quorum motus sicut sunt ordinati, ita quoque ordinatæ sunt periodi. Hanc astrologorum sententiam confutauit diligenter Ioan. Picus Mirand. lib. 3. contra astrol. capit. 17. & ideo non est opus, vt sit ea confutanda amplius. Hoc vnum non silebo quod fortasse melius fecissent Astrologi si planetis febres erroneas quas planetas Græci vocant, tribuissent Alex. Trall. lib. 2. proble. 5. quem inter veteres multi sequuntur. Inter recentiores autem secutus est Clarissimus Montanus, & alij causam ordinis in febribus nullam aliam esse voluit, nisi copiam humorum existentium in corpore nostro. Et, vt hanc intelligatis, discurratis per omnes humores, in primis sanguis, vt dicit Alexand. copiosissimus est humorum nostri corporis, ideo non habet periodum, sed vbi semel concepit ignem, semper retinet.

Post sanguinē copiosior in nobis est pituita, & ideo ratione huius copię quotidie accessiones facit. Post pituitam est bilis flaua, quæ quoniam est paucior quam pituita, hinc fit, vt non quolibet die, sed tertia quaque accessionem faciat. Postremo est humor melancholicus, qui cum sit paucissimus aliorum, consequenter tardiores accessiones facit, id est, de quarta in quartam diē; adeo vt secundum Alex. ordo accessionum proficiscatur a sola humorum copia, vel inopia. Ceterum duabus euidentibus rationibus confutatur hæc sententia. Primum, quia etsi verum sit humores in corporibus sanis abundare secundum hanc proportionem, non est tamen verum, ita esse in corporibus ægris, quia fieri potest, vt corpus quod a naturali statu recedat, modo plus bilis quam pituitæ habeat, modo plus melancholiæ.

Ceterum febres periodicæ non fiunt in corporibus sanis, sed in impuris & ægris. Quare non valet hæc ratio Alexan. quia hæc proportio non necessario seruatur in quouis corpore. Alia ratio est, quia si verum esset, quod dicit Alex. sequeretur, debere dari alios humores, ex quib. fiant quintanæ, septanæ, & nonanæ febres, quod cum non sit receptum a Medicis, nec est vera causa est allata de ordine periodicationis.

Post Alex. fuit Auerrh. 4 collig. ca. 27. qui refutauit pluribus verbis sententiam Gal. quam inquit se etiam magis examinasse in comment. Supra libros Galeni de febribus quæ commenta a nobis desiderantur, & videns difficultates, quibus reiecta est sententia Alex. dicebat, humores non sola copia sed etiam ipsorum natura efficere ordinem in febribus. Verum, nec hæc sententia sustineri potest, quandoquidem natura humorum solum spectatur, vbi illi sunt integri & incorrupti. Vbi autem putrescunt, iam non habent proprias naturas. Quare nec etiam possunt secundum hanc naturam operari; Præterea, si periodicatio sequeretur naturam humorum, ergo & putrefactio. Sed hoc falsum est, quia natura nunquam intendit putrefactionem. Ergo etiam est falsum id quod dicit, probo autem quod putrefactio sequeretur naturam humorum, quia periodus sequitur putrefactionem, vbi putrefactio, ibi & periodus, & vbi periodus ibi & putrefactio. Postremo si sententia Auerr. vera esset sequeretur pituitam magis putrescibilem esse bile, hoc autem est falsum quia Galen. & Auic. dicunt primo putrescibilia esse corpora calida, & humida, secundo calida, & sicca, vltimo frigida, & humida. Probo quod ex sententia Auerr. pituita magis putresceret, secundum suam naturam pituita quotidie putrescit, quia facit quotidianas periodos, bilis putrescit tertia quaque die; sed quæ quotidie putrescunt magis putrescunt, quam quæ putrescunt tertia die, igitur cum putrescat ex sua natura, sequetur quod pituita ex sua natura magis putresceret, quam bilis.

Post Auer. fuit Gentilis, quem secuti plerique, inter alios Iac. Forolliuiensis conciuis meus cū gustasset omnes difficultates, quæ oriuntur in aliorum sententijs, dicit neque humores secundum copiam, neque secundum naturam facere hunc ordinem, sed tantum proprietate arcana & specifica, sicut magnes, dicit ille, forma quadam specifica trahit ferrum, ita pituita quotidie affligit proprietate hac specifica, bilis tertia quaque die, melancholia aut quarta, aut quinta, aut nona, & vt sciatis, differentiam esse inter hanc opinionem, & opinionem Auer. hæc est differentia quod Auer. preter naturam humoris ponebat quantitatem materię Gentilis soli formę specificæ hoc tribuit. In hanc sententiam conati sunt trahere hi Gal. & Auic. Gal. 2. de feb. 10. & 1. aph. 12. in quibus locis videtur Gal. tribuere humoribus quandam proprietatem in his ordinibus efficiendis natura 2. diff. feb. dicit nō omnium esse æqualē putredinem, quia alia est putrefactio pituitæ, alia bilis: primo autem aph. dicit inflammationes a bile habere periodos tertianas, quasi proprium sit formę ipsius bilis has periodos facere, preter Gal. dixerunt huius opinionis fuisse. Auicen. quoque, quia is in capit. de febribus apostematum dicit, vnumquemque humorem eum facere paroxysmū, qui sibi donatus est. Sed si recte examinentur Gal. & Auic. dicta, multū abest, vt hanc opinionem secuti videantur, fuitq; Gentilis & ceterorū sententia diligentissime

ad

ab Hugone Senensi refutata, duç autem rationes sunt quæ me impellunt, vt hanc sententiam damnem, vna ratio est, quia eandem difficultatem patitur quam sententia Auct. siquidē proprietas specifica operatur quando integra, non quando alterata est. Exemplum affero istorum de magnete. Nam magnes si debet attrahere ferrum, est necesse, vt sit integer, quia si ipsi allium affricetur, sane statim amittit vim trahendi ferrum, quia vis eius specifica violata est.

Idem dicendum est de humoribus, quia si alterentur, vt fit in putredine, vltro facultatē operandi secundum suam naturam amittunt.

Accedit alia ratio, quia si ordo proficisceretur a specifica proprietate humorum, sequeretur et humores, dū sunt in venis, posse facere huiusmodi periodos, quia id quod per se tale est, semper & vbique est tale, at hoc falsum est, ergo etiam falsum est, quod humores faciant periodos forma specifica. Nec valet quod interdum impediatur, vt quando est in venis, primum quia nō est ibi impedimentum tale. Præterea etiam extra venas semper id non faciunt manifeste. Ad hæc, quæ ratio, & causa assignabitur quintanarum, octauarum, &c. Postremus omnium Fern. cum nesciret sese ab his nodis explicare. quanquam amator proprietatum occultarū dicit hūc ordinem non proficisci a proprietate humorum, sed a proprietate putredinis humorum, adeo vt bilis putrescens tertianarias periodos faciat, quia eius putredinis hoc proprium est; sed nec hæc sententia firma est, quia hæc qualitas occulta, aut sequitur humorem putrescentem, aut sequitur locum in quo putrescit; aut ipsam putrefactionem; aut sequitur omnia hæc: nō enim est dicendum quod sequatur materiam putrescentem, quia humorum putrescentium non semper est eadem putredo, & tamen semper est eadem periodus.

Itaque si hæc proprietas penderet a putredine materiæ variatam putredinem variata periodus sequeretur, at non sequitur ergo &c. Non nascitur etiam hæc qualitas a loco, quia si haberet locus hanc conditionem, exempli gratia locus circa diaphragma, vt efficeret periodum tertianam, ergo quicunque humor putrescit eo loco faceret hanc periodum: sed hoc falsum est, quia vbicunque putrescit bilis modo extra vasa, semper facit periodos tertianas: ergo periodi non sequuntur naturam loci. Non est etiam dicendum quod hoc fiat ab ipsa putredine, quia si hæc qualitas occulta debet operari, necesse est vt sit forma, quoniam vt dicit Arist. 5. metaph. omnis actio fit a forma, sed putredo est res præter naturam, non habet formam: & passionem præter naturam efficere ordinem certum, est ab omni ratione alienum. Probo etiam quod ab omnibus simul non possit fieri, quoniam periodus est quidam circuitus ordinatus, ergo necesse est vt sequatur ratio ordinata. Sed vbi adest putrefactio, nil potest esse ordinatum, quia totū est contra naturam, igitur nullo modo ab omnib. potest fieri periodus. Accedit alia ratio, quia in periodis considerantur paroxysmi, principia paroxysmorum, & interualla. Si hæc omnia cōsiderentur, neque a putrefactione, neque a materia putrescente, neque a loco potest fieri interuallum quod est inter vnum, & alterum paroxysmum, quod est pars ipsius periodi. Quid igitur hac in re definiendum est? Ad Gal. confugiendum est, qui tametsi 3. de diebus dec. ca. 8. nec cognouerit nec manifestarit huius problematis veritatem, quædam tamen lumina reliquit in fine lib. 2. de feb. vt liceat ex his verisimilem saltem sententiam aliquam colligere, ibi enim Galen. videtur voluisse totam vim huius ordinis, positam esse in ipsa congestione humorum, ita vt ex hac & ex illa congestione hic aut ille ordo oriatur, eius congestionis diuersitas secundū ipsam efficitur a duobus, scilicet a sanguinis diuersitate, quoniam alter sanguis biliosus est, alter pituitosus, qui congregatur, alter vero melancholicus; præter diuersitatem sanguinis dicebat Galen. variari congestionem a varia membrorum dispositione. Sed vt perfecte Gal. mentem assequamini.

In hac congestione quatuor necessarium est spectari, materiæ qualitates, primas sc. & secundas; materiæ quantitatem; actiones ipsius caloris in materiam, & postremo fomitem, qui relinquitur in morbis. Fomes autē in duob. consistit, tum in reliquiis illius materiæ, quæ putrefacta est, tum in affectu relicto in ea parte, ubi facta est putredo, dicebat n. Gal. quod sicuti vbi in aliquo vel facta est nidorosa combustio relinquitur in ipso vase aliqua nidoris qualitas: pari pacto vbi in aliqua parte facta est humorum putredo, necesse est in ea parte relinqui aliquem affectū quādamque præter naturam qualitatem, quæ vel est fomes vel fomitis pars. His spectatis circa congestionem, videndum, quomodo hic ordo procedat in febrib. Nam si materia sit crassa, sit copiosa, & actio caloris in ipsam exigua sit, necessario relinquitur multus fomes, qui postmodū facile reaccenditur, & ideo pituita quotidie facit accessiones, quia frigida est, viscida & a calore debiliter tractata, vnde cum parum ipsius consumatur, multus fomes relinquitur, qui deinde iterum & cito facile accenditur ita, vt quotidianas faciat accessiones,

Bilis autem cum humor calidus sit, cum tenuis sit & vehementer calor in ipsam agat, fit vt qualibet accessione multum ipsius consumatur & consequenter exiguæ reliquiæ remanent & exiguus fomes, propter quod deinde difficilius & tardius iterum accenditur, adeo vt tertia tantum die accessiones faciat. Humor autem melācholicus, cum & ipse paucus sit frigidus & siccus, nec non crassus, & in ipsum validissime agat calor tanquam in maximum hostem, fit vt validissime consumatur qualibet accessione, & consequenter parum fomitis relinquatur, & ideo qualibet die, vt pituita, nec tertia die vt bilis, sed quarta die tantum accessiones faciat, & prout huiusmodi fomes paucus aut paucissimus est, sic fiunt accessiones, non tantum quarta die, sed & quinta, septima, nona.

Sed dicetis, hæc quidem plana, & verissima sunt, veruntamen nondum apparet solutio

Causa particularis periodi, cur scilicet pituita quotidie, bilis 3. die faciat accessiones. Cur in febribus magis quã his sint periodi.

dubij; quia etsi reddita sit ratio, cur ab aliquibus humoribus, frequentius fiant accessiones ab aliquibus rariores; tamen non constat ratio, cur pituita potius quotidie, bilis potius tertia die, & melancholia potius quarta, hoc est illud quod omnium ingenia solicitat, & quod solicitauit mirifice etiam Galenum, quia difficillimum est omnino, vel ex Galeno, vel alio scriptore irrefutabilem rationem habere.

Attamen, si quid dicendum est, dicere oportet, mea sententia gradum nobis incognitum quantitatis, seu potius fomitis esse illum, qui huiusmodi ordinem pariat, ita vt gradus fomitis relictis ex pituita putrescente faciat quotidianam accessionem, quia ea est maxime putredini exposita ob humiditatem, gradus fomitis bilis tertianam, quia minus putrescere est apta, & gradus fomitis melancholiæ quartanam quia ob frigiditatem, & siccitatem omnium minime est putrescibilis, cur autem hic gradus acquiratur est ex ijs rebus, quæ sunt homini incognitæ. Vnde etiam colligere potestis solutionem problematis, cur sit, quod in febribus magis apparent periodi, quam in alijs morbis. Nam, etsi epilepsia, lippitudo, podagra, habeant periodicationem, tamen non habent ita manifestam vt febres, id autem contingit ex motu humoris, qui fit magis in febribus ob putredinem.

Hucusque peruenimus exponentes primum caput a nobis propositum de natura febrium putridarum. Addendum est secundum caput de signis, quia nihil prodest intellexisse naturam febrium putridarum, nisi doceamini, quibus signis hanc febrem possitis intelligere. Hæc signa fusissime ab Auic. tractantur. Sed ego qua potero breuitate, & luciditate proponam. Signorum, quæ indicant febres putridas, alia sunt quæ indicant hoc genus generalissimum, scilicet febrem putridam. Alia sunt quæ indicant genera subalterna, vt est febris putrida biliosa, pituitosa; Alia sunt quæ indicant species specialissimas, velut quæ indicant tertianam, quartanam. De specialibus loquar, quando peculiariter vnamquamque speciem putridæ febris tractabo; nunc duo priora persequamur: & primo signorum febrium putridarum in genere alia sunt separabilia, alia vero inseparabilia. Separabilium alia sunt propria, alia vero impropria; rursus inseparabilium alia sunt propria, alia impropria.

Separabilia & propria dicuntur ea, quæ conueniunt omnib. febrib. putridis, sed non solis. Inseparabilia & propria sunt ea, quæ conueniunt & omnib. & solis putridis. Propterea signa sumuntur a duobus fontibus, a læsis actionibus vitalibus, necnon ab accidentibus. Quę capiuntur ab actionibus læsis, tria sunt, primum est, quod in omni febre putrida pulsus, & calor in principio & augmento est inæqualis. Ratio est, quia cum arteriæ a putrida materia comprimantur, non possunt æqualiter dilatari, & hinc fit, vt inęqualiter moueantur. Dicitur hoc proprium signum, quia nascitur a materia putrescente, est vero separabile propterea quod etiam quædam febres putridæ blandæ sunt, in quibus huiusmodi inæqualitas nequaquam apparet.

Num in omnibus febribus pulsus inæqualis.

Sed video dubium, quomodo possit hoc signum conuenire solis putridis, quia Galenus primo ad Glauc. 5. inquit, in omnibus febribus esse quandam inæqualitatem pulsus, quæ dici solet inæqualitas febrilis. Respondendum, duplicem esse inæqualitatem: altera est, quæ spectatur in vnica pulsatione, alia vero, quæ spectatur in pluribus. Prior inæqualitas reperitur in omni febre: & hoc proposuit Galenus sexto capite primo ad Glauc. vbi dicebat, in vnius pulsus spectentur principium, medium, & finis, in omni febre reperitur inæqualitas. Sed si accipiatur inæqualitas in pluribus pulsationibus hæc propria est putridarum febrium, quia in his semper systole est valentior quam diastole, eo, quod opus est expurgatione fuliginum magna, cui systole inseruit. Secundum signum est, quod in febribus putridis initio semper coarctatur pulsus, siue, vt dicit Galenus tertio de præsag. ex puls. cap. septimo submergitur, quoniam calor natiuus retrahitur ad locum offensum, vbi videtur a materia putrescente quę quo facto suffocari. Hoc non reperitur in alijs febribus, non in hectica, nec diaria, quia in his calor natiuus minime omnino opprimitur a materia. Tertium signum est, quod pulsus validus & vehemens est, nam licet etiam in diarijs pulsus sit validus, tamen fortior est in putridis, ratio est, quia calor natiuus magis vrgetur a materia putrida, quam vrgeatur in diarijs. Signa propria, & separabilia ab accidentibus; vel sunt ab intrinsecis, vel ab extrinsecis.

Ab extrinsecis est nullam febrem putridam fieri immediate a procatarctica manifesta, nam hoc proprium est diariarum, vt fiant a causa procatarctica, quamquam videtur alijs etiam conuenire hecticis, sed alias de hoc dixi sententiam meam. non est tamen inseparabile hoc signum, quia secundum nonnullos et in corporib. præparatis fiunt putridæ a causa procatarctica, quanquam ego existimem semper diariam procedere. Ab accidentibus internis hęc signa desumuntur, primum est febres putridas inchoare semper cum rigore, horrore & frigore, sine manifesta causa, non est tamen inseparabile hoc signum, quia sunt etiam aliquæ in quibus numquam id apparet, vt sunt continuæ, quarum inquit Galen. proprium est non horrere. Secundum est febres putridas habere semper plures insultus, quod quidem nec in diarijs, nec in hecticis reperitur, verumtamen non est hoc inseparabile signum putridarum, quia reperiuntur aliquæ, quæ hoc carent, vt sunt febres ardentes, & continuę omnes sine exacerbatione, tertiũ est febres putridas habere semper plures insultus, quod quidem nec in diarijs, nec in hecticis reperitur verumtamen non est hoc inseparabile signum putridarum, quia reperiuntur aliquæ, quæ hoc carent, vt sunt febres ardentes, & continuę omnes sine exacerbatione. Tertium est, febrem putridam vbi declinat, non desinere in integram infebricitationem. Nam febres hecticæ nunquã declinant. Febris diaria, vbi declinat, prorsus desinit in infebricitationẽ, qua carent febres putridæ,

licet

licet nec omnes putridæ hoc habeant, quandoquidem sunt aliquæ tertianæ & quartanæ, quæ desinunt integram infebricitationem.

Quartum & vltimum est, putridas febres sæpe coniuncta habere varia & diuersa symptomata, quæ & a Galeno & Auicenna diligenter sunt connumerata, quæque non ita reperiũtur nec in hecticis, nec in diarijs, quantum est ex se.

Sunt autem hæc symptomata dolor capitis, sitis, anxietas, æstuatio, dolor dorsi, angustiæ, anhelitus prauitas, & difficultas, atque alia enumerata ab Auicenna, quæ omnia accidentia, comitantur febres putridas, eo quod plurimi vapores a materia putrescente attolluntur, qui hæc symptomata inducunt, inter quæ etiam connumerauit linguæ nigredinem, quæ nũquam aut in diaria aut in hectica reperitur.

De hac dubium est, vtrum scilicet sit proprium signum putridarum, ita, quod nulli alteri cõueniat. Quod facit dubium, est, quod Gal. sex in epid. com. 5. t. 54. dicebat, linguæ nigredinem interdum fieri ob solum melancholicum humorem existentem in ventriculo. Et ipse non semel hoc sum expertus, fieri nigredinem linguæ sine febre putrida. Vt autem hoc definire breuiter sciatis repetendum est memoria, quod prodidit Arist. 34. sect. problem. 4. scilicet linguam in febribus iure spectari debere, quia corpus est spongiosum, & propterea susceptibile peregrinarum qualitatum.

An nigredo linguę signũ propriũ putridarum.

Ad hæc superposita est lingua pulmonibus, in quibus cum fiat febris, facile vapores sublati in fauces recipiuntur a lingua.

Iam vero corpora denigrari, contingit quinque modis, vt colligitur ex Arist. lib. de colorib. & 38. sect. probl. nec non ex Theo. lib. de igne.

Corpora denigrãtur quinque modis.

Primus modus est per combustionem. Sic enim & carbones & corpora Aethiopum denigrari conspicimus.

Secundus modus est per putrefactionem: vnde corpora omnia viuentium, dum senescunt propter putredinem nigriora fiunt, vt videmus non tantum in corporibus humanis, verumetiam in arboribus. Tertius modus est per exsiccationes. Et hinc fit, vt sanguis vbi exsiccatur, nigrescat, sic & vibices, & sugillationes, cũ tumores nigrescunt, tũ præsertim quando sanguis exiccatur.

Quartus modus est per fuligines, vt lateres dum coquuntur, interdum fuliginibus oppleti, nigrescunt. Quintus & vltimus per fumum.

Nigredo linguæ, quæ propria febribus putridis, est illa, quę proficiscitur vel a combustione, vel putrefactione. Quæ autem fit a fuliginibus & fumo, non est propria febri putridæ. Et de hac intelligendus est Galenus loco citato 6. epid. quod scilicet a fumis, & fuliginibus humoris melancholici existentis in ventriculo lingua denigretur. Sed dubitare posset alius, quando dicatur signum proprium febrium putridarum dolor capitis, quandoquidem sunt etiam febres diarię cum dolore capitis. Respõdeo ad hoc dolorem, vel posse præcedere febrem, vel subsequi, dolorem capitis verum est pręcedere diariam, quod autem fiat post diariam nequaquam verũ est, sed solummodo fit post putridam, ratio est, quia putrescentibus humoribus, eleuantur vapores, qui in capite dolores faciunt.

Signa propria, et inseparabilia.

Sequuntur signa propria, & inseparabilia, quę duo sunt, scilicet velocitas systoles, & cruditas vrinę in principio. Vnde animaduertere debetis Auerroem 4. collect. c. 27. solum duo genera febrium putridarum proposuisse, quod vellet, vt Philosophus, sola propria & inseparabilia docere. Est itaq; & proprium & inseparabile ab omni febre putrida, ut systole in principio, & magis in augmento sit velox: ratio vero cur hoc sit signum proprium, & inseparabile putridarum est, quia systole inseruit solummodo expulsioni fuliginum, quę fuligines solum sunt in febre putrida, atque omni, non autem in diaria aut hectica.

Sed dicetis, quomodo nos, q in arte sumus tyrones, debemus indicare hoc de systole, & diastole? cum etiam huiusmodi cognitio consummatis Medicis sit difficilis. Docuere Rhasis, & Auicenna, quid in hac difficultate sit faciendum. Et est, vt spectetur respiratio, quę proportione respondet ipsi pulsui, & quam videtur Hippocrates magis spectasse, quam pulsum. Nam in principio inspiratio semper est tardior, quam exspiratio, quia exspiratio inseruit, & expulsioni fuliginum, qua vehementer opus est initio putridarum. Quod porro dicit Galenus, & litigant etiam interpretes, de pulsu molli, & duro, non est signum putridarum, quia vbi fit mollis pulsus in putridis est, vel quia materia putrescens est benignior vt sanguis, & pituita dulcis; vel quia inflammatio est in parte molli, vt cerebro, pulmone, uel quia sudores statim erumpere volũt: hę sunt causę, quę faciunt mollitiem in pulsu, non putredo. Similiter d. Galenus, si pulsus durus sit, non est proprium putrefactionis: quia vel fit durus pulsus, vt docet primo de causis puls. vel propter concretionem a frigore factam, vel propter repletionem siue flatuum, siue humorum vel propter inflammationem, vel propter scyrrhum, vel propter siccitatem, vt in ardẽtib. febribus. Sed hoc quoque in loco oritur difficultas, quandoquidem Galen. 1. de diff. feb. 7. dicebat in febribus putridis initio semper pulsus esse paruos & veloces, cui etiam adstipulatur rei natura, quę monstrat ob expulsionem fuliginem ita esse necesse.

Systoles & diastoles peritia ut a tyronibus haberi possit.

Ex alia parte duę sunt Gal. auctoritates, vna est 12. meth. 3. quo in loco docet esse quasdã febres factas ab humoribus frigidis putrescentibus, in quibus pulsus in principio sunt parui, & tardi. Et dicit Gal. tardos esse, siue respiciatur motus omnium paroxysmorũ, siue comparẽtur paroxysmis aliarũ febrium, & aduertite hunc locũ maxime esse interpretatum a latino interprete.

Igitur apparet ex sententia Galeni pulsum aliquorum febrium putridarum esse tardum in principio. Alia auctoritas est Galen. secundo de cris. 3. vbi dicit, in tertianis pulsus in principio esse paruos & tardos, id quod etiam confirmatum est ab Auicenna, & Auerroe 4. Collect. capit. 28. adeo vt manifesta appareat contradictio in ipsis Gale. verbis. Pro cuius solutione intelligendum, febrium putridarum duplex esse principium, aliud est, cum incipit natura stimulari ab humore, exeunte ex venis nondum putrefacto; aliud est, cum materia incipit iam putrefieri. Primo tempore semper in huiusmodi febribus est pulsus tardus, & ratio est, quia calor naturalis tunc quasi contractus, & consopitus ob molestiam humorum nequaquam arterias mouere potest velociter: secundo autem tempore semper pulsus est velox, tum quia ex putrefactione auctus calor celerius mouetur ad hoc, vt refrigeretur, tum etiam quia necessarium est expurgari fuligines ipsas. Possumus etiam aliter respondere, velocitatem pulsus in principijs paroxysmorum posse considerari dupliciter, vel secundum solam systolen, vel secundum systolen & diastolen. Si primo modo consideremus, semper est velox in principio licet velocior augmento, quando scilicet putrescunt ipsi humores. Si consideretur secundo modo, potest dici tardus, & rarus propter tarditatem ipsius diastoles, quia licet systole sit velox, tamen diastole est tarda.

Solæ putridæ habent vrinas crudas.

Alterum & postremum inseparabile, & proprium est vrinæ cruditas in principio, vel debilis coctio. Nam vt audiuistis, nec diariæ, nec hecticæ habent vnquam crudas vrinas, sed semper vel coctas, vel similimas coctis. Solæ putridæ hoc habent, vt initio vrinæ sint crudæ, quia fieri non potest, vt in principio materia putrescens producatur ad integram coctionem, vt bene notat Auicenna: hoc vero idcirco contingit dicebat Auerr. quia natura in principio solicita est circa humorum digestionem, & propterea vrinæ veluti ab ipsa natura relictæ crudæ necessario apparent.

Solæ putridæ habent in declinatione sudorem.

Nec obstat, quod interdum in aliquibus putridis (Galenus dixit in quibusdam tertianis) videantur vrinæ cum coctione, quoniam, vt suo loco dixi, & dicam, illa coctio non est materiæ morbificæ, sed est residuum quoddam illius materiæ coctæ, quæ tempore sanitatis erat aut in feruore, aut remissione. Addit huic Auicenna aliud scilicet febrium putridarum hoc proprium esse, vt vel declinent, vel finiantur cum sudoribus copiosis. Nam in febribus diarijs fiunt quidem madores quidam, quædam cutis humiditates, verumtamen nunquam fiunt copiosi sudores.

In hecticis etiam spectantur semper copiosissimi sudores. Sed non fiunt illi declinante malo, quinimmo quanto deteriua habent hectici, & quanto fiunt propiorea ipsi morti, tanto copiosi magis apparent sudores. Multa alia signa proponit Auicen. quæ licet non sint proprie pathognomonica, neque assidentia, tamen sunt antecedentia febres putridas vt plurimum, sunt vero signa præcedentia putridas nouem secundum Auicen. 1. lassitudo vlcerosa, & spontanea, de qua dicebat Hippoc. 2. aphor. quod prænunciant morbos. Secundum signum est pigritia, & tarditas quædam in operationibus, quæ nascitur ex humoribus grauantibus, tertium est pandiculatio, quæ efficitur vaporibus per musculos exeuntibus, quartum est pulsatio, & dilatatio quædam insolita arteriarum: Quintum est perturbatio in somno, quæ perturbatio in corpore, & animo appatet: Sextum est vigiliarum multitudo, quæ fiunt propter acres, & mordaces vapores. Septimum est anhelitus constrictio: Octauum est extensio venarum, & hypochondriorum velut ex quadam repletione humorum: Nonum est dolor, & capitis pulsatiuus. Quæ signa sunt hæc quæ dicit Auic. comitari dispositionem febres putridas antecedentem, præter quæ sunt etiam, & alia, vt sputorum insolita quædam frequentia, vomitus, & nausea, vrinæ copia respectu potuum, & ciborum, egestio seu fæces magis fœtentes quam consueuerint, prauitas, seu quædam praua dispositio capitis excitatio a somno turbulenta præter mortem. Quæ omnia accidentia solent sæpissime febres putridas prænunciare, dico sæpissime, quia interdum etiam ipsas comitantur. Inter alia signa vnum traditum est ab Auicenna, quod scilicet raro contingat, vt febres acutæ terminentur citra contractionem alicuius membri: de quo signo, quia interpretes non conueniunt, paulo post diligentius pertractabimus.

Post signa generalissima febrium putridarum sequitur, vt signa tradamus subalternorum aliorum generum, quæ plurima recensentur ab Auicenna: sed quia magna pars horum explicabitur a me dum tractabo febres, & aliorum de quibus suo loco fusissime agam dicam solummodo ea signa, quibus cognoscuntur hæ duæ febrium differentiæ, scilicet acuta, & tarda, continua & interpolata. Febrium acutarum duo potissima signa sunt proposita ab Archigene, vnū est velocitas, & vehementia motus, vt dicit Galenus in libro de temp. morb. vbi enim videris statim magno impetu aggredi febres, argumento est febrem acutam esse, aliud est imminens vitæ periculum, adeo vt intelligi possit, febrem esse acutam, nam vbi febris est sine vllo periculo, omnino etiam acutiem non habet. Potest is addere aliud signum magnitudinem scilicet caloris, & ardoris.

Signa vero febrium tardarum sunt duo, vel tria. Primum est lenitas & tarditas motus: vnde Hippoc. In lib. de præcep. dicit tranquillitatem in morbis esse sequacem ad longas ægritudines. Deberet ratione contrarietatis carentia periculi esse signum febrium diuturnarum. Verum res contra habet, quia hecticæ febres sunt quidem diuturnæ, verum non tantum periculosæ, sed & exitiales.

Secundum est caloris blanditiæ, siquidem in diuturnis febribus vix vnquam fit, vt calor

fit

sit insignis, sed de calore notandum, esse etiam signum calorem ad declarandam acutiem, vel diuturnitatem febrium. Ratio est, quia cum Hippocrates primo aphorism. 14. dicat, senes non tentari admodum febribus acutis, tamen tententur quandoque, nec tamen insignem calorem habent aut extimum aut intimum, vt ideo Auicenna dixerit, febres senum acutas esse sepultas, eo, quod earum acuties nec intus nec extra monstratur.

Cur vero febres senum sint sepultæ tres sunt causæ, vna est habitus senilis frigiditas, propter quod dicebat Hippocrates, quod non capiuntur febre acuta quemadmodum iuuenes: altera causa est viscidittas, & crassities humorum, propter quam viscidiatem calor ipsorum quasi sopitus non potest extra proferri, tertia causa est multitudo obstructionum, propter quas fit et ã, vt calor febrilis in vniuersum corpus extendi nequeat.

Duo circa hæc consideranda sunt, quæ ab Auicenna proponuntur. Primum est, in febribus diuturnis, & tardis hypochondria semper esse valde tensa: quo fit, vt Medici, vbi tractant has febres longas, debeant semper videre an hypochondria tensa, ideoque crebro contrectare, vt intelligatur an illa tensio, & longitudo febris oriantur ex aliqua inflammatione viscerum.

Alterum est, quod Auicenna dicebat prima quarti scilicet a febribus acutis raro quenquam euadere, nisi cum membri contractione, quæ sententia, quia valde obuelata, ideo peperit controuersias.

Quo sensu dicat Aui. raro a feb. acutis euadere nisi cum mẽbri contractione.

Gentilis & Dinus dum hanc sententiam interpretarentur, dixere, verum esse in febribus acutis: semper aut saltem sæpe ubladi insigniter aliquod membrum, eo, quod vbi exitialia apparẽt signa & tamen ægri liberantur, id fit, quia materia praua deponitur a natura in aliquem locum, vbi putrescens cum ob prauitatem, tum ob putredinem, membrum illud vbi est, magnopere lædit, & ad contractionem quandoque producit.

Ceterum hæc interpretatio Hippoc. repugnat Galeno, Celso, & experientiæ. Hipp. & Galen. qui 7. aph. 6. 40. quarti aph. & 2. progn. tex. 65. breuiter dicunt illud compertum esse, quod morbi acuti, vt plurimum per excretionem fiorant, morbi longi per abscessum. Si hoc verum est, fieri non potest, vt morbi acuti plerumque finiantur abscessu, alioqui falsa dixisset Auicenna. Idẽ quoque dicit Celsus, qui 2. lib. suæ medicinæ 7. capite dicebat, quod audiuissis scripsisse Hippo. Repugnat, & experientię, quia videmus febres acutas raro abscessibus finiri, sed vel alui fluxu, vel fusione sanguinis, vel sudore, aut vrina copiosa. Alij sic interpretantur, quasi dicat febres acutas finiri cum alicuius membri vel contractione, vel destructione, vel oppressione, vel deperditione, vel aliqua ingenti læsione.

Et adducunt in hanc sententiam Hip. qui 2. epid. narrat in ea peste complores vsque adeo immani pruritu fuisse vexatos, vt proprijs manibus & pellem, & membra dilaniarent, ita quod semper mutilati membris remanerent. Confirmat & hoc sententia Thucydidis, & Lucretij, qui narrantes symptomata illius exitialis pestis, quæ Græciam peragrauit inter alia dicunt, multis ob seuitiam febris, & genitalia & alias partes fuisse absumptas.

Sed quanquam hæc interpretatio in aliquibus, præsertim in febre pestifera veritatem habere possit, tamen non ita videtur hoc promiscue contingere in omnibus vel pluribus febribus acutis, de quib. febribus locutus est Auic. Quare sic puto intelligi debere, quasi dicat a febribus acutis raro quenquam euadere cum membri contractione, proinde atque particula illa, nisi, quæ in codice Latino sit potius significatiua sequentium quam negatiua: Est ergo sententia Auicẽ. illud habere inter cetera acutas febres, vt raro finiantur cum abscessibus sed per excretiones: vt e conuerso longæ febres finiuntur sæpe cum abscessibus, tanquam hæc sententia prorsus sit eadem cum illa, quam habuisse Hipp. Gal. & Celsum andictis locis citatis, quod autem morbi acuti interdum etiam per abscessum terminentur probat Galen. de peripneumonia, quæ cum sit morbus acutissimus interdum tamen terminatur in abscessum, hanc rem confirmare videtur Auer. 8. Collect. 31. vbi scribit, quod qui liberantur a magnis, & acutis ægritudinibus, sæpe in tẽporaneos morbos labuntur, vt sibi contigisse scribit, qui non opera Medici, sed Dei beneficio liberatus a graui ægritudine in articularem morbum incidit.

Sequuntur postremo signa febrium continuarum, & interpolatarum, quæ a multis sub quatuor generibus, ego vero sub tribus complecti soleo. Primum est, in febribus continuis pulsum esse inæqualem inordinatum, & vt dicit Gal. 1. ad Glauco. 8. ἄρυθμος. inæqualis dicitur pulsus, quia habet diuersas pulsationes interdum fortes, & veloces, interdũ debiles, & tardas: quandoque systolem celeriorem, quandoque diastolem velociorem. Inordinatus quoque dicitur pulsus, quia præter hanc inæqualitatem nullum obseruabis ordinem in ipso, quoniam interdũ sunt pulsus inæquales, sed inæqualitas illa potest esse cum ordine, ita vt obseruetur vnaquaque quinta, sexta, aut alia pulsatio ordinata: in febribus continuis, dicit Galen. non reperiri hunc ordinem. Dicitur sine rythmo, & proportione, quia solent pulsus licet inordinati habere quasdã proportiones, aut sesquialteram, aut sesquitertiam, vt dicit Galenus hac in re nimis superstitiosus 1. sed in febribus continuis nunquam in pulsationibus huiusmodi proportio obseruatur. Secundum signum est continuarum, quod post 24. horas nec declinat, nec proxime ad declinationem accedit: Vnde quando videbitis transactum hoc tempus absque vlla nota declinantis febris, ea dicitur continua semper, & addo ego has postremas particulas, quia inuenietis nonnullas febres interpolatas, quæ non veniunt ad absolutionem perfectam, sed proxime accedũt. Tertium & postremum signum est, febres continuas nunquam inchoare vel cum rigore, vel cum frigore, vel horrore, adeo vt Galen. 1. ad Glauc. 8. dixerit proprium esse continuarum febrium.

brium, non horrere. Tamen sciendum, quandoque contingere, vt etiam febres, quæ continuantur, initium sumant a frigore vel rigore: sed quando inchoant cum frigore non vt continuæ inchoant, sed vt interpolatæ, quæ quia statim in continuas conuertuntur, hinc fit, vt Medici interdum fallantur putantes continuas posse incipere cum rigore, aut frigore, aut horrore.

Num continuæ incipiāt cum rigore.

Nam si, vt dixi, huiusmodi affectus fiunt, quia humores pulsi a venis partes sensibiles lædunt, ratio postulat, vt in continuis nunquam fiant hi affectus, quia nunquam in eis humores a venis pelluntur, Quare sententia illa Galeni debet intelligi de progressu, & non de principio febrium putridarum, & de ijs febribus, quibus nulla alia est copulata, nam solent interdum continuis aliæ copulari, propter quas oritur rigor, aut frigus, vt in semitritæo, quod tamen non contingit ratione continuarum, sed ratione illius interpolatæ, quæ copulata est. Ex hisce tribus signis potestis colligere, quæ signa sunt interpolatarum, quia etiamsi in eis pulsus sint inæquales, tamen sunt ordinati & proportiones seruantur, præterea signum interpolatarum est absolutio febris, aut accessio propriè ad absolutionem. Nam intra spacium 24. horarum, vel manifeste declināt, vel, si non manifeste, saltem proxime accedunt ad declinationem. Et hoc dictum est ob quasdam febres tertianas spurias & quartanas, quę non manifeste declinant hoc tempore, sed interdum protrahunt paroxysmos ad triginta aut quadraginta horas.

Signa interpolatarum.

Tertium & vltimum signum est, quod febres interpolatæ semper inchoantur, vel cum horripilatione, vel cum frigore, vel cum rigore, quia character legitimus febrium interpolatarū est, vt fiat ab humoribus putrescentibus extra venas, quo cum feruntur transeuntes per sensibiles partes eas rodunt, & vellicant. Vnde calor natiuus fugiens tales noxas, & etiam molestias modo horrorem, modo frigus inducit prout rosio, & vellicatio modo maior, modo minor est. Atque hæc sunt signa febrium continuarum, & interpolatarum.

Methodus generalis curationis putridarum febrium.

Sequitur tertium, & vltimum caput exponendum, scil. de curatione vniuersali febrium putridarum. Quoniam, quæ hactenus audiuistis diriguntur ad vnam curationem, & in hac vniuersali tractatione methodum quandam vobis proponam, qua ducti possitis in vnaquaque specie febris putridæ prudenter, & recte incedere. Debetis scire febres putridas in communi dupliciter considerari, vel considerantur prout mere putridæ sunt, vel considerantur prout ipsis varia, & diuersa symptomata iunguntur: secundum primum modū nunc considerabimus: hac tractatione habita, deinde docebo vos curationem earū, quibus copulantur accidentia. Vt autem curationem hanc recte inuenire possimus, primo inueniendæ sunt nobis breuiter indicationes curandi huiusmodi febres: quæ indicationes vbique clamat Gal. quod sumuntur ex rei natura: Sed volo vos breuiter, & dilucide docere, quomodo hanc vulgatissimam sententiam intelligere debeatis Indicatio potest dupliciter considerari, vel prout est in animo nostro, vel prout est in re ipsa: prout est in animo nostro dicit Gal. lib. de opt. sect. ad Trasyl. c. 11. quod indicatio est coincidens lædentis comprehensio, vna cum comprehensione iuuantis sine experientia, & ratiocinio. Sed hæc uerba sunt satis obscura, ut autem uobis clariora fiant, debetis scire quod animus noster ubi comprehendit aliquid sub ratione iuuantis, & sub ratione nocentis potest id comprehendere uel per discursum, uel per experientiam, uel sine utrisque, exempli gratia, nos comprehendimus uitia, quę lędunt, comprehendimus etiam uirtutem, quę iuuat, ubi simul cōprehendimus hæc ambo, unum tanquam iuuans, alterum tanquam lędēs, nec adhibemos ratiocinationem ullam, aut experientiam, tum dicitur a Gal. indicatio, prout est in animo nostro. Indicatio uero prout est in re ipsa nihil aliud est, nisi significatio quędam agendorum: sed rudis est adhuc hæc cognitio, ut clarior uobis hæc res fiat, debetis scire res omnes diuisas esse in duo genera in bonum, & in malum; sic etiam res omnes, quæ lædunt, aut iuuant corpus nostrū sunt aut bona quædam, aut mala: id quod bonum est, significat statim nobis ipsum esse conseruandum, illud quod malum est statim dicit intellectui nostro ipsum esse remouendum. Sic in medicina vbi sese offeret sanitas, quid indicat? indicat ipsam esse custodiēdam, vbi morbus sese offert indicat nobis ipsum esse tollendum, ita quod habeatis duas has præcipuas indicationes, scilicet custodiam sanitatis, & ablationem morbi. Videamus modo indicationes ipsius febris putridæ curandæ. Febris putrida quid est? est morbus, est malum, igitur significat nobis ipsum esse tollendum, sed quomodo cognoscemus ipsum tollendum esse? non possumus cognoscere nisi ea ratione qua offendit, quia in indicatione comprehendimus & lædens, & iuuans: qua autem ratione lædit febris putrida? lædit secundum suam propriam naturam, igitur operæ pretium est, in instituenda ipsius cura, vt indicatio, & scopus curatorius totus sumatur a natura ipsius febris putridæ, quia natura est ea quæ lædit, indicatio est comprehensio lędentis, & iuuantis, natura febris putridæ est ea, quæ cōstat ex materia, & forma. quę est forma febris? intemperies calida, & sicca, quæ est materia febris? humor putridus. Igitur cum hæc duo in febre putrida lædant, materia scilicet & forma, comprehendamus iuuantia, quæ sunt iuuantia? attemperare intemperiem, & auferre putredinem ab humoribus quapropter vt recte colligit Galen. 11. meth. potissimæ indicationes curandi febres putridas acceptæ a natura sunt, quæ nobis significant alterandū esse, & putredinem auferendam esse. Sed non sufficit hoc cognoscere, quia hęc putredo pōt esse cū propria causa vel sine propria causa, hoc est, vel pōt esse cū prohibita trāspiratione, vel sine prohibita trāspiratione. Si putredo sit sine causa, quid indicat nobis? nihil aliud nisi id quod putridum est auferendum, quod vero periculū est ne putrefiat, prouidendū esse, vt reddatur immune a putredine. Igitur habemus in febre putrida sine causa putredinis, alterandum esse ratione intemperiei, quæ est forma febris, habemus euacuandum esse ratione materiæ putrefactæ. Quo-

ctæ. Quomodo autem adimplendi sint scopi? adimplentur medicamentis, clysteribus, cibis, & potibus, balneis, & fomentis. Ex medicamentis habemus multa, quæ euacuant humores putridos, vt est Rhab. manna, agaricum, syr. ros. & viol. d. cassia, & multa alia, quæ deseruiunt huic scopo, scilicet euacuandæ materiæ putrefactæ; hactenus etiam clysteres, qui fiunt modo acres, modo benigni, modo mediocres. Quæ prouocant vrina sunt etiam inter euacuantia, præsertim, quæ sunt tepidiora, vt semina cucurbitarum, & melonum, radix cichorij capil. ven. quę omnia cum tepidiora sint, conueniunt in euacuandis his humoribus putridis. Similiter conuenit vomitus factus, vel cum oxymel. simpl. vel cum decoct. raphani: conueniunt sudorifica, vt aqua hordei, decoctum ficuum aridarum, decoctum maluarum, viol. His medicamentis, vt docet Gale. satisfacimus primæ indicationi, quæ sumitur a materia euacuanda. Alteri satisfacimus cum ijs medicamentis, quæ potius cibi sunt, quam medicamenta, & quæ refrigerare, & humectare possunt, vt est aqua hordei in potu, lactuca, succus ptissanæ, panis cum semine melonum, syrupi varii, & decocta varia, vt syrupi de cichor. de endiuia, de acetosa, de nenuphare; decocta similiter huiusmodi herbarum. Præterea sunt fomenta, in quibus administrandis iure monet Auicenna aduertendum esse dum fomenta iecori, & hypochondriis adhibemus refrigerantia, ne humores biliosos intro pellamus, ad quod sequi solent dysenteriæ, & alia innumera mala. Similiter pro alteratione seruit balneum, præsertim si in declinatione febris prudēter administretur, hoc est seruatis ijs conditionibus, quæ a Galen. proponuntur. Et aduertite quod huiusmodi modus operandi inseruit nobis non solum ad alterandam ipsam intemperiem, verumetiam prouidendum ne humores, qui fere semiputridi sunt, maiorem contrahant putredinem.

Cum igitur indicatio sit comprehensio lædentis, & iuuantis, atque morbus ipse sit ille, qui primo, & immediate lædit, iure dictum est, vbi que a Gale. primam, & potissimam curandi indicationem capi a natura morbi: sed quia pręter morbum etiam causę numerantur inter lędentia, ea propter secundo loco sumuntur indicationes a causis.

An a causa sumatur indicatio curatoria seu pręseruatoria.

Sed video statim dicturum aliquem differentiam esse inter indicationem sumptam a natura morbi, & eam, quæ sumitur a causa, quoniam quę sumitur a morbo, curatoria a Galen. dicitur, alia vero dicitur præseruatoria. Respondeo pręseruatoriā, vbi versatur circa morbos, seu circa corpora morbosa, esse partē ipsius curatiuę, & ideo tametsi pręseruatoria, quę versatur circa sana corpora, sit distincta a curatoria: hęc tamen minime distinguitur. Et hoc modo potestis soluere omnes contradictiones, quę obseruantur in verbis Gal. cum aliquando indicationem, sumptam a causa, vocet pręseruatoriam, interdum curatoriam. Id quod optime cognoscens Auicen. secunda quarti, doct. 2, cap. septimo, dicebat curationem febris hecticę & curationem putridarum in hoc differre, quia in hecticis tantum respicitur morbus, in curatione autem putridę occurritur, & morbo & causę morbi.

Causæ vero sunt, vt semper intellexistis, trium ordinum, alię dicuntur contentiuæ, aliæ antecedentes, aliæ vero procatarcticæ.

Contentiuæ, & antecedentes omnes sunt internæ: procatarcticæ vero omnes sunt externæ, & propterea iure Galen. 11. meth. inter ea, a quibus sumuntur indicationes adnumerat etiā aerem, quem dicebat esse necessarium, ita quod vbi Galen. inquit ab affectu præternaturali, & ab aere capi indicationes, intelligit sub nomine affectus præternaturalis, & naturam morbi, & causas intrinsecas, hoc est, causas contentiuas, & antecedentes; sub aere vero intelligit causas procatarcticas. Ad aerem reducitur tempus anni regio, & constitutio. Sed dicet aliquis vestrum nonne inter affectus præternaturales adnumerantur actiones læsæ, ergo videntur, & ipsæ suas habere indicationes curatiuas? Hæc Domini est sententia mea proprie actiones læsas non facere indicationes curatiuas, ratio est, quia actiones non lędunt, sed sunt ipsæ læsæ, ea propter cum tollātur actiones læsę ad ablationem morbi, sola indicatio hauritur a morbo. Sed quid dicemus de tempore, de affectu naturali, quē etiam indicationes curatiuas habere scribit Gal. Dico hoc iure dictum esse a Gal. quia vbi curatio instituitur ex methodo nō solum est sciendum quid sit agendū, verumetiā necesse est intelligere, quantū sit agendū, quomodo agēdū, cū quib. hæc vero omnia indicāt nobis affectus naturales qui sunt tēperies, vel totius corporis vel partiū ętas, habitus, cōsuetudo, sexus, & reliqua omnia, quæ a Gal. ad hoc caput rediguntur: ita quod breuiter habetis quomodo sit intelligendum, modo indicationes curatiuas sumi a morbo solo, modo a morbo, & aere, modo ab affectu naturali, præternaturali, & aere, modo ab aliis, quia Gal. hac de re videtur diuersimode loquutus, sed si intelligatur, semper sibi constantissimus fuit. Veniamus ad rem nostrā se. ad febrem putridam; pro qua monstrabimus, quomodo curatiuę indicationes sint inueniendæ, & explendæ ex natura morbi. Videndum est modo, quomodo a causis sint etiam eliciendæ indicationes. Quæ sunt causæ putredinis? scimus putredinem fieri vbi calor natiuus superatur a calore externo, hoc autem potissimum contingit, vt dicit Gal. 9 meth. & 1. de diff. feb. 3. quando prohibita est transpiratio: & ratio est, quia semper necessarium est in corpore nostro gigni fuligines, & expurgari, vt videmus etiam, vbi ignis conseruandus est, necesse est, vt possit emittere fuligines, vbi fuligines retinentur per prohibitam transpirationem natiuus calor fere suffocatur hebetatur, & loco eius succedit calor externus, atque ita putredinem facit: transpiratio vero prohibetur potissimum, vt docet Galen. a copia humorum crassitie, & viscididate, ita quod causæ antecedentes, & continentes putredinis sint prohibita transpiratio ex obstructione, crassities, copia, viscidítas humorum obstruentium. Cum igitur hæ sint causæ putredinis; quid nobis indicant? Lædit obstructio, ergo iuuat deobstructio: obstruit viscidítas, ergo

iuuat

iuuat incidere; craſſities noxia eſt, ergo iuuat attenuare; nocet copia, ergo iuuat diminuere. Atque ſic habetis omnes indicationes curatiuas acceptas a cauſa putredinis. Sed vt hanc artem optime cognoſcere poſſitis, non ſatis eſt habere has indicationes, ſed antequam eas explere aggrediamini, eſt vobis magnopere conſiderandum, an febri ſit ſua cauſa copulata, an febris magna ſit, an parua; rurſus poſtquam videbitis febrem eſſe magnam debetis conſiderare, an vires a magnitudine febris ſint maxime debilitatæ, an fortes, an medię inter fortes, & multum debiles. Si febris fuerit magna, & vires valde deiectæ, dico, vt docet Auicenna & recte, eſſe negligendam cauſam, & ſtudendum expugnando morbo, ratio eſt, quia ſi vultis attendere cauſæ, magnitudo febris iugulabit ægrum, ea propter dicit Auicenna in hoc caſu vigilandum eſſe, vt febris ipſa ſuperetur, quod fit medicamentis, & potionibus, quæ maxime refrigerant, & feruorem febris prorſus adimunt. Quod ſi virtus neque fuerit fortis, neque etiam admodum debilis, ſed ſit media, in hoc caſu debet Medicus attendere morbi magnitudinem euincere, ſed cauſam prorſus non contemnere, idque fit, vt monſtrat Auicenna infrigidando, ita tamen vt etiam obſtructioni ſuperandæ aliquid adhibeatur, refrigeratur autem corpus affectum hac febre magna, aere frigido, cibis refrigerantibus epithematis medicamentis per os aſſumptis, & clyſteribus.

Sed oritur hoc loco dubium, quæ remedia conueniant ad materiam ipſam, id eſt, ad cauſam tollendam; vtrum ſcilicet remedia calida an frigida? Nam Auic. ſcribit in febribus putridis contrarias haberi indicationes, quoniam natura febris poſtulat refrigerantia & humectantia, natura cauſæ poſtulat remedia calefacientia. Ex aduerſo videtur hoc nequaquam verum eſſe, ſiquidem plerumque febres putridæ cauſantur a bile, quæ cum ſit humor feruidus, poſtulat potius remedia refrigerantia quam calefacientia.

Dicendum eſt medicamenta calida poſſe indicari dupliciter, vel per ſe vel per accidens. Per ſe medicamenta calefacientia indicantur tantum a materia frigida faciente febrem putridam. Per aliud autem indicantur a quacunque materia. Declaro. In omni febre putrida neceſſe eſt deobſtruere aut purgare. Si deobſtruendum, cum obſtructio fiat ab humoribus craſſis & viſcidis ſiue ſint frigidi ſiue calidi, hic fit, vt ſemper detergentibus, attenuantibus, & aperientibus opus ſit, ſunt autem hæc omnia calida.

Quare in omni febre putrida conueniunt calida non quatenus calida, ſed quatenus tenuia, & aperientia ſunt. Et hoc eſt quod voluit Auicen. materiam ſiue cauſam febrium putridarum indicare calida remedia non per ſe, id eſt non ratione caliditatis, ſed quia attenuant, quia aperiunt. Idem quoque dicendum de medicamentibus purgantibus, ſeu vacuãtibus, quæ indicãtur a materia putrefacta, non vt calida ſunt, ſed vt euacuantia. Summa itaque hæc eſt in putridis febribus, ratione febris eſſe refrigerandum & humectandum: ratione cauſę, quod putrefactum, eſſe vacuandum, quod autem eſt in putrefieri, prohibendum, ne amplius putrefiat. Prohibetur autem aperiendo obſtructiones, ſi ſcilicet humores copioſi minuantur, ſi frigidi calefiant, craſſi attenuentur, viſcidi & lenti detergantur, & incidantur.

Indicationes in febribus recenſentur.

His indicationibus & ſcopis abſoluendis tria conueniunt genera auxiliorum. Vnum, quod pertinet ad diætam ſeu vitæ rationem; alterum quod pertinet ad manuum operationem; tertium, quod ſpectat ad medicamentorum vſum. Vitæ ratio, præſertim circa cibos, delectus propterea eſt neceſſarius, quoniam, vt dicit Auicen. loco cit. nuper, cibus eſt quidem virtuti corporis noſtri amicus, ſed eſt etiam amicus inimico ipſius virtutis, id eſt, ipſi morbo. Id quod antea docuit Hipp. quando 7. aph. 62. dicit, quod ſi febricitantibus præbeatur, vt eſt ſano robur, ſic etiã laboranti eſt morbus. Vnde in hac cura maxime neceſſaria eſt regula circa cibos. Niſi enim prudenter adminiſtretur, nihil afferunt viribus vtilitatis, ſed morbo incrementum.

Victus rat. cõueniẽs in febribus.

Cum ergo adeo neceſſaria ſit viuendi norma, in febribus primum cura gerenda eſt ipſius aeris: Nam in quacunque putrida prouidendum eſt, vt aer frigidus ſit, & humidus; qui ſi non habetur, arte parandus eſt irrigationibus, herbis refrigerantibus, flabellationibus. Et inter alia parandus eſt aer liber ab hominum ſocietate & frequenti conſortio, ſiquidem, vbi complures verſantur in cubili ipſius ægri, neceſſe eſt, vt aer ille incaleſcat, qui deinde attractus a febriente tantum abeſt, vt recreet illum, vt potius vehementer offendat.

Circa ſomnum & vigiliam debet quoque non minor cura geri, ſcilicet vt febriẽtes dormiãt moderate, ſed minime vnquam in principiis, & augmentis acceſſionum: vnde ſiue acceſſiones fiant noctu ſiue interdiu, ſemper incumbere oportet, ne dormiant his temporibus: ſed tantum vel declinante febre, vel penitus iam finita: ab animi perturbationibus omnibus cauendum eſt, quemadmodum etiam ab omni corporis motu. Scitis enim, Hip. 7. epid. damnaſſe Petronium illum, qui exercitationibus corporis febrientes interficiebat. Repletio etiam, & inanitio fugienda eſt, & in primis eniti oportet, vt aluus ſaltem altera quaque die fiuat, quod commode fieri poteſt, vel clyſteribus communibus dictis, vel illo clyſtere, quod proponitur ab Auicen. loc. cit. ex ol. violato, vitel. ol. & aliis, quæ ibi habentur.

Circa cibum & potum prudenter quoque incedendum eſt. Nam eſt omnium ſententia, vinum in febribus putridis minime concedendum eſſe, nec in principio, nec in augmento, multo minus in ſtatu, ſed tantum in declinatione, atque etiam apparente, & facta aliqua coctione. Vnde minime debetis adhærere conſuetudini quorundam vulgarium, qui indulgentes valde ſunt in vino cum inſigni ægrorum pernicie. Loco vini vtendum eſt vel aqua cocta ſimpl. vel aqua hordei, vel decocto prunorum, prout æger videtur ſine noxa poſſe ſuſtinere vſum aquæ ſimplicis. Et circa hoc occurret ſæpe vobis, ægros ad placandam ſitim requirere modo vnum,

Vini vſus in febrib. quatenus cõceſſus.

modo

modo aliud, præsertim succum granatorum; qui vtrum concedēdus sit, nec ne, dubitari potest. Nam Auic. loco cit. aut potius c. 4. videtur concedere febricitantibus; imo connumerat hūc succum inter cibos subtiles in putridis conuenientes.

Ex alia parte non videtur conuenire: siquidem est sententia Gal. & omnium, & etiam rationi consonum, adstringentia maxime in curandis febribus esse fugienda. Atque succus granatorum adstringens est: ergo non videtur vllo modo conuenire. Esse adstringentem hunc succum, manifeste docet Gal. lib. de fac. alim. vbi dicit, etiam dulcia granata adstringere. Respondendum est, succum granatorum frequenter, & solum vna parte non conuenire, quia licet vim siccandi habeat, consequenter ad putredinem arcendam conferat; habet tamen vim adstrictoriam putridis omnibus inimicam præsertim succus ille conseruatus apud Pharmacopolas, qui totus fit ex acidis & adstringentibus granatis.

Nam succus granatorū conueniat in febribus.

Verum succus commixtus aqua, & modico sacchari castigatus, & temperatus, apud me cōcedi potest febrientibus, præsertim, quando vehementi siti anguntur. Ratio est, quia præterquā quod hic potus iucundus est, habet etiam vim refrigerandi, & aut nihil, aut parum omnino adstringit. Veteres in vsu semper habuere, vt in principijs morborum omnium parcissime ęgros nutrirent, adeo, vt sępe vel solo melicrato, vel succo hordei, vel succo granatorum sustentarent ęgros. Sed, vt dicit Auenzoar lib. 3. tract. 1. cap. 5. tempore Hippoc. pauci erant boni Medici. Et si Hippocr. hac extrema diæta vtebatur, potius respiciebat consuetudinem eorum hominum. Quamobrem in principijs febrium putridarum optimum erit inchoare victum a puta panatella, vocata a succo hordei seu ptisana, ac in progressu morbi, si tibi, interdum ascendere ad vitellos ouorum. Nam Auicen. 2. quarti t. 2. c. 7. recenset eā inter cibos subtiles, id est, inter victum tenuem. Vbi statim accedit, semper cibus subtrahendus est, iuxta regulam Hipp.

Cibus febricitantium.

Et circa communem victum febrium putridarum nonnulla necesse est obseruetis: primum vt semper nutriatis ęgros longe ab accessione, & ad minus 2. horis ante ipsam, aut etiam in ipsa declinatione. Veteres in febribus interpolatis altera quaque die tantum alebant. Tempore nostro non ita faciendum. Igitur alendum quidem etiam in die accessionis, sed parcius, & vt dixi longe semper ab accessione.

Circa cōmunē uictū febriū putridarū notanda.

Alterum obseruandū est, vt, vbi febris nullas habeat accessiones, nutriatis ea hora diei, qua solent ęgri tempore sanitatis cibare. Sic enim præcipiebat Auic. quarta primi, vbi tractat de cibo, & potu. Tertium est, vt semper caueatis ab vsu eorum ciborum, qui facultatem habent adstringendi, & vtamini iis, qui prouocant vrinam: propter quod succus seminum melonum mirifice confert in cura cuiuslibet febris putridę.

Radix etiam petroselini cocta in iuribus vtilissima est. Postremo obseruādum, vt, nisi aliquid vrgeat, debeatis semper minus alere ęgros vestros, quam alantur tempore sanitatis, etiamsi hac in re magnas sitis habituri lites, cum mulieribus, quę semper putant suos ęgros inedia esse defecturos. Nam cum calor natiuus tempore ęgritudinis sit multo debilior, consequens est, minus cibi requiri, iuxta regulam Hipp. 1. aph.

Atque hęc summatim dicta sint de auxilijs diæteticis. Nunc ad auxilia chirurgica transeamus. Inter quę primum ac vnicum est sanguinis missio, quę humorum copiam diminuere potissimum apta existit, vt testatur Galenus lib. de plen. & lib. de sang. miss. Sed vt huius remedij perfectam habeatis notitiam, nonnulla breuiter sunt examinanda, primo, vtrum in omni febre putrida conueniat sanguinis missio, &, si conueniat, videre oportet, quantum sanguinis sit detrahendum, quo tempore, a quo loco, & quomodo.

Circa primum est non leuis controuersia. Galenus enim l. 11. meth. 15. dicit optimum esse, κένωσιν sua lingua, vt in omni febre putrida mittatur sanguis, nisi impediat vel ætas, vel virtus. Ceterum ex alia parte sunt, & rationes, & auctoritates. Ratio est, quia vera & legitima indicatio missionis sanguinis est a copia sanguinis, vt dicit Gal. in lib. de plenit. & alibi. Nam si contraria a contrarijs indicātur, vt natura & ipsa ratio postulat, vt cum sanguinis detractio sit euacuatio, ipsius contrarium sit sanguinis repletio. Cum ergo dentur febres multæ putridæ, in quibus nulla est plenitudo sanguinis, minime videtur verum esse, quod in omni putrida sit optimum mittere sanguinē. Præterea Hipp. & Gal. 4 acut. 15. 4. meth. 6. 8. met. 4. in lib. & de sanguinis missione, sępe dicit indicationes mittendi sanginem esse morbi magnitudinem & vires. Atqui non omnes febres putridæ sunt magnę. Igitur nō videtur in omnibus esse euacuandum sanguinem. In hac re, quæ magni est momenti in facienda medicina, puto ego verissimam sententiam Galeni, optimum esse in omni putrida mittere sanguinem, modo ætas, & vires permittāt. Et ratio, qua impellor in hāc sententiam, est, quia siue indicatio sit sumenda a plenitudine, siue a morbi magnitudine, siue ab vtrisque, in qualibet febre putrida est & plenitudo & morbi magnitudo, vt propterea sapienter illud consilium attulerit Gal. & ipsum secutus Auicen.

An in omni putrida conueniat sanguinis missio.

Quod adsit plenitudo in omni febre putrida, videtur Gal. docere in fine lib. 2. de diff. feb. vbi dicit in quacūque parte fiat putredo, necesse est, vt sanguis ad eam partem confluat, qui cumulatus cum perspirare non possit, putredinem contrahit. Ex quo loco colligitur, secundum Gal. in omni febre putrida, si non adest plenitudo vniuersalis, semper tamen adesse aliquam plenitudinem peculiarem, quæ sufficit ad indicandam sanguinis detractionem, quia, sicut vniuersalis plenitudo magnam & vehementem indicat sanguinis missionem. Similiter plenitudo particularis indicat minorem & magis particularem sanguinis detractionem.

Adesse etiam in omni putrida morbi magnitudinem, verum est, cum triplex sit magnitudo

morbi,

morbi, vt dicit Galen. 4. meth. 6. Cum igitur triplex hæc sit magnitudo, altera, quæ sumitur a dignitate actionis læsæ, altera a vehementia ipsius affectus, tertia a malignitate seu læsione facultatis corpus gubernantis, in putrida quacunque semper adest aliquod genus magnitudinis horum trium. Sed notandum, magnitudinem spectari debere a Medicis non tantũ præsentem, verumetiam futuram quia nõ minus pertinet ad peritum Medicum occurrere magnitudini morbi imminenti, atque præsenti.

In omni putrida adesse magnitudinem vel præsentem, vel futuram.

Sed dicetis, cur non dicit Gal. necessariũ esse, sed potius dicit ἄριστον, seu optimum esse? Respondeo ita locutum esse Gale. quia vere in omnibus non est necessaria ita, vt non videamus curari interdum febres sine hoc auxilio, sed vtilissimũ est, quia adhibito hoc auxilio multo citius liberatur æger, quam ipso neglecto, si tamen cum prudentia vsurpetur.

Quantũ sanguinis detrahendũ in febre putrida.

Cum itaque pateat optimũ esse mittere sanguinem in omni putrida, sequitur, vt videamus, quantum sit detrahendum. Ceterum, quia huiusmodi mensura certo definiri non potest, oportet vt Medici iudicium in hoc adhibeamus. Antiqui solebant magnam copiam sanguinis semper mittere, adeo, vt obseruarim apud ipsos minimam mensuram fuisse illam, quam nos putamus maximam, id est, xv. vnciarum, quod põdus apud veteres est hemina, & dimidium. Corn. Cels. lib. 2 cap. 9 dicebat nunquam detrahendum esse vsque ad animi defectum, sed pro varietate sanguinis exuperantis, ita quoque mensuram esse finiendam. Verumtamen certissima omnium regularum ea est, quam præscripsit Gal. 4. de tuenda val. 4. & quam videtur secutus Auic. & alij omnes sequaces: scilicet vt diligenter aduertamus, an sanguis solum peccet, an alii humores cum sanguine. Si solus copia peccet detrahendus est in magna copia, eo quod semper in his casibus vires sunt robustæ.

Sed aduertere oportet id quod Cornelius Celsus loco citato, & Oribasius 7. collig. munere, nempe vbi in magna copia mittendus est sanguis, semper partiendam esse missionem, id est, nõ vna vice, sed duabus tribusue mittatur: sin autem ceteri humores vna cum sanguine peccent, tunc diligenter cogitandum est, vtrum humores multum recedant a sanguine an vero parum, an recedant mediocriter. Si multum recedant a natura sanguinis, aut nihil sanguinis mittendũ est, aut parce, quia vbi humores recedunt a natura sanguinis multum, necesse est semper vires infirmas esse sub onere humorum crudorum, vnde missio sanguinis est summa pernicies viriũ infirmarum. Si parum humores recedant a sanguinis natura, tum sanguis multus extrahendus est. Sed minus tamen quam vbi solus sanguis exuperat. sed si humores mediocriter recedant, tunc mediocris etiam debet esse, sanguinis mittendi mensura, ita vt semper in omni sanguinis missione magna ratio habeatur virium, non tantum præsentium, sed etiam futurarum.

An ubi sola cõstructio facit morbũ, venæsect. adhibenda sit.

Ob quod consilium saluberrimum attulit Galen. in lib. de sanguinis missione, scilicet vt quotiescunque detrahendus est sanguis infirmo, Medicus assistat, qui tangens arteriam aduertat diligenter diminutionem pulsus, vt quoties apparent aliqua signa virtutis vel deficientes vel defecturæ, protinus cohibeatur sanguinis exitus. Ex postremis verbis oritur dubium, scilicet, vtrum, vbi sola obstructio facit morbum, sit mittendus sanguis. Nam si verum est, nõ esse mittendum sanguinem, quãdo humores multum recedũtur a natura sanguinis, videtur in pura obstructione non dari locum sanguinis missioni.

Præterea est auctoritas Galen. in lib. quo & quando purgare oportet, nec non 8. meth. 2. duas esse affectiones, vnam in qua est plenitudo, alteram, in qua copia succorum vitiosorum. In priore dicebat Galen. mittendum sanguinem, in posteriore purgandum. Sed contra alia est sententia Galen. multis in locis, præsertim 8. meth. 4. & 11. epid. 14. vbi dicit in obstructionibus, facientibus vel facturis febrem, mittendum sanguinem, etiamsi non adsit plenitudo: vt videatur Gal. voluisse, etiam in puris obstructionibus mittendum sanguinem.

Hanc difficultatem cum vidissent quidam recentiores, dixere, in præsentibus obstructionibus sine plenitudine non esse mittendum sanguinem, sed tantum in futuris; & addunt, quod quanquam hæc duo remedia in obstructionibus tollendis sint necessaria, tamen magis necessaria sit purgatio. Quæ responsio licet aliquo modo verbis Galeni accommodari possit, tamen mihi non probatur, eo quod, etiamsi sanguinis missio possit prodesse futuris obstructionibus, tamen maxime obest præsentibus, vbi scilicet humores sola qualitate peccant, ratio est, quia ex sanguinis missione humores qui iam faciunt obstructionem magis refrigerantur, & magis recrudescunt, vnde dicebat Auic. fen. 4. primi can. cap. 20. in mittendo sanguine cauendum esse magnopere, ne vel deducamus ad recrudationem, vel biliosos ad ebullitionem. Itaque puto hoc determinandum esse ea lege, quam attuli, scilicet vt si maxime recedãt humores a natura sanguinis, non sit mittendus sanguis, sed tantum si vel parum, mediocriter, vel nihil recedant. Id quod voluit Auicenna quando dicit mittendum sanguinem vbi vrina crassa sit rubra, quod efficax argumentum est, humores non recedere a natura sanguinis. Est tamẽ & aliud circa quantitatem obseruandum, quod anteactæ actiones ægrorum sunt considerandæ, quia tametsi plenitudo simplex adfuerit, vires constent, ac febris sit magna, parcius nihilominus erit mittendus sanguis, si æger ieiunauerit antea quoniam Gale. mulieri quæ ieiunauerat extrahere sanguinem noluit; præterea si exercitationibus aut laboribus immodicis corpus nuper fuerit maceratum, erit sanguis parcissime mittendus quemadmodum quoque si aliquibus euacuationibus æger fuerit vexatus, & præsertim si venere vsus fuerit: in his omnibus casibus debetis esse cauti, vt sanguinem quidem extrahatis; sed in minori quãtitate, quam postulabit morbus.

De tem-

De tempore mittendi sanguinem est sententia Galen. 11. meth. 14. statim & nulla expectata concoctione mittendum in febribus putridis, ni vires aut ætas prohibeant. Et Auicenna prima quarti doct. 2. cap. 7. dicebat, statim mittendum, si mittendus est, quia si pertransijt principium, fugit occasio, quod vires fiant imbecilliores. Cornel. Celsus lib. 2. cap. 9. magis peculariter docuit tempus mittendi sanguinem, cum dicit secunda, aut tertia ad summum die mittendum, vltra quartam non amplius.

Nec moueat vos Hippoc. qui Anaxioni Pleuritico octaua die secuit venam, nam illud exemplum rarum fuit, quia non fuit prius accersitus. Summa est, in febribus putridis nullo modo differendam sanguinis missionem. Sed ne celeritas vos errare faciat, tria sunt notanda. Vnum est, vt nunquam in accessione sanguinem mittaris nisi sit periculum suffocationis, quandoquidem in his casibus sine discrimine continuo est mittendus sanguis. Alterum est, vt, ibi nihil obstat, ex Auicenna eligatur hora frigidior diei. Tertium ac vltimum est, vt non mittatis sanguinem vbi crudus est stomachus, vel, vt dicit Gal. 11. met. vbi in corpore aut intestinis sunt cruditates. Nam tunc periculum est, ne rapiantur crudi humores in venas, ac maiores faciant obstructiones. Ergo prius exinanienda intestina vel clystere, vel medicamento leniente, vt suo loco dicetur. Et hoc est, quod voluit Auenzoar lib. 1. suæ med. tract. 8. cap. 18. vbi dicit styptica aluo existente non mittendum sanguinem.

Circa tẽpus venæ sectionis quatuor notanda.

Locus mittendi sanguinem in his febribus, si non habeatur pecul aris fomes, est per venam internam dextri cubiti sectam, quoniam vt scribit Gal. per hanc venam maxime omnium solet plenitudo corporis exinaniri. Solemus etiam vacuare a vena sinistra manus, quæ est inter annularem & medium, vel inter annularem & minimum, vel a pedibus, vt quando sunt suppressæ hemorrhoides vel menses.

Locus mittẽdi sanguinem.

Modus vacuandi est, vel per ven. sect. vel cucurbitulas, scarificatas præsertim lumbis, & natibus adhibitas. Scarificationes etiam crurum adhibebant veteres, quanquam apud nos insolens sit auxilium. Nonnulli etiam laudant hirudines, quæ a me quoque interdum adhibentur, modo hæmorrhoidibus, modo brachijs, modo pedibus, prout vsus & necessitas postulat.

In febribus putridis sunt nonnulla alia consideranda, in primis temperatura corporis, nam biliosa corpora, atque raræ texturæ magna cum cautione per sanguinem euacuare debetis: Sic dicebat Gal. Celtas propter regionem esse minus phlebotomandos, quam alios, & 10. meth. 5. dicit corpora calida & sicca, vbi febricitant, semper habere vires infirmas, ac propterea minus sanguinis, ipsis esse detrahendum. Præterea consideranda ætas. Nam, quanquam Galen. inter ætates excipiat pueritiam, & senectutem: tamen, vbi senex est robustus, ætas non impedit sanguinis missionem. Et nos interdum octuagenarijs impune sanguinem mittendum curamus. Sed de pueritia dubium est vtrum in ea liceat mittere sanguinem.

Et hoc dubium oritur non de quacunque sanguinis missione, sed tantum de ea, quæ fit per venæ sectionem. Etenim compertum est, pueris licere sanguinem mittere per cucurbitulas, & hirudines brachijs appositas, quando Rhazes in libro de pestil. dicit, se puero quinque mensium per cucurbitulas misisse sanguinem.

Nũ in pueritia liceat mittere sanguinem.

Dubitatur ergo, utrum pueris liceat uenam secare, id est, ante decimum quartum annum. Nam Galen. 11. meth. 14. & libro de cura per sanguinis missionem dicit in pueris non licere, eo quod per insensibilem transpirationem copiosissime euacuantur, & ipsorum habitus continuo difflatur. Vnde cum uena secta sanguis effluat, uires magnam ruinam incurrunt.

Ex alia parte est Cornelius Celsus, qui loco citato dicebat in puero firmo, & sene robusto licere sanguinem mittere. Præterea dicunt nonnulli, huius sententiæ fautores, Gal. in illo lib. de phlebot. cap. 14. scribere, pueris sanguinis minus detrahendum.

Si Galenus consulit, ut minus detrahamus pueris certum est, ipsum penitus non negare hoc auxilium in pueris. Addunt quod dicit Auerrhoes 1. collig. 3. ubi inquit Auenzoarem, filio suo trium annorum per uen. sect. sanguinem misisse.

In hoc non exiguo dubio decernendum, nullo modo per uenæ sectionem ante 14. anum pueris esse mittendum sanguinem, ob rationem a Galeno dictam. Nec ualet quod dicat Galen. pueris minus esse detrahendum, quia ibi loquitur de pueris iam transgressis decimum quartũ annum, de quibus loquens alibi in eodem libro & etiam in meth. dicebat pueros post decimũ quartum annum non statim temere esse uacuãdos secta uena, sed cum cautione, scilicet si puer sit sanguineus, si robustus, si corpus densum habeat. Quod testatur etiam Oribasius 7. collig. nec non Aetius & Paulus, qui Galen. sequaces dixere, pueris ante 14. annum non esse mittendum sanguinem per ven. sect.

Nec valet Auerr. auctoritas, nec Celsi, quia Auerrhoes attulit illud vt exemplum rarum, & Celsus nomine pueri complectitur eos, qui vix decimum quartum annum sunt transgressi. Hic etiam consuetudo spectanda est diligenter, quia inassuetos non nisi magna necessitate euacuabitis, per venæ sectionem.

Sic etiam maxime spectanda regio & constitutio temporis, quia in regionibus calidis, & siccis abstinendum a ven. sect. aut parce vtendum: contra in regionibus temperatis audaciores esse poteritis. Sic in summo frigore, & æstu cauendum a ven. sect.

Et in hoc videtur esse contradictio in verbis Galen. Nam in libro de sanguinis missione capite decimoquarto dicit in summo æstatis, id est, sub cane, minus sanguinis detrahendum. Vnde colligi potest, Galenum non prohibere, quin æstate etiam sanguis mittatur.

Ceterum

Ceterum idem Galen. 4. de acut. t. 19. dicit in summo calore & frigore sanguinem venæ sectione non esse demendum, etiamsi vires validæ sint & morbus magnus. Vnde videtur Galen. omnino prohibere, in summo feruore missionem sang. per venæ sectionem. Pro dissolutione contradictionis dicere oportet, æstatem posse dupliciter considerari, vel secundum statum suum naturalem & consuetum, vel secundum statum præter naturam & insolentem. Si 1. modo consideretur, certe conuenit, mitti sanguinem, sed parcius, quemadmodum intelligere voluit Gal. 14. cap. lib. de curat. per sang. miss. si autem consideretur 2. modo, minime mittendus est sang. in æstate. Et hoc intelligere voluit Galen. 4. de acutis 19. vbi per vocem illam, quam habet [illegible] significare voluit constitutionem eximie calidam, vt summa sit huius sententiæ, dum æstas & hyemis status naturales seruat, licere in febribus, putridis sanginem mittere, sed parce: vbi autem nono seruant constitiutiones naturales, sed nimium excedunt, eo in casu abstinendum est a secanda vena, forsan quia cum ab aere corpus vehementer inaniatur, non sit alia euacuatio tentanda. Vel dicere possumus, veteres consueuisse ingentem copiam sanguinis mittere, propterea iure cauisse, in his constitutionibus ne sanguinis mitteretur. Si sanguinem mittere non liceat, quid faciendum est? Galenus quarto de T. V. 4. & 11. meth. 15. & alibi sæpe monet, vt loco venæ sectionis, aut missionis sanguinis suppleamus cum frictionibus, cum inedia, cum purgationibus. Quamobrem iam intelligere potestis, qua ratione optimum sit, in omni febre putrida mittere sanguinem. Sed quid de Auicenna dicemus? qui loco citato 7. capit. primæ quarti dicit hæc verba: consilium meum est de phlebotomia, vt dimittatur quantum fieri potest. Hoc enim consilium videtur maxime diuersum a Galeno, qui dicit optimum esse in omnibus mittere sanguinem. Ego sæpe dubitaui in facienda medicina Auicen. timidiusculum fuisse, forsan non ita exercuisse artem vt Galenus, verumtamen, si fœti licet Auicen. dicere possumus, hoc consilium non dirigi ad omnes febres putridas, sed tantum ad eas, in quibus exuperant crassi & viscidi humores, quasi dicat in huiusmodi febribus, quantum fieri potest, dimittenda est sanguinis missio. Et certe, vt dixi heri, prudenter incedēdum est in huiusmodi casu.

De usu medicamentorū in putridis.

Sequitur vt aliud auxiliorum genus examinemus, quod versatur in vsu medicamentorū. Sunt medicamentorum quatuor genera alia lenientia, alia præparantia, alia purgantia, alia corroborantia.

Et quia lenientia ordine antecedunt cetera omnia, atque in medicina facienda maxime referunt, ea propter docere vos oportet, quæ sint hæc medicamenta lenientia, quot genera eorum sint, & quis rectus eorum vsus.

Nam fuit lis inter maiores nostros quę etiam num durat, vtrum lenientia medicamenta sint administranda initio febrium necne.

De medicamētis leniētibus.

Medicamenta lenientia duobus modis apud Galenum & alios Medicos nominata inuenio, scilicet hypilata & eccoprotica. Hypilata remedia etiam est, quæ simpliciter subducunt ventrem absque attractatione humorum ab aliis partibus. Eccoprotica similiter sunt medicamenta, quæ purum stercus educunt. Vnde vox Græca idem significat, quod apud nos stercoraria. Quæ igitur medicamenta aluum subducunt, vt colligere licet ex Galeno initio lib. de alim. fac. aut id agunt occulta proprietate aut manifesta facultate, aut tam manifesta, quam occulta. Quę subducunt aluum arcana potestate, duum generum sunt alia quæ solum hanc vim habent, alia quæ simul vim purgatoriam habent. Quę solam habent facultatem subductoriam sunt cassia, aloe (nam aloe manifeste a Galeno sexto de simpl. med. reponitur inter medicamenta eccoprotica) Et de cassia dicit Mesues eam ducere aluum, & eos tantum humores, qui sunt in intestinis & primis viis.

Alia sunt, quæ habent vim purgatoriam. Huiusmodi est omne genus medicamenti purgatorij exhibitum in pauca quantitate. Nam si ℈ j. Rhei exhibeatis, mouet aluum, sed tantum stercora, vt quotidiano vsu experimur. Sic etiam modicum Scammonij vsurpatum mouebit aluum, se. ducet humores a venis, adeo, vt videre possitis quæ sint stercoraria medicamenta operantia a facultate propria. Alia sunt, quæ hoc agant vi manifesta.

Et hæc aut hoc faciunt detergendo, aut abluendo, aut molliendo, aut etiam exprimendo.

Quæ faciunt detergendo, sunt medicamenta amara & dulcia. Huiusmodi est decoctum lupinorum, mel rosaceum solut. syr. ros. solut. Hæc enim d. Galen. detergendo aluum citare. Alia sunt quæ hoc faciunt abluendo ipsa intestina, nam vbi eluuntur intestina, fit vt lubrica reddantur, & hinc stercora facile elabantur.

Huiusmodi est serum, aquæ aliquæ thermales, vt aqua B. Virginis. Alia medicamenta faciūt hoc molliendo. Et huiusmodi est apud Galenum Malua, atriplex, blitum. Sic etiam possumus enumerare oleum, præsertim amygdalar. dulc. vel amararum. Sæpe enim ad educendas fęces huiusmodi oleo vtimur. Et hęc ideo mouent aluum, quoniam aspera intestina complanant, & lenia reddunt, ita, vt feces non adeo retineantur.

Alia sunt, quæ comprimendo fęces ipsas deducunt ad intestina. Huiusmodi est Tamarindus Sebesten. Hęc enim propterea citant aluum, quoniam comprimendo sursum intestina, faciunt vt fęces, & quicquid in ipsis continetur, exeat.

Alia sunt quæ habent facultatem secretam simul, & manifestam ducendi, huiusmodi est medicamentum illud, quod commemorat Galenus loco cit. scilicet cydonium præparatum cum scammonio. Nam capitur scammonium, & imponitur cydonio, deinde cydonium in furno

coquitur

coquitur,& vbi coctum est,abiicitur scammonium, quod superest primum celenium medicamentum vi scammonii facultatem habet subducēdi aluum,tum facultate ipsius cydonii,quod comprimendo adiuuat,tum maxime scammonii potestate.

Et quod dico de hoc,idem dici potest de plerisque aliis,quę simili modo componuntur,vt est Diasebesten cum scam. nam vsque adeo pusilla pars scammonii ingreditur hoc medicamentum,vt vix subducendi aluum facultatem habeat. Nec est quod hac de re disputationes instituātur,quia verus iudex huiusmodi rerum est ipsa experientia. Et quæ faciunt medicinam,hæc quotidie experiuntur.

His ita constitutis,nunc videndum,vtrum initio morborum,præsertim febrium, putridarum, liceat vti his medicamentis:&,si licet vti,quando & quomodo. Nam primum definire oportet ex ipsa operatione horum medicamentorum, quæ cum habeant vim educendi cruditates, & excrementa contenta in ventriculo, & primis viis, si licet vti huiusmodi medicatione, initio sc. educere contentos humores,licebit etiam vti medicamentis lenientib. Certe,& licere,& necesse esse vti huiusmodi medicamentis,ex eo possumus colligere, quod heri dixi, nempe non licere mittere sanguinem, vbi crudi sunt, & excrementa sunt in ventriculo & primis viis, id quod non tantum monstraui traditum esse a Gal. verum ita postulare rationem. Si igitur mittendus est sanguis initio,& mitti non potest tuto,nisi expurgentur intestina,& ventriculus,quis non videt sæpenumero nos cogi ad vsum horum remediorum confugere? Sed est & aliud sc.quod in febribus putridis cogimur vti remediis aperientibus, incidentibus, attenuantibus, quæ si inueniant crudos humores,& excrementa in primis viis, nemo est, qui non videat, ea secum huiusmodi humores ducere. Tempus,quo lenientia vsurpanda sunt, principium febris est, quinimo d. Auic. vbi semel initio lenita est aluus,non amplius immorandum esse. Sed scio eos,qui aduersantur,dicere, non opus esse huiusmodi medicamentis, quoniam soli clysteres sufficiant. Sed hæc res, nisi vt decet, decernatur, plane perniciosa est. Ergo debet solers Medicus,vbi ad infirmum ducitur, diligenter videre vtrum in corpore ægri sint extrementa & crudi succi, an non sint. Si libera sint intestina,& liber sit ventriculus sane neque clysteres, neque lenientia medicamenta conueniunt.

Tēpus utendi lenientib. conueniens.

Cognoscitur autem hoc, si æger diu ieiunauerit, aut si aluum fluidam habuerit. Sin autem excrementa & crudi succi continentur in intestinis,præsertim infernis,fateor, & ego,hoc in casu sufficere posse clysteres, siue acres,siue communes. Sed si sint humores crudi, & excrementa in supernis intestinis & ventriculo,non video quid præstare possint clysteres, quippe quos compertissimum est,non ascendere ad superiora intestina, nedum ad ventriculum. Itaque summa necessitas postulat, vt his casibus ante sanguinis missionem, & ante vsum remedium præparantium semper lenientia vsurpemus.

Quando clysterib. tātū, quando etiā lenientib. per os sit utēdū.

Sed dicens,qua ratione cognoscere licebit an excrementa & cruditates sint in ventriculo? Cognoscitur hoc a Medico,qui habeat iudicium.

Signa cruditatū in uentriculo.

Nam,vbi æger nupertime passus sit cruditates,vbi multum exitauerit, vbi appetitum emortuum habeat,& grauitatem in ventriculo persentiat, & supra vmbilicum, certissimū argumentum est,eas partes oneratas crudis succis,eo maxime,si habuerit aluum adstrictam. Id quod intelligere voluit Auenzoar,quando libro primo tract.8.c.18.dicit,non esse phlebotomandos,qui habent aluum stypticam.

Quantitates leniētium,quę communiter vsurpatur,hęc quoque posita est in Medici iudicio Communiter vbi bolus propinatur,non solent pertransire ʒ x.vel xij. Vbi in potu dantur lenientia,a tribus,usq; ad ʒ.v.exhibere solemus. Sed & ætas, & alui facilitas sæpe faciunt,vt huiusmodi mensuræ non seruentur.

Quātitas lenientium.

Modus exhibendi est,vut audiuistis,vel in bolo,vel potu,vel pilul. Auic.laudat interdum uomitum,quasi per uomitum humores obstruentes liberentur.

Modus exhibendi lenentia.

Post lenientia medicamenta sequuntur præparantia, quæ uel sunt aperiantia, vel attenuantia,vel incidentia,vel detergentia, Aperientia, vt docet Galen.5. de simpl.med. sunt partium tenuium,& pleraque calida sunt,sed a calidiorib. est abstinendum, & iis utendum, quæ remissiorem calorem habent.cuiusmodi est oxymel simplex,mel rol.simplex syrup.de beton.de cichor. comp.syr.de acetosa. Et inter simplicia,quæ ad hoc faciunt, est capillus Veneris,fol.hyssopi,fol. quinque folii,scolopendrium,cuscuta,rad.x gram. cichorii,petrosel. apii. Ex his enim fiunt decocta s. a. quæ modo sola, modo serapiis coniuncta exhiberi solent multis diebus, vt & humores præparentur,& viæ aperiatur.

De præparātibus in putridis.

Sed in præparandis humoribus excitari solet quæstio,vtrum humores tenues sint præparandi,nam crassos attenuari, & incidi oportere, nemo vnquam dubitauit. Sed dubitatum est antiquitus,atque etiamnum dubitatur de tenuitatibus,vtrum sc. sint præparādi,hoc est,incrassandi, vt possint deinde a medicamentis expelli.

Num humores tenues præparandi hoc est incrassandi sint.

Et vna parte non videtur esse neq; vtile neq; necesse præparare tenues humores, primo quia tenues humores suapte natura dispositi sunt & parati ad hoc, vt exeant. Si igitur videmus, humores tenues sæpe exire sponte sine medicamentis, non videtur opus esse, vt adhuc præparentur. Hoc confirmasse inuenitur Gal. multis in locis,primum in lib. quo,& quando,&c. non longe a principio: & in com. lib. de hum. lib. 1. tex. 5. 3. etiam progn. 23. idem confirmauit Gal. in quib. locis dixit,tenues humores & serosos sponte sua esse paratissimos ad expulsionem. Quam rem etiam a Rhase Arabum omnium doctissimo comprobatam inuenio.

Non desunt ex altera parte, qui conantur demonstrare, opus esse præparare tenues humores hoc est vt incrassentur. Et conantur hoc probare & rationibus & auctoritatibus. Primum hoc probant, quia non possunt humores euacuari, nisi sint cōcocti, sed coctio incrassat, ergo, &c. Incrassare coctionē explicatissime docuit Aristoteles 4. meteor. 2. Dixit idem quoque Galen. 4. de acutis 4. Præterea dicunt coctionem nihil aliud esse, nisi quandam adæquationem seu reductionem ad mediocritatem, quemadmodum scribit Gal. 5. in 6. epid. 6. Si igitur humores sunt concoquendi, ergo oportet vt tenues ad mediocritatem reducantur, quoniam id fieri non potest, nisi si incrassentur.

Addunt humores tenues facilliter a medicamentis operantibus elabi, quippe quæ cum operentur comprimendo vasa, faciunt vt tenues humores diffugiant, quod non faciunt crassi. In hac rei obscuritate confugere oportet ad rationem, & ad rei naturam.

Vnde solet fieri verum iudicium rerum. Etenim euacuatio seu purgatio nihil aliud est, nisi attractio humorum familiarium a facultate medicamenti. Cum autem huiusmodi purgatio sit quidam motus, tria in omni motu requiruntur, vt mouens sit efficax, vt mobile sit dispositum, vt viæ sint paratæ & latæ. Sic quoque in purgatione tria fiant necesse est, primum vt humores præparentur, secundo vt viæ dilatentur, si sint angustæ, tertio vt medicamentum exhibeatur accommodatum; & vt ab hoc postremo incipiamus, capiamus Rhabar. quod est accommodatissimum vt possit trahere, & fungi munere suo, accommodabitur autem si sub debita mensura, & debito tempore detur, nam si solummodo ℈. v. Rhabar. exhibeatis, non operabitur aut saltem minus quam optamus, similiter si a cibo, vel cum cibo: dandum est sub debita forma, quia si solidū deglutiatur, turbabit, & nō educet, ea propter exhibēdum est vel tritum in pulnerem, vel maceratum, vel decoctum; & quia amarulentum est, vt cetera medicamenta, solet offendere ventriculum, necesse est, vt misceatur ei aliquid, quod ventriculum consoletur, & quod amarorem eius mitiget, vt manna, mel. ros. sol. syr. ros. sol. atque sic præparatur medicamentum. Pari pacto debent viæ esse apertæ, quia etiamsi medicamentum efficax exhibeatur, vbi arctatæ sunt viæ, aut nihil efficitur, aut magna cum molestia efficitur. Vnde sapientissimus Hippocrates dicit. Cum corpora purgare volueris, fluida prius facere oportet hoc est aperta. Remouendum igitur ab ipsis omne obstaculi genus, leniendæ sunt, & dilatandæ.

Tria requisita ad bonā purgationē.

Postremo debet humor esse dispositus ad hoc, vt moueatur. Ad hoc, vt humor sit dispositus, inuenio duo maxime requiri: vnum est, vt nullam faciat motori resistentiam; alterum est, vt a nulla alia re sibi coniuncta impediatur. Faciunt resistentiam humores, quando sunt viscidi, quādo sunt crassi, quando sunt glutinosi, & copiosi. Impediuntur ab aliis, quādo sunt coniuncti vel sanguini, vel alteri humori ipsos continenti.

His hunc in modum positis, iam habetis solidam, & veram rationem, qua possitis hanc rem definire. Humores tenues suapte natura manifestissimum est, nullam facere resistentiam ipsi motori, vt scilicet medicamenti. Sed possunt difficulter moueri propter alias duas causas, vel quia venæ & viæ sunt clausæ, vel quia sunt coniuncti rebus impedientibus & sanguini.

Quocirca statuere oportet, quantum sit ex natura sua, humores tenues non opus habere vlla præparatione, quia nullam resistentiam faciunt medicamento mouenti. Sed aptissimi sunt ad expulsionem. Sed si opus habent vlla præparatione, est gratia aliorum, non gratia sui, hoc est, vel vt aperiantur via vel vt separentur ab iis humoribus, quibus cum si sint coniuncti facile defugiunt vim medicamenti trahentis. Sed quid ergo Hippocrates dixit non esse purganda nisi cocta? Sciendum est, duplicem esse coctionem; alia est propria, & vera; de qua sermonem faciens Aristoteles 4. meth. 2. dicebat esse perfectionem humidi factam à calore natiuo. Sed de hac nunc non sermo. Alia est coctio impropria & non vera; quæ adhuc duplex est; alia est, qua reducuntur humores ad benignum vt nutriant, & de hac loquebatur Galenus 5. in 6. epid. 6. quando dixit Hippocra. appellasse concoctionem, deductionem ad moderatam temperiem. Alia est, qua humores reducuntur apti ad expulsionem, & de hac coctione loquebatur Hippoc. quādo dixit, concocta medicari, &c. Iam vero si de prima coctione Medicorum loquamur, humores tenues procul dubio concoquere oportet, quia dū volumus vt nutriant, necesse est reducere ipsos ad mediocritatem, & propterea aliquantisper incrassare. Atque hoc luculentissime docuit Galenus in libro de const. art. 19. Sed si loquamur de secunda & impropria coctione, crassi quidem humores sunt præparandi, quia resistentiam faciunt, nec facile expelli possunt; sed tenues humores non opus habent hac coctione. Nam Galenus 5. prognost. 23. duo dicit maxime notanda.

Vnum est, humores tenues suapte natura esse paratissimos ad hoc, vt e corpore pellantur. Aliud, quod dicit Gal. est, vbi humores crassos natura expellit, aut id facere per abscessus, aut facere per concoctionem. Et quando humores crassos per concoctionem præparatos expellit, id potius facere solere per vrinam quam per aluum.

Ex quo colligere potestis, vbi humores crassi sunt concoquendi & expellēdi, debere fieri potius per medicamenta diuretica, quam per alia, eo quod natura ipsa sic faciat, nempe quæ crassos succos concoquens, eos deinde per vrinam pellit. Dixi inter alia maxime attendendum esse, vtrum tenues humores sint sanguini permixti an seiuncti, quoniam vbi sunt commixti minime purgari possunt, nisi præparentur. Sed optabitis scire, qua ratione cognosci poterit, quando sint permixti humores sanguini, vel separati.

Qua ratione cognosci possit, an humores sint permixti sāguini, nec ne.

Tribus modis intelligi potest. 1. ex misso sanguine, nam semper mittitur sanguis ante vsum medi-

medicamentorum, præsertim purgantium, nonnunquam etiam ante vsum lenientium. Vbi ergo in sanguine apparent ichores separati, argumentum est, in venis quoque tenues humores esse a sanguine separatos: vbi sunt separati, fiunt pruritus, vlcuscula, scabies in corpore erit, & hoc vobis argumento, quod humores tenues sunt separati, qa natura videtur separare, & hac ratione dicebat Gal. 3. epid. Com. 3. tex 62. & 63. cognosci tenuitatem, & crassitiem humorum. Postremo cognoscetis ex vrina, quoniã, si ea sit rubra & crassa, signum est, humores tenues esse sanguini commixtos. Si autem copiosa est, significat separatos esse, veluti etiam qñdo tenuis est & clara, & propterea posse etiam a vobis per medicamenta educi, & præsertim diuretica.

An in principio conueniãt purgantia, nec ne.

Succedunt medicamenta purgantia, ea scilicet, quę propria facultate attrahunt humores familiares, & peccantes. Hæc conuenire in febribus putridis a nemine vnquam dubitatum est, quinimo certum est, in nullo alio genere conuenire purgantia, nisi in solis putridis. Nam cum in his a materia duo subministrentur scopi, vt scilicet quæ putrescit, impediatur, & putrefacta est, tollatur; hoc minime fieri potest alio ingenio, quam vsu purgantium.

Sed cum hoc perspectum, dubium est tamẽ de tempore, hoc est, an in principio conueniant, an in alijs temporibus a principio Regulam irrefutabilem habemus ab Hipp. 1. aph. 22. Concocta esse purganda, quamobrem certum est, vbi concocti sunt humores, eos esse purgandos. Et quia coctio fit in statu, & peracta coctione succedit inclinatio, hinc colligendum videtur, in declinatione purgantibus esse vtendum.

Neque valet, quod eo tẽpore tam morbus sit solutus, quia etiam si symptomata iam sint extincta, permanent tamen cineres & materia putrefacta combusta, quæ nisi purgantibus medicamentis corpore tollatur, recidiuas facere consueuit, vt docuit sapientissimus senex 4. aph. Sed scire oportet, quamobrem post coctionem potissimum medicamenta purgantia sint exhibenda. Nam hoc tempore potissimum cõueniunt, tum propter materiam ipsam, tum propter vim naturæ expultricem. Conuenit propter materiam, quia materia cocta nullam resistentiã facit, sed sequax est ad omnem naturæ impulsum. Conuenit etiam purgare ratione naturæ, quoniã, vt scribit Hipp. in lib. de arte, natura dum conatur ad expulsionem, docet Medicum, quid agere debeat, hoc est, ipsum etiam eo tempore agere debere. Eadem natura, vt docet Gal. 1. & 4. aph. 22 primum coquit, deinde segregat, postmodum expellit. Itaque si natura post coctionem expellit, rationi maxime consentaneum est eo feliciorem futuram esse expulsionem factam a Medico vi medicamenti, vt hinc appareat, sapientissime Hippocr. dixisse, concocta esse medicanda.

Sed cum hæc omnia plana sint, illud tamen in controuersia positum est, vtrum etiam in principijs putridarum liceat purgantibus vti. Fuerunt qui hoc explicatissime negarent; fueruntetiã, qui disertissime affirmarent. Sed ne vos diu detineam, dicam breuiter, quomodo hac in re sit incedendum. Et vt rem exacte teneatis, duo scire oportet; vnum est, duplicem esse purgationem, aliam perfectam seu eradicatiuam, vt vocant barbari, aliam vero imperfectam quam appellant minoratiuam. Perfecta est quando Medicus contendit ex toto materiam peccantem extirpare. Imperfecta est illa, in qua Medicus conatur materiam peccantem minuere ita, vt faciat pluribus vicibus, quod vna vice faceret, si liceret.

Aliud notandum est, Medicum in suis operationibus quandoque regulas præscriptas seruare, quandoque vero cogi eas transgredi, Vnde factum est, vt omnibus dicatur duplicem esse operationem Medici; vnam regularem, alteram coactam. His constitutis dicendum est, curatione seu medicatione regulari, nunquam Medicum in principio debere purgantibus medicamentis vti, siquidem nulla est regola, quæ doceat humores crudos, veluti sunt in principio, esse purgandos. Quia tametsi possent esse tenues, & ratione tenuitatis paratissimi sint ad expulsionem, vt dicit Gal. attamen nunquam sunt viæ in principio ita apertæ, vt liceat regulariter purgãtibus medicamentis vti. Veruntamen medicatione coacta potest Medicus in principio Medicamentis purgantibus vti tam perfecte purgando, quam imperfecte.

Quibus in casib. liceat in principio putridarum purgare perfecte.

In principio cogitur Medicus perfecte purgare in duobus potissimum casibus. Vnus est, quãdo materia turget, iuxta sententiam Hippoc. 4. aph. 30. Vbi scribit, in acutis in principio, si materia turget, prima die esse purgandum, quoniam cunctari periculosum. Ratio huius assignata est a Gal. in com. vt non sit opus hoc in loco eã proponere. Alter casus est, quando materia est valde pestilens, ita vt si moretur in corpore, periculum sit, ne vniuersum corpus violetur. Et hoc est, quod voluit intelligere Galen. 4. de tuend. valetud. 3. & 4. meth. 10. quando scribit, id quod putridum est, statim esse e corpore pellendum, ne alia inquinet. Vnde idem 11. de simplic. medic. cap. de carne viperina testatur, se quandoque in venenatis corporibus statim exhibuisse purgans medicamentum, vt impediret, ne venenum in vniuersum corpus propagaretur.

Quando purgatione imperfecti vti liceat in putridis.

Purgatione imperfecta potest quoque in duobus casibus vti in principio: in vno, quando febres sunt acutæ, adeo, vt periculum sit, ne humores turgeant, & huc atque illuc perlati in partes nobiles decumbant, quod voluit docere Hip. quando 1. aph. 24. & 229. dixit, in morbis acutis in principio raro vtendum esse purgatorijs, atque id cum insigni præmeditatione esse faciendum. Quod autem hoc verum sit, non solum Medici, sed etiam (vt hoc obiter dicam) videtur intellexisse Arist. qui 3. polit. 11. damnat Medicos Aegyptios, eo quod fecerint perpetuam legem, ne nunquam liceret mouere humores ante 4. diem quasi dixerit Aristot. aduersus Aegyptios non posse hanc legem perpetuo seruari, quia etiam ante quartum diem purgare necesse est.

Igitur conuenit quãdoque purgatione imperfecta in acutis vti, & præsertim hoc licet facere in temporibus, & regionibus calidis, qualis est Arabia, vt monet Auerroes 7. collat. 9. Alter

casus est, quando plenum est corpus, nec licet propter aliquod impedimentum sanguinem mittere. Nam cum plenitudo ingens adferat periculum, nec solui possit debito auxilio, confugiendum est ad purgationem: quæ cum minuat humores, consequenter etiam & per accidens minuit plenitudinem, possumus iam dictis hunc quoque casum addere. nempe quando materia quæ peccat, posita est, in aliquo membro nobili; quoniam si materia potrida ibi relinquatur, periculum est ne malum fiat irremediabile. Hac ratione magnus Hipp. 2. de acut. tex. 11. in pleuritide, vbi dolor vergit ad partes inferiores, iubet statim purgandum esse ratione vicinitatis loci, quia scilicet materia cum sit in pectore, est proxima cordi. In omnibus tamen his casibus semper obseruare oportet, vt vires concedant purgationem: quia vbi vires collabuntur in principijs potridarum, nulla est res, quæ cogere possit Medicum ad vtendum purgantibus, quia hoc certe esset simul tollere & ægrum, & morbum. Præterea in morbis diuturnis, quando scilicet febres sunt chronicæ, Medicus a principio non debet vti purgatione siue perfecta, siue imperfecta, quia tales febres sola concoctione curantur, vnde non possum laudare Rhasim, qui in febribus melancholicis, & pituitosis, quæ sua natura diuturna sunt, voluit a principio purgandum esse. Sed dicet aliquis vestrum, optamus scire quando mittendus est sanguis, ac simul purgandum; quid nam horum prius sit agendum? Gal. 2. ad Glauc. 10. & 4 de acut. 21. & 22. manifeste scribit, quod semper prius sit mittendus sanguis, deinde purgandum: veruntamen quanquam hæc Galeni sententia sit verissima, est tamen aliqua ratio hac in re habenda, propterea quod vbi cruditates sunt in ventriculo, semper ante cetera, illæ medicamentis lenientibus sunt tollendæ, postmodum mittendus sanguis; quod si præter lenitionem etiam sit necessaria purgatio, omnino post venæ sectionem purgandum erit corpus, purgatione imperfecta. At si nulla cruditas sit in ventriculo, sed solum humores peccantes sint in toto corpore, considerandum est, an plenitudo magis vrgeat, an vero cacochymia; si plenitudo magis vrget, necessarium est omnino ante alia sanguinem mittere, deinde purgare, si vero cacochymia vrgeat magis, primo est minuenda materia, deinde si opus fuerit, mittendus sanguis.

Qualia debeat esse medicamenta purgantia in putridis.

Medicamenta purgantia, quæ vsurpanda sunt in febribus, debent esse neque admodum debilia, vt sunt lenitiua, neque admodum grauia, vt sunt scammoniata, sed mediocria. Nam quæ grauiora sunt, cum maxime calefaciant, nocent valde febribus, propterea caueant ab vsu pilularum earum, quæ recipiunt vel scammonium, vel diagr. vel colocynth. Præterea in febribus debent potius eligi medicamenta, quæ potu capiuntur, quam quæ deuorantur. Sed de his omnibus magis peculiariter tractabo in curatione vniuscuiusque febris.

De medicamentis corroborantibus.

Post purgatoria conueniunt corroborantia, nam post febres solent viscera, & præsertim ventriculus, debilitatem quandam contrahere, quæ nisi tollatur, vix conualescentes a febre pristinam sanitatem recuperant. Hæc autem debilitas, quæ inducitur a febre, tum a medicamentis, duo consequi solet, vel vt saltem alterum dubitari, vt saltem laxitatem, & mollitiem partium, vel intemperiem calidam, aut frigidam, sed potissimum calidam.

Intemperiē corrigentia.

Ratione laxitatis opus est medicamentis constringentibus vti, ratione intemperiei oportet adhibere remedia contrariantia ipsis intemperiebus, siue sint calidæ, siue frigidæ. Igitur intrinsecus pro cōstringendo poteris vti sacch. rosaceo, puluer. corall. rubeor. diacydonio cum aromatibus, & sine aromatibus. Extrinsecus pro relaxatione corrigenda poteris vti oleo melino, mastich. oleo de absynth. cum pulu. corall. rub. & poteris applicare inunctiones hepati, ea vnguento santalino, cum puluere absynthij aut cichorij. Pro intemperie corrigenda calida totius corporis præsertim conueniunt balnea aquæ dulcis, medicata fol. lactucæ, salicis, endiuiæ. Pro ventriculo, si intemperies calida sit, iuuabit ol. rosac. compha. oleum melinum, cydon. Sicuti si intemperies sit frigida, intus conuenit diatrion pip. diacalamint. rof. Extrinsecus vero ol. de piperibus, ol. nardinum, ol. nucis myristicæ.

De alexipyretis.

Atque hæc sunt omnia medicamenta, quę in vsu sunt pro curandis febribus. Tanta autem est hominibus innata viuendi cupiditas, vt sæpe adhæreant illis, qui & vitam & sanitatem facili negotio pollicentur. Vnde olim Asclepiades, & magnum nomen, & immensas opes adeptus est: nisi quia pollicebatur ęgris se sanaturum, & breui & faciliter, vt & vinum, & carnes, & omnes delicias ipsis indulgeret.

Sic tempore auorum nostrorū natus est quidam, Theoph. Paracelsus vocatus, qui quod hominibus sanitatem in omnibus morbis facili negotio promitteret, mirum est, quantam auctoritatem apud multos comparatit, vt hodierna die, & in Germania, & Polonia, & in Gallia, atque etiam in Italia multi sint, qui sectantes Theoph. medicinam, profiteantur sese mirabilia operari. Et inter alia, quæ exercent in medendo, remedia sunt quędam, quæ appellant alexipyreta, hoc est, alexiteria siue antidotos febrium, de quibus cum a studiosissimis auditoribus fuerim rogatus aliquid dicere, dicam sententiam meam, qua potero & breuitate & perspicuitate. Appellant Paracelsistę alexipyreta ea medicamenta, quę administrata, statim & sine vlla solicitudine febres soluunt: Sunt autem hęc, vt inuenio, vel externa, vel interna auxilia. Externa sunt frictiones, inunctiones, & emplasmata. De frictionibus scriptum est ad me anno preterito a Medico Regis Polonię, reperiri in ijs regionibus Medicum quēdam, qui fricet ante accessionē ęgros aceto & sale vsque adeo efficaciter, vt statim febres adimat. Sic quoque solent alij vti frictionibus nitro vino. Inunctionibus quoque vtuntur tum in dorso, tum in carpis manuum, tum in plantis pedum: & vnctiones, quibus vtuntur, modo faciunt ex ol. viperino, modo ex oleo piperum, ex ol. scorpionum, ex ol. aranearum.

Alexipyreta quę vocēt Paracels.

Externa alexipyreta.

Empla-

Emplasmata vero faciunt ex variis herbarum generibus, plantagine, portulaca, & similibus Inter ipsorum remedia sunt, quæ ore capiuntur. Et hæc vel præbent in substantia, vel præbent extracta per alembicum, & destillata; vel vtroque modo. Destillata sunt ol. vitrioli, ol. caryoph. extractum aloes. In substantia modo præbent diatrionpip. modo piper ipsum, modo nasturtiũ, interdum autem hæc simul miscent, atque cum felicissimo fructu vsurpare profitentur. Quãobrem, quia quoque vobis continget sæpe cum his Medicis versari, & aliquibus medicinam facere, vtile erit intelligere, vtrum hæc medicamenta liceat vsurpare nec ne. Et si licet vsurpare, qua ratione sit incedendum in ipsorum vsu. Et cum sciam nihil pene esse in medicina, quod aliquam vtilitatem præstare nequeat, in hanc sententiam veni, licere etiam quandoque Medicis dogmaticis huiusmodi auxilia vsurpare.

Interna alexipyreta.

Et quia alia sunt ex his medicamentis, quæ facultate arcana operãtur, alia vero quæ manifesta de præsidiis operantibus arcana qualitate minime loquendum est, siquidem, vt scribit Gale. 13. meth. 6. & 1. de medicamentis l. h. 16. medicamenta hæc cum sola experientia sint inuenta, neque vlla methodo tractari possint, cogimur fidem iis exhibere, qui longa & debita experientia testantur sese ipsa cum fructu vsurpasse. Loquar autem tantum de his, quæ manifesta qualitate operantur, quæ cum vel calida, vel frigida sint, & consequenter aut exsiccantia, aut humectantia, minime negari potest, quin debito modo adhibita & calefaciant, vbi opus est, exsiccentque humores superfluos, & frigefaciant, & humectent. Imo quanto magis huiusmodi remedia vel calefaciunt vel frigefaciunt, tanto efficaciora esse minime diffiteri oportet.

Et vt hoc aliqua etiam veterum auctoritate muniam primum Hipp. lib. de loc. in homine, dicit, febricitantes esse lauandos, esse vngendos, vt corpore aperto calor febrilis expiret. Neque aliud significare voluit Arist. quando 1 probl. 2. dixit, Medicos consueuisse interdum in curãdo vti excessibus vel vini, vel aquæ, vel salsuginis, nisi quod ipsis morbis æque excessus contrarientur, atque defectus. Quamobrem, vbi putridæ febres occurrunt, cum a materia putrescente oriantur, certum est, si remedia, quæ maxime exsiccent e putrescentes humores adhibeantur tempestiue, profutura esse. Vnde dicit Arist. eodẽ in loco morbos alios fieri a rore, alios ab igne: & qui fiunt a rore, curari ab igne, sicuti qui fiunt ab igne, curãtur rore, adeo vt minime dubitandum sit, quin medicamentis, siue mediocria sint, siue valentia modo tempestiue vsurpentur, possint testatum non solum febres, verumetiam alios morbos inhibere. Sed sicut hoc verissimum est, ita quoque verissimum est, nisi prudenter & opportune huiusmodi auxilia adhibeantur, sæpe perniciosa atque etiam exitiosa peruadere. Vnde breuiter videre oportet, quæ possit esse recta ratio vsurpandi hæc remedia.

Scio magnam partem horum remediorum vsurpari consueuisse initio ęgritudinum, imo vero paulo ante accessiones in interpolatis: scio etiam interdum post accessiones adhiberi consueuisse: veruntamen recta ratio vsurpandi ea in primis est, vt facultas manifesta medicamentorum expendatur: deinde, vt morbi natura, vires ęgri, atque tempus morbi examinetur. Nam medicamenta, quę insigniter calefaciunt, & insigniter exsiccant, eis ęgritudinibus sunt offerenda, quę humidę sint, quę vel non eximium calorem habeant, vel admodum exiguum. Sic quoque huiusmodi remedia minime administrare oportet in quibusuis, quia si corporibus suapte natura calidis, & siccis administrentur, maxime perniciosa esse solent, eo quod licet morbum lenire videantur, attamen intemperamenta naturalia vsque adeo augent, vt viderim interdum aliquos ex vsu horum deductos esse in marasmum.

Quæ sit recta ratio vtendi alexipyretis.

Et quod dico de hac contrarietate caliditatis & siccitatis, idem quoque existimandum est de omni alia contrarietate: nempe, vt animaduertantur semper siue calida siue frigida sint administranda, semper in contrarijs morbis administrentur. Quo fit, vt plerique temere hæc remedia adhibentes plures iugulent, quam sanent.

Incommoda alexipyretorum.

De tempore etiam, quo vsurpare oportet hęc medicamenta, magna solicitudo habẽda est, quandoquidem si medicamenta calefacientia in summo febris administrentur, siue sint externa, siue interna, magnam perniciem afferunt, quemadmodum etiam, si ante accessionem aut post administrentur, materia adhuc copiosa & cruda existente, nõ solum febres non tolluntur, imo dilatata ac fusa magis materia morbi augeri solent. Atque hoc est, quod Galenus libro de pręcogn. ad Posth. 2. criminatus est Medicos illos, qui in Eudemo Philosopho ex vna quartana duas fecerunt, quod scilicet importune theriacam exhibuissent ante accessionem.

Quando vtendum alexipyretis.

Igitur vt de externis remedijs definiam, si febris putrida aut etiam diaria ex cutis obstructione originem duxerit non damno frictiones: ita tamen moderate factas, vt pro ratione corporis nulla violentia inferatur. Sic si febris ex nimio æstu duxerit originem, sicut nõ damno emplasmatum refrigerantium vsum, sic balnea laudatissima sunt. Vnde Hippocrat. 7. aph. 42. dicebat, quod si quispiam ex nimia insolatione vel æstuatione in febrim inciderit, magnopere iuuare calidam seu tepidam capiti affusam. Pari pacto, vbi quis in febrem putridam lapsus sit, ex nimia ventriculi cruditate vsum, diatrionpip. & aliarum rerum calefacientium tempestiue adhibitũ, posse statim febrim cohibere non dubito; quemadmodum etiam vbi summa adsit in corpore putredo, atque aliquantisper videatur esse parata ad expulsionem, vel ol. vitrioli, vel aliquid aliud offeratur, extra accessionem iuuare posse existimo, nam dicit Galen. in lib. de theriaca ad Pisonem, theriacam sua vi calorifica atque exsiccatoria statim pestiferos humores consumere posse, quemadmodum ignis consumit humiditates omnes.

De externis alexipyretis sentẽtia auctoris.

Igitur vt huius rei conclusionem aliquam habeatis cum medicamenta hæc omnia ni-

miam actiuitatem habeant, ac propterea in vsu ipsorum quilibet vel minimus error exitialis esse possit, aut nunquam vsurpanda sunt, aut, quemadmodum dixi, summa prudentia & dexteritate ea adhibere oportet. Auicenna quem sequimur præter caput, in quo vniuersalem in medendis putridis rationem docet, in quo etiam de ratione victus breuiter tractat, aliud caput facit de cibatione febricitantium in generali, quod etiam nos facere cogimur. Neque sine ratione, siquidem etsi indicatio cibandi, quæ sumitur a viribus, æque necessaria sit, in sanitate atque in morbo. Huiusmodi tamen indicatio in febribus mirum in modum valet. Vt ob hanc coactus sit artificiosissimus Auic. peculiare caput huic indicationi deputare. Nam in febribus duplici de causa vires consumi solent; vna ratio est communis etiam in sanitate, scilicet, quod corpora nostra perpetuo consumuntur, & nisi cibis continuo repleantur, facile ruinam immedicabilem incurrunt. Alia ratio est, quod in febribus maxime omnium substantia ipsarum virium labefactatur, quia cum hæc posita sit in caloris natiui conseruatione, nihil est quod perinde calori natiuo adferat violentiam & minorationem, atque calor præternaturalis.

De victus ratione i[n] putridis.

Indicatio quæ sumitur a viribus, propterea a Galeno nuncupata est vitalis, quoniam cum respiciat vitæ conseruationem, non minus in sanitate quam in ægritudine necessaria est. Et quanquam vere curatoria non sit, omne illud, a quo remedium curatiuum indicatur, necessario significat lædens aliquod adesse, vnde scribebat Galen. lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 42. a viribus quia minime lædunt, nullum vnquam remedium indicari, attamen per accidens curatoria dici potest, duobus modis, vno quia vires indicant sui custodiam, quod nihil aliud est, quam indicare custodiam naturæ, iam vero natura est illa quæ curat, ea propter dicuntur vires indicare curationem per accidens: alio modo dicuntur indicare per accidens, quia vires destruuntur, vel quia imminuitur earum substantia, vel quia alteratur, igitur quod conseruant vires, id faciunt vel quia regenerant substantiam deperditam, vel quia aduersantur qualitati ipsas vires alteranti, vnde cum vires indicent sui custodiam, per accidens & consequentia quadam indicant vel alterandum esse, vel substantiam imminutam reficiendam. Cum ergo res ita se habeat, vel vt vires, sicuti iam intellexistis, conseruentur, vel quia substantia diminuta regeneratur, quia alteratio prohibetur, atque hæc omnia præstentur a victus ratione: idcirco vires eam indicare dicuntur.

De cibatione igitur tractaturus quinque capitibus totum hoc negotium absoluere enitar. Primum, qui & quales cibi conueniant in febribus putridis, 2. quibus corporibus conueniant. 3. quæ sit debita mensura ciborum in putridis. 4. declarabo quo tempore nutriendi sint ægroti. Postremo, modum cibandi docebo, adeo vt præclaram quandam anatomen & explicationem habituri sitis, illius capitis Auicen.

Qui & quales cibi conueniant in putridis.

Hippoc. tria genera ciborum nobis proposuit in aphor. & in lib. de acut. vnum appellauit victum plenum, alterum tenuem, tertium victum tenuissimum. In aliis com. Hipp. inuenio hæc tria genera proposita esse diuersis nominibus. Nam quod appellat in aph. victum plenum, vocat in alijs σιτος siue cibum, quod vocat alimentum tenue, alibi nominat sorbitionem, & quod vocat victum tenuissimum, appellat πόμα siue potum. Sectator Hip. Cornelius Cels. lib. 2. c. 18. tria & ipse ciborum genera proponit. Quod vocat Hipp. plenum appellat Cels. valentem materiam: quod dicit Hip. tenue, Celsus vocat mediam materiam, & quod Hipp. est tenuissimum, a Celso dicitur imbecilla materia. Auicenna quoque noster sectatus veteres tria & ipse facit genera ciborum: vnum vocat grossum siue crassum, alterum vocat multum subtile, tertium vocat medium, adeo vt si hæc omnia simul conferantur, in vnum conuenisse omnes videantur, vt fecerint eadem genera ciborum.

Cibus plenus, tenuissimus, medius.

Cibus plenus, vt cum Hippocrate loquamur, est panis, oua & caro. Victus tenuissimus siue imbecillis, aut multum subtilis, est vel nihil dare, vel solam aquam administrare: Medium genus duplex est, aliud quod proximum est tenuissimo, huiusmodi est melicratum, cremor ptisanæ, panis lotus. Aliud vero quod proximum pleno est, veluti caro extremorum gallinæ, caro auicularum, atque eiusmodi alia. Cibus tenuissimus, qui est, vel nihil dare, vel aquam solam dare, erat quidem veteribus in vsu, veruntamen tempore nostro penitus desueuit, adeo, vt si quispiam Medicus reperiatur, qui velit detinere ægros absque cibo, vel vna die, trucidator statim vocatur.

In putridis medium cibi genus accommodatum.

Quare ego quoque in hac sum sententia, vt in febribus putridis fugiatis hunc tenuissimum victum, plenus autem victus cum sit potius sanorum, omnino fugiendus est in curatione putridarum ea consilio Auic. sed medium genus maxime accommodatum est in hac curatione, siue sit proximum tenuissimo, siue sit proximum pleno, habita tamen distinctione, vt aliquibus vnum, aliquibus aliud accommodetur. Quamobrem conuenit in putridis vti ptisana, tantopere a Galeno, & Hippocrate celebrata melicrato, pane loto, carnibus auium, carnibus extremorum gallinæ, iuribus, herbis, aut acetosa, endiuia, boragine. Laudat etiam Auicen spinachiam, Verum non sunt hæc nostratia, vt ego puto. Sed cum ita constitutum sit, statim oboritur magnus scrupulus, quem necesse est ab ingenijs vestris eximere. Nam dixi ea sententia veterum panem, carnem, & oua esse cibos sanorum, non autem febricitantium, & tamen nulla est hodie febris, in qua non exhibeamus & panem, & oua, & carnes.

Num caro, panis, oua, in putridis exhibere liceat.

Et primum de pane loquamur, certissimum est, si febricitantibus non conueniunt ea quæ multum nutriunt, minime conuenire posse panem, Nam scribit Alexand. 2. problem. med. 62. panem omnium ciborum maxime nutrire, & propterea Homerum semper facere, vt esitauris

ris ante cetera apponatur panis. Et vt hoc etiam obiter dicam, Psalmographus de vino scribit, illud lætificare cor hominis, de pane autem dixit, confirmare cor hominis. Et Aristoteles 21. probl. quærens rationem, cur homines nunquam fastidiant panem, sed omne aliud genus ciborum fastidiant ob nimium vsum, inquit esse, quoniam triticum datum est homini a natura pro peculiari cibo: nempe quod suo lentore multum alat. Ita vt ex his omnibus liceat colligere in febricitantibus, in quibus fugienda sunt, quæ multum nutriunt, nequaquam conuenire panem.

Panis nunquam fastiditur.

Dicendum est, panem aut possumus vsurpare eo modo, quo vtimur ipso familiariter, vel posse administrari medicatum, & ablutum, primo modo administratus certe non conuenit febricitantibus, & qui ipso vtuntur, male faciunt.

Veruntamen, si præparetur, si abluatur, dicunt Oribasius & Auicenna ipsum refrigerare atque parum nutrire, adeo vt hac ratione maxime conueniat. Et vt sciatis rationem abluendi panem forsan a plerisque ignoratam, videatis Oribasium 4. collig. vltim. & Auicennam lib 2 cap de pane. Ibi vnanimiter docent, vt panis refrigeret, & parum nutriat, detinendum esse in aqua, atque aquam esse mutandam & renouandam, donec panis crescat, & lentorem penitus deponat.

Ratio abluendi panem.

Interest inter hos scriptores, quod Oribasius vult prius panem esse modice assandum quam in aquam mergatur. De carne quoque dubium est, vtrum conueniat febricitantibus, quandoquidem magnus Auenzoar lib. 3. t. 3. c. vlt. scribit carnes febricitantibus perniciosas esse, eo quod facile in ipsis computrescant.

In hac quoque re decernendum est, carnes quadrupedum minime conuenire febricitantibus, sed tantum carnes auium. Atque has neque semper, neque quouis modo, sed cōtusas & in sorbitionis formam redactas. Et huius memento re vt in febricitantibus vestris caueatis a cibis, qui opus habent masticatione, quoniam semper Hippocrates monet, vbi febris adest, sorbitionibus, non cibis esse vtendum. Soleo ego summopere laudare, vt febricitantes solis brodiis nutriantur, ac carnes negentur, eo magis, quod sententia sit Gal. 3. de alimen facul. carnis elixæ vim totam remanere in brodio, reliqua vero esse veluti excrementa.

De ouis quoque dubium est, an conueniant, quia non defuerunt qui ea damnarent etiam inter recentiores, adducti scilicet hac ratione, quod multum nutriant, quodque in ventriculo febriculoso corrumpantur & consequenter augeant putredinem. Vt etiam hac in re sciatis prudenter incedere, scire oportet quod docuit Galenus 3. de alim. fac. nempe tria esse genera ouorum, quæ vsurpantur communiter ab hominibus, vnum est ouorum coctorum, hoc est ad duritiem quandam coctura perductorum; aliud est eorum quæ a Græcis τρομητά, a nostris tremula dicuntur; & sunt ea, quæ cocta in aqua duritiem non contraxerunt, sed tremunt, & propterea vocantur tremula. Tertium genus est eorum, quæ sorbentur, & vocantur ῥοφητά.

Tria genera ouorum.

Primum genus in febribus nullo modo conuenit, quia nimium nutrit, & facile corrumpitur. Secundum, quia minus nutrit, potest interdum conuenire, sed raro: vero postremum genus, hoc est, oua sorbilia, quia minime omnium nutriunt, ideo febricitantibus conuenire possunt. Et hoc cum intelligeret Galen. 1. ad Glauc 9. in curatione tertianæ concedit oua sorbilia, & de his etiam loquebatur Plin. quando dixit, de ouis loquens, nihil esse quod æque nutriat, nec oneret in aduersa valetudine, simulque vim & cibi & potus habeat.

Sed hæc scire nihil prodest, nisi etiam sciatis, in quibus febricitantibus debeatis administrare huiusmodi cibos, quoniam corpora calida, & sicca sunt magis alenda quam corpora frigida & humida. Imo vero Galenus 10. meth. 3. & 5 dicebat interdum Medicos cogi huiusmodi corpora nutrire etiam in principio accessionis. Sic qui habent corpora dura, & densa, minus in febribus debent cibari, quam illi, qui carnes laxas, & floccidas habent. Sic decrepiti in febribus minus cibandi sunt, paulo magis senes, adhuc magis adolescentes, maxime omnium pueri, vt dicebat Hippoc. in 1. aph. Pueri quidem semper humidiore victu, senes autem semper sicciore nutriendi.

Quibus corporibus dicti cibi conueniant.

Haud secus quoque consuetudo magnam vim habet in definienda febricitantium cibatione, quoniam qui sunt consueti in sanitate multum edere, debent quoque in ægritudine, & præsertim in febribus, paulo magis nutriri, quam illi qui sunt assueti ieiunare.

Studium quoque vitæ respiciendum est in cibandis febricitantibus, eo, quia illi qui multum laborāt, procul dubio sunt plus alendi, quam illi, qui vitam otiosam & sedentariam degunt. Et postremo regio quoque spectanda est, quoniam sub plaga septentrionali, in qua homines edaces sunt, certe plus semper alendum est, quam vel in Hispania, vel in Aegypto, vbi homines non sunt ita edaces.

Et ob hoc dicit Alexand. Trall. libro 12. Medicos Aegyptios consueuisse febricitantes nutrire peponibus, herbis, & fructibus, quod scilicet huiusmodi edulia minimum alant & refrigerent. Hippocrates 1. aph. 17. cum loqueretur de corporibus nutriendis, dicebat magnopere spectandum esse, cui sit plus dandum, & cui minus. Atque in hoc dandum est aliquid consuetudini, tempori, & alijs huiusmodi, quasi referat quidem habere rationem harum rerum, sed non ita, vt non anteponatur ea ratio, quæ sumitur & a morbo & a viribus. Id quod cognouit etiam Aristot. 10. eth. vlt. quando scripsit, febricitantibus in vniuersum conuenire inediam, particulariter. a. non conuenire.

Quæsit de' ita mensura ciborum in putridis.

Sequitur tempus exhibendi cibum, quod cum vniuersale sit, & particulare, de vniuersali primum oritur quæstio, quia Hippocrates 1. aphoris. 18. & 3. de diæta diserte docuit æstate, & au-

Tempus exhibēdi cibū in putridis.

tumno minus cibi offerendum esse, plus hyeme, vere minus, quam sententiam dum Galen. exponeret nobis, hæc statuit, æstate pauca danda esse, sed sæpius, ratio est, quia vires collabuntur, ideo sæpe reficiendæ, & quia facultas debilis nec multum concoquere potest, ea propter pauca pro qualibet vice exhibenda: hyeme multum cibi offerendum, sed non sæpe, quia tum temporis cum corpora non resoluantur, vires etiam magis constant, vnde non est necesse eas sæpe recreare, sed quia facultas concoctrix validior est, ideo multum cibum concoquere potest. Vere corpus plenum est sanguine, & ratione plenitudinis minori indiget alimento. Autumnus cum repleat corpora multa corruptione, idcirco indigent febricitantes hoc tempore adiectione cibi, qua possint sustineri vires inter prauos humores, sed minus quã hyeme. Sed hoc in loco grauis est dubitatio, quia Auicen. prima 4. cap. cib. febric. dicit æstate plus, & pluribus vicibus esse nutriendum ob maiorem resolutionem, hyeme vero minus, quod etiam Galen. 1. acutorum 44. videtur innuere. Aliqui dicunt, si respiciantur vires, magis hyeme nutriendum, quia languidiores, vnde Galenus in introduct. ad pulsus, hyeme, dicit pulsus esse languidos, sin autem, & vires, & calor natiuus, magis æstate, quia tunc in vtrisque maior resolutio. Sed contrariatur tam dictis Hippocr. dum inquit hyeme, & vere ventres calidiores, igitur plus cibi exhibendum; neque valet quod ibi loquatur de sanis, quia idem etiam in ægris. Itaque dicendum, secundum virtutem plus nutriendum hyeme, quia tunc totus pene cibus in vtile conuertitur, & secundum numerum plus æstate. Ratio, quia non totus cibus conuertitur in vtile, vnde opus est multo, vt ex eo multo aliquod bonum sufficiens eliciatur pluribus vicibus, quia calor non potest ob imbecillitatem vnica vice multum bene concoquere, & est, quod ait Aristoteles 2 Sect. problem. 33. æstate magis corpora esse exercenda, magis esse prouocandum sudorem, quoniam æstate ob debilem coctionem plura fiunt excrementa, quæ opus est, vt exercitatione consumantur, ne putrescant.

Tempus particulare cibandi in putridis continuis, & interpolatis denique.

De particulari tempore definiendo in cibandis febricitantibus dicebat Galenus libro de opt. secta ad Thras. 37 difficile esse diffinire in vniuersum huiusmodi tempus, quoniam varia sunt genera febrium, quæ postulant varia tempora cibandi, veruntamen vos potestis hunc in modum decernere, nempe febrium alias esse continuas, alias vero esse intermittentes, siue sint continuæ, siue intermittentes, oportet vt in principio si non cognoscantur iuxta regulam Auic. subtiliter nutriantur ægri.

Sin autem cognoscantur, atque febres diuturnæ futuræ iudicentur, opus est in initio semper vti paulo pleniore victu. Sin autem febris sit acuta, vtendum est cibo tenuiori. Et ratio est, quia cum semper secundum præcepta Hippocratis ægroti in statu morbi sint parum alendi, in diuturnis morbis, nisi in principio liberalius nutrirentur, non possent sufficere vsque ad statum. Contra, cum in acutis febribus status sit proximus principio, necesse est etiã in principio parũ alere.

Ergo, si febris continua sit, diligenter considerandum est, vtrum habeat remissionem vllam, an vero sit sine vlla remissione. Si habet aliquam remissionem, semper ægri tempore remissionis nutriri debent, sed si nulla adsit remissio, tunc dicit Auicenna eligendam esse vel horam consuetam in sanitate, vel horam diei frigidiorem.

Ceterum si febris sit intermittens, considerandum est, vtrum perueniat ad infebricitationẽ, an vero non perueniat. Si non peruenit ad infebricitationem, tunc studere oportet, vt ægri nutriantur quanto longius fieri potest ab accessione futura.

Sin autem perueniat febris ad infebricitationem tunc quoque diligenter expendere oportet, an longum sit interuallum, an vero sit breue. Si sit breue interuallum, sat est nutrire vel in principio, vel in medio declinationis. Sin autem interuallum sit magnum, tunc expectare oportet perfectam declinationem, imo vero, perfectam febris consummationem.

Atque hoc est, quod dicit elegantissimus Celsus in libro tertio, nempe optimum esse, vt nutriantur ægri finita febre, vel quando decessio ipsius consistit. vel si id fieri non licet, nutrire quocunque tempore fieri potest.

Huc etiam vergunt omnes regulæ relictæ ab Hippocrate & in 2. & in 4. de acut. nempe abstinendum esse a cibo cum frigent pedes, offerendum autem esse, quando postea calent pedes.

Mensura cibi in feb. putridis.

Mensura cibi febricitantum certe definiri non potest.

Veruntamen debet Medicus semper illud memoria habere, quod scribit Hippoc. 7. aph. 72. nempe cibum sanis afferre robur, infirmos tradere morti, vt scilicet scias, tantisper nutriendos esse ægros, vt sustentari vires possint.

Nũ melius sit, peccare in tenui victu, an in pleno.

Et si peccãdum est, dubitari potest, vtrum melius sit peccare in tenui victu, an in pleno. Nam Hippocrates hac in re diuersus fuisse videtur. Primo aph. quinto dixit, grauiores esse errores qui committuntur ob tenuiorem victum, quam qui ob pleniorem, præstat enim vires conseruare, licet parum morbus crescat, quam simul & morbum imminuere, & vires. Sed 2. acut. 37. & 38. videtur diuersam sententiam habuisse.

Ego autem in febricitantibus ita puto decernendum esse. Mensura cibi potest, quemadmodum nuper dicebam, vel accipi secundum molem, vel secundum virtutem. Si peccetur in tenui victu secũdum virtutem, certe grauius est peccatũ, quam si peccetur in pleniori victu. Et rõ est, quia vbi vires ob egestatem alimenti semel præcipitantur, non facile possunt recuperari. Secundum molem autem multo grauius est errare in pleno victu, quam in tenui. Et ratio est, quia vbi plus cibi secundum molem sumitur, quam conueniat, primum plura gignuntur excrementa: vnde non solum pabulum putredini suppeditatur: verumetiam calor natiuus hebetatur

tur, & præternaturalis augetur. Ad hæc natura, quæ debet incumbere coctioni humorum morbidorum auocatur tota ad cibum cum maxima febricitantium pernicie.

Atque hoc est, domini, quod voluit significare Arist. quādo 2. eth. ad Eudemum 5. dicebat, in rebus ad sanitatem pertinentibus quandoque melius est inclinare ad defectum, & quandoque ad excessum, sed in exercitationibus melius esse excedere, in cibo melius esse deficere. Igitur habetis, quæ sit vera ratio definiendi mensuram cibandi ægros.

Succedit postremo loco modus. Febricitantibus omnibus, vt alias etiam vos docui, cibi sorbiles maxime omnium conueniunt, quia masticare opus est laboriosum. Vnde si ægri non orbi me manducant, frustratur coctio: & propterea augetur malum. Sin autem diligenter mandant, sequitur ingens labor. Quare sorbitiones multo sunt meliores, vt semper admonet Hipp. febricitantibus sorbitiones esse dandas.

De modo cibandi in febribus putridis.

Sed quid dico de Hippocrate, Aristot. etiam 1. sect. probl. 52. dicit in omnibus morbis initio nutriendos esse ægros sorbitionibus, quia sunt leuiores, felicius distribuuntur, & consequēter citius & aptius nutriunt. Quare debetis semper operam dare, vt febricitantes vestri potius sorbeant, quam mandant. Secundo procurandum est, vt ægri semper cibum sumant non iacentes, neque etiam extra lectum, sed in lecto sedentes, ita vt etiam ab accepto cibo per horam vnā plus minus ve sedentes maneant.

Sorbitiones in putridis magis cōueniunt.

Sic enim & melius descendit cibus in fundum ventriculi, & consequenter melius coquitur. Et hoc est, quod nos docuit Aetius ex sententia Gal. lib. 9. c. 24. & Auic. 3. primi doct. 2. c. 7. vbi dicit eos qui habent ventriculum imbecillum, cuiusmodi sunt febricitantes, debere manere eleuato capite potius quam humili, quoniam sic melius perficitur coctio.

Sedentes sumunt cibum febricitātes in lecto.

Ad hæc prouidendum est secundum Hip. præceptum, vt febricitantes semper, antequam cibum capiant, linguam vel aqua sola & aceto, vel aqua hordei diligenter abluant. Nam solent febricitantes habere linguas obductas limo & tetris fuliginibus, quæ impediūt & delectationem cibi adimunt, propterea diligenter eluendæ sunt hæ sordes.

Lingua ante cibū abluenda.

De potu vini dubium esse potest, vtrum febricitantibus quandoque conueniat. Et hęc res vos maxime exercebit.

Nam Alexan. 2. problem. 62. non tantum videtur concedere vinum in febricitantib. verum etiam ipsum commendare, & præsertim quando est exiguum, & tenue. Galen. etiam tertio de acut. 8. scribit morem fuisse in Italia, vt vinum Sabinum, quod erat tenue, cunctis febricitāt. concederetur, imo eodem lib. t. 40. fatetur sese ægris consueuisse modicum vini cum aqua lymphati indulgere. Quinimo si videatis Hipp. non modo in libro de acut. verum etiam in alijs, audacissimus fuit in vsu vini, etiam in febricitantibus, contra autem sunt plerique medicinam facientes, qui nihil perniciosius esse dicunt, quam præbere febricitantibus vinum, eo quod feriat caput, calefaciat, & augeat calorem febrilem.

Num vinū in putridis conueniat.

De potu vini ita definiendum est, quemadmodum definiuit Gal. 1 t. & 12. & meth. nec non 1. ad Glauc. 14. sc. quatuor esse casus, in quib. nunquam licet vinum febricitantibus concedere, vnum, quando febris vehemens est: vnde reperietis sæpe Galenum dicere, dandum esse vinum, si febris sit parua, dandam esse aquam, si febris sit magna. Secūdus casus est quando in febre caput dolore aliquo afficitur. Tertius est, quando febricitantes delirant. Quartus quando febris putrida vel oritur ab inflammatione, vel sequitur inflammationem.

Quatuor casus in quib. vinum febricitantib. negandum.

Præterea hos casus possunt Medici indulgentes esse in vino, modo tamen duo obseruentur: vnum, vt non præbeatur nisi appatente aliqua morbi coctione. Et hoc docere voluit Gal. 1. ad Glauc. 9. quando in tertiana concedit vinum apparente aliqua coctione morbi.

Aliud est, ut vinum suapte natura sit pauciferum, vel aqua castigetur. Nam de huiusmodi vino sermonem habet Galenus 11. meth. 9 dicens, propterea conuenire, quia huiusmodi vinum non habet vitium aquæ, atque etiam caret vitio vini generosi, deinde vrinam prouocat, & postremo semicoctos concoquit humoribus. Sed video dicturum esse aliquem, non posse huiusmodi uinum quicquam adiuuare coctionem, atque hoc docuisse Galenū 1. de antid. 1. vbi scribit, vinum nequaquam adiuuare coctionem, si sit aquosum. Respondeo Galenum eo in loco non auferre penitus vim coquendi a vino, sed dicere, quod non adiuuat ἐναργῶς, siue euidenter, quasi dicat adiuuare quidem, sed non admodum insigniter. Atque hæc sit resolutio circa vini vsum in febrib. In quo debetis illud adnotare, in omnib. morbis curandis magnam potestatem habere proprietates hominum. Sunt enim nonnulli usque adeo a natura comparati ad vinum, ut etiam in extremis non possint abstinere.

Num vinū asperū iuuet coctionem.

Quo in casu possunt Medici indulgēres esse. Habeatis apud Arist. 28. probl. 1. Dionysium proprietate naturali usq; adeo vino fuisse amicum, vt cum in obsidione cogeretur potare aquam, tabidus euaserit.

Pro coronide huius tractationis decernenda est etiam quædam res, de qua sæpe interrogantur Medici in cibandis febricitantibus, scilicet an liceat cibos febricitantium sale coquere. Etenim apud quosdam vulgares & mulierculas inoleuit vsus, vt existiment minime sal esse ostendendū, nedum concedendum ipsis ægris.

Num liceat cibos febricitātium sale coquere.

Ego uero, domini, sum alterius sententiæ: siquidem existimo omnibus febricitantibus posse impune concedi cibos modico sale percoctos: modo tamen sal administretur, non ut dapes fiant salsæ, sed ut adimatur insipiditas, & iniucunditas a cibis. Nam Hippocrates 2. aph. 38. & in libro de affectibus, habuit hanc sententiam, febricitantibus semper gratos iucundosque

que cibos esse concedendos, nisi euidens detrimentum afferant. Immo, dicebat, suauiorem cibum & potum, etiam si paulo deteriorem, esse anteponendum meliori, sed insuauiori. Quod si ita est, proculdubio, vt gratiores fiant palato cibi, nihil pene refert, paululum salis inter coquendum miscere, siquidem dicebat Heraclitus; salem esse animam ciborum, & Plato in Timæo dicit esse corpus dijs & hominibus amicum. Et quod in febribus vsus moderatissimus salis sit concedendus, possumus colligere etiam ex Gal. sententia, quippe qui lib. 7. meth. in curatione sicci ventriculi concedit panem salitum. Si in hac igitur ægritudine, quæ sicca est, conceditur panis salitus, ad quid tanta superstitio, vt negemus prorsus febrientantibus salis vsum!

CAPVT X.

De febribus in specie & primum de febribus tertianis.

POstquam finem imposuimus tractationi vniuersali febrium putridarũ, & Medici morbos nõ in vniuersum, sed particulariter curent, operę pretium est, vt iam vniuscuiusque speciei febris tractationem incipiamus. Auicẽ. auspicatur hanc tractationem a febrib. acutis & ab accidentib. ipsarum. Sed quia hæc res est nimium vniuersalis, & symptomata acutarum communibus tractantur cũ symptomatib. aliarum febrium, ea propter decreui primum febres simplices peculiariter tractare, deinde particulariter ipsarum symptomata edocere. Et quia Auic. auspicatur a febrib. tertianis, quippe quę frequentiores Medicis occurrũt, nos quoque ab his initium sumemus. In quibus tractandis consuetum nostrum ordinem obseruabimus, vt primum naturam deinde causas, postmodum signa, postremo curationem tradamus.

Quo ordine tractandæ.

Et quia tertianarũ aliæ sunt interpolatæ, aliæ cõtinuæ: & interpolatarum aliæ legitimæ & exquisitæ, aliæ vero spuriæ: de legitima tertiana primum loquemur, quæ a Græcis nuncupata est τριταῖος ἀκριβὴς, hoc est, tertiana exquisita, atque hæc nihil aliud est, nisi intemperies calida, & sicca, facta a bile mota, & putrescente extra venas, affligens de tertio in tertium.

Definitio tertianæ exquisitæ.

Dicitur intemperies calida & sicca, quia etsi omnis febris huiusmodi sit, vt alias docui, maxime tamen omnium talis est, tertiana exquisita, quia siue intemperiem, siue materiam spectemus, est affectus calidus & siccus.

Dicitur secundo a bile mota & putrescente; tum quia vt habetis in calce illius partis, quę male adiecta est lib. H. p. de nat. hum. non defuerunt, qui existimarunt febres quasi omnes fieri a bile aucta in corpore. Contra quos Gal. 1. c. lib. 2. ad Glauc. tum quia Gal. a de cris 6. & Ægineta lib. 2. c. 18. dixerunt fieri tertianam a bile mota per corpus simpliciter. Quod tamen verum non esset, nisi adderetur, & putrescente. Nam bilis, vbi in venis inimica euadit naturæ, vel ob copiã, vel ob quantitatem stimulat ipsam ad sui expulsionem, vnde a venis depulsa mouetur quidem per corpus, sed tandem sistitur in aliquo loco, vbi conclusa putrescit.

Dicitur de tertio in tertium diem affligens, quia etsi Auerr. 4 coll. 18. dicat non omnem tertianam fieri a bile: attamen secundum Medicos hoc verissimum est, scilicet tertianam periodum esse propriam ipsius, adeo, vt Galenus 1. aphor. 12. dixerit etiam Pleuritides, quæ fiunt a bile, hoc habere, vt tertia quaque die magis exacerbẽtur. Est ergo causa interna & immediata febris tertianæ exquisitæ bilis. Sed videndum est, quænam bilis proprie faciat hanc febrem. Nam vt videre potestis apud Galenum passim & Auic. duplex est genus bilis, aliud naturale, aliud vero præternaturale.

Causę interna.

Duo esse bilis genera.

Naturalis bilis adhuc duplex est, aut quę generatur, vbi generantur alij humores, aut quę generatur ex ebullitione sanguinis, quam bilem ego appello naturalem, quoniam pura est, vt illa quæ efficitur, vbi fiunt alij humores in iecore; & quæ fit in iecore partim trahitur a proprio folliculo, qui veluti implantatus est iecori, partim autem mittitur in venas, vbi vtrum seruiat nutritioni partium, quemadmodum dicunt nonnulli, an non seruiat, vt profitetur Auer. ex sententia Perip. 3. coll. 3. & 4. non est opus in pręsentia determinare; febris itaque tertiana pura fit potissimum ex ea bile naturali, quæ mittitur a natura in venas cum sanguine, quæ vbi nimis augetur stimulat vim expultricem, ita quod extrudatur a venis, extrusa putrescit, atque sic facit hanc febrem.

Neque valet, quod dicunt aliqui, huiusmodi bilem non reperiri puram, & integram in corpore nostro, nisi in folliculo bilis, quoniam etsi, dum est in uenis, non sit sincera, tamen dum propellitur a uenis, integra separatur a sanguine. Illud bene verum est, huiusmodi bilem raro inueniri solam, & propterea raræ etiam fiunt tertianæ exquisitæ, & ego qui medicinam tot annis exerceui, paucas omnino uere exquisitas comperi. Sed cum bilis pura inueniatur in folliculo proprio; percunctabitur aliquis vestrum, vtrum tertiana exquisita fieri possit a bile putrescente in huiusmodi folliculo. Fernel. vir magni ingenii, fuit eius sententiæ, ex hac bile tertianam febrem oriri. Sed sum ego alterius sententiæ. Primum, quia si sic fieret huiusmodi febris, sane tunc efficeretur, quando a multitudine & crassitie bilis adeo repletur ille folliculus, vt perspirari nequeat. Sed hoc minime compertum est, quandoquidem in ic[illegible], quæ fit a [illegible]mium

An a bile quæ in folliculo continetur fiat.

nimium repleto folliculo, nunquam videbitis has tertianas oriri, quod tamen necessarium esset. Preterea si fieri posset febris ex putrescente bile in hoc folliculo, procul dubio illa febris non esset interpolata, sed continua: eo, quia in vase perpetua esset, & continua putredo, sicuti est, quando putrescit in venis.

Inter causas internas febris tertianæ primum locum habet temperatura calida & sicca, deinde sexus virilis, post ætas iuuenilis, & demum habitus corporis gracilis. Causæ externæ sunt aer calidus & siccus, propterea æstas feracissima est tertianarum. Sic etiam regio calida, & sicca, vigiliæ, nimij labores, ira, inedia, potus vini meracioris, cibi calidi, & sicci; vt aromata omnia, salsamenta, cibi acres, medicamenta calefacientia. Hæc enim omnia causæ externæ sunt febris tertianarum.

Causa externa.

Signa tertianarum, quæ capiuntur ab actionibus læsis, sunt vigiliæ immensæ, pulsus, maximus, frequentissimus, & celerrimus. Ab excrementis mutatis capiuntur hęc signa, quod vomitus biliosissimi sunt, fęces valde flauæ & biliosæ, sudores copiosi, vrinæ rubeæ sunt, igneæ, flauę, aut subflauæ, non admodum crassæ, quæ tamen vrinæ post vnam aut alteram accessionem solent habere nubeculam vel optimam subsidentiam. Fern. doctissimus addit vrinæ, & alteram differentiam, scil. quod sint fætidæ, quæ differentia etiam posita fuit a Rhase 10. ad Almansorē c.4 sed Domini, non diffiteor interdum contingere, vt vrinæ fęteant, verumtamen hoc non est perpetuum. Nam humor biliosus cum maxime siccus sit, & diu in corpore non permaneat, vix fieri potest, vt fętorem insignem contrahat. Ab affectibus pręter naturam hęc indicia sumuntur, quod rigor maximus est atque pungēs, perinde ac solet acus. In qua re differt tertiana a quotidiana & quartana, quia in quotidiana sola refrigeratio eaque leuis percipitur: in quartana vero, est rigor quidam sed debilis, & paulatim augescens. Post rigorem calor vehemētissimus est, valde mordax, adeo vt febricitantes nec quiescere, nec indumenta sustinere possint. Finitur paroxysmus ad summum duodecim horis: interdum autem 8. horis vel 7. perdurat. Nicolaus dixit, se vidisse tertianam tribus tantum horis finiri: huius varietatis tres assignantur causæ, vna est qualitas, aut quātitas bilis, quia vbi tenuior minus durat, vbi crassior magis durat, sic vbi maior copia, magis durat, vbi minor, minus: altera causa est facultas febricitantis debilis, vel valida: tertia causa a Galen. assignata est habitus corporis, aut rarus, aut densus. Pręter iam dicta signa, sunt & alia, quę capiuntur, ab ætate, a regione, a temperatura corporis, ab omni tempore, a tertiania vagantibus communiter, & consuetudine patiendi.

Num vrinę in tertianis fęteant.

Sed circa hæc signa duæ oriuntur dubitationes. Vna est, quia Gal. 3. de sympt. caus. 5. scribit, calorem febris tertianæ esse omnium maximum, & 2. de cris. 3. nec non lib. de rigor. & tremor. 7. reponit tertianam inter ardentes. Ea altera parte est Auic. 2. primi, doct. 2. sum. 2. c. 19. vbi scribit, calorem febris hecticæ esse maiorem calore tertianæ puræ.

Alia dubitatio est, quoniam Gal. 2. de cris. 3. scribit, tertianam puram desinere in infebricitationem, quod etiam prodidit primo, ad Glauc. Ea altera parte est magnus Auenzoar lib. 3. trac. 1. c. 2. vbi scribit, tertianam habere quidem alleuiamentum (sic enim loquitur) sed non depurari, hoc est, minime peruenire ad infebricitationem.

Pro solutione prioris dubitationis dicendum est, calorem febrilem duplici modo intelligi posse, vel intensiue, vel extensiue, & permanenter. Si primo modo accipiamus, certe calor tertianæ est maior quocunque alio calore, quia siue continuam, siue interpolatam tertianam accipiamus, calor ipsius semper est multo vehementior, & intensior, quam sit calor cuiusque alterius febris. Sin autem secundo modo accipiamus, calor hecticæ maior certe est calore tertianę, eo quia non solum calor hecticæ diffusus est ęquabiliter magis per totum corpus, verumetiam diuturnior est, & acrior apparet, cum calor tertianę primo contractu sit acris, & mordax, paulo post mitior, & benignior videatur.

Num calor febris tertianæ sit maximus.

Quod si Gal. quandoque inter ardentes febres tertianam connumerauit, respectum habuit ad ipsam accessionem, non ad naturam & formam totius morbi, siquidem in accessione vsque adeo ingens est, & vsque adeo sitis magna, vt valde ardentem febrem æmulari videatur.

Cur Gal. tertianas inter ardentes cōnumerarit.

Pro secunda dubitatione dicendum est, quemadmodum dicere videtur Galen. 2. de diff. feb. 3 qui tamen locus perobscurus est, nam, si loquamur de infebricitatione secundum rationem, procul dubio tertiana nunquam peruenit ad consummatam infebricitationem, eo quia noctes antecedentes paroxysmum semper graues sunt, & 4. vel 5. horis ante accessionem semper ingēs mutatio fit in corpore. Sed quod maius est, scribit Gal. 1. ad Glauc. 5. in tertiana pura semper in pulsu remanere aliquod signum caliditatis febrilis, adeo, vt sapienter dixerit Auenzoar tertianam alleuiamentum habere, sed non depurari: quod vero dixit Galen. desinere in integritatem, intelligendum est, quod magna ex parte in hoc interuallo nullum adest euidens signum putridæ febris.

Ceterum si sensum sequamur, quod faciunt plerumque Medici, procul dubio tertiana pertingit ad infebricitationem. Atque hunc in modum locutus est Galenus. Sed vtcunque sit, omnis tertiana pura & securissima est & cito iudicatur, quemadmodum scriptum inuenitur apud Hippocrat. 1. epidem. com. 3. tex. 8. immo vero, idem Hippocrat. 4. aphoris. 59. scribit, tertianam febrem ad summum septem circuitibus terminari, cuius sententiam secutus est Auer. lib. 7. Collect. 12. Auicen. & omnes in hanc sententiam veneruut, febrem scilicet tertianam esse mitissimam & salutarem, immo scribit Galen. 2. de Crisibus 3. si vrina prima die reddatur subrufa, aut subflaua, & modice crassa, quæ paulo post albam nubeculam habet, vltra quartum diem non

Num tertiana pura desinat in īfebricitationem.

prorogatur

prorogatur, si vero in primo circuitu rufa quidem fuerit, sed sine nubecula, aut suspensione ad septem circuitus extenditur. Quare illud certum ac ratum apud vos sit, quod quando celerius apparet sedimentum in vrina, eo citius febrem finiri. Sed hac in re nonnihil dubij est, quandoquidem Auenzoar loco citato scribit, febrem tertianam non habere perfectam salutem nisi in die iudicatoria apparuerit aliquod coctionis signum. Et Hippocrat. 3. prognost. 32. & Galen. 3. aphor. 29. nec non Auicenna 1. quarti cap. de feb. tertian. reponunt febres tertianas inter morbos acutos. Iam vero, vt alias docui, ex Archigenis sententia character morbi acuti est, vt sit cum celeri motu, & cum vitæ periculo. Si igitur, quemadmodum dicit Hippocr. Galen. & Auic. 1. quarti tract. 1. capite quarto, tertiana est morbus acutus, non ergo videtur prorsus carere periculo.

Num tertiana semper periculo vacet.

In hac difficultate dupliciter responderi potest, vno modo non locutum esse Auenz. de febre pura tertiana, sed illa, quæ fit a bile æruginea vel prasina, de qua loquens Auerr. 7. collig. 11. dicebat eam esse periculosam.

Sed hæc responsio minime accommodata est, quia tertiana, quæ fit a bile æruginea, non solum periculosa, verumetiam exitiosa est, vt suo loco dicetur.

Quare multo melius est dicere, febrem tertianam fieri aut in corpore valde bilioso, & impuro, aut in corpore non ita impuro, aut bilioso. Si fiat in posteriori corpore, procul dubio securissima est, de hac loquebatur Hipp.

Ceterum si fiat in corpore admodum impuro, & bilioso tertiana, tum periculosa est, nô quidem per se, sed ratione substantiali, scilicet quoniam imminet periculum, ne ex tertiana interpolata fiat continua, & consequenter ardens, ac propterea exitialis. Et de hac locutus est Auenzoar, qui non aliud voluit intelligere, quando dixit hanc febrem non esse perfectæ salutis, nisi in die iudicatorio appareat coctio, quasi, vbi huiusmodi signum apparet, simul etiam signum sit, corpus illud non esse vsqueadeo impurum, aut biliosum.

Tertiana nũ morbus acutus.

Quod dicebatur ex eisdem Hippocrat. & Galeno tertianam connumerari inter febres acutas, & propterea non vacare periculo, scire oportet, morbos acutos duplices esse apud Medicos. Vnus est proprie acutus, scilicet qui habet duos illos characteres, celeritatem motus, & vitæ periculum. Alius est non proprie acutus, sed communiter sic appellatus. Et ille est qui vnum tantum characterem habet, hoc est vehementiam motus, propterea, quando Hippocrates, & Galen. dixerunt febrem tertianam esse morbum acutum, minime de acuto proprie, sed communiter locuti sunt: eo, quia febris tertiana, in vnaquaque accessione vehementissimos motus habet, ita vt hac ratione non solum acuta febris, verumetiam acutissima vocari mereatur.

Curatio huius febris habetur habitis indicationibus, indicationes vero sumuntur a natura febris, quæ tota constat ex materia & forma, forma huius febris est intemperies calida & sicca, materia est bilis igitur forma huius febris indicat nobis refrigerandum & humectandum esse, materia vero indicat esse euacuandum.

Sed in horum scoporum perfectione statim objicitur scopulus, scil. an summe refrigerandũ sit, & humectandum. Gal. 1. ad Glauc. 9. scribit, quam maxime fieri potest refrigerandum, & humectandum est, eo, quia & morbus & materia calidissima, & siccissima est.

Ceterum Auicenna 1. quarti tract. 2. capite 39. vult, minime debere extreme refrigerari. Nonnulli Auic. interpretes, qui hanc contradictionem viderunt, dixere, Gal. & Auic. de diuersa frigefactione verba facere, sed nugæ sunt. Et ego puto veram rationem tollendi hanc dissensionẽ esse, quod febris tertiana pura interdum maxima est, interdum vero non vsque adeo magna. Vbi maxima est, oportet, vt ait Gal. quam maxime refrigerare; vbi vero non ita magna est, minime ad hanc extremam refrigerationem confugiendum est. Et hanc esse veram respondendi rationem, persuadere possunt ipsius Auic. verba, qui dicit, non esse extreme refrigerandum, nisi febris maxima sit, & periculum immineat, ne in ardentem conuertatur. Itaque in primis victus instituendus erit, qui maxime refrigeret, & humectet.

Aer vel ita erit parandus vel eligendus. Somnus procurandus est. Sed animaduertere oportet, quod docuit Galen. 2. aphor. 1. vt fugiatur semper somnus in initio accessionum, plurima enim mala solet causare, primo symptomata fiunt deteriora, febres vix perueniũt ad vigorem, augentur viscerum incendia, & inflammationes breuiter, nil boni huiusmodi somnum consequi solet. Motus animi & corporis sunt ablegandi. Alexand. Trall. 4. problem. 21. commendat, vt ægri ad iram prouocentur, quasi motus bilis facilius e corpore ducatur. Sed nugæ sunt, quoniam mouetur quidem bilis in ira, sed mouetur aut ad cor, aut ad os ventriculi, in quibus locis vix dici potest, quod afferat detrimenta. Est contradictio de Balneo inter Galenum, Paulum, & Auic. Galenus, & fere Græci omnes, videtur velle 1. ad Glauc. 9. quod balneum etiam non apparente coctione conueniat, Paulus vero lib. 2. cap. 40. in fine, quem secutus interdum videtur Auic. mandat non esse approximandum vnquam balneum ante coctionis signa. Andernacus interpres Pauli, qui vidit hanc difficultatem, addidit particulam (spurijs) quasi præceptum Pauli sit, solum in tertianis nothis, non autem in puris. Sed Domini, ne decipiat vos ille interpres, ea vox non est in contextu Græco, neque etiam Cornarius transtulit. Verum tamen si examinentur verba Pauli, sententia est de nothis tertianis. Alij vt tollerent hanc contradictionem, dicunt Paulum respexisse ad materiam, quasi vbi materia est cruda non conueniat balneum. Galen. vero respexisse ad caliditatem; sed hæc responsio nulla est, quia Gal. etiam respexit ad materiam,

scripsit

ſcripſit enim conuenire balneum eo, quia euacuat humores, refrigerat, atque humectat: propterea potius videtur dicendum Galen. ſecutum eſſe conſuetudinem ſui temporis, & ratione conſuetudinis conceſſiſſe balneum valde moderatum etiam materia cruda, Paulum vero & Auicennam reſpexiſſe rem ipſam, & eo magis hæc reſponſio mihi placet, quia Galen. ſcripſit Glaucom, qui nobilis erat, & conſuetus lauari ſæpe, quanquam Paulus ſi recte intelligatur, non aliud videtur ſentire quam quod Gal. Si aluus ſponte non fluat quotidie, liquanda eſt die interualli huiuſmodi clyſtere:

℞ Seri cuiuſque, uel aq. hordei, vel decocti communis lib. j ß.
Ol. uiol. ℥. v.
Sacch. rub. ℥. ij ß.
Ouum integrum unum.
Salis ʒ. j. M. & f. clyſter.

Et aduertite, Oribaſium quandoque in his febribus vrentibus commendaſſe clyſteres ex ſola aqua, qui poterunt in iјs vſurpari, quorum inteſtina facile obediunt. Semper autem hoc habeatis pro peculiari documẽto, vt in his febribus clyſteres curetis iniiciendos, vel frigidos actu, vel egelidos hoc eſt, tepidos. Quod ad repletionem & inanitionem pertinet, veteres in hac febre nihil dabant die acceſſionis, altera die non ſolum nutriebantur, verumetiã vt eſt apud Celſum, ad conſuetas exercitationes dimittebant ægros. Sed hac in re laudo conſilium Hippo. in lib. de aff. qui monebat, die acceſſionis ſorbitionibus alẽdos eſſe ægros; die vero interualli eſſe nutriendos cibis, qui cibi quales eſſe debeant, explicatum habemus a Galeno 1. ad Glauc. 9. nempe vitelli ouorum. piſces ſaxatiles, cerebella ſuum. Sed de hoc genere cibi, vtrũ in tertiana puta conueniant, video nonnullos clariſſimos viros pene dormitaſſe. Nam voluerunt, contextum illum Galeni eſſe mendoſum, & loco, ſuum, legendum eſſe, hædorum, eo quod Auic. mentionem faciat cerebri hædorum, non autem ſuum.

Sed duo hos viros maxime confutant. Vnum eſt, in contextu Græco differentes admodum eſſe dictiones ſuum, & hædorum, vt non poſſit vna in alteram commutari. Alterum eſt, quod Orib. & Aetius, qui omnia ad verbum ex Galen. tranſcripſerunt, habent ſuum, non autem hædorum. Itaque minime permutanda eſt lectio Galeni, nam, etiamſi, vt ſcribit Plut. 8. ſymp 9. veteres nunquam guſtauerint cerebra animalium: tamen ante Galeni tempora cępit eſſe in vſu huiuſmodi cibus, adeo, vt etiam inter iucundiſſimos reputaretur. Quare die interualli huiuſmodi cibi ex Galen. conſilio vſurpari poterunt. Sic etiam complura olera conueniunt; vt lactuca, endiuia, borrago, quæ in corporibus robuſtis frigida concedi poſſunt & cruda, in debilibus autem cocta. Die acceſſionis ſola ptiſana ſufficiat, vel brodium alteratum, aut panis lotus, & maxime ſtudendum, vt ſtomachus tempore acceſſionis ſit vacuus. Quare aduertendum, ne vllum errorem committatis, quem ſcribit Celſus commiſiſſe Aſclepiadem, qui etiam calidis a febre cibum dabat.

Num cerebrum ſuum conueniat in tertiana.

De potu Aegineta videtur damnaſſe vina vetuſta, quaſi conceſſerit tenuia. Plerique practicãtes nihil magis abhorrent in hac febre quam vinum. Sed Gal. 1. ad Glauc. 9. in febre tertiana pura in augmento morbi cõcedit vinum. Si igitur in morbo feruidiſſimo, cuiuſmodi eſt tertiana pura, & in augmento concedit Gale. vinum tenue, non debent iſti, & præſertim in quibuſdam calib. ante relatis, abhorrere vinum. Quod autem Gal. concedat vinum in augmento, videatis ipſius verba: inquit. n. cõcedendũ eſſe ἀρξαμένης δὲ πέψεως, i. poſtquam incępit coctio. Coctio incipit in augmento. Igitur in augmento concedit vinum. Quare in die interualli incipiente coctione, & vbi ægri ſunt maxime cupidi vini, non puto abhorrendum eſſe uinum tenue, quando in coctione perfecta ibidem Gal. etiam generoſum concedit.

De ſectione venę in tertiana pura uideo inter ſcriptores cõtrouerſiam eſſe. Gal. & eius ſectatores, alto ſilentio prætereunt hoc auxilium. Imo, inter Arabes neque Auenzoar, neq; Auer. 3. collect. eius meminerunt; ex quo nonnulli colligunt ſuperuacaneam eſſe omnem cogitationem de ſanguine mittendo. Contra Auic. in quarti, tract. 2. c. 39. inquit, ſi mittendus ſit ſanguis, debere mitti ante tertiam acceſſionem, aut in tertia acceſſione. Ex quo colligitur, non dãnare Auicen. ex toto ſanguinis miſſionem. Quinimo Actuarius non infimus Medicus, li. 3. c. 9. intra alia proponit ſanguinis miſſionem.

Ego vero puto hanc rem ita eſſe definiendam, ut diligenter conſideretur, an corpus ægri vna cum bile ſanguine etiam abundet, an non. Si ſanguis exſuperat, mittendus eſt quemadmodũ voluit Auic. ſin autem non exſuperat, abſtinendum omnino eſt, propterea cauere oportet, ubi ſanguis mittitur, ne inſigni copia extracta frænum bili adimatur. Quare hunc in modum ſtatuere debetis ſed parce, ſanguinem mittatis, prius tamen lenita aluo, uel clyſtere, vel quopiam alio ſimili, ut audictis.

Poſt cogitationem de ſanguinis miſſione ſuccedit, vt diligenter incumbatur præparationi atque expurgationi humorum. Circa quas operationes occurrunt dubia. Vnum, an cõueniat præparare humores, quia cum ſint tenues & ſuapte natura fluxiles, uidentur eſſe ſtatim educendi iuxta præcepta Galen. de quibus alias locutus ſum. Alterum dubium eſt de purgatione; vtrum ſcilicet conueniat expurgare humores in febre tertiana pura. Quod difficultatem facit, eſt, & auctoritas & ratio. Nam Galen. in fine 2. de diff. feb. ſcribit ſingula acceſſione materiam morbificam expurgari.

An conueniat pręparare humores in tertiana.

Præterea in hac febre illud peculiariter cõtingere ſolet, ut ſingula acceſſione euacuetur bilis,

aut

aut vomitu, aut aluo, aut vrina, aut sudore. Si igitur singula quaque accessione euacuatur sponte materia morbifica, superuacaneum omnino videtur, vllam aliam purgationem moliri.

Dicendum est ad primum dubium, materiã biliosam, ex qua fit febris tertiana, propter duas causas opus habere præparatione, vnam, quia crassiuscula est propter putredinem, atque etiam feruidior, quam vt possit obedire naturæ expellenti: aliam vero, quoniã vbi est putredo, ibi semper viæ clausæ sunt, & obstructæ, ob quod operæ pretium est, vt viæ aperiantur, si noxij humores feliciter sunt educendi. Igitur præparandi erunt humores moderate attenuantibus, refrigerantibus, atque etiam aperientibus.

Num in tertiana conueniat purgatio.

Ad secundum dubium dicendum est, purgationem humorum propter duas causas esse necessariam. Vna est; quia tametsi singulis accessionibus fiant expurgationes humoris morbifici, attamen remanẽt cineres, qui nisi auferantur, febribus facile occasionem suppeditant. Nam non fieret continuo febris repetitio, nisi remaneret materia inquinata & cineres, qui febrem & paroxysmum renouarent. Alia causa est, quoniam nisi exacte purgentur corpora in his febribus, remanent veluti quidam fomites, qui postmodum humores vtiles valde contaminant, & febrium propagationem causant.

Sed diceris, si hoc verum est, cur igitur Galen. 1. ad Glauc. 3. dixit, melius esse alterare, quam quomodolibet euacuare, quasi voluerit Galenus loquens de tertiana pura potius insistendum esse auxilijs alterantibus intemperiem, quam purgantibus. Respondeo sententiam illam Galen. auream esse, sed sano modo intelligi debere. Nam Gal. paulo ante hæc verba damnabat illos, qui in febribus vtebantur balneis naturalibus, quippe quæ expurgando nimis exsiccãt. Subiungit postea, melius est vti alterantib. quam quomodocũque, hoc est, imprudenter & indiscriminatim.

Et hoc, Domini, verissimum est, quia nullum detrimentum adfertur ægris in vsu alterantiũ medicamentorum, sed adfertur in vsu eorum medicamentorum, quæ importune purgant corpora: sicuti, si initio exhibeantur, si exhibeantur non præparatis humoribus, si exhibeantur ea medicamenta, quæ cum vehementia sint, & magnam vim habeant simul, corpora febricitantium magis incendere possunt. Itaque pro præparandi humoribus.

℞. Sol. endiuia,
Acetosa.
Bugloss. an. M. j. F. decoct. s. a.

Deinde *℞. dicta decoctionis ℥. iiij.*
Oxysacch. ℥. j. M. pro tribus uicibus.

Vbi itaque primis diebus præparati erunt hunc in modum humores, paulatim transeundũ est ad ea, quæ paulo magis aperire & prouocare, vrinam possunt, cuiusmodi apud Galen. est anethum.

℞. Fol. anethi.
Arim.
Quinque fol.
Enduia an. M. ß. F. decoct. s. a.

Deinde *℞. dicta decoct. ℥. v.*
Syr. de end.
Acetosi simpl. an. ℥. ß. M.

Et de syrupo animaduertere debetis, nonnullos esse, qui in curanda febre biliosa damnant promiscue omnia dulcia, quod Galen. etiam dicat abstinendum esse a dulcibus. Verumtamen hac in re prudenter incedere oportet, quia pro cibis sane dulcia omnia mala sunt, sed loco medicamenti, si moderate vsurpentur, detrimentum nullum afferunt: imo ipsemet Gal. vtitur melicrato, quod tamen dulce est. Quare poteritis vos quoque parce vti, sc. vt sint vehicula aliorum medicamentorum, & vt facultates aliorum medicamentorum magis attrahantur cum dulcibus. Sic ergo præparare debetis. Sed ante præparationem semper aduertendum est, id quod dixi in methodo vniuersali, vt non præparetis, nisi prius vel clystere, vel aliquo alio leniente intestina eluatis, erit enim hoc lenitiuum accommodatum,

℞. F. cassia. ℥. j.
Pulpæ Tamarind. ℥ ß. M. cum sacch. f. bolus.

Quod si magis placeat potus, sic ordinabitis.

℞. Seri optime depurati ℥. vj.
Syr. ros. solut. ℥. v. M. & fiat potus.

Atque sic erit & leniendum & præparandum. Post præparationem vero purgandi erunt humores. Et quia biliosi sunt, Rhab. maxime accommodatum. Neque possum ferre superstitionem Montani. & quorund. aliorum, qui damnant Rhab. in tertiana quia obseruabitis, a veteribus etiam scammonium, quod est calidissimum exhiberi. Igitur poteritis hunc in modum ordinare medicamentum.

℞. Myrob. citrin. ʒ. j. ß.
Sebesten num xij.
Sem. citri. ℈. j.
Fl. cordialium P. j. F. decoctio. s. a.

Deinde *℞. dictæ decoct. ℥. iiij ß.*

Rhabarb.

Rhabarb. electi ℈.iiii.
Spicę gr.iij. Infundatur f. a.

Deinde *Facta expressione adde*
Syr.rof. solut.
Mannę electę an. ℥.ij.ß.

Quod si placebit magis bolus, poteritis hunc in modum ordinare:

℞. Fl.cassię ℥ j.
Diasebesten sine scam. ʒ.iiij.
Rhab. subtiliter pulueris. ʒ.j.
Spicæ gr.ij. M.& fiat bolus.

Pilulæ rarissime dantur in his febribus. Verumtamen si quispiam diligeret magis pil. poteritis vsurpare vel pil. de tribus, cum Rhab. vel pil. de rhab. ad quantitatem ʒ.j.ß. Postquam purgatum erit corpus, locus erit balneis aq. dulcis. In quorum vsu etsi discrepare videantur Galen. & Auic. cum Auic. laudet peracta coctione balnea, Gal. vero omni tempore concedat, nihilominus mea est sententia & presertim his temporib. in quibus homines non sunt assueti balneis, vt peracta purgatione administrentur. Quod si reliquiæ caliditatis in iecinore superessent, poterit eius regio perfundi succo cichorij cum modico aceti. Alex. Trall. studiosissimus contradicendi Gal. hoc in loco miratur, quomodo Gal. qui in omnibus legitime artem medicam exercuit, in febre biliosa vsus sit anetho, atque etiam absynthio, cum vtrumque medicamentum sit cal. & siccum. Addit sese vidisse non paucos vsu absynthij importuno fuisse colliquatos. Sed de anetho duplici modo respondere possumus, Alex. vno modo, commendasse Gal. anethum viride, non autem siccum. Anethum viride est quidem calidum sed moderate, sicut etiam moderate humidum est. Atque hoc ita esse inde colligere possumus, quoniam veteres vtebantur anetho in coronis ad conciliandum somnum, sicuti ipsemet Gal. testatur.

Num anethum, & absynth. in tertiana conueniat.

Alio modo respondere possumus, quod etsi concedamus Galen. commendasse anethum siccum, attamen commendauit illud non simplex sed in aqua coctum, & eius dilutum administratur quo fit, vt vis illa siccandi, calefaciendique obtundatur. Cum igitur anethum viride minus calidum sit iure Gal. eo vsus est in tertianis, pro vrinæ prouocatione. Sed dicet aliquis nonne habentur alia medicamenta, vt semina frigida, quæ prouocare possunt vrinam sine periculo. Resp. verum quidem esse, verumtamen alia non sunt ita efficacia, vt anethum, quod nō solum vrinas prouocat, verumetiam bilem per vrinas educit.

De absynthio aduersus Alex. dicendum est, prudentissime Gal. adhibuisse absynthiū, id quod facile cognosci potest, si animaduertantur conditiones, quibus Gal. illud exhibet. Nam primū non laudat absynthium simpliciter, vt videre licet 6. de simpl. med. & 6. de tuend. val. sed comā eius. Est n. coma summa pars huius herbæ, & propterea humidior, & magis tenera. Preterea exhibet absynthium maceratum in melicrato, a quo non solum vis ipsius temperatura exsiccatoria, verum etiam augetur adstringendi facultas. Tertio vtitur Gal. absynthio non quouis tempore, sed apparente manifesta coctione. Postremo vtitur ipso vbi stomachus vexatur a succo bilioso. Nam idem Galen. 7. & 5. de sympt. med. nec non Diosc. & Paulus inter alias laudes, quas tribuunt absynthio, vna est, quod mirum in modum iuuet stomachos a bile cruciatos. Itaque videre potestis, quam iniuste tractauerit Gal. bonus hic Alexander.

Tertianæ puræ congenea est tertiana continua, siquidem vtraque ab eodem humore putrescente efficitur. Id discrimen est, quia in tertiana exquisita humor putrescit extra venas: in continua tertiana putrescit in venis. Vnde fit, vt tertiana continua incipiat quidē a rigore, sed semel tantum appareat rigor. In interpolata autem rigor fiat singula quaque accessione.

De tertiana continua.

Sed dicetis, quomodo igitur cognoscemus tertianam continuam esse tertianam? nam videtur indicari contradictio, quod sit tertiana, & 3. quaq; die, aliquem rigorem, aut aliquod signū non habeat, cognoscitur non rigore, quia proprium est continuarum, carere rigore, horrore & frigore, sed cognoscitur siti, calore acri & mordaci, pulsu maximo & celerrimo. Preterea qualibet tertia die febres tertianæ & continuæ hoc habent, vt magis exacerbentur, e.g. quod vel maiores habeant oscitationes vel dormitationes vel aliquas alias in compressas annotationes: habet omnis tertiana continua illud peculiare, quod periculosa est, secus quam interpolata, quam vt audiuistis, dicit Hipp esse securissimam. Quod ad curationem pertinet, inquit Auic. fere esse eandem, neque sine ratione, propterea quod si curandi ratio sumitur a natura morbi, i. a forma & materia, profecto & forma & materia eadem est, vtraque intemperies est calida, & sicca vtraque ab humore putrescente, vt supra docuimus, generatur: dixi secundum Auicennam fere esse eandem curationem, quoniam vt ipsemet narrat maior solicitudo in tertiana continua habenda circa digestionem, & coctionem humorum: præterea cum putrefactio sit continua, & inflammatio intra vasa lateat, ea propter Medicus debet diligentior esse in curanda hac putrefactione. Sed optabitis, intelligere in quanam reposita sit maior hęc diligentia? vnum est, vt dixi, quod magis studendum est digestioni & coctioni humorum, quam in tertianam, cur vero sit magis laborandum in coquenda materia continuarum? Gentilis disertissimus hanc rationem adfert, quod licet materia, & continuæ, & interpolata sit bilis, verumtamen materia continuæ, & quantitate & qualitate, & substantia magis rebellis est, propter quod cū nequeat extra venas propelli, sed in cauitatibus remaneat, argumento est inquit Gentilis hanc materiam esse tenaciorem, & magis rebellem, quam sit materia interpolatæ, quæ extra venas proplexitur,

Signa tertianę continuę.

Curatio fere eadē est, quę in interpolata.

Maiori opus est digestione, & concoctione in cōtinua, maiorique diligētia.

Gentilis sententia cur sit magis incūbendum coctioni continuarum.

& pro-

Aristoteles dixit quidem fieri magis febres ardentes in regionibus frigidissimis, verumtamen non negauit, quin etiam fiant in calidissimis, seu in calidis vt loquitur Hipp. Alio modo & respondetur quod febres ardentes quæ fiunt in hyeme sint magis ardentes, seu vehementiores, duas ob causas; vna quoniam eo tempore fieri non possunt ardentes febres nisi a causa potentissima. Altera est, quoniam hyeme ab ambiente frigore corporis nostri externa condensantur. Quo fit, vt humores biliosi magis cohibeantur, & consequenter magis flagrent & febres maiores inducant. Quare sapientissime locutus est Aristoteles quando dixit in hyeme fieri febres magis ardentes, quod neque Hipp. negauit, quando inquit duarum febrium magnitudine parium semper quæ fit hyeme prauior est, quam quæ fit æstate, ita vt quando dixit locis calidis æstate fieri febres ardentes intelligendum sit fieri frequentius non quod quæ fiunt sint magis ardentes. Exercitationes immodicæ, cibi, & potus maxime calefacientes, vt sunt vina generosa, aromata, cibi acres sunt inter causas externas febrium ardentium.

Signa febris ardentis multa traduntur ab Hip. primo & 2. de morb. lib. de affe. 4 de acut. & similiter & multa hac de re Galenus & Auic. a quibus deinceps sua omnes scriptores acceperunt. Sed inter hæc signa duo sunt potissimum, quæ etiam pathognomica possunt dici, vt calor magnus, & sitis inextinguibilis. Circa quæ signa sunt a nobis duo consideranda, vnum est quod tamen si sitis perpetuo comitetur febrem ardentem, non tamē perpetuo apparet, quoniam vt scribit Hipp. 4. Aphor. 54. 6. Epid. com. 2. tex. 24. si tussis superuenerit febri ardenti ægri minime sitiunt. Et Auic. affert rationem, quoniam per tussim irrigantur pulmones, qui cum soleant præ siccitate & feruore sitim facere, madefacti ab humiditate per tussim destillante, aut nullam aut exiguam sitim inducunt.

Cur externæ partes quandoque nō caleat in causo.

Est & altera ratio, cur interdum adsit ea sitis, sed non appareat, sc. quando mens ægrotantis, nec enim etiam si maxime sitiant ægri, præ delirio haudquaquam percipiunt eam. Postremo est obseruandum circa calorem, in ardentibus febrib. semper calorem maximum esse, verum non semper exteriora quoque calent, quoniam fit, vt interdum externæ partes ab immenso feruore ita que adeo siccentur, vt humiditas pene omnis absumatur, humiditate consumpta, fit vt calor qui sustentatur humore, non solum debilis euadat, verumetiam interdum pene extinguatur, præter hæc duo signa sunt & alia, scilicet pulsus frequentiores quam in sanguinea, celeriores, magis inæquales, vrinæ tenuiores, non adeo rufæ, neque adeo igneæ, spirandi difficultas, lingua fit aspera vt notat Hip. p. lib. de affect. sicca, nigra, & causam affert Hip. spiritus caliditatem, Gal. vero 1. de loc. affec. inquit causam illius esse, corporis nimium ardorem. Aristo. 34. probl. sec. 4 quæreos causam cur lingua febrem indicet duas adfert vna est, quia lingua super posita est pulmoni, vnde recipit facile spiritus igneos a pulmone exeuntes: altera quia lingua ob suam naturam facile suscipit & ebibit humiditates, quæ humiditates vt indicant febrem, sic & lingua fit interdum lingua vt notat Polybus cum virore pallida. Sed dicet aliquis vestrum, quando cognoscemus febrem ardentem ex bile, & ardentem ex pituita? Domini, nulla fere sunt indicia certa, nisi hæc, quod omnia in ardente ex bile sint vehementiora, quam in ardente ex pituita talia, vt vigiliæ, inquietudo, adustio, delirium, fluxus sanguinis narium, capitis dolor, temporum pulsatio, oculorū profunditas, etenim a bile vapores qui attolluntur omnes sunt acriores, [illegible] Nunc videamus signa prognostica. Omnis febris ardens in senibus exitialis est. Et Auic. 1. quarti doct. 2. 41. dicebat aut nunquā tentari senes febre ardente, aut si tentantur interire: Tū, quia nunquam fit nisi a graui causa, tum quia maxime vires seniles infirmæ sunt adeo vt nequeant sustinere violentiam febris ardentis.

Cur in senibus causus periculosus.

Dicebat Hip. in coacis prænot. febrem ardentem vt plurimum terminari 14. diebus. Imo vero Auic. l. c. dixit ardentem febrem citius terminari tertiana pura, quæ omnia ostendere videntur hanc febrem vere acutam esse, verumtamen contraria est sententia Hip. 3. in 3. epid. tex. 34. quo in loco videtur recensere febrem ardentem inter morbos non acutos, præterea lib. eod. t. 78. enarrāt historiam virginis Abderit. scribit eam laborasse febre ardente, & tamen peruenisse vsque ad 27. diem tex. 80. etiam enarrans casum Herophili [illegible] Abderitani testatur eum cum ardente febre peruenisse vsque ad 120. diem. Quæ omnia [illegible] ardentem febrem non esse semper morbum acutum.

Nū causus semper morbus acutus.

Respondere oportet, ardentem febrem aut esse propriam aut esse communem, seu communiter acceptam. Proprie ardens siue sit spuria siue propria, quantum ego iudico, semper acuta est, communiter autem accepta non semper acuta est. Sed quid dicemus ad textus Hipp.? Galen. in com. illius t. 34 scribit, in aliquibus codicibus desideratam esse particulam illam negatiuam; adeo vt Hip. dicat ardentem esse acutam. Quod si particula negatiua contineri data est, inquit Galen. addendam esse aliam particulam, valde. Perinde ac dicat Hippocr. illas febres ardentes non fuisse valde acutas. De virgine Abderit. & Herophilo respondendum est, vel eas febres non fuisse proprie ardentes, vel non fuisse semper ardentes, sed acutam in [illegible] fuisse relatam, alioquin tot diebus perdurare non potuissent. Dicebat Alex. Trall. in cap. de feb. ard. spuriam esse magis exitiosam legitima.

Signa prognostica in causo bona.

Atque hæc sunt signa vniuersalia prognostica Particularium prognosticorum alia sunt bona, alia vero mala Bona sunt, si ægri leniter ferant morbum, si symptomata non sint adeo seua, si sudor appareat in die critica, si facile respirent. Dicebat enim Hipp. 1. progn. 26. optimum esse in omni morbo faciliter spirare. Si in die critica profluat sanguis e naribus copiosus, salutare est; & ita salutare, vt dixerit sap. eiusmodi senex 1. epid. com. 3. t. 63. sese neminē vidisse extinctū

ex iis,

ex ijs, quibus e naribus profluxit copiosus sanguis. Si rigor febri ardenti superueniat optimum esse docet Hippoc. 4. aph. 58 quod tamen intelligendum est, si vires ægri firmæ sint. Nam 4. aph. 46. inquit idem, mortale esse rigor si perueniat febri ardenti iam debili existente infirmo.

Contra signa prognostica mala sunt, si frigidi sudores in febre ardente fiant, vt docet idem 4. aph. 37. Cuius rei attulit rationem Arist. 31. sect. probl. 24. vbi scribit propterea Medicos iudicare prauos sudores in febribus frigidos, quoniam signum est, tantam esse materiam frigidam, quæ cum non possit a febre calefieri, minime quoque concoqui & superari potest. Sic malum est, si ægri difficulter spirent, si inquieti sint, si noctu non dormiant, & præsertim si e naribus sanguis guttatim profluat. Nam si apud Hip. in epid. videatis ægros illos enarratos, vt Silenum, Philiscum, Epaminondam, omnes interierunt, cum ipsis guttæ sanguinis e narib. profluxissent. Sed diceris, quæ est huius rei ratio, vt sanguis guttatim exiens sit adeo exitiosus? Affert caulam diligentissimus Galen. 2. prorrh. 47. vbi scribit exeuntibus sanguinis guttis e naribus, indicari sanguinem quidem prauum esse, verumtamen non posse expelli præ infirmitate naturæ, vt necessum sit, naturam succumbere morbo & superari. Hipp. in lib. de aff. dicebat febrem ardentem facile commutari in peripneumoniam. 1. autem de morbis scribit idem Peripneumoniam minime in febrem ardentem commutari. Hanc diuersitatem cum vidisset Alexand. 2. probl. med. 8. conatus est afferre rationem, sc. commutari ardentem in peripneumoniam, quoniam ob inquietudinem ægrorum bilis facile huc & illuc pellitur, ita vt compulsa quandoque in pulmones, ibi inflammata, putrescat, & peripneumoniam inducat. Contra vero vbi semel bilis in pulmonibus collecta, nequaquam potest aut in corporis ambitum, aut in venas præcipuas detrudi, prius enim consumitur, aut ægrum ipsum consumit.

Sudores frigidi cur in causo mali.

Curatio febris ardentis dimissa est a Galen. alioquin diligentissimo in 1. ad Glauconem. Ratio, qua motus fuit Galen. potest colligi ab Auicen. primo quarti doct. 2. capit. 42. in principio, vbi scribit curam febris ardentis esse curam tertianæ puræ. Vt cum iam traditam habeatis curationem tertianæ puræ, possitis etiam quodam pacto ardentis curationem noscere. Verum, cum habeam rationem ingeniorum vestrorum placet etiam aliqua de hac curatione in medium afferre. Nam, cum in febre ardente duo sint quæ lædunt ægros ardor & putredo bilis, putredo lædit quidem, sed minus quam ardor, ea propter scopus quidem debet esse propositus, aut adimatur putredo, sed maxime omnium studendum est, vt immensum incendium compescatur.

Et hoc est quod videtur maxime studuisse Aetius, quando in curatione ardentis febris ex sententia Philomeni Medici, omnem curam conuertit vt ardor extinguatur. Itaque operæ pretiū est, curare, vt aer omni ingenio refrigeretur, vt fugiantur hominū frequentiæ in cubilibus ægrotantium, vt detineatur æger in summa, quiete tam animi, quā corporis. Somnus omni ratione conciliandus est, eo magis quod vigiliæ solent in hac febre magnopere vexare, nec timendum est ad conciliandum somnum adhibere quæ multum refrigerent, cum agendum sit aduersus incendia, vnde non immerito, omnes & præsertim Auic. commendarunt in hac febre syrupum de papauere. Curandum vt aluus quotidie fluat, quare soleo ego in his casibus mandare, vt singula die clysteres infundantur. Rabbi Moyses 30 lib. aph. ex sententia Gal. vult, vt clysteres in ardentibus febribus semper fiant ex aqua & oleo puris. Imo Oribas. scriptor egregius lib. 7. coll. med. vbi tractat de clysteribus, laudat etiam vt fiant ex pura aqua frigida. Et ne irrideatis hoc consilium. Quia etsi vulgares solent prouerbio dicere, clystere ex aqua frigida, tamen sunt etiā hi in vsu apud Medicos. Et in his casibus debemus huiusmodi clysteribus vti, quando corpora suapte natura sunt lubrica & quomodolibet vel exiguo stimulo concitantur.

De potu certissimum est, a vino abstinendum esse. Sed addo ego perniciosissimum etiam esse vti sola aqua, quod notare debetis, quia sæpe in hoc errant ægri. Ratio, propter quā nec aqua conuenit in ardentibus est deprompta ex ipsomet Hippoc. qui 3. de acut. t. 40. & lib. 3. de fract. t. 136. clarissimis verbis scripsit, aquam in biliosis conuerti in bilem. Et Cal. Aur. libro secundo, de acutis pass. c. 32. dicebat in corporibus calidis aquam conuerti in bilem. Quare cauete oportet a potu etiam puræ aquæ, loquor de quotidiano potu, quia secus est de aquæ frigidæ potu, de qua mox dicam.

Vinum & aqua noxia febre ardente.

Pro potu igitur ex sententia Auenzoaris laudabat Auer. 7 coll. ca. 12. aquam anguriæ. Et vos exemplo Auenzoaris poteritis vti aqua vel hordei, vel aqua cum aceto, vel aqua per alembicū extracta ex lactuca, endiuia, cucumeribus, polca etiam vtilis est. Inter cibos illi sunt omnib. præferendi, qui facultatem refrigerandi & humectandi habent. Nutrimentum in cibo hac febre laborātium non ita requiritur, quoniam, vt prudentissime dicebat Auic. habet vehementissima accidentia, propterea cito peruenit ad statum, ptisana est huiusmodi, panatellæ factæ ex seminibus refrigerantibus: herbæ decoctæ in iusculis, quæ etiam incoqui possunt aquæ, & aceto ab omnibus dulcibus, oleosis, a pinguibus oportet nempe, quæ in corporibus flagrantibus cito accenduntur, & febrem augent.

De sanguinis missione video inter scriptores non exiguam controuersiam, nam aliqui voluerunt in hac febre variam esse sanguinis missionem: imo vero laudant, vt mittatur sanguis vsque ad animi defectum. Et in hanc sententiam ducti sunt auctoritate Gal. 1. aph. 23. vbi scribit, in omnibus febribus magnis missionem sanguinis vsque ad animi deliquium, esse omnium maxime præsentaneum remedium, vt cum febris ardens sit febris magna, videatur consilio Gal. requiri magna sanguinis missio.

Num venæ sectio conueniat.

Sed contra hoc est omnium fere scriptorum medicinæ auctoritas, siquidē nemo fere inueni[tur] qui sectionis venæ, aut vllius missionis sanguinis meminerit in ardente febre. Quinimo, si rationem spectemus, nequaquam conuenire videtur, quia detrahere sanguinem nihil aliud est, nisi demore etiam nobili, adeo, vt multo magis insalescat. Quare in hac re, quæ est maximi momenti, puto necessarium esse, sequi consilium Auic. & Aetet. qui dixerunt in febre ardenti posse aut sanguinem multum esse iunctum bili, aut paucum. Si multus sit, licet sanguinem mittere: Si vero bili sanguis coniunctus sit exiguus, proculdubio abstinendum est ab omni venæ sectione, ne se auferatur frenum ipsi bili.

Cognoscitur a coniunctum esse sanguinem multum bili, & propterea licere sanguinem mittere, si vrina sit turbida & crassa, quod si vrina tenuior sit, si claritatem habeat, si flaua sit, signū est, aut solam bilem abundare, aut exiguum sanguinem ipsi coniungi, & consequenter nullam requiri sanguinis missionem.

Rectus usus aq. frigidæ in caus.

Inter remedia febris ardentis primum locum apud omnes Medicos obtinet frigidæ aquæ administratio, de qua copiosissime plerique Medici scripserunt, potissimum Gale. 6. meth. 5. Itaq; cum hæc res sit maximi momenti, oportet, vt eius administrandæ rationem doceamini. Est autem omnis ratio perfectæ operationis posita in quatuor rerum consideratione: sc. vt videatis, in quib. agere fit operari conueniat; quando; quantum & quomodo. corpora, in quib. administrari potest hoc generosum auxilium, sunt robusta, iuuenilia, quæ latum pectus habet & in quibus nulla inuenitur interna inflammatio. Senes, pueri, angusti pectoris, & aliqua inflammatione laborantes sunt arcendi ab hoc auxilio.

An in exhibēda frigida sit semper expectanda coctio, negatiuam partē pbat Auer. quinque rationibus.

De tempore constat inter omnes, æstate tantum hoc præsidio esse vtendum. Sed de tempore morbi video aliquam controuersiam esse Galenum loco cit. nec non 11. meth. 9. quē secuti sunt plerique, habuit hanc sententiam, apparente coctione morbi ad hoc remedium esse cōfugiendum, in materia cruda omnino esse abstinendum. Ceterum, Auer. 7. coll. 8. quinque rationib. cōfutare aggressus est hanc sententiam: Prima est, quod febribus ardens vsque adeo immaniter depopulatur corpora nostra, vt si expectanda semper sit coctio, periculum immineat, ne extinguantur ægri, priusquam materia concoquatur. Secunda, vsu & experientia sæpe comprobatum fuisse frigidæ exhibitionem etiam in materia cruda profuisse. Tertia bilem non propterea dici crudam, quia crassa sit, sed quia nimis feruida & nimium acris est. Igitur frigida aqua potius eā concoquere bilem dici potest, quam secus. Quarta expendendum esse in exhibēda frigida vtrum maius fiat detrimentum an iuuamentum, quando administratur in materia cruda, & si maius est iuuamentum libenter amplectendum esse illud auxilium. Vnde, cum, si exhibeatur frigida in cruda materia, id solum detrimentum metuatur, ne morbus longior fiat: & econuerso incendium miro in modum extinguatur, fit vt iuuamentum sit multo maius quam detrimentum. Postremo ratio est, Rhasen testatum esse aliquando dominum & seruum ægrotasse, atque domino exhibitam statim frigidam salutem attulisse, Seruum fuisse extinctum, quia non data fuerat frigida.

In habitu feruido, & sicco etiam ante coctionem danda est frigida, si periculum grauioris mali immineat.

Quid igitur in hac difficultate constituendum? Optimi Medici munus est in hoc casu diligenter spectare habitum corporis ægri. Nam si corpus aridum & excarne sit, sitque febris maxima, cerie statim ad frigidæ exhibitionem veniendum est, quia periculum imminet, ne a febre occidatur, vel in hecticam atq; marasmum torridum labatur. Sed si æger non ita macer neque ita aridus sit, ac febris paulo mitior, melius est differre huiusmodi auxilium in tempus coctionis.

Mensura.

De mensura aquæ sumendæ scribit Gale. loco citato & primo de vic. ratione, tantum esse capiendum quantum æger vno haustu potare potest, vel quantum quis vult potare. Auic. lib. 4. fen. 1. doct. 2. c. 39. duo dicit animaduersione digna circa hanc mensuram. Alterum est, tantum aquæ sumendum esse ab ægro, donec totum corpus viride euadat, & refrigeretur ac propterea videtur statuere mensuram heminæ & dimidæ, quæ est mensura xv. vnciarum. sed hæc verba Auic. non sibi consonant, quoniam quantitas xv. ʒ exigua est, neque potest vsque ad tantam frigiditatem deducere, vt corpus viride euadat. Et propterea ego semper existimaui locum illum mendosum. Vos videbitis. Mea est sententia expendendum esse præ cæteris & corporis ægri capacitatem, & consuetudinem, si sit corpore procero & assuetus multum potare, melius est magnam copiam aquæ exhibere quam paruam. Contra qui sunt corpore exiguo, & parum bibunt, iis sufficit mediocris mensura, & maior tamen, quam pro sua consuetudine.

Modus exhibendi est, vt accipiatur aqua gelidissima e medio puteo: aut, si ipsa non habetur gelida, paretur aliquo ex iis modis quos docui in variis lectionibus ex antiquis. Post exhibenda est frigida siue petant, siue non petant. Nam, scribit Aetius libro quinto, capit. 78. ex sententia Philomeni, scribit etiam Auic. interdum delirare ægros, & propterea non petere frigidam, etiamsi egeant. Quo in casu sunt omnino inuitandi ægri ad capiendam aquam. Præterea procurandum est, vt venter sit vacuus, vt non paulatim sumant aquā, sed affatim, hoc est, cum impetu. Aetius loco citato scribit interdum vtile esse aquæ commiscere cyathum olei rosa. Et neque ego damno, quoniam multa bona facit oleum. Excitat magis aluum, & vomitum, & quod caput est, cum frigida neruis, ac neruosis partibus inimica, ita quod possit ventriculum aliquin ardentem offendere, oleum ventriculi parietibus adhærens, tuetur ipsum ab offensione frigidæ.

Sed dicetis: Aristot. probl. 37. dicit Medicos consueuisse in febribus exhibere aquam paulatim bibendam, eo quod hunc in modum magis humectat quemadmodum pluuia, si paulatim descendat,

descendat, magis humectat terram, quam si affatim. Vnde cum in exhibitione frigidæ oportet humectatio ratione Arist. videtur potius conuenire, vt paulatim sumatur, quam vt affatim. Dicendum est, aquam potari vel ad sitim extinguendam, vel ad ardorem finiendum. Si su matur propter sitim, vera est ratio Arist. atque ita faciendum est. Sed si sumatur propter refrige rationes, quemadmodum oportur in ardentibus, multo satius est eam sumere affatim, & cum impetu, quam paulatim. Præter frigidam sunt alia duo remedia, quæ proponuntur a Medicis & vsurpantur, primum est balneum aquæ dulcis; quod quidem in causo legitimo ab omnibus probatum video non solum concocta materia, verumetiam non cocta. Sed tametsi omni tempore conuenire queat, potissimum tamen conuenit apparente manifesta coctione. Sed, vt sæpe dixi, hoc remedium hodie non adeo facile in vsu trahetur, quoniam homines non solent ita fre quenter lauare quemadmodum consueuerunt antiqui, & propter illam consuetudinem veteres Medici semper fere balnei mentionem faciunt, tanquam rei vsitatissimę. Alia remedia sunt epithemata refrigerantia, quorum vsus est tum supra pectus, tum supra dorsum, tum etiam vt monet Auicen supra caput. Fiunt ex rebus refrigerantibus hunc in modum.

Nam aqua frigida paulatim, vel affatim sumenda.

De vsu balnei aq. dulcis.

Epithema pro pectore, dorso, capite.

℞. Fol portul.
Plantag.
Lactis vitis an. M. j. ß.
Santal. omnium an. ℥. ß.
Fol lapathij.
Malua.
Nymphaea an M. j F. decoct. s. a. deinde facta expressione immergantur in ea panni linei vetusti, atque ita parum madefacti, & parum expressi supponantur dorso, pectori atque etiam capiti.

Aetius circa vsum horum epithematum duo digna animaduersione proponit, vnum est, quod hydrelæum, & oleum tum simplex, tum rosaceum maxime conueniat, præsertim si mul tum calidum adhibeatur, & si ex alto supra pectus proijciatur. Sed huiusmodi consilium nunquam potuit a me probari, 1. quia non video, quomodo oleum vllum ardenti corpori & perusto conuenire possit, cum exploratissimum sit, omnia pinguia promptissime inflammari & accendi.

Quinimo Gal. 2. de simpl. med. circa finem cap. 21. dicebat, oleum minime conuenire in erysi pelatibus, aut alijs biliosis fluxionibus.

Aut igitur omnino dimittendum est oleum, aut perexiguum ipsius miscendum est decoctis nuperrime propositis. Scio Alex. Trall. 12 meth. cap. 3. laudasse vsum oleorum pro epithematis tum in causo legitimo, tum etiam in spurio, veruntamen dixit magis conuenire in spurio, quasi etiam diceret suspectum haberi hoc auxilium in ardente biliosa. Alterum, quod monuit Aetius, est, hæc epithemata refrigerantia conuenire in vigore paroxysmi, non in principio, non in augmento. Et ratio est, quia in principio & in augmento periculum est, ne frigido hoc auxilio materia magis intro pellatur quod quidem non est formidandum in statu, quia tunc calor, adeo expansus est, vt potius extinguatur quam intro pellatur. Et hoc consilium ego quoque amplector.

Quod si spectandus sit non scopus refrigerandi, sed scopus euacuandi humorem, feruentem videre oportet quando materia inclinet, siquidem, vt d. Auicen. & Galen. febres ardentes consueuerunt solui aut vomitu, aut sudore, aut alui fluxu, aut sanguinis fluore a naribus. Si enim natura inclinet ad vomitum, prouocandus est aut aceto, vel oxymelle cum iure, aut succo raphani cum iure aut aliquo alio auxilio, quod valeat vomitum concitare. Si natura magis inclinet ad sudorem, is quoque prouocandus vel aqua hordei magna copia sumpta vel integumentis. Sic si natura propensa sit ad sanguinis profluuium, illud pariter prouocandum est vel hirundinibus naribus appositis, vel herba sanguinaria vocata. Si postremo inclinet natura ad alui fluxum, primum paulisper hunc in modum sunt præparandi humores.

Præparans in causo.

℞. Fol endiuiæ.
Portul.
Lactuca an. M. ß. F. decoct. s. a.

Deinde *℞ dicti decoct ℥. vj.*
Syr. de papa. ℥. 1. ß. M.

Et notate præparatorias syrupos debere marasmum ordinatium transcendere, propter incendij magnitudinem. Vltimo loco sunt euacuandi. Galen. 4. de acut. t. 7. vna cum Hippoc. laudant duo ad expurgandum humorem in ardente, nempe lac asininum & serum caprinum, oxymelle a caseo separato, nam consueuerunt veteres, quemadmodum nos, expurgare corpora, & præsertim in febribus, sero in magna copia accepto, quippe quod simul & semel euacuat bilem, atque etiam corpora deusta refrigerat. Et ego soleo in his casibus adijcere interdum aliqua, quæ possint vim purgatoriam seri augere: cuiusmodi est syr. rol. solut. manna, & dilutum rhab.

Solet febris ardens & postquam abijt, relinquere in corporibus ægrorum quędam feruoris vestigia, aduersus quæ necesse est, vt medicamentis certetur. Et propterea solemus post febrem solutam vti vel sero ad alteranda corpora in modica quantitate ad libram scilicet vnam. Solemus etiam vti confect. refrigerantibus, vt est confer. nymphææ, cichorij. Atque hæc est ratio medicationis veri causi.

 Spuria

Cura causi spurij.

Spuria autem febris ardens, vt d. Alexand. Trall. differentem aliqua ex parte curationem postulat eo, quod differens quoque est ipsius generatio. Nam ut intellexistis, etsi putredinis locus in utraque febre sit idem: diuersa tamen est putrescens materia: cum in vero causo bilis pura putrescat, in spuria putrescat pituita salsa. Pituitam salsam d. Auic. 1. primi doct. 4. c. 1. & primæ quarti doct. 2. c. 39. fieri ex materia biliosa combusta & cinerulenta, aquosæ pituitæ commixta adeo vt secundum Auic. generatio pituitæ salsæ sit similis generationi lixiuij.

Ceterum etsi non diffitear pituitam salsam etiam hoc pacto ab Auic. proposito generari: sum tamen huius sententiæ, generari quoque vbi pituita uel dulcis, vel insipida calore præternaturali, siue sit putredinalis, siue non, magis atque magis excoquitur. Quod me trahit in hanc opinionem est discursus præclarissimus Ga. lib. 3. de al. m. fac. c. 32. vbi disputās aduersus Agalilum de salsedinis generatione inter alia scribit in fine illius capitis, etiam aquam puram, vbi nimium excoquitur, salsam fieri.

Si igitur sola aqua sic percocta salsedinem contrahit, cur negare debemus etiam pituitam quæcunque sit salsam fieri, si vehementer coquamur. Quamobrem non dubito, quin pituita, ex qua fit febris ardens, possit salsedinem contrahere alia causa, quam quæ præscripta est ab Auicen. quāquam, vt libere dicam, ea ex qua fit, causus generatur eo pacto quo propositum est ab Auicen.

Cognoscitur febris ardens spuria eo, quod omnia accidentia infert, quæ inferuntur a uero causo, nisi quod omnia remissiora sunt, &, vt dicebat Alex. hæc febris ardens semper exitialior est quam verus causus. Ratio curationis eadem quoque est cum curatione prædicta. Illud tamen interest, dicit Alex. quod in ardente spuria semper minus refrigerandum est, quam in uera ardente. De frigidæ exhibitione in hac febre, nullus locutus est præterquam Alex. qui negauit omnino hoc remedium esse administrandum. Cetera epithemata infrigidantia conueniunt etiam in hac febre, sed potissimum ea, quæ fiunt ex oleis præscriptis ab Aetio, & ipso Alex.

De vsu balnei contradictio euidentissima est inter Galen. & Auicen. Galen. in lib. 3. de acut. sub finem manifestissimis uerbis dixit, in febre ardente spuria minime balneum aquæ dulcis conuenire. Auicen. autem prima quarti cap. 42. scribit non tantum conuenire balneum in hac febre, imo vere magis conuenire quam in ardente legitima, & ratio fauet Auicen. quoniam pituita salsa opus habet attemperatione, nihil autem reperitur quod possit magis salsam pituitam & salsum liquorem attemperare quam aqua dulcis, vt concilientur hæ auctorum sententiæ, debetis ita definire, quod balneum aquæ dulcis possit administrari in causo spurio solum post curationem, ita quod quando Galen. damnat balneum, damnat cruda existente in hac febre materia. Ratio cur post coctionem illud sit adhibendum, est, quia humor hic cum relinquat post coctionem multas reliquias & cineres oportet illos per balneū, vel exinanire vel demulcere. Et hoc pacto intelligenda sunt Auicenn. verba, vbi in hac febre a natura humores non sint exinaniti, oportet vt a Medico euacuentur: propterea eos prius præparare conuenit huic in modum.

℞. Fol. cetrach.
Agrim.
Beton.
Puleg. an. M ß.
Fol. endiuiæ M. j.
F. Decoctio s. a.

Deinde *Dict. decoctionis ℥. v.*
Syr. ros. recentis ℥. j.
Syr. de duabus radicibus ℥. ß. M. & fiat potus.

Postquam præparati erunt, purgandi sunt. Pro quorum expurgatione laudabat Gal. vt audiuistis vsum seri, quippe quod sua acrimonia etiam ichores salsos mirum in modum educit. Potest etiam administrari hoc genus medicamenti.

℞. Sebesten N. xij.
Myrabol. chebul ʒ. j.
Fol. senæ ʒ. j ß decoct. s. a. in aqua endiuiæ.

Deinde *℞. Dictæ decoct. ℥. iiij ß.*
Rhab. electi ʒ j.
Agar. trochis. ℈. iiij.
Spicæ gr. iij. Infundantur omnia s. a. deinde facta diligenti expressione adde syr. ros. solut. ℥. iij. ß. M.

De tertianis spurijs.

Post exhibitionem huius medicamenti soleo ego curare, vt tribus, vel quatuor horis sorbeatur lib. 1. seri caprini. Imo vero, nisi hoc auxilio febris ex toto sit adempta, vsus continuatus eiusdem seri vtilissimus erit. Atque hic finis est earum febrium, quæ a pura bile originem ducunt. Post quas febres sequitur, vt tractemus de his febribus, quæ non a pura bile, sed ab aliis speciebus bilis originem ducunt. Dicuntur autē huiusmodi febres cōmuni nomine a Græcis τριταῖαι νόθαι, nostri appellant modo tertianas nothas, modo tertianas spurias, quæ omnes & ipsę generationem ex humorib. putrescentibus habent, uel in venis si continuę sint, vel extra venas, si sint interpolatę. Causa autem immediata nulla alia sit, nisi bilis, non quidem vera, & naturalis sed preternaturalis. Et vt veram causam harum febrium cognoscatis, paulisper proponenda est vobis series omnium generum humoris biliosi.

Nam

Nam vt inuenire licet apud Medicos tam Græcos quã Arabes & Latinos, bilis siue humor biliosus, aut est vera bilis, aut similis humor bili. Vera bilis siue humor biliosus adhuc duplex est; alia naturalis, alia vero præternaturalis. Bilis naturalis est ille humor, qui in iecinore instar spumæ generatur in fabrica sanguinis, vt plerisque in locis docuit Galen. sed potissimũ in fine libri secundi de facul. nat. Arist. videtur alienã sniam esse secutus, qui 3. de part. animal. c. 2. scripsit, bilẽ generari in cunctis nostri corporis partibus. Quã sententiam nõ modo damnarunt Medici verum etiam Auer. studiosissimus Arist. lib. 3. coll. ca. 4. Præternaturalis, vt colligere licet ex loco Gale. citato, nec non ex Auic. prima primi, cap. de humoribus, aut fit alterata bilis naturalis substantia, aut fit ex mixtione bilis naturalis cum aliis humoribus. Quæ fit alterata substantia naturalis bilis, appellatur a Medicis vitellina, eo quod valde æmuletur ouorum vitellos.

Et hæc fit, vbi bilis naturalis magis excoquitur. Sed quid dicemus de Auic. qui loco citato scribit vitellinam fieri etiam ex permistione pituitæ & bilis crassæ? Dico, Domini, quod semper dicere soleo Auicen. abusiue locutum fuisse, quasi voluerit huiusmodi bilem naturalem propter aliquem similitudinem cum vera vitellina sic appellare. Quæ fit ex permixtione bilis & pituitæ, adhuc triplex est. Vel enim admiscetur bilis pituitæ, & hæc appellatur bilis citrina (Arabes appellant sitam & bilem maioris famæ, eo quod frequentissime in corporibus nostris generatur) alia vero est, quæ generatur ex permixtione bilis cum melancholia naturali. Et hæc cum raro gignatur in corporibus nostris, nũcupata est ab Arabibus minoris famæ. Alia est, quæ fit ex permixtione sanguinis & bilis naturalis, quæ nullum proprium nomen adepta est, præterquam sanguinis biliosi.

Differentiæ bilis non veræ.

Bilis non vera sed similis veræ, efficitur in ventriculo potissimũ, vel propter caliditatem ipsius, vel propter caliditatem ciborũ. Et hæc bilis propterea sic vocatur, quia quodã pacto æmulatur ipsam bilem, non quod sit vera bilis. Si enim fiat ex moderato calore, vocatur prasina seu porracea: sin efficiatur a maiori calore, nuncupatur bilis æruginosa. Si adhuc fiat ex maximo calore appellatur bilis isatodis, eo quod suo calore imitetur succũ illius herbæ, quæ vocatur isatis, quæ appellatur a Latinis glastum. Igitur sicuti vera tertiana, vt audiuistis, fit ex putrescente bile naturali, pari pacto tertianę omnes spuriæ fiunt ex bile præternaturali, putrescente, siue sit bilis vitellina, siue citrina maioris famę, siue citrina minoris famæ, siue etiam sanguis biliosus.

Causę immediatę, & internę tertianarũ spuriarum.

Ex bile non vera sed verę simili fiunt aliæ febres, quæ sunt deterrimæ, & quæ ęmulantur naturam ipsarum tertianarum, non sunt tamen neque legitimæ tertianæ, neque spuriæ: adeo vt, quemadmodum audiuistis, causa immediata & interna ipsarum tertianarum spuriarum nulla alia sit, quam bilis præternaturalis, quæcunque sit: & propterea omnis temperatura, quæ ferax est huius bilis iure putatur esse causa mediata harum febrium: cuiusmodi est temperatura, quę partim pituitosa & biliosa est: aut partim melancholica & biliosa. Vnde inter sexus maxime fęmineus expositus est his febribus: sicut etiam inter ætates senium, atque ęas cõsistentiæ, maxime a febribus tertianis nothis tentari consueuerunt. Et quod dico de his causis internis tam mediatis, quam immediatis, idem quoque existimandum est de omnib. causis externis, scilicet eas maxime producere spurias tertianas, quæ non vnum genus humoris accumulant, sed plura, vt sunt, quæ generant pituitam, melancholiam, bilem, quemadmodum inter causas externas febrium similium tertianis nothis potissimam partem habent edulia calidiora, & præsertim sallamẽta omnia, cibi acres, cuiusmodi sunt porri, allia, cępæ. Nã qui victitant huiusmodi cibis, solent frequentissime exerceri febribus tertianis, quæ aut iugulant aut protrahuntur, aut corporum temperamenta valde deprauant. Dubitare posset aliquis vestrum circa causarũ tractationem, an possit fieri tertiana notha ex flaua bile, & melancholia, & an possit fieri ex bile prasina, æruginea & vitellina. Quod ad primum dubium, neque Galenus, neque Auicẽ. videntur expresse hæc docuisse, accedit & ratio, quia non videmus probe commisceri posse corpora sicca, dicebat ille, quin potius pugnent humẽtia siccis, igitur cum melancholia sit humor maxime siccus, & bilis etiam sit humor siccus, non videntur isti humores posse cõmisceri. Quod ad secundum dubium pertinet, non videtur etiam fieri posse tertiana notha a bile æruginea, aut prasina, ratio est, quia isti humores, adeo naturæ sunt inimici, vt non possint tamdiu sustinere intra venas, vt incipiãt putrescere, quemadmodum est mos interpolatarum, Dicebat. n. Auerroes. & fuit etiam. Gal. sententia, quod natura semper repellit humores tanquam prauos a mẽbris præcipuis. Ex altera parte est Auic. qui videtur hanc sententiam habuisse, quod hæc febris possit fieri ex prasina bile, Immo vero Galen. 12. meth. refert historiam pueri, qui in febre multam bilem ęrugineam euomit, ita quod videatur rationi contentaneum esse, febrem ortum duxisse ab hac bile. Auenzoar lib. 3. tract. 1. c 7. scribit, non modo ex hisce humorib. notham tertianam fieri, imo tradit signa, quibus eam cognoscere possimus, & sunt quod in huiusmodi febrib. omnia accidentia existant praua, magna inquietudo, magna sitis, magna mentis alienatio, vigiliæ, pulsus parui & duri, vrina nigra: ita quod grauissimus ille auctor manifeste videtur sensisse, quod ab his humorib. fiat febris. Pro prima dubitatione, resolute dicendum, posse tertianam hanc fieri ex putrescente bile, & melancholia, sed rarissime contingere, & quando fit, fieri solet ex melancholia naturali, & ex melancholia humidiore: quod autem Galen. & Auicen. hoc non tradiderunt, non est propterea asseuerandum id fuisse negatum ab ipsis, neq; valet ratio, quod sicca difficulter insimul misceri possint, quia tametsi humores huiusmodi (vt superius et adnotauimus) sint potentia sicci, sunt tamen actu humidi. Ad secundũ dubiũ, dicendũ

est etiam ex his humoribus fieri febres sed rarissimas esse, & pauco tempore durare vt.n. homores illi a natura expelluntur aut iugulant, & quando fiunt febres illæ, nullum typum seruãt, non apparent veræ tertianæ. Ita quod tertiana notha licet potissimum fiat ex pituita, & bile putrescentibus simul commixtis, potest tamen fieri ex alijs humoribus bili permixtis. Galen. 1. ad Glauc. 8. circa signa tertianæ nothæ maxime laborandum præcipit, vt possit distingui a tertiana pura, hac ratione, quod non minus differant hæ duæ febres signis, quam curatione.

Differ. inter tertianã & spuriam et legitimam.

Quam obrem videndum est diligenter, quæ sint signa huius febris spuriæ. Et, vt incipiamus ab actionibus læsis, capitis dolor grauatiuus & extensiuus solet peculiariter in hac febre esse, eo quod flatus multi feruntur in caput, qui distendentes membranas dolorem faciunt.

Vultus non admodum extenuatus, vel depressus, vt in pura ob incẽdium. Inappetentia quoque sitis. Pulsus in febre tertiana spuria est quidem velox, sed non ita celer, neque ita magnus, quemadmodum in legitima. Vrinæ citrinæ sunt crassæ, in quibus tarde apparet coctio: vultus non ita extenuatus est, quemadmodum in pura. Neque etiam calor adeo acris, & mordax est, vt in tertiana exquisita.

Quod ad paroxysmum pertinet, incipit paroxysmus tertianæ spuriæ cum leuissimo & mitissimo rigore, aut cum horripilatione. Durat frequenter 18 horis, quandoque 20. quandoque pluribus, atque hæ sunt febres illæ, quas Galen. 2. de diff. feb. 8. & 6. epid. com. 1. t. 29. appellabat extensas contra Agathini sententiam, qui volebat nullas febres extensas appellari. Desinit hæc febris raro cum sudore. Si fiat a bile vitellina cognoscitur, quia bilis euomitur vitellina, vrinæ & fæces æmulantur colorem vitelli ouorũ. Si fiat a bile facta ex permistione pituitæ, cuiusmodi frequentissime contingit, cognoscitur, quia & tẽperamentum, & ætas, & regio testatur prouentum pituitæ: quemadmodum si fiat a bile ex permistione melancholiæ, cognoscitur, quoniam mixta sunt symptomata melancholia cum symptomatibus biliosis, adeo vt mæror & mæstitia appareant. Si fiat febris a bile non vera, cognoscitur prauitate symptomatum, cognoscitur vomitu, nam refert Concil. dif. 91. sese vidisse quendam laborantem tertiana, qui liberatus sit, postquam euomit porraceam bilem. Præterea cognoscuntur hæ febres, quia adumbrant quidem naturã tertianarum, sũt, vt dicit Hip. sunt τριταιοφυεῖς Verum non ex toto paroxysmum habent tertianarum. Omnis febris tertiana, modo intermittens sit, periculo vacat, vt habetur apud Hip. 4 aph. 43. verumtamen cum hæc febris longa esse soleat, ita, ut dixerit Galen. sese vidisse tertianam vsque ad sextum mensem protractam, fieri non potest; quin aliquando reddatur periculosa; quoniam sicuti contingit, vt qui longum iter faciunt sæpe impingant & fallant, haud secus in morbis longis fieri non potest, quin erratur vel ab ægro, vel a Medico, vel ab adstantibus, ita, vt morbi alias salutares periculosi euadant.

Febres extẽsa apud Gal. quæ.

Signa a bile vitellina.

Prognostica.

Curatio harum febrium non admodum difficilis, exceptis tamen febribus factis ex bile æruginea, prassina & isatodi, quippe quas scribit Auenzoar lib. 4. tract. 1. cap. 7. esse deterrimas atque deceptibiles & fraudulentas. Igitur in curatione tertianarum notharum diligenter debetis vigilare, cum frequentissime contingat. Scopus autem præcipuus est, vt refrigeretur quidem & humectetur, sed non adeo, quemadmodum in tertiana pura. Præterea cum putredo fiat ab obstructionibus; & obstructiones a materia viscida & crassa, indicatio quoque oritur incidendi, attenuandi, & aperiendi.

Materiæ autem quibus auxiliandum est in his febribus, sunt inprimis illę, quæ pertinent ad Diæteticum fontem, vnde prouidendum est, vt aer temperatus sit, scilicet neque nimium frigidus neque nimium calidus, & ratio est, quia cum forma febris indicet refrigerandum, materia vero indicet calefaciendum, debent semper scopi esse permixti. Somnus & quies maxime omnium necessaria sunt. Addebat etiam Galen. 1. ad Glauc. 10. calefactionem & fomentationem hypochondriorum esse vtilissimam. Abstinendum est ab omni animi motu. Et præ ceteris mandat Galen. 1 ad Glauc & cum Galeno Aetius lib. 5. ca. 80. & Paulus lib. 2. cap. 20. vt mollis aluus teneatur clysteribus, neque admodum validis, neque admodum lenibus, propterea potentis hunc in modum clysteres parare.

℞ Seri cuiuscunque vel decocti communi lib. j. ß.
Elect. lenit. ʒ. vj. vel diaphanici ʒ. iiij.
Ol violat. ℥. v.
Mellis rosati, vel etiam sacchari rub. ℥. ij.
Salis ʒ. j. Misce.

Circa cibum duo animaduersione digna monet Gal. 1. ad Glauc. Vnum est, in hac febre neque multum esse nutriendum neque etiam parum. Non quidem multum; quia augetur morbus non parum, quia cum morbus sit longus vires non possent sufficere, propterea media quadam via incedendum est, vt scil. moderate nutriantur ægri. Aliud monet Galen. quæ fuit etiam sententia Auicen. vt ægri tantum altera quaque die nutriantur, sed huiusmodi præceptum difficile est tempore nostro obseruare, præsertim propter mulieres quę timent semper ne ægri fame pereant. Quare vos in his casibus considerare debebitis, vtrum accessio futura sit longa necne. Si sit longa licebit vel ius aliquod lene dare, vel modicum ptisanæ liquidæ semel aut bis, adeo, vt possint vires sustentari. Quod si breuis esset paroxysmus, licebit etiam die paroxysmi nutrire, ijs tamen seruatis, quæ alias a me didicistis. Debet autem cibus esse aut panatella cum iure & sem. melonum, aut ptisana aut cremor auenæ: quemadmodum proponit Alex. Et Gale. cum videret ptisanam solum in his febribus non ita accommodatam esse

iube-

subebat, et admiscerentur vel piper, vel hyssopus, vel spica nardi. Sic etiam conueniũt carnes auicularum, oua sorbilia, Fructus nulli pene conueniunt. Et si quid concedendi fuerit, debent coqui, vt praecipiebat Alex. lib. 12. cap. 6. ad vaporem.

Pro potu minime vinum conuenit, nisi apparente aliqua coctione. Loco vini conuenit, vel ius longum vocatum, vel aqua cocta cum cinnamomo, coriandro, aniso. Alex. vtitur mortis [illegible], [illegible] Gal. quod in febre tertiana, in qua bilis putrescit, vsus in medica menti calefacientibus quale est piper, hyssopus & spica nardi, & subiungit multo melius esse vti [illegible] & [illegible] [illegible], qualis est radix [illegible] decorticata, coma porri, & anetum.

Sed peccauit Alexand. in duobus: Primum, quia damnat Galen. cum non esset damnandus. Nam & ipse met Galen. 1. ad Glaucon. monet, vt abstineatur a calefacientibus, & exsiccantibus. Quod si vtitur pipere, hyssopo, & nardo, vtitur illis in parua copia, & vtitur cum ptisana, vt sic corrigant [illegible] & humiditatem ptisanae. Deinde peccat Alexand. quia ipse vtitur magis calefacientibus, quam Galen. [illegible], vt videre potestis, & [illegible] & a [illegible] [illegible] medicamenta, quae maxime calefaciunt, porrum enim est ex ijs, quae calefaciunt tertio gradu. Quo igitur valde patet Alex. arguere Gal. quasi vtatur nimis calefacientibus, cum ipse vtatur calidissimis.

Post victum institutum cogitandum est de sanguine mittendo. Nam Gal. loco citato scribit, si mittendus est sanguis mitti oportere statim in initio.

Quam sententiam secuti sunt & Aetius & Paulus: imo etiam ipse Auic. Sed video ingeniosum vtile dubitaturum esse, quomodo fieri possit, vt Gal. hoc loco laudare debeamus, quoniam [illegible] expressissime, opinionem esse mittere sanguinem in omni febre putrida. Si igitur hoc verum est, cur hoc loco dicit, si mittendus est sanguis? quasi velit docere, non esse mittendum sanguinem in febre putrida.

Deo, Domini, hunc nodum forsan ab alijs non ita consideratum, secus intelligendum esse quam intellexisse videtur Auicen. qui prima quarti doctrin. 1. capite quadragesimo secundo, dicit mittendum esse sanguinem, si vrina crassa sit & rubea. Nam nihil aliud voluit dicere Galen. quam quod si vires, aetas, tempus anni, & alia permiserint, vt mittatur sanguis, mittendum esse in primis diebus.

In quibus sectio venae conueniat.

Locus mittendi est a vena communi in viris brachij dextri, in mulieribus, & praesertim deficientibus menstruis, a uena poplitis aut malleoli.

Quantitas sanguinis mittendi vnde sumatur.

Quantitas sanguinis mittendi sumenda est ex dispositione corporis, & plenitudine ipsius, adeo, vt a robustioribus corporibus, & a sanguineis plus: ab alijs vero minus detrahatur. Galen. loco cit. 1. ad Glauc. scribit, sese experientia didicisse, in his febribus curandis tria potissimum semper consulisse, scilicet oxymel simplex atque etiam compositum. Nam ita ego intelligo apud ipsum oxymel simpliciter prolatum. Aliud est genus medicamentorum lenientium, quae appellat ipse ὑπάγοντα, hoc est subductoria, & addit Galen. huiusmodi medicamentis sese consueuisse vti frequenter. Vnde colligere potestis eos aduersus Galen. ire, qui damnant in curandis febribus vsum frequentem medicamentorum lenientium, cum ipse dicat sese vti illis frequenter. Et non est dubitandum quin ipsius verba sint intelligenda de febribus, quoniam haec expressissime dicit de curatione tertianae nothae: quamobrem statim atque vobis continget adire aegros hac febre laborantes, nisi aluus fluida sit Galen. poteritis statim aluum lenire hoc pacto.

> *℞. Flor. cassiae ℥. viij.*
> *Mannae electae ℈. iiij. Misce & cum sacch. fiat bolus.*

Et notate, Domini, me inuenisse vsu & experientia maxime accommodate cum cassia mannam ad leniendam aluum, quod forsan non ita faciebant priores. Quod si potum magis amat aeger.

> *℞. Mannae electae ℥. v.*
> *Vel syr. ros. solut. ℥. iiij. ß.*
> *Seri caprini optime depurati ℥. v. vel vj. M & fiat potus.*

Sed aduertite, quoniam ea quae fiunt ex succo rosarum siue sit syr. siue mel, non possunt omni tempore eadem mensura recte operari, quia hoc tempore quando haec medicamenta sunt vetusta, opus est maiori dosi; quando vero haec medicamenta sunt recentia, quemadmodum sunt tempore aestatis, ac tempore autumni, tũc in minori dosi exhibere oportet, quia efficaciora adeo, vt si eo tempore exhibentur ℥. iiij. aut v. syr. ros. solut. aut mellis ros. sol. his temporibus debeant exhiberi, non tantum ℥. v. sed etiam interdum ℥ vj. Lenita aluo, praeparandi sunt humores. Et ratio praeparandi tota capitur a natura illius humoris a quo fit febris. Vnde cum sit humor compositus, plerumque opus est, vt praeparatio quoque ex medicamentis mixtis conficiatur. Poteritis itaque sic praeparare.

> *℞. Fol. origani.*
> *Hyssopi.*
> *Ceterach.*
> *Cuscutae an. M. ß. fiat decoct. s. a.*

Deinde
> *℞. dicti decoct. ℥. vj.*
> *Syr. de end.*
> *Oxym. simpl. an. ℥. j. M.*

Quod si febris facta esset ex mixtura bilis, & humoris melancholici, opus erit adhibere in praepa-

Refutatur Gentilis. *Maior coctio in continuis, duab. de causis requiritur.* *bilis in venis putrescēs duplici opus habet concoctione.* *Maior illa coctio trib. obtinetur.* *In continua magis refrigerandum.* *Cibus debet esse minor et mole, & uirtute.* *Vrina magis prouocāda.* *Magis subtilandum.*

& propterea iure dicit hic Medicus huiusmodi materiam indigere coctione, & digestione. Sed Domini, hæc Gentilis ratio mihi admodum non placet, propterea quod hęc est, Galen. & Auicen. sententia, quod materia vtriusque febris est eadem, nec ratione materiæ differunt, sed ratione loci seu locorum, in quibus putrescit vtraque materia; præterea si materia tertianæ continuæ differret substantia & qualitate, tota pene curatio diuersa esset; quoniam maior pars curationis desumitur a natura humoris, a materia ipsa, igitur mea est sententia maiorem hanc coctionem requiri duab. de causis, vna est quia putredo in venis est, a venis facilius fuligines propagantur in cor, vnde maior turbatio percipitur, vbi vero putredo est extra venas, per cutem facilius difflantur fuligines, & idcireo non ita in cor ipsum propagātur; propter hoc igitur maior coctio est adhibenda, quæ inseruiat etiam huic, vt fuligines non ita ad cor perueniant: Altera ratio est, quia vbi bilis est in venis, præter propriam quandam coctionem, opus etiam habet coctione, quæ ipsam separet a sanguinis, & alijs humoribus, & ideo vere dictum est hāc materiam maiori indigere coctione. Sed quæretis vlterius, quomodo fiat hęc maior digestio, & quibus ingenijs? tribus obtinetur, primo syrupo magis acetoso, quam in alijs, deinde per medicamēta in maiori quantitate exhibita, exempli gratia, si syrupus in tertiana interpolata sit ℥.vj. in hac febre, debet esse ℥.viij. & aduertatis ne sitis Medici vulgares; tertio præstatur maior coctio per eadem medicamenta pluribus vicibus exhibita, v. g. si in tertiana pura semel tantum in die syrupus exhibeatur, in continua debetis dare bis. Alterum obseruandum in tertianæ curatione est quod magis refrigerandum in hac, quam in tertiana pura, ratio est, quia in tertiana interpolata est quidem ignis magnus, sed non est continuus in tertiana vero continua & magnus est ignis & continuus, ita quod maiori opus est refrigeratione. Cibus pręterea tertianæ continuæ debet esse minor, quam in tertiana interpolata, dico minorem non solum mole, verum etiam virtute, & ratio est, quia in febre continua status est paroxysmus, cum sit acutissimus morbus, & ratione status propinquitatis diminuendus est cibus in hac febre.

Cauendum a principio medicamenta attrahentia. *Cur Auic. id peculiariter in hac febre monuerit, cum sit commune in terpolatis.* *Clysteres frequentiores.*

Oportet etiam magis vti vrinam prouocantibus, ratio est, quia bilis est in venis, & quæ putrescit admixta est sero sanguinis, propter quod lubrica, & facilis est via expellendi per diuretica, per vrinam bilem putrescentem, seu bilem putrefactam. Notandum quoque, vt medicamenta, & cibi polleant maiori vi subtiliandi, ratio est, quia, vt dixi, humores sunt in venis, sunt sanguini permixti, adhęrent tenacier, propterea necesse est attenuare & subtiliare, ita vt facilime separetur bilis putrescens alijs humoribus. Diligenter quoque tertiana continua laborantes vitare debent a principio omne genus pharmacorum attrahentium, quia status est propinquus, & prope statum non est vtendum medicamentis turbantibus; sed dicetis, nonne hoc etiam præceptum fuit in tertiana interpolata, cur igitur Auicen. specialiter in tertiana continua aliud monendum duxit? dico magna ratione impulsum fuisse Auicennam, quoniā cum in tertiana continua a principio materia videatur turgere & furere, posset facile Medicus decipi, & hac ratione medicamenta attrahentia adhibere, quod vt doceret vitandum, voluit precipue in tertiana continua hoc cauendum. Omnibus hisce documentis, & illud necessario addendum esse mihi videtur, vt scil. frequenter clysteribus in hac febre vtamini. Dixi frequenter, quia feces magnopere exsiccantur, quare emollienda sunt intestina, ita quod si in tertiana interpolata clyster fiat altera die, in hac fiat singulis diebus. Erunt autem placidi, ac blandi, quia cum ardor sit maximus & perpetuus, si acriore clystere intestina concitarentur, malum certe augeretur, ea propter contenti eritis clysteribus ex aqua hordei cum oleo, & sacch. rubeo, ex sero caprino, oleo, & saccharo exempli causa.

℞. *Seri caprin lib. j. s.*
Olei viol. lib. v.
Sacch. rub. ℥. ij.
Salis ʒ. j. M. fiat clyster.

Mel in his clysteribus fugiendum.

Mel in clysteribus in hac febre soleo fugere, eo quia facile in ardentibus intestinis acredinem quandam acquirit, ratione cuius acredinis magis stimulat, & stimulando ac dolorem efficiendo febrem auget. Hæc de febre tertiana continua.

CAPVT X.

De febribus ardentibus.

IN febribus biliosis est & altera species, quæ a Græcis vocatur καῦσος Barbari appellant causonidem. Latini communiter vocant febrem ardentem, quia propter ardorem magis lędit, quam propter putredinem, & Cæl. Aurel. lib. 2. de acut. c. 32. verbo quodam Aphricano appellauit flammolam. Arist. dupliciter inuenitur descripsisse hanc febrem. Primum. n. 5. probl. 20. dixit febrem ardentem esse immensam caliditatem cum humiditate. Verum 14. sect. probl. 3. dixit febrem ardentem eam esse, in qua vruntur interiora, & exteriora frigent.

Haud secus Medici nostri dupliciter febre ardente vsi sunt locuti, siquidem interdum accipiunt hanc febrē cōiter, interdū vero accipiunt proprie. Cōiter accepta febris ardentis dicitur oīs febris magna, quā appellabat Hipp. πῦρ, hoc est ignē. Sic inuenietis Gal. & Auic. cōnumerasse febrem

brem tertianam puram inter ardentes. Proprie accepta febris ardens duos characteres hēt peculiares, vt notat Galen 4 de acut. t 5. epid. cont. 3. tex. 34. sitim, inextinguibilem, & calorem maximum, adeo quod vera febris ardens est, in qua sitis maxima, & ardor est maximus. Hęc causus proprie acceptus adhuc duplex est apud Medicos, alius qui vocatur legitimus et verus, alius qui vocatur spurius. Legitima ardens, est ille, quæ fit ex pura bile putrescente, vel in omnibus vasis vel magnis, aut proximis cordi, aut ventriculo, aut iecinori, aut alicui alteri visceri.

Propria acceptio febris ardētis.

Proprius causus, & legitimus.

Ex quo intelligere potestis, quæ sit differentia inter tertianam exquisitam, tertianam continuam, ac febrem ardētem, quia tametsi materia putrescens sit eadem, tamen locus putredinis diuersus est. Febribus ardens spuria est ea, quæ generatur a pituita salsa putrescente in vasis proximis cordi & aliis. Atque hoc non solum confirmatum habetis ab Hipp. 4. de acutis 13. verū etiam 1. de morb. ubi dicebat febres ardētes fieri frequenter in biliosis, sed interdum etiam fieri in pituitosis corporibus.

Proprius causus sed spurius.

Sed circa ea, quæ diximus, tria occurrunt dubia. Primum est, vtrum verum sit, febrem ardentem legitimam oriri ex pura bile putrescente Nam Auer. 3. coll. 4. & 7. coll. 12. monstrare conatus est, duobus argumentis hoc fieri non posse. Primum Auer. argumentum fuit, bilem esse humorem siccissimum, & propterea multum alienum esse a putrefactione, quippe quæ minime soleat tentare corpora siccissima.

Aliud argumentum erat, bilem putam nusquam inueniti in corpore nostro, præterquam in vesica bilis. Quod si quandoque in uenis separatim a sanguine continuo extra venas peruenit, adeo, vt minime possit in venis putrescere & ardentem facere.

Alterum dubium est, an ex sanguine putrescente possit fieri febris ardens, eo, quia sanguis suapte natura calidissimus est, inflammabilis, adeo vt facile accendi, & febrem inducere valeat ardentem.

Tertium dubium est, vtrum ex bile æruginea, & ex bile prassina possit produci febris ardens. Et occasio huius dubii tradita nobis fuit ab Auerr. 4. col. 28. ubi scribit, febrem, quæ generatur ab his generibus bilis non modo ardentem, uerumetiam esse lethalissimam. Ad primum dicendum est, non solum fieri ardentem a bile pura, verumetiam, vt alias dixi, quosdam extitisse, qui dixerunt, ab hac bile putrescente fieri omnes febres. Neque valent quicquā rationes. Auer. 1. quia etsi bilis sit humor potentia siccissimus: est tamen actu humidus, & ideo substantialis putredinis.

Et miror Auer. alioquin oculatissimum, fuisse oblitum illius, quod didicerat ab Arist. 4. meteor. nempe omnia putrescere, excepto igne. Præterea licet bilis pura, non reperiatur in venis dum suam naturam seruat, tamen dum putredinem concipit, a natura separatur a reliquis humoribus, ita quod in venis sola putrescit absque quod sanguis vllo modo putrescat.

Nec valet, puram bilem separatam a sanguine expelli a uenia, quia potest facultas expultrix multis de causis impediri quo minus expellat, nempe copia, angustia uasorum, crassitie, adeo vt eiua rationes admodum infirmæ sint. Ad secundum de sanguine dicendum est breuiter, sanguinem putrescentem non amplius sanguinis nomen mereri, sed conuerti in bilem, & ideo febrem inde ortam esse biliosam non sanguineam, vt alias disputauimus.

Ad tertiam respondere oportet, uere febrem ardentem minime posse fieri ex bile prassina vel æruginea, eo quod nullum viscus sustinere potest huius humoris uirulentiã, vt habetis apud Galen. 2. progn. quo fit, vt semper omnis pars a sese depellat huiusmodi humores, & propterea eum non possit putrescere circa viscera, hinc fit vt legitima febris ardens minime fieri possit ex his bilis generibus, sed fit febris ardens communiter accepta, de qua loquebatur Auer. loco citato.

Præter has causas immediatas febris ardentis sunt etiam quædam aliæ causæ, internæ quidem sed non immediatæ, cuiusmodi est temperamentum calidum & biliosum, sexus uirilis. Nam feminæ interdum tentantur ardente febre, sed plerumque spuria, hoc est pituitosa: viri cōtra potius ardente biliosa, quam pituitosa apprehenduntur. Postremo est ætas, nempe iuuenilis, & puerilis. Senes autem difficilime aut nunquam tentantur febribus ardentibus.

Interna causa.

Neque ualet, quod Hipp. in libr. de aere, aquis, & c. dixerit habitantes plagas occidentales in senectute tentari febribus ardentibus, quoniā id non est ratione ętatis, sed alia ratione explicata ibid. ab Hip. vbi scribit, in his regionibus propter cęli calorē corpora hominum biliosa esse, sed dum senescunt, ipsis aluum astringi, & consequenter bilem retineri, quæ retenta putrescens at dentes febres inducit. Ex causis externis prima est constitutio aeris, sub qua comprehenditur tempus anni & regio, dicebat enim Hipoc. 1. & 3. Aphor. 5 t. nec non 4. de acut. 1. æstate fieri febres ardentes, quoniam venæ exsiccatæ ad se humiditates trahunt, quæ cumulatæ putrescunt & ardentes faciunt.

Causa externa.

Quem locum dum exponeret Gal. dicit Hip. sub nomine æstatis complexum esse omnia tēpora calida, & sicca. Aristotel. ex aduerso prim. sect. probl. 29. & 54. probl. 3. quærens cur in frigidis locis hyeme, & autumno potius causones generentur, scribit hoc fieri propterea, quod per antiperistasin calor febrilis cohibitus & concentratus duplicatur, & per consequens concludit febres ardentes magis fieri hyeme. Nonnulli respondent non quod febres ardentes proptie fiant magis, sed quod quæ fiunt magis durant, quæ responsio tametsi vera esse possit, nihilominus parum Aristotelis literæ accommodatur, nam dicit quod μᾶλλον, seu magis fiat hæc febris in hyeme, ea propter mihi videtur dupliciter respondendum esse vno modo, quod

Num hyeme quā æstate magis fiat febris ardens.

Aristoteles dixit quidem fieri magis febres ardentes in regionibus frigidissimis, verumtamen non negauit, quin etiam fiant in calidissimis, seu in calidis vt loquitur Hipp. Alio modo & respondetur quod febres ardentes quæ fiunt in hyeme sunt magis ardentes, seu vehementiores, duas ob causas; vna quoniam eo tempore fieri non possunt ardentes febres nisi a causa potentissima. Altera est, quoniam hyeme ab ambienti frigore corpora nostra externus condensantur. Quo fit, vt humores biliosi magis cohibeantur, & consequenter magis flagrent & febres maiores inducant. Quare sapientissime locutus est Aristoteles quando dixit in hyeme fieri febres magis ardentes, quod neque Hipp. negauit, quando inquit, duarum febrium magnitudine parium semper quæ fit hyeme prauior est, quam ea quæ fit æstate, ita vt quando dixit locis citatis æstate fieri febres ardentes intelligendum sit fieri frequentius non quod quæ fiunt sint magis ardentes. Exercitationes immodicæ, cibi, & potus maxime calefacientes, vt sunt vina generosa, aromata, cibi acres sunt inter causas externas febrium ardentium.

Signa febris ardentis multa traduntur ab Hip. primo & 2. de morb. lib. de affe. 4 de acut. & similiter & multa hac de re Galenus & Auic. a quibus deinceps sua omnes scriptores acceperunt. Sed inter hæc signa duo sunt potissimum, quæ etiam pathognomica possunt dici, vt calor magnus, & sitis inextinguibilis. Circa quæ signa sunt a nobis duo consideranda, vnum est quod tametsi sitis perpetuo comitetur febrem ardentem, non tamē perpetuo apparet, quoniam vt scribit Hipp. 4. Aphor. 54. 6. Epid. comment. 2. tex. 24. si tussis superuenerit febri ardenti ægri minime sitiunt. Et Auic. afferebat rationem, quoniam per tussim irrigantur pulmones, qui cum soleant præ siccitate & feruore sitim facere, madefacti ab humiditate per tussim destillante, aut nullam aut exiguam sitim inducunt.

Est & altera ratio, cur interdum adsit ea sitis, sed non appareat, sc. quando mens ægrotat; tunc enim etiam si maxime sitiant ægri, præ delirio haudquaquam percipiunt eam. Postremo est obseruandum circa calorem, in ardentibus febrib. semper calorem maximum esse, verum non semper exteriora æque calent, quoniam fit, vt interdum externæ partes ab immenso feruore ita que adeo siccentur, vt humiditas pene omnis absumatur, humiditate consumpta, fit vt calor qui sustentatur humore, non solum debilis euadat, verumetiam interdum pene extinguatur, præter hæc duo signa sunt & alia scilicet pulsus frequentiores quam in sanguinea, celeriores, magis inæquales, vtique tenuiores, non adeo rubræ, neque adeo igneæ, spirandi difficultas, lingua fit aspera vt notat Hip. p. lib. de affect. sicca, nigra, & causam adfert Hip. spiritus caliditatem, Gal. vero 1. de loc. affec. inquit causam illius esse, corporis nimium ardorem. Arist. 34. probl. sect. 4 quærens causam, cur lingua febrem indicet duas adfert vna est, quia lingua superposita est pulmoni, vnde recipit facile spiritus igneos a pulmone exeuntes; altera quia lingua ob suam naturam facile suscipit & ebibit humiditates, quæ humiditates vt indicant febrem, sic & lingua fit interdum lingua vt notat Polybus cum virore pallida. Sed dicet aliquis vestrum, quando cognoscemus febrem ardentem ex bile, & ardentem ex pituita? Domini, nulla fere sunt indicia certa, nisi hæc, quod omnia in ardente ex bile sint vehementiora, quam in ardente ex pituita salsa, vt vigiliæ, inquietudo, adustio, delirium, fluxus sanguinis narium, capitis dolor, temporum pulsatio, oculorū profunditas, etenim a bile vapores qui attolluntur omnes sunt acriores, & calidiores. Nunc videamus signa prognostica. Omnis febris ardens in senibus exitialis est. Et Auic. l. quarti doct. 2. 41. dicebat aut nunquā tentari senes febre ardente, aut si tentantur interire: Tū, quia nunquam fit, nisi a graui causa, tum quia maxime vires seniles debiliores sunt adeo vt nequeant sustinere violentiam febris ardentis.

Cur externæ partes quandoque nō caleāt in causo.

Dicebat Hip. in coacis prænot. febrem ardentem vt plurimum terminari 14. diebus. Imo vero Auic. l. c. dixit ardentem febrem citius terminari tertiana pura, quæ omnia ostendere videntur hanc febrem vere acutam esse, verumtamen contraria est sententia Hip. 3. in 3. epid. tex. 34. quo in loco videtur recensere febrem ardentem inter morbos non acutos, præterea lib. eod. t. 78. enarrāt historiam virginis Abderit. scribit eam laborasse febre ardente, & tamen peruenisse vsque ad 27. diem tex. 80. etiam enarrans casum Herophili eiusd. Abderitani refertur eum cum ardente febre peruenisse vsque ad 120. diem. Quæ omnia probare videntur ardentem febrem non esse semper morbum acutum.

Cur in senibus causus periculosus.

Nū causus semper morbus acutus.

Respondere oportet, ardentem febrem aut esse propriam aut esse communem, seu communiter acceptam. Proprie ardens, siue sit spuria siue propria, quantum ego iudico, semper acuta est, communiter autem accepta non semper acuta est. Sed quid dicemus ad locos Hip.? Galen. in com. illius t. 34 scribit, in aliquibus codicibus desideratam esse particulam illam negatiuam adeo vt Hip. dicat ardentem esse acutam. Quod si particula negatiua conseruanda est, inquit Galen. addendam esse aliam particulam, valde. Perinde ac dicat Hippocr. illas febres ardentes non fuisse valde acutas. De virgine Abderit. & Herophilo respondendum est, vel eas febres non fuisse proprie ardentes, vel non fuisse semper ardentes, sed acutatem fuisse retusam, alioquin tot diebus perdurare non potuissent. Dicebat Alex. Trall. in cap. de feb. ard. spuriam esse magis exitiosam legitima.

Atque hæc sunt signa vniuersalia prognostica. Particularium prognosticorum alia sunt bona, alia vero mala. Bona sunt, si ægri leniter ferant morbum, si symptomata non sint adeo sæua, si sudor appareat in die critica, si facile respirent. Dicebat enim Hipp. 1. progn. 25. optimum esse in omni morbo faciliter spirare. Si in die critica profluat sanguis e naribus copiosus, salutare est; & ita salutare, vt dixerit sapientissimus senex 1. epid. com. 2. t. 63. se neminē vidisse extinctū ex iis,

Signa prognostica in causo bona.

ex iis, quibus e naribus profluxit copiosus sanguis. Si rigor febri ardenti superueniat optimum esse docet Hippoc. 4. aph. 58 quod tamen intelligendum est, si vires ægri firmæ sint. Nam 4. aph. 46. inquit idem, mortale esse rigor superueniat febri ardenti iam debili existente infirmo.

Sudores frigidi cur in causo mali.

Contra signa prognostica mala sunt, si frigidi sudores in febre ardente fiant, vt docet idem 4. aph. 37. Cuius rei attulit rationem Arist. 31. sect. probl. 24. vbi scribit propterea Medicos iudicare prauos sudores in febribus frigidos, quoniam signum est, tantam esse materiam frigidam, quæ cum non possit a febre calefieri, minime quoque concoqui & superari potest. Sic malum est, si ægri difficulter spirent, si inquieti sint, si noctu non dormiant, & præsertim si e naribus sanguis guttatim profluat. Nam si apud Hip. in epid. videatis ægros illos enarratos, vt Silenum, Philiscum, Epaminondam, omnes interierunt, cum ipsis guttæ sanguinis e narib. profluxissent. Sed diceris, quæ est huius rei ratio, vt sanguis guttatim exiens sit adeo exitiosus? Adfert causam diligentissimus Galen. 2. prorrh. 47. vbi scribit exeuntibus sanguinis guttis e naribus, indicari sanguinem quidem prauum esse, veruntamen non posse expelli præ infirmitate naturæ, vt necessum sit, naturam succumbere morbo & superari. Hipp. in lib. de aff. dicebat febrem ardentem facile commutari in peripneumoniam. 2. autem de morbis scribit idem Peripneumoniam minime in febrem ardentem commutari. Hanc diuersitatem cum vidisset Alexand. 2. probl. med. 8. conatus est afferre rationem, sc. commutari ardentem in peripneumoniam, quoniam ob inquietudinem ægrotum bilis facile huc & illuc pellitur, ita vt compulsa quandoque in pulmones, ibi inflammata, putrescat, & peripneumoniam inducat. Contra vero vbi semel bilis in pulmonibus collecta, nequaquam potest aut in corporis ambitum, aut in venas præcipuas detrudi, prius enim consumitur, aut ægrum ipsum consumit.

Curatio febris ardentis dimissa est a Galen. alioquin diligentissimo in 1. ad Glauconem. Ratio, qua motus fuit Galen. potest colligi ab Auicen. primo quarti doct. 2. capit. 42. in principio, vbi scribit curam febris ardentis esse curam tertianæ puræ. Vt, cum iam traditam habeatis curationem tertianæ puræ, possitis etiam quodam pacto ardentis curationem noscere. Verum, cum habeam rationem ingeniorum vestrorum placet etiam aliqua de hac curatione in medium afferre. Nam, cum in febre ardente duo sint quæ lædunt ægros ardor & putredo bilis, putredo lædit quidem, sed minus quam ardor, ea propter scopus quidem debet esse propositus, aut adimatur putredo, sed maxime omnium studendum est, vt immensum incendium compescatur.

Et hoc est quod videtur maxime studuisse Aetius, quando in curatione ardentis febris ex sententia Philomeni Medici, omnem curam conuertit vt ardor extinguatur. Itaque operæ pretiū est, curare, vt aer omni ingenio refrigeretur, vt fugiantur hominū frequentiæ in cubilibus ægrotantium, vt detineatur æger in summa quiete tam animi, quā corporis. Somnus omni ratione conciliandus est, eo magis quod vigiliæ solent in hac febre magnopere vexare, nec timendum est ad conciliandum somnum adhibere quæ multum refrigerent, cum agendum sit aduersus incendia, vnde non immerito, omnes & præsertim Auic. commendarunt in hac febre syrupum de papauere. Curandum vt aluus quotidie fiuat, quare soleo ego in his casibus mandare, vt singula die clysteres infundantur. Rabbi Moyses 20 lib. aph. ex sententia Gal. vult, vt clysteres in ardentibus febribus semper sint ex aqua & oleo puris. Imo Oribas. scriptor egregius lib. 7. coll. med. vbi tractat de clysteribus, laudat etiam vt fiant ex pura aqua frigida. Et ne irrideatis hoc consilium. Quia etsi vulgares solent prouerbio dicere, clystere ex aqua frigida, tamen sunt etiā hi in vsu apud Medicos. Et in his casibus debemus huiusmodi clysteribus vti, quando corpora suapte natura sunt lubrica & quomodolibet vel exiguo stimulo concitantur.

Vinum & aqua noxia febre ardente.

De potu certissimum est, a vino abstinendum esse. Sed addo ego perniciosissimum etiam esse vti sola aqua, quod notare debetis, quia sæpe in hoc errant ægri. Ratio, propter quā nec aqua conuenit in ardentibus est deprompta ex ipsomet Hippoc. qui 3. de acut. t. 40. & lib. 3. de fract. t. 126. clarissimis verbis scripsit, aquam in biliosis conuerti in bilem. Et Cal. Aur. libro secundo, de acutis pass. c. 32. dicebat in corporibus calidis aquam conuerti in bilem. Quare cauete oportet a potu etiam puræ aquæ, loquor de quotidiano potu, quia secus est de aquæ frigidæ potu, de qua mox dicam.

Pro potu igitur ex sententia Auenzoaris laudabat Auet. 7 coll. ca. 12. aquam anguriæ. Et vos exemplo Auenzoaris poteritis vti aqua vel hordei, vel aqua cum aceto, vel aqua per alembicū extracta ex lactuca, endiuia, cucumeribus, posca etiam vtilis est. Inter cibos illi sunt omnib. præferendi, qui facultatem refrigerandi & humectandi habent. Nutrimentum in cibo hac febre laborātium non ita requiritur, quoniam, vt prudentissime dicebat Auic. habet vehementissima accidentia, propterea cito peruenit ad statum, ptisana est huiusmodi, panatellæ factæ ex seminibus refrigerantibus: herbæ decoctæ in iusculis, quæ etiam incoqui possunt aquæ, & aceto ab omnibus dulcibus, oleosis, a pinguibus oportet nempe, quæ in corporibus flagrantibus cito accenduntur, & febrem augent.

Num vena sectio conueniat.

De sanguinis missione video inter scriptores non exiguam controuersiam, nam aliqui voluerunt in hac febre variam esse sanguinis missionem: imo vero laudant, vt mittatur sanguis vsque ad animi defectum. Et in hanc sententiam ducti sunt auctoritate Gal. 1. aph. 23. vbi scribit, in omnibus febribus magnis missionem sanguinis vsque ad animi deliquium, esse omnium maxime præsentaneum remedium, vt cum febris ardens sit febris magna, videatur consilio Gal. requiri magna sanguinis missio.

Sed contra hoc est omnium fere scriptorum medicinæ auctoritas, siquidē nemo fere inueni tur qui sectionis venæ, aut vllius missionis sanguinis meminerit in ardente febre. Quinimo, si rationem spectemus, nequaquam conuenire videtur, quia detrahere sanguinem nihil aliud est, nisi demere frænum bili, adeo, vt multo magis inualescat. Quare in hac re, quæ est maximi momenti, puto necessarium esse, sequi consilium. Auic. & Auer. qui dixerunt in febre ardenti posse aut sanguinem multum esse iunctum bili, aut paucum. Si multus sit, licet sanguinem mittere: Si autem sanguis coniunctus sit exiguus, proculdubio abstinendum est ab omni venæ sectione, ne sic auferatur frænum ipsi bili.

Cognoscetur autem coniunctum esse sanguinem multum bili, & propterea licere sanguinem mittere, si vrina sit turbida & crassa, quod si vrina tenuior sit, si claritatem habeat, si flaua sit, signi est, aut solam bilem abundare, aut exiguum sanguinem ipsi coniungi, & consequenter nullam requiri sanguinis missionem.

Rectus usus aq. frigidæ in caus.

Inter remedia febris ardentis primum locum apud omnes Medicos obtinet frigidæ aquæ administratio, de qua copiosissime plerique Medici locuti sunt, potissimum Gale. 6. meth. 5. Itaq; cum hæc res sit maximi momenti, oportet, vt eius administrandæ rationem doceamini. Est autem omnis ratio perfectæ operationis posita in quatuor rerum consideratione: sc. vt videatis, in quib. ægris seu operari conueniat; quando; quantum & quomodo corpora, in quib. administrari potest hoc generosum auxilium, sunt robusta, iuuenilia, quæ latum pectus habet & in quibus nulla inuenitur interna inflammatio. Senes, pueri, angusti pectoris, & aliqua inflammatione laborantes sunt arcendi ab hoc auxilio.

An in exhibēda frigida sit semper expectanda coctio, negatiuam partē pbat Auer. quinque rationibus.

De tempore constat inter omnes, æstate tantum hoc præsidio esse vtendum. Sed de tempore morbi video aliquam controuersiam esse Gal. enim loco cit. nec non 11. meth. 9. quē secuti sunt plerique, habuit hanc sententiam, apparente coctione morbi ad hoc remedium esse confugiendum, in materia cruda omnino esse abstinendum. Ceterum, Auer. 7. coll. 8. quinque ratio nib. cōfutare aggressus est hanc sententiam: Prima est, quod febribus ardens vsque adeo inimaniter depopulatur corpora nostra, vt si expectanda semper sit coctio, periculum immineat, ne extinguantur ægri, priusquam materia concoquatur. Secunda, vsu & experientia sæpe comprobatum fuisse frigidæ exhibitionem etiam in materia cruda profuisse. Tertia bilem non propterea dici crudam, quia crassa sit, sed quia nimis feruida & nimium acris est. Igitur frigida aqua potius concoquere bilem dici potest, quam secus. Quarta expendendum esse in exhibēda frigida vtrum maius fiat detrimentum an iuuamentum, quando administratur in materia cruda, & si maius est iuuamentum libenter amplectendum esse illud auxilium. Vnde, cum, si exhibeatur frigida in cruda materia, id solum detrimentum mutatur, ne morbus longior fiat: & econuerso morbus miro in modum extinguatur, fit vt iuuamentum sit multo maius quam detrimentum. Postremo ratio est, Rhasen testatum esse aliquando dominum & seruum ægrotasse, atque domino exhibitam statim frigidam salutem attulisse. Seruum fuisse extinctum, quia non data fuerat frigida. Quid igitur in hac difficultate constituendum? Optimi Medici munus est in hoc casu diligenter sp. ctare habitum corporis ægri. Nam si corpus aridum & excarne sit, sitque febris maxima, certe statim ad frigidæ exhibitionem veniendum est, quia periculum imminet, vel a febre occidatur, vel in hecticam atq; marasmum torridum labatur. Sed si æger non ita macer neque ita aridus sit, ac febris paulo mitior, melius est differre huiusmodi auxilium in tempus coctionis.

In habitu feruido, & sicco etiam ante coctionem danda est frigida, si periculum grauioris mali immineat.

Mensura.

De mensura aquæ sumendæ scribit Gale. loco citato & primo de vic. ratione, tantum esse capiendum quantum æger vno haustu potare potest, vel quantum quis vult potare. Auic. lib. 4. fen. 1. doct. 2. c. 7. duo dicit animaduersione digna circa hanc mensuram. Alterum est, tantum aquæ sumendum esse ab ægro, donec totum corpus viride euadat, & refrigeretur ac propterea videtur statuere mensuram heminæ & dimidiæ, quæ est mensura xv. unciarum. sed hæc verba Auic. non sibi consonant, quoniam quantitas xv. ℥ exigua est, neque potest vsque ad tantam frigiditatem deducere, vt corpus viride euadat. Et propterea ego semper existimaui locum illum esse corruptum. Vos videbitis. Mea est sententia expendendum esse præ ceteris, & corporis ægri capacitatem, & consuetudinem, si sit corpore procero & assuetus multum potare, melius est magnam copiam aquæ exhibere quam paruam. Contra qui sunt corpore exiguo, & parum bibunt, iis sufficit mediocris mensura, & maior tamen, quam pro sua consuetudine.

Modus exhibendi est, vt accipiatur aqua gelidissima e medio puteo sum. si sponte non habetur gelida, paretur aliquo ex iis modis quos docui in variis lectionibus ex antiquis. Post exhibenda est frigida siue petant, siue non petant. Nam, scribit Aetius libro quinto, capit. 78. ex sententia Philomeni, scribit etiam Auic. interdum delirare ægros, & propterea non petere frigidam, etiam si egeant. Quo in casu sunt omnino inuitandi ægri ad capiendam aquam. Præterea procurandum est, vt venter sit vacuus, vt non paulatim sumant aquā, sed affatim, hoc est, cum impetu. Aetius loco citato scribit interdum vtile esse aquæ commiscere cyathum olei rosa. Et neque ego damno, quoniam multa bona facit oleum. Excitat magis aluum, & vomitum, & quod caput est, cum frigida neruis, ac neruosis partibus inimica, ita quod possit ventriculum alioquin ardentem offendere, oleum ventriculi parietibus adhærens, tuetur ipsum ab offensione frigidæ.

Sed dicetis: Arist. probl. 37. scribit Medicos consueuisse in febribus exhibere aquam paulatim bibendam, eo quod hunc in modum magis humectat quemadmodum pluuia, si paulatim descendat,

descendat, magis humectat terram, quam si affatim. Vnde cum in exhibitione frigidæ optetur humectatio ratione Arist. videtur potius conuenire, vt paulatim sumatur, quam vt affatim. Dicendum est, aquam potari vel ad sitim extinguendam, vel ad ardorem finiendum. Si sumatur propter sitim, vera est ratio Arist. atque ita faciendum est. Sed si sumatur propter refrigerationes, quemadmodum operatur in ardentibus, multo satius est eam sumere affatim, & cum impetu, quam paulatim. Præter frigidam sunt alia duo remedia, quæ proponuntur a Medicis & vsurpantur, primum est balneum aquæ dulcis; quod quidem in causo legitimo ab omnibus probatum video non solum concocta materia, verum etiam non cocta. Sed tametsi omni tempore conuenire queat, potissimum tamen conuenit apparente manifesta coctione. Sed, vt sæpe dixi, hoc remedium hodie non adeo facile in vsu traheretur, quoniam homines non solent ita frequenter lauare quemadmodum consueuerunt antiqui, & propter illam consuetudinem veteres Medici semper fere balnei mentionem faciunt, tanquam rei vsitatissimæ. Alia remedia sunt epithemata refrigerantia, quorum vsus est, tum supra pectus, tum supra dorsum, tum etiam vt monet Auicen. supra caput. Fiunt ex rebus refrigerantibus hunc in modum.

Num aqua frigida paulatim, vel affatim sumenda.

De vsu balnei aq. dulcis.

℞. Fol portul.
Plantag.
Lactis vitis an. M. j. ß.
Santal. omnium an. ℥. ß.
Fol lapachij.
Malua.
Nymphææ an. M. j. F. decoct. s. a. deinde facta expressione immergantur in ea panni linei vetusti, atque ita parum madefacti, & parum expressi supponantur dorso, pectori, atque etiam capiti.

Epithema pro pectore, dorso, capite.

Aetius circa vsum horum epithematum duo digna animaduersione proponit, vnum est, quod hydrelæum, & oleum tum simplex, tum rosaceum maxime conueniat, præsertim si multum calidum adhibeatur, & si ex alto supra pectus projciatur. Sed huiusmodi consilium nunquam potuit a me probari, 1. quia non video, quomodo oleum vllum ardenti corpori & perusto conuenire possit, cum exploratissimum sit, omnia pinguia promptissime inflammari & acendi.

Quinimo Gal. 2. de simpl. med. circa finem cap. 21. dicebat, oleum minime conuenire in erysipelatibus, aut alijs biliosis fluxionibus.

Aut igitur omnino dimittendum est oleum, aut perexiguum ipsius miscendum est decoctis nuperrime propositis. Scio Alex. Trall. 12 meth. cap. 3. laudasse vsum oleorum pro epithematis tum in causo legitimo, tum etiam in spurio, veruntamen dixit magis conuenire in spurio, quasi etiam dixerit suspectum haberi hoc auxilium in ardente biliosa. Alterum, quod monuit Aetius, est, hæc epithemata refrigerantia conuenire in vigore paroxysmi, non in principio, non in augmento. Et ratio est, quia in principio & in augmento periculum est, ne frigido hoc auxilio materia magis intro pellatur quod quidem non est formidandum in statu, quia tunc calor adeo expansus est, vt potius extinguatur quam intro pellatur. Et hoc consilium ego quoque amplector.

Quod si spectandus sit non scopus refrigerandi, sed scopus euacuandi humorem, feruentem videre oportet quando materia inclinet, siquidem, vt d. Auicen. & Galen. febres ardentes consueuerunt solui aut vomitu, aut sudore, aut alui fluxu, aut sanguinis fluore a naribus. Si enim natura inclinet ad vomitum, prouocandus est aut aceto, vel oxymelle cum iure, aut succo raphani cum iure aut aliquo alio auxilio, quod valeat vomitum concitare. Si natura magis inclinet ad sudorem, is quoque prouocandus vel aqua hordei magna copia sumpta vel integumentis. Sic si natura propensa sit ad sanguinis profluuium, illud pariter prouocandum est vel hirundinibus naribus appositis, vel herba sanguinaria vocata. Si postremo inclinet natura ad alui fluxum, primum paulisper hunc in modum sunt præparandi humores.

℞. Fol endiuiæ.
Portul.
Lactucæ an. M. ß. F. decoct. s. a.
Deinde *℞ dicti decoct. ℥. vj.*
Syr. de papa. ℥. 1. ß. M.

Præparans in causo.

Et notate præparatorias syrupos debere marasmum ordinarium transcendere, propter incendij magnitudinem. Vltimo loco sunt euacuandi. Galen. 4. de acut. t. 7. vna cum Hippoc. laudant duo ad expurgandum humorem in ardente, nempe lac asininum & serum caprinum, oxymelle a caseo separato, nam consueuerunt veteres, quemadmodum nos, expurgare corpora, & præsertim in febribus, sero in magna copia accepto, quippe quod simul & semel euacuat bilem, atque etiam corpora deusta refrigerat. Et ego soleo in his casibus adijcere interdum aliqua, quæ possint vim purgatoriam seri augere: cuiusmodi est syr. ros. solut. manna, & dilutum rhab.

Solet febris ardens & postquam abijt, relinquere in corporibus ægrorum quædam feruoris vestigia, aduersus quæ necesse est, vt medicamentis certetur. Et propterea solemus post febrem solutam vti vel sero ad alteranda corpora in modica quantitate ad libram scilicet vnam. solemus etiam vti confect. refrigerantibus, vt est conser. nymphææ, cichorij. Atque hæc est ratio medicationis veri causi.

Cura causi spurij.

Spuria autem febris ardens, vt d. Alexand. Trall. differentem aliqua ex parte curationem postulat eo, quod differens quoque est ipsius generatio. Nam ut intellexistis, etsi putredinis locus in utraque febre sit idem: diuersa tamen est putrescens materia: cum in vero causo bilis pura putrescat; in spuria putrescat pituita salsa. Pituitam salsam d. Auic. 1. primi doct. 4. c. 1. & primæ quarti doct. 2. c. 39. fieri ex materia biliosa combusta & cinerulenta, aquosæ pituitæ commixta adeo vt secundum Auic. generatio pituitæ salsæ sit similis generationi lixiuij.

Ceterum etsi non diffitear pituitam salsam etiam hoc pacto ab Auic. proposito generari: sum tamen huius sententiæ, generari quoque vbi pituita vel dulcis, vel insipida calore præternaturali, siue sit putredinalis, siue non, magis atque magis excoquitur. Quod me trahit in hanc opinionem est discursus præclarissimus Ga. lib. 3. de alim. fac. c. 3 a. vbi dispurãs aduersus Agallum de salsedinis generatione inter alia scribit in fine illius capitis, etiam aquam puram, vbi nimium excoquitur, salsam fieri.

Si igitur sola aqua sic percocta salsedinem contrahit, cur negare debemus etiam pituitam quæcunque sit salsam fieri, si vehementer coquamur. Quamobrem non dubito, quin pituita, ex qua fit febris ardens, possit salsedinem contrahere alia causa, quam quæ præscripta est ab Auicen. quãquam, vt libere dicam, ea ex qua fit, causus generatur eo pacto quo propositum est ab Auicen.

Cognoscitur febris ardens spuria eo, quod omnia accidentia infert, quæ inferuntur a uero causo, nisi quod omnia remissiura sunt, &, vt dicebar Alex. hæc febris ardens semper exitialior est quam verus causus. Ratio curationis eadem quoque est cum curatione prædicta. Illud tamen interest, dicit Alex. quod in ardente spuria semper minus refrigerandum est, quam in uera ardente. De frigidæ exhibitione in hac febre, nullus locutus est præterquam Alex. qui negauit omnino hoc remedium esse administrandum. Cetera epithemata infrigidantia conueniunt etiam in hac febre, sed potissimum ea, quæ fiunt ex oleis præscriptis ab Aetio, & ipso Alex.

De vsu balnei contradictio euidentissima est inter Galen. & Auicen. Galen. in lib. 3. de acut. sub finem manifestissimis uerbis dixit, in febre ardente spuria minime balneum aquæ dulcis conuenire. Auicen. autem prima quarti cap. 42. scribit non tantum conuenire balneum in hac febre, imo vere magis conuenire quam in ardente legitima, & ratio fauet Auicen. quoniam pituita salsa opus habet attemperatione, nihil autem reperitur quod possit magis salsam pituitam & salsum liquorem attemperare quam aqua dulcis, vt concilientur hæ auctorum sententiæ, debetis ita definire, quod balneum aquæ dulcis possit administrari in causo spurio solum post curationem, ita quod quando Galen. damnat balneum, damnat cruda existente in hac febre materia. Ratio cur post coctionem illud sit adhibendum, est, quia humor hic cum relinquat post coctionem multas reliquias & cineres oportet illos per balneũ, vel exinanire vel demulcere. Et hoc pacto intelligenda sunt Auicenn. verba, vbi in hac febre a natura humores non sint exinaniti, oportet vt a Medico euacuentur: propterea eos prius præparare conuenit hunc in modum.

℞. Fol. cetrach.
Agrim.
Beton.
Puleg. an. M ß.
Fol. endiuiæ M. j.
F. Decoctio s. a.

Deinde *Dict. decoctionis ℥. v.*
Syr. ros. recentis ℥. j.
Syr. de duabus radicibus ℥. ß. M. & fiat potus.

Postquam præparati erunt, purgandi sunt. Pro quorum expurgatione laudabat Gal. vt audiuistis vsum seri, quippe quod sua acrimonia etiam ichores salsos mirum in modum educit. Potest etiam administrari hoc genus medicamenti.

℞. Sebesten N. xij.
Myrabal chebul ʒ. j.
Fol. sena ʒ. j ß. decoct. s. a. in aqua endiuia.

Deinde *℞. Dicta decoct. ℥. iiij ß.*
Rhab. electi ʒ j.
Agar. trochis. ℈. iiij.
Spicæ gr. iij. Infundantur omnia s. a. deinde facta diligenti expressione adde syr. ros. solut. ℥. iij. ß. M.

Post exhibitionem huius medicamenti soleo ego curare, vt tribus, vel quatuor horis sorbeant lib. j. seri caprini. Imo vero, nisi hoc auxilio febris ex toto sit adempta, vsus cõtinuatus eiusdem seri vtilissimus erit. Atque hic finis est earum febrium, quæ a pura bile originem ducunt. Post quas febres sequitur, vt tractemus de his febribus, quæ non a pura bile, sed ab aliis speciebus bilis originem ducunt. Dicuntur autẽ huiusmodi febres cõmuni nomine a Græcis *τριταῖοι νόθοι*, nostri appellant modo tertianas nothas, modo tertianas spurias, quæ omnes & ipsę generationem ex humorib. putrescentibus habent; uel in venis si continuę sint, vel extra venas, si sint interpolatę, Causa autem immediata nulla alia sit, nisi bilis, non quidem vera, & naturalis sed preternaturalis. Et vt veram causam harum febrium cognoscatis, paulisper proponenda est vobis series omnium generum humoris biliosi.

De tertianis spurijs.

Nam

Nam vt inuenire licet apud Medicos tam Græcos quã Arabes & Latinos, bilis siue humor biliosus, aut est vera bilis, aut similis humor bili. Vera bilis siue humor biliosus adhuc duplex est: alia naturalis, alia vero preternaturalis. Bilis naturalis est ille humor, qui in iecinore instar spumæ generatur in fabrica sanguinis, vt plerisque in locis docuit Galen. sed potissimũ in fine libri secundi de facul. nat. Arist. videtur alienã sñiam esse secutus, qui 3. de part. animal. c. 2. scripsit, bilẽ generari in cunctis nostri corporis partibus. Quã sententiam nõ modo damnarunt Medici verum etiam Auer. studiosissimus Arist. lib. 3. coll. ca. 2. Præternaturalis, vt colligere licet ex loco Gale. citato, nec non ex Auic. prima primi, cap. de humoribus, aut fit alterata bilis naturalis substantia, aut fit ex mixtione bilis naturalis cum aliis humoribus. Quæ fit alterata substantia naturalis bilis, appellatur a Medicis vitellina, eo quod valde æmuletur ouorum vitellos.

Et hæc fit, vbi bilis naturalis magis excoquitur. Sed quid dicemus de Auic. qui loco citato scribit vitellinam fieri etiam ex permistione pituitæ & bilis crassæ? Dico, Domini, quod semper dicere soleo Auicen. abusiue locutum fuisse, quasi voluerit huiusmodi bilem naturalem propter aliquem similitudinem cum vera vitellina sic appellare. Quæ fit ex permixtione bilis & pituitæ, adhuc triplex est. Vel enim admiscetur bilis pituitæ, & hæc appellatur bilis citrina (Arabes appellant sitam & bilem maioris famæ, eo quod frequentissime in corporibus nostris generatur) alia vero est, quæ generatur ex permixtione bilis cum melancholia naturali. Et hæc cum raro gignatur in corporibus nostris, nũcupata est ab Arabibus minoris famæ. Alia est, quæ fit ex permixtione sanguinis & bilis naturalis, quæ nullum proprium nomen adepta est, præterquam sanguinis biliosi.

Bilis non vera sed similis veræ, efficitur in ventriculo potissimũ, vel propter caliditatem ipsius, vel propter caliditatem ciborũ. Et hæc bilis propterea sic vocatur, quia quodã pacto æmulatur ipsam bilem, non quod sit vera bilis. Si enim fiat ex moderato calore, vocatur prassina seu porracea: sin efficiatur a maiori calore, nuncupatur bilis æruginosa. Si adhuc fiat ex maximo calore appellatur bilis isatodis, eo quod suo calore imitetur succũ illius herbæ, quæ vocatur isatis, quæ appellatur a Latinis glastum. Igitur sicuti vera tertiana, vt audiuistis, fit ex putrescente bile naturali, pari pacto tertianę omnes spuriæ fiunt ex bile præternaturali, putrescente, siue sit bilis vitellina, siue citrina maioris famę, siue citrina minoris famæ, siue etiam sanguis biliosus.

Differentiæ bilis non veræ.

Ex bile non vera sed verę similis fiunt aliæ febres, quæ sunt deterrimæ, & quæ ęmulantur naturam ipsarum tertianarum, non sunt tamen neque legitimæ tertianæ, neque spuriæ: adeo vt, quemadmodum audiuistis, causa immediata & interna ipsarum tertianarum spuriarum nulla alia sit, quam bilis præternaturalis, quæcunque sit: & propterea omnis temperatura, quæ ferax est huius bilis iure putatur esse causa mediata harum febrium: cuiusmodi est temperatura, quę partim pituitosa & biliosa est: aut partim melancholica & biliosa. Vnde inter sexus maxime fœmineus expositus est his febribus: sicut etiam inter ætates senium, atque ętas cõsistentiæ, maxime a febribus tertianis nothis tentari consueuerunt. Et quod dico de his causis internis tam mediatis, quam immediatis, idem quoque existimandum est de omnib. causis externis, scilicet eas maxime producere spurias tertianas, quæ non vnum genus humoris accumulant, sed plura, vt sunt, quæ generant pituitam, melancholiam, bilem, quemadmodum inter causas externas febrium similium tertianis nothis potissimam partem habent edulia calidiora, & præsertim salsamẽta omnia, cibi acres, cuiusmodi sunt porri, allia, cepæ, Nã qui victitant huiusmodi cibis, solent frequentissime exerceri febribus tertianis, quæ aut iugulant aut protrahuntur, aut corporum temperamenta valde deprauant. Dubitare posset aliquis vestrum circa causarũ tractationem, an possit fieri tertiana notha ex flaua bile, & melancholia, & an possit fieri ex bile prassina, æruginea & vitellina. Quod ad primum dubium, neque Galenus, neque Auicẽ. videntur expresse hæc docuisse, accedit & ratio, quia non videmus probe commisceri posse corpora sicca, dicebat ille, quin potius pugnent humẽtia siccis, igitur cum melancholia sit humor maxime siccus, & bilis etiam sit humor siccus, non videntur isti humores posse cõmisceri. Quod ad secundum dubium pertinet, non videtur etiam fieri posse tertiana notha a bile æruginea, aut prassina, ratio est, quia isti humores, adeo naturæ sunt inimici, vt non possint tamdiu sustineri intra venas, vt incipiãt putrescere, quemadmodum est mos interpolatarum, Dicebat. n. Auerroes, & fuit etiam. Gal. sententia, quod natura semper repellit humores tanquam prauos a mẽbris præcipuis. Ex altera parte est Auic. qui videtur hanc sententiam habuisse, quod hæc febris possit fieri ex prassina bile, Immo vero Galen. 12. meth. refert historiam pueri, qui in febre multam bilam ęrugineam euomit, ita quod videatur rationi contentaneum esse, febrem ortum duxisse ab hac bile. Auenzoar lib. 3. tract. 1. c 7. scribit, non modo ex hisce humorib. notham tertianam fieri, imo tradit signa, quibus eam cognoscere possimus, & sunt quod in huiusmodi febrib. omnia accidentia existant praua, magna inquietudo, magna sitis, magna mentis alienatio, vigiliæ, pulsus parui & duri, vrina nigra: ita quod grauissimus ille auctor manifeste videtur sensisse, quod ab his humorib. fiat febris. Pro prima dubitatione, resolute dicendum, posse tertianam hanc fieri ex putrescente bile, & melancholia, sed rarissime contingere, & quando fit, fieri solet ex melancholia naturali, & ex melancholia humidiore: quod autem Galen. & Auicen. hoc non tradiderunt, non est propterea asseuerandum id fuisse negatum ab ipsis, neq; valet ratio, quod sicca difficulter insimul misceri possint, quia tametsi humores huiusmodi (vt superius ẽt adnotauimus) sint potentia sicci, sunt tamen actu humidi. Ad secundũ dubiũ, dicendũ

Causę immediatę, & internę tertianarũ spuriarum.

est etiam ex his humoribus fieri febres sed rarissimas esse, & pauco tempore durare vt. n. humores illi a natura expelluntur aut iugulant, & quando fiunt febres illæ, nullum typum seruāt, non apparent veræ tertianæ. Ita quod tertiana notha licet potissimum fiat ex pituita, & bile putrescentibus simul commixtis, potest tamen fieri ex alijs humoribus bili permixtis. Galen. 1. ad Glauc. 8. circa signa tertianæ nothæ maxime laborandum præcipit, vt possit distingui a tertiana pura, hac ratione, quod non minus differant hæ duæ febres signis, quam curatione.

Diff. inter tertianā & spuriam et legitimam.

Quam obrem videndum est diligenter, quæ sint signa huius febris spuriæ. Et, vti incipiamus ab actionibus læsis, capitis dolor grauatiuus & extensiuus solet peculiariter in hac febre esse, eo quod flatus multi feruntur in caput, qui distendentes membranas dolorem faciunt.

Vultus non admodum extenuatus, vel depressus, vt in pura ob incēdium. Inappetentia quoque sitis. Pulsus in febre tertiana spuria est quidem velox, sed non ita celer, neque ita magnus, quemadmodum in legitima. Vrinæ citrinæ sunt crassæ, in quibus tarde apparet coctio: vultus non ita extenuatus est, quemadmodum in pura. Neque etiam calor adeo acris, & mordax est, vt in tertiana exquisita.

Febres extēsæ apud Gal. quæ.

Signa a bile vitellina.

Quod ad paroxysmum pertinet, incipit paroxysmus tertianæ spuriæ cum lenissimo & mitissimo rigore, aut cum horripilatione. Durat frequenter 18 horis, quandoque 20. quandoque pluribus, atque hæ sunt febres illæ, quas Galen. 2. de diff. feb. 8. & 6. epid. com. 1. t. 23. appellabat extensas contra Agathini sententiam, qui volebat nullas febres extensas appellari. Definit hæc febris raro cum sudore. Si fiat a bile vitellina cognoscitur, quia bilis euomitur vitellina, vrinæ & fæces æmulantur colorem vitelli ouorū. Si fiat a bile facta ex permistione pituitæ, cuiusmodi frequentissime contingit, cognoscitur, quia & tēperamentum, & ætas, & regio testatur prouentum pituitæ: quemadmodum si fiat a bile ex permistione melancholiæ, cognoscitur, quoniam mixta sunt symptomata melancholia cum symptomatibus biliosis; adeo vt mæror & mæstitia appareant. Si fiat febris a bile non vera cognoscitur prauitate symptomatum, cognoscitur vomitu, nam refert Concil. d. f. 91. sese vidisse quendam laborantem tertiana, qui liberatus sit, postquam euomit porraceam bilem. Præterea cognoscuntur hæ febres, quia adumbrant quidem naturā tertianarum, tñe, vt dicit Hip. sunt τριταιοφυεῖς Verum non ex toto paroxysmum habent tertianarum. Omnis febris tertiana, modo intermittens sit, periculo vacat, vt habetur apud Hip. 4. aph. 43. verumtamen cum hæc febris longa esse soleat, ita, ut dixerit Galen. sese vidisse tertianam vsque ad sextum mensem protractam, fieri non potest, quin aliquando sit periculosa; quoniam sicuti contingit, vt qui longum iter faciunt sæpe impingant & fallātur, haud secus in morbis longis fieri non potest, quin erratur vel ab ægro, uel a Medico, vel ab adstantibus, ita, vt morbi alias salutares periculosi euadant.

Troguostica.

Curatio harum febrium non admodum difficilis, exceptis tamen febribus factis ex bile æruginea, prassina & isatodi, quippe quas scribit Auenzoar lib. 3. tract. 1. cap. 7. esse deterrimas atq; deceptibiles & fraudulentas. Igitur in curatione tertianarum notharum diligenter debetis vigilare, cum frequentissime contingat. Scopus autem præcipuus est, vt refrigeretur quidem & humectetur; sed non adeo, quemadmodum in tertiana pura. Præterea cum putredo fiat ab obstructionibus, & obstructiones a materia viscida & crassa, indicatio quoque oritur incidendi, attenuandi, & aperiendi.

Materiæ autem quibus auxiliandum est in his febribus, sunt inprimis illæ, quæ pertinent ad Diæteticum fontem, vnde prouidendum est, vt aer temperatus sit, scilicet neque nimium frigidus neque nimium calidus, & ratio est, quia cum forma febris indicet refrigerandum, materia vero indicet calefaciendum, debent semper scopi esse permixti. Somnus & quies maxime omnium necessaria sunt. Addebat etiam Galen. 2. ad Glauc. 10. calefactionem & fomentationem hypochondriorum esse vtilissimam. Abstinendum est ab omni animi motu. Et præ ceteris mandat Galen. 1. ad Glauc & cum Galeno Aetius lib. 5. ca. 80. & Paulus lib. 2. cap. 20. vt mollis aluus seruetur clysteribus, neque admodum validis, neque admodum lenibus, propterea potentis boni in modum clysteres parare.

℞ Seri cuiuscunque vel decocti communis lib. 1. ß.
Elect. lenit. ʒ. vj. vel diaphanici ʒ. iij.
Ol. violat. ℥. v.
Mellis rosati, vel etiam sacchari rub. ℥. ij.
Salis ʒ. j. Misce.

Circa cibum duo animaduersione digna monet Gal. 1. ad Glauc. Vnum est, in hac febre neque multum esse nutriendum neque etiam parum. Non quidem multum; quia augetur morbus non parum, quia cum morbus sit longus vires non possent sufficere, propterea media quadam via incedendum est, vt scil. moderate nutriantur ægri. Aliud monet Galen. quæ fuit etiam sententia Auicen. vt ægri tantum altera quaque die nutriantur, sed huiusmodi præceptum difficile est tempore nostro obseruare, præsertim propter mulieres quę timent semper ne ægri fame pereant. Quare vos in his casibus considerare debebitis, vtrum accessio futura sit longa necne. Si sit longa licebit vel ius aliquod lene dare, vel modicum ptisanæ liquidæ semel aut bis, adeo, vt possint vires sustentari. Quod si breuis esset paroxysmus, licebit etiam die paroxysmi nutrire, iis tamen seruatis, quæ alias a me didicistis. Debet autem cibus esse aut panatella cum iure & sem. melonum, aut ptisana aut cremor auenæ; quemadmodum proponit Alex. Et Gale. cum videret ptisanam solum in his febribus non ita accommodatam esse

iube-

iubebat, vt admiscerentur vel piper, vel hyssopus, vel spica nardi. Sic etiam conueniunt carnes auicularum, oua sorbilia, Fructus nullo pene conueniunt. Et si quæ concedendi sunt, debent comedi, vt præcipiebat Alex. lib. 12. cap. 6. ad vaporem.

Pro potu minime vinum conuenit, nisi apparente aliqua coctione. Loco vini conueniet, vel ius longum vocatum, vel aqua cocta cum cinnamomo, coriandro, aniso. Alex. vt iam moneo ost, damnat Gal. quod in febre tertiana, in qua bilis putrescit, vsus sit medicamentis calefacientibus qualie est piper, hyssopus & spica nardi, & subiungit multo melius esse vti [illegible] quales est radix apij, decoctio acetosæ, porri, & anduam.

Sed peccant Alexandrini duobus. Primum, quia damnant Galen. cum non esset damnandus. Nam & ipse met Galen. ad Glauc. ab monet, vt abstineatur a calefacientibus, & exsiccantibus. Quod si vtitur pipere, hyssopo, & nardo, vtitur illis in parua copia, & vtitur cum ptisana, vt [illegible] glutinem, & humiditatem ptisanæ. Deinde peccat Alexand. quia ipse vtitur magis calefacientibus, quam Galen. siquidem, vt videre potestis simpliciter & a de alimis [illegible] medicamenta, quæ maxime calefaciunt, porrum etiam est ex iis, quæ calefaciunt tertio gradu. Quo igitur vultu potest Alex. arguere Gal. quasi vtatur nimis calefacientibus, cum ipse vtatur calidissimis.

Post victum restat, ut cogitandum est de sanguine mittendo. Nam Gal. loco citato scribit, si mittendus est sanguis mitti oportere statim in initio.

Quam sententiam secuti sunt & Aetius & Paulus; imo etiam ipse Auic. Sed video ingeniosum hic dubitatum esse, quomodo fieri possit, vt Gal. hoc loco laudare debeamus, quoniam a 2. meth. [illegible] expressissime, opinionem esse mittere sanguinem in omni febre putrida. Si igitur hoc verum est, cur hoc loco dicit, si mittendus est sanguis? quasi velit docere, non esse mittendum sanguinem in febre putrida.

Dico, Domini, hunc nodum forsan ab aliis non ita consideratum, secus intelligendum esse quam intellexisse videtur Auicen. qui prima quarti doctrin. 1. capite quadragesimo secundo, dicit mittendum esse sanguinem, si vrina crassa sit & rubea. Nam nihil aliud voluit dicere Galen. quam quod si vires, ætas, tempus anni, & alia permiserint, vt mittatur sanguis, mittendum esse in primis diebus.

In quibus sectio venæ conueniat.

Locus mittendi est a vena communi in viris brachij dextri, in mulieribus, & præsertim deficientibus menstruis, a uena poplitis aut malleoli.

Quantitas sanguinis mittendi vnde sumatur.

Quantitas sanguinis mittendi sumenda est ex dispositione corporis, & plenitudine ipsius, adeo, vt a robustioribus corporibus, & a sanguineis plus: ab aliis vero minus detrahatur. Galen. loco cit. 1. ad Glauc. scribit, sese experientia didicisse, in his febribus curandis [illegible] potissimum semper contulisse, scilicet oxymel simplex atque etiam compositum. Nam ita ego intelligo apud ipsum oxymel simpliciter prolatum. Aliud est genus medicamentorum lenientium, quæ appellat ipse ὑπάγοντα, hoc est subductoria, & addit Galen. huiusmodi medicamentis sese consueuisse vti frequenter. Vnde colligere potestis eos aduersus Galen. ire, qui damnant in curandis febribus vsum frequentem medicamentorum lenientium, cum ipse dicat sese vti illis frequenter. Et non est dubitandum quin ipsius verba sint intelligenda de febribus, quoniam hæc expressissime dixit de curatione tertianæ nothæ: quamobrem statim atque vobis continget adire ægros hac febre laborantes, nisi aluus fluida sit Galen. poteritis statim aluum lenire hoc pacto.

> ℞. *Flor. cassiæ ℥. viij.*
> *Mannæ electæ ℈. iiij. Misce & cum sacch. fiat bolus.*

Et notate, Domini, me inuenisse vsu & experientia maxime accommodate cum cassia mannam ad leniendam aluum, quod forsan non ita faciebant priores. Quod si potum magis amat æger.

> ℞. *Mannæ electæ ℥. v.*
> *Vel syr. ros. solut. ℥. iiij. ß.*
> *Seri caprini optime depurati ℥. v. vel vj. M. & fiat potus.*

Sed aduertite, quoniam ea quæ fiunt ex succo rosarum hoc sit syr. siue mel non possunt omni tempore eadem mensura recte operari, quia hoc tempore quando hæc medicamenta sunt vetusta, opus est maiori dosi; quando vero hæc medicamenta sunt recentia, quemadmodum sunt tempore æstatis, ac tempore autumni, tunc in minori dosi exhibere oportet, quia efficaciora adeo, vt si eo tempore exhibentur ℥. iiij. aut v. syr. ros. solut. aut mellis ros. sol. his temporibus debeant exhiberi, non tantum ℥. v. sed etiam interdum ℥ vj. Lenita aluo, præparandi sunt humores. Et ratio præparandi tota capitur a natura illius humoris a quo fit febris. Vnde cum sit humor compositus, plerumque opus est, vt præparatio quoque ex medicamentis mixtis conficiatur. Poteritis itaque sic præparare.

> ℞. *Fol. origani.*
> *Hyssopi.*
> *Ceterach.*
> *Cuscutæ an. M. ß. f. decoct. s. a.*

Deinde
> ℞. *dicti decoct. ℥. vj.*
> *Syr. de end.*
> *Oxym. simpl. an. ℥. j. M.*

Quod si febris facta esset ex mixtura bilis, & humoris melancholici, opus esset adhibere in præpa-

præparando, quæ respiciant hunc humorem, vt est borrago, melissa, buglossum, & syr. ab his herbis appellati. Postquam præparati erunt deueniendum est ad eos expurgandos. Sed optabitis scire, quibus indicijs cognoscendum, quando præparati sunt humores? Alex. Trall. dixit cognosci præparationem humorum ex motu ipsorum, quia vbi sunt præparati ad expulsionem, mouentur modo ad viscera, modo ad articulos, modo ad alias partes. Sed hoc indicium propositum ab Alex. minime firmum est 1. quia hoc indicium potius pertinet ad humores turgentes, quam ad præparatos. Præterea sæpe fit vt humores sint parati, & tamen quieti sint. Quamobrem duo alia sunt multo efficaciora indicia: vnum est ex diminutione sympt. Quotiescuuque enim sympt. febris minora euadunt, signum est, materiam iam a natura deuictam esse, & propterea concoctam. Atque domini hoc est, quod voluit docere Gal. 9. met. 5. quando scripsit ex pulsu cognosci coctiones. Nam ideo cognoscimus ex pulsu coctionem, quia vbi cocta materia diminuuntur symptomata, similiter quoque remittitur impetus pulsus, & conseq. eo remisso cognoscimus materiam esse coctam. Aliud indicium est ab vrina, quia vbi primum vrina crassa est, & absq; sedimēto, si fiat tenuior, si in ipsa appareant sedimenta, docent materiam esse coctam. Neque valet quod scribit Alex. in cap. de febribus quotid. vrinam esse signum infirmissimum, eo quod a victu facile mutetur quoniam etsi aliqua mutatio possit in victus ratione variare vrinas: non tamen omnis mutatio, neque etiam semper delinqnūt ægri in victu, quinimo ad Medicum pertinet, perspicere si ægri quicquam peccent.

Quibus indicijs cognoscēdum, quādo satis præparati sint humores.

Pro purgatione Gal. in 1. ad Glau. 10. videtur laudasse medicamenta vocata ὑπάγοντα, hoc est, quæ subducunt tantum aluum. Alexan. autem laudat scammonium. Sed cum nos habeamus medicamenta admodum benigna, quæ correspondent ὑπάγουσι Galen. multo securius est, hæc adhibere, quam scammoniata, & præsertim in primis purgationibus. Sunt autem benigna medicamenta, sena, Polypod. sebesten, tamar. myrob. carthamus agaricum, rhab. Et inter comp. syr. ros. solut. mel. ros. solut. Inter mitia quoque recensetur manna. Poteritis igitur prima vice sic purgare.

℞. Polypod. ℥. j. ß.
Myrobal citrin.
Emblicorum an. ℥. j. ß.
Sem. citri ℥. ß.
Fl. cordial. P. j. fiat decoct. s. a.

Deinde *℞. dicta decoct. ℥ iiij. ß.*
Agar. trochisc.
Rhab. electi an. ℥. j.
Squinanthi gr. iiij. Infundantur omnia s. a. Deinde facta expressione adde.
Mell. ros. sol.
Mannæ elect. an. ℥. j. ß. Misce.

Sed quia morbus longus est, neque tota materia potest vnica purgatione educi, ea propter operæ pretium est iterum humores præparare, quæ præparatio fit tum medicamentis internis tum externis. Externa medicamenta sunt fomenta, de quibus cum loqueretur Gal. 11. met. 14. & 1. ad Glauc. 10. dicebat, ad concoquendos humores maximum adiumentum adferre hypochondriorum fomentationes prudenter administratas. Igitur intrinsecus poteritis huiusmodi syrupis vti:

Quibus facienda secūda purgatio.

℞. Radic. fœnic.
Petroselini an. ℥. ß.
Ciceris rub. P. ß.
Fol. capill. Ven.
Quinque foly.
Scolopend.
Cichory an. M. ß f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. decoct. ℥. v.*
Oxym. comp.
Syr. de quinque rad. an. ℥. j Misce.

Post purgationem vniuersalē laudat Gal. fomenta hypochond.

Extrinsecus conuenit hoc fomentum.

℞. Fol. maluæ.
Lapathi.
Meliloti an. M j. ß.
Fol. absynthy M. j.
Fl. chamom.
Viol. an. P. ij. Bulliant in sufficienti quantitate aquæ communis ad consumptionem quartæ partis: deinde cum spong ijs fiat de more fomentum hypochondrijs.

Vbi iterum erunt præparati humores, necess. erit eos denuo expurgare. Et hac secunda vice licebit paulo vehementioribus medicamentis vti. Vnde etiam scammoniata adhiberi poterunt. Exempli gratia.

In secunda purgatione licet vti scāmoneatis.

℞. Diaphen.
Elect. ros. Mes. an. ℥ ij.
Diacathol ℥. viij. M. & f. bolus,

Quod

Quod si magis potum dilexerit æger, hunc in modum parabitis.

℞. Rhab. electi.
Agar trochisc.
Epithym. an. ℈. iiij.
Squinanthi gr. iiij.
Decoct. cordial. ℥. iiij. ß. infundantur omnia. f. a. Deinde facta expressione adde.
Confect. hamech. ʒ iij.
Diasebesten cum scammon. ʒ. j. ß.
Syr. ros. solut. ℥. iij. M. & f. potus.

Post hanc secundam purgationem si forte non cessauerit febris, vt sæpe solet, non desistendum est ab his rebus, quæ vim habent aperiendi, vt sunt iura medicata, cum rad. petros. fœnicul. asparagi. I[illegible] in his casibus soleo ego feliciter vti decocto sarsæ, quippe quod tam aperiendo, quam sudorem prouocando efficacissimum sit ad debellandos pertinacissimos humores. Habent omnes febres diuturnę, & præsertim tertianæ spuriæ id fere peculiare, vt viscera maxime labefactent: veluti ventriculum, iecur & lienem; propterea enitendum est medicamentis tum internis, vt visceribus subueniatur. Quamobrem si ventriculus sit læsus, hoc est, frigidior & humidior redditus, intrinsecus poteritis vti vel diaspolitico, vel diatrionpiper. vel aromat. ros. Exempli gratia.

Purgato corpore viscera manent plerumque labefactata.

Ventriculi roborans puluis.

℞. Sacch. ros. antiq. ℥. ij.
Specierum aromat. ros. ʒ. j.
Pulu. coriand. præpar.
Piperis albi crasso modo contusi an. ℈. j M. partiantur in quatuor partes, ac singulo mane tribus vel quatuor horis ante cibum sumatur pars vna.

Linimētum pro stomacho.

Extrinsecus poteritis huiusmodi medicamento vti.

℞. Ol. mastich. ℥. ij.
Succi nucis Myristicæ ʒ. j. ß.
Ladani ʒ. j.
Piperis albi.
Cinnamom. an. ℈. ß.
Ceræ q. s. fiat linimentum.

Quod si iecur sit violatum, illi pariter subueniendum est, & intrinsecus & extrinsecus. Intus conuenit huiusmodi mixtura:

Iecur confortans optata.

℞. Conf. cichorij ʒ. 1. ß.
Conf. rosarum ʒ. ß.
Specierum diarrh. Abbatis ʒ. j.
Pulu. hepaticæ ℈. ij. Misce. & quarta pars singulo mane sumatur tribus horis ante prandium.

Linimētum pro iecore.

Extrinsecus poteritis vti hoc linimento:

℞. Vnguenti santal. ℥. j. ß.
Succi cichorij.
Absynthij an. ʒ. iij.
Pulu. hepaticæ ℈. ij.
Aceti q. s. M. & f. linimentum.

Si lien in febre male sit tractatus, similiter & internis, & externis remedijs agendum erit. Inter externa remedia hoc linimentum est accommodatissimum:

℞. Ol. cappar. ℥. j. ß.
Pulu. tamarisc.
Scolop. an. ʒ. j.
Aceti parum, cum cera f. linimentum.

Linimētum pro splene.

Et notate, Domini, quemadmodum alias docui, lienē non tantum sustinere, verum etiam postulare remedia efficacissima. Vnde si præscripta non contulerint, poteritis etiam adijcere prædictis rebus pulu. colocynth. pulu. vtriusque hellebor. nam hæc magnopere valent. Intrinsecus conuenit huiusmodi confectio.

℞. Conf. borrag.
Buglossæ an. ℥. j.
Pulu. cetrach.
Pulu. radic. cappar.
Pulu. tam. an. ℈. ij. M. & capiatur, ut dictum.

Cōfectio pro liene.

Sed aduertite, morbos, qui contrahuntur a liene, in his diuturnis febribus esse plerumque contumacissimes, & vis eundere ægros, quin vel in hydropē, vel in aliam ægritudinem decidant. Vnde necessarium est, pertinaciter aduersus has affectiones certare. Et quod ego quotidie experior maxime valere, est vsus chalybis præparati in substantia, qui quoniam pariet vobis & gloriam & lucrum, docebo breuibus eius conficiendi modum. Nam dupliciter soleo ego curare, vt præparetur. Vnus modus est, vt lima chalybs in puluerem redigatur; deinde capitur ille puluis, & in aceto ponitur per 5. vel 6. dies & noctes. Deinde ablutum illud medicamentum exten-

Modus præparandi chalybē duplex.

exteuditur supra pannum lineum, & in vmbra ad exsiccandũ reponitur post super ipsum spargitur puluis caryoph. atque ita commixtus cõseruatur, & appellatur chalybs præparatus. Vsus autem huius est, vt pro captu ægri a ʒ.j. ad ʒ.ij. sumatur vna cum modico vel sacch. ros. vel sacch. borrag. vel conf. cichor. & vsus est, vt capiatur quinque horis ante prandium; deinde si fieri potest moderate æger exerceatur, vel, si est sine febre, ambulet æger quantum fieri potest. Alter modus efficacior & delicatior præparandi est, ut capiatur frustum chalybis integrum & ponatur in ignem vsque quo maxime incandescat, vbi autem valde candens euaserit extinguitur vel in vino maluatico, si æger sit sine febre & sine iecoris incendio, vel extinguitur in succo limonum, atque ita fit nouies, vel decies, quo peracto deinde capitur vel illud vinum maluaticum, vel succus limonum, & ponitur in phiala vitrea ad alembicum, donec totus ille humor consumatur, quo consumpto remanet puluis quidam subtilissimus, qui puluis deinde læuigatur vel cum succo limonum, uel cum vino maluatico, ita vt redigatur ad formam & naturam veluti farinæ cuiusdam.

Hunc in modum præparato vtor itaq; capio vel ʒ. ß. vel ℈. ii. prædicti pulueris, atque commixtos hos scrupulos pulu. modicõ conf. cichorij, vel modico sacch. ros. trado deuorandum ægris quatuor vel quinque horis ante prandium: & post deuoratum hunc bolum, iubeo superbibat æger, vel ius galli antiqui, vel ius pulli medicatum cum rad. suprascriptis. Nam inueni, Domini, huiusmodi medicamentum non tantum ægris non esse iniucundum, verum etiam efficacissimum esse, & vtilissimum. Et eius vtilitas exploratur ex ipsis fæcibus, quia sine fastidio, & detrimento ægrorũ solent educi fæces copiosæ, nigræ, fœtentes tam a priore puluere, quam a posteriore. Sed magis a posteriore.

CAPVT XI.

De febribus quartanis.

Absolutis febribus, quæ a flaua bile oriuntur, postulat ordo seruatus etiam a Galen. 1. ad Glauc. ut de illis febribus tractemus, quæ ducunt originem a melancholia, hoc est, a bile atra. Vocatur hoc genus febrium a Græcis communi nomine τεταρταῖος. Latini appellant quartanam. Vnus Plinius inter Latinos lib. 7. capitu. 50. vocat hanc febrem quadrimam. Et, ut hoc obiter discatis, puto ego hanc esse illam febrem, quam veteres & præsertim Lucil. & Plautus vocarunt querqueram, ab illo scilic. tremore & frigore, quod vehementissimum sustinent quartanarii.

Febris querquera quæ.

Est hæc febris intemperies calida totius corporis, affligens quālibet quarta die. Causa immediata huius febris est melancholia siue humor melancholicus putrescens aut intra venas, aut extra venas. Si in venis putrescat, fit quartana continua. Sin autem putrescat extra venas, fit quartana interpolata. Sed vt ueram naturam huius febris compertam habeatis, videre oportet quot sint genera melancholiæ, & ex quibus fiat vnaquæque species quartanæ Galen. lib. de atra bile, & 4. aph. 23. nec non etiam Auicen. 1. primi. c. de hum. docuerunt duo esse summa melancholiæ genera, alia est melancholia naturalis, hoc est, quæ secundum naturæ cursum in omni homine generatur; alia vero est præternaturalis, quæ generatur in corporib. nostris præter naturæ intentionem. Melancholia naturalis est illa, quę generatur in iecinore & tanquã fæx efficitur in ipsius sanguine.

De specieb. melancholiæ.

Scribit Gal. hunc humorem proprie vocari solere succum melancholicum. Ego autem inuenio Hipp. lib. 4. de morbis circa principium & medium uocasse hunc humorem aquam, ubi scribit lienem esse receptaculum aquæ; sicut cor est receptaculum sanguinis. Cur autem Hip. siue Polybus auctor illius libri, sic appellauerit melancholiam naturalem, nihil certi comperio, nisi dicere velimus huic humori commixtam esse magnam copiam aquę, quod cum intellexisset Arist. probl. par. 9. probl. 5. dicebat eorum, qui laborãt liene, cicatrices nigras esse, quoniam sanguis illorum aquosus est, quasi etiam Arist. cognouerit sanguinem melancholicum seu melancholiam esse humorem aquosum.

Melancholia naturalis quę sit. Cur Hip. melãcholicum succum vocet aquam.

Melancholia præternaturalis solet appellari communiter; a scriptoribus atra bilis. Dico communiter; quoniam vt annotauit Gal. loc. cit. Medici plerumque abutuntur his vocib. quia & melancholiam naturalem vocant interdum bilem atram, & præternaturalem vocant succum melancholicum. Hæc bilis atra efficitur tum ex bile flaua combusta, tum ex sanguine deusto, tum etiam pituita assata. Et præter has species melancholiæ est quædam alia species, quæ vocatur a Medicis sanguis melancholicus. Sed percunctabitur aliquis vestrum, quæ sit differentia inter sanguinem melancholicum, & melancholiam. Hic, domini, est modus differentiæ horum humorum, quod sanguinis melancholicus, uel effluit e venis, statim coagulatur, quemadmodum omnis sanguis: melancholia ubi est extra uenas, minime coagulatur sed diffluit, & potius, ut sic dicam, aquescit. Ad hæc melancholia præternaturalis si spargatur supra terram, fermentat ipsam, mordet ut acetum, & splendentem habent colorem & idcirco his indiciis ut notat

Melãcholia pręternaturalis.

Differentia inter melancholiam & sanguinem melancholicum.

notat Gal. 4. aph. 23. poteritis cognoscere humorem purum a sanguine impuro; Bilis seu melãcholia naturalis hanc habet facultatem vt sit frigida, & sicca, atra bilis calida & sicca, sanguis vero melancholicus potest esse & frigidus & siccus, & calidus & siccus, prout ipsi magis commiscetur, aut atra bilis, vel melancholia naturalis.

Ex quonam genere melãcholiæ fiat vnaquæque quartana.

His itaque constitutis melancholiæ generibus videndum est, e quonam genere fiat vnaquæque quartana. Galenus secundo de different. febrium quinto, necnon 3. progn. 17. similiter tertio aph. vigesimo secundo, scribit ex melancholia naturali fieri quartanam legitimam, ex me lancholia præternaturali fieri quartanam spuriam; adeo, vt ex omnibus his locis, præterquam ex 2. progn. 27. liceat colligere, duo tantum esse summa genera quartanarum, quæ a melancholia efficiantur. Sed quanquam de quartana legitima a nemine dubitatum esse inueniatur; obseruo tamẽ dubitatum esse de quartana illegitima & spuria, scilicet virum ex omni genere melancholiæ præternaturalis efficiantur quartanæ illegitimæ. Arabes in hanc sententiam iuerunt, tum ex sanguine combusto, tum ex flaua bile deusta, tum ex pituita assata fieri febrem quartanam spuriam. Sed ex altera parte non videtur fieri quartana ex bile combusta; quia huiusmodi bilis, vt docet Gal. lib. de atra bile, est humor maleficus mordax, acris; vt nequaquam videatur aptus ad inducendas illas febres.

Quod etiam non possit fieri ex pituita assata, clarissime demonstratur, quoniam pituita, vt denatur & transeat in atram bilem necessarium est vt primo transeat per medium, nam nihil potest transire immediate a crudo penitus ad adustum. penitus igitur necessarium est transeat per medium coctum: Si pituita assari non potest, nisi prius in bilem cõuertatur, sequitur quod non possit dici, quartanam febrem fieri ex pituita assatá. Nec dicat aliquis, pituitam comburi, ex combustione remanere aliquid, quod est tanquam cinis; propterea quod verum quidem illud est, sed cinis hic pituitæ, nequaquam dici potest humor melancholicus, eo quod retinet naturam solius pituitæ.

Itaque videtur definiendum esse, febrem spuriam generari posse ex melancholia naturali combusta, ex sanguine melancholico combusto: non autem ex vllis alijs bilis atræ generibus quia sicuti videmus melancholiam ex bile deusta genitam vlcera teterrima inducere: sic videtur rationi consentaneum, vt, si putresceret hæc bilis extra venas, omnia teterrima symptomata induceret: Sed, cum hæc sit resoluta veritas, videtur tamen adhuc ingens scrupulus remanere, quoniam Gal. 2. de diff. feb. 5. & 9. nec non loco citato ex progn. manifestissime testatur, ex cõbusta quoq; bile generari quartanam. Nonnulli recẽtiores, inter quos fuit Altimarus, dixerunt duplicem esse quartanam spuriam, aliam, quæ fit a melancholia naturali exusta, atque hanc esse illam, quæ fit a principio; aliam autem esse, quæ minime fit a principio, sed post alias febres longas, siue vt dicit Hipp. in epid. per abscessum.

Responsio Altimari duas patitur dubitationes.

Atque hanc dicunt isti fieri ex omni melancholia deusta. Vnde de hac Galenus loquens dicit fieri ex omni humore combusto, atque etiam ex bile, de ea vero, quæ fit a principio dicebat fieri ex bile naturali combusta. Sed pace huius viri grauissimi hæc sua responsio multas patitur dubitationes: vna est quod si Gal. 2. de febrib. loquutus esset de quartana solũ, quæ fit a principio, eo in capite diminutus fuisset, probo quia quartana quæ fit a principio rarissime fit, ergo Galen. eo in loco, vbi profitetur hãc tractationem solum tractauit de ea, quę fit rarissime, quod non est dicendum, preterea responsio hęc non tollit adhuc scrupulum, nam vt dicit Galen. 2. progn. 27. melancholia, quę fit ex bile deusta, est malefica, mordax, rodit partes, in quib. colligitur, igitur si fieret quartana ex hac melancholia, necessario corroderet venas in quibus colligitur, & partes ad quas mittitur putrescens. Sed scio tamen responsurum esse aliquem pro Altimaro, hęc melancholia ex bile deusta in venis commixta est sanguini, cum commixta sit sanguini, eius prauitas a sanguine corrigitur ita ut non possit corrodere neque aliud malum facere: rum aduersus hanc responsionem adhuc insto, quia vbi est in venis hęc melancholia, aut seruat propriam naturam, aut non seruat; si seruat propriam naturam, igitur debet corrodere, & malum facere, quia est malefica dicit Galen. si non seruat propriam naturam, neq; debet facere quartanam, quę sequitur naturam melancholię: preterea vbi hęc materia transmittitur a natura a venis extra venas ut faciat febrem procul dubio est separata a sanguine, si est separata a sanguine & putrescit vt in febre, necessario debet corrodere, & propterea deberet in his febribus apparere copia vlcerum prauorum quapropter mihi videtur clare constare, non posse fieri quartanam spuriam ex melancholia genita a flaua bile deusta, vt dicũt fere omnes. Sed quid dicemus ad duos illos Galeni locos.

An quartana possit fieri ex flaua bile deusta ac sanguini commixta, ita ut eius prauitas a sanguine remittatur.

Dicendum esset, duplicem esse combustionem: aliam in qua tota res comburitur, & in cinerem redigitur, aliam vero esse, in qua minime tota res comburitur. Exemplum affero clarissimum. Dum ligna comburuntur, vel tota consumuntur ita, vt nihil remaneat preter cinerem qui frigidus & siccus est, vel minime tota comburuntur, sed remanent carbones atri & combusti, qui calidiores sunt ligno, nam citissime accenduntur, idem quoque contingit in humoribus, cinis minime conseruat integram naturam illius rei, ex qua factus est, sed carbo, qui minus combustus conseruat integram naturam. Quando igitur Galen. scribit fieri quartanam ex flaua bile combusta, intelligit de ea combustione in qua solus cinis relinquitur, non autem de ea combustione, in qua relinquitur veluti carbo humoris. Nam etsi fiat ex illo cinere quartana non est tamen malefica; quia ille cinis non retinet naturam bilis deustę. Secus autem est, si fieret quartana ex carbone ipsius bilis. Hanc rem veram esse experientia ipsa vberrime docet. Sed

Flaua bilis duobus modis põt vri.

si videatis

si videatis locos illos Gal. 2. de feb. cap. v. & 9. hanc nostram interpretationem ab aliis non propositam, spero videbitis clarissime expressam.

Sed adhuc instare aliquis posset, hanc interpretationem minime veram esse, quia Gale. loco citato ex lib. prognost. scribit quartanam fieri ex eodem humore, ex quo generatur lepra, & generantur cancri. Sed lepra & cancer sunt morbi sæuissimi. Ea propter videtur generari ex melancholia turpissima & deterrima. Respondeo, locum illum Galen. intelligendum esse non de identitate speciei, sed potius de generis identitate, quasi dicere voluerit Galen. humorem, ex quo fiunt quartanæ lepra, & cancer, esse quidem melancholiam præternaturalem non autẽ dixit esse prorsus eandem speciem melancholiæ præternaturalis, adeo, vt iam intelligere possitis, humorem ex quo fiunt quartanæ febres, vel esse melancholiam naturalem, & ex hac fieri quartanas legitimas & exquisitas, vel esse melancholiam præternaturalẽ, & fieri quartanas spurias; quæ melancholia si putrescat in venis, facit continuam, si putrescat extra venas, facit interpolatam. Sed quartanæ legitimæ, vt dicit Galen. & Auenzoar, rarissime fiunt, quoniam vis inuenitur in corporibus nostris vnquam cura melancholia naturalis. Sic etiam quartanæ continuæ rarissimæ obseruantur. Et huius raritatis duplex ratio est. Vna, quia humor melancholicus cum sit terreus, frigidus, & siccus semper in comparatione aliorum paucissimus est in corporibus nostris, adeo vt vix vnquam sufficere possit ad faciendam continuam & longam putredinem. Alia ratio huiusce raritatis est, quoniam hic humor maxime infestus est ob sui prauitatem omnibus membris, propter quod natura nunquam patitur eum copiose cumulari in ipsis venis, vt sufficere possit ad faciendam continuam febrem: & ideo facile videre potestis, ad generandas febres quartanas, maxime omnium accommodatam esse temperaturam corporis melancholicam inter causas febris quartanæ mediatas vt dicebam, i. est temperatura frigida & sicca, scil. melancholia similiter habitus corporis hispidus, durus, niger, adeo, vt vere dixit Theod Priscianus in lib. 4. suæ medicinæ, quartanam a veteribus fuisse putatam Saturni filiam. eo quod Saturnus ab Astrologis perficitur humori melancholico. Aetas similiter connumeratur inter has causas, de qua Hipp. in lib. de septiman. & Gal. 3. prog. 28. dicebat ætatem consistentem esse quartanis maxime obnoxiam. Sed Auenzoar loco citato & Gal. 1. ad Glauc. 6. hoc videntur tribuisse potius ætati senili, quæ quidem diuersitas conciliatur ab Aetio lib. 5. capi. 83. vbi scribit, omnes ætates obnoxias esse huic febri: quanquam Domini, diuersitas est, quia ætas pueritiæ minime ratione ætatis hac febre exercetur, quia vt scribit Hip. 1. prognost. & 1. de nat. hum. potissimum fit quartana post 30. annum. In pueris igitur fit quartana vel propter sanguinis vitium quo nutritus est infans in vtero, vel fit propter insignem ingluuiem illius ætatis, quoniam pueri cum voraces sint, multos crudos humores gignunt, ex quibus multa fæx remanet in generatione sanguinis & propterea non paucus generatur humor melancholicus. Febres erroneæ, & longæ, lienis tumores inter has causas recensentur. Sed dubitari potest, si habitus durus, hispidus & niger est inter has causas, qui fieri possit, vt interdum videantur corpora sanguinea colorata maxime quartanis tentari? Fuerunt aliqui recentiores, qui videntes hãc difficultatem, dixerunt in huiusmodi corporib. membra alioquin bene cõstituta attrahere quicquid boni succi inest venis, & eo nutriri relinquere autem succus deteriores, ex quib. excitantur febres.

Diff. quartanæ.

Cur quartanæ continuæ rarissimæ sint.

Causæ internæ mediatæ.

Aetas pueri lis tantũ ex accidẽti subiecta est quartanæ.

Sed hæc responsio non tollit difficultatem, quandoquidem corpora bene constituta minime succos prauos in ea copia producunt, vt possint sufficere huius febris generationi. Præterea dicit Hip. in initio lib. de humor. colores cutis demonstrare dominium humorum. Vnde si color in cute floridus est, videtur necessum, optimos succos in venis esse debere. Quamobrẽ multo satius est, dicere, vbi hæc corpora tententur quartanis febribus, fieri illud propter malam viuendi rationem quam dicebat Gal. lib. de boni, & mali succi cibis, cap. 2. etiam optimas naturales constitutiones destruere.

Inter externas causas primum est aer frigidus & siccus, vnde autumnus maxime omnium ferax est quartanarum: sicuti neque bruma, neque hyeme unquam fiunt, ut proditum habetis apud Plinium lib. 7. cap. 50. vehementis animi motus facile quartanas inducunt, veluti timor, mæror, profundæ cogitationes. Præcteris usus vinorum crassorum, &, vt dicit Auenzoar, vsus carnium, & piscium salitorum maxime faciunt ad quartanarum generationem, quæ quartanç, vt dicit Galen. 2. de diff. feb. 5. facile cognoscuntur. Nam primum si spectemus signa, quæ sumuntur ab actionibus lęsis, quartanarij mæsti sunt, timidi, aut vigilant, aut somnos turbulentos habent; appetitus ab initio diminutus est, post initium solet fieri maximus, quod docuit Hippoc. 7. epid. exemplo Onesianacti, & Polychari. Causa huius rei, quoniam initio ventriculus oppletus est pituita, quæ appetitum habeat, & qua consumpta progressu febris appetitus excitatur.

Causa externæ.

Quartanas esse facile cognitu.

Cur in initio quartanę appetitus imminutus post fiat maximus.

Pulsus tardus, rarus in principio accessionis, deinde veloces & frequentes sed multo minus quam in tertianis. Deiectiones paucissimæ sunt, & quæ deiiciuntur, nigræ sunt, & aridæ. Vrinæ tenues, crudæ, subrissæ. Et quemadmodum dicit Gaalenus 1. ad Glauc. 6. nec non Auerroes 4. col. 30. variæ sunt. Galenus in lib. de typis inter alia signa febris quartanæ recẽset πτυελισμὸν, hoc est frequentem expuitionem. Nam quartanarii ob frequentes cruditates solent laborare ventriculi humiditate, cuius comes est πτυελισμός.

Adhæc in paroxysmis quartanarum initio rigores parui sunt, adeo, vt Galenus 2. de cris. 3. dixerit. se neminem vidisse quartanarium, in quo febris initio habuerit magnos rigores quo fit

vt ma-

vt imitari soleam Fernel. aliquoi diligentissimum, qui dixit, quartanam inchoare semper a frigore magno. In augmento & statu calor est quidem blandior quam in tertiana & ardior quam in quotidiana, veruntamen neque ipse iucundus est. Et Galenus 2. de sympt. caus. 5. dicebat esse calorem quendam mixtum, cum frigore. Nam, si spectemus materiam ex qua fit quartana, frigida est, & ratione sui inducit frigus in corporibus febricitantium, perinde ac frigent corpora vel sub aere maxime frigido, vel percussa a grandine, adeo vt sæpe huiusmodi materia vincat calorem febrilem, aut saltem superet, atque ita apparet calor veluti frigori commixtus.

Calor i quartana mixtus cum frigore.

In declinatione apparẽt sudores pauciores quam in tertiana, & dicebat Rhasis 9. Cont. in his febribus minimam partem vaporum pertingere ad musculos; & propterea pauciores fieri sudores toto tempore quartanæ. Calor corporis huidus ac ferè vt plurimum plumbeus. Ab accidentibus intrinsecis consequentibus ægri corpus, sunt hæc signa, ætas senectus, anni tempus autumnale, temperamentum frigidum, & siccum, studium vitæ. Et inter alia consuetudo patiendi. Nam dicit Auic. inter alia signa febris quartanæ esse consuetudinem eam patiendi. Circa quod dubitari iure potest, quoniam Aetius lib. 5. cap. 83. dicebat, hoc peculiare habere febrem quartanam, vt quicunque ab ea semel liberati sunt, nunquam amplius tenientur. Quod si verum est, falsum est, quod dicit Auic. inter alia signa esse consuetudinem patiendi.

Num quartana semel quis tantũ in vita tẽtetur.

Respondendum est, duplicem esse, quartanam, aut legitimam aut illegitimam. Legitima, vt audiuistis, est illa, quæ fit ab initio, & quæ fit ab humore melancholico naturali: spuria autem & illegitima est illa, quæ sequitur alias febres, & quæ generatur a melancholia præternaturali. Iam vero quod dicit Auic. verum est quidem, de quartana legitima, de qua locutus est ipse Aetius. Ceterum quod dicit Auic. de consuetudine patiendi, verum est de quartana spuria: nempe, quam non solum semel, verum etiam sæpius hominem afflixisse exemplis cognoui possumus quoque dicere, exquisitam quartanam aut multum durare & perfecte curari, aut nõ multum durare: ea quæ multum durarit & perfecte sanata fuerit, amplius non redit, quæ vero non fuerit perfecte curata solet reuerti. Sed dicetis, quæ est ratio, cur a quartana semel integre liberati nunquam amplius ab ipsa excruciamur. Triplex vt ego puto, ratio huius est. 1. quoniam vt scri. Gal. 2. de dif. feb. in quartana nil vnquam relinquitur putridi in paroxysmis: sed propter lõgitudinẽ mala tota materia euacuatur & consumitur, adeo, vt impossibile sit, vbi semel hæc materia sint consumpta, vt amplius in ea copia cumoletur, quæ possit satis esse ad generandã nouam febrem: Secunda ratio est, quoniam hic humor paucissimus est in corpore nostro, atq; et omnibus facultatibus aduersissimus, vt vbi semel fuit consumptus, nõ patiantur facultates iterum ipsum congregari. Tertia ratio est, quoniam longo quartanarum tædio fiunt homines in victu cautiores & prudentiores, vnde postmodum non ita facile committunt errores, qui possint nouam febrem generare: Quæ febris, vt dicit Hipp. 1. Epid. com. 3. t. 4. longissima est, facillima atq; etiam securissima: Nam longissima est, quoniam non solum perdurat per annum, verum etiam per duos, per decem annos. Et nisi fallor, referunt aliqui, se vidisse quartanam interdum durasse 30. annis. Ratio longitudinis est, quoniam, vt dicit Plat. in Tim. fit hęc febris a terra, hoc est, ab humore terrestri, præterquam quod homines in his febribus manifestos errores committunt, qui efficiunt vt continuus fomes febri suggeratur. Sed obiiceret hic aliquis, quomodo scribat Hip. in fine lib. de carnibus seu de principiis febrem hanc duabus hebdomadis iudicari. Respondeo ipsum in lib. de carnib. loqui de æstiuis, de quib. mentionem faciens 2. aph. 25. inquit, Aestiuæ quartanæ breues. Est etiam facillima, quoniam, vt scribit Galen in com. loco citato ex Hip. habet interualla integerrima, adeo, vt liceat homini in his interuallis cõsuetas omnes actiones obire: quod cũ cognouissent legislatores, sanxerunt nõ licere quartanariis sese excusare, quo minus vocati compareant in iudicio. Est ẽt securissima, quoniam vt dicit eloquentissimus Celsus lib. 3. c. 15. non tantum quartana, quantum sit ex se, neminem iugulat, imo vero a multis aliis morbis liberat.

Prognostic.

Cur quartana illegitima quandoque vsque adeo duret.

Sunt autem hi morbi relati ab Hippocrat. 6. in 6. epid. t. 7. vbi scribit, quartanam liberare a melanchulia, ab epilepsia, a lepra, a vitiligine, & aliis similibus. Neque vero, Domini quod Hippocrates 3. in 3. epidem. tr. 70. dicat in ea pestilenti constitutione complures quartanarios interiisse, quoniam id quidem verum fuit, veruntamen non illi interibant, propter febres quartanas, sed moriebantur vel ob pestis violentiam, vel ob alios morbos. Et hoc est argumentum summi Hippocr. iudicii qui non sine ratione significare hoc de quartanariis, quippe qui cum deberent ratione febris quartanæ esse immunes a morte tamen ianua erat prouinas illius constitutionis, vt etiam quartanarii ab illa cõsumerentur. Est tamen sciendum, vt notat optime Galen. in com. loco citato non esse semper tutam quartanam, eo quia si in quartana adsit tumor vel lienis, vel iecoris periculum est, ne febricitantes ex his malis labantur in immedicabiles hydropas: quemadmodum etiam dixit Aetius lib. 5. cap 84 ex sententia Rufi. Et quod dico de quartanis cum tumoribus lienis, vel iecoris, idem quoque existimandum est de quartanis continuis, nempe, quæ periculosæ sunt, sicuti etiam periculosæ sunt & duplices & triplices quartanæ, & præsertim, quæ interdum hyeme contingunt: vt habetis apud Hip. in coacis prænot. Etsi vt heri dicebam, Hip. dixerit quartanam esse facilimam curatu, attamẽ vsque adeo difficilis putata est ab omnibus antiquis, vt conuersi sint in curanda quartana ad superstitiones, &; quemadmodum dicebat Democritus, ad appellationes.

Quartana securissima omnium cẽsenda.

Causa autem propter quam quartana vsque adeo curatu difficilis videtur multiplex est, in

primis

primis difficultatem facit materiæ ipsius conditio, quandoquidem humor, ex quo fit quartana, crassus est, viscidus, tardus, ita vt via moueat naturam ad sui expulsionem: vt propterea Plato in Timæo dixerit omnes morbos, qui fiunt a melancholico humore esse curatu difficilimos & quanto magis irritantur medicamentis, eo fieri deteriores. Alia causa est corporum adstrictio, siquidem corpora quartana febre detenta mirum in modum adstricta sunt: vnde cũ nulla efficiatur transpiratio, consequenter contingit, vt corpora in dies magis repleta febrem hanc foueant. Tertia causa est tempus quia cum quartana plerũque fiat autumno aut ineunte hyeme, his temporibus compertissimum est omnes morbos contumacissimos esse. Postrema causa est viscerum debilitas, quia cum quotidie in his corporib. fiant cruditates, cõsequenter crudi succi cumulantur, vnde morbo fomes & longitudo subministratur. Itaque cum difficilis sit quartanæ curatio, & quandoque dixerit Plinius medicinam nostram clinicem vocatam in curanda quartana nihil valere, eo acrius incumbendum est vobis, & discatis rationem expugnandi hunc pertinacissimum morbum, de cuius curatione loquens Auerr. 7. collect. 14. dicit curam quartanæ febris esse pene contrariam curæ febris ardentis, quia quemadmodum, vt audiuistis curatione febris ardentis, magis attendimus morbo quam materiæ: ita in curanda quartana magis incumbendum est materiæ superandæ, quam ipsi febri. Vnde cum in omni febre primus scopus sit refrigerare, in hac secus videtur. Imo vero Hipp. in lib. de locis in homine, cũ diceret omnem febrem egere frigefactione, excipit quartanam quasi in hac præcipuus scopus minime sit frigefactio. Quam rem cũ forsan etiam intellexisset Arist. 1. prob. penult. dixit, quartanam in sui curatione opus habere multo igne, vt debilis ipsius calor a multo calore euincatur. Quapropter cum materia quartanæ sit crassa, viscida & frigida, & in summa, terrestris, præcipui scopi esse debent, vt hæc materia incidatur, attenuetur, detergatur, & etiam moderate calefiat. Quod cum fieri possit multis modis, in primis procurandum est hoc facere victus ratione. Vnde victus ratio ea instituenda est in primis, quæ possit omnibus his scopis sufficere. Sed vt prudentissime docuit Auicen. 1. quarti tractat. 2. cap. sexagesimo quarto, cum variæ sint species melancholiæ, ex quibus generatur quartana, illud ante oculos habendum est, vt semper vnicuique speciei accommodetur non tantum propria victus ratio; verumetiam conueniens aliorum remediorum administratio.

Cur quartana curatu difficilis.

Arist. dicebat quartanam multo igne esse curandam.

Victus ratio.

Ceterum, quia cunctatum prope norma & regula est, ea quartana, quæ fit a melancholia naturali, & quæ propterea legitima nuncupata est: de hac primum sermo habendus est, in cuius curatione eligere oportet aerem calidum, moderate humidum. vigiliæ & somnus modum non excedant; & si peccandum est, potius in somno, quam in vigilijs faciendum est.

Ab omni motu in die accessionis abstinendum est, alijs diebus, vt heri dicebam, licet non modo corpus mouere, & exercere: verumetiam cunctas consuetas obire functiones. Ab animi vehementibus motibus cauere oportet, præsertim a mærore, timore, a profundis cogitationibus & studijs. Aristoteles loco citato volebat in die accessionis, quartanarios debere lauari, verum loco balnei Galen. videtur potius commendare frictiones, licet illud assuetis ex toto non prohibeat. Sed cum a nullis Medicis hoc propositum videam, cogor damnare potius, quam probare hoc consilium. Aluus mollis semper est seruanda. Sed memoria tenendum semper est, quod docuit Galenus primo ad Glauconem. 11. & Auicenna loco citato, nempe primis diebus vtendum esse mollibus clysteribus, deinde descendendũ esse ad acriores. Et notate, in quartanarijs hoc maxime necessarium esse, quoniam sua pte natura aluos adstrictas semper habent. Igitur poteritis, in primis diebus huiusmodi clystere vti:

℞. Fol. brassicæ.
Lapath.
Viol.
Maluæ an M. j.
Anisor. P. j. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. decoct. lib. j. ß.*
Mellis viol. ℥. iij.
Butyri recentis ℥. iiij.
Salis ʒ j. M. f. & clyster.

Et notate etiam, semper clysteres debere habere vim aliquam flatus discussoriam quoniam corpora febricitantium quartanæ semper plena sunt flatibus. Alijs diebus poteritis vti hoc acriore clystere:

℞. Fol. betæ.
Maluarum an. M. j. ß.
Fol. senæ ℥. ß.
Anisorum P. j. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. lib. j. ß.*
Hieræ simpl. ℥. ß.
Sacch. rubri ℥. iij.
Ol. chamom. ℥. v.
Salis ʒ j. M.

Vinum quomõ, & quale conueniat

Insuper cauenda est nimia repletio in hac febre; simul etiam nimia inanitio. Vinum in hac febre, non prohibetur, nisi in die accessionis. Imo potare debent laborantes vinum mediocre,

maturum,

maturum, tenue, quod minime adstringens sit. De cibis, dicit Auicenna, oportere cibos, quibus nutriendi sunt quartanarij, esse attenuantes, minime crassos, nec non bonum sanguinem generantes, & flatu discutientes; Quare opus est, vt panis eligatur leuis, optime fermentatus. Vt abstineatur ex Galeni consilio ab omnibus vetustis, crassis, siccis: cuiusmodi sunt quadrupedes omnes, montanæ, lepores, capreoli, apri & similes. Eligendæ sunt carnes, quæ faciles sint coctu, quæ humectent, & moderate calefaciant.

Cibi qui conueniant.

Pisces etiam littorales conueniunt, sed a palustribus & lacustribus abstinendum est. Præterea Galenus laudat carnes & pisces salitos; imo vero scribit Alex. lib. 12 capit. 8 sese multos curasse solo vsu salsamentorum, quod an sit verum, Deus nouit. Aromata moderate etiam conueniũt, oua sorbilia, & temulæ.

Inter fructus licet quandoque vti illis, qui sunt maturi & iucundi, vt sunt pruna dulcia, persica matura, poma matura, & præsertim apia, pepones.

Ex herbis conueniunt borrago, buglossa, & melissa, &, vt summatim dicam, ea omnia edulia sunt respuenda, quæ, vt docebat Galenus, grassa sunt, viscida, nec non etiam dura.

Sed circa hæc Galen. verba oritur præclara quædam & obscura dubitatio. Nam Galenus 1. ad Glauc. c. 11. postquam damnauit edulia crassa, viscida & tarde penetrantia, addit abstinendum esse ab omnibus frigefacientibus & humectantibus. Huius consilium, vt ego puto, amplexus Auer. loc. cit. dicebat, in curatione quartanæ opus esse aperire, attenuare, incidere, minime autem refrigerare & humectare.

An ab omnibus frigidis & humidis abstinendum.

Ceterum aduersus hanc citatam Gal. sententiam primum inuectus est Alex. Trall. qui cum videret humorem, ex quo fit quartana, siccum esse, dixit, humectantibus opus esse, & propterea Galenum male prohibuisse frigefacientia & humectantia.

Alex. caluma.

Post Alex. Auicen. in loco citato non tantum non prohibuit frigefacientia, & humectantia, imo vero his vtendum esse præcepit. Hanc non aspernandam contradictionem cum animaduertisset Nicolaus Leonic. vir medicinæ peritissimus, transferens in latinum Gal. loc. citatum putauit contextum ipsius mendosum esse, & ideo loco humectantibus restituendam esse vocẽ exsiccantibus, quasi consilium Gal. sit, vt abstineatur ab omnibus refrigerantibus & exsiccantibus, quemadmodum etiam consuluit Auic. Andernacus etiam, qui transtulit in latinum Aeginetam, cum vidisset eadem verba Galeni & Pauli esse, Leonicenum secutus transtulit & ipse non humectantia, sed exsiccantia.

Error Leoni.

Error Andernaci.

Altimarus non ita pridem cum non vidisset Galenum Græcum, & forsan etiam Græcæ linguæ ignarus esset, ausus est dicere, Alex. Trall. gratis damnasse Galenum, quippe qui ea non dixerit, quæ ipsi imputauit Alex. Et hoc fecit bonus vir, quia legerat tantum interpretationem Leoniceni. Sed, Domini, omnes hi vehementissime sunt hallucinati.

Error Altimari.

Primum hallucinati sunt Leon. & Andernacus, quia omnes contextus eodem modo se habent, quo se habet vulgatus codex: scilicet abstinendum esse a frigefacientib. & humectantibus. Imo vero si videatis Oribasium, Aeginetam & Aetium, qui omnes ipsissima verba Gal. transposuerunt in sua com. omnes habent, quemadmodum habeatur hodie in omnibus codicibus Græcis. Hallucinatus etiam est Altimarus, quia vere Alex. imposuit Galeno. Nam Galen. verba non alia sunt, neque esse debent, quam quæ habentur, quanquam si Altimarus voluisset videre interpretem antiquum, qui solet esse integerrimus, clare comperisset apud Gal. legendum esse a frigefacientibus & humectantibus. Vt proposita dubitatio diluatur, duobus modis responderi posse puto. 1. est, verba hæc Gal. nempe abstinendum esse a frigefacientibus & humectantibus dupliciter capi posse, vel enim capi possunt coniunctim, vel seiunctim. Si capiantur seiunctim, vere quidem imposuisset ipsi Alex. quandoquidem falsissimum est, & a ratione alienum, vt in quartana non iuuent humectantia, sed si coniunctim accipiantur, nihil habet Alexand. aduersus Galenum, quia si rem ipsam expendamus, saluberrimum præceptum est, vt abstineatur a frigefacientibus & humectantibus. Nam etsi quæ refrigerant & humectant, possint in quartana prodesse ratione humectationis multo tamen magis nocent ratione frigiditatis, quippe quia humor melancholicus a frigefacientibus miru m in modum congeletur, adeo, vt tota curatio reddatur multo difficilior. Quare si, vt dicebam, & vt conuenit, intelligamus Galen. verba coniunctim, non tantum nihil habet Alex. aduersus Galenum, imo vero necessarium præceptum est, vt abstineatur ab ijs, quæ simul frigefaciunt & humectant.

Responsio ad Alex. calumniam.

Sed est & alia responsio ad Alex. calumniam, quod humor melancholicus est congelatus a frigido & sicco, si igitur debet dissolui, procul dubio dissolui debet calefacientib. & attenuantibus, nam metalla, quæ concrescunt frigido & sicco, vt est aurum, argentum, & alia clarum est, quod dissoluantur igne, minime vero aqua calente, ignis non est calidus & humidus, igitur quæ concrescunt frigido sicco, dissoluuntur calido sicco tenui. Sed humor melancholicus, vt dixi, crassefactus est frigidus & siccus, ea propter dissolui debet calidis & siccis tenuib. propter quod iure Gal. vsus est calidis & siccis, vt puta salsamentis, pipere, theriaca, succo cyrenaico, & tãdem omnibus medicamentis exsiccantibus, damnauit frigefacientia & humectantia, quod scilicet illa melancholiam attenuant & dissoluant, hæc vero magis congelent. Quam rem cum ita esse intellexisset Auer. loco citato scripsit in quartana curanda opus esse aperire, subtiliare, incidere, minime vero refrigerare, & humectare. Quid dicemus ad Auic. qui explicatissime 1. 4. tract. 2. c. 64. laudat cibos refrigerantes & humectantes? dicendum est loqui ipsum de melancholia facta ex bile, sic enim ipse infra sese explicat in eodem capite.

Alia responsio.

Humorem melancholicum dissolui calidis & siccis tenuibus.

Gal in curatione quartana vtitur calef & exsiccantibus.

Responsio ad Auicennam. Interdum autem vtuntur calefacientibus & humectantibus, quod dixit quoque Arist. 1. problem. penultimo, quando scripsit victum quartana laborantium debere esse mixtum ex rore & igne, hoc est, esse calidum & humidum. Interdum quoque videbitis Medicos vsurpare ea, quæ frigefaciunt & humectant, scilicet habita ratione variarum quartanæ specierum. Sed cur dictū est supra, modo conuenire calida sicca, modo calida humida? Resp. conuenire illa pro attemperando humore, hæc vero pro dissipando & euacuando.

An in quartana initio vtendum victu tenui vel pleno. In hoc victus quartanariorum negotio est altera dubitatio vtilissima in praxi, nempe an in principio huius febris sit vtendum victu tenui, an potius victu pleno & liberali? Galenus, Oribasius, Aetius & omnes Græci, imo vero etiam aliqui Arabes in ea fuerunt sententia, initio nunquam vtendum esse victu tenui in hac febre. Imo vero Arist. loco citato dixit, nullo tempore in quartana vtendum esse victu tenui.

Huic opinioni fauet in primis auctoritas Hippocratis, qui perpetuam hanc legem tulit, ne in morbis longis initio victus tenuis administretur. Valet quoque ratio, quoniam sicuti qui longum iter sunt facturi, opus est, vt vires validas perpetuo habeant, haud secus in morbis longis prospiciendum, ne vires in principio, aut alio tempore decidant.

Ex altera parte est Auicenna, qui existimauit, initio huius febris tenui victu esse vtendum, & propter hoc consuluit, vt tribus prioribus septimanis omnino abstineatur a carne. In hanc sententiam ductus fuit Auic. tribus rationibus. Prima, quia cum initio corpora quartanariorum sint grauata cruditatibus, fit, vt victu tenui sublatæ cruditates consequenter leuent ipsos ęgros. Secunda ratio fuit quod tenuitate victus humor morbificus mirifice imminuatur, & consequenter morbus multo leuior ac breuior reddatur. Tertia, quod vbi tenui victu aluntur ægri, materia morbifica multo citius concoquitur, quam si plenus victus adhibeatur.

De remediis idoneis in initio quartanæ. In hoc Medicorum dissidio puto vobis hunc in modum statuendum esse, scilicet cuiuslibet morbi, & præsertim quartanæ duplex esse principium: aliud breue, quod primis paroxysmis terminatur: & ab istis nuncupatur principium principians: aliud est, quod concluditur terminis cruditatis & coctionis quodque cum longissimum sit, vocari solet principiatum. Itaque si primo modo accipiatur principium verissimum est, quod scribit Auicenna, vtendum esse tenui victu propter rationes allatas ab ipso. Sed si secundo modo sumatur principium, verissimum est, quod dixit Galen. & Græci, scil. in hoc principio minime expedire victum tenuem. Et ratio est, quia cum hoc principium sit longissimum, & consequenter status, in quo tenuis victus necessarius est, longe recedat, quis non videt, si tenuis victus adhibeatur necessario sequi, vt vires magnum detrimentum patiantur, & consequenter vsque ad statum sufficere nequeant?

Itaque sic constituto victu, deinceps cogitandum est de aliis remediis, quæ quoniam alia conueniunt in principio, alia vero conueniunt in augmento, & in statu, primum de prioribus deliberandum est. Fuit sententia Celsi in quartana, in initio leniendam esse aluum. Auerroes autem 7 coll. 14. dixit, forsan conuenire, vt leniatur aluus initio cum polypodio. Et forsan melius esse digestionem expectare; quasi hac in re dubius & incertus extiterit.

Ego autem sum huius sententiæ, expedire in hac febre, vt quamprimum aluus leniatur, nec non ventriculus, intestina, & omnes priores viæ ab excrementis, & cruditatibus vindicentur. Pro quo efficiendo multa solent esse in vsu, mel rosa. solut. myrobal. nigri, cassia, elect. lenitiuum, hiera etiam, diacathol. Propterea vos ita facere debetis, & prius per duos aut tres dies hunc liquorem exhibetis.

Potio lenitiua in principio quartanæ.

℞. Mell. rosſ. simpl.
Syr. de beton.
De fumaria an ℥. j. M. & f. potus.

Post hos dies, si bolum mauit buæger, hunc ordinabitis:

℞ Specierum hieræ ℨ. j ß.
Puluer. myrobal. nig. ℨ. j.
Fl. cassiæ ℥. vnq. M. & f. bolus.

Quod si potius optaret potum, hunc in modum parabitur.

℞. Myrobal. nigror. ℨ. j. ß.
Passular. ℥. ß.
Sem. coriandr. ℨ. ß.
Fl. cordial. P. iij. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. d. d. ℥. iiij.
Mellis rosſ. sol. ℥. iij.
Syr. de pomis comp. ℥. j. M. & f. potus.

Num venæ sectio conueniat in quartana. Lenita aluo hunc in modum, deliberandum est statim de venæ sectione, de qua sermonem habens Gal. 1. ad Glauconem 14. dixit, sanguinem initio huius febris mittendum esse, si sanguis abundauerit, atque is melancholicus sit. Quomodo autem cognoscere oporteat, an melancholicus sit, docet idem, scil. vt aperiatur vena, & diligenter animaduertatur, qualisnam sanguis effluat. Qui si sanguis effluat aier, & crassus, perseuerandum est in eo mittendo vsque ad requisitam mensuram. Quod si floridus sit sanguis, minime niger, & minime crassus, iubet, vt quamprimum sanguis comprimatur. Quare vos quoque hunc in modum facere debetis.

Locus mittendi sanguinis. De loco mittendi sanguinis sententia est Galeni, mittendum esse a vena communi brachij sinistri. Ceterum puto ego animaduertendum esse, vtrum in quartana sit affectum magis iecur

cur, an lien. Si magis afficiatur lien, vt sæpenumero euenire solet, certe consiliũ Galeni cunctis alijs anteponendum est. Verumtamen, quia interdum contingit, iecur esse magis affectũ, ideo hoc in casu multo satius est mittere sanguinem à vena lateris dextri, eo quod hac vena magis euacuatur iecur quam vena sinistri brachij.

Quod si minime liceat mittere sanguinem e vena, fieri hoc potest per cucurbitulas. Et quia contingit interdum, vt quartana subsequatur per suppressionem vel menstruorum, vel hæmorrhoidum, in his casib. multo accommodatius est mittere sanguinem vel ab ipsis hæmorrhoidibus, vel a venis pedum, vt in mulierib. vel etiam a crurib. scarificatis. Nã in libro de cucurbitul. monet Gal. scarificata crura mirum in modum valere cum ad prouocandas menstruas purgationes, tum etiam ad prouocandas hæmorrhoidas.

De quantitate sanguinis mittendi ita deliberandum est, vt minus mittatur semper sanguis, quam postulat vel natura febris, vel natura ægri, prætcrquam in febre, quę fit a sanguine deusto in qua copiosior sanguis mitti potest, imo vero dicit Rhases se quandoq; protinus expugnasse quartanas sola sanguinis missione facta vnica vice.

Et ratio, propter quam in hac febre minor debeat esse copia sanguinis missi, est, quia si plusculum sanguinis mittatur, vires statim deijciuntur, neque possunt diuturnitati febris sufficere. Alia ratio est, quia aufertur frenum ipsius melancholiæ quo spoliata, magis sæua euadit.

Cur in quartana minore copia sanguis mitti debeat quã in alijs.

Postremo si sanguis copiosus admittatur, fit vt humores magis augeãtur & conseq. id cõtingat, quod scribit Auicen. scilicet vt humores ad exteriora magis quam conueniat attrahantur. Postquam principium transactum est, multo efficacius incumbendum est coctioni humorũ, ut naturæ concoquenti auxilium præstetur. Fit autem hoc remedijs tum attenuantib. tum calefacientibus, tum exsiccantibus, humectantibus, & aperientibus.

Quapropter in primis oportet victum & secundum qualitatem & secundum quantitatem instituere tenuiorem quam antea. Post hæc medicamentis agendum est. Et inter præparantia sint syr. de fumar. de lupul. syr. byzant. de pomis, de succo borrag. Et poteritis hunc in modum ordinare præparatoria.

Quid ĩ augmento agendum.

Pro prima purgatione præparatio.

℞ *Fol. scolop.*
Tamarisci.
Lupul
Borag. an. M. ß. f. de coct. s.a.

Deinde ℞ *d.d. ℥.v.*
Syr de fumar.
Bizantini.
De succo borrag. an. ℥. ß. M.

Præparati hunc in modum humores, sunt deinceps expurgandi, sed benignioribus medicamentis, inter quæ connumerantur polypod. epithymum, sena, radix helleb. nigri, rhab. & inter comp. syr. de polypod. de pomis comp. conf. hamech & similia. Vnde, si bolus erit præbendus, hoc pacto ordinabitis.

℞. *Conf. hameb. ℥. iij.*
Rhab subtiliter pulu. ℥. j.
Epithymi subtiliter pulu. ℈. iiij.
Schananthi.
Piperis albi an. gr. iij. cum manna ℥. ß. & syr. de pomis comp. f. bolus. f.a.

Quod si potus erit ordinandus, sic præscribetis.

℞. *Fol. sena.*
Polypod. querni an. ℥. j. ß.
Myrob. nigrorum ℥. ij.
Sem. citri ℥. j.
Fl cord. ℥. j f. decoct. s.a.

Deinde ℞ *d decoct. ℥. iiij. ß.*
Cortic rad helleb. nigri.
Rhabarb. electi an. ℥. j.
Caryoph gr. v. infundantur omnia s.a. & facta diligenti expressione adde.
Syr. de pomis comp. ℥. j.
Confec. hamech. ℥. ij. M. & f. potus.

Post peractam hanc primam purgationem quiescendum est paulisper per tres, vel quattuor dies, deinceps, quia humor contumacissimus est, magis adhuc pergendum est in coctione & præparatione ipsius. Id fit medicamentis internis, tum & externis. Nam Galenus 1. ad Glauc. 11. maxime commendat, vt eodem tempore prospiciatur visceribus, fomentis, & emplastris emollientibus, ac relaxantibus. Ergo intus poteritis iterum hujusmodi syrupo vti;

Pro secũda purgatione.

℞. *Radic.*
Borrag. Fumar.
Apij an. ℥. iij.
Fol. buglossa.
Melissæ
Eupatorij an. M. ß. f. decoct. s.a.

Deinde ℞.d.d.℥.v.
Syr.de fumar comp.
Syr.de cichor.comp.an.℥.j.M.& f potus.

Extrinsecus, quia in febribus quartanis hypochondrium sinistrum fere semper affectum esse consueuit, siue illud sit, siue tota hypochondria dura, & lenta sint, poteritis souere spongia tepida imbuta & expressa huiusmodi decocto.

Formula fotus pro sinistro hypochondrio.

℞.Fol.maluæ.
Meliloti.
Betæ an.M.j.
Fol calam.
Tamarisci.
Borrag.
Scolopend.an.M.i.
Coriandrorum ℥ ß.
Rad.cappar.℥.j.ſ.decoct.f.a. atque, vt dictum est, vsurpetur. Post quam fomentationẽ licebit illinire hoc vnguentum hypochondrio sinistro, vel etiam toti epigastrio.

℞.Ol.amygd.dulc.
Ol.cappar.an.℥.ij.
Pingued gallinæ ℥.ß.
Pulu scolop.
Pulu radic.belleb.nigri an.℥.ß.
Cera q.s.M & f.linimentum cum modico aceti.

Vbi hunc in modum denuo fuerint humores præparati, post expurgabuntur grauiori aliquo medicamento. Et hoc tempore solemus etiam ascendere ad vsum pil. vt sunt pil. de fumo terræ, pil. de lazuli. Exempli grat.

Pilulæ conuenientes in quartana.

℞.Pil.de lap.Lazuli.
Pil.cochiarum, cum belleb.an.℈.ij.
Diagridy gr.j.ſ.
Castor gr.y.Misce & cum melle ros solut.f.pilula num.v. quæ omnium sunt efficacissimæ.

De vsu vomitus in quartana.

Quod si æger respuat pilulas, licebit repetere iam propositum vel in potu, vel in bolo. Atque hic est modus, quo solemus mederi quartanariis in augmento & in statutum ad accelerandam coctionem melancholiæ, tum etiam ad eam dissipandam atque euacuandam.

Sed quoniam plerique laudant etiam vomitum pro euacuandis quartanariis, quæri solet, an liceat vomitũ vti, & quo tempore? Ex vna parte non videtur vllo modo conuenire vomitus quoniam scriptum est ab Hippoc.4.aph 9.& alibi sæpe, bilem per superiora, melancholiam per interiora esse euacuandam. Et afferebat Gal. eo loci rationem, quia melancholia sua natura humor grauis est, adeo, vt ratione grauitatis multo felicius per infernas, quam per supernas partes euacuetur. Ex altera parte est auctoritas & Galen. t. ad Glauc.11.& Auicen.& omnium, Græcorum, qui inter cetera remedia pro expugnanda quartana proponunt vomitum. Dicendum est, vomitum exerceri posse propter duos fines, vel vt euacuetur humor melancholicus iam factus qui est auctor febris immediatus, vel vt euacuentur humores crudi, qui existentes in ventriculo copiosi & primis viis solent esse fomites & veluti nutrimenta humoris melancholici. Si primo modo loquamur, certe non conuenit vomitus, quandoquidem humor melancholicus non euacuatur vomitu, vt locutus est Hippocrat. loco citato. Sed si loquamur secundo modo, plane conuenit vomitus, eo, quia vomitu euacuantur crudi succi, quibus euacuatis consequ. subtrahitur pabulum & fomentum melancholiæ. Præterea quia minera febris quartanæ plerumque est circa splenem, accidit vt excitato vomitu, per communicationem uenarum trahatur humor melancholicus a liene ad ventriculum & intestina, ac sic facilime aut per os, aut aluum ille exinaniuntur.

Quæritur, an vomitus conueniat in die accessionis. Partem affirmantem tenent Arabes quasi omnes, & Auic. Ratio horũ est, quoniam in die paroxysmi humores sunt in motu, quia alio tempore fixi & tardissimi sunt, vnde cum promptiores ad expulsionem per vomitum sint, & natura sit eo tẽpore concitata, videtur vtile omnino esse vomitum ciere. Imo Hip. in lib. de affect. non modo vomitorum pharmacum, verum etiam & deorsum purgans dat in ipsa accessione. Inquit præterea Auic. expressissimis verbis, Vomitum ante accessionem paroxysmi, aut eam imminuere, aut eradicare, sed ex altera parte alii ex ipso Auic. arguuntur, in die paroxysmi ne clysterib. quidem quicquam agendum, multo minus per vomitum, vt qui magis conturbet deinde in die paroxysmi natura perturbata est & exagitata, quapropter non est addenda molestia naturæ, nec magis turbanda. Respondendum, vomitus potest administrari vel validis medicamentis, vel blandis. A validis medicamentis vomitoriis omnino est abstinendum in accessionum die, qui nimium turbatam naturam perturbant.

Ceterum, blandioribus vomitum ciere conuenit, veluti raph decocto, aceto & iure, oleo, & iure, oxymelle & aqua. Sed neque semper blandis vomitoriis est vtendum sed tantum, quando propensio naturæ ad vomitum aduertitur. Remanet inquirendum, an vomitu vtendum sit a cibo, an vero ante cibum. Alexan. & plerique alii videntur anteposuisse vomitum ante cibum. Galen. & eius sectatores prætulerunt vomitum a cibo. Vt Altimarus hanc litem dirimeret, putauit

An vomitu vtendũ a cibo, vel ante cibum.

putarit dicendum esse in vomitu faciendo respici posse vel materiam facientem febrē, vel materiam facturam. Si respiciatur materia faciens febrem, præstare vomitum ante cibum factum, quippe quo huiusmodi materia felicius euacuetur. Sin autem respiciatur materia febrem factura multo satius esse vomere a cibo, quam ante cibum. Sed hęc resolutio nunquam mihi placuit eo, quod materia, quæ facit febrem, est extra venas, & in locis a ventriculo remotis, vt, non liceat eam vomitu vacuare. Pari pacto, quæ est febrem factura reperitur in venis. A venis vomitum nisi valentissimum nihil quicquam educere posse, apud omnes medicinæ scriptores compertissimum est, vt ratio Altimari omnino rei naturæ non respondeat.

Vnde puto dicendum esse in vomitu faciendo vel spectari facilitatem, vel spectari euacuationem solam crudorum succorum. Si sola euacuatio spectetur, procul dubio melius est ante cibum vomere: sed si spectetur facilitas vomendi, certe multo facilius est vomere a cibo, eo quod crudi succi commixti cibis multo facilius cum ipsis cibis educuntur, vt propter hoc veteres omnes magnopere laudarint vomitum factum a cibis. Rufus Ephesius laudabat, post purgationem vsum frequentem absynthii, quippe quod non tantum attenuat humorem, & corroborat ventriculum; verumetiam quia proprietate quadam, vt scribit Aretæus, prohibet generationem melancholici succi. Alexander laudat bolum Armenum. Sed Galen. videtur maxime commendasse vsum illius medicamenti, quod Diatrionpip. vocatur, & illius, quod componitur ex succo Cyrenaico.

De vsu theriacę. Sed præ ceteris omnibus extulit vsum Theriacæ, de qua loquens Auerr. 5. c. libro de Ther. dicebat inter alias vires, quas habet Theriaca, hanc esse magnam, vt quartanas finiat. Sed Alex. Trall. damnat Galenum, quod vtatur huiusmodi medicamentis, quæ calida & sicca sunt: eā ratione, quod melancholia est humor frigidus, & siccus, ac propterea opus habet humectantibus & calefacientibus; præterea, inquit, calefacientia & exsiccantia medicamenta tenuiores partes tantum dissoluunt, crassiores & magis terrestres relinquunt, ita quod materia huius febris fit magis contumax & rebellis: Addit in coctione humorum perinde euenire atque in coctione fructuum, qui principio cum sint acerbi, maturescunt calido & humido. Et ob id succū etiā melancholicum, qui durus, frigidus & siccus est, concoqui & maturescere calido & humida. Sed male ratiocinatur hic vir, quia Galen. non laudat omni tempore vsum horum medicamentorum; Sed laudat iam perpurgato corpore; quando scilicet humor melancholicus non ita durus, nec siccus est, sed moderate dissolutus, vnde Theriaca, diatrionpip. & alia remedia calida atque sicca non proponuntur a Galeno, tanquam remedia præparantia, concoquentia aut alterantia, sed potius tanquam medicamenta extenuantia, & dissipantia, adeo, vt argumenta ipsius nullam vim habeant.

De quartana continua. Tria peculiaria documēta Auice. in quartana cōtinua. Sicuti ex melancholia fit quartana interpolata: pari pacto fieri solet quartana continua, quam Celsus lib. 3. cap. 15. & 17. appellauit quotidianam ex quartana. Fit hæc febris ex melancholia eadem, sed putrescente in venis, vnde sicut habet eandem materiam atque generationem cum interpolata, haud secus habet eandem curationem, pręterquam quod Auicenna tria peculiariter documenta in continua attulit; Vnum est, multo magis conuenire sanguinis missionem in cōtinua quam in intermittente quartana. Alterum abstinenendum esse magis a carne, quam intermittente quartana. Sed aduertite apud Auicen. pro carnibus intelligi debere omnes cibos qui valenter nutriunt, & faciliter putrescunt, nam vt alias vos docui magnus ille Auenzoar consuluit in omni febre putrida curanda abstinendum esse ab vsu carnis, quia facile putrescunt. Tertium est, multo magis conuenire medicamenta refrigerantia & humectantia, quam in intermittente, quia cum focus sit continuus quanquam in materia frigida, veruntamen studendum est illum sedare.

De quartanis spurijs. Atq; hactenus de febribus a melancholia naturali ortis. Sequuntur aliæ quartanæ, quę oriuntur a melancholia præternaturali, & propterea spuriæ appellatæ sunt, quæ quoniam oriuntur eo pacto, quo legitimæ, non videtur admodum diuersa esse, neque cognitio, neque etiam curatio. Veruntamen Auic. qui fuit diligentissimus, proposuit quædam vniuersalia capita, quæ obseruare oporter in vnoquoque genere quartanæ spurię. Illud vnum est, vt in ea quartana, quę fit a sanguine in melancholiam conuerso, non solum audacius deueniatur ad sanguinis missionem; Verumetiam vt in maiori copia mittatur, quam in vlla alia specie, eo, quod humor peccans minus recedat a natura sanguinis, quam reliqui humores. Præterea in ea quartana, quæ fit a bile in melancholiam conuersa, monet vtendum esse audacter refrigerantib. & humectantib. vt siue cibus, & omnis victus instituatur, siue de medicamentis cogitatio habeatur, semper ante oculos sit hic scopus, vt refrigeretur, & humectetur.

Secus autem in ea quartana, quæ fit vel a melancholia, vel pituita combustis, & in melāchoIiam conuersis, in quibus non tantum abstinere oportet a refrigerantibus & humectantibus; verum etiam, vt audiuistis, vti oportet & calefacientibus & siccantibus, ac consequenter attenuantibus.

Antiquitas omnis vt alias vobis significaui, in quartanæ curatione admodum superstitiosa fuit, adeo, vt neglecta vera medicina omnis populus confugeret ad incantationes, ad remedia, quæ appenduntur, περίαπτα vocata a Græcis, nec non ad mille alia, adeo, vt historiis proditum sit, Caracallam Imperatorē lege cauisse, ne quartana incantationibus, & superstitionibus curaretur. Non mirarer, Domini, gentes, & plebem, nisi viderem ēt complures Medicos in hac vanitate esse versatos: & inter alios Aetium & Alex. Trall. Medicos non infimi ordinis, vt inre

etiam Galen. noster, cum videret hanc medicationem vsque adeo captari pollicitus sit, sese de huiusmodi remedijs amplum tractatum facturum; qui tamen vel interijt, vel ab ipso non fuit absolutus. Ego huius semper fui sententiæ medicamenta hæc extrinseca impune debere a Medicis concedi, etiamsi non credant, nam dicebat Hippocrat. debere Medicum se in eo exercere, vt si non iuuerit, saltem non lædat: medicamenta hæc extrinseca hoc habent si non iuuent, saltem non lædunt; sed possunt etiam iuuare quoniam ægrotantium fides est efficacissimum remedium ad omnes morbos debellandos, & hoc est quod Hippocrat. & Galen. 1. prognost. dixerunt eum Medicum plures sanare, cui plurimum fidei tribuitur. Hoc dixi, vt scilicet interdum indulgeatis antiquorum fabulis; modo id sine detrimento fiat ægrorum; illud præterire nolo, inter alia remedia quæ experientia comprobata sunt, fuisse lætitiam inopinatam & timorem inopinatum, referuntur enim a quartana liberati vel propter timorem maximum insperatum, vel propter lætitiam, neque hoc sine ratione, quia vtrique hi affectus magnopere humores nostri corporis agitant & perturbant. Eiusdem ordinis cum febre quartana existimantur esse febres quintanæ, septanæ, nonanæ, quod scil. vel quinta quaque die, vel septima, vel nona inuadunt. Imo Gentilis Medicus grauissimus narrat sese vidisse quendam, qui singula decimaquinta die febre laborabat; vt etiam narratum habetis de Sydonio qui singulis annis die suo natali febricitabat.

De quintanis, septanis, nonanis, &c.

Gal. trib. rationibus probat, vltra quartanam circuitum non dari alium.

Vtrum vero dentur periodi quintanæ, septanæ, & nonanæ, inter principes nostros valde dubitatum reperio. Nam Hipp. 2. Epid. com. 3. t. 2. clarissime meminit quintanæ, septanæ, & nonanæ febris. Ceterum, Gal. in com. eius loci vuus est trib. argumentis huiusmodi periodos destruere. Primum argumentum Gal. est. Tot sunt circuitus, quot sunt humores, sed humores a sanguine solum sunt tres, ergo tres solum sunt circuitus, si daretur circuitus nouus, daretur etiam alius humor. Secundum argumentum est, si darentur periodi septanæ, quintanæ, & nonanæ, necessario haberentur signa pro ijs dignoscendis. Sed non habentur eiusmodi signa. Propterea neque sunt huiusmodi circuitus inuenire. Tertium argumentum est Hippocratem in totis epidem. nullum ægrum proposuisse, qui laborauerit huiusmodi circuitu. Sed dici posset huic argumento primum, quod etsi Hipp. non proposuerit ægrum vllum meminit tamen periodorum in l. c. Non meminisse autem auctor grauissimus rei non existentis. Præterea ipsemet Galen. in libro de typis fatetur huiusmodi circuitus reperiri. Ad primum respondet Galen. 3. in 3. epid. t. 64. vbi scribit ea verba, quæ habentur 2. epid. com. 2. t. 2. vbi mentionem facit similium periodorum minime esse verba Hipp. sed esse ab aliquo alio imprudenter inserta Hippocraticæ dictioni. Ad secundum respondere possumus, librum illum de typis non esse Gal. germanum, & propterea ipsius auctoritati non esse vsque adeo fidendum. Hæc ergo Gal. de periodis prædictis.

Gal. negat prædictā authoritatem esse Hipp.

Auic. Gal. impugnat.

Ceterum Auicen. 1. quarti tr. 2. cap. de quintana eodem argumentis pro defensione harum periodorum inuehitur in Galen. ratio Auicen. est, Hipp. fuisse virum sanctissimum, neminem fefellisse, & propterea teneri omnes Medicos ipsi fidem adhibere, vt si ipse meminerit harum periodorum, non debeat eius fides vspiam haberi suspecta. Alia ratio Auicen. est, non inconuenire, vt huiusmodi periodi fiant, quia si crassities & paucitas humoris melancholici facit periodorum quartanam, potest etiam paucitas maior & crassities facere quintanam, & septanam, & nonarum periodum.

Quo possit fieri quintanus circuit. demonstratur.

Tertia ratio est, credendum esse in arte nostra ijs, qui longo tempore & maxima prudentia artem exercuerunt. Vnde cum Rhases, qui paulo minus 100. annis artem fecit, atque etiam alij magni experimentatores testati sint, has reperiri periodos, æquum esse videtur, vt illis fides habeatur.

Quid igitur dicendum in hac controuersia? sum huius sententiæ, Domini, rerum possibilitatem vsque adeo vastam esse, vt non liceat facile negare hoc vel illud posse fieri, veruntamen hac in re esse posse esse, vt quandoque huiusmodi periodi sint visæ atque etiam cum videantur, attamen vsque adeo raræ sunt, vsque adeo obscuræ, vt non mereantur connumerari inter res vere existentes, & eo maxime, quia vbi fiunt, fere semper a victus erroribus proficiscuntur. Et quod magis est, ita breui tempore durant, vt non possit vlla certa obseruatio haberi.

Periodi quintanæ, & nonanæ obscuræ sunt, & non ita certæ vt reliquæ.

Quicquid sit tamen si vnquam repertæ sunt aut reperiuntur, non aliam generationem habent, quam quartanariam; & ideo signa peculiaria ipsius nō habentur præterquam quod quinta, septima vel nona die inuadant. Dicebat Auic. omnes has febres esse lethales esse quintanam tantum esse periculosam, sci. quod vel antecedat, vel sequatur phthisin.

Itaque eadem etiam est curatio harum febrium, & quartanarum, præterquam quod & Rhases 10. ad Almans. & Auicen. nonnulla breuia documenta attulerunt. Primum namque Rhases monet in his periodis semper ante accessionem optimum esse aluum lenire, vel clysteribus mollibus, vel aliquibus alijs lenientibus medicamentis; Deinde in die accessionis monet, vt vomitus in his febribus excitetur. Præterea laudat, vt victus in his febribus non sit alius quam ille, qui instituitur in febribus quotidianis, vnde colligitur, hunc magnum Medicum existimasse, febres quintanas, septanas, & nonanas parum, aut nihil a natura quotidianarum recessisse.

Rhases 4. præceptis quintanarum curationē complexus est.

Postremo monet Rhases, vt calefactorijs medicamentis vtamur, & in iis, qui sunt multum extenuati, vtamur medicamentis bilem atram leuiter expurgantibus.

Auic. præceptum.

Pari pacto monet Auicenna in his febribus vtendum esse longo ieiunio; & peculiariter laudat, vt quando occurrunt similes febres in die accessionis nihil cibi capiatur. Deinde magnopere

pere probat, vt quantum fieri poteſt, ſomnus procuretur, eo, quia in his corporibus multa ſunt excrementa, quæ, vt diligenter coquantur, indigent ſomno.

Poſtremo monet Auicenna, vt in his febribus audacter quoque vtamur calefacientibus & exſiccantibus, quia ſi humores, qui faciunt has febres, ſunt frigidi & humidi, certum eſt nō aliis remediis poſſe ſuperari, quam calefacientibus & ſiccantibus.

C A P V T XII.

De febribus quotidianis.

QVemadmodum ceteri humores putreſcentes proprium febrium efficiunt genus: ſic pituita, dum putreſcit, propriam febrē inducit, quæ nuncupatur a Græcis modo ἀμφήμερος, modo ἀμφημερινός, a Latinis recentioribus quotidiana. Sed vt poſſitis verſari in ſcriptoribus Medicis, circa nomē Latinum huius febris adnotare debetis, febrem quotidianam vocari a Latinis omnem febrem, quæ ſingula die exacerbatur, ſiue ſit duplex tertiana, ſiue ſit triplex quartana, ſiue duplex quartana cum vna tertiana, quomodocunque ſit, modo ſingula die inuadat appellatur quotidiana.

Febris, quæ proprie vocatur ἀμφημερινός, apud Latinos non habuit peculiare nomen ſed vocatur nomine Græco, vt intelligere poteſtis apud Plinium libro 28. cap. 16. adeo vt apud veteres Latinos quotidiana ſemper ſignificet febrem quamcunque ſingulis diebus affligentem, vt videre poteſtis apud Celſum libro 3. cap. 17. ratio, cur proprium non habuerit nomen, eſt quia vt teſtatur Galen. primo, ad Glauc. 7. hæc febris amphimerinos rariſſime contingit, ita vt Galen. dixerit ſe duas ſolum quotidianas toto vitæ ſuæ curriculo vidiſſe. Cauſa autem cur quotidiana rariſſime fiat, eſt quia pituita difficulter incaleſcit, & vbi incaluit ſemel conſeruat ignem ita vt faciat febrem continuam, quæ non facile diiudicatur, an ſit quotidiana. Igitur pituita putreſcens facit febrem hanc, quæ & quotidiana & ἀμφημερινός a Græcis vocata eſt, & Latinis. Quanquam, Domini, Latini recentiores appellarint quotidianam eam, quæ fit ex ſola pituita putreſcente; quam, cur Plato in Timæo dixerit fieri ab aere, non eſt opus vt hoc loco examinetur.

Sed vt totam hanc tractationem expeditam habeatis, operæ pretium eſt videre, quot ſint genera pituitę: vt hinc ſciamus, quæ febres quotidianæ ex quibus pituitæ generibus efficiantur. *De generib. pituitæ.*

Apud Medicos inuenio nomē pituitę dupliciter accipi. Vel enim accipitur communiter pro omni humore refugiente coctionem, vel accipitur proprie pro humore quarto ab aliis tribus. Vbi communiter accipitur pituita, etiam ſuccus crudus pituita vocatur. Atque hoc pacto locutus eſt Gal. 4. rat. vict. in mor. acut. & lib. de mult. c. 11. Sic etiam exiſtimo locutum eſſe Ariſt. li. 1. de gen. ani 18. quando ſcripſit, pituitam fieri in ventriculo, ſc. pituitę nomine cōplectens ſuccum crudum, ſeu excrementum primi alimenti.

Si autem proprie accipitur pituita, diuerſus eſt ſuccus crudus a pituita. Atque hoc pacto locutus eſt Galen. 2. de alim. fac. & 3. de alim. cap. 33. vbi ſcribit, piſces corticis duri generare humores crudos: piſces vero molles generare pituitam Sic enim diſtinguit humorem crudum a pituita proprie appellata. *Humor crudus ut a pituita differat.*

Ex humore crudo nullo pacto fit febris quotidiana, ſed tantum ex pituita proprie accepta, quæ pituita adhuc duplex eſt, alia enim eſt pituita naturalis, alia vero eſt pituita præternaturalis.

Pituita naturalis. Pituita naturalis eſt illa, quæ fabricatur a natura in officina ſanguinis, hoc eſt in iecinore. Nā diligentiſſ. Gal. 1. de fac. natural. ſed clarius 4. de vſu p. 3. ſcribit ex chylo in iecore quatuor corpora generari, vnum eſt, quod ſubſidet inſtar fæcis, & eſt humor melancholicus. Aliud eſt, quod ſupernatat inſtar ſpumæ, & vocatur bilis.

Tertium eſt, quod perfectionem aſſequitur, & pro nutrimento eſt omnibus, atque hoc corpus vocatur ſanguis. Quartum eſt illud, quod non eſt aſſecutum vltimam perfectionem Sed cū ſemicoctum ſit, coqui & perfici poteſt. Atque iſtud quartum corpus vocatū eſt a Græcis phlegma: noſtris pituita naturalis, quæ pituita duas conditiones habet. Eſt enim ſaporis inſipidi, & ſecundum ſubſtantiam media eſt inter craſſum & tenue: alia eſt pituita preter naturalis, quę pituita vbique in corpore noſtro generari poteſt. Atque hęc triplex adhuc eſt. Alia, quæ acida vocatur, & fit a ſumma frigiditate membri eam generantis: habetque huiuſmodi pituita eam conditionem quemadmodum ſcribit Hippoc. 4. de morb. vt fuſa ſuper terram fermentet eam inſtar aceti & humoris melancholici. Alia eſt pituita dulcis, quę generatur a calore temperato, ſed non ita temperato, vt perfecta coquatur. *Pituita naturalis duæ cōditiones.* *Pituita non naturalis triplex.*

Eſt tertia ſpecies, quæ vocatur ſalſa quoque, vt ſcribit Gal. 2. de feb. & Auic. 1. primi c. de hum. uel generatur propter putrefactionem, vel ob admixtionem ſalſi & ſeroſi humoris cū pituita naturali. Non generatur pituita vlpiā amara niſi per admixtionē bilis, quoniā vt habetis a

Oo 4 Theoph.

Nõ fit pituita amara nisi p adustionem bilis.

Theoph. & Arist. sapor amarus fit in corporibus terrestribus, pituita tota aquea est, & ideo non potest esse amaroris subiectum.

Neque valet, quod succus absynthij sit amarior quam eius excrementum, quoniã habet cõiunctas partes terrestres vna cum partibus aqueis. His itaque existentibus pituitæ generibus ex omnibus putrescentibus efficiunt febres quotidianæ, sed diuersis modis, vt audietis, nam si putrescat pituita naturalis in venis, efficitur febris quotidiana continua; sin putrescat extra vasa fit febris quotidiana interpolata, & exquisita. Sed hoc loco notare debetis, etiamsi quotidiana interpolata faciat paroxysmos interpolatos, nunquam tamen desinit in infebricitationem vt audietis suo loco. Sed differt in hoc a continua, quia hæc nullas habet exacerbationes: interpolata quotidie habet acerbationes.

Cur quotidiana non desinat in infebricitationem.

Sed dicetis, quæ est causa propter quã tertiana & quartana interpolatæ desinunt in infebricitationem, quotidiana autem minime? Auerr. 4. coll. 29. videtur nobis explicuisse huius nodi solutionem; vbi scribit, in quotidiana etsi singula die finiatur ignis, quia tamen diu durat, præparat semper nouam materiam ad suscipiendam putredinem; adeo vt etiam in exiguo illo interuallo semper aliqua materia præparata, putrefactioni, quæ facit, vt non deueniatur ad integram infebricitationem, id quod nec in tertiana nec in quartana contingit, in quib. sicuti nihil ignis relinquitur in interuallis, ita quoque nihil relinquitur præparatæ materiæ.

Si pituita dulcis putrescat, fit quotidiana exqsita aliquo pacto sed nõ uere Si salsa uel fit febris ardens, vel quotidiana non exqsita. Ab acida fit quotidiana non exqsita. A nitrea fit Epialos.

Pari pacto si pituita non naturalis putrescat, vel est pituita dulcis, & facit febrem quotidianã exquisitam aliquo pacto, sed non veram si pituita salsa putrescat, vel putrescit in non magnis vasis, & facit febrem ardẽtem, de qua loquuti, vel putrescit in vasis paruis, & magis a corde remotis, & fit quotidiana non exquisita. Si putrescat pituita acida fit quotidiana non exquisita. Si vero putrescat pituita acida vitrea, fit febris quæ dicitur Epialos a Græcis. Gal. 3. epid. com. 3. tex. 46. quem secutus est Auic. quotidianarum alias duas diarias facit scriben. quod aliæ sint febres nocturnæ, aliæ diurnæ, quarum mentio est apud Hipp. diurnæ dicuntur quotidianæ quia originem ducunt a pituita. Sed hoc loco occurrit pulcherrimum problema, sc. cur fiat, vt pituita præsertim salsa, putrescens vasa neque viscera lædat. Nam experientia demonstrat id verum esse quod scripsit lib. 7. c. 17 Plinius, scil. durissimos dentes exedi & consumi a pituita: cum tamen non consumãtur ab igne, quasi multo maior sit vis pituitæ in corrodendo & consumendis dẽtibus & conseq. carnib. quam sit ipsius ignis. Respondendum est, id facere in dentibus continuitate & motu, quibus caret in venis, & extra venas.

Hactenus audiuistis omnes quotidianarum differentias, de quibus Medici tractant. Causæ antecedentes harum febrium sunt temperamenta corporum scilicet temperamenta frigida & humida: corpora pinguia, corpora crassi habitus.

Quotidianarũ alia diurna alia nocturna. Cur Hipp. 3. aph. non meminerit iter morbos pueriles quotidianarum.

Inter ætates maxime omnium puerilis est ferax quotidianarum, vt habetis a Gal. 2. de crif. 5. Neque valet, quod Hipp. lib. 3 aph inter morbos pueriles non meminerit quotidianarum, quoniam Hip. eo in loco tantum proponit eos morbos, qui frequenter pueros exercent. Iam quotidiana febris, vt docet Gal. 1. ad Glauc. rarissime contingit.

Et inter sexus muliebris maxime aptus est huic febri. Haud secus quoque aer frigidus, & humidus; tempus hyemale, constitutio anni frigida, & humida; regiones frigidæ humidaq; sunt aptissimæ ad generandas febres quotidianas: sicuti nimius somnus, nimium otium, potus nimius; & præsertim aquæ potus, & aq. lacustris aut palustris. Hæc de causis externis, nunc signa vniuscuiusque notate.

Signorum igitur quæ indicant quotidianas, alia accipiuntur ab actionibus læsis, alia ab excrementis mutatis, alia ab accidentibus. Accepta ab action. bus lesis sunt paucitas vigiliarum, somnolentia perpetua, torpor quidã, & debilitas in motu, pulsus paruus, tardus & rarus. Immo Galen. primo, ad Glauc 7. scribit, pulsum quotidianæ febris minorem esse pulsu quartanarum.

Nec obstat quicquam, quod idem Galen. 2. de cris. 3. dicat, pulsum quartanarum, cum inuadunt, esse minorem, tardiorem, & rariorem pulsu cuiuslibet alterius dispositionis. Ad hęc Auicen. hoc in loco scribit pulsum quotidianarum frequentia & paruitate vehementiorẽ esse pulsu quartanarum. Quod ad Gal. dicã verũ esse, quod scribit, nec sibi contradicere, quia si has diarias, scil. prauitatem, tarditatem & raritatem collectim accipiamus, oẽs maiores in quotidiana, quam in vlla alia; si vero accipiamus differentias has nõ collectim, sed separatas, dico, quod possint aliquæ ex his maiores esse in quartana, quam in quotidiana, ita quod sola raritas, vel paruitas possit esse maior in quartana, quam quotidiana.

Ad Auic. responsio Iacobi.

Quid dicemus ad Auicennam? Iacob. vt eum defenderet, dixit esse duplicem quotidianam, alteram simplicem, alteram cum syncope: febris simplex quotidiana dicit Iacobus habet semper pulsus minores, & rariores omnib. aliis; quotidiana vero cum syncope habet eosdem vehementiores, & frequentiores. Atq; quod hoc sit verum, videtur nobis significasse Trall. qui scripsit in quotidiana vt plurimum, non autem semper pulsus esse paruos, & tardos: Sed Domini, quanquam hæc responsio sit vera, non tamen accommodatur Auicennę, quia Auic. hoc in capite loquitur de quotidiana sine syncope, nam de ea quam appellat syncopalem, posterius tractat, ideo dicere debemus, vt dicit Gentilis, quod textus Auic. sit corruptus. Signa quæ sumuntur ab excrementis mutatis sunt hæc, quod vrinæ modo sunt tenues, modo turbatę, modo rubrę, de quibus cum loqueretur Aetius lib. 5. c. 84. d. in principio vrinas esse tenues, deinde fieri postremo rubras.

Trallianus dicit in quotidiana, vt plurimũ pulsus paruos, & tardos esse. Melior Gentilis responsio.

Cuius

Cuius euentus rationem explicans Auic. inquit initio corpus febricitantis valde adstrictum esse; & propterea vrinas percolari p angustos meatus, & tenues fieri, procedente modo fieri crassas vrinas, quoniã calor agens in pituitosam materiã eam agitat, & agitando commiscet humores vrinę, sicque crassam reddit, quemadmodum vbi adhuc magis progressus est morbus atque apertæ viæ & meatus, nec non corpus magis calefactum, vrinę redduntur magis rubræ.

Signa ab excrementis mutatis.

Cõtradictio apparens de pulsu quotidianarum.

Cur vrina in quotidianis initio tenues, postea crassæ fiant.

Signa ab accidentibus.

Fæces liquidæ sunt, pituitosæ, tenues. Sudor nullus aut exiguus, rari vomitus, & semper pituitosi. Nauseæ frequentes sed irritæ. Ad hæc febris quotidiana incipit cum frigefactione siue rigore, siue frigore ingenti. In principio debilis est, calor blandus, & vaporosus est, qui tamen paulo post acrior euadit; non ita tamen, vt deuitantur ægrotantes aut integumenta, & vestes a sese proiiciant. Et aduertite quod hæc febris non habet proprium signum inuasionem quotidianam, vt scribit Auer. 4. col. a 8. cum, vt audiuistis, etiã tertianæ duplices & triplices quartanæ id habeant. Durat paroxysmus per 18. horas, qui tamen in infebricitationem integram nõ finitur. Vẽtriculus in his febribus perpetuo languere solet. Præterea lingua mollis est, nulla sitis. In lib. Gal. de typis, habetis lienem etiam intumescere. Signa capta ab accidentibus consequentibus ægri corpus, sunt, quod vultus ægrorum semper tumet, color ad pallorẽ declinat; & notate errorem in Auic. quem puto esse interpretis, scribit enim in hac febre colorem cutis declinare ad citrinitatem, quod falsissimum est, sed quia vox Gal. Græca potest significare pallorem & calorem citrinum, vel Auic. vel interpres male accepit pro pallido citrinum.

Error Auic.

Postremo causæ omnes tum internæ mediatæ, tum externæ magnam vim habent ad significandas febres quotidianas.

Signa quotidianarum spuriarum.

Atque hæc sunt signa quotidianarum exquisitarum. Spuriæ autem quotidanæ habent complura ex prædictis signis. habent etiam quædam peculiaria. Nam vt habetis a Galen. 2. de differentiis feb. capit. 6 quotidiana facta a pituita dulci & acida, cognoscitur primo, quia accessio in his febribus solum fit cum extremarum partium refrigeratione, dicebat Auic. quod rarissime contingit apparere rigorem, horrorem, uel frigus a principio paroxysmi vsque ad finem: ad hęc vrina in his febribus rosa aut subrasa est, capitis grauitas perpetuo sentitur: in ore sapor dulcis est, vel acidus, interdum fœtidus, fętidæ etiam apparent egestiones. Quod si fiat quotidiana a pituita salsa siue illa pituita fiat per putrefactionem, siue per admixtionem serosæ humiditatis aut bilis, sunt hæc signa, quod initio accessionis potius horror quam rigor appareat, est autem horroris causa salsedo pituitæ, nam pituita salsa per sensibiles partes labens quodam pacto exstimulat, atque ita horrorem parit. Sed diceria, cur igitur Hippoc. primo de morbis scribit pituitã vbi in venis est, semper sanguinem congelare, & frigus facere? Domini, ille liber non est Hippo. sed. Polybi, & quemadmodum Medici antiqui sæpe ęnigmatice loquebantur, sic etiam multa in illis libris leguntur ænigmata, quale est illud, quod a pituita congeletur sanguis, & fiat frigus, nam si hoc verum esset, deberet in quotidiana semper magnum frigus apparere in principio. Quæ fit a pituita vitrea. hoc sibi peculiare habet vt frigus, & calor simul eodem tempore percipiantur, præsertim quando hæc pituita non insigniter putrescit. Incipit fere semper hæc febris secundum Auicennam a syeope non quidem perfecta, sed diminuta est, ratio est, quia humor ille vitreus grauat ventriculi os, granat etiam cor ipsum, adeo ut occasionem præbeat syncopi: quod si vehementer hæc pituita putrescat, rigor antecedit febrem, & dum febris inualescit minime percipitur. Quod si feratur pituita non putrescens per partes sensibiles, fit rigor sine febre, qui rigor ab Hippo. non fuit cognitus, nam tempore suo non eueniebant rigores sine febre, vt habetis primo de morbis.

Signa a pituita salsa.

Signa quotidiana a pituita vitrea. Fere semper a syncope incipit.

Hip. non cognouit rigores sine febre.

Signa cõia oĩbus quotidianis.

Trib. de causis in epia. syncope accedit.

Est illud animaduertendum, omnes has febres quotidianas habere quædam signa consequẽtia, quoniam omnes ægrotantes fiunt somnolenti, & veluti quodam caro opprimuntur, pulsus tardi fiũt, facile febricitantes hac febre syncope corripiũtur propter tres causas vna est quod in omni quotidiana os ventriculi a frigore pituitæ vehementer læditur: quo offenso scitis quot dãna sequantur. 2. ratio est, quoniam laborantes quotidiana semper inappetentia vexantur, quo fit, vt languente stomacho vires faciliter ruant. 3. ratio est, quoniam ob totius corporis frigiditatem ægri non nutriuntur, quemadmodum opus est. Vnde spiritus humores, & solidæ partes cõsumuntur, atque inde syncopæ datur occasio.

An in epiala simul percipiatur calor & frigus.

Est circa hæc signa duplex dubitatio, vna est, an sit verum, quod in quotidiana, quæ dicitur Epialos simul percipiatur calor, & frigus, nam hoc videtur absonum esse, quod scilicet simul eodem tempore duo contraria percipiantur, quoniam vel sunt ęqualia hæc duo contraria, vel inæqualia, si sint inęqualia, necessario id quod minus est, superatur a maiori, & obscuratur vt percipi non possit; si ęqualia, ex frigore & calore ęqualibus generatur tepor, ita quod non debent eodem tempore percipi calor & frigus: accedit huic rationi autoritas Arist. & Auicennę, nam Aristoteles 27. part. prob 2. scribit in Epiala interna calescere, & externa frigere. Auic. scribit in epiala interna frigere & externa calescere; ita quod & ratio & autoritates videtur negare, quod in epiala eodem tempore percipiatur frigus & calor. Est & altera dubitatio, quia videtur contradictio in verbis Gal 2. de differentijs Feb. 6. scribit in quotidiana febre nunquam rigorẽ fieri, sed solum partium refrigerationem quandam, paulo post in eodem loco inquit Gal. quod si vitrea pituita putrescat, & putredo nõ sit multa, fieri Epialam, in qua fit calor, & frigus, si multum putrescat, rigorem antecedere febrem, ita quod Galen. qui primo negauit rigorem fieri in vlla quotidiana, tamen confessus est fieri in quotidiana ex vitrea pituita. Ad primam dubitationem respondeo, cõtraria fieri in eodem dupliciter intelligi potest, vel quod fiant vere, vel quod

Arist. scribit in epiala interna incalescere, & externa frigescere, contrar. sentit Auice.

Altera dubitatio, an in quotidiana nũquam fiat rigor.

ad sen-

Responsio ad primã dubitationem.
Cur in epiala calor frigidus percipiatur.

ad sensum nostrum appareant fieri. Si primo modo intelligamus profecto fieri non potest, vt contraria in eodem fiant subiecto, si autem secundo modo intelligatur dico fieri posse, vt contraria appareãt circa idẽ subiectũ, & rõ est, quia calor & frigus fieri possunt in partib. vsque adeo proaimis & minimis, vt præbeant sensũ vnius & eiusdẽ partis patiẽtis, atq; hoc disertissime dixit Gal. lib. de inæqual. intem. cap. 11 Sed dicetis quæ est ratio, quod in proaimis & minimis partibus possint apparere hæc contraria? hæc est ratio, quod in epiala febre pituita tota non putrescit, sed secundum partem, vnde pars pituitæ, quæ non putrescit sua naturali frigiditate frigefacit eam partem vbi est: ea pars quæ putrefacta est, vapores mittit putridos, qui prout ad partes intimas vel extimas deferuntur, modo hic aut illic faciunt sensum frigoris, aut caloris, & hæc est ratio cur Auicen. plures harum febrium differentias fecit, quia scilicet potest modo calor apparere modo in interioribus, modo in exterioribus. Quid dicemus ad Aristotelem, & Auic. dico apud Aristotelem epialon esse diuersam ab ea quam sic vocarunt Gale. & sequaces. Similiter apud Auic. diuersa est epiala, quam docuit Gal. & epiala Galeni alio nomine est appellata ab Auic. vt intelligetis. Ad secundam dubitationem respondeo Galenum nequaquam sibi contra dicere, verissimum enim est in quotidiana febre nunquam rigorem antecedere, neque frigus, modo pro quotidiana intelligamus eam quæ vera est quotidiana, & propterea dicebat Galenus hanc febrem procedere secundum figuram quotidianarum, quasi voluerit nos omnino commonefacere hanc febrem similem aliquo pacto esse quotidianis, sed minime veram quotidianam esse.

Aliud Aristo. Auic. & Gal nomine epialos significant.
Respõsio ad 2 dubitationem.
Epialos non est uera quotidiana.
Prognostica.

Quotidiana omnis, vt docet. Gal. primo, ad Glauc. octauo, longa est, & conseq. periculo minime vocatur. Cur autem periculosa sit, aliam rationẽ attulit Auerr. aliam Steph. Athen. in cõm. ad locum Galen. nuper citatum. Nam Auerr. septimo, coll. 13. scribit periculosam esse febrem quotidianam, quoniam ob frigus ventriculi conuertitur in hydropem. Steph. autem Athen. inquit esse periculosam, quoniam cum quotidie affligat, nullum naturæ laxamentum affert.

Cur periculosa quotidiana.
Cur minus longa.

Quanquam autem quotidiana sit longa, longior tamen est quartana. Cur autem quotidiana sit minus longa quartana, cum humor pituitosus in nobis longe copiosior, quam melancholicus, duas Alex. 1. probl. 82. attulit causas Primam quia pituita, ex qua fit quotidiana, est humor tenuis, fluidus, fugax: ita, vt citius consumatur quam succus melancholicus, qui durior est crassior, & cõsumptu difficilior. Alteram, quia pituita est humor vtilis naturæ, melancholia est humor maxime inutilis. Vnde, cum natura pituitam in alimentum conuertat, non autem melancholiam, fit, vt promptius & citius absumatur, ac propterea febris quotidiana minus duret.

Cur quotidiana quæ interdiu fit, peior ea, quæ fit noctu.

Dicebat Galen. in 3. 1. epid. febrem diurnam esse magis periculosam nocturna, hoc est eam quotidianam, quæ fit interdiu, esse deteriorem eo, quæ fit noctu. Et huius rei triplex affertur ratio a Galen. Vna, quoniam calor solaris, qui in die viget, additus calori febrili eum multo valentiorem reddit, immo in hecticam conuertitur. Secunda, quia in die sunt patentiores corporis meatus, ob quod deberet calor febribus expirare & finiri, quod cum non fiat, signum est, vehemens esse malum. Tertia causa est, quoniam vbi febris die vexat, ægri nequeunt cibari, nisi noctu. Vnde interrumpitur somnus, interrumpitur quies, sine quibus res ægrotantium male aguntur.

Hip nunquã meminit quotidianarum nisi sub nomine febrium diurnarum, & nocturnarũ.
Epialos longa est, & omnium maxime lethalis.

Et notate quod Hippocr. nunquam videtur meminisse quotidianarum febrium, nisi hoc in loco, scilicet 1. epid. com. 9. tex. 6. & 3. epid. com. 3. tex. 64. sub nomine febrium diurnarum, & nocturnarum, quod an voluerit intelligere Hip. certe dubius sum, cum alibi nõ meminerit quotidianarum, tamen Gal. dicit sub nomine harum febrium esse intelligendas, quotidianas, & aduertite quod tametsi in fine 2. de natura humana, habetur mentio, quotidianarum, tamen ea pars est spuria, & non est Hippocratis.

Dicebat Auic. febris, quæ fit cum sudore, magis salutaris est, ea, quæ fit absque sudore. Vnde, quæ fit a pituita acida & dulci, minus periculosa est, illa, quę fit a pituita salsa: & quę fit a pituita vitrea, omnium deterrima est, vt docet Auer. 4. col. 28. Nam, hic humor cũ sit grauis, viscidus, frigidus, non solum ventriculum mirum in modum labefactat: verum etiam calorem & spiritus omnes strangulat; quo fit, vt cũ quotidiana non sit absque periculo, atque sit mille rędiis cõiuncta: debet Medicus omni studio ac diligentia eius curationem suscipere, quippe quæ eo difficilior est, quoniam contrarii scopi offeruntur in ipsa curãda, nam si spectetur materia, ea est humor frigidus, & humidus, vnde indicatur esse calefaciendum, & exiccandum.

Curatio quotidiana.

Si rursum spectetur essentia ipsius febris, quæ est calida & sicca intemperies, indicatur refrigerandũ, & humectandum esse: vt ad solertem Medicum pertineat in hac indicationum cõtrarietate ita sese gerere, vt partim naturę, partim intemperiei rationem habeat, atque ita in primis prouideat, vt aer sit moderate calidus, & siccus.

De somno & vigilia debet quoque Medicus non minus esse solicitus, quoniam sicut somno opus est qui naturæ coctiones igiter adiuuat; pari pacto necessariæ sunt vigiliæ, quæ consumãt nimios humores frig. & humidos, sic quoque conseruanda sunt in summa quiete febricitantum corpora tum etiam animi. Et quia, vt audiuistis, faciliter consueuerunt incidere in syncopen, videndum est, ne nimium repleantur, vel nimium ieiunent: sique interdum aluus adstricta sit, mollienda est, cum clysteribus, qui in hoc genere febris, non debent esse neque admodum mites, quoniam facultas expultrix sub pituita veluti sopita est: neque etiam nimis acres; quia cum facultates pene omnes sint imbecillæ, facile incidunt in syncopen. Clyster itaque accommodatus hic erit.

℞. *Sem. carthami ℥.iiij.*
Fol. maluæ
Brassicæ an. M. j. ß. f. decoct. s. a.

Deinde ℞. *d. d. lib j. ß.*
Hieræ simpl. ℥. ß.
Mell. rof. ℥. iij.
Olei rutacei ℥. iiij.
Salis ʒ. j. M. fiat clyster.

Clyster accõmodatus in quotidiana.

Hic enim est ex mediocribus, & in hac febre accommodatus. De potu in quotidiana certum est, si in ulla febre cõuenit vinum maxime in quotidiana conuenire. Quare vbi aliqua coctio apparet, etsi non ita perfecta, poterit concedi vinum saltem pauciferum. Auerr. 7. coll. 13. damnat Gal. quod simplicem aquam hordei pro potu vsurpauerit: & damnat hac ratione, quia in ventriculo labefactato simplex aqua hordei noxia sit, vnde laudat, vt commisceatur vel mastix, vel piper: laudat etiam aquam coctam cum hyssopo, liquiritia.

Sed, vt dixi, & Auerr. monet, nisi quippiam obstet, anteponendum est vinum cuicunque alteri potui.

De cibis in quotidiana.

De cibis nonnulla primum communiter sunt animaduertenda. Illud vnum est, febrim quotidianam longam esse; & ideo statum valde remotum esse, propter quod initio victus tenuis omnino fugiendus est, possumus tamen excipere eas febres, quæ fiunt a pituita apta nutriendo, vt est pituita naturalis, pituita dulcis. Nam etiam si in his quotidianis victus tenuis adhibeatur, attamen non adeo læduntur vires, quia natura vtitur huiusmodi pituita ad nutrienda membra.

Aliud est animaduertendum, quod scribit Gal. 1. ad Glauc. nempe in qualibet febre quotidiana conuenire victum attenuantem & incidentem. Quapropter panis debet esse vel fæniculo, vel aniso conditus, optime fermentatus & coctus.

Num pullorum carnes conueniant.

De carnibus scribit Auic. non esse properandum ad concedendas pullorum carnes; sed nisi intelligamus de pullis vetustioribus, qui sunt coctu difficiles, certe Auic. sententia suspecta est, quandoquidem 1. Gal. 8. de simpl. medicamen. carnes gallinarum vetustarum aluum adstringere; paruorum autem pullorum humores attemperare; ea propter carnes tales; vt & auicularum montanarum, & hedinæ conueniunt. A carnibus agninis, & omnibus aliis, quæ humidiores sunt, & difficiliter coquuntur, omnino est abstinendum. Sic conueniunt oua.

Num in quotidiana conueniant calefacientia & desiccantia.

A piscibus abstinendum. Asparagi, cappares, olium accommodata sunt, quia incidunt & attenuant. Vnde iuuat etiam carnes coquere cum rad. petrof. cum puleg. origano. Et summatim debet omnis victus in quotidianis febrib. esse attenuans, incidens, facilis coctu, & optimi nutrimenti. Alex. Trall. vt sui moris est, conatus est in hac curatione reprehendere Gal. eo quod indiscriminatim laudauerit in cibis calefacientia & desiccantia. Et vtitur hoc argumento, quod in quotidiana, quæ fit a pituita salsa, nullo pacto conueniant calefacientia, & exsiccantia.

Non conuenire demonstrat tribus rationibus. Prima est, quod quæ concrescunt calido & sicco, vt sal & nitrum, sint dissoluenda frigido & humido: quæ etiam fuit Arist. senten. 4. num. 36. sed inquit Alex. pituita salsa facta est a calido & sicco, igitur quotidiana quæ fit ab hac pituita postulat frigida & humida, non calida & sicca.

Secunda ratio fuit, quod pituita salsa sit suapte natura crassa. Vnde a calidis & siccis multo magis incrassatur.

Tertia ratio erat pituitam salsam esse valde calidam, & ideo non esse tractandam neque cibis neque medicamentis calidis.

Altimarus vt Galenum tueretur, præter alia argumenta hoc potissimum visus est, quod ex sententia Galen. 2. de feb. & alibi nomine pituitæ comprehendantur semper humor frigidus & humidus; quasi dicat Altimarus, pituita salsa, quia pituita est necessario frigida & humida. Sed ratio hæc admodum vana est. Primum, etsi quilibet humor frigidus, & humidus vocetur communi appellatione pituita, non valet tamen e conuerso omnem pituitam esse frigidam & humidam, quandoquidem si ea, quæ scribunt Aristot. Theoph. & Galen. de saporibus expendamus, fieri non potest, quin semper salsus sapor sit in substantia terrestri & sicca. Amplius, si pituita salsa facit dysenteriam, vt dicit Alexander, & experientia docet, hoc non aliunde prouenire potest, quam a vi quadam maxime calida & ignea. Quocirca multo satius est pro defendendo Gal. dicere, eum non simpliciter commendasse calida & sicca, vt talia. Sed, vt incidentia & attenuantia; atque non quolibet hæc tempore laudari, sed tantum apparente aliqua coctione. Et hinc etiam laudari, ita castigata, vt non possint suo calore quicquam nocere.

Gal. & Græci non meminerunt missionis sãguinis.

Auicen per vrinam rubeã & crassam indicat sanguinis abundantiã.

Sequitur materia Chirurgica, de qua neque Galenus neq; Græci alii Medici, imo, nec Auer. meminerunt; tanquam putauerint minime conuenire in hac febre curanda sanguinis missionem. Contra autem Auicen. etiam in quotidiana curanda præcipit, vt mittatur sanguis, si vrina sit rubra & crassa. Vos igitur in hac curatione ita procedetis, vt diligenter aduertatis, vtrum aliqua sit sanguinis exsuperantis nota, qua presente mitti debet sanguis, sed in multo minore copia, quam in aliis febribus. Sin vero aut nulla, aut exigua sit sanguinis nota, penitus abstinendum est ab omni sanguinis detractione. Vnde cum frequenter cõtingat, vt febricitantes in quotidiana minime abundent sanguine, mirari non oportet, si Græci non meminerunt huius remedii.

Vbi mittendus est sanguis, quæri solet, quæ sit hora opportunior mittendi sanguinis, cum qualibet die febris inuadat. Nonnulli existimarunt, in hac febre apparere tertia quaque die maiores

iores exacerbationes, & ob id esse sanguinem mittendum in die minoris afflictionis. Alij iudicarunt, bonum esse, vt fiat missio sanguinis die impari. Sed nugæ sunt. Si necessitas postulat, eligenda est quælibet dies modo fiat in principio vniuersali, & in declinatione paroxysmi. Si non liceat venam incidere cucurbitulæ optimæ sunt.

Sed aduertite, in omnibus febribus bonum esse applicare cucurbitulas infra renes, scilicet, vt fugiatur regio cordis, quandoquidem cum sedes cuiuslibet febris sit cor; cauendum est, ne ad ipsum vllo pacto fiat attractio. Sic conueniunt in hac febre frictiones, quoniam & ipsæ iuuant ad minuendam pituitæ copiam.

In lenienda aluo pruna & tamarindus fugienda.

Transeo ad tertium genus remediorum, ad pharmacorum scilicet vsum. Quæ cum sint lenientia, præparantia, purgantia, & corroborantia, vt alias docui, semper auspicandum est a lenientibus. Auicen. inter lenientia damnat Tamarindos, & pruna, qua ratione soleo etiam ego damnare vsum Cassiæ vel Mannæ, quod hæc medicamenta nimium humectent ventriculum, & intestina alioquin humidissima. Auerr. autem 7. collect. 13. commendat semen carthami, commendat & semen vrticę.

Num hieræ vsus sit conueniens in quotidiana.

Vos poteritis lenire aluum melle rof. folut. siue puro, siue inti commixto. Nam in detergendo stomacho pituitoso, & purgando, nihil est accommodatius ipso melle; cuius dosis est a tribus vsque ad ʒ. v. Elect. etiam lenit. optimum est. Sunt aliqui qui minime timent vsum hieræ in febre quotidiana. Et si castigetur seu commisceatur cum elect. lenit. non damno: & eo maxime, quod inuenio Galenum & veteres sæpenumero vsurpasse hieram etiam in febribus. Sed in febricitantibus cum aqua; in non febricitantibus vtebantur cum vino. Sat est, non vsque adeo in febribus veteres abhorruisse hieram; & ideo etiam conuenire eam posse tanto magis in quotidiana.

Circa præparantia primum cogitare oportet, vtrum pituita, quæ facit febrem, possit vna expulsione purgari, an vero sit opus pluribus expulsionibus. Nam, si possit vnica vice expelli, sufficiet quoque vnica pręparatio, atque ea insignis, Sin autem nequeat vnica expurgatione vniuersa materia expelli, opus erit pluribus expurgationibus, & pluribus præparationibus.

Num vna vice vel pluribus materia sit expurganda vt cognoscatur.

Sed dicetis quo pacto cognoscendum est nobis, quando materia debeat vna vel pluribus vicibus expurgari? Cognoscetis hoc perspecta diligenter natura pituitæ febrem efficientis: quia si pituita sit dulcis, sit acida, sed tenuis, sperandum est, posse facilius expurgari, Quod si salsa sit aut acida & crassa, hoc est, vitrea, certum argumentum erit, opus esse pluribus præparationibus, atque etiam expurgationibus. Igitur si vnica præparatio sufficiat, poteris hunc in modum præparare.

℞. Fol. hyssopi.
Beton.
Cetrach.
Cuscutæ an. M. ß.
Rad. petroselini ʒ. iij. F. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij.*
Oxym. simpl.
Syr. de beton.
Syr. byzant. an. ℥. ß. M. nam huiusmodi syrupus neque ex valentissimis est, neque etiam ex imbecillibus. Auicenna & aliqui alij Arabes damnant in quotidiana vsum syr. acetosi, eo, quod in hydropem faciat incidere ægros. Sed cum non videam huius consilij rationem vllam magnopere suspicor, ne verba illa sint potius deprauata, eo maxime, quod scimus acetũ, & mel magnam potestatem habere ad attenuandam, detergendam, & incidendam pituitam. Postquam igitur humores præparati erunt, euacuari debent.

Vsus turbith.

Pro euacuatione mirifice omnes Arabes extollunt vsum turbith. Est & agaricus, qui plurimum valet. Sed de turbith illud annotare debetis, quod scriptum est a Mesue, eum vsurpandũ esse potius in decocto aut in substantia, quam in infusione, quia nil operatur ob suæ substantiæ crassitiem & soliditatem. Igitur sic medicamentum pro quotidiana purgatorium ordinare poteritis.

℞. Fol. senæ ʒ. j. ß.
Turbith. ʒ. j.
Myrob. chebul. ℥. j. ß.
Sem. citri ℈. ij.
Passul. ℥. ß.
Fol. cordial. P. j. fiat decoct. s. a. & facta diligenti expressione propter turbith.
℞. d. d. ℥. iiij.
Agar. trochisc. ℈. iiij. Infund. omnia s. a. post facta iterum expressione adde.
Mellis rof. solut. ℥. iij. ß. Misc.

De sena no.

Et notate de sena; quod me videbitis frequenter in decoctionibus purgatorijs, & lenientibus ipsam vsurpare, quod facio, & hortor vos vt faciatis, quoniam hoc medicamentum est veluti calcar blandissimum aliorum medicamentorum purgantium. Si materia euacuari non possit vnica vice, vt heri monebam, necesse est pluribus vicibus & præparare, & purgare illam. Ita tamen, vt alia ratio seruetur in initio, alia in augmento, alia in statu. In initio omnia leniora esse debent, & ideo sic præparare poteritis.

Dum materia febris vna vice expurgari non potest, varia propinanda.

℞. Fol. beton.
Hyssopi.

Puleg.

Puleg.
Cichorij. an. M. ß. f. decoct.

Deinde *℞. d. d ℥ iij.*
Mel. ros. simpl.
Syr. de beton.
Syr. de hyssopo, an ℥. ß. M.

sunt purgantia pro temporum morbi, naturæ, &c.

Sic præparati humores expurgabuntur hoc blando medicamento.

℞. Agar. infusi. & express. f. a. ℈. iiij.
Mellis ros solut. ℥. iij. ß.
Decoct cor q. s. fiat potus.
℞. Turbith. ℈. iiij.
Zingiberis ℈. s.
Passul ℥ s.
Fol. senæ ℥ j. s fiat decoctio f. a deinde.
℞. dicta decoct. ℥.. iiij.
Agaric. troch. ʒ. 1.
Macis.
Cinnamomi. an. ℈. s. infundantur. f. a. deinde adde prædicta infusioni Mel. ros. sol. ℥. iij. m. f. pil.

Hæc est leuis purgatio, quæ confert initio, quando scilicet nondum exacte præparati sunt humores. In augmento augenda est vis, & præparantium & expurgantium: ea propter sic præparabuntur.

℞. Rad fœniculi.
Asparagi. an. ℥. ß.
Fol. cetrac.
Capil. ven.
Cuscutæ an. M. ß. decoct &
℞. d d ℥ iiij.
Oxymel. com.
Syr. de beton. com. an. ℥. j. M.

Sic præparati iterum purgabuntur hoc pręacto.

℞. Turbith ℈. iiij.
Sem. citri.
Sem. coriand an. ʒ. ß.
Fl cord. P. j. f. decoct.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij. ß.*
Agar trochis. ℈. iiij. Infundantur. f. a.

Deinde *Prædicta infusioni adde.*
Confect. Hamech. ʒ ij.
Mellis ros. solut. ℥. iij. M. & f. potus.

In statu adhuc magis expurgandum est atque etiam præparandum. Vnde sic præparabitis.

℞. Rad. apij.
Fænic.
Cichor. an. ℥. ß.
Cicerum rub. P. ß.
Fol. beton.
Farfara an. M. ß f decoct. &
℞. d d. ℥. v.
Syr. byzant.
Syr. de quinque rad. an. ℥. j. M.

Num ad cognoscendam præparationem iudicium ex vrina sumendum.

Præparati humores purgabuntur. Et aduertendum est, Alex. Trall. ad hoc vt cognoscatur materia Præparata, & apta euacuationi omnino damnasse iudicium ex vrinis, duabus rationibus: tum, quia vrinæ faciliter permutantur erroribus, qui in victu committuntur: tum qui sedimenta, quæ deberent in vrinis apparere, sæpe per sudorem & insensibilem transpirationem excernuntur. Vnde laudabat, vt alias etiam dixi, vt attenderetur motus materiæ, quia pituita cum nondum est præparata expulsioni, firma & fixa hæret. Vbi vero præparata est, mouetur de loco ad locum, flatus facit crepitus intestinorum turbationes, murmura, tumores, & alia, quæ argumenta sunt materiæ motus.

Sed alias dixi, rationes huiusmodi & hoc consilium Alexan. haud multum valere, quandoquidem regulæ Medicorum non sunt factæ propter eos ægros, qui erant, sed factæ sunt cum hac conditione, vt & æger & Medicus, & astantes opportune se gerant: quemadmodum sanctus senex præcepit. Præparati itaque humores euacuabuntur, & pro euacuatione potest sufficere secundum purgatorium præscriptum. Possunt etiam, vsurpari pilulę validę, pil. aggreg. pil. aureę. Et ego soleo vti his pilulis.

Trochisc. alhandal. gr. vij.
Pil. de agar. Mesu.

Pil.

In febribus Medici raro dant pilulas nisi in quotidianis.

Pil. aurearum an. ℈. ii. M. post quas pilulas propinatur immediate modicum iuris cum duabus plus minusue vnciis mellis ros. solut. Et aduertite, præter quotidianas febres raras esse, in quibus vtamur pilulis. Sunt aliqui, qui non possunt sustinere tedia tot purgationum, quo in casu laudat Auic. vt confugiatur ad vsum diureticorum, & attenuantium: cuiusmodi sunt iura quæ fiunt ex radicib. præscriptis. Frictiones & vt d. Gal. 4. de T. V. sufficere possent loco purgationum. Atque hæc agenda sunt rationabiliter pro curatione quotidianarum vsque ad statum.

Quid agendũ in ægris, qui multas purgationes non sustinẽt. Medicamenta physica uocata sunt mera superstitio. Declinante morbo duo alia agenda.

Dixi rationabiliter: quia medicamenta illa physica, proposita ab Alexand. & aliis plerisque, non sunt rationalia, sed, vt docet Serenus, vana superstitio ea inuenit. Declinante hac febre solent in corporibus ægrorum duo relinqui, scilicet obstructiones viscerum, & debilitates seu languores eorundem, præsertim tamen oris ventriculi. Ea propter etiam si febris inclinare conspiciatur, enitendum est obstructiones penitus euincere & ventriculum corroborare. Pro obstructionibus Auic. commendat vsum olei & aceti: de aceto clarum est, quia attenuat & aperit vnde male Auer. quemadmodũ heri dicebam damnat syr. acetosum. Sed de oleo certe dubius sum, an sit accommodatum; nisi dicamus apud Arabes maxime fuisse in vsu oleum, quippe quod Auer. 5. coll. 36. mirum in modum commendat, adeo, vt dixerit coquos consueuisse carnes in ipso coquere. Quod etiam memoriæ prodidit Gale. 3. de simpl. med. Itaque vsus frequẽs oxym. & simp. & comp. mihi placet.

Similiter iura, in quibus cocta sit radix apij, feniculi, capill. Veneris maxime conueniunt. Extrinsecus frictiones optime sunt in declinatione. Et, si fieri possunt exercitationes imo conuenit etiam balnea, scilicet quæ non tantum a pellunt meatus, verumetiam dissipant putrefactos humores & concoquendo exiccant. Pro corroborando ventriculo conueniunt similiter & interna, & externa medicamenta. Ex internis sunt aromat. ros. diatrion. pip. diasp. ol. Theriaca etiam vetus. Extrinsecus conuenit hæc inunctio.

Pro corroborando uẽtriculo quotidiana laborantium. Inunctio uẽtriculum cõroborans.

℞. Ol. mastich.
Ol. de absynth. an. ℥. iij.
Succi menthæ.
Absynthij an. ℥ j. ß.
Vini cretici ℥. ij Bulliant simul in duplici uase vsque ad consumpt. uini. Deinde adde.
Ladani.
Nucis mosch an ℈. ß.
Macis,
Ligni aloes.
Caryoph.
Calami aromat. an. ℈. j.
Moschi gr. v. cum cera q. s. fiat linimentum.

De curatione febris epiala.

Sic pariter incedendum est in ea quotidiana, quæ fit a pituita vitrea, & quæ nuncupata est a Gale. epialos. Illud vnum est not. quod cum humor vitreus sit crassus, viscidus, & admodum frigidus, opus est medicamenta administrare magis calefacientia, magis detergentia, & magis attenuantia. Dixi vero Epialam secundum Gale. quia, vt superius docui, varie locuti sunt de febre epiala & Arist. & Auicen. Nam Arist. sub nomine epialæ descripsit nobis febrem ardentem, imo forsan eam, quæ fit a pituita salsa. Secus autem Auic qui diuersus in hac & ab Aristot. & a Gal. depinxit nobis aliam epialam: quippe cum dixerit, in hac febre occultari frigus, & manifestari calorem, perinde ac si dixisset, in hac febre interiora frigere, & exteriora comburi.

Sed iure dubitari potest aduersus Auic. qui fieri possit, vt in vlla febre possint interiora, sine, vt dicit Auic. profundæ partes frigere, quandoquidem compertissimum est apud omnes Medicos, non posse febrem generari, nisi cor accendatur. Corde accenso absurdum videtur existimare interiora alia membra posse frigere.

Modus generationis epialis.

Sed hæc dubitatio potest dissolui ex explicatione generationis huius febris, proposita ab Auicen. Nam, vt ipse docet, cum hæc febris originem ducat, ex putrescente vitrea pituita, fit, vt ex hac putrescente materia feruidi vapores in ambitu corporis mittantur, qui cum calidi sint, extremas partes verisimiliter calefaciunt. Materia autem pituita cum sua pte natura frigidior sit, neque nota, vt audiuistis, simul putrefiat, fit, vt permanens minuta, aut etiam interdum mota, suo frigore naturali partes internas & profundas, quibus hæret, frigefaciat.

Sed aduertendum est, per profundas partes non omnes intelligere Auic. sed tantum ventriculum, intestina, musculos, & venas interiores, minime autem cor, quippe quod & ipsum a vaporibus putridis & calidis accenditur, adeo, vt multo calidius euadat, quam stante febrem. Atque hoc, Domini, cognoscetur ex vrinis ipsius, quia vrinæ, vt dicit Auicen. in huiusmodi febre non solum crudæ & tenues sint, verumetiam inter mingendum solent actu frigidæ fluere. Quod argumentum est, partes, vnde discedunt, esse frigidas. Curatur hæc epiala Arabum eo pacto, quo aliæ pituitosæ, quare vlterius nobis progrediendum.

De febre lipyria.

Inter pituitosas sunt quoque alia genera febris, quæ appellantur variis nominibus. Et inter alias est quædam, quæ dicitur a Græcis Lipyria. Arabes appellant modo lypariam, modo lypiriem. Est etiam alia febris pituitosa, quæ appellatur ab Auic. syncopalis, hoc est in qua propter frigidam pituitam, stomachum obsidentem, frequenter syncope contingat.

Est & tertium genus pituitosarum, quod vocatur a Græcis [illegible], nostri vocant hemitritaeum. Sed quia peculiarem tractationem postulant hæ febres, dimittemus eas vsque ad tempus

commo-

commodius. Auic. 1. quarti tr. 4. cap. 49. inter febres pituitas memorat vnam, quam scribit laycam vocari: quæ quoniam sæpe in ore omnium versetur, necesse est, aliquid breuiter dicamus.

De febri latyca Auic.

Signa latycæ feb. Auic.

Plerique existimarunt febrem hanc latycam non esse aliam, quam quotidianam continuam, adducti forsan Auicen. verbis, quibus scribit hanc febrem carere eradicatione. Sed vt ego puto, longe falluntur, quoniam etsi scribat Auicen. hanc febrem carere integra intermissione: duobus tamen alijs characteribus disertissime distinguit latycam a quotidiana continua. Primo, quia scribit, febrem latycam inchoare cum frigore & horrore. Iam vero vt alias docui vos, compertissimum est, omnē febrem continuam carere rigore & frigore, vt minime inter continuas sit recensenda. Alio charactere distinguit Auicen. quia scribit febrem latycam esse similem febri hecticæ. Iam vero quotidiana cōtinua nullam fere similitudinem cum hectica habet: vt propter hoc longe sit alia latyca Auic. a quotidiana continua, quare patet, esse quidem febrem pituitosam, & quotidianis aliqua ex parte similem, non tamen esse quotidianam continuam.

In reliquis cum eadem signa, & eand. curationem habeat, supernacuaneum est, plura dicere de ipsa, quam Auic. quoque breuissime tractauit.

Sequitur postremo quædam alia pituitosa febris secundum Auicen. quæ a Græcis vocata inuenitur lypiria. Barbari vocant hanc lypariam. Et secundum omnium sententiam febris est, in qua simul vruntur interiora, & exteriora frigent. Et notandum est, differre lipytiam a febre maligna; quia in hac exteriora quidem frigent, sed interius neque calor percipitur, contra quam inuenitur in lipyria. Sed circa hanc febrem exoritur non leuis controuersia. Nam Gal. 3. de simpl. 3. 4. aph. 48. 2 prog. a. & alib. recenset febrem lipytiam inter febres ardentes. & Hippoc. in lib. de aff. scribit hanc febrem nuncupari æstuosam, quasi dicat ardentem. Ad hæc voluit Gal. huiusmodi febres consequi inflammationes viscerum, & Aetius lib. 5. c. 89. prodidit lipytiam proprie sequi inflammationem ventriculi, sicuti Typhodes sequitur inflammationem iecoris, & cyphodis pulmonum.

Differentia inter malignam & lipyriam.

Ceterum, Auic. loco citato, & cum Auic. Mesues reposuerunt febrem hanc lipyriam inter pituitosas. Ad hęc, si lipyria sequitur inflammationes viscerum, non videtur proprie esse morb. Sed potius accidens: cum tamen Gal. tanquam morbum ipsam recenseat. Pro solutione huius dubitationis dupliciter potest responderi. 1 non inconuenire, febrem aliquam esse pituitosam, & ardentem: quandoquidem, vt alias docebamus, ex pituita salsa fit etiā febris ardens. 2. responderi potest apud Gal. duplicem esse lipytiam, aliam ardentem, & inflammationes viscerum sequentem, aliam autem minime ardentem, de qua locutus videtur lib. de inęq. intemp. cap. 8. vt hęc postrema sit eadem cum ea lipytia, quam proposuit nobis Auic. inter phlegmaticas. Sed vtcunque sit, non tollitur quin etiam diuersa sit lipyria Gal. & lipyria Auic. quādoquidem Gal. suam lipytiam nunquam expresse a pituita oriri scripsit. Iam vero Auic. duas lipyriæ species nobis proponit, vnam ex pura pituita putrescente; alteram ex crassa bile putrescente.

Duæ lipyriæ species ex Auic.

Vbi dominatur pituita duplex secundum Auic. est modus generationis lipyriæ, vnus est quādo in intimis corporis partibus pituita insigniter putrescit; in quo casu propter tres causas possunt flagrare interiora, & tepere exteriora; vna causa est, quod ex pituita putrescente vapores iātum crassiores tollantur, qui cum ob crassitiem nequeant ferri ad exteriora incendium internū causant. Altera causa est quod vbi putrescit pituita, ibi maximum fiat incendium, & consequenter omnis calor rapiatur ad locum putredinis, sicque extrema calore deserta refrigerentur. Tertia causa est, quod in extremis partibus reperiatur humor frigidus & vitreus, qui illas partes refrigeret, nec a calore putredinis possit calefieri.

Secundus generationis modus est, quod a putrescente pituita eleuentur quidam vapores, atque hi ferantur in habitum corporis, vbi primum calefaciunt, sed post repulsi a frigore humoris ibi existentis, refrigerantur & ipsi.

Et aduertite in secunda hac generatione lipyriæ, vsu venire, vt incipientibus febribus, æque caleant externæ partes atque internæ, sed paulo post extrema refrigerentur, & ita perdurent.

Alia species lipyriæ est, quæ efficitur a bile crassa putrescente: ex qua tametsi vapores eleuentur, nequeunt tamen penetrare ad extimam cutem & calefacere, quoniam partes illæ externæ obstructæ sunt, nec transitum permittunt. Auic. qui vidit statim sibi posse obijci, hanc febrem non esse veram febrem, quia calor non est per vniuersum diffusus, inquit ab ipso additum fuisse in definitione febris, debere diffundi calorem in vniuersum, nisi impediatur.

Signa tradit Hippoc. 2. lib. de morb. vbi scribit, in hac febre præter calorem internum & frigus externum linguam aridam esse, expiratione feruidum aerem efflari, vomitus biliosos esse, colorem icterium, vrinas flauas, & hypochondria quarta, vel quinta die dura & densa apparere.

Est lipyria sua natura exitialis, quia vt Hippocrates testatū reliquit, semper malum esse, si interiora vrantur, & exteriora frigeant. Scribit Hippocr. 2. de morbis. solere hanc febrem desinere in hydropem capitis.

Rationem certe inuenire non possum, & sum huius sententiæ, hoc tantum dictum esse vel ab Hippoc. vel Polybo, huius libri auctore ex obseruatione, non autem ex ratione. A nemine fere peculiaris huius febris tradita est curatio, quia siue loquamur secundum Galenum, est febris comitans inflammationes, & curatur curatione illarum inflammationum: sin. a. loquamur secundum Auicen. huic debetur eadem curatio, quæ proposita est in alijs febribus pituitosis. Hip. tamen. & 2. de morb. & in lib. de affect. nonnulla documenta reliquit maxime pertinentia ad huius febris peculiarem curationem,

Sunt

Sunt autem hæc, vt circa victum, dum febris adest, solæ sorbitiones adhibeantur: finita febre exhibeantur cibi. Pro aluo colluenda clysteres molles tantum proponit. Pro potu laudat aquã mulsam copiosam. Laudat etiam vinum aquosum post sorbitiones. Sed enim aduertere oportet, veteres illos, vt alias dixi, multo audaciores fuisse in concedendo vino, quam nos sumus.

Circa curationem lipyriæ notanda ex Hip.

De medicamentis purgantibus, dicit Hip. quã diu hæc febris durat, ab omnibus purgatorijs esse abstinendum: vbi autem febris abiit, purganda esse corpora iis medicamentis, quæ ducunt flauam bilem. Et quia potuisset aliquis dicere vanum esse exhibere medicamenta, cum iam febris sit finita, respondet Hippocrates necessariam esse purgationem etiam finita febre, quoniã solet redire hæc febris, nisi corpus ab humoribus superuacaneis depuretur.

CAPVT XIII.

De febribus sanguineis.

ITaque absoluta iam tractatione febrium pituitosarum, superest postremo loco quartum & vltimum genus putridarum simplicium, siquidem, cum sint quatuor genera humorum putrescentium, rationi videtur consentaneum, tot esse genera febrium: vt cum visum sit fieri febres ex bile flaua, & ex bile atra, & ex pituita, reliquum nunc est, vt diligenter inquiramus, vtrum fiat quartum genus febrium, scilicet ex sanguine ipso. Est autem hoc quæsitu dignissimum, quoniam, vt præclare scripsit Auic. 4. coll. 31. hæc quæstio antiquissima & difficilima est. Et ratio difficultatis est, quoniam nõ solum Gal. hac in re & diuersus, & sibi pene contrarius extitit verumetiam Auic. ex professo aduersus ipsum disputauit.

An reperiatur febris sãguinea.

Et, vt intelligatis exactissime quicquid Galen. dixit, antea illa debetis ad memoriã reuocare, sanguinem apud Medicos dupliciter accipi. vno accipitur pro quarto humore puro & seiũcto ab alijs humoribus, qui quoniam in corpore nusquam inuenitur, de eo non est nobis loquendum. Alio modo accipitur sanguis pro toto illo aggregato, tota, illa massa, quæ posita est in venis, quam massam scribit Gal. lib. de mult. cap. 10. nuncupari sæpe a Medicis nomine χυμῶν, hoc est succorum Gal. 2. de diff. feb. 9. & 2. de cris. c. 8. & 12. postquam cõtemplationem de febre sanguinea difficilem esse prædixisset, duo de febre sanguinea annotatione digna scripta reliquit. Vnũ quod necesse sanguinem putrescere, vt alij humores putrescunt, eo quia corpora quæ sunt calida & humida putredini sũt obnoxia; sanguis est calidus, & humidus, ergo putredini obnoxius. Alterum quod scribit, est, quod sanguis iam dicto modo acceptus vbicũque putrescit, facit quidem febrem, sed nõ est diuersa ab alijs febriũ generibus quia vbi sanguis putrescit, pars subtilis & pinguis mutatur in bilem, pars vero crassior in melancholiam, ita quod bilis cum sit magis exposita putrefactioni, prior ipsa putrescit; vnde fit febris quæ tertianam refert, aut ipsa est tertiana. Quod si quis diceret Gal. cur non fit febris melancholica, respondet non fieri, quia in hac putrefactione melancholia tardius suam propriam formam acquirit, & consequenter tardius putrescit, ita, vt non possit febrem inducere.

Contra idem 9. meth. 2. 3. 4. & 5. voluit ex sanguine duas febrium species fieri alteram cum sanguis inflammatur, sed non putrescit, atque hanc scribit synochum appellari sine putredine; alteram vero fieri vbi sanguis non tantum inflammatur, verumetiam putrescit. Vt hinc appareat dixisse iure Auerr. in hac febre tractanda Galenum dubium & sibi contrarium fuisse.

Ceterum Auic. 1. quarti tr. 2. cap. 44. circa tractationem sanguineæ febris in multis criminatus est Galenum & primum ei imponit quod & Hip. rationi contraria senserit: deinde conatus est demonstrare eam febrem quæ fit ex sanguine putrescente, & quam Galen. dixit biliosam esse, minime biliosam vocari debere: Ad hoc autem probandum vtitur multis argumẽtis Auic. sed admodum obscuris & inuolutis. Explicabo autẽ ea quam dilucidissime potero. Inquirit igitur Auicen. si ex sanguine putrescente fit febris biliosa, aut fit postquam sanguis putrefactus est aut fit eo tempore quo putrefit. Non posse fieri post putrefactionem; conatur probare Aui. tribus argumentis. 1. vbi sanguis putrescit, minime secundum totum cõuertitur in partes alienas sed tantum secundum partes. Igitur ubi febris fit cum sanguis secundum totum minime fit putrefactus ab ipso tanquam a toto, non a partibus facienda est denominatio, ergo sanguinea nõ biliosa vocanda. 2. argumentum est quod quotiescunque sermo habetur de febre putrida, non habetur de ea quæ sequitur putrefactionẽ abeuntẽ, sed de ea, quæ sequitur putredinẽ præsentẽ. Ea propter non possumus intelligere, quod post putrefactionem febris hæc biliosa sit vocanda 3 post ipsam putrefactionem minime certum est, an bilis quæ generatur sit putrida necne, & propterea minime sequitur, vt ea febris dici debeat biliosa, nam inquit Auicenna & vere, sæpe vsu venire vt ex re putrescente possint oriri aliæ res non putridæ, siue sint vapores, siue sint humores, sic ex sanguine putrescente possunt segregari humores non putridi, vnde si bilis non sit putrida, non poterit Gal. febrem hanc vocare biliosam.

Febris quæ fit ex sanguine putrefacto non est biliosa.

Atque his tribus argumentis satis apud Auic. inuolutis nititur probare post putrefactionem sanguinis non fieri febrem biliosam. Quod etiam non fiat dum putrescit, totid. argumentis conatus est ostendere. Primum argumentum est ex Arist. 4. meteor. 6. quo in loco scribit Aristot. putredinem non esse rerum mutationẽ, sed esse viam ad mutationẽ. Quod si verum est inquit

Febris quæ fit sanguine putrescente non est biliosa.

Auic.

Auicen. sanguis putrescit minime mutatus est, sed mutatur: propterea sicut sanguis adhuc est, ita febris ex ipso putrescente debet vocari sanguinea. Secundum argumentum est, putredinem non habere tempus, & ideo non posse definiri, vel in putredine sanguinis gignatur bilis, & conseq. febris sanguinea. Quid voluerit hac verborum obscuritate docere Auic. dum dixit putredinem non habere tempus, multi interpretes laborarunt indicare. Et inter alios M. Ant. Zimara putauit contextum deprauatum esse, sed nisi fallor minime Auicen. deprauatus est, sed eius sententia fuit introductionem formæ in putredinem non habere tempus, propterea quod hæc in instanti efficitur, adeo vt dum putrescit sanguis & febris est, non possit haberi tempus in quo noua huius vel illius humoris forma introducatur. Tertium & postremum argumentum est putredinem esse purum accidens, & conseq. posse abesse & adesse sanguini sine illius corruptione, vnde si potest adesse sanguini absque illius corruptione, sequitur vt dum putrefit sanguis, adhuc sanguis integer sit & conseq. febris ex illo sanguinea sit appellanda. Hæ sunt lites quæ inter Gal. & Auic. nec non inter sectatores de febre sanguinea vsque ad hæc tempora durarunt. Pro quibus decidendis complures studuerint, & inuenio ego duos esse celebratissimos modos hanc litem definiendi. Vnus est eorum qui dicunt putredinem aut esse exiguam aut multam, si putredo sit exigua, dicunt isti fieri febrem sanguineam, atque hoc pacto esse interpretandum Auic. sed si putredo multa sit febrem fieri biliosam, atque hoc modo Galenum esse locutum. Alij diuerso modo conati sunt respondere dicentes putredinem sanguinis posse considerari dupliciter, vel in principio vel in progressu. Si consideretur in principio inquiunt sanguinem adhuc integrum esse, & propterea febrem debere appellari sanguineam, sicque esse intelligendum Auic. Si autem consideretur in progressu tunc mutari sanguinem in bilem, & conseq. debere appellari febrem biliosam, & hoc modo locutum esse Gal.

sa cōtra Galenū ex Auicen.

Sunt quidem hi modi speciosi, veruntamen argumenta Auicen. minime soluunt, quandoquidem siue putredo sit multa, siue pauca, siue sit initio, siue sit in progressu, semper est accidēs, nunquam sanguis secundum se totum corrumpitur, propterea valent rationes Auic. permanēte sanguine putrescente febrem debere appellari sanguineam. In hac itaque rerum difficultate, dicam & ipse quid semper senserim, idque vt intelligatis nonnulla sunt statuenda, vnum est nō minium Medicos verumetiam Philosophos & præsertim Plat. in Timeo, nec non Aristot. 3. de hist. anim. c. 19. & 2. de part. anim. 9. existimasse sanguinem in omnibus animalibus putrescere. Alterum statuendum est, quod Gal. plerisque in locis docuit, & præsertim 9. meth. 3. sanguinem putrescere in omnibus corporis locis posse tam extra venas, quam in venis ipsis, & tam in paruis quam in magnis. Tertium statuere oportet sanguinem nunquam secundum se totum putrescere posse, sed tantum secundum aliquas partes, modo secundum vnam, modo secundum duas aut plures, nam si nunquam putresceret nisi totus, procul dubio animal statim interiret, siquidem fundamentum vitæ sublatum ex toto esset. Quartum, & postremum est, vbi sanguis putrescit semper esse in ipso aliquam partem integram, aliquam penitus putrefactam, aliquam putrescentem, aliquam demum dispositam, & paratam ad suscipiendam putredinem. Atque hoc propositum haberis luculentissime a Galeno 2. de diff. feb. 5. & 2. de cris. 12. vbi Galen. & præsertim 2. aphor. 17. demonstrat exemplo acescentis vini semper in rebus putrescentibus reperiri huiusmodi partes. His ergo sic constitutis semper Domini iudicaui litem inter Galen. & Auicen. esse veluti de lana caprina, quoniam tantum lis est in verbis; nam cum putrescente sanguine semper in ipso reperiatur pars vera sanguinis, pars sanguinis non puri, & pars sanguinis mutari, quod prohibet quo minus appellemus ipsam febrem modo sanguineam, modo biliosam, imo vero si recte verba Græca Gal. examinemus, & præsertim 2. de cris. 12. vult Gal. dum putrescit sanguis sanguinem fieri quodammodo biliosum, non autem veram bilem, & propterea dicit etiam non simpliciter febrem hanc esse biliosam, aut non posse etiam appellari sanguineam. Neque valet quod Alexander. 1 proble. 83. scribit, vbi quærens cur sit quod non fiat quartum genus febrium ex humoribus putrescentibes, respondet propterea esse, quia sanguis dum putrescit conuertitur in bilem, quoniam eo in loco debemus intelligere apud Alex. pro bile sanguinem biliosum, alioqui sibi ipsi contradiceret Alexand. quia 2. problem. 12. manifestissime docuit, dari febrem sanguine hoc est febrem sanguineam. Quæ febris sanguinea inuenitur apud Medicos tres differentias habere: quod vt intellexistis, alia est febris, quæ fit ex sanguine feruente, sed non putrescente, & vocatur synochus sine putredine; alia est, quæ fit ex sanguine putrescente, vocata a Gal. & ab omnibus alis synochus putrida, quæ synochus putrida duplex & ipsa est, quoniam alia fit ex sanguine in venis magnis putrescente, alia vero fit ex sanguine qui putrescit in venis paruis. Vtraque hæc febris, scilicet iam putrida, quam impuriida adhuc habet tres species, quia vel a principio vsque in finem semper decrescit, & nuncupatur paracmastica: vel semper crescit, & dicitur epacmastica; vel a principio vsque ad finem in eodem vigore permanet & nuncupatur homotona. Nam, quæ semper decrescit idcirco talis est, quia cum in febrib. semper aliquid consumatur, in ipsa id quod consumitur plus est quam illud, quod continuo putredinem acquirit, quæ crescit id quoque habet, quoniam si comparetur illud quod quotidie consumitur illi, quod nouiter accedit & putredinem concipit, multo plus est: postremo acmastica non alia semper ratione in eodem statu permanet, nisi quia tantum est id, quod quotidie nouiter accenditur, & putrescit, quantum est illud, quod continue consumitur, adeo, vt tam in febre cum putredine, quam in febre sine putredine causa coniuncta, & immediata sit sanguis, siue sanguis tantummodo ardens, siue sanguis, & putrescens.

Differentia febris sanguinea.

Cur quedam sanguinea epacmastica, alia paracmastica, alia homotona.

Causæ mediatę, sed internę, febris sanguinis sunt in primis temperatura corporis sanguinea, sexus virilis, & inter viros pueri & iuuenes maxime omnium sanguineis febribus exercentur. Preterea retentæ hæmorrh. vel menses inter has causas recenseri quoque possunt.

Ex causis externis est anni tempus: cum vere scriptum sit ab Hipp. in primo de nat. hum. sanguinem exsuperare. Sic regiones septentrionales, in quibus corpora procera, & sanguinea, fiũt, sunt causę externę harum febrium; Somnus immodicus, otium, abstinentia Veneris ex iis sunt, quæ ad febres sanguineas producendas conducunt. Similiter vina generosa, cibi, qui multum nutriunt: &, vt monet Auic. carnes pingues facultatem habent, producendi huiusmodi febres Alex. Trall. lib. 12. cap. 2. connumerat inter has causas iram, atque ieiunium.

De ira facile concedam, posse has febres accendere. Sed de ieiunio quod compertum est sanguinem imminuere, non parum dubito; nisi dicere placeat pro Alex. ieiunium per se nihil conferre ad harum febrium generationem, sed tantum in corporibus sanguineis, in quibus ieiunio sanguis incalescit, & consequenter febrem producit.

Circa hanc causarum theoriam tria occurrunt problemata cognitu digna. Primum est, vtrum febris sanguinea possit fieri interpolata, quod fit ex aliis humoribus. Secundum est, cur fiat, quod sicut ex sanguine fiunt tres febris species, nempe epacmastica, paracmastica, & homotona; sic etiam ex aliis humoribus incensis, aut putrefactis non fiant. Tertium est, cur si incalescat sanguis tantum, fit febris, non item si reliqui humores incalescant. Ad primum respondendum est, sanguinem, vbi putrescit, vel putrescere extra vasa, vel putrescere in vasis. Si putrescat extra vasa, facit inflammationem. Et inflammationem producat febrem, sicuti ipsa est continua; pari pacto necesse est febrem esse continuam, imo, huiusmodi febrem solent Medici appellare non morbum, sed symptoma. Si putrescat in venis, cum sanguis sit copiosus, & totus sibi continuus, vbi semel putredinem conceperit, non amplius dimittere potest, nisi ex toto a calore putredinali liberetur. Et idcirco, cum hęc non contingant ceteris humoribus, iure fit, vt nulla sanguinea interpolata esse possit.

An a sanguine possint fieri febres interpolatæ.

Ad secundum respondere oportet, naturam esse valde solicitam in tuendo sanguine etiam putrescente ita quod si non potest prohibere putredinem, saltem corrigit, & depurat ipsum ex qua depuratione necessario fit, vt continuo ab ipso sanguine fiat aliqua resolutio, & quia etiam semper morbus agit in sanguinem, hinc fit, quod semper aliqua pars resoluitur, & aliqua additur, in aliis humoribus cum non sint ita naturæ amici, neque etiam ipsa solicita est, vt eos depuret, & resoluat continuo ex ipsis. Alia causa huius euentus est, quia ceteri humores pauci sunt, ea propter si quæ fit resolutio, inæqualis est, modo finitur prorsus, modo augetur, ita vt nullus certus ordo appareat. In febre autem sanguinea secus est, quia cum sanguis multus sit, vt intellexistis, fiunt resolutiones, quæ sene quadam continua necessario fit ęqualis morbi effectui, vel sit superior, vel sit inferior. Neque audiendus est Rhasis, qui 16. continent. dixit in terriana febre interdum conspici has species febrium, quia hoc falsum est, nisi intelligamus febres biliosas factas ex sanguine putrescente, quemadmodum audiuistis ex Gal. sententia.

An solum in febribus sanguineis tres dictæ species numerantur.

Ad tertium respondendum est, sanguinem, cum sit omnium humorum calidissimos caliditate, naturali consequenter vim quandam egregiam habet ad tuendum sese aduersus omnes iniurias, & præsertim aduersus causas putrefacientes, reliqui humores minimum resistunt causis putrefacientibus. Itaque sanguis calefactus diu quidem durare potest absque eo quo vel putrefiat, vel comburatur; alij vero humores vbi semel sunt incensi aut vruntur statim, aut putrescũt: adeo, vt non possint facere eam febrem ex pura incensione, quæ efficitur ex sanguine flagrante, sed nondum putrescente.

Signa febris sanguineæ alia sunt communia omnibus sanguineis, alia vero sunt particularia, Signa communia ab actionibus læsis capta, sunt in primis somnolentia fere perpetua, stupor quidam mentis, insomnia rerum sanguinearum, vt narrat Galen. de illo palestrita, qui somniauerat sese in sanguinis piscina natare,

Signa febris sanguineæ communia.

Præterea difficultas anhelitus, quæ ex eo fit, quod thorax grauatus a copia sanguinis non possit ea agilitate moueri, qua conueniret. Pulsus etiam ex maximis signis febrium sanguinearum deputatur, nam in primis pulsus magnus est, propter euentationis necessitatem: & lenis, ob humiditatem, plenus, ob copiam sanguinis, est velox, quia cum natura non possit supplere sola magnitudine, velocitate conatur sufficere. Est etiam inæqualis, ob compressionem, quam patiuntur cunctæ arteriæ a sanguinis multitudine. Ex excrementis notatis sunt lacrymæ ab oculis effluentes. Sudor, qui nullus est, nisi in die critica. Neque valet quod Gal. 9. meth. 3. dixerit pulsum in his febribus esse æqualem, quoniam non id simpliciter protulisse Galen. existimandum est, sed tantum comparatiue ad alias febres, quando dicit inæqualitatem in febribus sanguineis vsque adeo exiguam esse, vt si compareretur reliquis febribus, videatur omnino æqualis. Quod ad consequentia mutata febrium sanguinearum hæc signa habentur. In primis vnica est harum febrium accessio, ita vt toto febris tempore nullum aliud appareat signum noui paroxysmi preter id, quod initio fuit. Calor perpetuo mitis & blandus est, in quo distinguitur hæc febris ab aliis, quia in ceteris febribus, vt quotidianis, tertianis, quartanis, calor modo acris est, modo mitis, modo mediocris. In sanguinea vero, & tangenti statim, & post tactum initio simul & in augmento, & in statu semper blandus est, scilicet respectu caloris aliarum febrium. Vultus floridus est, sed tumidus, venæ, & arteriæ tensæ, vt forsan propter hoc nonnulli Arabes appellarint hanc febrem inflatiuam.

An pulsus hac febre æqualis vel inæqualis sit.

Atque

Atque hæc sunt communia signa febrium sanguinearum. Particularia sunt ea, quib. distinguitur putrida sanguinea ab ea, quæ non est putrida. Nam, in putrida calor maior est, minus blandus, & propterea pulsus etiam ipsius sunt magis inæquales: nempe quorum systole semper maior, & celerior est quam diastole.

Particularia signa.

Et ratio est, quia cum opus sit maxima fuliginum expurgatione, magna quoque fiat systole quæ huic inseruit, necesse est excrementa in his fætida sunt, cuiusmodi, Galen. 8. meth. esse omnia excrementa corporum calidorum & humidorum, propterea verissimum est illud, quod scriptum inuenitur in lib. de vrinis, qui Gal. ascriptus est: vbi habetur, vrinas febricitantium ex sanguine fœtentes esse. Accidentia in hac febre putrida omnia sunt multo maiora quã in ea, quæ non est putrida, vt sunt stupor, insomnia, difficultas anhelitus, & tandem cuncta alia excepto somno. Nam in sanguinea non putrida somnus solet esse profundior, ob quod Auic. appellauit hanc febrem profundi somni.

Differentia putrida sanguineæ a non putrida.

Calor magis blandus est, sanguis minus crassus quam in putrida, id quod cognoscitur tum ex vrinis, quæ non ita sunt crassæ, neque ita rubræ, quemadmodum in putrida, tum maxime ex sanguine misso, quia siue in putrida, siue in non putrida sanguis mittatur, semper qui exit in putrida, sanguis est crassior & rubicundior, quam in alia. Febris autem sanguinea non putrida si comparetur putridæ, semper magis salutaris est.

Prognostica

Et inter putridas & sanguineas nonnulli putarunt magis exitiosam esse eam, quæ dicitur homotona; alii vero contra putant magis perniciosam esse eam, quæ vocatur epacmastica. Conueniunt tamen omnes, paracmasticam esse cunctis alijs salubriorem. Et ego sum huius sententiæ etiam esse periculosiorem, quæ homotona dicitur, eo quod in epacmastica si consideretur & principium, & progressus, saltem principium mitius est, quandoquidem hæc febris procedit semper augendo, in homotona autem totus processus febris ab initio vsque ad finem æqualiter immitis est & molestus. Si in his febribus appareant maculæ nigræ, signum lethale ab omnibus habetur, quandoquidem huiusmodi signum etiam in aliis morbis deterrimum est.

Pari pacto inquiunt nonnulli Arabes deserendos esse eos tanquam desperatos, qui in his febribus habent maculas puncturis pulicum similes. Ex quo loco nonnulli Medici colligunt et apud veteres interdum visas fuisse febres pediculares nostras, quod tamen plerique alii negant. Rhases 17. contin. narrat se expertum esse, ubi in hac febre grauatiuus dolor apparet in collo vel in ceruice, aut proximam esse mortem, aut futuram esse, vel phrenesin, uel lethargum, præsertim si aluus adstricta fuerit, quasi in hac febre malum maximum semper sit aluum adstrictã adesse.

Errãt recentiores qui dicunt veteribus febres pediculares ignotas fuisse.

Notat & aliud Auic. memoria dignum de hac febre, nempe, quantum temporis intercedit inter initium, & coctionis apparitionem, tãtundem intercedere inter apparitionem coctionis, & crisin. exempli gratia, si a principio febris vsque ad primum diem coctionis interueniat quatuor dies, quatuor quoque interuenturos esse inter diem primum apparitionis coctionis, & crisin. Id quod vobis certum documentum esse potest ad prædicendam crisin, & consequ. morbi solutionem in hac febre.

Curationem febris sanguineæ sine putredine tradidimus, cum de febribus diariis loqueremur. Nunc autem superest, vt sanguineæ putridæ curationem proponamus. In qua instituenda scopi præcipui debent hi esse; vt intemperies calida sicca corrigatur: præterea, vt sanguis a putredine defendatur; & qui iam putrefactus, & in bilem conuersus est a corpore ducatur. Pro quibus scopis complendis primum instituere oportet victum, qui debet præcise is esse, quem demonstrauimus in curanda febre ardente, præterquam quod in ardente cuncta debent esse paulo humidiora, quam in sanguinea. Quatuor autem sunt circa victum in febre sanguinea obseruanda. Primum, vt omnis cibus non tantum habeat facultatem refrigerandi, verumetiam proprietatem diminuendi, & corrigendi sanguinem, cuiusmodi multa proponuntur nobis ab Auic. inter cetera lentes, & iuiubæ, quas tametsi Galen. in lib. de cibis boni, & mali succi improbet tanquam noxias, tamen id intelligendum est, quando tantum vsurpantur pro cibis, non autem quando vsurpantur pro medicamentis, siquidem sanguinem condensant, minuunt, & putredini ipsius resistunt. Sunt etiam ex his, quæ sanguinem attemperant, pruna, damascena, fraga, poma acida, præsertim mala aurantia. Nam succus harum rerum mirificam uim habet obtundendi sanguinem feruentem. Aliud circa cibum obseruandum est, vt statim uictus tenuis præscribitur, quia cum febris sit breuis, & conseq. statum habeat propinquum, plane uictu tenui statim uti docet. Tertium est, ut hora exhibendi cibum eadem seruetur, quæ seruatur in sanitatis tempore.

Curatio.

Postremum est, vt quantum fieri potest a rerum dulcium vsu abstineatur. Nam Galenus de cimo methodi damnabat vsum melicrati, eo, quod in his facile dulcia incenduntur. Et ob id dãnare oportet eos Medicos, qui in his febribus vtuntur serapiis illis dulcissimis.

In isto victu, conuertendum est studium ad extinguendum sanguinis feruorem, quod dum fiat, & sanguinis missione, & frigidæ potu, primum mittendo sanguini incumbendum est: siquidem, ut dicit Alexand. s 2. lib. suæ med. in hac febre curanda opus est insigni cura, & solicitudine, quia, si initio omittantur præsidia necessaria, duo ingentia mala sequi solent, & præsertim omissa sanguinis missione. Vnum est, quod ignis febriles longe lateque propagatur, Aliud est, quod vires indies magis franguntur, vt non liceat postmodum generosa auxilia adhibere.

Et hoc est, quod voluit docere Hip. quando scribit in acutis morbis, si quid mouendum est initio mouendum esse, quod etiam proditum habetis a Celso lib. 3. c. 1. & 2. Itaque statim ac vobis continget visere huiusmodi ægros, nisi aluus spõte fluat, primum ducere eam debetis, vel clystere communi, vel huiusmodi bolo.

Diasebesten sine scam. ʒ. iij.
Fl cassiæ ʒ. ix. f. bolus.

Aut si potum amabit æger, poteritis præbere hunc potum.

℞. Decoct. Thamar. ℥. v.
Syr. ros. solut. ℥. iiij. M.

Solemus etiam loco decocti vti sero caprino, & præsertim æstate. Lenita aluo statim deueniendum est ad sanguinis missionẽ, qui uel mittendus erit, si licebit ex uena interna cubiti dextri, uel per cucurbitulas, non dorso, quia in affect. b. cordis, vt est febris, ualde nocent, sed interdum naribus; interdum cruribus adhibitas, vel per crurum scarificationes.

De quantitate sanguinis mittendi uoluerunt pletique usque ad animi defectum esse mittendum. Sed alias hac de re cum Auerroe, disputauimus. Ob id nunc id tantum est decernendum, aut nunquam tantum sanguinis esse mittendum, aut tantum, quãdo corpora sunt admodum sanguinea, & ita robusta, vt possint sustinere animi deliquium absque detrimento.

De vsu aqu. frigidæ in sãguinea. Postquam sanguis missus est, videndum est, utrum locus sit exhibitioni frigidæ aquæ, an potius ea dimissa alia sint agenda. De frigida exhibenda, quoniam in tractatione febris ardentis copiose sumus locuti, non oportet, vt eadem inutiliter repetamus. Illud satis est, frigidam opportune adhibitam in curatione huius febris potentissimum remedium esse, omniaque illa facere, quæ optabat Galen. a missione sanguinis vsque ad animi deliquium, eo quod statim extinguat incẽdium, moueat aluum, moueat sudores copiosissimos, ita vt feliciter febris ex toto adimatur.

Post hoc studendum est purgationi, & expurgationi putridorum humorum. Neque dehortari ab hac operationẽ debetis uos, quod hæc febris sanguinea sit, & sanguinem nulla medicamenta euacuent, quoniam, vt suo loco intellexistis, dum putrescit sanguis, pars quæ putrescit, plerumq; conuertitur in bilem: interdum in alios humores. Vnde propter hoc humores putrefacti sunt expurgandi, ne, si relinquatur, febrem renouent. Igitur pro præparatione poteritis vti hoc potu.

℞. Iuiub.
Prunor. num. x.
Lentium P ß.
Fol nymphaæ.
Endiu
Portul an. M. i. f. decoct. f. a.

Deinde *℞. d. decoct. ℥. v.*
Syr. de Iuiub. ℥. ſ.
Oxysacchara ℥. j. M. Nam ualet hic potus maxime ad bilem ipsam obtundendam, & ad expulsionem præparandam. Vbi erunt præparati, postmodum poteritis hũc in modum eos expurgare:

℞. Prunor. Damasc.
Sebesten. an. num. xij.
Myrob. citrin. ʒ. j. ß.
Sem acetosæ ʒ. ß.
Fl. cordial. P. j. f. decoct. f. a.

Deinde *℞ d d ℥ iiij. ß.*
Rhabarb elect ℈ iiij
Calami odorati gr. iiij. Infundantur omnia f. a.

Deinde facta expressione adde.

Syr. ros. solut. ℥. iij.
Elect. de dactyli ʒ ij. ß. M & f potus.

Et aduertite pro praxi huiusmodi remediis nos etiam sepe solere vti in morbillis, & variolis, eo, quod plerumque huiusmodi febres solent esse coniunctę variolis, & morbillis. Postquam expurgati sunt humores, solent in corporibus manere quędam reliquię preteriti feruoris; & pręsertim solent viscera incensa diu perdurare, vt iecur, vt renes; aduersus quas reliquias certandum est remediis, & internis, & externis.

Inter interna magno fructu administrari solet serum caprinum optime depuratum, quod exhibendum est, & diu, & in magna quãtitate, prout aluus aut mollis aut dura est. Si enim mollis sit, sufficit lib j. vel lib. ß. Sin autem dura sit aluus, melius est modo in hac præscripta copia modo vsque ad ℥ xl. exhibere.

Et sciatis, Domini, in febribus diuturnis, & pręsertim post purgationes corporum, ad extinguendas penitus febres serum prudenter administratum magnam vim habere. Sic quoque inter remedia interna numerantur troch. sc. de spodio ab Auicenn. troch. de campho. species diarrh. Abbat. etiam maxime ualent. Et poteritis quoque huiusmodi confectionem pręscribere.

℞. Trochisc.

Trochiſ. pro feruore iecoris.

℞.Trochiſc.de ſpodio ʒ.j.
Specierum diarrh.abbatis ℥.j.ß.
Conſer.nymphea.
Cich.an.℥.j.ß.M.

Vſus confectionis huius eſt, vt ſingulo mane quatuor vel quinque horis ante prandium ſumatur ʒ ß.ipſius,& deinde ſuperpotetur vel ſerum prædictum, vel aq.cichorij per alembicum extracta, aut endiu.aut nymphçæ ʒ.iiij. laudo quoque, vt interdum exhibeatis brodium paruæ pullæ in quo ebullierint lactuca,endiuia,& nymphæa. Extrinſecus prçſtantiſſimum remedium eſt aquæ dulcis tepentis lauacrum, poſt quod iuuat inungere vniuerſum corpus huiuſmodi oleo.

Topica cõueniẽtia ꝓ feruore iecoris.

℞.Ol.nenuphar.
Amygd dulc an.℥.j.ß.
Aq Maluæ.
Nymphææ.
Endiuiæ an.℥.j.ß.M. & diligenter conquaſſentur; deinde manibus perunctis vniuerſum corpus blandiſſime fricetur. Pro iecinoris incendio remittendo iuuat pariter huiuſmodi fomentum & inunctio.

℞.Fol.portulac.
Nymphææ.
Endiu.
Cichor.an.M.j.ß.
Santal.rubrorum ʒ.iij.Bulliant ſimul in ſ.q.aquæ communis. Deinde facta expreſſione.
℞.d.d lib.j.ß.
Aceti ℥.ij.
Succi abſynthij ℥.i M. & f.perfuſio ſupra regionem iecinoris ſecundum morem. Nã accipitur ſpongia,& hoc ſucco imbuta exprimitur ex alto ſupra iecoris regionem. Nam ſic magis penetrat. Et ſciatis,vt artificium componendi medicamenta intelligatis,prædictam infuſionem factam eſſe ex rebus,quæ iecur maxime refrigerant Sed quia non ſatis penetrat ſolum decoctum, adijcitur acetum. Et quoniam in vnoquoque viſcere attemperando eſt habenda ratio toni & roboris ipſius,adijcitur ſuccus abſynthij, quippe quod ſcribat Galenus, vim habere corroborandi non tantum ventriculum,verumetiam iecur. Poſt hanc perfuſionem deinde illinendum eſt aliquod eidem regioni, vt poſſit acquiſita refrigeratio conſeruari. Ea propter hoc ordinare poteritis.

Inunctio pro feruore iecoris.

℞.Vnguenti ſantalini ℥.j.
Succichor.
Ninphææ an.℥ ij.
Succi abſinthij ℥.j.ß.
Aceti parum.M.& f.linimentum.

Solet quoque in his febribus ſummum incẽdium relinqui in dorſo, & præſertim circa lumbos, quod incendium inducit quandam triſtem moleſtiam, & quandam infirmitatem, quam neſciunt ægri ſatis exprimere,ſed dicunt,ſeſe ſecundum dorſum laſſitudinem & dolorem percipere. Id quod non aliunde proficiſcitur, niſi quia per dorſum perreptant venæ & arteriæ magnæ,in quibus cum in his febribus ferueat maxime ſanguis,fit, vt etiam deferueſcente ſanguine nihilominus in corporib. ipſarum venarum relinquatur intemperamentum quoddam & laxitas, vnde illæ moleſtiæ ſuboriuntur. Et ideo debet Medicus etiam in his caſibus occurrere quod fit duobus remediorum generibus, vnum eſt, ſi panni linei perfundantur lacte & aq.roſacea, atque ita perfuſi ponantur vel frigidi, vel egelidi ſupra lumbos & renes. Vel poteſt etiam parari huiuſmodi decoctum,& in eo perfundi prædicti panni.

Curatio doloris dorſi.

℞.Cap.papau.num x.
Fol.Solatri.
Plantag.
Nimpheæ an.M.j.ß.
Flo.roſ.rub.P.ij.
Nucum myrthi ℥.j.f. decoct.ſ.a.in ſ.quant.aquæ pluuialis. Deinde facta expreſſione adde prædicta decoctioni modicum aceti. & cum pannis lineis, vt prædictum eſt, adhibeatur. Nam huiuſmodi remedium efficaciſſimum ſemper experiemini in eiuſmodi generibus dolorum. Poſt infuſionem adhibendum eſt linimentum,vt;

℞.Infrig.Galeni.
Vnguenti roſ.Meſu.an.℥.ß.
Succi nymphææ.
Endiuiæ.an.℥.ij.
Pulu.corall.rub.ʒ.j.
Aceti parum,Miſce,& f.linimentum.

CAPVT XIV.

De febribus compositis.

Cōpositio febriū duplex.

POstquam absoluta febrium simplicium tractatio, consequēs est ordini nostro vt de compositis sermonem incipiamus. Sed quia natura compositarum rerum tota dependet ex simplicibus, ea propter pauca hac de re dicenda sunt, nam febres quæ componuntur, idcirco componi dicuntur propterea quod humores facientes febrem, putrescunt simul, si putrescunt eodem tempore, faciunt febres compositas quæ confusæ dicuntur, vt est tertiana notha, quartana notha huiusmodi febres dicuntur confusæ, eo quod eodem tempore putredo singularum quodammodo confunditur. Si autem humores putrescunt, sed diuersis temporibus, fiunt varij typi febrium & hæ febres propriè dicūtur complicatæ. Fit autem hæc complicatio, vel quia febres interpolatæ complicantur continuis, vel quia interpolatæ interpolatis iunguntur. De continuarum mutua complicatione controuersia est inter Medicos, sc. vtrum cōtinuæ cum continuis complicentur. Auic. fuit huius sententiæ, posse complicari febres continuas simul, eo quod humores diuersi in diuersis locis putrescere queant & consequenter febres cōplicatas producere.

Ex recentioribus aliqui secuti sunt Auic. alij vero discesserunt ab eo; & inter hos fuit laudatissimus Fernelius, qui existimauit, cum febres continuæ fiant ex vasorum putredine, minime fieri posse, vt varia genera febrium ex eiusmodi putredine coniungantur. Cęterū sum ego huius sententiæ, non repugnare, quemadmodum nunc dicebam, quando diuersi humores in diuersis venis putrescentes faciant simul diuersa febrium genera. Verūtamen quia eiusmodi res valde obscura est, non est mirum si Medici, qui res sensatas vt plurimum sectantur, eas febres negauerint, quas sensu cognoscere non potuerunt.

Complicantur interpolatæ interpolatis vel eiusdem generis. Eiusdem generis quando tertiana tertianæ infigitur & hæc fit quando humor biliosus putrescit, sed diuersis temporibus, locis, aut vtroque modo, hæc febris appellatur duplex tertiana, appellarunt interdū nomine duarum tertianarum; & quanquam, Domini, fuerint, qui existimarunt differre duplicem tertianā, a duab. tertianis, tamen si Galeni verba consideramus in libello de typis, nulla est differentia. Fiunt autem typi febrium tertianarum duplicium dupliciter, vno modo, quando tertia quaque die bis fit accessio, & dies intermedius est sine febre prorsus, vel quandoque qualibet die fit accessio, sed, ita, vt prima dies respondeat tertiæ, secunda quartæ, tertia correspondeat quintæ, & quarta sextæ, hi duo typi complicati possunt indifferenter a nobis dici [illegible] tertianæ modo duplex tertiana, quanquam vt dixi fuerint qui putarunt appellari duplicem tertianam quando bis in die fit accessio, duas tertianas quando singulo die. Fiunt tres tertianæ, quando bis in una die febris inuadit, & in alia die semel, ita tamen, vt proportionem in tertia quaque die ostendant. Haud secus complicari solent febres quotidianæ, siquidem interdū fiunt duæ quotidianæ, quando scilicet bis vnaquaq; die febris inuadit [illegible] quotidianarum proportione.

Complicatio quotidianarum.

Pari pacto complicantur simul quartanæ ita, vt interdum fiant duæ quartanæ, interdum fiant tres. Duæ fiunt quartanæ, quando prima die fit accessio, [illegible] tertia, & quarta fiunt accessiones, 5. sine 6. & 7. cum accessione, & sic de alijs, & nota, quod semper in his typis quartus paroxysmus primo, & [illegible] 7 correspondet. Complicantur tres quartanæ, quando uel omni die fiunt accessiones, ita tamen vt quarta correspondeat primæ, 5. secundæ & 6. tertię, & sic de alijs: vel quando prima die fiunt duę accessiones, 2. non fit, 3. fit vna accessio, quarta autem duæ.

Complicatio quartanarū

Tres quartanæ quomodo fiant.

Complicantur porro interpolatę interpolatis diuersorum generum, & [illegible] complicatur tertiana quotidianę vt in hemitritęo, quando scilicet in prima die fit bis accessio, in secunda semel tantum, in tertia bis, hoc est vna ex speciebus hemitritæorum. Complicantur tertianę quartanæ quando humores isti varij vt bilis, & melancholia putrescunt in diuersis temporibus, atque in hac complicatione prima die fiunt duo paroxysmi, secunda nō fit paroxysmus, tertia fit vnus, quarta autem fiunt duo paroxysmi. Complicatur quotidiana quartanę quando pituita & melancholia diuersis temporibus putrescunt atque in hac cōplicatione prima die fiunt duę accessiones secunda tertia semel tantum fit accessio, in quarta die fit bis, quinta & sexta semel septima rursus fiunt duę atque sic de reliquis.

Hę sunt pręcipuę complicationes, quę & ratione & experientia inueniri possunt. Scio plerosq; ita esse superstitiosos vt quod fecit Galenus in proponendis pulsuum differentiis quę nusquam visę sunt, sic etiam proponere differentias complicationum, quas nunquam inueniunt. Sed hæc superstitio fugienda est, quia potius implicat ingenia, quam explicet.

Cognoscuntur hę febres ex complicatione eorum signorum, quę indicant simplices febres. Exempli gratia si quotidiana & tertiana simul componantur, pręter diuersitatem accessionum, apparebunt etiam simul signa quotidianę simplicis, & signa simplicis tertianę, quę quoniam satis confusa esse solent, opus est & industria, & solertia Medici. Omnes febres com

posite

positæ difficiles sunt curatu, & prælertim, quando complicatur continuæ interpolatis. Sic etiam difficiles sunt curatu, quando plures quam duæ simul connectuntur.

Non habent hæ febres aliam curationem, quam simplices ipsæ, ita, vt opus sit scopos complicatarum febrium complicatos etiam proponere, & mixtis remedijs vtrique febri non sine aliquo iudicio & prudentia occurrere. Et, vt exemplum alicuius complicationis absolutum habeamus, hoc loco tractabo de ea febre composita, quæ hemitritæus vocatur, quam Galen. 1. epid. com.2.t.22.& com.2.t.vigesimo quinto, nec non libro de temp.morb.capit.8.& 2.de diff.feb.7. scribit esse compositam ex quotidiana & tertiana febre. Sicut nonnulli voluerunt componi etiam potest ex tertiana & quartana. Vnde iure merito reprehensus est Agathinus, qui putauit hanc febrem connumerandam esse inter tertianas. In quem errorem lapsus etiam fuit Celsus lib.3.cap.3.

CAPVT XV.

De hemitritæo.

Hemitritæus sic appellatur ab omnibus scriptoribus Græcis, recentiores Medici vocarunt semitertianam. Dico recẽtiores Medici, quoniam, vt scribit Serenus Medicus, Latinæ linguæ parentes nomen huic febri proprium non tribuerunt, sed appellarunt voce Græca, quemadmodum videre est apud omnium antiquos scriptores Latinos, & præsertim, apud Cellum libro tertio, capite tertio & octauo. Galenus 1.epid. com.3.t.5. miratur, cum veteres huic febri nomen hemitritæi imposuerint. Et ratio, qua admiratus est, fuit, quod si spectemus vim huius verbi ἡμιτριταῖος significat mediam tertianam. Iam vero hemitritæus tantum abest vt sit media tertiana, quod potius & maior & periculosior est tertiana, vt nulla modo huiusmodi appellatio illi conuenire videatur.

Cur antiqui hanc febrẽ hemitritaũ dixerint.

Veruntamen, vt excuset veteres Galenus quatuor proponit modos siue rationes, quibus verisimile fit, tale nomen huic febri tributum esse. Prima ratio est, quod febris tertiana duas conditiones habet, scilicet tertia quaque die inuadere, & in infebricitationem desinere Harum duarum conditionum vna tantum inest hemitritæo, scilicet inuasio tertia quaque die, quasi cum ex duabus conditionibus, vnam tantum habet, iure dici possit semitertiana seu dimidia tertiana. Secunda ratio fuit, quod tertiana febris componitur ex rore, febris hemitritęus cum sine rigore fit, uidetur quodammodo dimidia parte tertianæ carere, & propterea esse ueluti semitertiana.

Terria ratio est, quod febres tertiana solet finiri excretione aut saltem habere excretiones. Sed hæmitritæus caret omni excretione. Quarto cum febris ternana ad integritatem perueniat atque hemitritæus hac parte careat, iure fit, vt videatur hemitritæus ueluti truncata aut dimidiata tertiana.

Ex quibus Gal. rationibus quæ vt cunq; verisimiles sunt, colligere potestis definitionem seu descriptionem explicatam ipsius hemitritæi, scilicet eum nihil aliud esse, nisi febrem continuam tertia quaque die exacerbantem sine rigore, siue excretione & sine intermissione. Dixi sine rigore, quia cum composita sit hæc febris, vt audiuistis, ex quotidiana & tertiana, ratione tertianæ deberet habere rigorem, ob quotidianam debet habere refrigerationem. Vnde, cum non possint alterum horum duorum integrum habere, medium habet, scilicet horrorem, vt alias docui uos, medium quoddam inter rigorem, & frigefactionem. Et hæc est causa, cur Hip. appellarit hanc febrem sua lingua φρικώδη, hoc est horrificam, quia scilicet in ipsa neque rigor, neque frigefactio apparet, sed tantum horror.

Dictum est postremo sine excretione & sine integritate, tum quia hunc in modum locutus est Galenus, quemadmodum audiuistis, tum quia hoc ueluti charactere videtur hemitritæus distingui ab alijs febribus: quod scilicet nec vnquam perueniat ad integritatem nec etiam ullæ in ipso fiant excretiones.

Quatuor modis fit hemitritæus ex quotidiana, & tertiana.

Cum vt audiuistis, hemitritæus cõponatur ex quotidiana & tertiana febribus, quatuor modi sunt, quibus efficitur huiusmodi compositio, vel enim componitur quotidiana continua cũ tertiana continua, vel componitur tertiana interpolata cũ quotidiana interpolata, vel copulatur quotidiana continua cum tertiana interpolata, uel quotidiana interpolata coniungitur tertianæ continuæ atq; adhuc istæ compositiones dupliciter fieri possunt, uel quia paroxysmi vna & eadem hora conspirent, vel vt diuersis horis fiant. Tot existentibus speciebus hemitritęi dico verum hemitritæum esse, quando quotidiana continua componitur, cum tertiana interpolata ex Gal.1.epid.com.1.t.23.& com.2.t 25.nec non lib.de typis cap.8.

Ceterum, verus hemitritæus adhuc tribus modis componitur, aut componitur ex pituita & bile æqualiter dominantibus, aut ex pituita quæ bili dominatur, aut e conuerso. Ceteras hemitritæos ab hac hemitritæo vera scribit Gal. loco citato sic abusiue vocari, & uerissimam hemitritæum esse illum, in quo æqualiter & pituita & bilis dominantur. Quanquam Archigenes Medicus grauissimus negauerit fieri posse, vt huiusmodi typus inueniatur: ex his itaque com-

pertum esse potest, causam immediatã effectricem hemitritæi esse bilẽ & pituitam, siue æqualiter, siue inæqualiter dominantes.

Causa autem mediata sed interna in primis est temperatura partim pituitosa, partim biliosa, ætas. Nam Auic. scribit, viros, & præsertim in ætate constitutos matura, magis infestari quã mulieres & adolescentes.

Inter causas externas in primis est aer inconstans, quem dicit Hipp. 3. aph. facere morbos inconstantes & male iudicii, propter hoc aer Romanus, qui semper inconstantissimus fuit, ferax est huius generis febrium, vt memoriæ prodidit Galen. 2. epid. com. 2. t. 25. & lib. de mor. temp. cap. 8 id quod etiam intelligi potest ex scriptoribus rei Romanę apud quos frequens est mentio hemitritæi.

Mutatio vitæ ab otio ad motum, a motu ad otium, victus promiscuus, & alii plerique errores causæ esse solent hemitritæi. Signa huius non admodum tradita nobis sunt a Galeno, qui parcissimus fuit in proponendis signis. Arabes hac in re diligentiores extiterunt. Et ipse complura ex Hipp. & Gal. & Arabibus collegi. Sunt autem in primis, quod ad actiones uitiatas spectãt lethargicæ affectiones & ueluti quidam mentis stupores, nam qui detinentur his febribus solent dormitare & veluti stolidi apparere. Et huiusmodi signum uoluit significare nobis Cæl. Aurel. 2. lib. mor. acut. 10. vbi scribit, Romæ plurimos obire consueuisse ob febres lethargicas. Sic enim puto ipsum appellasse febres has hemitritęas.

Signa.

Stomachus in his dolere consueuit, & similiter lingua maxime arida est. Pulsus maior est quam in febre quotidiana, densior & frequentior, sed & minus tardus est & minus velox, quã in tertiana, vrinę varię sunt, sed semper crudæ, in quibus tarde signa coctionis spectantur. Vomitus modo biliosi, modo pituitosi: similiter egestiones & sudores difficiles sunt.

Paroxysmus inchoat cum horrore, qui horror tertia quaque die maior est, perinde ac videmus ligna viridia in principio ab igne comprehensa, interdum flammam emittere, interdum minus. Sic in febribus his interdum calor se exerit magis & apparet, interdum autem occultatur. Atq; sic refrigeratio & horror suboritur.

Status huius febris celerius accedit, quam in quotidiana, sed tardius quam in tertiana. Pari pacto declinatio tardior est in hemitritæo, quam in tertiana, sed celerius fit, quam in quotidiana; & nũquam declinat neq; finitur hæc febris cum sudore copioso, sed plerumq; desinit, vel cum excretione alui, vel cum immẽsa vrinarum copia, vel cum abscessibus post aures. Nam cum, vt audiuistis, in his febribus caput afficiatur, fit, vt natura ob salutem ægri pellat materiam nocentem ad emunctoria cerebri, quæ sunt glandulæ subtus aures.

Quomodo desinat hemitritęus.

Habet hemitritæus hoc præ ceteris, quod magnæ mutationes, & etiam Crises fiunt in diebus paribus, qui dies pares æque sibi correspondent, quemadmodum etiam impares exempli gratia sicut prima dies correspondet tertiæ, & quinta tertiæ; sic correspondet secunda quartæ, & quartæ sexta.

Sed oritur hoc loco scrupulus, qui fieri possit, vt in diebus paribus fiant crises & mutationes in hemitritæo; quandoquidem Hippocrates 4. de morb. scribit, hoc esse naturale & perpetuũ ut crises fiant in diebus imparibus, quod etiam in innumeratis locis docuit. Et huius rei explicans rationem Hipp. 4. illo de morbis inquit hoc propterea contingere, quoniam in diebus paribus corpus attrahit a uentre, & in diebus imparibus corpus dimittit ad uentrem. Quo etiam in loco docuit vnum Hip. a nemine significatum, scilicet cibum ingestum tertiana tantum die extra corpus per intestina prodire quod tamen forsan verum erat in regionibus Hippocra. cum sub cælo nostro innumeri sint, qui nec tertiana nec quartana recrementa ciborum e corpore mittunt. Dicendum est id, quod scribit Hippoc. de dieb imparibus, in quib. fiunt crises, verum quidem esse secundum communem naturæ cursum, præter naturam posse quoque aliter euenire, id quod etiam indicatum habetis a philosopho 5. phys. t. 59. vbi scribit fieri crises morborum secundum naturam in diebus imparibus. Violentas autem & contra naturam fieri in diebus paribus, id quod puto didicisse Philosophum a magno Hippocrat. erga quem ingratissimus fuit, cum tot bonis acceperit, nec vnquam nominauerit. Nam, vt hoc vniuersaliter dicam, nominat quidem Hippocrat. in polit. sed non tanquam Medicum, nec forsan hunc Hippocr. Itaq; verum hoc est, crises, quæ fiunt diebus paribus, esse præter naturam & propterea infidas. Nec valet quod Hip. 3. epid. com. 3. proposuerit exemplum Larissæ, quæ cum laboraret hemitritęo, sexta die uidetur iudicata; quoniã, vt optime innuit Gal. eo in loco huiusmodi exẽplũ, propositũ est ab Hip. tanquam rarissimum. Et seruata fuit illa virgo propter eruptiones mẽsiũ, siquidem menses ubi primum & copiose erumpunt, solent liberare mulieres ab ingentibus vitiis ut etiam liberatę ab epilepsia sint, cum tamen videatur morbus irremedia bilis. Hemitritæos est, ut scribit Gal. typus maxime sęuus, & maxime periculosus, adeo, vt scribat Auic. plerumq; hanc febrem homines iugulare. Id quod clarissime uoluit docere magnus Hip. quando scribit 4. aph. 43 febres non intermittentes, quæ tertia die exacerbantur, periculosas esse. Hipp. tamen, vt etiam notat Galen. lib. de typis 1. voluit 1. epid. 3. hanc febrem & acutam esse, & simul etiam diuturnam.

Prognostica

Sed dicetis, quomodo fieri potest vt sit & diuturna & acuta? Hippocrates eo in loco dixit esse in tabidis hanc febrem & acutam & chronicam. Veruntamen hoc etiam sano modo intelligendum est, quia non eodem tempore & acuta & diuturna est, sed est primum diuturna & postmodum fit acuta quia efficitur maligna.

Quomodo hemitritęus dicatur et chro

Nam

Nam vbi febres ex diuturnis, degenerarit in malignas sæpenumero, si aduertatur a solerti Medico, degenerant in hemitritæos, tametsi hodierna die paucos inuenire liceat, qui hoc animaduertant.

nica & acuta febris ab Hip.

Hemitritæus verissimus, hoc est, qui fit a pituita & bile æqualiter dominante, est multo magis exitialis, quam vllus alius. Et quanto magis recedunt hemitritæi ab hoc tum causis, tū etiam symptomatibus, eo sunt magis salutares, omnes tamen vt dicebam, mali sunt: & idcirco debet Medicus magna vigilantia vti in inueniendis scopis curatiuis.

Curatio igitur hemitritæi, vt scriptum est a Galeno eadem est, quæ tertianæ & quotidianæ commixtæ, quandoquidem, vt audiuistis, verus hemitritæus componitur ex quotidiana continua & tertiana interpolata.

Et quia hæ febres originem ducunt a pituita & a bile putrescentibus, operæ pretium est in hac curatione instituenda semper mentem dirigere ad hos humores, ita tamen, vt non negligatur prauitas, quod semper aut plerūque coniuncta sit hemitritæo aliqua prauitas. Ergo victus debet ita temperari, vt partim ex quotidianæ curatione, partim ex tertianæ colligatur.

De sanguinis missione Cornelius Celsus libro tertio capite octauo scribit, mittēdum esse sanguinem nisi quid valde impediat. Ceterum Galenus & omnes Arabes nullam mentionem fecerunt venæ sectionis, Et ego puto rem hanc ita esse decernendam, nempe raro vsuuenire vt sanguis mittendus sit, & ideo non esse mirum si a paucissimis scriptorib. mentio huius remedii habeatur.

Ratio huius est, quia in hemitritæo præter naturam ipsius febris fiunt grauia symptomata, quæ vsqueadeo vires tentant, vt vix liceat de ven. sect. cogitare, propterea nisi adsit ingens sanguinis copia, & symptomata pauca, aut pauci momenti, omnino a v. s. abstinere oportet. De vsu medicamentorum pauca etiam habemus tradita a Græcis. Arabes paulo diligentiores fuerunt. Et quantum ego obseruare potui, quinque Auicen. proponit vniuersaliter in curatione hemitritæi obseruanda. Primum est, vt paulatim præparentur humores, nec non paulatim euacuentur. Et ratio est, quia nisi euacuetur materia putredo propagatur, & perturbatio in corpore indies maior fit. Vnde necessario malum augetur. Neque licet imparatam materiam penitus euacuare, quoniam sæuiora contingerent symptomata. Vnde iure monet Auicen. ne vnquam humores euacuentur, nisi sint concocti. Præterea monet, vt siue sit vomitus ciendus, siue sit vrina prouocanda, id totum semper fiat blandioribus medicamentis. Vnde diligenter considerari debet, quis humor peccet magis, & peccantes magis proprio vomitiuo educere, verbi gratia, si pituita magis peccet decoctum raphani conueniens erit, si bilis aqua cū aceto, acetosus simplex: si vterque humor æqualis fuerit poteritis miscere decoctum raphani cum acetoso, vt vtrumque humorem respicientes felicius vomitum prouocetis. Sic inter diuretica non licet transcendere rad. petroselin. capill. ven. sem. frigidiora, Præterea, commendat Auicen. vt peculiariter in hac febre aduentante statu vtatur absynthium, eo, quia viscera, & præsertim vētriculus, maxime læduntur in hac febre: & propterea necesse est, & viscera & ventriculum corroborare. Igitur poteritis hunc in modum præparare humores.

Præparans conueniens in hemitritæo.

℞. Fol. beton.
Acetosæ.
Pimp.
Melissæ an. M. ß. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. decoct. ℥. v.*
Syr. de cort. citri.
De succo acetosæ.
Acetosi simpl. an. ℥ ß. M.

Purgans cōueniens in hemitritæo.

Præparati humores ita expurgabuntur.

℞. Fol scordij ℨ. j. ß.
Sem. citri ℨ. ß.
Myrobal. chebul.
Citrin. ℨ. j ß.
Fl. cordial. P. j. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. d. ℥. iiij ß.*
Rhab. electi.
Agar. troibisc. an. ℨ. j.
Calami aromatici gr. iij. Infundantur s. a. Deinde facta diligenti expressione adde.
Syr. rос. solut.
Manna electa an. ℥. j. ß. M.

Et quia dixi, materiam paulatim præparandam, & paulatim euacuandam esse, opus est iterū repetere eandem preparationem & euacuationem. Post accedendum est ad corroboranda viscera: quemadmodum demonstraui in quotidiana, & tertiana.

Sed illud non est prætereundum, vsque adeo grauia symptomata fieri in hac febre, vt sæpe Medicus cogatur iis quam diligentissime occurrere. Quamobrem absoluta febrium simplicium tractatione, sequitur, vt compositas cum symptomatibus tractemus, postquam nonnulla quoque diximus de febribus inter se compositis. Nam etsi Auicenna, qui in tradenda medicina cōpositiuum ordinem sequi maluit, prius tractauerit de febribus compositis cum symptomatibus,

bus, quam de simplicibus: Gal. tamen in meth. secus fecit, atque etiam in 1. ad Glauc. in quibus lib. prius tractauit de febribus simplicibus, & postremo loco de comp. cum symptomatibus. Nam videtur ordo naturæ, & consequenter ordo doctrinæ exigere, vt prius simplicia cognosca mus, deinde composita. Sed ad artem ipsam exercendam, quod maxime quæritur, nihil refert, siue hoc, siue illud flat.

CAPVT XVI.

De symptomatibus febrium.

ACcidentia, quæ tractaturi sumus, etsi sequantur morbos, & cõsequenter videãtur tolli sublatis ipsis morbis: nihilominus interdum veluti res quędam separatę a morbis ad se studium Medici trahunt. Et hęc est ratio, propter quam interdum postulant particularem diligentiam, & curationem. Hoc autem contingit, quando ipsa accidentia valde lædunt vires. Lædunt autem vires, quando sunt causæ, aut morb., aut significant morbum lędentem ipsas vires.

Et quia accidentia interdum eandem curam postulant, quam ipsi morbi, interdum vero diuersam, hac in re debet Medicus valde solers esse. Nam vbi eadem postulãtur remedia & a morbo, & ab accidenti, facile potest Medicus rationem inire medendi. Sed difficillimum est recta ratione incedere, quando symptomata diuersam rationem postulant a morbo. Exempli gratia: In febre biliosa curare vigilias non est admodum operosum, siquidem & febris, & vigiliæ postulant remedia refrigerantia, & humectantia. Secus autem est in vlcerib. intestinorum. Nam, si spectemus dolorem, qui oritur ingens ex solutione continui, quæ assiduo fit, postulat humectantia, & dolorem sedantia, Sed si ipsum morbum spectemus, nempe vlcus intestinorum, postulat exsiccantia. Vnde Medicus in ancipiti versatur, vtrumne morbo, an symptomati occurrere debeat, ea propter hac in re debet Medicus iudicium suum magnopere exercere, vt scilicet animaduertat, a quonam vires magis deijciantur, an scilicet a symptomate, an a morbo. Nam vires sunt hi scopi, ad quos debet Medicus semper dirigere mentem. Si dolor magis vires deijciat, debet huic symptomati in primis occurrere, non neglecto tamen morbo, quemadmodum e conuerso, quando morbus magis vires deijcit, aduersus hunc Medico in primis certandum est, non neglecto symptomate.

Quando morbi, quando symptomatũ maior habenda ratio.

Hæc itaque, Domini, est ratio, propter quam cogimur in febribus curandis curãdorum symptomatum rationem edocere, quæ cum sint varia & diuersa, vt facilius hanc artem comprehendere possitis, reducenda sunt cuncta ad propria quędam capita, vt fecit Galen. 12. meth. 1. vt his habitis facilius singula cognoscatis.

Erunt autem hęc capita, quod symptomata vel sunt actiones lęsæ, vel sunt excrementa mutata, vel sunt dispositiones pręter naturam. Actiones lęsę aut sunt animales, aut vitales, aut naturales. Animales actiones læsę, quę in febribus ingenium Medici requirunt, sunt vigiliæ immodicæ, sopores, deliria, & tandem omnes mentis perturbationes. Vigiliæ tunc a Medico diligenter sunt curandę, quando vel actu vires validas deijciunt, vel periculum est, ne cito deijciant, vnde statim Medicus debet ijs occurrere.

Et quia fiunt vigiliæ vel ob dolorem, uel ob uapores acres, & mordaces cerebrum petentes, vel ob ipsius cerebri calorem & siccitatem, operę pretium est, si dolor sit, eum remouere, si fluxus alui, ipsum compescere; si vapores acres & mordaces in caput ferantur, eos deflectere, & auertere a cerebro. cerebrum si sit calidum, & siccum, refrigerare & humectare, id quod in omnibus vigilijs adimendis necessarium est scil. vt refrigeretur & humectetur cerebrum. Hoc autem facere solemus varijs remedijs, tam intrinsecis, quam extrinsecis. Inter extrinseca in primis sunt perfusiones refrigerantes, & humectantes, quæ fiunt mediæ parti capitis anteriori derasę. Componuntur autem hoc modo.

Perfusio capitis somnũ concilians.

℞. *Fol. vitis.*
Lactucę:
Nymphea.
Portulac. an. M. j.
Cap. papau. num x. Contundantur omnia diligenter. Deinde bulliant s. a. & facta colatura adde Succi citri vel limonis. ℥. j. & cum spongia fiant superfusiones prædictæ capitis parti derasæ. Debet enim esse hæc aqua tepida, & ex alto exprimi spongia imbuta sæpius, ita tamen, vt nulla accedat patienti molestia.

Inunctio ad somnum conciliandum.

Post perfusionem adhibentur inunctiones, scil. vt magis conseruetur vis refrigeratoria, & humectatoria, vt:

℞ *Ol. de cucurb.*
Ol. de nymphea.
Ol. viol. an. ℥. ß.
Succi lactucę ℥. v.
Cerę parum, M. & f. linimentum.

Sic

Sic quoque fiunt odoramenta ex varijs rebus, ex papau. Nymphęi. Rosæ ab aliquibus laudantur: sed ego semper ad excitandum somnum rosas parū valere expertus sum. Et forsan hac ratione Homerus laudatur a Galeno, dum fingit Ione dormiente terrā emisisse crocum, & alia odorata, rosam aūt non emisisse, eo quod, odor rosæ sua eximia fragantia, potius euigilare facit.

Laudant alij ex sententia Aetij crocomagma, & cyphos, quæ sunt hæc odoramenta habetis apud Galen. 1. de Antido. Sed dicet vestrum aliquis, quomodo in vigilijs, & febrib. hæc possunt conuenire, cum Gal. scribat crocum maxime caput offendere. & 3. de loc. affec. scribat cyphos dolorem capitis inferre, non igitur recte videtur consuluisse Aetius, pro sedandis vigilijs hæc odoramenta. Respondendum vigilias fieri propter multas causas, sed potissimum propter vapores acres & subtiles, quos vapores clarum quod crocomagma & cyphi obtundunt & incrassant, ita vt incrassati hi vapores occludant vias spiritus animalis, qua occlusione deinceps efficitur somnus, quod vero hoc ita fit, intelligere potestis ex Gal. 2. de med. loc. vbi tractans de capitis dolore ex humoribus biliosis commēdauit trochiscos de croco hac ratione impulsus, quod crassos vapores mittat in caput.

Quod dixi de profusionibus adhibendis, idem quoque dicendum est & de fomentis frontis, & de puluinaribus. Nam Medici ad excitandos somnos solent quoque curare, vt supponantur puluinaribus herbæ nuper relatæ, super quæ febricitantium capita postea detinentur.

Balnea quoque & toti corpori, & brachijs ac cruribus adhibita magnum iuuamentum præstare solent, quæ balnea modo fiunt ea pura aqua dulci tepida, modo fiunt ex aqua, in qua bullierint folia vitis, nymphææ, lactucæ. Papauer & hyoscyamus interdum adhibetur, prout scilicet valentiores vel minus valentes fuot vigiliæ.

Iuuant quoque ad vigilias tum ligaturæ, tum frictiones extremis partibus adhibitæ. Sed obseruare oportet, vt frictiones blandissimę efficiantur Et vt ligaturę, paruo tempore retineantur, ac subinde mutentur. Sic enim fit, vt facilius somnus prouocetur.

Et quia extrema hæc remedia interdum nequeant sufficere, ad interna præsidia confugere solemus, initio sumpto ab ijs, quæ sunt benigniora. Vnde primum lactuca cocta adhibenda est, ptisana cum succo amygdalarum dulcium aqua frigida maceratarum. Si hæc nō iuuant, etiam ad succum papaueris, hoc est, ad succum sem. contusorum & colliquatorum descendimus. Et mouet Auicen. ne vnquam transcēdamus syr. de papau. cuius ℥.j. vel ℥ j ß. solemus exhibere duabus vel tribus horis a cæna.

Interna sōnum prouocantia.

Et sicut vigiliæ in febribus sæpenumero valde incommodant: sic quoque minus somnus, qui a Græcis cataphora vocatur, solet insigniter offendere, vt propter hoc cogantur Medici febricitantes expergefacere.

De cataphora in febrib.

Fit autem somnus immoderatus in febribus vel propter pituitam cerebri a vaporibus calidis liquatam, & per cerebrum effusam; vel propter crassos & frigidos vapores in caput sublatos. Quocunque modo fiat, vt occurratur huic symptomati, opus est reuellere vapores, & dissipare pituitam cerebri, & vapores illos repellere. Fit reuulsio & ligaturis, & frictionibus, neque mireris ab his induci somnum & vigilias, quoniā varius modus administrandi facit etiam diuersitatem effectuum. Nam sicuti pro corrigendis vigilijs frictiones adhibentur blandæ: sic pro adimendo somno efficere debent & insuauiter & diu.

Pari pacto ligaturæ, quemadmodum pro vigiliis non sunt diu detinendæ: sic pro somno curando diu detinendæ sunt, atque etiam cum molestia. Repelluntur seu repercutiuntur vapores a cerebro vsu potissimum oxyrhod. quod derasæ capitis parti anteriori adhibetur, & in hunc modum paratur.

℞. Ol rosati ℥.ij.
Aq. communis ℥.iv.
Aceti ℥.j. M.

Oxyrrhodinum contra somnum.

Nam hoc medicamentum in graui sapore, adhibitū ratione aceti, & ratione aquæ penetrat, vellicat membranam cerebri, & vapores ingruentes repellit. Quæ discutiuntur, sunt etiam oxyrhodina, sed additis aliquibus; quæ vim habeant discutiendi, vt est chamæm. polyg. quæ siue in puluere, siue decocto vsurpentur, vtilia sunt.

Perfusiones contra somnum.

Ad hæc sunt etiam polca, odoramēta. Polca enim affusa oculis sua acrimonia dum molesta est, somnum adimit. Odoramenta ex Castoreo vtilissima sunt, ex ruta, ex corijs vetustis combustis. Nā hæc omnia naribus adhibita teterrimo illo odore expergefaciunt, & vt acria discutiunt pituitam & crassos humores. Aetius cauet ne adhibeatur odor extinctæ lucernæ, quod solent facere pleræque mulieres Et addit rationem, quoniam nimis hic odor caput replet.

Odoramēta.

Cęterum idem Aetius lib. 6 cap. 3. loquens de lethargo, qui est somnus inexpugnabilis magnopere laudat odorem extinctæ lucernæ. Sed forsan hæc contradictio est, quia vno in loco loquitur ex sententia Herodoti, in alio ex sententia Archigenis. Est tamen verum, conuenire etiā hunc odorem, quia sua illa insuauitate & fumi acrimonia expergefaciendi magnam potestatem habet. Quod dixi de Cataphora, idem quoque constituendum est de capitis grauitate, quā Græci καρηβαρίαν vocant, quæ solet esse familiaris febribus, & sæpe valde incommodare. Sequitur delirium, quod est postremum genus symptomatum in actionibus læsis animalibus.

Fit aūt hoc plerumque ob acres & feruidos vapores, qui in cerebrū sublati, eius temperamentum peruertunt, & pręsertim secundum spiritus. Vnde non solum omne delirium per se in febribus perniciosum est, verum etiam quia solet significare futuram phrenitidem, quæ est vitium grauis-

De delirio in febribus.

grauissimum & exitiosum. Ea propter remedia, quæ diximus conuenire aduersus vigilias, eadē quoque conueniunt ad expugnandum delirium. Solemus peculiariter ad reuellendos vapores feruidos, in delirio adhibere vesicantia remedia. Sed non desunt qui hoc genus auxilii damnant eo, quod vesicantia omnia sint feruida, & conseq. febrem augeant.

An in delirio, & aliis symp. febriū caustica conueniant.

Sed quemadmodum docet Galenus 12. meth. & 2. ad Glauc. in adhibendis præsidiis aduersus hæc symptomata considerare oportet, vtrum morb. seu febris, an ipsum symptoma magis vrgeat. Si febris magis vrgeat procul dubio perniciosum est adhibere hæc remedia, sed si symptoma graue sit ita, vt sese solum pene curandum iubeat, licet paulisper morbum ipsum aspernari & operam dare curando symptomati.

Quocirca si delirium aut aliud symptoma ita graue sit, vt vires apprime deiiciat, ac propterea diligentia Medici egeat, licet vti vesicantibus, quippe quæ, vt habetis Oribas. lib. 8. coll. cap. 10. ex iis sunt, quæ valentissime reuellunt. Formam vesicantium vobis tradam, dum de febribus pestiferis loquar.

Sequuntur symptomata actionum vitalium, quæ sunt difficultas anhelitus, defectus animi & syncope. Hæc enim tria solent non raro comitari febres ita, vt peculiarem curam exigant.

De anhelitus difficultate.

Difficultas anhelitus in febribus quatuor ob causas contingere solet. Vna est siccitas & conclusio musculorum, a quibus thorax mouetur. Alia causa est præfocatio, vt vocat Auicenna facta vel a vaporibus vel ab humoribus. Nam solent interdum vsque adeo impetuose vapores, & humores irruere in pulmones, vt spiritum difficillimum reddant.

Tertia causa est, imbecillitas facultatis motricis, quæ difficultas anhelitus solet plerumque produci in moribundis: quando scilicet præ imbecillitate nequeuntes attollere thoracem spiritum difficillimum reddunt.

Quarta causa est immensus feruor, quo cum pulmones cogantur copiam insignem frigidi aeris attrahere anhelandi difficultatem inducunt.

Conclusioni & siccitati musculorum occurritur reb. viscidis & refrigerantib. vt sunt mucilag. sem. lini, succus malueæ, succus psyllii ℥ ß Bulliant parum, deinde simul commixta applicentur musculis thoracis exsiccatis addunt interdum etiam acetum, vt possint alia corpora penetrare: sed duo aduertenda circa hoc, vnum, quod hæc emplastra debent apponi actu frigida, deinde debet aceti pauca quantitas esse, & ratio est, quoniam vt docet Alex. a. prob. 74 acetum est pectori inimicum.

Si fiat difficultas anhelitus ob materiam præfocatiuam, considerare oportet, vtrum hæc materia mittatur in pulmones a capite, an a ventriculo, an a toto corpore, an a iecore aut liene, Si enim a capite, curandū est, vt ægri capite humili recumbāt, vt sæpe os colluant aqua hordei cum modico aceti, vt ore detineant vel diatrag. vel diacodium.

Si a toto corpore mittatur hæc materia, ven. sect. repetita solet adiumentum afferre, quemadmodum etiam iuuant blandæ frictiones toti corpori adhibitæ. Si a ventriculo, procurandus est vomitus eo pacto, quo iam dixi, clysteres etiam acres vtiles sunt, quippe qui deslectunt a ventriculo huiusmodi materias.

Iuuat etiam medicamentum leniens, vt cassia cum manna, elect. lenit. syr. ros. solut. cum sero caprino. Hæc omnia cum leniant aluum, prohibent quo minus a ventriculo materia præfocatiua in pulmones præcipitetur. Si a iecore apponendæ sunt cucurbitæ subtus regionem iecoris, aut subtus regionem lienis, si ab ipso hæc materia mittatur. Vbi fit difficultas anhelitus ob facultatis motricis imbecillitatem, cum hæc imbecillitas consequatur intemperiem cerebri calidam & siccam, iuuat cerebrum ipsum refrigerare iis remediis, quæ docui pro vigiliis superandis.

In fomentis pectoris cur acetū omittendum.

Si fiat difficultas anhelitus ob ingentem æstum, & intus & extra refrigerandi sunt pulmones & pectus. Vnde succus sem. frig. & præsertim melonum aquæ hordei commistus, & potatus paulatim mirifice refrigerat, sicuti etiam refrigerat diatrag. ore detentum, saccharum etiam rosaceum aut viol. aquæ hordei gelidissimæ commixtum & diffusum, vtilissimum est ad leniendam anhelitus difficultatem.

De syncope in febribus.

Panni etiam aq. lactucæ, vel portulacæ, vel endiuiæ immacerati, & super pectus ac dorsum extensi & detenti donec siccentur, feruorem pectoris remittere possunt.

Post hæc sequitur deliquium animi & syncope. Differunt hæc tātū secundū magis & minus. In vtrisque enim magnam ruinam patiuntur corporis nostri vires, sed differentia est, quoniā in syncope adest refrigeratio extremorum & sudor quæ sunt argumenta ingentis detrimenti virium. In animi deliquio hæc non inueniuntur. Ergo cum differant tantum secundum magis & minus, quod de syncope dicam, idem quoque putatote de deliquio animi dictum esse. Fit autem syncope seu ruina virium in febribus aut propter grauia alia accidentia aut propter vim ipsius morbi febrilis. Accidentia, quæ faciunt vires corporis nostri lethaliter præcipitari, sunt immoderatæ vigiliæ, ingentes dolores, ingens timor, magna gaudia, inediæ, euacuatio sanguinis aut e naribus, aut hemorrhoidibus, aut vtero.

Si ruant vires propter vigilias, iam vidistis, quo pacto sit aduersus vigilias certandum. Si præcipitentur vires propter nimios dolores, studendum est, dolores illos superare. Vnde quacunque in parte sit dolor, illi prospiciendum erit remediis dolorem sedantibus, quæ remedia docebo inferius, cum peculiariter de hoc tractabo.

Si fiat a timore, sunt fricanda omnia extrema, nares sunt vellicandæ, oculi aspergendi posca, & verbis atque opere tentandum, vt animus timentium reuocetur.

Si a

Si a nimio gaudio fiat syncope, studendum est vice versa spiritus euolantes cohibere. Vnde iuuat statim exponere ægros aeri frigido ventilare aerem, aspergere faciem aqua gelidissima, aspergere etiam omne corpus & aqua gelidissima & herbis ac floribus refrigerantibus. Si fiat ab inedia, & æger sit in paroxysmo, conandum est recreare spiritus odore nutribili, vt est odor vini, odor panis recentis, odor carnium assatarum. Et si odores non iuuant, offerendum est vinum, quippe quod citissime nutrit. Panis etiam vino immaceratus & oblatus reficit vires; veluti quoque vitelli ouorum, aut cum iure aut cum vino oblati.

Sed circa odores & circa victum sunt necessariæ quædam obseruationes. Nam ubi mulieres quæ vterū male affectum habent syncope tentantur, ualde periculosum est ipsis auxiliari rebus odoratis eo, quod solet odorea naribus oblatos vterus persequi, atque ita violare statū mulieris.

Num uinū in omni syncope conferat.

Circa vinum quoque obseruandum est, Galenum secundo cap. lib. 12. meth. dixisse, in omni syncope concessum fuisse, quasi ad tollendam hanc virium ruinam nullum sit præstantius præsidium vino.

Veruntamen idem Galenus 1. ad Glauco. excepit quatuor casus, in quib. minime vult etiam vrgente syncope vinum concedi. 1. casus est dolor ingens capitis. 2. delirium. 3. febris ardens. 4. intestina viscera alicuius inflammatio. Sed Auicenna qui forsan hac in re diligentior extitit, hanc rem ita definiendam putauit: nempe syncopen aut grauem esse, aut non ita grauem. Vbi grauis est, inquit Auicenna & iure nullum casum excipiendum, sed in omnibus & semper eū vino succurrēdum esse. Vbi vero syncope minus grauis est, valere consilium Galeni, vt in præscriptis casibus a vino quantum fieri potest, abstineatur, & loco vini conueniet succus granatorum, succus cydoniorum, succus berbe. in quib. succis maceratur panis, & offertur.

Itaq; sic agēdū est in omni syncope, & prçsertim in syncope ex inedia, vbi paroxysmus vrget.

Extra paroxysmum studere oportet, vt huiusmodi corpora nunquam inediam patiantur, propterea non modo ante paroxysmum huiusmodi ægros nutrire oportet, verumetiam in ipsa accessione.

De symptomatibus febriū, ptinētibus ad fluxum in syncope.

Sequuntur symptomata, quæ pertinent ad fluxum, qui fluxus, quoniam triplex est, alui, sudoris & sanguinis, cuncti in febribus solent syncopen inducere, & ideo maxime pertinet ad vigilē Medicum intelligere, qua ratione sit occurrendum. Et prçterea de agendis in accessione, siquidem communia auxilia iam didicistis, seorsim agam, primum, vbi fluit aluus & periculum imminet syncopes non tantum adstringentibus cibis & potibus vtēdum est, verumetiam medicamentis, quæ licet sint febri aduersa, magis tamen interest, oculos conuertere ad ipsum symptoma quam ad febrem. Itaque solemus adhibere & theriac. recentem, diacydon. cum pulu. corall. rub. & alia, quæ didicistis, dum tractarem alui fluores.

Sed hoc in casu vnum annotare debetis, consueuisse plerosque vulgares in hac syncope, cum vrget paroxysmus, uti illo communi auxilio, scilicet aqua frigida extrinsecus ori & corpori affusa, quod tamen hoc in casu inutile est dicam perniciosum, siquidem fit, vt affusione aquæ frigidæ calor intro magis coactus magis expellat, & consequenter fluxum augeat. Quocirca hoc in casu cauere oportet hoc auxilium.

Immodicus sudor, vbi facit syncopen, omni ingenio cohibendus est. Oribasius libro tertio ad Eulapium filium proponit complura remedia ad coercendum sudorem: inter quæ est terra samia, gypsus. Nam capiuntur hæc terræ genera & in tenuissimum puluerem redacta modo cum aq. plantag. modo cum aq. ros. miscentur atque ita illinuntur toti corpori, nam vim insignem habent, & lentore & frigiditate sua occludendi corporis meatus, & consequenter sudoris cohibendi. Si sanguinis fluor syncopen producat, aut effluit a supernis partibus, aut effluit ab infernis.

De fluxu sāguinis ī syncope.

Si ab inferius, vt pote ab hæmorrhoidibus, primum ligandæ sunt & fricandæ partes superiores, deinde adhibēda sunt adstringentia medicamēta ipsius venis, qualia sunt pilus leporis combustus, & succo plantag. commistus puluis aloes albumini oui confractus, similiter puluis boli armeni, pulu. caphurç, hi enim omnes pulueres miram vim habent sanguinem sistendi ab hęmorrhoidibus fluentem.

Asininum stercus.

Si sanguis fluit e naribus, quod solet haud infrequenter euenire, & syncopem inducere, vice versa vinciendç sunt partes infernç, & fricandç sunt; fronti, nisi alia conferant, adhibendus est puluis gypsi aqua rosacea dissolutus, pili etiam leporis immissi naribus valde iuuant. Sed quod ego habeo in arcanis, & accepi a Scribonio Largo, est asininum stercus, quod infusis egris dimittitur in nares. Nam ibi detentum mirum est quam citissime & quam efficaciter fluorem, sanguinis cohibeat.

Solent plerique statim atque sanguis naribus effluit, confluere ad irrigationem aquç gelidç, quam non tantum affundunt ori, verumetiam violenter immittunt in nares. Circa quod ego non parum dubito. Nam, ex una parte est communis medicorum consuetudo, est etiam aliqua ratio, quia frigida aqua non solum repellit, verumetiam constringit. Sed est & auctoritas Aristot. qui 9. quçrens rationem, propter quam aer, aut corpora aerea incipientes suggillationes, aut vibices curent ita, vt nulla macula relinquatur, respondet ideo esse, quia frigiditate horum corporum cogitur calor natiuus, qui coactus dissipat sanguinem effusum e venis neque congelari, & vibices inducere permitti. Haud secus, inquit Arist. quam dum affusa frigida aqua naribus & sanguinem & syncopen sistit. Ex quo loco facile est videre, Arist. voluisse huiusmodi auxilium vtilissimum esse.

Sed

Sed ex altera parte est auctoritas Cassii Medici, qui in lib. 10. problem. med. problem. 34 quærens, cur interdum affusa aqua naribus fluor sanguinis magis augeatur, duas responsiones affert, alteram satis naturalem, alteram autem potius superstitiolam.

Ratio naturalis est, quod, vbi frigida aqua naribus affunditur: vasa narium constringuntur: vnde cum cohibeatur sanguis, fit vt vasa proxima illius, quæ sunt constricta, repleantur, repleta distendantur, distenta frangantur, atque ita sanguinem copiosiorem emittant. Superstitiosa ratio est, quod cum simus ex humore concreati, propensionem quandam habemus ad fluxus. Vnde vbi natura aquam affusam percipit, quasi recordata huius propensionis sese excitat ad fluxum augendum.

In hac controuersia puto ego rem ita esse definiendam, scilicet, vel sanguinis e naribus fluorē esse in initio, vel esse in progressu. Si sit in initio, certe fieri potest id quod dicit Cassius, vt scilicet magis augeatur fluxus aquę affusione. Et ratio est quia in principio cum sit copiosus adhuc sanguis & feruidus, si imprudenter cohibeatur, vasa proxima & replet, & frangit.

Ceterum, si fluxio sit in progressu, minime valet ratio Cassij, quia tum, cum sanguis exhaustus sit, nullum periculum imminet, ne compressus proximas venas repleat propterea, cum, vbi syncope fit a fluxu, semper fiat in progressu, non in principio fluxus, fit vt non male faciant medicantes, quando statim confugiunt ad affusionem gelidæ aquæ.

Si syncope fiat non propter accidentia, sed propter morbum febrilem, aut propter intemperiem calidam & siccam fit, aut propter causam ipsius febris, hoc est, propter materiam: materia vero, quæ facit syncopen, aut facit propter sui copiam, aut propter sui qualitatem. Et si propter sui qualitatem, aut quia putrida & perniciosa est, aut quia viscida & frigida, aut quia calida & acris.

Si fiat syncope propter intemperiem calidam & siccam, aut est absque vlla inflammatione, aut est cum visceris inflammatione, vt in Peripneumonia, in inflammatione iecoris, in quibus omnibus propter ingentem ardorem vires collabuntur & ruunt. Vbi ergo fit syncope ab his causis vnicus scopus est, vt medicamentis refrigerantibus, quantum fieri potest, incendium mitigetur, & ideo in his casibus non tantum iuuat medicamenta refrigerātia pectori & dorso adhibere, vt est succus lactucæ, endiuię, infrigidans Galen. cum aq. endiuię aut aq. lactucę, verum etiam necesse est, intus sæpe gelidam aquā offerre, siue sit aqua simplex, siue aq. hordei, siue aq. cucurbitæ, aut lactucæ, per alembicum extracta.

Et soleo ego in his vrgentissimis casibus curare, vt prope ipsos ægros constituantur vasa amplissima aqua frigidissima plena, atque vt ægri ore aperto super illam aquam continuo aerem frigidum attrahant, hoc enim solet esse præsidium singulare ad refrigerandos pulmones & remittēdum æstum, id quod etiam licet facere, vbi aliquod viscus inflammatum est, vt iecur, vel pulmo, vel etiam uentriculus.

Si materia sui copia syncopen inducat, dicit Rhases valde horrendam esse huius symptomatis curationem nec immerito, quia verum auxilium est, copiam euacuare, sed vires, quæ collabuntur, minime sustinent vllam euacuationem, adeo, vt negetur illud remedium quod præsentaneum esse posset.

Quomodo euacuādum quādo uires sunt debiles. Quare in his casibus necesse est, vt confugiatur ad ea, quæ solent euacuare, sed absque virium periculo: cuiusmodi est vsus clysterum & præsertim blandiorum, inedia, frictiones.

Dicit enim Gal. quarto de tuenda valetudine 4. quod, vbi Medici prohibentur vel per ven. sect. vel per pharmaca euacuare, ipsorum vicem, hæc, quæ dixi, supplere. Si hæc copiosa materia etiam obstruat, conandum omnino est, deobstruere non tantum prædictis frictionibus, verum etiam cop. olioxym. vsu, decoct. hyssopi, & pulegij & aliorum, quę vim habent ualenter deobstruendi. Sic etiam si materia vel propter putredinem, vel propter prauitatem syncopen faciat, vt contingere solet in febribus prauis & pestiferis, statim confugiendum est ad ea, quæ arcere possunt & putredinem & prauitatem.

Vnde omnia bezoardica uocata remedia maxime conueniunt, veluti est inter herbas myrrhis, pimpinella, acetosa, vlmaria cum.

Inter pulu. puluis smaragdi, pulu. lapidis bezoardici vocati. Nam herbæ coquuntur in iure aut in puluerem redactæ & conseruæ citri commixtæ offeruntur. Sic etiam pulueres prædicti, si febris exigua sit, iuxta Gal. regulam 12. meth. cum vino exhibētur; aut si febris sit maior cum aqua; veluti est aqua acetosæ, aq. pimpinellæ. Et aduersus putredinem nihil præstantius est, quā vsus scordii, quod siue in puluerem redigatur, siue arte incoquatur, miram, vim haber arcēdam putredinem.

Inter alia, quæ syncopen faciunt in febribus, sunt humores crassi, nec non biliosi, qui in vniuerso corpore, & præsertim in ore ventriculi & ipso ventriculo exsuperant. Huiusmodi autem humores usque adeo referunt, vt non tantum Galenus 12. meth. 3. propria capita fecerit de hac syncope, uerum etiam Auicenna 1. quarti tractat. 2. c. 53 & 54. peculiares instituit tractatus, atque &c. atque ab hac syncope uocarit duo genera febrium; nempe ubi fit syncope a frigida & crassis & humoribus biliosis appella in febrem syncopalem humorosam, ubi autem fit syncope ab humoribus biliosis appellant febrem syncopalem subtilem.

De febre syncopali humorosa. Et quia maxime refert & cognoscere & curare hæc symptomata in febribus particulariter primum de syncopali humorosa, deinde de syncopali subtili sermonem habebo. Ab humoribus frigidis uentriculum lædentibus fit syncope, eo, quia cum os uentriculi infirmum sit, &

humor

humor putrescat vel in ipso, vel circa ipsum, fit, vt putredine sua ille humor vim exiguam ventriculi veluti iuguler, atque detrimentum communicatum cordi vitium cunctarum ruinam, quæ est syncope, inducat. Id quod significans etiam Gal. loc. cit. dixit propter tres causas ab his humoribus syncopem induci. Vna est, quia facultas ventriculi onerata humoribus viscidis, & crassis penitus succumbit. Altera causa, quod sicuti pusillus ignis a copia lignorum viridium suffocatur: sic exiguus calor ventriculi copia succorum crudorum diutius veluti strangulatur. Tertia causa, quod vniuersi corporis temperamentum penitus destruitur. Nam vbi corpus, & præsertim ventriculus crudis & frigidis succis redundant, minime dubitare oportet, quin vniuersum temperamentum penitus violetur.

Cognoscitur futurum hoc symptoma, primo, quia in hac febre pulsus rarus est, paruus, tardus, ac veluti perpetuo suffocatur; vomitus frequentes sunt materiæ crudæ & pituitosæ, paroxysmi sunt similes quotidianis, vultus tumidus, calor fuscus, liuidus, subniger, pigrities summa est in toto corpore; &, si hypochondria contrectentur, perpetuo tensa & dura fiunt. Est hæc febris cum eiusmodi symptomate & periculosa, & difficilis. Periculosa, quoniam, vt docet Galen. 12 meth. nisi cito crudi humores concoquantur, desperata salus est. Præterea difficilis est, quia si nutrire hos ægrotos velimus, crudi magis cumulantur succi, cum nequeant coqui cibi; si non nutriamus, vires alioqui infirmæ ex toto collabuntur, adeo, vt victus institutio difficillima sit.

Pari pacto si medicamentorum vsum spectemus, opus esse euacuatione, quia vires mirifice grauantur copia humorum. Ceterum euacuare per sanguinem periculosum est, euacuare etiã per medicamentum periculosissimum, quia si medicamenta grauia adhibeamus, nequeunt vires illorum imperium sustinere: sin autem blanda adhibere placeat, agitant quidem & turbant naturam, sed nihil ducunt, adeo vt vndequaque difficultas ingens oriatur in curanda febre hac syncopali. Verumtamen deserere non oportet ægros.

Sed ante cetera instruere victum oportet, qualem docuit nos Galenus, & 12. meth. 9. & 1. ad Glauc. 14. scilicet vt in primis fugiatur aer calidus, quia etsi causa frigida sit, languidæ tamẽ vires magnopere læduntur ab aere calido summe, nam fundit humores crudos, & fusos ad viscera mandat. Vigiliæ prosunt, quia exsiccant. Sed temperandæ etiam sunt cum somno, quippe qui potentissimus est ad concoquendos humores crudos. Præterea vt tempore somni confluunt humores in anteriora, sic in vigiliis ab interioribus ad exteriora euocantur, & dissipantur. Circa motus corporis debent tractari frictionibus; quas frictiones Galen. commendat non tantum in corpore vniuerso, verumetiam in regione ventriculi, sed ita, vt blandissime fiant, & cum oleo, vel Sabino, hoc est, dulci, vel amygd. dulc.

De vino Alexand. laudat vinum, quod tamen Galenus videtur parce concessisse. Nam cu humores crudi sint, & vires valde infirmę, certe inter alia maxime conuenit vsus vini, nõ tantum simplicis, verumetiam generosi & antiqui, vt monuit nos Auicenna. Reliquus victus debet esse non tantum extenuatorius, verumetiam tenuis.

Et Galenus loco citato meth. præcipit, vt per triduum integrum solo melicrato sustententur ęgri, quod tamen consilium minime probatum est ab Auicenna, qui cum videret vires sub hac febre cadere, dixit satius esse sustentare vires cibo moderato, & augere crudos succos, quã permittere, vt ægri pereant. Quare ita temperanda est victus ratio, vt moderate alantur ęgri, sed nõ ita, vt augeantur crudi succi.

In qua re Ale. Trallianus conatus est damnare Galenum, quod vno, & eodem tempore præcipiat fricandum esse corpus, & percipiat inediam septem dierum. Appellat sic Alex. quod Galenus voluerit, sustentandos ęgros ad septimum diem solo melicrato.

Vtitur autem Alexand. tribus argumentis. Vnum est, quod sit irrationabile, ægros duabus euacuationibus simul affligere, scilicet frictionibus atque vsu solius melicrati. Aliud argũmentum est, quod sumpsit Alexand. ex Hippocrat. qui 2. aphor. 16. Vbi fames, inquit, est, laborandum non est. Vnde, si Galenus præcipiebat ieiunandum esse, minime debebat iubere, vt corpora ægrotantium fricarentur. Tertium argumentum Alex. est acceptum ab experientia. Testatur enim, sese aliquos vidisse, qui interempti sint a Medicis, quod simul & exercitationes corporis & inediam imperassent.

Ceterum, more suo bonus hic Alex. gratis damnare conatus est Galenum, siquidem in lib. meth. vbi hanc rem copiose, & diserte tractauit, minime voluit sustinendos esse ægros solo melicrato vsque ad septimum diem, sed tantum modo vsque ad tertium.

Verum concedamus Alexand. hoc etiam Galenum dixisse: attamen minime peccauit, quia vbi vires propter onus debiles sunt, & calor natiuus exiguus, minime opus habet copioso alimento; idque videmus in plerisque animalibus, quæ ob caloris paucitatem diu viuunt absque vllo cibo.

Neque valet quicquam Hippocratis auctoritas, quia id, quod scripsit sapientissimus senex, vt in com. docet Gal. verissimum est, tum in prospera, tum in aduersa valetudine, tam in motibus corporis, quam in motibus medicamentorum.

Sed duplex est fames siue cibi indigentia: alia est inopia interni, & externi alimenti, cum appetitus destructione, vel sine appetitus destructione. Alia est indigentia, seu inopia alimenti tantummodo externi.

Si corpora laborent inopia alimenti externi atque etiam interni, & appetitum habeant procul dubio

eul dublo inedia summopere læduntur. Ceterum, si desit cibus externus, & internum alimẽtum suppetat, neque adsit appetitus vigor, non modo offendit ciborum externorum abstinentia, verumetiam maxime iuuat. Vnde cum in eis, qui laborant humorali syncopali, appetitus desideretur; atque etiam alimentum internum non desit, facile est videre, posse hos etiam vsq; ad septimum diem sustentari solo melicrato.

Quod autem ait de experientia illa Alexand. minime valet aduersus Galenum, quia forsan illi carebant alimento interno, forsan appetebant, & cum vehementer exercerentur, certe exiguo cibo sustentari non poterant.

Clyster conueniẽs in syncope humorosa.

De medicamentis cum alia sint interna, alia externa, interna euacuantia minime in hac febre conueniunt, nisi saltem aliqua ex parte materia sit cocta. Sed loco medicamentorum conueniunt clysteres neque adeo acres, cuiusmodi esset iste.

Decoct. betæ & brassicæ lib j.
Mellis simp. ℥. iij. Bulliat parum, & despumetur.

Deinde adde *Elect. de sena. ʒ. iij.*
Ol. aneth ʒ. v.
Salis ʒ. j. M & f. clyster.

De præparantibus, atque humores crudos concoquentibus certum est præceptum & Gal. & aliorum, vtendum esse illis medicamentis, quę habent vim extenuandi, incidendi citra vllam molestiam. Vnde oxymel factum cum modico aceti accommodatissimum est, syr. de beton. cum aceto, decoct. puleg. orig. Exempli gratia.

℞. Fol. hyssopi.
Beton.
Maior. an. M. ß.
Pule. M. j.
Poly mont. ʒ. iij. f. decoct. s. a.

Deinde *℞. d. c. ʒ. iiij.*
Oxym. simpl. ʒ. j. M.

Bolus conuenientissimus in hoc casu.

Quo medicamento vbi crudi succi erunt concocti, & syncopes suspicio ablata, deueniẽdum erit ad purgandum humorem e ventriculo. Vnde maxime valet hoc remedium.

℞. Specierum hieræ. ʒ. ij
Elect. lenit. ℥ vj.
Elect. indi. ʒ. ij ß. & f bolus.

Valet quoque ad euacuandos huiusmodi humores aliud genus auxiliorum, quod maxime commendatum est a Galeno. Est autem genus confectionum, quæ vim habent calefaciẽdi, attenuandi & dissipandi: cuiusmodi est diatrionpip. diaspolit. theriaca antiqua. Nam ʒ. j. vel altera similis confect. sumpta calefacit ventriculum, attenuat, & dissipat crudos succos.

Sic quoque extrinsecus conueniunt odoramenta ex similibus rebus confecta. Vnde Alexan. a. problem. 66. Laudat pulegium aceto maceratum, & naribus adhibitum. Ventriculo etiã adhiberi solent fomentatione huiusmodi.

Fomentationes pro regione vẽtriculi.

℞. Fol. menthæ.
Calamenthi.
Absynthij.
Origani.
Polij montani an. M. j.
Aquæ communis.
Vini albi optimi lib ß. Bulliant simul vsque ad consumptionem v. par. deinde cum spongiis fiant ventriculo fomentationes. Circa quarum vsum illud semper debebitis aduertere, quod præcipit Gale. ne in principio febris deueniaris ad vsum harum fomentationum, sed tantum in progressu, quando scil. facta est aliqua crudorum succorum concoctio, nam si initio adhibeantur, fundunt quidem crudos humores, sed minime dissipãt; imo vero, fusi humores magis onerant, & grauant ipsum ventriculum.

Num vena sectio conueniat.

De sanguinis miss. in hac febre Alex. Trall. d quasi arguẽs Gal. non ita vniuersaliter vetandã omnem sanguinis detractionem, sed concedi debere, vbi adest plenitudo sanguinis.

Ego aũt puto decernendum esse, in nullo casu debere in hac febre syncopali sanguinis mittendi cogitationem haberi, siquidem Gal. 4. de T. V. 2 & in lib. de sang. mis. maxime pręcipiebat, ne vbi crudi succi in corpore sunt, sanguinem mittamus & eo maxime, inquit, si febris sit coniuncta. Ratio est, quia semper vbi crudi succi exsuperant, & præsertim in ventriculo, vires maxime languent, ita vt nequeat hoc auxilium sustinere Neq; valet illa sanguinis abundantia, quam sibi proponit Alex. quoniam potest, vt vbi sunt crudi succi, sit copia sanguinis, & si forte esset, attamẽ plus valet crudorum succorum copia in deprimendis virib. quam copia sanguinis in indicanda venę sect.

De febri syncopali subtili.

Syncope, quæ fit a biliosis humoribus, vbi febri copulatur, vt audiuistis, ab Auic. nominata est febris syncopola subtilis. Cuius naturam exactius intelligere possitis, illud animaduertendum est, biliosos humores & vapores, vbi os ventriculi offendunt, vel id facere mediocriter vel insigniter. Si non adeo insigniter lædatur os ventriculi, fit illud symptoma, quod ab Hippo. frequenter vocatur ἄση, nos appellare solẽmus anxietatem.

Est autem anxietas morbus quidam oris ventriculi ita infestus, vt ægri pręmolestia locum inuenire

uenire nequeant, & propterea, vt dicit Galen. 1. de motu musc. cum corporis figuram continuo permutent, vt aliam minus iniucundam inueniant, fit, vt in continuo motu sint. Et propterea Arabes nominarunt hoc symptoma inquietudinem sicuti Græci vocant καρδιαλγίαν.

Ceterum si ab his vaporibus & humoribus magnopere lædatur os ventriculi, non tantum fit anxietas, verumetiã fit grauius symptoma, scilicet vel animi deliquium, vel syncope, adeo, vt in febribus soleant oriri hæc duo symptomata ab vna & eadẽ causa, scilicet anxietudo & syncope.

Vtrumque admodum est exitiale. Quia sicut inquietudo permutatur in syncopen, ita syncope solet desinere in exitium, ea propter ad Medicum spectat, statim atque hoc symptoma occurrit, sese illi opponere. Ratio occurrẽdi huic symptomati posita est potissimũ in duobus in reuulsione & vaporum & humorum, & in corroboratione oris ventriculi. Reuelluntur humores & vapores frictionibus, ligaturis, cucurbitularum administratione, & præsertim clysteribus. Hæc enim sunt remedia, quæ maximam habent vim deflectendi vapores & humores a ventriculo.

Corroboratur os stomachi duplici genere remediorum: externorum scilicet & internorum. Externa sunt ol. vnguenta & epithemata adstringentia, quæ ori ventriculi extrinsecus adhibentur. Olea sunt myrthinum, cydoniorum, rosatum, omphacinum, violatumq; quæ vel sola, vel inuicem commixta illinuntur toti ventriculo. Vnguenta componuntur ex oleis, & ex succis. Exempli gratia.

℞. Succi mororum.
Cydoniorum an. ℥. iiij.
Ol. mastich.
Ol. cydon. an. ʒ ß.
Pulu. corall. rubeor.
Pulu. boli armeni an. ℈. j.
Ceræ parum. M. & f. linimentũ.

Ex simili materia componuntur epithemata. Et ego prospero successu consueui vti pane imbuto omphacio, vel vino granatorum ori ventriculi adhibito.

Intrinsecus ad corroborandum os ventriculi, ne hoc symptoma corripiat, complura solemus adhibere, vt succum cydon. syr. de agresta, succum & carnem cydoniorum, similiter poma aurantia decorticata vtilia sunt. Alex. 2. problem 62. maxime commendat panem immaceratum vino adstringenti Hipp. 2. ep. d. sect. 2. in initio proponit exemplum cuiusdam mulieris, quæ cum laboraret cardialgia, depulit eam succo granat. & polenta.

Num cibatio vnica in die cõueniat in febri syncopali subtili.

Circa curationem huius symptomatis tria breuiter examinare oportet. Vnum est circa locum Hipp. nuper citatum. Nam sapientissimus senex scribit, hanc mulierem depulisse cardialgiam vsu succi granat. cum polenta & μονοσιτίᾳ, hoc est, vnica in die cibatione. Dubito de vnica cibatione in die, vtrum sit auxilium accommodatum. Nam intellexistis, & syncopen & anxietatem oriri ab humoribus mordentibus os ventriculi. Sed ieiunium, siue vnica in die cibatio auget bilem in stomacho. Itaque tantum abest, vt videatur accommodatum remedium, vt potius perniciosissimum sit. Scribit enim Apollonius in lib. de mirabilibus in quæstio. natu. ex sententia Arist. eos, qui semel tantum in die nutriuntur, amarulentos & παραχόλους fieri, vt propter hoc non videatur exemplum Hippocrat. imitatione dignum esse.

Ceterum, etsi Hippocra. quantum ego puto, exemplum illud, vt rarissimum nobis proposuerit; nihilominus si recte intelligatur, etiam imitatione dignum est, vt ego in doctrina Hippocrat. obseruaui. Solet Hippoc. appellare σιτία cibos solidos, ad differentiam sorbilium ciborum, quos appellat ῥοφήματα. Vult igitur Hippoc. demonstrare, hanc mulierem qualibet die semel tantum esse vsam cibis solidis, reliquo tempore vsam esse sorbitionibus, & propterea nullam occasionem præbuisse augendæ bili.

Nũ oua conueniant in hoc casu.

Aliud examinandum est de vsu oui in hac curatione. Galen. 1. ad Glauc. 14. inter cetera præsidia, quæ commendat pro hoc symptomate, sunt oua. Alex. Trall. oui nullam mentionem fecit, & forsan, quia ipsi non placuit hoc auxilium. Sed est & ipsius Gal. authoritas contraria, qui lib. 1. de victus ratione in acutis 1. 17. scribit, ouum sorbile facere ventriculi subuersionem: quod si verum est, minime videtur concedi oportere in hoc affectu, in quo maxime læsus est ventriculus. Dicendum est, ouum secundum se totum iis, qui a natura propensi sunt ad subuersionem ventriculi, facilime hunc affectum excitare: & de hoc loquitur Gal. in lib. de rat. vict. Ceterum, solus vitellus, vt populariter loquar, non solum nullam faciat subuersionem, si recte coquatur, verumetiam magnopere languentem stomachum recreat, de quo Gal. 1. ad Glauc. Possumus etiam dicere, locum illum Gal. in lib. de vict. rat. esse mendosum: & propterea in Græcis codicibus asterisco notari.

Num cholagoga conueniant in febre syncopali subtili.

Tertium considerandum est, vtrum in hoc affectu conueniat euacuare bilem, quæ ventriculum infestat, nam ratio postulare videtur, vt humores noxii semper euacuentur. Contra, cum ventriculus sit locus affectus, & purgantia medicamenta lædant ventriculum, nullo pacto videtur conuenire. Igitur in hac re, quæ maximi est momenti, debetis semper ab vsu medicamentorum purgantium abstinere, propter rationes allatas.

Ceterum, vt euacuentur humores lædentes ventriculum, id faciendum est, quod consulit Galen. & Auic. scilicet vt per vomitum humores biliosi educantur. Sed hac in re magna quoque vti prudentia oportet, quia, vt monet Auer. 7. coll. 17. non est vomitus excitandus etiam in hoc casu, nisi æger ad vomendum sponte solicitetur, atque tum vomitus parandus est blandioribus medicamentis.

Sequuntur symptomata, pertinentia ad facultatem naturalem comitantia febres, quæ sunt quatuor: gustus deprauatio, inappetentia siti, & singultus. Hæc quatuor accidentia solent frequentissime occurrere Medicis in febribus curandis.

De accidentib. virtutis naturalis.

De deprauato gustu.

Gustus deprauatur, vel quia lingua, & præsertim secundum summitatem, vbi ex sententia Aristot. collocatus est gustus, imbuitur succo bilioso & amaro, aut alias putrido, vel deprauatur, quando vapores putridi & praui exhalant in palatum & linguam, adeo, vt vehementer eam inficiant. Tunc enim id, quod est in lingua, impedit, ne extranei sapores integri percipiantur.

Destruitur appetitus in febribus pari pacto, vel propter totius corporis turbationem, vel propter succos, aut vapores putridos & graues os ventriculi infestantes. Vtrumque hoc symptoma solet magnopere miseros ægros molestare, & ideo diligenter ipsis occurrendum est, & præsertim in febribus pestiferis, & prauis. Nam scribit Gal 3. in 3. epid. com. 37. in ea pestes vsque adeo ægros & gustum, & appetitu habuisse impeditos, vt potius eligerent mori quam cibum capere.

Vsus peponum in hoc casu laudatur.

Modus occurrendi his symptomatibus est, vt vapores & humores tum ab ore ventriculi, tũ a lingua eleuantur, quod facere solemus potissimum internis præsidiis, quæ vim habeant detergendi, & depurandi linguam, palatum, ac ventriculum. Sunt autem inter alia accommodata potiones factæ ex aq. hordei, & melle ros. succus peponum. Et caro ipsa peponum vim habet non exiguam excitandi appetitum. Vnde soleo ego febricitantibus in huiusmodi casu cum solatio & fructu concedere pepones. Ideo diligenter incumbendum est, vt lingua sæpe abluatur vel aqua hordei sola, vel aceto, aut mel. ros. succ. h. immixta. syrupus de absynt. mistæ aquæ commixtus magnopere linguam detergit, vbi fit saturatio ab humoribus biliosis, & ipse expertus sum absynthium licet amarissimum linguam mundare, ac appetitum excitare.

Et si appetitus prosternatur a vaporibus aut humoribus pestiferis, & putridis, cum antidotis pugnare necesse est. Et huiusmodi bolus solet esse vtilis.

Bolus cum pestiferis vaporibus pugnans.

℞. Pulu scordy ℈.ß.
Pulu. boli armeni. ℈.j.
Conf. de aciditate citri ʒ j. ß. M.

Habet enim vim hoc præsidium & obtundendi prauitates humorum, & restaurandi os ventriculi. Hippo. 6. epid. com. 4 t. 20. scribit duo esse, quæ faciunt homines voraces hoc est, quæ famem excitant, nempe vigilias & aquæ potum. Vnde in proposito etiam casu iuuat vigilare, nisi aliquid impediat, iuuat aquam potare.

Nam Gal. in com. eius loci dicit, quæcunq; sanguinem ventriculi cogunt in vnũ locũ, famem excitare. Ex quo loco colligere potestis acida & acerba et vsurpanda esse in his casibus ad excitandum appetitum: cuiusmodi solent facere pregnantes mulieres cum inappetentia laborant.

De siti febricitantiũ.

Sitis etiam est connumeranda inter ea accidentia, quæ febricitantes solent magnopere turbare. Nam scribit Aristot. 28. proble. 5. sitim multo magis molestiorem quam famem. Et probabat ex eo, quod maiori voluptate fruuntur sitientes dum potant, quam famelici, dum edunt. Et reddebat huius rei rationem, quia sitis fit propter humidi, quo nutrimur inopiam, quæ inopia maxime infestat, vt vbi hæc depellitur inopia, necessario quoque ingens voluptas sequatur. Est ergo sitis maximum symptoma.

Causa sitis quæ sint.

Et venit mihi in mentem Plato, qui in Philebo appellat famem tristitiam, & solutionem sitim vero appellabat tristitiam, solutionem, & corruptionem.

Fit sitis in febricitantibus, vt habetis apud Aetium lib. 5. cap. 18 propter tres potissimum causas. Vna est totius corporis, & præsertim ventriculi, ac faucium immensa caliditas & siccitas, quibus exsiccatis nascitur naturæ desiderium eas irrorandi, & humectandi. Altera est abundantia humoris biliosi, & amari in ventriculo. Possumus addere tertiam causam, scilicet æstum ingentem pulmonum, & cordis. Nam scribit Aristot. 3 de part. animal. 8 ea animalia, quę habent pulmones valde incensos & calidos, esse admodum siticulosa, vt propter hoc soleat etiam in febribus fieri sitis ob solum feruorem pulmonum.

Hoc symptoma non solum molestum est suapte natura, verumetiam est causa, vt sæpenumero febricitantes errent in potu, & ex errore labantur in interitum, vel in morbos insanabiles & longos. Ideo non aspernanda est vnquam sitis in febricitantibus, sed studendum est, vt quantum fieri potest, vel adimatur, vel saltem leniatur.

Curatio.

Si fiat sitis propter biliosos humores scopus præcipuus esse debet, vt a ventriculo ij elidantur; quod fieri potest, & vomitu & medicamentis. Si æger promptus sit ad vomitum, eo vti oportet. Nam sæpe videbitis solo vomitu reiecta bile statim extingui sitim.

Extrinseca sitim sedantia.

Si æger vomere nequeat, vtendum est medicamentis purgantibus: cuiusmodi est infusum rhab. cum sero caprino. syr. rol. solut. Si fiat sitis propter siccam & calidam intemperiem scopus Medici debet esse, vt humectentur, & refrigerentur, ventriculus, os, & pulmones. Hoc etsi fieri possit medicamentis externis; tamen maxima vis omnium posita est in vsu remediorum internorum. Aetius & Paulus Medici non ineruditi dixerunt maxime conferre ad sitim retundendam, si caput perfundatur ol. refrigerantibus, vt est ol. de nymphæa, ol. de cucurbita, ol. sem. papau. Neque miremini, caput refrigeratum imminuere sitim, quoniam vbi in palato incendium & siccitas inest, refrigerato capite simul & partes oris refrigerantur. Addo & aliud quod experiri poteritis in summa siti adiumentum afferre, si manus immergantur in aqua gelida. Cum enim maximus sit consensus inter manus & iecur, facile est intelligere manibus refrigeratis conseq. iecur refrigerari, & sitim leniri.

Manuum inuersio in aq. gelida laudatur.

Intrin-

Intrinsecus multa præparantur a Medicis ad extinguendam sitim in febribus, aut certe leniendam. Debent autem id habere cuncta, quæ parantur aduersus sitim, vt humectent, refrigerent & adhæreant sua visciditate, frigidi vt extinguant sitim, viscidi vt adhærentes linguæ & faucibus efficiant ne sitis reuertatur, propterea commẽdant plerique Græci glycyrrhizan ore detentam. Sed sæpe auget sitim, & ob id soleo ego præcipere, vt diligenter a cortice, & omni immunditie mundetur, atque in aqua gelidissima maceretur. Sic enim ore detenta potest sitim placere. Semen lactucę, folia lactucæ aut endiuiæ in aqua similiter macerata, & ore detenta sitim demulcent. Solemus etiam sumere sacch. rosat. vel viol. & dissoluere in aqua gelidissima, atque ita offerre detinenda in ore.

Num glycyrrhiza sitim sedet.

Succi visci di sitim sedētes.

Ceterũ præter hæc solemus quoq; parare succos uiscidos, vt ore detineantur. Exempli gratia.

℞. Sem lactucæ.
Sem psylij.
Sem cydon. an. ℥ ß.
Aq hordei ℥. iiij.

Conquassentur diligenter per spacium quartæ partis horæ, deinde auferantur semina, & in prædicta aqua dissoluantur diapenidij cum sacch ʒ. x. & huius liquoris cochlear vnum ore detineatur. Hoc namque adhæret faucibus, & vi refrigeratoria sitim mitigat. Solemus etiam sumere emul. sem. melonum, & aliorum semin. frigidorum, ac miscere cum aqua hordei. Hæc sunt sane blandimenta miserorum ægrotantium. Sed quod optant maxime, est potus, quare videre oportet, quando potare debeant. Et quidem initio accessionum nunquam permittendus est ægrotis potus, quia eo tempore pene soffocatus est calor, adeo, vt potu magis suffocetur. In augmento, & in statu conceduntur oris ablutiones, in declinatione vero etiam potus.

Quãdo potare debeãt febricitantes.

Aetius hac in re nimium superstitiosus, damnat etiam ablutionem oris cum aqua, eo, quod capitis dolorem inducat. Veruntamen hoc si moderate fiat, minime perniciosum est. Et eo minus, si aquæ modicum aceti addatur. In fine status, & in initio declinationis si perseueret sitis paulo securior est potus indulgentia. Et ipse soleo hoc tempore exhibere largum potum aquæ hordei gelidæ. Et testari possum me inflammatos iuuisse, nemini nocuisse. Datur autem aqua pro captu ægri, & pro consuetudine modo ad lib. j. modo ad duas, aut etiam plures. Aqua etiam frigida cum modico aceti concedi potest. Sic itaque incedendum est in adimendo hoc symptomate a febribus.

Sequitur singultus, qui & ipse motus est naturalis factus a natura, & hoc est, facultate ventriculi expultrice. Et hoc symptoma non modo consueuit ingentem molestiam inferre, verumetiam perniciosissimum est præsertim in febribus pestilentis & prauis, in quibus rarissimos videbitis seruari quia singultu apprehendantur. Fit singultus ex sententia. Hipp. 6. aph. 39. cum a repletione, tum etiam ab inanitione. Addit Gale. 8 de medicamentis secun. loc. cap. 3. quando scilicet tunicæ ventriculi mordentur a venenatis humoribus.

De singultu in febribus.

Modus succurrendi huic symptomati est, si fiat a repletione, vt humores a ventriculo elidantur, quod fieri potest ijs medicamentis, quæ potestatem habent liberandi tunicas ventriculi ab infixis humoribus, cuiusmodi est, si fit bilis, aloe, si fit pituita, hiera, de his enim ita determinauit Galen. 8. de medicamentis s. l. Sed scrupulus est, quomodo hec medicamenta conuenire possint in febribus, quippe cum sint medicamenta calida, & conseq. febrilem ardorem augeant. Determinauit Gal. quid hac in re sit faciendum, vbi scribit frequenter hieram, si ægri sint sine febre, vino exhibendam esse: si sint cum febre, aqua.

Num hiera et aloe in febribus vtili ceat.

Et quoniam nostra tempestate gustus hominum vsque adeo male sunt assueti, vt vix vllus sustineat potare hieram aqua dilutam, remedium hac in re habemus, vt siue aloe, siue hiera exhibeatur ĩ bolo, & statim superbibatur lib. i. plus minusue, aut aq. hordei, aut seri caprini. Ita. n. fit vt humores a ventriculo eximantur, & caliditas medicamẽti frigore humoris bibiti tẽperetur.

Curatio singultus ab inanitione.

Si fiat singultus vel a siccitate, vel ab acrimonia, alio pacto incedendum est, scilicet abstinere oportet ab omni genere pharmacorum purgantium, & aduersus siccitatem vtendum est ijs remedijs, quæ nuper proposui aduersus sitim. Nam sicuti illa ore detenta placant sitim, pari pacto si deuorentur, possunt irrorare uentriculum, atque ita finiri singultum. Hipp. 6. epid. com. a. solebat dicere tria esse, quæ iuuant ad sitim sedandam, facere, os comprimere, & frigidum aerẽ haurire: priora duo conferunt etiam aduersus singultum, & præsertim os continere. Nam Rabbi Moyses a 5. aph. dicit ex sententia Galeni nonnullos esse motus, qui si violenter comprimantur sine aliis remedijs finiri solẽt, vt est tussis, singultus & sternutatio. Quare iuuat etiam hoc in casu ægros, si sponte conentur, non singultire. Si a prauis & venenatis humoribus rodentibus aut vaporibus fiat singultus, vnicum præsidium est, vt aliquo Alexipharmaco, quod habeat vim emplasticam occurratis, eiusmodi esset.

Alexipharmacum contra singultũ a prauis humoribus.

℞. Sem. portulacæ subtiliter pulu. ℈. ß.
Terræ sigillatæ ℈. j.
Myrrhæ subtiliter pulueriz. ʒ. ß.
Sacch ros.
Conf. acetos. citri an. ℥. ß. M. vel
℞. Confer. acidi Citri ℥. j.
Boli armeni ʒ. s.
Scordij ℈. j. fiat mixtura, cuius capitur drachma altera.

In febribus prauis simile remedium auxiliari aduersus singultum suo tempore experiemini. Trasymachus Med. in conuiuio Plat. dum studeret curare Aristophanem a singultu tria remedia proponebat, vt sternutaret, vt spiritum contineret, & vt potaret.

De symptomatis febriū quæ pertinent ad excrementa mutata.

De qua re nonnulla habemus apud Aristotelem in problemate 13. partic. 33. Itaque iam habetis quomodo occurrere possitis iis in symptomatibus, quæ pertinent ad actiones omnes vitiatas. Quæ vero pertinent ad excrementa mutata, sunt narium fluxus, sudor immodicus, fluxus alui immoderatus, nam etsi in hoc genere plura sint alia symptomata, hæc tamen frequentius solent febribus coniungi.

De fluxu sanguinis in febribus.

De fluxu sanguinis nonnulla diximus diebus elapsis, quæ pertinebant ad syncopen factam a fluxu sanguinis, nunc vero alia quædam sunt adijcenda. Et cum fluxus sanguinis sit diuersus in corporibus nostris, qui tamē proprie febres comitatur, est sanguinis fluxus e naribus, qui interdum vel minor fit, quam expediret, vel fit maior. Minor fit in febribus, præsertim exitialibus & pestiferis, vnde videbitis in omnibus ægris, qui referuntur ab Hipp. in lib. epid. stillas sanguinis aut attulisse interitum, aut semper pessimis alijs symptomatis fuisse sociatas.

Stillæ sanguinis quomodo fiant in febribus.

Fiunt autem stillæ sanguinis quotiescunque vitiosus, & prauus est sanguis in corpore, ac virium infirmitas, ita, vt acriter quidem stimuletur natura ad expellendum sanguinem, sed impedita imbecillitate non possit. Quapropter in hoc casu incumbendum est, vt fluor augeatur absque detrimento virium. Sed in hac operatione diligenter attendere oportet, vtrum sanguis exiens, etsi modicus, iuuet, an potius noceat. Si noceat, nihil agendum est, esset enim opus carnificis, velle id augere, quod naturę est aduersissimum. Sin autem prosit, scilicet quod animaduertatur a Medico sanguis exiens vtilis esse, tunc oportet strenue operari, vt fluxus vberior fiat.

Multa sunt, quæ solent adhiberi, sed in his casibus ego non soleo transcendere aquam tepidā modico sacchari naribus attractam. Sic etiam interdum laudo, vt penna narea stimulentur. Habemus etiam herbam illam sanguinariam vocatam, habemus & aliud quod genus graminis, quæ omnia naribus immissa potestatem habent sanguinem proijciēdi. Si sanguis nimius fluat, tunc spectare oportet, vtrum critice, an symptomatice exeat. Si critice profundatur, adhuc videre oportet, vtrum vim afferat viribus insignem, an nullam afferat, aut exiguam.

Si sanguis critice fluat quid agendum.

Si aut nullam, aut exiguam vim infert viribus, nihil moliri oportet, sed tantum est permittendum opus naturæ, & diligenter animaduertendum, vt debito alimento succurratur pro sustentandis viribus. Sin autem vim insignem afferat viribus, tunc omnino cohibendus est. Quia rudis ingenii signum est, permittere in his casibus, vt ægri intereant sub specie boni.

Sed dicetis, qui fieri potest, vt motus criticus possit esse perniciosus, & exitialis? nam crisis semper fit a natura opportune, & recte operante.

Respondeo verum quidem esse naturam tempore crisis semper recte operari, quantū sit ex se, sed non est absurdum ratione subiectorum aliquid in eo opere euenire contra ipsius intentionem. Et enim dum profunditur sanguis e naribus a natura recte operāte, fieri potest, vt vasa vsque adeo hient ac lubrica efficiantur, propter quod deinceps non possunt ita cōcludi, quemadmodum opus esset. Ideo in hac rei necessitate studendum est, vt reuellatur impetus sanguinis a naribus, & vasa narium restringantur.

Sanguinis fluxus vt retrahendus.

Retrahitur sanguis ligaturis, frictionibus, cucurbitulis appositis hypochondriorum regionibus, ita, vt si sanguinis effluat nare sinistra, apponantur sinistro lateri, atque contra. Et interdum postulante vsu scariacandæ sunt partes.

Pro cōstringendis narium vasis iam habuistis, quæ præsidia vtilia sint, & naribus, atq; etiam fronti adhibenda, vt est emplasma factum ex gypso, gypsum autem maceratur modo oleo modo aq. plantag. modo aceto, & omphacio, ita vt fiat pasta, & fronti ac temporibus implastratur. Vnum præsidium expertus sum iuuare, si eo tempore testes detineantur in aqua gelida.

Et ratio huius remedij est, quoniā maximus consensus est inter caput, cerebrum, & testes, adeo, vt Auenzoar dixerit eos, quibus exempti sunt testes, carere dimidio intellectu. Igitur propter huiusmodi consensum fit, vt per partem, & post partem communicata frigiditas capiti, & præsertim venis narium sanguis veluti congeletur, & sistatur.

Si symptomatice sanguis nimius effluat, quomodo agere oportet? Retinere impurum, & noxium sanguinem est periculosum opus, permittere etiam, vt effluat, est permittere homines, & ægros ipsi morti.

Si symptomatice fluat quid moliendum.

Si plus sanguinis symptomatice effluit, videre oportet, vtrum aliquid vtilitatis afferat, an prorsus sit naturæ inutilis. Si enim aliquam vtilitatem affert, nullo pacto est compescendus. Ceterum si prorsus sit inutilis, omnino conandum est, ipsum coercere, eo quia etsi in præsens non afferat insigne detrimentum, tamen non est dubitandum, quin si perrexerit, sit futurus damnosus, Sunt autem modi coercendi fluxum iam vobis propositi, sed illud attendendum est, vt in huiusmodi casu, quantum potest fieri, abstineatur ab ijs, quæ vehementer adstringunt. Inter alia laudant aliqui, vt grumi sanguinis e naribus nunquam abstergantur, quod ita paulatim sanguis quiescit, & penitus sistitur. Sequitur sudor copiosus, qui prout inducit syncopen, quæ maxime molestat, de hoc quoque sudore pauca dicenda supersunt.

De sudore copioso in febribus.

Fit enim sudor in febribus copiosus, vel quia calor febrilis intestinus humores attenuat, & per meatus dilatatos effundit, vel quia vt scribit Arist. a. probl. & Theoph. in lib. de sudore, resoluit & humiditates cōcretas, & humiditates crassiores in vapores, qui deinde per cutim exeuntes dum ab aere frigido tanguntur, in sudorem concrescunt.

Vtró

Vtro modo efficiatur, sudor copiosus in febribus, non modo molestus est, verumetiam maxime periculosus. Quare prouidendum est, vt comprimatur, priusquam maius detrimentum afferat.

Ratio comprimendi duplex est, altera, est, vt vniuersus corporis habitus refrigeretur, altera vero, vt meatus corporis dilatati claudantur.

Pro refrigeratione aer frigidus adhibendus est, qui parari potest non modo frigidis irrigationibus, verumetiam folijs, & floribus refrigerantibus, vt sunt fol. salicis, fl. rosarum, fol. lactucæ, portulacæ, vt myrthi. Et vt possit aer magis refrigerari, in huiusmodi casib. solemus iubere, vt corpora nuda aeri exponantur. Neque valet quod scribit Aristot. 2. problem. 34. scilicet quanto quis pluribus indumentis sese tegit, eo minus sudare, quoniam id forsan sub sole, & in aere calido esse potest, sed in aere frigido hoc minime verum est. Clauduntur meatus corporis tum persusionibus, tum linimentis. Persusiones fiunt ex rebus adstringentibus. Exempli gratia.

Sudorem nimiũ quę cohibeant.

℞. Aq. pluuialis lib. iiij.
Balaust. P. ij.
Fol. rubi.
Portul.
Plantag. an. M. ij.
Carabes ℥ j. Contundantur omnia, & bulliant ad consumptionem quartæ partis.

Vsus huius est, vt spongiæ imbuantur hoc decocto, & sudanti corpori applicentur. Animaduertendum tamen id, quod docuit Arist. præd. sect. problem. vbi scribit, si sudãti corpori aut frigida aqua affundatur, aut illud aere frigido tractetur, nauseam excitare, propterea quod vapores & succi, qui expirare debebãt per cutim, repulsi ad ventriculum feruntur: Nam debet solers Medicus diligenter aduertere, ne ex malo malum oriatur.

Linimenta ad compescendum sudorem nimium fiunt ex ol. refrigerantibus, ex gummatibus. Exempli gratia.

℞. Ol. de carabe.
Ol. nenuph.
Ol. de cucurbita an. ℥. ij.
Gummi tragac. ℥. ß.
Mucilag. psylly ʒ vj. M. omnia f. a. ad ignem.

Si hæc non iuuerint, Auicenna primi quarti tr. 2. cap. 13. laudat, vt deueniatur ad vsum niuis, si haberi potest, adeo, vt corpora sudantia in niue demergantur. Sed vt libere dicam, quandoque consueuit mihi risum excitare hoc consilium, quia sudores immodici in febribus non fiũt nisi tempore æstatis, aut saltem rarissime alio: quando scilicet neque in regionibus, & multo minus in Arabia niues haberi possunt.

Controuersiam video de abstergendo sudore, scilicet vtrum ad cohibendum sudorem liceat abstergere eum, an permittere in corporibus ægrorum, nam Auicenna loco citato necnon a. quarti tract. 1. capite sexagesimo sexto præcipit, vt omnino abstineatur a detergendis sudoribus, eo, quod motus ille non tantum prouocet magis sudorem, verumetiam prouocet syncopen: Pro Auicen. est Aristot. qui præcitata sect. probl. 12. scribit, si abstergantur sudores magis excitari, quam si dimittantur. Et adfert huius rei rationem, quoniam sudores dimissi duo faciunt, scilicet refrigerati refrigerant corpora ipsa, & sua illa mora occludunt meatus ne possint sudores effluere.

An ad cohibendum sudorẽ liceat abstergere illũ, nec ne?

Contra est Paulus Aegineta, qui lib. 2. cap 47 præcipit, vt omnino abstergantur sudores, imo vero, inquit, quotiescunque necesse est prouocare sudores, & præsertim criticos, optimum esse, dimittere sudores, quia, inquit, ipse sudor sudorem allicit. In hac re puto ego magis adhærendum esse Arist. & Auicen. quam Paulo. Veruntamen si conciliari possunt, hic est modus conciliandi, scilicet detersionem sudoris posse fieri aut blande, & paulatim, aut concitatim. Si concitate fiat, certe magis prouocat sudorem, & de hac locutus est Aristot. & Auicen. quando dixit etiam detersionem sudoris syncopen inducere. Nam clarissimum est, eum loqui de concitata & vehementi detersione.

Sed si loquamur de blanda detersione dico potius hanc coercere sudorem, atque hanc minime prouocare syncopen, & propterea Pauli sententiam de hac esse interpretandam; quia videtur oculum in hoc dirigere, vt syncope auertatur. Remedia extrinseca ad cohibendum sudorem sunt etiam complura, & præsertim vsus ciborum astringentium ac incrassantium, vt est vsus cerebellorum animalium, pedum vitulorum castratorum, succus portulacæ, omphacij ad condienda omnia edulia. Pro potu, aquæ incoquitur myrthus, & plantago addito succo granatorum, conceditur etiam vinum rubrum adstringens, cui folia quercus, myrthi & plantag. immacerata fuerint.

Inter alia symptomata, pertinentia ad excrementa mutata, possumus connumerare nauseã, & vomitum, dico nauseam, quia etsi sit irritus conatus ad vomendum, interdum tamen exit etiam aliquid cum nausea, vt propter hoc iure possit, quemadmodum & vomitus, aliquo pacto numerari inter excrementa. Et hoc symptoma interdum, vsq; adeo graue febrientib. est, vt non modo molestiam singularem afferat, verum etiam interdum summam perniciem.

De nausea, & vomitu in febribus. Bolus cõtra nauseam a vaporibus.

Fit hoc symptoma in febribus ob duas potissimum causas; vel ob malignos & putres vapores, os ventriculi infestantes, vel ob viscidos humores, qui tenacissime inhærent ipsi ventriculo.

 Si fiat

Si fiat a vaporibus, conandum est eos auertere a ventriculo ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, clysteribus, & omnibus alijs ingenijs, quæ apta sunt deflectere huiusmodi vapores. Ad hæc corroborandus est vētriculus, ne facile iniuriam patiatur a vaporibus, id quod fit his remedijs, quæ docuimus, tum in occurrendo illi symptomati, quod appellatur anxietas, tum remedijs internis, cuiusmodi est bolus similis.

℞. Conf. acetosæ ℥. j.
Pulu. coral. alb.
Pul. corticis granat. an. ℈. ß.
Scordij subtiliter puluerizati gr. xij. M. diligenter, & deglutinantur.

Nam huiusmodi bolus arreptus prauitati vaporum resistit, & ventriculum recreat, atque cōfirmat. Si fiat nausea ab humoribus, videndum est, quinam sint humores, an biliosi, crassi adhærentes, an vero pituitosi.

Hieræ laus.

Si sint pituitosi, eos prius incidere & detergere oportet, in quem vsum oxymel laudatissimum est Syrup. de acetos. simples. syrup. de hyssopo. Et vbi pituita incisa & detersa est, educenda est uel melle ros. sol. uel hiera, quæ inter alias dotes, quas habet præstantissimas hanc unam habet, ut euacuet humores pituitosos adhærentes ventriculo. Si sint humores biliosi eos quoq; prius præparare necesse est, & vbi præparatus est humor, educendus; in quo faciendo apud omnes primas partes obtinet aloe.

Circa vsum aloes notanda.

Sed de usu aloes illud semper memoria tenere debetis, quod scriptum habetis a Galen. 8. de comp. med. l. l. 1. & 2. nempe aloen, ubi purgandi sunt humores tantum ventriculi, exhibēdam esse in minori dosi, quam ubi purgandum est iecur, & aliæ partes intimiores. Præterea aloe solet usurpari, vel lota, vel illota. In febribus nunquam illota est vtendum, & vbi lota est, possumus ea vti non in quibusuis febribus, sed tantum in febribus exiguis, quemadmodum prudentissime monuit Galen. l. c.

An intemperies humida possit nauseam excitare.

Sed hoc loco eximendus est quidam scrupulus, scilicet an præter causas nauseæ prædictas possit etiam sola intemperies humida nauseam excitare. Nam Gal. loc. citat. cap. 2. videtur uoluisse, etiam ab humida intemperie, quę ab ipso uocatur πλαδᾶν, posse excitari nauseam. Sed hoc decernendum est ex ipso Gal. in fin. cap. prioris eius libri, vbi scribit, nudas intemperies omnino durare exiguo tempore, propterea vix vllas reperiri, quæ non sint alicui humori coniunctæ, vt propterea in his casibus semper exsiccantia medicamenta prosint.

Amygd. virides vtiles nausea.

Sed duplicia sunt exsiccantia medicamenta, quemadmodum ibidem docuit Gal. Alia enim exsiccant adstringendo, alia vero dissipando. In nausea minime sunt adhibenda, quæ exsiccant dissipando, sed tantum adstringendo, eo, quod non tantum habenda est ratio humiditatis exsuperantis, verum etiam ipsius toni, & firmitatis ventriculi. Vnde Diosc. maxime laudat amyg. virides in humiditate ventriculi, quoniam cortex amygdalarum viridium cum sit terrestris, adstringit, & ratione adstrictionis curat hanc nimiam humiditatem. Quod dixi de nausea, idem pene dicendum est de vomitu, qui aliquando ita vexat ægros, vt vitium ruinam minitetur, ea propter cum vomitus fiat ob humores in spacio ventriculi contentos, atque ad ventriculum huiusmodi humores mittantur ab alijs corporis partibus, cogitare debemus, a quanam parte humores confluant in ventriculum.

Curatio vomitus in febribus.

Nam si confluant ab hepate, operæ pretium est dexteras partes infernas fricare, ligare, & subtus iecur cucurbitulas apponere, quæ trahentes a ventriculo, & iecore maxime iuuant ad deflectendos humores ab ipso ventriculo. Atque ad hoc agendū maxime confert fricare etiam partes ipsius iecoris. Si a parte sinistra, hoc est, liene mittantur humores in ventriculum, iuuat pari pacto apponere cucurbitulas subtus lienem, fricare & ligare partes infernas sinistras. Laudat etiam Auic. vt spōgia aceto imbuta apponatur ori ventriculi, quasi huiusmodi remedium maxime valeat ad tuendum ventriculum ab humore melancholico.

Quod si huiusmodi auxilia malum non tollant, tum conuertendum est studiū ad euacuādos humores contentos in ipso ventriculo. Inter alia, quę conueniunt pro huiusmodi euacuatione, est vomitus. Nam dicit Auic. sæpe curari vomitum vomitu, & fluxum fluxu. Vomitus autē est parandus, vel aceto, & iure, vel aceto, & aqua tepida, vel aliquo alio auxilio, modo id blandū sit.

Vomitus in vomitu confert.

Et si vomitus non auferat malū, expedit medicamētis eos euacuare. Si vomitus fiat ab humore bilioso, qui non possit faciliter educi, conandum est eum expellere medicamento bilē ducente.

Curatio uomitus biliosi.

In quo genere magnopere laudatur aloe, quam scribit Gal. de tuen. val. propterea senibus nō conferre, quoniam bilem ducit, quæ in senibus minime abundat. Si pituita vomitum faciat, ea prius oxymelle detergenda & incidenda est, post euacuanda. Et ad eam euacuandam nihil prędstantius est hiera.

Curatio uomitus pituitosi.

De alui fluxu in febribus.

Vbi febribus coniungitur alui fluxus; solet hoc symptoma non minus exercere Medicos, quam ægros; & propterea summa solicitudine opus est, & in primis cogitare oportet, vtrum fluxus sit cibi alicuius corrupti, an potius sit fluxus alterius humoris. Si sit cibi corrupti, est Gal. sententia, & iusta, nihil moliendum esse, & eo maxime, quia nisi error aut negligentia incidat, solet huiusmodi fluxus, & cito & faciliter finiri. Si sit fluxus humorum, videre oportet, vtrum sit criticus, an potius symptomaticus. Si criticus, aut effluit sanguis, aut bilis, aut alius quispiam humor. Sanguinem per crisim interdum exire vix credibile videtur, quia natura, quæ custos est sanguinis, non effundit vitæ fundamentum, vt seruet ægrum. Verumtamen res ipsa & experientia docet, interdum morbos finiri per effluxum sanguinis ab alio, scilicet quando sanguis vsque adeo impurus & teter est, vt potius sit oneri, quam vsui naturæ, & propterea si sanguis impurus effluat, neque modum excedat, hic quoque sinendus est.

Ceterum,

Cęterum, vbi modum excedit, & periculum imminet, ne post fœdum sanguinem probus etiam sequatur, tunc quamprimum occurrendum est, id quod fit tum internis auxiliis, tum iis, quæ immittuntur foris. Interna auxilia sunt cibi refrigerantes & adstringentes, vt est succus granat. mora non admodum matura, conf. de ribes, de berberis, portulac. plantago. Hæc enim intus accepta prohibent immensum sanguinis fluorem. Ea, quæ immittuntur & accommodata sunt, clysteres sunt: qui primum fiunt ex lacte chalybeato. Fiunt etiam huiusmodi adstringentes.

℞ *Cort. granat. P. j.*
Fol. portul.
Plantag. an. M. j. f. decoct. &
℞ *d d. lib. j.*
Oryzæ coctæ & per colum transmissæ lib. i.
Pulu. corall. rub. ℥ ß. M. & f. clyster.

Clysteres cõuenientes in fluxu alui sanguineo.

Hic enim vim habet insignem sistendi sanguinem. Solemus quoque vti aquis mineralibus: cuiusmodi sunt aquæ de Turia vocatæ, quæ sunt salsuginosæ. Aquæ etiam nostræ B. Virginis vtilissimæ sunt, siue intus assumantur, siue per clysterem immittantur. Si bilis fluat, permittendum est opus naturæ recte operanti. Sed quia hic humor in transitu intestina vlcerare potest, ideo opus est intestina ipsa obducere aliquo succo lento, & viscido, quod ipsa ab vlceratione tueatur: cuiusmodi est iste.

℞. *Iuris intestinorum sine sale. lib. j.*
Adipis castrati ℥. iij. M. & f. clyster.

Nam sic defenduntur intestina, quo minus violentur a bile. Si fluxus sit symptomaticus, atque a bile fiat; in hoc etiam fluxu nihil aliud est agendum, quam id quod nuper dixi. Nam, etiamsi symptomaticus sit, perniciosum est huiusmodi humorem furentem in corpore retinere. Vnde melius est, vt exeat, & in exitu defendantur intestina. Sin autem fiat fluxus a pituita, præparanda est, quemadmodum alias demonstraui. Et vbi præparata fit, est purganda vel agaric. torrefacto, vna cum decocto myrobolan. & sebesten, vel cum hiera, si febris exigua sit. Nam si hoc illud est, quod solebat dicere Auicenna fluxum fluxu curari. Sicuti nimius fluxus solet ægros sollicitare: sic etiam sollicitantur a nimia alui adstrictione. Vnde est, quod, vt dicit Cassius; sæpe febres retentis fęcibus duplicentur. Et ideo debet Medicus maxime curare, vt aluus quotidie fluat, si fieri potest. Clysteribus nihil vtilius & facilius est: dicit enim Auicen. semper sibi dilectum fuisse clysteris vsum.

Curatio fluxus alui biliosi.

Curatio fluxus alui a pituita.

De nimia alui obstructione.

Clysterum laus.

Vsus cassiæ in febribus.

Sed quia interdum vsu venit, vt febrientes maxime clysteres auersentur, hoc in casu solemus vti aut iuribus medicatis cum malua, violis, & beta: aut sero caprino cum modico mannæ. Soleo ego vti felicissime altera quaque die aut quarta die ℥ j. & ℥. ij. cassiæ solidæ, ita vt febricitantes sponte cassiam ipsam ex siliquis trahant. Solemus etiam præbere cassiam extractam ad quantitatem ℥. ij. vel ℥. iiij. Placet quoque vsus ipsius fenæ, quia vt dicit Mesue solum purgat per ventriculum: cauendum autem ne ad aluum leniendam continuo exhibeatis medicamenta, quia in febribus nihil perniciosius, quoniam medicamenta crebro administrata naturam a coctione, & humores nimis agitant.

Ad hæc solet in febribus interdum vrinæ ardor maxime turbare ægros. Et hoc præsertim contingere experiemini, quando necessitas compellit nos ad vtendum vesicatoriis, & cantharidibus. Nam sæpissime contingit propter vim illam arcanam, quam habent cantharides aduersus vesicam, vt ardorem vrinæ inducant. Sed fit etiam in febribus hic ardor propter magnum incendium, propter bilem, quæ euacuatur per vrinam: fit etiam interdum propterea, quod angustatur os vesicæ a compressu intestinorum. Nam in mulieribus hystericis, hoc est vtero laborantibus, præsertim, quando vterus descendit, solet ardor vrinæ suboriri, propter coarctationem meatus. In hoc casu solemus adhibere ea, quæ diuretica sunt, sed frigida, & emplastica, vt est suc cus semin. melonum, succus semin. cucurbitul.

De vrina ardore.

Hi enim vel soli, vel cum aliqua pulte exhibiti habent vim placandi similem ardorem. Sicuti etiam ius, in quo radix maluæ sit percocta. Solemus etiam, vbi magnum incendium est, pannos lineos aqua vel lactucæ, vel hordei tinctos circundare peritonæo & pectini. Atque sic occurrendum est symptomatibus, quæ sunt excrementa mutata.

Postremo fiunt symptomata in febribus, pertinentia ad qualitates mutatas. Inter quas vna est visibilis, & est linguæ nigrities nec non nigritiei coniuncta asperitas: nam præterquam quod linguæ nigredo ingrata est, visa est etiam perniciosa, tum quia gustum deprauat, tum quia sæpe ab hac nigritie praua quædam qualitas mittitur in cerebrũ, quæ magnopere lædit. Docui alias, quinque modis fieri nigritiem linguæ, sed in febribus potissimum oritur ob incendium, & fuligines, quæ ex deustis humoribus eleuatæ atque linguæ imbibitæ nigrorem inducunt.

De symptomatis in febribus pertinentibus ad qualitates mutatas.

Quamobrem occurrendum est huic symptomati, vt monet Auic. frequentissima linguæ lotione, quæ fit aquæ hordei & aceto. Pannus etiam asperior intinctus vel in posca, vel in aqua hordei, & linguæ affricatus, vim habet nigredinem illam auferendi.

De scabritie & nigritie linguæ.

Quæ vero asperitatem tollunt, sunt res humidæ, & viscidæ adhærentes ipsi linguæ, vt est succus sem. melonum, ol. recẽtiss. amygdal. dulc. oleum ros. cum melle, butyrum aqua ros. lotum. Et inter cetera laudat Auic. semina cydon. ore detenta: præter hęc conueniẽt etiã ea; quæ alias proposuimus pro placanda & extinguenda siti. Notandum est vnum, quod Paulus monet stet-

nutationes capitis maxime concedere ad tollēdam asperitatem, quia per sternutationem datur occasio pituitæ, vt a capite ad linguam fluat, quæ fluens humectat, atque siccitatem omnem tollit.

De odore tetro in febribus.

Circa qualitates odoratiles mutatas fit quoque aliquod symptoma in febribus, vt est odor teter, qui plerumque fit in febribus propter humores putridos, qui vel sunt prope colatoria in fundo cerebri, vel sunt in ventriculo. Atque hi omnes praui odores auferuntur purgatione, hoc est, medicamentis, quæ mundant ventriculum, nec non etiam cerebrum. Et inter cetera solemus etiam adhibere flores & fructus odoros. Attrahuntur etiam succi & aquæ odoratæ per nares. In his casibus soleo ego mandare, vt edulia febricitãtium coquantur in aq. rosacea. Folium malabalhri ore detentum efficacissimum est ad arcendos omnes graues odores.

De sternutatione nimia.

Ad nares quoque potest pertinere aliquo pacto illud symptoma, quod commemorat Auicen. inter alia, & est vel frequentissima sternuatio, vel irritus sternutandi appetitus, quæ symptomata fiunt a flatibus, interdum etiam succis, & vaporibus nares mordentibus. Cum igitur hæ sternutationes, vt testatur Paulus lib. 2. cap. 48. soleant interdum aliqua mala facere, vtpote vires deijcere, & sanguinem e naribus prouocare, ijs occurrendum erit quatuor modis, vnus est longa fricatio frontis, & colli, cuius frictionis beneficio vapores illi qui faciunt sternutationes discutiuntur, & dissipantur. Aristoteles 33. par. prob. 2. & 8. quærens, cur fricatis oculis desinant sternutationes, dupliciter respondet, vno modo quod per eam fricationem dissipantur humores sternutationem causantes, & hoc probat, quia post fricationes sequitur lacryma: Alio modo respondet, quod per fricationem illam fiat magnus calor magnitudo caloris oculorum obscurat, & quasi perdit calorem effectorem sternutationis. Secundus modus succurrendi est fricatio palati, quæ fit cum pannis asperioribus; ab hac enim fricatione habentur duo, vnum quod calefacta pars humores dissipat, alterum quod per eam fricationem diuertantur a naribus ad palatum. Tertius modus est, capitis commotio & versio, modo in hoc, modo in aliud latus, nã huiusmodi motu humores illi qui ad nares pertingunt, ac sternutationem gignunt, dimouentur ab eo loco. Quartus est fricatio & ligatura extremorum. Hisce remedijs adduntur ab Auicenna & alia, vt quando olea auribus discutientia modice infunduntur, cuiusmodi est oleum anethinum, oleum liliaceum, ol. chamomel. Similiter etiam mandibularum inunctiones, & musculorum temporalium. Monet vnum Paulus, non contemnendum, vt scilicet prouideat ne subito æger a somno excitetur, ratio est, quia somnus sternutationes prohibet, vt notat Aristoteles 33. part. prob. quia calor qui commouet sternutationes est diffusus per superficiem, in somno calor latet intus, ea propter sternutationes minime facit. Quod autem extrinsecus calor faciat sternutationes, probatur, quia qui volunt sternuere, vertunt oculos & nares ad solem, vt scilicet beneficio solis incalescant partes externæ, atque ita fiant sternutationes. Accedit etiam quod somnus paulatim digerit & concoquit humores sternutationes facientes, vbi autem fit repentina expergefactio humores illi retinentur, retenti faciunt sternutationes.

Quod si appetitus sit sternuendi irritus, adiuuandum est sternutamentum vel penna, vel puluere modico piperis, vel aqua tepida, & succo radicis betæ. Sed hæc, quæ calefaciunt insigniter, non nisi magna postulante necessitate sunt vsurpanda: & præsertim si febris magna fit.

De rigore in febribus.

Sequuntur postremo loco symptomata pertinentia ad qualitates tactiles, inter quæ duo potissimum solent maxime febricitantes vexare, nempe rigor atque dolor. Rigor quid sit, & vnde fiat, iam abunde didicistis. Fit autem, vt monet Auicenna rigor in febribus tribus modis, vel post sudorem, vel ante paroxysmum, vel post crisin. Post sudorem fit, aut post magnum sudorem, aut post paruum, atque vel finito iam sudore, vel nondum finito. Qui rigor fit post crisin, vt dicit Hippoc. 4 aph. 58. penitus morbum soluit. Nam dicit, a febre ardente, habito si rigor superueniat, soluit. Et certe, vt ibi notat Galenus, minime de alio rigore loquitur, quam de eo, qui fit post crisin. Igitur aduersus huiusmodi rigorem minime opus est admodum certare. Sed si perseueret, & febrientem nimis affligat, solæ frictiones vim habent huiusmodi rigorem tollendi. Sin autem post sudorem fiat, ac sudor nondum sit finitus, expectandum est, donec sudor finiatur. Nam si deinceps finito sudore rigor adhuc perseueret, tunc studendum est non solum frictionibus, verumetiam asperioribus frictionibus, calefactionibus, atque aliis huiusmodi auxilijs cutim aperire; siquidem rigor eueniens post sudorem non ob aliud fit, nisi quia materia sudorifica minime tota est per sudorem exinanita, & ideo, quę remansit dissipanda est, quod fit vel per ea, quæ iterum sudorem prouocant, vel per ea, quæ materiam sudorificam dissipant, & consumant.

Si rigor fiat ante paroxysmum, solet magnopere, & hic febricitantes vexare. Qui paruus est, & nullam molestiam affert, pauca solicitudine, & paucis auxiliis indiget. At qui vehemens est, curationem, quemadmodum dicebam, exposcit. Expostulat etiam in ipso paroxysmo, hoc est, dum vrget, vbi enim vrget, si sit exiguus, non curandus est, quia sponte finitur. Sin autem magnus sit, & propterea molestiam insignem afferat, curare solemus calefactione, integumentis atque aliis ingeniis, quæ calorem reuocant.

Linimentũ contra rigorem in febribus.

Ceterum, antequam adueniat, solent Medici admodum sollicitiesse in ipso depellendo atque auertendo. Hoc autem fieri solet tribus vel quatuor horis antequam adueniat, & occurritur ipsi tum medicamentis externis tum internis. Externa medicamenta sunt balnea, inunctiones factæ ex rebus calefacientibus. Exemp. grat.

℞. Ol. chamom.

Ol. nard.

Ol. nard. an. ℥ ß.
Puls. coriand.
Pulu. piperis albi, an. ℈. j. M. & f. linimentum, vel olea de vitellis ouorum de euphorbio, aqua vitæ permixta.

Lauacri ex chamomilla laus.

Præ ceteris magnopere laudatur vsus & fomenti & lauacri ex chamomilla, quippe quod dicebat Gal. a Medicis putatum esse remedium febris. Solemus etiam implere vesica vel ol. chamom. vel aliquo alio calefaciente, atque apponere dorso: eui linimenta quoque adhiberi solēt. Complura alia reperietis auxilia aduersus rigorem febrium 1. quarti, tr. 2. cap. 12. Interna remedia, erunt, si materia rigorem faciens sit calida & copiosa, cibi crassi & refrigerantes, vt sunt succi & ptisana farris, ac alia quæ possunt humores acres, & rigorem facientes obtundere. Si vero materia sit frigida vt contingit in quartanis, tum medicamenta quibus occurrimus rigori, omnia erunt calefacientia, vt est Theriaca commendata ab Auic. diatrionpipereon, diaspolit. Laudat etiam Auic. pil. quasdam ex aromatibus quas vocat expertas.

Vinum rigores soluit ex Hipp.

Neque vos moueat, quod in febribus remedia adeo calida minime videantur accommodata, quia hæc adhibentur ante paroxysmum, & præsertim adhibentur, vbi materia non vsque adeo calida est, cuiusmodi est quartana febris, de qua loquens Aristot. 1. problem. 57. dicebat, in quartanariis multum ignem accendendum esse, scilicet ob vehementissimos rigores, quibus quartanarij efficiuntur. Laudat etiam Auicen. vinum, & ego soleo vti vino puro post hæc medicamenta. Accepit hoc consilium a sapientissimo Hippoc. qui 7. aphor. 56 scribit, horrores solui a vino pari aquæ pondere commixto. Quem locum cum interpretaretur Gal. d. vinum ideo soluere horrorem, quia suo calore dissipat vapores, & humores, a quibus inducitur rigor. Accedit interdum, vt sine rigore refrigereotur externæ corporis partes, quæ refrigerationes etsi in omnibus non postulent remedia, veruntamen in corporibus maxime sensibilibus opus habēt aliquo auxilio, nam huiusmodi frigefactiones fiunt duabus de causis, aut propter internarum partium inflammationes, aut propter paucitatem spirituum, & caloris natiui. Vbi fit propter magnas internarum partium inflammationes, nihil aliud agendum, nisi vt extrema abluantur aquis tepentibus, fricentur. Vbi vero fit refrigeratio propter spirituum paucitatem, succurritur leuibus frictionibus, cibis optimis, hoc est, cibis qui facile coquantur, qui optime nutriāt, atque in hoc casu conuenit odorare vinum, abluere nares, & os vino, fouere testiculos vino calente & odorato, laudat Auicenna Agaricum. Postremo loco symptomata tangibilium qualitatum coniuncta febribus sunt dolores qui varii sunt. Sed præ ceteris solent febrientes magnopere tentari dolore capitis, dolore dorsi & lacertorum, nec non dolore stomachi. Appello autem dolorem stomachi non cardialgiam, de qua supra sumus loquuti, quando scil. os ventriculi dolet, sed eum qui præhendit totum corpus ventriculi.

De dolore in febribus.

De dolore capitis in febribus.

Dolor capitis in febribus solet interdum oriri propter fæces retentas. Et aduersus hunc præsidium vnicum est, aluum liquare, quod fit felicissime vsu clysterum mollientium. Sæpius fit dolor in febribus ob vapores, qui tolluntur ab internis partibus, & modo acres sunt, & mordaces, modo graues, sed blandiores. Vbi fit dolor a vaporibus acribus & mordacibus, cognoscitur, quia acrimoniæ sensus percipitur, vbi vero fit ab aliis vaporibus, cognoscitur, quia dolor capitis potius grauatiuus est, quam vlcerariuus: quemadmodum vbi fit a flatu potius tensiuus est.

Hirudinum in dolore capitis laus.

Aduersus dolorem, qui fit a vaporibus acribus cerebri membranas mordentibus occurritur duobus modis, vel reuellendo vel repellendo. Reuelluntur vapores frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, clysteribus. Aegineta lib. 2. inter alia probat hirundines. Sed quibus locis sint applicandæ, non commemorat. Quare ad solertem Medicum pertinebit hoc in casu animaduertere, vtrum febriens familiarem habeat sanguinem fluentem ab hæmorrhoidibus. Nam hoc in casu ad aduertendum dolores capitis nullus alius locus est eligendus, quam hæmorrhoides. Si autem nullas internas partes oblæsas habeat, nullus locus aptior est pro hirudinibus, quā nares. Et sum expertus, hirudinem vnam vel alteram naribus febrientium immissam, statim dolorem capitis abstulisse.

An lactis vsus extrinsecus cōueniat in hoc casu.

Ratio repellendi est, vt animaduertatur, quinam sint vapores efficientes dolorem. quoniam si calidi sunt, perfusiones ex rebus refrigerantibus maxime accommodantur: cuiusmodi sunt illæ, quas vobis proposui in delirio curando: vt non sit opus inutiliter repetere. Auic. proponit perfusiones ex lacte. Sed duo sunt circa lac animaduertēda. Vnum est, vt in vaporibus frigidis vsus lactis fugiatur, eo, quia nimium obstipat cutim, ita, vt vapores aliqui crassiores minime difflari queant. Alterum obseruandum est, vbi cum dolore coniuncta est propensio ad somnum, minime conducere lactis vsum.

Si fiat dolor a vaporibus crassioribus, oportet perfusiones & inunctiones adhibere, quę vim habeant discutiendi. Et in hoc nihil præstantius est, quam decoctum camomillæ & anethi, nec non perfusio ex decocto earundem herbarum, scribit Galen. 3. de simpl. med. cap. 10. Aegyptios pro remedio febrium peculiari habuisse oleum chamom. idem quoque agendum est si materia sit flatulenta.

Laudat Arch & Paulus empl. ex oleo, aloe & amygdalis amaris, sed huiusmodi empl. quæ aliqui solent caput grauare, libenter refugio, quia debet Medicus in omnibus illud studere, vt cum securitate, cum celeritate & cum iucunditate curet. Non possum non vehementer commendare consilium Aetii, qui damnauit frequentes oris ablutiones, quia vbi febricitātes sępe

CAPVT XVII.

De febribus pestiferis, & malignis.

INter omnes morbos, qui humanam naturā turbant nullus est, qui adeo sęuus & immanis sit, vt pestifer morbus, seu pestis, hæc est enim, quę non solum ciuitates, & prouincias depopulatur, verum etiam regnis ipsis, ac vniuerso orbi ruinam minatur, immo cum veteres illi paucissimos morbos cognouerint, nunquam tamen ignorasse videntur pestem, quoniam vt est videre apud vetustiores scriptores sola pestis nominata apparet, quapropter cum hoc tempore de pestiferis morbis sim tractaturus si vnquam diligentes fuistis, in præsenti summa vti diligentia debetis: nam quod ad me attinet, tractabo nūc eadem methodo, qua & alias febres tractaui, sc. vt primum quid sit morbus pestifer tradam, deinde differentias, causas, signa, prognostica, postremo loco præseruationem & curationem exactissime docebo.

Pestis duo potissimū significat.

Pestis igitur apud Græcos vocata est λοιμὸς, Latini modo morbum pestiferum, modo pestilentiam, modo pestem dixerunt, quod nomen vt reliqua prætermittam duo potissimum significat, significat enim pestem & febrem pestilentialem, nam quod pestis & febris pestilētialis differant locupletissimum testimonium habetis apud Galenum 3. de præsag. ex puls. 9. & 3. epid. com. 3. tex. 56. quibus in locis manifeste Galen. docet reperiri febrem pestiferā sine peste; quod cum ita sit, vidēdum, quid pestis, sed obiter, alias enim prolixe de ea loquuti sumus, deinde quid febris pestilentialis, ita quod ex declaratione horum terminorum facile innotescit, quæ sit differentia vtriusque. Est igitur pestis morbus communis contagiosus atque plurimos interimens. Quod pestis morbus sit procul dubio perspectissimum est apud omnes, quoniam si quis est affectus præter naturam, qui immediate operationes humanas offendat, certe est pestis, sed quodnam morbi genus non est manifestum, quoniam frequentissime contingit, vt pesti varia morborum genera coniungantur, vt vlcera, obstructiones, contorsiones, sed morbus qui perpetuo pesti copulatus est dicitur intemperies calida & sicca, febris ipsa, eo quia vt declarabo, nūquam est reperire pestem, quin & ipsi febris sit copulata, hoc autem quod verum sit, probo auctoritate & rationibus. Est clarissima in lib. de flat. Hippocratis auctoritas, quo in loco scribit se dicturum de febribus, atque has febres alias esse communes, alias particulares, communes febres sunt, inquit, illæ quæ sub pestis nomine comprehenduntur, adeo quod nemini dubitare liceat quin Hippocrates eo in loco scripserit pesti semper cōiunctam esse febrem. Præterea Paulus, Aetius, Auicenna & Rhases auctores omnes probatissimi de peste non alibi tractarūt quā inter febres, adeo quod clarissimum sit hos scriptores voluisse pesti semper coniunctam esse febrē. Probo etiam rationibus hanc eandem sententiam, nam clarum est, pestem esse morbum nō solum acutum, sed acutissimum, ratio est, quia proprius morbi acuti character est, quod sit cum periculo, & celeriter moueatur, pestis ipsa nemini dubium est quin velocissime moueatur, quia clarissimum est quod in septimo die vel interimat ægrum, vel absoluat: pręterea omnes cōfirmant in peste maiorem partem interire, quapropter cum pestis hos duos characteres habeat, necessum est colligamus etiam pestem esse morbum acutum si morbus acutus, ergo necessario est cum febre, probatur hæc necessitas auctoritate Galeni primo aphor. septimo. & 3. de diffic. resp. circa finem, quibus in locis scribit Galenus morbis acutis semper febres acutas esse coniunctas: denique est sententia Galeni primo de diff. febrium cap. 4. pestis originem esse ex putrefactione circa Cor, si est ex putrefactione necessario adest febris, quia vbi est putrefactio, ibi etiam calor propter naturam dominatur, atque si is sit circa cor, necessario febris adest. Ad hęc Hippocrates primo epid. sec. 3. tex. 3. scribit morbos acutissimos, maximos, difficilimos, & lethalissimos esse febri continuę iunctos, atque talis est febris, ergo semper febri iungitur. Itaque patet auctoritatibus, & rationibus semper pesti coniungi febrem: Sed statim insurget aliquis vestrum primo auctoritate Hippocratis deinde Galeni. Nam Hippocr. 3. epid. commen. 3. tex. 58. postquam narrasset multa morborum genera, quæ illo tempore vagabantur, inquit, quod eorum qui cū febre laborabant, nemo erat inobediens Medico, sed omnes præceptis Medicorum parebant, & tex. 55. multa narrans sæua sympt. quæ in ea pestifera constitutione fiebant, dixit & sine febre, & cum febre contigisse id, quod sæpe inculcat & vtitur voce πυρετοῦ, non πυρὸς, quæ ipsi magnam febrem significare solet. ita quod videtur Hippocrat. testari etiam inter illos morbos pestiferos aliquos fuisse, qui sine febre erant. præterea Gal. 9. de simpl. cap. de bolo arme. narrans illius affectus in peste scribit, quod tradebatur cum vino diluto ijs, qui erant sine febre, aut leuiter ea tentabantur, qui grauius febricitarent, admodum aqueo. Vnde concluditur in ea peste a Galen. tradita non semper adfuisse febrem, nec est quod respondeamus Gal. intellexisse de febre obscura, quia scribit quod dabatur cum vino ijs, qui prorsus sine febre erant, quare ex his auctoritatibus falsum esse videtur, quod dixi pesti semper coniungi febrem. Ad has auctoritates vt respondeam debetis hoc adnotare, quod pestis dupliciter intelligi possit, vel pro morbo incipiente vel pro morbo facto, & consummato. Si accipiamus pro morbo incipiente, dico verum esse, quod non semper pesti incipienti copuletur febris, atque hoc verum esse, clarum testimonium habetis ab Hippocrat. 3. epid com. 3. text. 27. quo in loco scribit Hipp. & testatur Galen. morbos pestiferos quandoque sequi febrem, quandoque antecedere,

Pestis definitio.

Pesti sēper coniunctam esse febrem probatur auctoritate.

Probatur idem rationibus.

Pestis est morbus acutissimus.

Hippocr. & Gal. videtur pestem ponere sine febre

Respondeo ad auctoritates.

dere,

derej, quandoque incipere cum febribus, adeo vt perspicuum videtur Hippocr. velle quandoque incipere cum febre, quandoque sine febre, hoc modo intelligenda est auctoritas Gal. quando scribit, quod dabatur bolus cum vino aquoso in febricitantibus. Si intelligamus secundo modo sc. pro peste perfecta, sententia mea est, fieri non posse propter rationes allatas, quin semper cum peste sit iuncta febris.

Morbi dispersi.

Morbi communes sunt duum generum.

Endimij qui dicantur.

Morbus communis.) vt intelligatis hanc particulam, debetis optime intelligere omnia quæ tradita sunt, partim a Gal. & præsertim in proœmio lib. epid. nam morbi, inquit, Galen. alij vocantur sporades. s. dispersi, alij communes. Morbi dispersi seu sporades dicuntur, quando varias nationes, & varios homines varij morbi eodem tempore infestant, exemplum, si tempore veris in hac vrbe vel alibi vagarentur pleuritides, tusses, lypothimiæ, alui fluxus, isti vocantur sporades seu dispersi, eo quod non sunt vnius & eiusdem generis. Morbi communes adhuc duum sunt generum, alij vocantur endimij, Latini aliqui appellant inquilinos, alij vero vocantur epidimi seu epidimij. Eudimij sunt illi qui communes quidem sunt, sed vnius generis, & familiares vni nationi, exemplum, Elephantiasis dicitur Aegypti morbus inquilinus, eo quod hæc ægritudo, vt scribit Lucretius familiaris est illi regioni. Epidimij morbi adhuc duplices, nam alij lethales, alij vero non sunt lethales, ita quod liceat vobis iam cognoscere, quomodo pestis dicebatur esse morbus communis. Dixi (contagiosus) non sine ratione, quia sunt multi morbi cõmunes, qui non sunt contagiosi, puto vos meminisse catarrhos interdum vagari, qui integra regna occupant, sed non sunt contagiosi, quare vt particulam hanc melius intelligatis, cognoscendum, quid sit esse contagiosum, nam vox hæc, contagio, est mera latina, Græci hactenus hanc vocem nobis non tradiderunt, nam Hippocr. in lib. de flat. videtur quidem hanc rem nobis significasse, sed sub alio nomine, nam quod nos appellamus contagium vocat μίασμα, quod est inquinamentum. Similiter Aristor. 7. part problem. 4. dixit contagionem ἄπτειν, contagium autem nunquam vocauit.

Contagium quid.

Si contagiũ per humores fiat, duo requiruntur.

Contagium igitur nihil aliud est, quam qualitas quædam morbosa, & praua, quæ vel ab aere, vel a corpore in corpus transfertur, ita quod morbus contagiosus dicitur ille, qui non solum sponte, verumetiam contagio vel aeris, vel aliorum corporum concipitur: Morbi qui fiunt per contactum aliorum corporum, vel fiunt per contactum spiritualem, vel per contactum humorum, nam quod solida corpora possint per solum contactum impertire morbum, fieri nequaquam potest. Morbi qui fiunt per contactum spiritualem, sunt omnes illi qui fiunt ex spiritibus inquinatis, qui excites de corpore infecto in aliud corpus inficiunt spiritus, & per hos humores, postremo calida, cuiusmodi scribit Aristoteles loco supra citato, & Galen. 1. de differentijs febrium, esse lippitudinem, rabiem, atque pestem ipsam in quibus omnibus contactum habent corpora solummodo medio spirituum. Contagium quod efficitur per humores, est quando humores inquinati, & pestiferi ex vno corpore in aliud, transferunt qualitatem prauam atque morbosam, qui humores, vt hoc agant debent habere duas conditiones, vt docet Aristoteles, & Alex. a, problem. 42. vna conditio est, vt humores illi, qui debent facere contagium sint in superficie, altera vt sint viscidi, atque tenaces, nam Apoplexia, atque epilepsia nequaquam sunt morbi contagiosi, & ratio est, quia humores praui sunt in profundo nimis, quam, vt possint qualitatem noxiam communicare. Lepra similiter & hydrops vt docet Alex. & Aristot. non sunt contagiosi, quia tum & si humores sint in superficie, veruntamen sunt nimis tenues, & aquosi quam vt possint præ lentore & viscidirate adhærere. Ceterum scabies dicitur morbus contagiosus per humores, quia non solum humores sunt in extrema superficie, verumetiam sunt maxime tenaces, & viscidi. Habetis nunc quomodo pestis sit morbus communis, & contagiosus. Additur (perniciosus) ad differentiam eorum morborum qui videntur contagiosi, & communes, non tamen sunt pestis, vt est scabies, vlcera quæ solent vagare, ophthalmiæ etiam, vt restatur Hipp. qui omnes licet contagiosi sint, quia tamen lethales non sunt, non debent appellari nomine pestis, cui proprium est, vt maiorem partem interimat. Audiuistis igitur pestem esse morbum communem, contagiosum, atque maiorem partem interimens.

Febris pestilentialis duplex.

Febris vere pestilẽtialis, quid.

Differentia inter pestẽ, & febrem pestilentialem.

Pestilentialis febris, vt colligere licet ex scriptoribus duplex est, altera quæ vere pestilentialis dici potest, alia quæ pestifera quidem secundum similitudinem, vere autem pestilentialis dici non potest. Quæ vere pestilentialis, nihil aliud est, quam intemperies calida & sicca ex magna putredine circa cordis partes orta, plurimos turbans, atque lethalis seu perniciosa. potestis etiã addere contagiosa. Sed dicetis, quæ est differentia inter pestem, & febrem pestilentialem? est hæc, quod pestis præter febrem complectitur, & alia morborum genera, nam in peste omnes morbi oriuntur, febris autem pestilentialis nil aliud complectitur, quam hanc intemperiem. Febris pestifera non vera est intemperies calida, & sicca ex magna putredine orta. Ex quibus descriptionibus intelligere potestis, quæ sit differentia inter has duas febres, nam febris pestilentialis vera quatuor conditiones habet, vnam quod in plurimos grassatur, alteram quod vt plurimum lethalis, tertiam, quod contagiosa, & non solum contagiosa propter aerem, verum etiam contagione corporea, quartam & postremam quod copuletur plerumque cum fluxu colliquatiuo, vt ostendit Galen. 3. in epid. 57. febris quæ non vere pestilentialis est, minime habet huiusmodi conditiones, primo enim in plurimos non grassatur, nam videbitis interdum in vrbe aliqua solum vnum aut alterum tentari pestifera febre, neque tamen alios vllo modo vexari, præterea febris hæc non est ita lethalis ex sua natura, quia tametsi accidentia simillima pesti habet, caret tamen ea conditione quod sit adeo lethalis, neque est etiam contagiosa, quia

sæpe

Quæ sit species uel idea morbi.

Quid mos morbi.

sæpe videbitis laborantes hac peste, tractari diligentissime ab assantibus, nec quenquam affici, postremo non habet huiusmodi [illegible], etsi interdum habet, est vel propter insignem araoçẽ. vel ob aliam causam. Et quia nonnulli fuerunt in ea sententia pestem, & pestilentem febrẽ prauam dici ex idea, non autem ex more, cum nos aliam sententiam sequamur, non credo futurum vobis inutile, si breuiter examinemus quid sit species morbi, & quid sit mos. Nam circa omnem morbum semper quatuor consideranda, vt docuit Galen. 3. de Cris. 5. & 1. de Cris. 4. sunt autem hæc species seu idea, magnitudo siue vehementia, motus, & mos siue modus, Quæ sit species morbi docuit Galen. lib. 1. de Cris. cap. 5. vbi afferens exemplum speciei morbi, inquit esse veluti tertianam, quartanam, pleuritidem, peripneumoniam. Has omnes dicit Galen. designare nobis speciem seu ideam morbi, quam cognosci scribit propriis accidentibus. Exempl. gratia, pleuritis cognoscitur dolore lateris pungitiuo, difficultate anhelitus, tussi, & febre acuta, hæc enim omnia sunt accidentia propria, quæ ideam huius morbi declarant. Magnitudo siue vehemẽtia cognoscitur magnitudine & vehementia accidentium propriorum, exemp. gratia magnitudo pleuritidis cognoscitur, & magnitudine, & vehementia accidentium febris, tussis, doloris, & difficultatis anhelitus. Tempus morbi cognoscitur, inquit Galen. & tarditate vel velocitate, aut accessionis, aut partium accessionis morbi, exempli gratia, pleuritis cognoscitur, quia si statim properet augmentum & status, dicitur pleritis acuta, si uero tardet, non acuta. Postremo inquit Galen. cognosci morem siue modum ex accidẽtibus non quidem propriis, sed superuenientibus. Et si accidentia superuenientia sint periculosa, exitialia, dicitur malignus, sin autem accidentia sint simplicia, non periculosa dicitur morbus benignus. Quibus ita constitutis patet, vocem hanc prauam, pesti, & pestiferæ febri conuenire non quidẽ ob morbi speciem, sed potius ob morem.

Differentia pestis a causis effectricibus.

Pestis quæ fit ab aere duplex

Differẽtiæ febrium pestiferarum capiũtur a subiecto.

Conciliator putat in spiritib non accendi febrẽ pestilẽtialẽ.

Secunda rõ Cõciliatoris.

Tertia ratio

Quarta.

Febris Anglica una die intermit.

Videamus modo differẽtias febrium pestilentialium, & primo ipsius pestis, nam pestis præcipuas differentias sortita videtur ex causis effectricibus, alia enim dicitur pestis facta ab aere, alia a victu, hanc distinctionem habetis clarissime apud Hipp. in lib. de flat. confirmatam a Galen. plurimis in locis, & præcipue primo de diff. feb. 4. & lib. de cibis boni ac mali succi, quibus in locis. Hipp. & Gal. manifeste docent fieri febrem tum ab aere, tum a victu: rursus pestis quæ fit ab aere duplex est, quoniam alia est pestis, quæ fit ab aere corrupto secundum substantiam, alia quæ fit ab aere secundum qualitates alterato, ita quod tria sint genera differentiarum pestis, vnum ab aere secundum substantiam corrupto, secundum ab aere secundum qualitates alterato, tertium a victu prauo. Notandum, hæc genera differentiarum, non esse tantum pesti cõmunia, sed etiam febribus pestiferis omnibus, & præcipue veris. Differentiæ febrium pestiferarum, quæ tam veræ sunt, quam non veræ, sunt illę, quę capiuntur a causa materiali seu a subiecto, subiecta febrium sunt tria, spiritus, humores, & solia, de humoribus apud neminem in controuersia positum est. Et propterea neque vos dubitare debetis, sed statuere humores putrescẽtes, vbi insigniter putrescunt, pestilentes febres inducere. Sed de spiritibus, & solidis maior est dubitatio. Nam Conciliator differentia 94. fuit huius sententię, quod in spiritibus non possit accendi febris pestilens, atque ad hoc asserendum vsus est quatuor rationib. prima ratio est, quia febris pestifera oritur ex putredine, spiritus est corpus calidum & siccum, ergo non potest putrescere, ita quod neque potest fieri pestifera febris. Ad hęc, spiritus sunt in perpetuo motu, vt iure Hippocrat. vocauerit ipsos ἐνορμῶντα, hoc est impetum facientia. Sed quæ in perpetuo sunt motu, omnis putredinis sunt expertia, vt colligere liceat etiam spiritus alienos esse a qualibet putredine. Tertia, quod febris diaria non pertransit ad summum tertiam diem, pestiferæ febres sępissime pertranseunt septimum & decimum diem. Quarta & vltima, quod febris in spiritibus accensa de se est semper salutaris, febris pestifera semper est perniciosa. His rationibus adductus Conciliator existimauit nõ posse in spiritib. circa cor fundari febres pestiferas. Ex aduerso videtur esse auctoritas Aristotel. qui 4. meteor. docet omnia putrescere excepto igne, igitur videtur & spiritus etiam posse putrescere. Adhuc febris Anglica est febris, quę iugulat fere omnes vna die, quod fieri nequaquam posset nisi putredo ingens in spiritibus collocaretur, quæ citam faciat mortem: quemadmodum videmus ex ipsismet spiritibus syncopas patientibus, quæ sunt mortis germanæ, oriri, præterea pestis, quæ fit ab aere clarum est, vt docet Galen. 1. de differentiis febri. 4. quod inficit homines medio inspirationis, quoniam aer externus dum attrahitur in cor, venenat partes cordis, quod si hoc verum est, quæro num maior sit similitudo inter aerem & spiritus, quam inter aerem, humores, & solida? sane nisi Bambalio, ac stupendus aliquis sit, fatebitur maiorẽ esse similitudinem inter aerem spiritum; si maior similitudo, tantum abest, vt spiritus non debeant putrefieri ab aere putrido, quin debeant magis cõtaminari quam alia. Vt huius rei resolutionem habeatis, tres statuendæ sunt propositiones, Prima quod spiritus possunt putrescere extrema putrefactione non solum propter admixtionem aliarum rerum, immo vero propter seipsos. Secunda quod spiritus difficilius putrescunt quam humores. Tertia & postrema, quod tametsi ex putrescentibus spiritibus pestifera & exitiosa oriatur, eiusmodi tamen febris minime vera diaria est appellanda, sed potius diaria ob similitudinẽ quandam.

Tres propositiones. *1.* *2.* *3.*

Quod possint putrescere spiritus.

Quod spiritus possint putrescere, breuiter probatur & ratione, & auctoritate. Ratione quia spiritus sunt corpora calida & humida. Calida & humida corpora, vt docet Galen. 9. meteor. 8. sunt maxime omnium putredini exposita, vt ob hoc rationi consonum videatur spiritus putredinem concipere posse, quod autem spiritus sint corpora calida & humida, testis est Aristoteles,

les, qui 2. de generatione animalium 1. scribit spiritus cum fiant ex alimento puro, esse corpora calida atque humida, eiusmodi est alimentum, ex quo nascuntur. Auctoritate quoque id probari potest eiusdem Aristotelis qui 7. problem. 8. & Alexand. 2. problem. 92. qui reddentes rationem cur phthisis & lippitudo sint contagiosę, dicunt propterea esse, quia spiritus sunt corrupti & vitiati, qui exeuntes e corpore infecto & aliud ingredientes coinquinant & vitiant corporis habitum.

Spiritus difficilius putrescere, quã humores.

Secunda propositio confirmatur per Galenum 10. meth. qui scribit ea, quæ sunt sicciora minus putrescere, sed spiritus comparati humoribus sunt sicciores, igitur sunt etiam minus parati ad putredinem, quam humores.

Pestifera potest fieri ex putrefactione spirituũ.

Tertia sic confirmatur, quia videmus venena ipsa quotidie homines interimere, & quidem subito, cuius ratio nulla est alia, nisi quia spiritus statim inimica veneno natura destruitur. Si igitur faciũt hoc venena externa, nihil minus facere pñt venena interna, ideo docet Gal. de lo. aff. 5. in corpore nostro gigni humores vsque adeo prauos, vt omnino ęmulentur venena. Nam Iacobus de part. vir ætate sua grauissimus narrat in quadam peste tempore suo homines dum sani ab ipso consilium peterent ante pedes suos mortuos concidisse, certe hæc febris pestifera nullibi magis poterat esse quam in spiritibus, nam vt hoc etiam obiter dicam. Lucilius poterat inquit se aliquos vidisse sub vna febre statim iugulatos, sed neminem ab vno vini haustu. Huc sic

Respondetur rõnibus conciliatoris.

constituto, non est difficile respondere rationibus Conciliatoris; erat prima ratio, quod spiritus non possint putrescere, quia calidi & sicci, dico spiritus posse considerari dupliciter vel secundũ suam naturam, vel comparati ad humores; si secundum suam naturam considerentur, sunt calidi & humidi, si ad humores sunt calidi & sicci, ergo non possunt putrescere, falsum est, quia ex se sunt corpora calida, & humida.

Ad secũdã.

Ad secundam rationem, quod scil. moueantur, & propterea non possint putrescere, respondeo, verum esse quod quæ mouentur minus putrescunt, quam immobilia, sed quod omnino sint putredinis expertia, hoc est falsissimum, quia videmus etiam carnes diu agitatas sub aere inclemente putrefieri, ita etiam non inconueniens quod spiritus etsi moueantur, tamen nacti occasionem aeris putredi, quin putrescant vt docet Gal. locis cit.

Ad tertiam & quartam.

Pestifera accensa in spiritibus nõ pertrãsit tertiã diem.

Ad tertiam & quartam dicendum, quod rationes valent de diaria vera, quia diaria non pertrãsit tertium diem, febres autem pestifera in spiritibus accensa dicitur diaria per similitudinẽ; quanquam, (vt ego fatear quod sentio) vbi spiritus sunt vere peste cõtaminati, & hæc quoque febris non pertranseat tertium diem, immo vero audiuistis, sæpe non transit vnum diem: quare colligatis febrem pestiferam accendi posse in spiritibus, atque hactenus esse duplicem differentiam, vnam in humoribus, alteram in spiritibus.

An ulla febris pestilentialis possit hectica dici.

Rationes opinantiũ nõ posse fieri.

Dubitatum est inter medicinæ scriptores an febris vna pestilentialis possit hectica dici, fuerunt qui existimarunt non posse fieri febrem hecticam pestilentialem, ad quod asserendum plurimis vsi sunt argumentis. Nam Hippocrat. in libro de corde 4. de morb. scriptum reliquit, cor a natura constitutum esse ex substantia admodum solida, & pene impassibili, vt scilicet expers esset, quantum fieri posset, ægritudinum & putredinis. Quam sententiam secutus Aristoteles Hippocrati parum gratus, 3. de part. anim. 4. & 4. de part. anim. 2. inquit, cor nullum sustinere violentum affectum. Alterum argumentum est, quod cor vix sustineat vt humores sui putrefiant, igitur multo difficilius sustinere poterit, vt substantia eius corrumpatur. Adhæc putredo est motus quidam, vt alias probatum est, febris hectica nõ est in motu, non in alterãt, sed in alterato esse, ergo repugnat dicere febrem hecticam, & dicere putredinem in substantia cordis. Postremo febris pestilentialis a Medico curatur phlebotomia, purgatione, a natura per crisim soluitur hectica febris neque phlebotomia, neque purgatione curatur, vt nunquam per crisim finitur.

Testimonia contraria sententia.

Solutio.

Sed aduersus hanc sententiam sunt grauissima Galeni testimonia, qui 1. de differ. feb. 9. & 3. de præsag. ex pul. 3. & 4. manifeste docet fieri etiam pestilentialem hecticam, Immo Hippoc. 3. epid. com. 3. in constitutione illa pestifera scribit multos interijsse ob tabem, quę est apud ipsum febris hectica. Dimissa responsione illa, quam nonnulli adferunt hecticam nempe pestilentialem fieri solummodo dum ros putrefit, quoniam Galenus, clarissimis verbis in locis iam citatis demonstrat fieri pestilentialem hecticam, quãdo corpus solidum cordis putrescit, dico pro huius rei resolutione, pestilentialem hecticam veram nunquam fieri, sed bene febrem aliquam quæ per similitudinem hectica dici solet. Sed dicetis, quomodo per similitudinem? propter duas conditiones, vna est, quia sicuti febris vere hectica habet pro præcipuo subiecto solidas cordis partes quas exiccat, ita fieri potest hectica pestilentialis quæ tota fixa sit in solidis cordis partibus, quas exsiccet; alia conditio est, quia sicuti hectica vera nullas habet exacerbationes, & ægri non percipiunt se febrire, sic etiam vt docuit Galen. loco citato fit febris quædam pestifera in cordis partibus posita, quæ nullas habet exacerbationes, & febricitantes non sentiunt febrem: quod sit hęc vera hectica falsissimum est, quia pulsus vt notat Galen. sunt valde dissimiles, vrinæ dissimilimæ, ita quod hanc hecticam pestilentialem minime liceat veram hecticam nominare.

Nulla pestilentialis est uera hectica.

Sed dicetis in hac hectica pestilentiali, potestne putredo solum solidas corporis partes occupare non autem humores, & spiritus? dico, id quod sentio, fieri non posse quin etiam aliqua putredo sit in humoribus & spiritibus, sed magnitudo seu gradus summus putredinis solum est in substantia cordis, ratio, quam adfert Alexander 1. probl. 88. quod solida cordis sint magis pa-

rata

rata ad hunc putredinis gradum capiendum quam humores, & spiritus: valere ad suscipiendam pestem corporum, & Hipp. in lib. de flat. & Gal. & ratio docent. Quid dicemus ad rationes adversariorum? ad primam ex auctoritate Aristotelis acceptam dico verum esse, quod cor diu sustinere non possit affectum violentum, & in hectica pestilentiali cor non diu sustinet hanc violentiam, propterea quod statim ægri ante quartum diem intereunt, quapropter & ad secundam rationem respondere potest, quod quemadmodum paruo tempore cor sustinet putredinem humorum, ita paruo tempore potest sustinere violentiam in substantia. Ad tertiam & quartam duo omnia illa verificari tantum de hectica vera; habetis itaque quomodo pestilentialis hectica & febris fiat. Dixeram vobis non esse dubitatum de humoribus, scil. an ipsis fiat febris pestilentialis, sed circa hanc febrem pestilentialem humorum plura veniunt consideranda maxime digno, vnum est, an hæc febris pestilentialis quæ fit ex humoribus summe putrefactis sit putrida vocanda, an sit alia febris, fuere grauissimi viri, qui existimarunt omnem pestiferam febrem esse de genere putridarum, neque aliam curationem postulare, quam postulent putridæ, adducti hac ratione, quod si est vlla differentia inter putridas, & pestiferas, solummodo est, quia in pestiferis larga est putredo, in putridis minor est putredo, magis & minus dicunt isti non variant speciem, & ideo æstimant pestiferas putridas esse. Sed aduersus horum sententiam multæ rationes sese offerunt, vna est quod febris pestilentialis vt plurimum fiat ab aere, putridæ febres hoc proprium habent, d. Gal. vt nunquam incipiant a causa externa, secunda ratio est, in febrib. putridis nulla adest praua qualitas, in pestiferis non solum adest summa putredo, immo vero adest & praua qualitas, quæ quandoque a Medicis venenum appellata est. tertia ratio in pestilentiali febre semper aliqua pars cordis putrefcit, in febre putrida non est necessarium, immo vero plerumque non putrescit vlla corporis pars. Quid igitur dicendum? dico in hac difficultate febres pestiferas veras maxime differre a putridis, non solum secundum generationem, verum etiam secundum totam naturam: secundum generationem, quia putridæ vt intellexistis gignuntur ex obstructionibus, pestiferæ, vt docet Gal. 1 de diff. feb 4. & 3. de præsag. ex puls. 9. generantur frequentissime quia viciatus aer externus attractus, in cor, ipsum inquinat, & corrumpit, secundum totam naturam differt vera pestilentialis a putrida, eo quia si vrinam, & pulsum comparetis, quæ sunt maxima in omnibus febribus, pulsus pestiferæ est semper veluti sanorum, quemadmodum & vrinæ, in putridis nihil horum est, quoniam vt intellexistis suo loco febres putridæ alios pulsus, & alias vrinas habent. Sed dicetis, fatemur veras pestilentiales non esse putridas, i. de genere putridarum, quid dicemus de pestiferis per similitudinem & de malignis? præterea si pestifera vera non est de genere putridarum, ergo dabitur 4. id genus febrium. Dico quod febres pestiferæ non veræ, & malignæ dici possint aliquo modo putridæ, & aliquo modo non putridæ: possunt dici putridæ, quia istæ febres non fiunt a causa externa, quæ est proprium putridarum, sed fiunt solum a causa interna: possunt etiam dici non putridæ, quia huiusmodi febres habent quasdam conditiones, & in pulsu, & vrina, quæ sane videntur remotissimæ a conditionibus putridarum verarum, igitur, dicetis, datur aliud febrium genus. Domini fuere grauissimi viri, qui videntes summam huius rei difficultatem non erubuerunt dicere, dari quartum genus febrium, & Galenum non recte cognouisse differentias horum morborum, qui fiunt a qualitatibus venenatis, atque qui fiunt a peste. Sed vt tueamur veterum doctrinam debetis dicere non esse necessarium dari quartum genus febrium, quia tametsi febres pestiferæ atque malignæ non adsciscant sibi proprium genus, comprehenduntur tamen in omnibus tribus generibus, & potissimum in generibus putridarum, quia, vt audiuistis, sunt pestiferæ febres in genere hecticarum, sunt in genere diariarum, sed potissimum sunt in genere humorosarum, vt sic dicam. Cum autem pestiferæ febres sint potissimum in genere putridarum, dubitare posset aliquis, an scilicet possint fieri pestilentiales interpolatæ, & an ex omnibus humoribus putrescentibus possint oriri febres pestiferæ. Ad postremum dico febres pestiferas veras fieri ex putrefactione totius massæ sanguineæ, febres pestilentiales non veras possunt fieri tum ex tota massa sanguinea tum etiam ex vnoquoque humore putrescente, idem dico de febribus malignis, quæ possunt fieri ex vnoquoque humore summe putrescente, ita quod si bilis summum gradum putredinis acquirat, fiet febris pestilentialis, quæ æmulabitur quodammodo tertianas, sed habebit conditiones pestilentes; similiter si pituita summe putrefiat, aut humor melancholicus. Sed cum iam a nobis hoc concessum sit, febres pestiferas non veras, & malignas posse fieri ex vnoquoque humore summe putrescente, surgit primum dubium, an scilicet possint fieri interpolatæ febres, nam ex vtraque parte sunt auctoritates & rationes, auctoritas, quia Auerroes, & Auenzbar tradiderunt fieri febres malignas & lethales, ex bile prasina & æruginea, ex quibus humorib. dixerunt etiam fieri interpolatas. præterea est Hippocratis auctoritas prima & tertia epid. qui referens constitutiones eorum temporum, scribit interdum grassatas esse febres quartanas, interdum tertianas; est etiam ratio, quia si bilis summe putrefacta facit febrem pestiferam, potest et summe putrefieri extra vasa, igitur extra vasa putrefacto, potest facere febrem, sed febris ex putrefacto humore extra vasa est interpolata, ergo fieri poterit pestifera interpolata. Sed ex altera parte sunt etiam auctoritates & rationes, prima ratio est, quia febris pestifera & praua semper habet putrefactionem vicinam cordi, vbi putrefiunt partes vicinæ cordi, fieri non potest, quin putrefactio sit continua, præterea est auctoritas Hipp. 4. aph. 42. vbi scribit febres omnes intermittentes esse sine periculo, quandocunque intermittant, sed febres prauæ, & pestiferæ sunt lethales ac periculosæ, & propterea nullo modo possunt dici intermittentes, præterea Gal. exponens Aph.

Responsio ad rationes aduersariorum.

An pestilentialis quæ fit ex humoribus sit dicenda febris putrida.

Solutio.

Pestilentialis differt a putrida secundum generationem.

Et secundum naturam.

Pestifera non veræ partim possunt dici putridæ, partim non putridæ.

An detur quartum genus febrium. Quo referendæ sint febres pestiferæ.

An possint fieri pestilentiales febres interpolatæ.

Pro parte affirmatiua.

Pro parte negatiua.

nuperrime

nuperrime citatum, scribit febres malignas nunquam ad integritatem peruenire: si febres malignæ non perueniunt ad integritatem, multo minus peruenient aliæ febres pestiferæ. Dicendum igitur pestiferas ac malignas nunquam intermittere vere posse, posse tamen minui ac exacerbari propter rationes dictas, atque ita æmulari quandam interpolationem.

Solutio.

Possem complures alias pestiferarum febrium differentias hic adferre quę ab accidētib. capiuntur, verum, quia illas in lib. de pestilentia a nobis conscripto prolixe explicatas habetis, in præsenti omittam. Sequitur modo vt de causis tractemus.

Natura comparatum est, vt quicunque effectus admirationem hominibus pariunt, etiam causarum indagationem difficilem habeant, hinc cum pestis, & febris pestilentialis effectus maxime miros habeant, fit quoque vt causarum huius morbi inuestigatio sit perdifficilis, veruntamen nos Medicorum placita sectati, has meliori quo fieri poterit modo inuenire conabimur, quæ causæ vel sunt immediatæ, vel mediatæ; immediatæ pestis omnis causæ sunt ipsæ putrefactiones, immo vt proditum est a Gal. ex sententia Hippoc. summa omnis pestis, est ipsa putrefactio. Sed dubitatur an propter putrefactionem insignem sit vlla alia causa immediata febris, fuere grauissimi viri, qui existimarunt non solum putrefactionem, sed occultam quandā qualitatem esse causam pestis, & ad hoc credendum impulsi sunt, vt ego existimo, ab effectibus miris, & ex medicinis, quæ proprietate occulta videntur pesti occurrere. Sed pro solutione dico, quod si isti pro occulta qualitate intellexerunt facultatem quandam diuersam, a facultate putredinis procul dubio errarūt, quia nulla in peste reperitur facultas remota a putredine quę hos effectus producere possit: propterea multiplicare causas sine necessitate, superuacaneum est, vnde si possumus omnes hos effectus referre in causas euidentes, cur occultas petimus? Si autem pro qualitate occulta intelligere voluerunt gradum quendam summum putredinis, ego quoque assentior illis, quoniam in peste est quidam gradus eximius putrefactionis, qui tot effectus producit, nam vt in qualitatibus actiuis & passiuis datur quidam gradus extremus, in quo qualitates sunt venena, sic etiam nihil prohibet in putredine dari quendam gradum summum & extremū in quo putrefactio fit venenosa, & hoc est quod voluit docere Gale. de loc. affec. 5. quādo scripsit in corpore fieri humores venenatos, quia scil. ad eum putredinis gradum perueniunt, vt veneni naturam acquirant. Causæ mediatæ aliæ sunt internæ, aliæ externæ, mediatæ internæ sunt quatuor, temperatura corporis, habitus, ætas, & sexus, quæ omnia comprehenduntur ab Hippocrate in lib. de flat. & a Gal. 1. de diff. feb. & ab Alex. 1. prob. 88 sub nomine dispositionis corporum, nam omnes isti scriptores dicunt ad pestem efficiendam maxime omnium conspirare corporum dispositionem, ita quod hæc vel illa corpora, magis aut minus tentētur peste, quia magis vel minus sunt disposita. Dispositio autem tota disposita est in temperatura, habitu corporis, ætate, & sexu. Quod ad temperaturam pertinet, corpora dicuntur magis disposita, quæ sunt cal. & humida, nam si pestis est putredo summa, corpora calida & humida sunt maxime putredini obnoxia, & consequenter pesti exposita. Quod ad habitum corporis attinet, illa corpora, seu ille habitus corporum est magis aptus pesti, qui est vitiosus, cacochymicus, impurus, & corpora debilia, & inertia; clarissime enim proditū habetis a Gal. 1. de diff. febr. 5. ac alijs in locis, quod corpora quæ magis pura sunt, & minus excrementosa, minus etiam peste tententur. Est dubitatio an densa corpora sint magis ad pestem disposita, quam rara. Ex vna parte fuit Gal. qui loco citato visus est habere hanc sententiam, quod corpora densa & obstructa magis sint pesti exposita quam rara. Ex altera parte est Auic. qui aperto ore fatetur corpora rara magis tentari peste, quam densa. Vt huius difficultatis solutionem habeatis, duo adnotare debetis; vnum quod pestis, vel causa pestifera aut est interna, aut externa. Alterum, quod aliud est esse corpus densum & adstrictum a natura, aliud est esse corpus tale ab accidētibus, nam multa sunt corpora, quæ vel propter balnea, vel propter humorum viscidorum abundantiam densantur, quamuis a natura sint rara. His constitutis, dico, quod corpora densa ex natura magis exposita sunt pesti quæ fit ab intrinseco, quam corpora rara secūdum naturam. ratio huius rei est, quoniam corpora densa a natura sunt minus perspirabilia: vnde in ipsis effluuia quotidiana retineri solent, retenta vero putrescunt, atque febribus occasionem præbent; corpora vero rara cum habeant perspirationes maiores, si quæ fiunt in ipsis putrefactiones, pauciores sunt, & minores, eo quia propter raritatem magis difflantur minus putrescunt; neque valet quod aer per os inspiratus, videatur esse effector ipsius pestis, quia licet hęc sit potissima causa, tamen multum ēt facit aer, qui per corporis meatus ingreditur; corpora vero quæ densa sunt per accidens, exposita sunt, non tantum pesti, quæ ab externa causa fit, verum etiam illi quæ ab interna. ratio est, quia talia corpora sunt magis repleta, ac magis vitiosa, quam corpora rarefacta, & laxa. Sexus etiam inter causas internas mediatas ponitur, de quo similiter videtur controuersia, quia alij putarunt sexum virilem, alij vero sexum femineum. Sed Domini hanc litem ita dirimatis, quod vt dicebat Hippoc. in libello aureo de flat. non omnia semina pestis proportionata sunt omnibus corporibus, quia interdum efficitur pestis in qua magis viri vexentur quam mulieres, interdum magis vexantur mulieres quam viri, vt relatum est a Dionysio de peste, quę Romæ sub Tarquinio vexabat magis virgines & prægnantes, quam alios homines, sic etiam videbitis interdum magis viros infestare, idque non aliam ob causam nisi quia semina illa pestis ita vocata a Lucretio aut inquinamenta modo magis proportionata sunt corporibus virilibus, modo femineis. Aetas quoque reposita est a nobis inter has causas, atam ætas puerilis maxime videtur exposita, quia habent corpora calida & humida, & quanquam habeant facultatē robustam

Causæ pestis.

An præter putrefactionem sit vlla alia pestis immediata causa.

Solutio.

Causa mediata.

Dispositio corporis in quib. posita.

Quę temperatura magis ad pestē disposita.

Qui habitus.

An densa corpora magis disposita ad pestem quam rara.

Pro resolutione duo ad notanda.

Cōtrouersia de sexu.

Aetas.

quæ

quæ maxime aduersatur iniuriis aeris vtruntamen habent principium internum efficax efficiendi putrefactionem, secundo adolescentes & iuuenes, minime omnium senes, immo refert Plinius lib. 7. c. 50. putatum esse antiquitus senes pestilentibus morbis non tentari, quod licet perpetuo verum non sit, non est tamen prorsus a ratione alienum, tum quia corpora senū sunt exsiccata, tum quia propter vitæ prudentiam minus solent scatere malis excrementis. Externæ causæ multæ a scriptoribus Medicinæ sunt relatæ. Viri pij inter quos possimus adnumerare Auenzoar: qui inter causas externas ponit Deum immortalem; & certe non possumus negare, quin quemadmodum habetur in lege vetere sæpe Deus propter peccata, hominib. pestem immittat. Astrologi quos quandoque secutus est Auic. inter causas externas primum locum tribuerunt influxibus cęlestibus, dicentes, quod certi planetæ, & certa astra vbi sese quodam pacto mutuo adspiciunt, ita alterare hæc nostra elementa, vt pestē atque incendia immittant. Atque ad hoc existimandum, adducuntur tali ratione, quod scilicet videmus aerem hunc nostrū vt d. Aristoteles 1. meth. suppositum esse lationibus cælestium orbium, & inde gubernari, quasi quod quemadmodum frigora & calores nobis fiunt a syderibus, ita quoque deberi fieri pestem, & alia morborū genera. Sed Astrologorum hāc sententiam confutauit Picus lib. 3. contra Astrolog. c. 21. vbi scribit nō valere Astrologorum rationes quod si gubernentur hæc inferiora a syderibus, ab ipsis etiam fiant morbi, quia corpora nostra gubernantur & conseruātur a natura rectrice, neque tñ dicēdum est, quod facultas rectrix faciat morbos, sed morbi fiunt ex incompositione & dissonantia ipsorum humorum, sic inquit Picus, & recte, non fiunt pestes a cælo gubernante aerem, sed fiunt ex vitio elementorum, ex aeris ipsius alteratione & corruptione. Quare melius Medici omnes, & præsertim Gal. inter causas externas primum locum dederunt aeri, nam Gal. 1. prog. in princ. declarans, quid voluerit significare Hippo. quando scripsit, in morbis esse quid diuinum, dixit multos multa commentatos, sed vere Hippocratem aliud nil significare voluisse, nisi aerem ipsum, vt res quædam diuina in efficiendis morbis pestiferis primum locum obtinere videtur. Sed dicet statim aliquis. Verum aer possit esse causa harum febrium, cum a vobis constitutum sit, febres quas tractandas hoc in loco suscipimus, ab aere non oriri? Respondeo aliud esse cōcurrere tanquam causam principalem ad aliquid agendum, aliud vero concurrere vt causam cooperantem, & præparantem materiam. In uere pestilentiali concurrit aer morbidus & pestifer tanquam causa primaria in his autem febribus minime vt causa effectrix, sed potius tanquam causa cooperans, præparans, & disponens humores internos ad suscipiendas putredines. Quare non omnino a ratione alienum puto futurum, si paulo fusius hoc in loco vobis declarem modos quib. aer a sua natura remouetur, ita ut morbos inferat, ac vitam ipsam destruat. Vitiatur aer dupliciter, aut secundum substantiam, aut secundum qualitates solum. dicitur secundum substantiam vitiari, quando citra caliditatē, frigiditatem, aut vllam aliam excedētium qualitatem cōtaminatur, atque corrumpitur. Sed obijciet vestrum aliquis, non videtur quod aer secundum substātiam possit corrumpi, primo quia corruptio seu putrefactio est passio rerum compositarum vt docet Aristot. 4. meteor. sed aer est elementum, est corpus simplex, igitur non videtur posse putrescere. præterea Arist. 25. par. probl. 20. scribit aquam quidem & terram putrefieri, aerem autem, & ignem nō putrescere, ex quibus locis videtur colligi posse non esse verum, quod aer secundum substantiam putrefiat. Dico quod aer, potest dupliciter a nobis cōsiderari, vel vt corpus purum & simplex, vel vt corpus mixtum & impurum, quale est aer noster ambiens, qui semper est mixtus aliquibus rebus: si consideretur, vt est corpus simplex non putrefit, & ille aer nō ambit nos, sed est ille qui proximus est globis cęlestib. si autem consideretur secundo modo, dico quod corrumpitur & putrescit secūdum substantiam, & propterea facile huius difficultatis auctoritatib. & rationib. respondetur. Corrumpitur aer mistus non alia ratione nisi quia ipsi aliqua corpora putrida permiscentur. putrida corpora quæ aeri cōmiscētur (ut inuestigamus ex methodo causis) sunt multa & in primis est frequentia pluuiarum, pręsertim ęstiuo tempore, atq; hoc est quod scribit Auenz. lib. 3. tract. 3. c. 2. constitutionem relatam ab Hipp. 3. epid. quæ fuit in Cranone, fuisse omnium maxime pestiferam, eo quod genita erat putrefactio aeris ex largis pluuiis, quæ fuerunt sub ardorib. præterea corrumpunt aerem secundū substantiā terræ motus, & terræ ipsius hiatus, causas luculētissime omnium explicat Seneca 6. nat. quæst. c. 27. quo in loco tres, vel quatuor causas adfert, cur sit quod post terræ motus, ac eiusdem aperturas fiāt pestes; vna est, quia aer diu cohibitus inter latebras terrę corrumpitur, qui post terrę motum exiens inquinatus, necessario aerē inficit, Quod aer diu cohibitus venenosus euadit facile intelligitur ex foueis fumētariis, quas Syros vocant, quoniam visi sunt hoīes statim interisse, qui imprudenter dum foueæ istæ aperiuntur aerem illum hauserunt: alia causa est quoniā in cauernis terræ sunt stagna frequentissima aquarū, quæ longa desidia, & quiete corrūpuntur, vbi fiunt terræ motus, ac hiatus, aquę istę venenatæ & infectæ exeuntes aerem vitiant. tertia causa est multitudo ignium, quia ignes latēt in terræ speluncis, qui diu detenti, & coerciti, vbi postmodum expirant aerem vitiant. Inter has causas referuntur & venti, qui perflant ex regionib. pestiferis, & venenatis. quod animaduertēs Empedocles Agrigentinus liberauit populum suum a peste, quia dum obseruasset pestem illā vehi per ventum flantem inter duos montes, iussit pellibus asininis obstrui ductus montium quo facto liberatus est ager: simili etiam ingenio Varro liberauit a peste Corcinam clausis fenestris ad Aquilonem, per quem vehebatur pestis, vergentibus.

Præter terræ motus & ventos, sunt alia plurima, quę aeris substantiam corrumpunt, ve-

Externę causæ.

Astrologorum opinio

Astrologorū confutatio.

Medicorum sñia de causa externa.

Quid velit Hip. cū ait, in morbis esse quid diuinum.

Vitiatur aer dupliciter.

Frequentia pluuiarū ęstiuo tempore.

Terrę motus & hiatus cur pestē inducant.

Prima ratio.

2.

3.

Venti.

Stagna & lacus.

luti stagna & lacus, quorum aquæ si vitientur, & corrumpantur, vitiant ipsum aerem, ad hęc cadauera omnium bestiarum, dum insepulta manent; & quanquam cadauera brutorum hoc agant, verumtamen magis pestem faciunt hominum cadauera, quæ fame aut bello interiere, vnde scribit Auenzoar lib. 3. tract. 3. cap. 1. veteres Medicos præcepisse ne homines prope sepulcra habitarent, quia a cadaueribus etsi non pestiferis, emanant semper aliqui vapores pestiferi. habetis igitur quomodo aer corrumpatur secundum substantiam, corrumpitur vero secundum qualitates, & corruptus pestem inducit hac ratione, quia qualitates actiuæ aeris vbi modum excedunt, corpora humana perturbant, & agitant, perturbata corpora magis exponuntur suscipiendæ pesti.

Cadauera, et potissime hominum.

Sed dicetis, quæ sunt istæ alterationes aeris secundum qualitates pestem causantes? præcipuę alterationes quæ hoc faciunt sunt illæ quib. aer nimis calidus, & humidus euadit, locopletissimũ huius rei testimonium habetis apud Gal. qui 1. de temp. 4. ex auctoritate Hip. 2. epid. docet aeris alterationem ad calidum, & humidum esse pestiferam, & ratio huius est, quia cum pestis sit soboles putredinis & putredo a calido & humido oriatur, iure merito calidum & humidũ aerem sequitur pestis. secũdo loco est alteratio aeris ad calidum immodicũ, cuius rei testimonium adfert Gal. 1. de dif. febr. 4. vbi exemplo illius pestis celebratissimæ apud Athenienses relatæ a Thucydide, dicit immodicos aeris æstus pestem inducere. De aeris frigiditate, & siccitate, dubitare posset, an hæ qualitates auctæ in aere possint facere pestem. Nam magnus Auenz. lib. citato, c. si recte recordor. 3. videtur innuere immodicam aeris siccitatem, pestiferam esse. Ex aduerso est ratio & sententia Galen. qui 1. de tempe. 4. scribit, frigida & sicca a putrefactione esse immunia. Quare dicendum est Auenzoar docuisse aeris constitutionem siccam facere morbum non pestem, nam aeris mutationes immodicæ vt docet Hipp. producunt morbos, sed non omnes producunt pestem. Intellexistis nunc quomodo aer dupliciter sit causa externa pestis.

Alterationes aeris q̃ pestem inducunt.

An frigiditas, & siccitas aeris pestẽ inducat. Solutio.

Præterea aerem inter has causas possumus numerare regiones, vt austrinas, sed animaduertere debetis non semper gratia regionis, sed potius propter hominum negligentiam, qui in emundandis vijs, ac domibus expurgandis sunt tardiores, vt dicere possumus de vrbe Constantinopolitana, & Lutetia Parisiorum, in qua pestis sæpe est propter sordes, & lutum cõtinuum. Scribit Plinius lib. 7. cap. 50. obseruatum esse pestilentiam semper incidere ab austro a meridionalibus plagis, & ad occidentem inclinare, qui etiam scribit pestem fere semper hyeme vexare, atque tertium mensem non excedere. Sed aduersus hanc Plinij sententiam est auctoritas Auicen. & experientia. Auicen. scribit fere semper pestem tentare inferiorem hunc mondum vel in fine æstatis, vel in autumno, cui sententiæ videtur adstipulari ratio, qoia tempore autumni corpora hominum sunt magis infirma, sunt relaxata, & aperta propter præcedentes ardores. Est etiam contra Plinium experientia, quia referũt auctores pestem interdum durare 15. annis. Euagrius etiam 50. annis durasse scribit. Pro veritate huius rei assequenda ita ego statuo, omnes morbos fieri omni tempore, sed hos magis in hoc, illos vero magis in illo, quapropter de peste idem dicetur, fieri scilicet posse semper pestem, sed magis autumno. Quid ergo de Plinio, qui scribit fere semper hyeme: dico quod pestis potest considerari, vel secundum initium, vel secundum vigorem; si secundum initium, frequentissime inchoat autumno, vel etiam vere, si secundum vigorem, vigor est in hyeme, vel in principio hyemis, ita quod Plinium, & Auicennam recte dixisse tueri possimus, licet meo iudicio melius esset dicere Plinij contextum debere esse in meridionalibus, vt habent aliqui libri manuscripti.

Regiones.

Negligentia hominum est etiam causa pestis.

Plinij sententia vnde pestis incipiat, quo tempore vexet, & quamdiu oppugnet.

Defensio Plinij.

Sed quid dicemus de altera Plinij sententia scribentis non excedere tertium mensem? dico quod nisi intelligamus pestem in vno loco tres menses durare, falsissima est eius sententia, sicuti verum est, pestem vnam vrbem, & vnum locum non nisi per tres menses in summo vigore affligere, quia si pestis amplius duraret, necessario tota vrbs hoc tẽpore periret, adeo quod sententia huius viri sit ita intelligenda, auctoritas aliorum est durasse quidem pestem pluribus annis, sed non vno in loco, at modo hanc vrbem, modo illum locum purgasse. Postremo inter causas externas sunt cibi & potus, qui dupliciter possunt facere pestem, vel immediate corpore hominis vitiato, vel plurimum aerem corrumpendo, deinde corpora humana vitiando, nam vbi præ inopia homines coguntur edere herbas, radices, legumina, efficiuntur pestes, id quod refert Gal. in prin. lib. de cib. boni, & mali succi, quo in loco narrat pestem illam magnam sui temporis non aliunde ortam fuisse, nisi quia homines ob inopiam annonæ coacti erant prauis reb. vesci, & notate in principio illius capitis, errasse interpretem, qui vbi transferre debebat pestis, transtulit fames, nam nomina apud Græcos significantia pestem & famem sunt fere eadem, vt facilius fuerit lapsus in Græco codice.

Cibi & potus dupliciter pestem faciunt.

Error interpretis.

Videamus modo signa, horum alia sunt quæ simpliciter indicant pestem, & veras pestilentes febres, alia quæ indicant febres pestiferas non veras, & malignas, quæ indicant pestem, vel ostendunt eam futuram, vel ostendunt eam præsentem. Signa quæ pestem ostendunt futuram, plurima & a Galeno, & ab Auicenna recensentur, propter quod miratus sum Fernelium virũ doctissimum & magni ingenij, qui scripsit pestem futuram non posse aliter præuideri quam syderum obseruatione.

Signa.

Quæ igitur futuram pestem indicant sunt 11. vel 12. quorum primum est frequens apparitio ignium cælestium, quando scilicet frequenter in æstate videntur capræ saltantes ab Aristotele relatæ, trabes & columnæ: sed dicet aliquis, qui fieri potest, vt hæc signa indicent pestẽ, argumenta enim sunt maximæ siccitatis, siccitas autem pesti est aduersissima. Dico signa hæc pestem

Signa quæ futuram pestẽ indicant.

common-

commonstrare, quia huiusmodi ignes necessario indicant multitudinem vaporum, vbi vero multi vapores præsertim tempore autumni scribit Arist. 1. proble. 10. indicia esse pestis futuræ, quia multi vapores non possunt a calore solis regulari, quo fit vt corrumpātur, & sin ul aerem inficiant. Secundum signum est, quod capitur a ventis, quando scilicet mense Septemb. dominantur frequenter austrini, & subsolani, nam Hippoc. 2. epid. 3. Aphor. Arist. 26. proble. & Galenus primo, de temperam. 4. fatentur, vbi annus fit austrinus, indicium esse maximum futuræ pestis. Tertium signum est, si aer sit tenebrosus, ac turbidus frequenter existat, ita tamen, vt in pluuias non conuertatur, quia vbi aeris obscuritas longo tempore durat, argumentum est aerem crassis vaporibus repletum esse, qui cum neque per pluuias, resoluantur, neque per ventos, necessarium est, vt vapores illi putrescant, & consequenter aerem ipsum inficiant. Quartum signū est, paucitas pluuiæ in vere cum frigore, quia inde colligitur in aere calorē frigore coerceri, & concludi, atque ita postmodum æstate grauiorem fieri. Quintum signum est, quādo æstas multum calida, ac valde conturbata est. Sextum, quando dies variantur, ita vt modo sit frigus, modo calor, modo cęlum serenum, modo turbidū. Septimum signum est insignis ranarum, muscarum, & locustarum copia; cuius rei rationem quęrens; Aristoteles 1 probl sect. 2 a. dicebat id circo ab his animalibus significari pestem, quia vbi hæc animalia apparent, indicium est magnam humiditatem abundare, & magnam putrefactionem, a qua etiam necessario solet suboriri pestis. Plutarchus etiam auctor grauissimus in libro de defectu oraculorum scribit Medicos inter signa pestis futuræ hoc etiam habere, quando muscæ multum abundāt, propter quod Plinius lib. 10. cap. 28. scripsit Eleos populos consueuisse inuocare *Deum* quendam, cū ingens muscarum copia, pestilentiam conferentiū, eos infestaret. Octauum signum, quando mures, & alia animalia subterranea fugiunt latebras terrarum, & in superficie apparent, cuius rei ea est ratio, quia cum hæc animalia fugiāt proprias latebras, putandum est id facere ob inimicam quādam, & venenatam conditionem quam intra terram sentiebant, quæ uenenata qualitas facile aeri communicatur, atque ita eum inficit. Nonum signum cum aues quædam, ut picæ, cuculi relinquunt proprios nidos, quando etiam canes rabie capiuntur, piscos male olent, fructus terræ insipidi sunt, & cito putrescūt, uina turbātur, atq; prauæ herbę multiplicātur; quia sicuti hæc omnia uitiata sunt, ita ualde suspicandū, aerem uitiatum esse, uel tandem uitiati debere. Decimum est annonæ caritas, bella & strages, etenim in prouerbio, post bellum, & famem semper sequi pestem. Democritus inter alia signa pestis hoc etiam tradit, quādo post magnam famem sequitur magna abundantia, cuius rei ea forsan est ratio, quia homines qui propter famem magnas molestias sustinuerunt, ubi abundant nimis replentur, & propterea morbosi fiunt. Vndecimum signum est, quando apparent morbilli multi, & uariolæ, aut alia ex anthemata, quæ omnia cum sint indicia magnæ, & deterrimæ putredinis, atque etiam multę, rationi consentaneum est, vt indicent pestem, quia vbi putredo maxima in corpore, vel ab aere fit, vel aeri communicatur. Possumus addere his & aliud, quando scil. homines sobrij sustinent morbos pestiferos, nam refert Philostratus in iusta Apollonij Thianei lib. 8. eum virum Ephesijs prædixisse futurā pestem, nō alia ratione, nisi quia cum ipse, qui sobrius viuebat, captus fuisset peste, auguratus est eo magis alios esse capiendos, atque id sibi vitio aeris euenisse, vnde nō solum prædixit pestem, verum prædictionem etiam pestis secuta est. Tot sunt futurę pestis signa.

2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Post magnam famē rerum abūdātia. 11. Aliud signum.

Signa quę ostendunt pestem pręsentem, alia sunt, quæ eam absolute indicant, alia vero quæ pestilentes omnes febres.

Signa pestis, vt colligere potui sunt quinque ad summum. Vnum est, quando ros qui a cælo decidit lethalis est, cognoscitur autem lethalis esse hoc pacto, si colligatur, & vel in pane, vel aliquo obsonio cani offeratur, & canis eo comesto interierit. Secundum signum, quando sol dū exoritur calidus est, aeris color veluti luteus, obscurus, sydera etiam proprium lumen non habent. Tertium si corpora hominum pręter consuetudinem ignaua sint, & pigra, atque p gritię signa perdurent diebus pluribus, ratio huius est, quia cum aer morbidus, & pestilens sit, vbi corpora ingreditur, labefactat omnes vires. Quartum signum, si non solum plurimi homines pereant, verum etiam, & bruta animalia, vt canes, boues, muli, similiter si aues plures a cælo decidant mortuę, atque hęc relata sunt ab Aetio libro 5. cap. 15. & a Paulo. Sed circa hoc signoū genus, est dubitatio, an bruta capiantur peste, nam vt intellexistis, omnes Medici fere inter alia signa pręsentis pestis ponunt mortalitatem brutorum; ratio huius difficultatis est, quia alij existimarunt aut videntur existimasse, bruta non capi peste. Democritus quem audiuit Hipp. fuit huius sententię, quod bruta non capiantur peste, adductus hac authoritate, qua atomi quib. conflata sunt bruta, sunt valde diuersi ab ijs ex quibus componitur homo, quia propter vt hęc corpuscula sunt diuersa, sic etiam contraria corpusculorum sunt diuersa. Democriti sententiā sectatus Hippocrates libro de flat. huius videtur fuisse sententię, quod bruta non capiantur peste, scribit enim ideirco fieri, quod bruta non capiantur peste, quia inquinamenta seu semina, vt dicit Gal. & Lucretius quibus inficitur homo propter aerem non sunt brutis inimica, vt sunt hominibus, ex quibus videtur clarissime sentire ille auctor bruta minime peste tentari.

Signa pestis præsentis. An bruta peste capiantur. Democritus dixit, bruta non capi posse peste. Idē ait Hip. Aristot ait bruta peste tentari.

Ex altera parte est Aristoteles octauo de histor. animal. 19. vbi scribit, quod vt homines, ita & bruta capiantur peste, sententiam Arist. sectati fere sunt omnes, immo vero videbitis sępe apud Historicos relatum bruta peste tentata esse, vt & homines, quinimmo Homerus antiquissimus auctor, quem tanti facit Galen. 1. Iliados videtur sentire non modo bruta peste capi, verum facilius quam homines: sententiam Homeri confirmans Seneca extra quęstion. capit. 26. tres

Homeri sn̄ia fuit bruta facilius peste tentari.

causas habuit propter quas bruta magis tententur peste, quam homines, vna est, quia vtuntur liberiore aere, nam die noctuque viuunt sub dio, liberrime & copiosissime aerem attrahentes. Secunda ratio, quia vtuntur aquis in maiori copia, & indiscriminatim, ita quod cum careant ratione, non possunt neque sciunt se ita tueri a peste, vt necesse est, tertia & postrema quia bruta semper demissis capitibus terram intuentur, & halitus terreos omnino tum facillime attrahunt, & propterea cum isti halitus sint venenati in peste, iure citius inficiuntur bruta, quam homines, qui recto capite sydera adspiciunt.

Seneca Homeri sententiam confirmat rationibus.

Duplex responsio.

In hac controuersia soleo ego respondere dupliciter, vno modo, quod vel est magna pestis, vel parua, si sit parua, bruta nunquam ab illa capiuntur, si vero magna, dico etiam bruta ab hac tentari, nam pestis qua bruta plurima interierunt sub Imperatore Commodo fuit maxima, & omnium sæuissima vt refert Herodianus, ratio huius est, quia bruta ex intrinsecis principijs semper sunt minus disposita ad pestem, quam homines. Sed quam ob causam? dico Domini, quia plurimo vitæ tempore bruta viuunt saniora, minus sunt excrementosa, quia plus exercentur; vno genere potus vtuntur, cibis vtuntur simplicissimis; homo autem vt plurimum vitam luxuriosam degit, neque vno genere cibi, vel potus est contentus, adeo quod ratione principij intrinseci non capiantur bruta a parua peste seu solum a magna. Alius modus, quo ego etiam soleo respondere, fuit Arnaldi Villanouani, qui etiam mihi magis placet, & est, quod bruta tentantur, quidem peste, sed non eadem qua homines, habent bruta suam propriam pestem, habent etiam homines, adeo quod licet tententur peste, non eadem tamen. Sed dicetis, quomodo igitur vno & eodem tempore capiuntur peste bruta, & homines? Respondeo, id quod scribit Hippo. fieri, quia aer repletus est varijs seminibus inter quæ alia sunt proportionata naturæ nostræ, alia naturæ brutorũ, & ideo quando in aere sunt sola semina mala naturæ brutorum proportionata, solum bruta ægrotant, quando autem illa inquinamenta sunt nobis proportionata, homines tentantur peste. Quintum signum a nonnullis relatum est, quando pisces plurimi mortui supernatant aquis. Sed circa hoc signum notandum est, pisces vt scribit Arist. 8. de hist. anim. c. 19. & 20. nunquam capi peste ob duas rationes, vna quia mare, vt docet Aristo. 4. meteor. non putrescit, ita neque eius animalia possunt putredine capi, alia ratio, quia si peste tentãtur pisces, profecto tentarentur, vel propter aquam, vel propter aerem, non propter aquam, quia non putrescit, non propter aerem quia non respirant, itaque pisces maritimi, fluuiales & lacustres vt d. Arist peste non tentantur, quia vera pestis oritur ab aere, nullus piscis attrahit aerem, quia nullus piscis respirat. Si igitur pisces peste non tentantur, quid igitur dicendum de signo ab istis relato? Ego credo, quod quo tempore pestis animalia infestat, etiam pisces proprijs quibusdam morbis langueant, nam vt ibi narrat Aristoteles, etiam pisces proprios habent morbos quib. iugulantur. Sed cur eo tempore ægrotant pisces? existimo quia aer putridus ingreditur mare, & quanquam non ingrediatur corpora piscium, tangens tamẽ extrinsecus efficitur vt langueant. Atque hæc sunt signa præsentis pestis.

Bruta minus disposita sũt ex principijs internis, quam homines ad pestem.

Alius respõdendi modus.

Pisces nunquam peste capiuntur.

Pisces proprios morbos habere.

Signa pestiferarũ febriũ.

Actionibus læsis.

A naturalibus facultatibus.

Ab excrementis mutatis.

Fluxus colliquatiuus est inseparabile signum febrium pestiferarum.

Quæ significant pestiferas omnes febres, signa capiuntur ab istis tribus fontibus, ab actionibus læsis, ab excrementis mutatis, & ab accidentibus. Ab actionibus læsis sunt vigiliæ, cataphoræ seu somni profundi, deliria, prauæ imaginationes, memoriæ deperditæ. Quæ capiuntur a naturalibus facultatibus læsis sunt sitis cum linguæ siccitate, & nigredine, appetitus prostratio. Scribit enim Galen. tertio, epid. commen. 3. in ea peste seu laborantibus pestifera febre eo tempore adeo appetitum fuisse destructum, vt potius eligerent mori, quam cibum capere. Ab actionibus vitalibus signa sunt pulsus imbecilles celeres frequentes, interdum pulsibus moderatis & sanis similes, respiratio frequens, maior & fætida, scribit namque Galen. 3. de præsag. ex puls. 4. semper in pestifera febre attendendum esse anhelitum, ad hæc fiunt syncopes & deliquia animi. Ab excrementis mutatis sunt egestiones graueolentes, quæ graueolentia, vt in defin. medic. scribit Galen. vel Herodotus similis est fætori qui ex putrefactis illagijs emanat, deiectiones quoque crudæ sunt, & vt scribit Galen. 8. de local. 7. sæpe exit bilis crassa, interdum syncera, fœtida. Et hoc inseparabile signum, vt scribit Galen. 3. in 3. epid. 55. colliquatio ventris, seu fluxus colliquatiuus, quod tamen intelligendum est de pestiferis humoralibus, non autem de diarijs, nec de hecticis in quibus fiue quod cito iugulant, siue ex natura spirituum & solidorum & fere nunquam apparet huiusmodi fluxus, adeo quod apud Galenum pro pestiferis proprie vocatis intelligere debeamus eas, quæ fiunt in humoribus. Vrinæ interdum conturbatæ, interdum aquosæ, tenues, nonnunquam similes sanis, contenta subalbida, sudores frigidi plerumque syncopi, Notat Paulus & recte; sæpe fluxum e naribus exire cum fætore quodam, atque pituitæ cursum æmulari. Febres pestiferæ habent quid peculiare quo carent aliæ febres, calor enim ille est potius tepor quam verus calor, hoc propter experimentum habetis a Galeno confirmatum 9. de simp. cap. de terra sam ia, quo in loco scribit, calorem pestis non esse acrem, sed mitem: habet quoque iste calor quod intus vrat, externa autem frigeant, propterea harum febrium calor iunctus est fætori totius corporis, adsunt insuper vires infirmæ, & debiles. Hæc & alia similia, vt bubones, carbunculi, parotides, color totius corporis erysipelaceus, sunt indicia febrium pestiferarum, tam earum, quæ verę pestiferę sunt, quam aliarum. Sed dicetis, quo argumento igitur dignoscemus an sint veræ, an non verę? Dixi iam vobis, quod febres vere pestiferę fiunt ab aere corrupto, & propterea frequenter vagantur ac contagiosæ sunt, quæ non sunt vere pestiferę, sed per similitudinem sunt illę, quę non fiunt ab aere, ac quæ non sunt cõtagiosę, his signis demptis cętera omnia sunt communia.

Caliditas febrium pestiferarũ qualis.

Quomodo dignoscatur veræ pestilentiales a nõ veris.

Preter

Diaria pestilentialis signa.

Præter signa omnibus pestiferis febribus communia, sunt quędam peculiaria, febris enim ea, quæ a spiritibus efficitur, hoc habet peculiare, quod in ipsa frequentes fiant syncopes, corporis calor moderatus, vomitus quidam assiduus, agitatio magna corporis, vrinæ a sanis parum differant, & quia cito febris hæc solet iugulare, omnia accidentia aut remissa sunt, aut magna ex parte non apparent. Eius febris pestiferæ quæ posita est in humoribus hæc sunt signa, iactantur ægri, integumenta non patiuntur, corpus lividum est, maculæ apparent, pulsus celeres neque admodum validi, respiratio maior & frequentior, vrinæ conturbatæ, interdum biliosæ, interdũ nigræ, tenues, pingues atque prauis sedimentis plenæ, sitis multa, alui excrementa liquida, fœtida, cruda, addit Auen. quod sæpe in his febribus pestiferis extremi pedes corrumpuntur & decidunt, quod puto ipsum accepisse Gal. tertio de vsu part. 5. vbi scribit quandam fuisse pestem, in qua pedes solum extremi putrefiebant.

Signa pestifera humoralis.

Li. 1. tra. 10. cap. 17.

Signa pestilentialis hecticæ.

Propria febris hecticæ pestilentialis indicia sunt hæc, quod febris exigua est, quod non percipitur ab ægro, pulsus similes sunt sanis, præterquam quod imbecilles, propter quod dicebat Galen. 3. de præsag. ex pull. & Auicen. sæpe Medicos hallucinari an febricitantes febricitent quoniam cum animaduertant pulsus qui sanis similes videntur, existimant statim esse sine febre, accedit etiam his signis quod vrina sanorum vrinæ similis sit, nulla apparent vlcera, nullæ pustulæ, non delicia, non vomitus.

Habuistis modo signa & vniuersalia, & particularia pestis, & febriũ pestiferarum. Circa quorum signorum considerationem vnum maxime consideratu dignum occurrit, scilicet qua de causa fiat quod in hac febre, pulsus & vrina sunt similes sanis? Alij fuerũt in hac opinione, quod aer inquinatus & pestifer sola praua qualitate corpus ægrorum inficit, non autem putredine, propter quod mera qualitas non alterat, neque commouet humores vllos, vt deinceps non sit mirum, neque pulsus, neque vrinas mutari.

Cur in febre pestilentiali præsertim hectica pulsus, et vrina sint sanis similia.

Sed hæc responsio falsissima est, quia iam intellexistis a me constitutum esse pestiferas febres fieri ex larga & immodica putredine, adeo vt merę sint fabulæ, quod hę febres sola qualitate afficiant. Conciliator diff. 94. in fine, quem multi sunt secuti, vt huius rei causam redderet, dixit naturam in morbis pestiferis deterreri materiæ malignitate, deterritam non audere contra ipsam insurgere, & propterea cum non insurgat contra eam relinquere immutatos & pulsus & vrinas. Sed neque hæc ratio mihi satisfacit, duabus de causis, vna est quia natura non cognoscit, non videt, qui fieri igitur potest vt eam dicamus deterreri. Altera ratio est, quia a natura comparatum est, vt semper facultas corporis nostri insurgat aduersus causas noxias, atque eas expellere conetur, igitur non est dicendum, quod natura non audeat contra ire veneno, quia semper facultas corporis nostri quoad potest contendit aduersus prauas qualitates. Dinus auctor grauissimus suo tempore vt redderet causam huius pestiferi, dicit quod calor natiuus, humores, & ipsius cordis substantia parum mutata sit, vnde cum pulsus sit actio cordis, eo parum mutato, parum etiam mutatur pulsus, sic igitur cum calor natiuus parum mutatus sit, non fit agitatio, in massa sanguinea, & ideo vrinæ non mutantur, sed hæc opinio, mea sententia a vero aberrat, quia febris pestifera vbi pulsus est similis sanis, præsertim est hectica, in hectica magnopere mutata est substantia cordis, vnde non est dicendum quod pulsus non mutatur, quia status cordis non mutetur, præterea videmus quod in pestiferis febribus interiora vruntur, exteriora frigēt, quod si ita est, quomodo negare possimus quin calor corporis sit vehementer mutatus. Iacobus de Partibus Gentilem sectatus, aliam secutus est sententiam, qui scribit in peste aerem venenatum latenter inducere venenum in cor sub quodam calore tepido, quod venenum prius iugulat homines quam sese prodat, atque ad hoc confirmandum vtitur clarissimus Medicus multis exemplis, quibus probat homines in peste perire absque quo morbus vllus appareat.

Conciliatoris responsio.

Refutatio.

Dini opinio.

Refutatio.

Sentētia Iacobi de Partibus.

Refutatio.

Sed hæc responsio multas patitur instantias, vna est, quia sæpe homines non latenter, & paulatim ab hoc veneno inficiuntur, sed statim iugulantur, sani statim sæpe intereunt, quod argumentum est venenum non paulatim, sed magno impetu aggredi corpus nostrum. Altera instantia est, quia non est verum, quod venenum prius iugulat, quam se prodat, quia sæpe homines peste detinentur per plures dies, & tamen indicijs certis cognoscuntur laborare peste, similiter sunt multa alia signa præter pulsum, & vrinam, quæ demonstrans febrem pestiferam, vt est fluxus colliquatiuus, deliria, virium infirmitas, hæc demonstrant venenum. quomodo igitur possimus dicere prius iugulare pestiferam febrem quam prodatur? quapropter videtur mihi Galenus veram rationem huius docuisse, nam 3. de pręsag. ex pul. 4. cum cognouisset hanc rem esse valde dubiam, dixit non aliunde fieri pulsus similes pulsibus sanorum, nisi quia in pestilentiali hectica, in qua hoc apparet, solummodo substantia cordis solida a calore putredinali occupata est, humores & partes cordi vicinæ frigidæ sunt, ex harum partium frigiditate, & ex calore cordis efficitur quædam moderata caliditas, quæ pulsum ipsum nequaquam mutat, possumus huic causæ addere, & aliam a Galeno allatam, primo de caus. puls. 8. scilicet fieri pulsum moderatum in pestiferis, quia virtus est debilis, & necessitas euentationis est magna, ex necessitate magna, & virtute debili fit quidam moderatus motus, qui reddit pulsum similem pulsui sanorum, luculentissimum huius rei adfert exemplum de viro debili quem sectentur lictores, inquit Galenus, vir iste quia debilis est, non potest currere, quia tamen lictores ipsum vrgent, conatur fugere, vnde ex necessitate, & imbecillitate ambulat medio quodam modo inter cursum & debilem ambulationem sic dicit Galenus vbi virtus est debilis, & necessitas magna, fit pulsus moderatus.

Solutio.

Cur vrinæ sint similes sanis.

Sed dicetis, credimus Galeno circa pulsum, at de vrinis quid dicemus? in pestiferis sicut eis non multum facultas naturalis est infirma, primo quia hæc febris est in solidis cordis partibus, tum quia hæc febris parum durat, cum igitur facultas naturalis parum sit perpessa, iure vrinæ, quæ regulantur & gubernantur ab hac facultate, non mutantur.

Prognostica.

Videamus modo prognostica, nam vt id primo dicamus, febris omnis pestifera, & pestis omnis lethalis, vt intellexistis ex eius descriptione, est etiam difficilimi iudicij, sed inter has febres & pestes sunt quædam differentiæ, nam vt dicebat Auenz. pestis & pestilentia, quæ nascitur ab aere vitiato, deterior est ea, quæ nascitur aliunde, & deterior est non solum quia cito interimit, verum etiam propria essentia naturam nostram violentius destruit, & ratio est, quia aerem continuo inspiramus, qui immediate cor petit, itaque iure etiam vita humana magis ab aere pestifero offenditur. Sed dicetis, quæ est deterior pestis, an ea, quæ fit ab aere, secundum substantiam corrupto, an secundum qualitates? profecto pestis quæ nascitur ab aere substantialiter corrupto magis lethalis est.

Diariæ pestiferæ omnium lethalissimæ deinde hecticæ.

Febres pestiferæ diariæ omnium sunt lethalissimæ, quia vt audiuistis vna die, imo paucissimis horis solent ad interitum deducere, post diarias, sunt hecticæ pestilentiales. Sed dicetis, quod hecticæ pestilentiales videantur lethaliores quia Galenus primo de præs. ex pul. 4 dicebat, quod non potest excogitari remedium eius putredinis, quæ cor occupauit. Dico quod tametsi hecticæ pestilentiales sint pene irremediabiles, verumtamen quia vincuntur a diarijs pestiferis celeritate mortis, hinc fit vt secundum locum ab ipsis habeant. Pestiferæ febres, quæ in humoribus sunt positæ, & ipsæ quoque lethales, eo quod vt dicebat Gal. 2 aph. 13. vt plurimum crisis in peste terminat ad malum, verumtamen si pestiferæ humorales alijs comparentur, sunt sane minus lethales, quia interdum ab his malis ægri liberantur.

A pestifera humorali aliquando ægri euadunt.

Ex humoralib. autem pestiferis aliæ procul dubio deteriores, quarum magna putredo est vniuersa sanguinis massa, & eo magis deteriores, si ægri timeant, si male cibentur, si facies ipsorum valde mutata, vt si ex purpurea fiat liuida, si maculis sit plena, huiusmodi enim indicia non solum monstrant febrem esse, sed etiam mortem propinquam.

Phlyctenæ apparentes sunt lethales.

Lethalis est quoque vomitus porraceus, æruginosus, niger, deiectiones nigræ, variæ, & multum fœtentes. Lethalissimum est si statim in his febrib. appareant phlyctenæ in corpore, sunt. n. phlyctenæ maculæ illæ vstionis ciccrum persimiles, quæ hyeme fiunt, clarissimũ huius rei exemplum habetis apud Hippocratem 1. Epid. com. 3. tex. 26. in casu Critonis, qui miser tertia die obijt, & in prima die apparebant illæ phlyctenæ, quem locum exponens Galen. dixit mortem illam subitam Critonis indicare nobis magnam, & deterrimam fuisse marcelam morbificam.

Sanguis stillatim exiẽs lethalis.

Perniciosus est sanguinis fluxus e naribus, similiter si sanguis fluat ab aluo, si vesica, & tandem vndecunque exeat, in pestiferis febribus malum, quia signum est sanguinem prauum, acrem, & mordacem esse, ac propterea naturam stimulatam, & coactam sanguinem illũ dimittere & expellere.

Parotides malæ.

Parotides quoque in his febribus malæ sunt.

Dubitatio.

Sed dicetis, si parotides in his febribus malæ, cur igitur Cassius 30. prob. med. & Galenus in lib. de finit. scribũt, veteres Medicos appellare dioscuras, propterea quod sicuti duo illa sydera dum apparent serenitatem indicant, sic etiam parotides vbi apparent sanitatem portendunt.

Solutio.

Respondeo dupliciter, vno modo quod sententia Cassij, & auctoris libri illius definit. intelligenda est, vbi non sit pestilens constitutio, nam Galenus declarans sententiam illam Hippocratis, quod sedimentum in vrina semper bonum est, inquit intelligendum esse nisi sit pestilens constitutio, sic etiam dico, quod parotides portendunt sanitatem si non appareant in pestiferis, quia in his febribus omnia signa sunt multum infida. Altera responsio, quod parotides apparentes in principio, vel in fine, si in fine tempus bonum est, & sic intelligenda est horum auctoritas; si in principio appareant, dico quod semper malæ sunt quia fiunt a natura vi morbi coacta.

Bubones omnes mali.

Bubonum aliqui pessimi eos putant, qui sub alis fiunt, alij vero eos qui fiunt post aures, sed Domini omnes sunt mali, sic etiam carbunculorum illi sunt pessimi qui apparent cũ pustula nigra, peiores vero sunt candidis [illegible] minores masculis deteriores sunt liuidi, nigri aut virides peiores rubris [illegible] deteriores, perniciosissimi, qui fiunt circa cordis regionem, plures sunt perniciosiores quam pauci, refert Plinius libro vigesimo sexto, cap. primo, hoc symptoma olim peculiare fuisse Galliæ Narbonensi, Romæ autem primum visos esse carbunculos ab vrbe condita 580. Ex papulis quæ apparent in febribus pestiferis, vt docet Herodotus apud Aetium plures sunt deteriores paucioribus rursum quæ in facie apparent, deteriores sunt quam illæ, quæ in alijs corporis partibus, latiores strictioribus, quæ statim occultantur deteriores sunt permanentibus, quæ cum ventris fluxu peiores quam quæ sine, damnantur virides, nigræ, liuidæ; quamquam Gal. 5. meth. [illegible] scribit, nigras interdum salutares esse.

C A P V T XXVIII.

De præseruatione à peste.

Cum febrium pestiferarum aliæ sint vere pestiferæ, quæ fiunt a causis extrinsecis & intrinsecis: aliæ quæ non sunt veræ pestiferæ, & intrinsecus tantum originem habeãt, hinc fit vt etiam varij modi sint, quibus curatio harum tractatus.

Febres pestiferæ vere & pestis ipsa cum habeant causas internas, & externas, exigunt curationem

nem,& præseruationem:febres non vere pestiferæ, quia solum intrinsecam originem claram habent,non videntur quicquam aliud postulare,quam curationem, quapropter vt hęc nostra tractatio integra sit,& de præseruatione,& de curatione agendum:quoniam vero præseruatio iure naturæ præcedere debet curationem,hinc fit quod nos etiam de præseruatione prius agemus.Summa præseruationis vt docet Galenus primo de diff.feb.cap.sexto,duobus scopis completur,vnum est,vt frangantur vires causæ agentis.

Febris vere pestifera præseruationē et curationē requirit.

Alter scopus est, vt aptitudo corporum ad suscipiendam pestem auferatur,nam sicuti ex his duobus pestis oritur scilicet ex causa agente, & patientis dispositione, simili modo præseruatio tota est posita in amputatione causæ agentis,& sublatione aptitudinis patientis. Quoniam denique maiori ex parte dispositio agentis inducitur a causis non naturalibus,ideo potissimum studium præseruationis in eo collocandum,vt sex illæ causæ non naturales regulentur. Inter causas non naturales primo diligentia adhibenda ipsi aeri,circa quem corrigendum ita debet Medicus versari,vt primo consulat aerem pestiferum vitare,fugere,& relinquere,fuit enim in omnium ore,fuge procul,cito,& tarde reuertere.

Præseruatio in duob consistit.

Quæ fieri debeant circa aerem.

Sed cum aer pestifer fugiendus,quęritur,ad quem aerem accedēdum? Auicenna fuit huius sententiæ,quod quærendus est aer crassus,adductus hac ratione,quia huiusmodi aer difficilius putrescit,sed Domini Auicenna,hac in re,etiam a suis sequacib.desertus fuit, quo fit nos etiā eius sententiam sectari non debeamus.

Auic. male laudat aerē crassum.

Est igitur accedendum ad aerem purum,& subtilem,fugiendæ ciuitates, & populi frequentia, nam refert Plutarchus Romanos, & Græcos posuisse templum Aesculapio extra vrbes, quia extra vrbes, aer montanus semper salubrior aere ciuitatum:sic etiam fugienda monumēta mortuorum,& præsertim eorum,qui peste obierunt, nec credatis illis,qui putant nullo pacto cadauera mortuorum ex peste pestifera esse,quia hoc falsissimum est,& tametsi viua corpora peste infecta sint magis contagiosa mortuis,tamen mortua non carent contagio,habetis vnde confirmetis hanc sententiam ex peste Atheniensi toties relata a Galeno, in qua vt referunt Thucydides & Lucretius aues, & bruta nō audebant gustare cadauera,quasi horrerent pestiferam illam tabem corporum mortuorum. Si aerem pestiferum fugere non liceat,duo necessarium est circa ipsum agere, vnum est,vt quātum minus fieri potest versentur homines in aere. Nam dicebat Hipp.6.Epid.com.7.mulieres quæ exibant domibus magis captas esse catarrhis illis,minus vero,quæ intra domum se continebant, neq; vero consentaneū est qui minus excūt domo minus peste tentari,magis vero tentari qui magis exeunt. Alterum agendum circa aerē est,vt omni diligentia depuretur,& conseruetur ab omni illuuie, modus depurandi aerem est, vt accendātur ignes ex rebus odoratis,vt citro,cypresso,myrtho. Nā refert Galenus in li.de theriaca ad Pisonem magnum Hippoc. liberasse Græciam a peste non alia ratione nisi quod incēderet,aut curaret incendi coronas,& omnia ligna odorata.

Mortua peste corpora et cōtagiosa sunt.

Dū aerē pestiferum fugere non liceat duo agēda.

Parū domo exeundum.

Aer depurādus.

Villanouanus damnat ignem in depurādo aere.

Sed Arnaldus Villanouanus duabus rationibus hunc modum damnauit, primū quod ignis aerem calidiorem reddat, in peste nil perniciosius est, inquit, quam calor,alia ratio huius fuit, quod ignis reddat spiritus corporum acriores, & consequenter magis expositos pesti suscipiendę,sed pace huius viri multum errauit,quia tametsi ignes calefaciant corpora,& aerem,veruntamen tantum est beneficium,quod faciunt aerem depurandu,& corpora exiccando, vt valde maius sit quam noxa,quæ ex calore potest nasci.

Præterea depuratur aer odoribus,& perfusionibus,odoribus si cubilia, & aer in quo versantur ægri repleatur odoribus,veluti si citria poma,myrrha,crocus,lignum aloes,rosę,violę,spargantur per cubilia,appendantur parietibus,suspendantur laquearibus,hęc namque odoramenta sua facultate depurant aerem ab omni labe.

Odoramēta.

Depurant etiam aerem irrorationes,veluti si spargantur cubilia, aceto, aqua rosacea, aqua citriorum.

Irrorationes.

Rhazes lib 4.ad Almansorem aliud etiam commendauit,vt lintreamina aceto rosaceo madefiant,sicque madefacta parietibus appendantur. Refertur etiam a Luciano in Scytha Toxarim liberasse Atheniensium vrbem a peste per vias vinum spargendo,nam vinum, acetū, & similia sua vi exsiccatoria depurant aerem, & priuatur omni vitio.

Quæ autem efficiunt,ne aer contaminetur,primo sunt, si praui venti prohibeantur, audiuistis quomodo Marcus Varro, vt refert primo de re rustica liberauerit Corcyrā vrbem clausis quæ ad Austrum vergebant fenestris, & apertis, quæ ad Aquilonem, sic etiam debent Medici quo tempore pestis instat prohibere ventos,qui contaminant aerem, sic etiam propter expurgandum aerem omnia studia adhibenda in expurgandis ciuitatibus,& domibus,ratio propter quam in his regionibus raro videtur pestis,est summa diligentia, quæ adhibetur in emundandis ciuitatibus,& prohibendo eorum accessum,qui discedunt a locis infectis.

Vēti pestiferi excludendi.

Ciuitates, & domus expurgādæ.

Mundatio parietum ab araneis & aliis sordibus,est ex iis quę pestem prohibent.

Circa motum & quietem requiritur etiam Medici diligentia,vt,si tempore suspecto corpora neque multum torpescant otio,neque multum exerceantur, nā sicuti in torpore nimio excrementa quotidie copiosissima generantur,sic vbi corpora vehementius exercentur,delassantur, incalescunt,atq; ita aeri suscipienti facilius exponuntur, quare moderate exercēda sunt corpora:pręterea vt dicebat Gal.lib.de tremore,& rigore,c 3.timor valde animos,& vires hominum frāgit,fractis virib.facilius pestis suscipitur,nā refert Thucydides & Lucretius,in ea peste Atheniensium,eos magis periclitatos esse, qui timebant, quemadmodum, qui animos generosos

Circa motū & quietem quæ agenda.

Timor omni no nocet.

habebant, qui nil timebant facilius euadebant, quare omnino deponendus est timor, viuendū læto animo, nam nihil aliud Pausanias in primo Atticæ, & Plutarchus voluerunt inferre, quando scripserunt Thaleta Cretensem consueuisse pestem fugare musica, nisi quod ad pestem fugandam magnopere confert læto animo esse.

Thaleta pestem musica fugauit.

Somnus & vigilia.

Somnus & vigilia moderata esse debent, nam vigiliæ plurimæ calorem habetant, spiritus cōsumunt, & cruditatibus occasionem præbent, ex cruditatibus autem, vt dicit Arist. 35. part. problem. 21. nascitur omnis languor, omnis pernicies. Somnus quoque nimius torporem gignit, humiditates, & excrementa producit, ideo qui plus dormiunt fiunt non modo decolorati, verum etiam impotentes ad resistendum aeris iniuriis.

Cur sub luna dormientes magis lædātur quā vigilantes.

Cassius Medicus proble. 25. scribens ait, qui dormiunt a lunæ radiis magis læduntur, quam qui vigilant sub ipsa, respondet non alia ratione, nisi quia corpora sunt magis obstipata, & debiliora, & ratione debilitatis magis exposita ad aeris iniurias, quæ etiam ratio est cur homines dormientes a fulminibus lædantur faciliter, quare somnus & vigilia ita sunt temperanda, vt in neutro fiat excessus.

Balnea nocent.

Balnea tempore pestis maxime nocent, eo quod humectant corpora, ac relaxant, & ideo nisi hoc tempore in vsu habeantur balnea solum ad abluendas sordes corporis valde nocent, quo tempore etiam si balnea adhibenda sint, semper commiscenda sunt odorata, vt sunt rosæ, violæ, lilia, flores chamomeli, scordium, pimpinella, folia salicis, lignum aloes, & huiusmodi alia quæ odorata quidem sunt, sed non admodum calida, fugienda ambra, muscus, gibbertus, quæ licet grata sint tamen hoc tempore nimis acria sunt quam conueniant.

Si balnea adhibenda quæ miscēda sint

Venus omnino fugiēda.

Venus fugiēda est penitus, tum quia corpora sordida reddit, tum quia vires maxime aufert, tum quia calorem quendam putrefactiuum inducit ex consuetudinem mulierum, & cōmunitate lecti, nam habetis apud Arist. 21. partic. probl. 2. veteres tempore belli vetasse ne mētha sereretur, eo quia homines a mentha excitati ab libidinem languidiores redduntur, quam vt expediat tempore belli, sic tempore pestis vitanda est venus, quia languida corpora facit.

Veteres tpe belli mēthā seri probibebant.

Vestimentorum cura.

Vestimentorum hoc tempore non minima cura gerenda, quia vt intellexistis alias, sæpe vestes sunt fomites pestis, ac inquinamentorum receptacula, debent igitur vestimēta sæpe permutari, & mundari ab omni sorditie, a sudore, & ab illuuie, mundis vero vestimentis sunt admiscenda ea, quæ sunt odorata, vt si commisceantur flores ami.

Veteres citrus tātum vtebātur ad defendēdas uestes a carie.

Flores rosæ, scordium germini flores, lignum aloes, camphora, citra mala etiam commista vestimentis iuuant ad tollendam sorditiem, nam vt habetis apud Teophr. 4. de histor. plant. cap. 4. & apud Athenæum 3. pseudosophist. veteres in nullum alium vsum citria mala adhibebant, nisi vt commista vestimentis defenderent ea a carie, a putrefactione, & a peste.

Repletio & inanitio fugienda.

Aluus soluta seruāda.

Potus.

Vina acida probantur.

Repletio & inanitio etiam sunt fugienda tempore pestis, repletio, quia primo replet, corpora repleta magis corripiuntur ab aere infecto nimis inanita debiliora fiunt quam vt hoc tempore conueniat, quapropter neque plus comedendum quam conueniat, neque parcius. Aluus soluta seruanda, quoniam vt habetis apud Hippocrat. libro de aere, aquis, & locis, & apud Galenum 6 aphoris. 33. illi qui habent aluum mollem, & lubricam non tentantur, aut rarissime morbis acutis. Circa cibum & potum necessaria est diligentia Medici, in potu vt habeatur vinum optimum, odoratum vetustum, non crassum, non externo odore infectum, potus etiam aceti cum aqua commodissimus est, propter quod vina acida si in reliquis non sint praua tempore pestis non sunt damnanda.

Circa aquam sedulo agendum est, sint puræ, ac fontanę, vel puteales, & putei sępe mundentur, scribit enim Arist. 1. probl. 13. & 14. mutationes aquarum in conseruanda sanitate maxime referre eo quod homines in quotidiano vsu plus aqua consumunt quam alterius rei, aqua rosacea in potu commendatur qua etiam si condiantur edulia optimum est.

Fructus qui uitandi.

Concedēdi.

Omnes fructus corruptibiles sunt auertendi, vt cerasa, pruna, & omnia alia quæ possunt corrumpti, conferunt tamen quidam fructus ex proprietate quadam, ut sunt mala punica quæ resistunt valde putredini, aurantia, cydonia, pyra sacchаro condita.

Herbæ quæ conueniunt.

Inter herbas conducit vsus acetosæ, pimpinellæ, sonchi, saluiæ, lutecę, melissæ buglossi, omnia alia herbarum genera fere perniciosa sunt, & prorsus ablegauda.

Panis.

Panis debet optime coqui, ita vt non aduratur, neque etiam sit crudior, qui si maceretur aceto, vel sale, misceatur, si misceantur etiam pulueres odorati optimum est hoc tempore.

Legumina omnia fugienda.

Legumen nullum accommodatum est, omnia sunt fugienda, habetis apud Hippo. 6. Epid. & 2. Epid. in fine quartæ sectionis in Eno tempore illius pestis homines imbecillos redditos secundum genua non alia ratione, nisi quia immodice leguminibus vsi erant.

Carnes.

Carnes faciles coctu, optimi succi, & quæ vim quandam exsiccandi habeant, vt sunt carnes auium montanarum, pullarum palūborum, & hoedorum, iuscula ex his carnibus possunt cōdiri omphacio, aceto, aqua rosacea, herbis odoratis supra nominatis.

Pisces damnanī præter marinos.

Pisces omnes damnantur hoc tempore propter humiditatē, & præsertim pisces illi, qui oriuntur in lacubus, paludibus, nisi tamen pisces marinos aceto conditos adhibere velimus.

Excremētis ut corpus uacuum reddatur duo considerandа.

Ratio victus potens est, vt vidistis, in peste non solum corpora inepta facere ad pestem suscipiendam, verumetiam causę efficientis vim frangere, sed præter victum sunt & alia, quę hæc eadem facere possunt, quæ omnia aut corpus excrementis vacuum reddunt, aut corroborant corpus ita vt aeris inimicam vim destruant.

Excremētis, vt vacuū reddatur corpus, quod maxime necessariū est in pestis pręseruatione, duo

sunt

sunt a Medicis consideranda. Vnũ an corpus excrementosum sit cacochymum, an sit plethoricum, an sit cacochymum, & plethoricum, vbi pestis inchoat si corpus sit cacochymum ante alia prouidendum est, vt purgato corpore reddatur corpus excrementis vacuum, nam dicebat Gal. 5. meth. c. 2. in ea peste eos omnes euasisse, qui ante fuerant optime perpurgati. Itaque si corpus fuerit biliosum erit bilis expurganda, si melancholicum melancholia, si pituitosum pituita, quod si corpus fuerit plethoricum, necessarium est ad præseruationem, vt plethora illa auferatur. & hoc est, quod in lib. de cucurbit. & scarif. apud Oribas. scribit Herodotus, omnes euasisse quibus plenitudo vel per scarificationem crurum, vel per venæ sectionem erat sublata. Si simul fuerit plethora, & cacochymia erit etiam simul & sanguis auferendus, & praui humores expurgandi. Atque hic est præcipuus modus reddendi corpus excrementis vacuum, sed præter hunc modum est & alius, vt scil. diligenter animaduertatur ne in mulieribus menses cohibeantur, in viris ne hæmorrhoides retineantur, eo quia fluxiones consuetæ vbi retinentur, necessario etiam plenitudinem, & cacochymiam augent.

Probantur tempore pestis cauteria.

Fuerunt aliqui, vt refert Nicol. Florent. qui existimarunt tempore pestis optimum esse si fiãt in corpore cauteria, eo quia per cauteria expurgantur corpora, redduntur excrementis vacua, ita vt minus apta sint pesti suscipiendæ, atque horum consilium nec ego improbo.

Præter expurgationem ab excrementis corporis ad auertendam pestem sunt & medicamenta, quæ disponunt corpus ad resistendum iniuriis pestis, & quæ adhibentur non modo intrinsecus, verum etiam extrinsecus.

Medicamenta quæ præseruant corpus a peste.

Quæ adhibentur intrinsecus sunt bolus armena, terra sigillata, pil. Ruffi, myrrhidis radix de qua multa pollicetur aduersus pestem Dios. & Plinius scriptum reliquit si radix myrrhidis in quotidiano vsu adhibeatur, efficacissimam esse ad prēseruandum a peste: Inter hæc etiam numerantur antidoti magnæ, vt theriaca, mythridatica confectio.

Radix myrrhidis.
Extrinsec.

Extrinsecus autem adhibentur inunctiones cordiales, res odoratæ, theriaca, succus scordij, quæ omnia commixta, vel aceto rosaceo, vel succo citri in diuersas formas temperantur, atque cordi, & toti cordis regioni illiniuntur, multa etiam alia videbitis apud Medicos comprobata, & pulueres, & trochiscos, vnguenta etiam, decoctiones variæ parantur apud Medicos pro pestis præseruatione, quæ omnia conferre possunt. Sed de theriaca, & mythridatio non leuis est.

Dubitatio de theriaca, & mythridatio an in pestis præseruatione conueniant.

Dubitatio an huiusmodi confectiones conueniant in præseruatione a peste. Ex vna parte est Galen. authoritas, quod in libro de theriaca ad Pisonem, libro 2. de antidotis, & libro de theriacæ vsu ad Pampil. commendauit maxime vsum theriacæ non modo ad præseruandum a venenis, verum etiam peste. Galen. secut. Aetius & Paulus, atque omnes Græci vno ore confirmant theriacam magnopere conducere ad prēseruandum a peste. Auicen. lib. 4. fen. prima, tract. 4. capit. 5 Gal. sententiam secutus scripsit theriacam conducere ad præseruandum a peste, quia proprietatem suam cordi communicat, qua proprietate cor munitur, & aduersus aeris & aliorum venena robustissimum euadit, ita vt omnes noxas superet, immo in principio lib. 5. scribit idem Auicen. calorem naturalem a theriaca recipere quandam miram proprietatem, propter quam resistit omnibus iniuriis,

Auer. cont. Gal. & Græcos omnes insurgit.

Sed magnus Auerroes lib. de theriaca capit. 2. & 3. aduersus Gal. & Auicen. inuectus est probans fieri non posse, vt theriaca valeat quidquam ad prēseruandum a peste, prima ratio qua vtitur est ex dogmatibus Gal. scribit enim Gal. 5. de simpl. ea medicamenta quæ resistunt venenis esse media inter medicamenta & venena, adeo quod sint medicinis valentiora, & venenis debiliora, inquit Auer. si igitur theriaca est media inter medicinas & venena, sequitur, quod nõ possit conseruare sanitatem, probat Auer. quia theriaca est fortior medicamentis, quę faciunt sanitatem, si est illis fortior: & simile simili conseruatur, sequitur quod non possit a theriaca conseruari sanitas, & quia Galen. dicebat theriacam iuuare, vt venena nihil noceant hominibus, aduersus hoc dictum insurgit Auerr. dicens, quod si theriaca efficeret ne venena nocerent cordi, consequenter efficere corpora similia venenis, hoc autem efficeret theriaca, quia simile simili non nocet, sed facere corpus simile venenis est facere corpus æquiuocum, quasi dicat Auerr. efficeret theriaca corpus humanum, non humanum, & quia poterat aliquis dicere animaduertimus, quod theriaca non facit corpus humanum simile veneno, sed potius contrarium, respondet, quod si corpus a theriaca redditur fortius veneno, & vincens venenum, necessario fit simile illis medicamentis, quæ vincunt venena, & ideo si fit simile corpus his medicamentis istud corpus erit medium inter venena, & medicamenta, quia medicamenta vincentia venena sunt media inter medicamenta, & venena, corpus autem medium inter medicamenta & venena, non est corpus humanum, quare colligendum est, inquit Auer. theriacam non posse præseruare corpora a peste.

Idem inquit dicendum est ad eos qui existimarunt posse homines veneno nutriri, quasi dicat, si hoc verum esset, sequeretur hos homines fieri venena, & propterea nõ amplius essent homines, hoc probato per rationes addit etiam experientias, nam inquit se filiis Regis consuluisse ne theriaca vterentur, quod præceptum, cum amici filiorum neglexissent, magnũ, inquit damnum intulerunt.

Auer. damnat Auic.

Atque hæc Auerr. contra Galenum. Post Galenum damnat etiam Auicen. eo quod dixerit theriacam calori naturali proprietatem suam dare, propter quam postmodum calor operatur aduersus venena, & aduersus pestem, nam inquit Auer. calor natiuus corroboratur per cibũ, & potum, sed theriaca non est cibus, aut potus, igitur non potest corroborare calorem natiuum,

neque etiam si proprietatem quãlibet ipsi conferat: ad hæc inquit theriaca siue manifesta qualitate operetur, siue occulta, non alia ratione operatur, quam quod viuificat & auget calorẽ natiuum, qui calor natiuus, auctus facit deinde, vt vis expultrix, & concoctrix validiores sint atq; robustiores ad venena expellenda, atque desecanda, quod si facultati theriacæ tribuuntur operationes est, quia medicinæ, quæ operantur mutantur a calore natiuo, ita quod acquirant facultatem & vim ipsius caloris natiui, vnde d. Auerr. hic nulla alia est proprietas quæ possit calorẽ natiuum confirmare, vt resistat venenis, quia per solum cibum, & potum calor cõfirmatur, & roboratur ita, quod gloriabundus Auerrh. his suas rationes amplificat, quasi veteres ignorarint hanc veritatem. Est igitur huius Philosophi sentẽtia aduersus Gal. & Auic. theriacam non conducere ad pręseruationẽ pestis. Huius difficultatis vt resolutionẽ habeatis debetis nonnulla pręnoscere, primũ est, quod theriacæ facultas in se formam quandam occultam habet, quę forma licet nascatur ex medicamentis ex quibus componitur, est tamen diuersa ab illis omnibus formis simplicium componentium ipsam etiam simul mixtis, ita, quod iure a Medicis hæc forma theriacæ vocatur proprietas quædam occulta, & secreta, quæ vt d. Auerrh. ca. 1. lib. de theriaca est inuenta experientia, non autem ratione.

Pro resolutione quadã prænotanda.

Alterũ sciẽdum.

Alterum sciendum est theriacam ipsam aduersus venena valere, non quia attrahat vt nonnulli putant ad se venena, neque etiam quod expellant, vt existimat Gentilis, sed quia calorem corroborat, & quadam proprietate munit, propter quam deinceps calor natiuus cõcoquit, & dissipat omne genus veneni.

His duo. prænotatis dico verum esse quod scribit Gal. Auic. & cum ipsis omnes Græci, & Arabes, s. theriacam maxime conducere ad pręseruanda corpora a peste, nõ solum intrinsecus administrata, verum etiam extrinsecus adhibita, eo quod quadam proprietate, illa sua per experientiam inuenta calorem natiuum ita validum reddit, vt deinde potens sit debellare venenum.

Quibus sic constitutis facile est respondere omnibus argumentis Auerrh. nam quod dicebat medicinas, quę resistunt veneno medias esse inter venena & medicamenta, dico verissimũ esse, sed mediũ vt scitis ex Philosophis duplex est per participationẽ extremorum & per extremorum abnegationem, theriaca non est medium per participationem, sed per abnegationem, ita quod theriacalia omnia medicamenta, neque sunt medicamenta purgantia; neque venena, sed mediam proprietatem habent occultam, propter quam calor natiuus confirmatus, venena destruit, nec dicendum est solum cibum & potum corroborare calorem natiuum, quoniam verum est, quod quę manifestis qualitatibus corroborant sunt cibi vel potus, sed propter hoc non sequitur, quin etiam reperiantur alia auxilia, quæ possint non manifesta qualitate, sed occulta calorem natiuum confirmare.

Neque valet quod corpus fieret simile veneno, si nutriretur veneno, quia quãquam verum sit non posse fieri corpora nostra similia venenis, est tamen etiam verum, quod possint interdũ nutriri veneno, vt relatum est de puella quæ nutrita fuit napello, quam non est existimandum quod venenata esset.

Quõ dicatur corpus posse nutriri veneno.

Sed diceris quomodo igitur potest corpus nutriri veneno, & nõ fieri venenum, nam dicebat Gal. semper quę nutriuntur fieri similia nutrientibus? Dico quod aliud est nutriri veneno aliud est vti venenis sine noxa, nam corpora humana fieri non potest, vt nutriantur solis venenis, sunt nugæ, quia fieri non potest, vt homo solo napello potuerit nutriri, & viuere, sed possunt corpora disponi, vt nutriantur cibis, & cum cibis vtantur venenis sine noxa; & hoc fit ratione consuetudinis, quia si a principio, exemp. grat. granum napelli accipiatur, hoc calor noster potest vincere, si crastina die detur granum & quarta pars, & etiam calor natiuus debellabit, & quia in pugna semper calor natiuus fortior fit dum vincit, hinc est quod seruata hac proportione ita reddatur calor natiuus robustus, vt possit deinde aduersus magnam quantitatem veneni resistere, ita quod ex parte verum dixit Auerrh. quod falsum est nutriri corpora nostra veneno, sed non est falsum, quod possint nutriri aliis cibis, & vti venenis sine noxa.

Idem etiam dicere potestis aduersus alias rationes Auerrh. contra Auicen, quod. s. theriaca non tradat vllam proprietatem calori natiuo quomodo potest fieri propter proprietatem occultam, vt calor natiuus vires acquirat aduersus venenum, nam Auerr. non potest demonstrare vllis rationibus, quin hæc proprietas possit tribui calori a theriaca, ita quod habetis totam rationem præseruandi à peste, quæ consistit in reddendo corpus excrementis vacuum & in frangendo vires agentis.

Curatio.

Vt curatio pestiferarum febrium recte instituatur ad memoriam reuocabitis, alias esse febres pestiferas veras, alias non veras, quarum omnium curatio fere eadem est, nisi quod cum pestiferæ veræ ab aere veneno oriantur, maiorem curam exigunt, vt veneno occurratur.

Curatio febrium pestiferarum tota sumitur a natura huius febris, quæ natura constat ex materia & forma. Forma huius febris est intẽperies calida, & sicca, quare inducatur nobis refrigerandum, & humectandum esse: materia autem huius febris humor maxime putridus. Relinquo spiritus, & solida quoniam vt dicebat Galen. febris pestilentialis hectica nullo auxilio persanatur, similiter relinquo spiritus eo, quia febris pestifera in spiritibus adeo cito iugulat vt medico nulla relinquatur cura, materia putrida duplex est, alia quæ tota putrefacta est, alia quę putrescit, ea propter duo etiã sunt scopi, vnus vt materia putrefacta auferatur, alter vt quæ putrida fit prohibeatur ne putrescat, sed dicet statim quis vestrum; ergo eadem est curatio putridarum, & pesti-

Duæ scopi.

& pestiferarum, quia in putridis tot sunt indicationes curatoriæ quot sunt in pestiferis. Dico nõ esse verum, quod sit eadem curatio pestiferarum, & putridarum, ratio est quam affert Gal. 6. Epid. com. 1 tex. 29. quo in loco duo dicit, vnum est, quod febres pestiferæ calorem habent putredinosum valde diuersum a calore reliquarum putridarũ, & quia calor est substantia febris, si differentia est substantialis, curatio etiam differens est quæ capitur a substantia febris. Aliud d. Gal. eas differentias febris, quas in eo loco nominat Hippoc. requirere singulis, proprias curationes, igitur, Si illę febres nominatæ ab Hippo. non habent vnam curationem, quanquã omnes sint putridæ aut pestilentiales, sequitur neque putridarum & pestiferarum esse eandem curationem, quæ est igitur differentia? hæc est, quia in pestiferis, & præsertim in pestiferis veris, vt docet Gal. 2. de natura humana 1.4. adest gradus ille putredinis, qui a Gal. dicitur proprietas, præterea in pestiferis adest contagium, adest etiam aeris pestilitas, propter quam omnia necessaria. Febres pestiferæ requirunt medicationem maxime diligentem in resistendo putredini, & malignitati putredinis; adeo quod in febre pestifera sunt quatuor scopi, vnus refrigerandi etiam humectandi, alter euacuandi materiam putrefactam, tertius materiam, quæ putrescit comprimẽdi, & corrigendi, quartus & vltimus resistendi prauitati putredinis, qui postremus scopus habet & hoc, vt tueatur spiritus & viscera præcipua a veneno. Ad hos scopos adimplendos ante cetera necessarium est victum instituere, qua propter aer eligendus est frigidus, sed quia, vt intellixistis, scopus vnus est medendi, vt resistatur putredini, vt tueamur cor atque spiritus, ideo debet aer non solum frigidus esse, sed declinare ad siccum propter putredinem, atque etiam debet odoratus esse, propter tutelam cordis, & spirituũ atque etiam propter vitium ipsius, vnde vt aeralis euadat administrandæ sunt irrorationes ex aceto ros. aqua ros. aqua acetosæ. Spargendæ sunt herbę, vt nymphæa, borrago, rosa, implenda sunt cubilia pomis citris, camphora, sandalis, ita vt omni arte qua fieri potest aer reddatur odoratus.

Non esse eãdem curationem putridarum & pestiferarum.

Differentia curationis putridarum & pestiferarum.

In febre pestifera sunt quatuor scopi.

Victus ratio.

Somnus & vigilia moderata esse debet. Omnis motus auertendus, & præsertim motus animi, vnde frequentia hominum fugienda, illique soli adhibendi, qui ægrotis acceptissimi sunt, repletio, & inanitio vitandæ, aluus mollis custodienda vel suppositorijs, vel clysteribus. Quod ad cibum, & potum attinet, est non nihil controuersiæ, quia aliqui voluerunt in pestiferis febribus multum cibum offerendum esse, alij ex aduerso voluerunt parum cibi esse offerendum, primi ducti sunt auctoritatibus & rationibus, auctoritas est Gal. 3. Epid. com. 3. tex. 55. vbi scribit in ea peste eos euasisse, qui violenter cibum capiebant, ergo dicunt isti inferenda vis est ægris vt cibum capiant, ratio qua moti sunt est, quia vbi vires deficiunt multum cibi necessarium est, sed in peste, & pestiferis febribus vires deficiuntur, ergo dicunt debet in febribus multus cibus offerri. Qui contrariam partem secuti sunt, & ipsi ratione, atque auctoritate vsi sunt, est authoritas Hipp. 2. aphor. 10. quod impura corpora quanto magis nutriuntur, tanto magis læduntur, si sic est, dicunt isti, in peste corpora sunt impurissima, igitur quanto magis nutriuntur, tanto magis offenduntur, dicebat Gal. eo in loco, quod si multus cibus offeratur, vitiatur ab humoribus prauis, atque ita propagatur putredo, & malignitas, præterea 7. aphor. Hippo. si quis febricitanti cibum offerat, sano robur laboranti morbus, ratio qua vsi sunt est, quod in febribus pestiferis facultas coctrix maxime læsa est, si maxime lęsa est, & debilis, ergo parum potest coquere, consequenter paucus cibus offerendus est, nam Gal. 11. meth. c. 5. scribit, corpus non nutriri, ex iis cibis coctis, quæ sumuntur, sed ex iis, quæ viscera concoquunt & corpori cocta suppeditantur. In hac re debetis ita statuere, quod cibus debet offerri neque paucus neque nimius, qui cibus debet habere has conditiones, vt scil. sit boni succi, vt facile coquatur, & vt paucus pro vice, sed pluribus vicibus offeratur, debet enim esse optimi succi, & facilis concoctionis, quia vires conseruandæ, spiritus reficiendi, reficiuntur autem ex optimis succis; debet esse facilis coctionis, quia calor, vt intellexistis, est valde debilis, non potest concoquere. debet etiam esse paucus pro vice, & pluribus vicibus. quia si multus vna vice offeratur non coquitur, vnde cum crudus maneat fit fomes putredinis: sin autem paucus offeratur, & paucis vicibus, dicet Aetius ex sententia Herodoti libro quinto, cap. 129. quod paucitas ciborum auget prauitatem materiæ, & vires deiicit. Non nulli grauissimi viri fuere huius sententiæ, quod elixa, & liquida edulia sunt fugienda in hac curatione, adducti hac ratione, quod hæc omnia sunt humida, quæ sunt humida putredinem magis augent. & ideo damnant etiam ptisanam, sed cum habeamus, quę possint commixta corrigere nimiam humiditatem, non est quod damnemus ptisanam, nam si misceatur vel succus citri, vel succus omphacis, uel acetum, ptisana acommodatissima est in hac curatione; non conueniunt in principio carnes, sed solum brodia, quia ut intellixistis ex Auenzoar carnes cito putrescunt. Itaque brodia pullarum auicularum maxime conducunt, præsertim si herbæ, aut succi cordiales incoquantur, vt acidum citri sonchus, melissa, acetosa, pimpinella, scordium etiam nisi amaror displiceat maxime confert. Carnis succus, qui dicitur ab Auicen. aqua carnis commodissimus est cibus, quem etiam Auicen. inter cibos cordiales refert. panis optimus brodio huiusmodi immaceratus conuenit, conueniunt vitelli ouorum, sunt aliqui qui cõmendant vt coquantur carnes in sola aqua ros. quorum consilium nec ego improbo, sed possunt etiam coqui in aqua acetosę, & in posca.

Controuersia circa cibum.

Solutio.

Paucitas ciborũ auget prauitatem materiæ, & vires deiicit.

Ptisana non est damnãda ob humiditatem, quia illa corrigi põt.

Carnes in pr. non conueniunt.

Carnis succus.

Pro potu conuenit succus granatorum, cum aqua hordei aceto, succus citri, iuleb. ros. cum aqua hordei. Sed dicetis potest ne unquam conuenire vinum, fuerunt aliqui, qui dixerunt vbi uires sunt extreme debiles conuenire: sed in his febribus etsi vires sint infirmę minime uinum conuenit, nam si Gal. nono, de simpl. med. timebat in huiusmodi febribus exhibere bolum ar-

Potus.
An vinum conueniat.

menam cum vino, quanto magis etiam cum cibis imo ⸗ meizhodi in fine quinti ca. vbi febris si magna etiã in syncope negat vinũ qñ s. syncope ex ardore febris oritur, quia vinũ generosum procul dubio auget febrem, & malum, vinũ pauciferum vtilius est quam succus granatorum vel citri, nam omnes isti succi præteequam, quod sitim extinguant, etiam aduersus venena valent, quod semper in his febribus agendum est veneno, & prauitati putredinis obsistatue. Vt breuiter totum victum complectar, ille est accommodatissimus, quẽ præscripsimus in præseruatione pestis, præsertim si habeatur ratio debita quantitatis, & temporis.

Scopi adimplendi.

Instituto victu deueniendum est ad scopos implendos, quarum alii sunt, qui perpetuo adimplẽtur, alii qui certo quodam tempore, scopus qui perpetuo debet impleri in curatione est, vt semper resistatur putredini, vt semper veneno repugnetur, vt sempee spiritus, & cor custodiãtur, & defendantur veneno. Scopi vero qui certo tempore adimplentur sunt euacuatio putridę mateeię, & correctio materię, quę putrefit. Euacuatio materię putridę, quę debeat fieri, ceetũ est apud omnes, nemo est tam stupidus qui neget materiam putrefactam plane esse corpore expellendam, sed in controuersia positum est quando euacuatio, hęc faciẽda est, quomodo, an scilicet faeienda sit per medicamenta, an vero per sectionẽ venæ. Videamus primo de euacuatione facienda per pharmaciam, quæ euacuatio clarum est, vt dixi, quod fieri debeat, quando iam materia est parata, & cocta, sed pestifera febre dubium est, an expectanda sit concoctio, an vero a principio euacuanda materia putrida.

Cõtrouersia de euacuatione.
An expectãda sit concoctio.

Ex vna parte videtur fuisse Auicen. qui primo, 3. tract. 4. cap. quarto, inquit curationẽ pestiferarum inchoandã esse ab euacuatione, Auenzoar quoque tract. 3. lib. 3. cap. primo, habuit eandem sententiã, scilicet quod statim in febre pestifera sit euacuanda materia. Paulus in principio exhiber pilulas suas, de aloe. Sed præter has authoritates est ratio maxima, nam cõmune est præceptum & perpetuum Gale. quod vbi adest cacochymia, & vbi adest cacochymia maxima statim euacuandum est, nam 4. de tuenda val. cap. 4. Scribit illud quod maxime alienũ est natura, & quod corrigi nequit debere quam citissime expelli a corpore, sed in febre pestifera ad sunt humores maxime putrefacti, maxime a natura alieni, igitur debẽt statim euacuari, præterea si materia turgens euacuanda, quia huc atque illuc lata nescitur, quo sit decubitura, & periculum, ne ad nobiles, quanto magis vbi iam decubuit cieca cor, & cerebrum.

Hippo. in Epid. nũquam meminit purgationis aut ęgros ab ea valde fuisse offensos.

Ex aduersa parte videtur fuisse sentẽtia, Rhazis, qui non solum nõ meminit purgationis, immo vero scribit totum studium huc conuertẽdum esse, vt occurratur putredini, & veneno, præterea Hipp. 3. Epid. com. 3. & fere in omnibus illis libris aut nunquã meminit purgationis, aut dixit ægros a purgationib. esse valde offensos, pterea in febre pestifera adest mala qualitas, adest prauitas illa propria, adest & contagium, sed ex purgatione, neque mala qualitas aboletur, neq; contagium aufertur, igitur videtur purgationem inutilẽ esse, & perniciosam, quia deiicit vires.

Quatuor presupposita pro solu.

Multa hinc & inde sunt argumenta in hac dubitatione, in quibus nolo vos detinere, sed solum docere quid secundum sententiam nostram constitutum habere debeatis, pro quo agendo tria vel quatuor apud vos constituam necesse est. Vnum est, quod omnis febris pestifera efficitur, vt intellexistis, secundum Galen. ex larga putredine, cuius gradus, quidam summus, & incognitus est, quia Gal. sub nomine proprietatis intelligitur. secundum quod constituere debetis est, quod mox ea quæ prorsus aliena sunt in corpore nostro, neque speratur corrigi posse statim debere corpore educi, ratio est, quia si hæc retineantur procul dubio vitiant paetes sanas, quia qui tangitur a venenato, & putrido, venenatur, & putrefit.

3 Tertium constituendũ est, in febre pestifera quando vires deiiciuntur non alia ratione deiici nisi quia a materia vehemẽter putrida & pestifera spiritus corrumpũtur humorũ, & solidorum tempeeies destruitur; nam si vultis huius rei veritatẽ intelligere dicatis quęro qua rõne fieri põt, vt vires nũquam in principio febrium possint statim ita destrui, nisi a re maxime inimica, vt est summa putredo, destruantur. 4 Quartum quod constituere debetis est in febrib. pestiferis duo esse, largam putredinem, seu materiam multam putrefactam: & proprietatẽ illam ex putredine: materia putrefacta requirit remedium proprium: proprietas ex putredine opus habet remedio proprio, & quod hoc sit verum discuratis per pestes quæ referuntur a scriptoribus, videbitis, quot fuerint pestes, tot habuisse priuata remedia. nam refert Gal. 10. de simpl. cap. de vrina, in Syria quandam pestem curatam esse vrina humana, in capit. de bolo dicit aliam pestem curatam esse bolo ar. Ruffus Ephes. scribit aliam pestem curatam esse suis illis pil. quæ fiunt ex aloe, myrtha, & ammoniaco, refert etiam Simplicium quandam pestem, in qua memoria deperdebatur abolitam, remedio cuiusdam herbæ, & ne rem longius protraham videbitis singulas pestes propria habuisse remedia, quæ est ratio? ratio huius non est ex materia putrefacta, sed ex proprietate putredinis, quia huic proprie accommodabatur illud remedium, illud remedium illi. His ita suppositis, dico duo, vnum quod in febre pestifera omni in principio, nisi quid prohibeat, conuenit necessario materiam putridam euacuare, si materia sit melancholica cum ducentibus melancholicam, si biliosa cum ducentibus bilem, & sic de reliquis, si sit plenitudo euacuandum per sanguinem, sed de hac re in sequenti disputabo, quæ est ratio huius rei? quia vt intellexistis, materia furiosa est, valde putrefacta, petit cor, & periculum est ne putredo magis propagetur.

Quot pestes tot peculiaria requirũt remedia.
In principio omnis febris pestifera purgandum.

Inter purgationẽ conueniunt & antidoti.

Alterũ pro resolutione statuendum est, quod licet conueniat purgatio rõne materiæ putrescẽtis conueniunt tñ & antidoti, quæ respiciãt gradũ, & prauã putredinis qualitatẽ: & sicut in pestiferis qualitas praua est ea, quæ iugulat, & interficit, ita ẽt debent antidoti respicere hanc qualitatem, & prauitatem materiæ, & notate Gal. lib. 9 de simpl. ca. de bolo arm. dixisse eos qui non curabantur

rabantur

rabantur bolo armena, non esse curatos alijs remedijs, non quod Gal. significarit alia remedia, & purgationes nõ fuisse adhibitas, sed quia licet adhiberentur, tñ non proficiebant, vt proficiebat bolus arm. & rõ est, quia, vt dixi, in pestiferis febrib. est quidem attendendũ purgationi materiæ putridæ sed magis attẽdẽdũ prauę qualitati. Sed quid dicemus ad auctoritatẽ Hip. & ad rõnem? Ad Hip. dico non esse mirum, quod ipse nõ meminerit purgationis, eo quia in libris Epid. pręcipua intentio Hip. fuit significare euentus morborum, non aũt curationes, igitur quod Hip. non meminerit in libris epidemi: purgationis, pp̃ter hoc non negauit, quia non erat ipsi propositum nominare curationes. Ad rõnẽ de praua qualitate dico verum esse quod praua qualitas est, quæ pręcipue offendit, sed hæc prauitas est qualitas, qualitas hẽt subiectum, & subiectũ eius est materia putrida, quapropter euacuata materia putrida consequenter auferiur e corpore praua qualitas; sed dicetis cõcedamus purgationem conuenire quo tẽpore, & quib medicamẽtis est facienda hæc purgatio? dico quod facienda est in principio per regulam Hipp. in principijs si quid mouendũ videbitur moue, febris pestifera est morb. acutissimus igitur celerrime mouendum est. Itaq; ante quartum diem molienda est aliqua purgatio, nisi tñ fluxus colliquatiuus adest, dico hæc, quia vt intellexistis, & vt clarissimis verbis docet Gal. 3. in tertiũ epid. tex. 57 separabile symptoma febris quæ proprie dicit pestifera est fluxus colliquatiuus, sed iste fluxus nõ semper est in principio, nam interdũ post quartum diẽ interdũ post septimum, nonnunquã secũda die; sat est quod semper adest hic fluxus, quare nõ sine rõne dixi purgandum in principio nisi adest fluxus colliquatiuus, medicamẽta quæ conueniunt sunt lenia, non admodũ calida, vt est si bilis abundat rhabar. myrob. citrini si melancholia myrobol. nigri, sena, epithymus, si pituita agaricus, nã videbitis Auic. inter remedia cordialia adnumerare agaricum; sed hoc perpetuo debetis meminisse semper medicamẽtis purgantib. admiscenda esse quæ resistũt putredini, & veneno, & vt habeatis aliquã formã, si materia sit biliosa componetis ita ℞ Sebestẽ nu. xij Scordij ℥. ß. sem. citr. ʒ. j. fol. pimpinellæ, borrag. an. p. j. fiat decoctio in aqua melissæ. deinde ℞. dictæ d. ℥. iij. rhab. elect. ℈. iiij. cãphoræ, gariophil. an. gr. ij. infundantur S. A. deinde facta diligenti expressione adde syr. de cort. citri ℥. j. syr. rosl. sol. ℥. ij. m. & fiat potus, poteritis loco syr. rosl. sol. vti manna, & sic sm vnumquemq; humorẽ vt dixi, parate hac regula vobis medicamenta, est tñ aduertendũ quod fugienda sunt ea medicamenta, quæ maxime humida, & crassa sunt, quia ingrediuntur venas & nutriũt putredinem, vt est cassia quam ego abhorreo in huiusmodi curatione. Post purgationem, & ante vtendum erit alterantibus, quæ respicere debebunt humorem peccãtem, & semper mixta esse remedijs veneno aduersantibus, & quo tempore his remedijs vtimini, & licebit vti extrinsecus remedijs ad cõfirmandum cor, ac ad tuendum spiritus, & spiritus a veneno. Exemp. gr. si materia fuerit biliosa, vt fere semper contingit parabitis syr. huiusmodi ℞. fol. acetolæ, melissæ, pimpinellæ, endiuiæ an. p. j. scordij ℥ j. fiat decoctio, sa. in aqua sonchi. deinde facta diligenti expressione ℞. dictæ d. iij. syr. de suc co acetolæ, syr. de acetositate citri; ana ℥ j. m. pro syr. & antequam syrupus accipiatur, optimum erit vti aliquo electuario, cuius facultas possit diutius permanere. E. g. ℞. conseruæ acet. citri borrag. an. ℥. ij. boli arm. pul. scordij an. ℈. ij. m. & dictæ conseruæ capiatur ℥. ß. ante cibum. Pro tuendo corde potestis huiusmodi linimentum parare ℞. vnguenti sandalini ℥ j. pul. pimpinellæ scordij myrrhidis an. ℈. j. succi citri ℥. iij. m. & fiat linimentum.

Cur Hippoc. non meminerit purgationis in epid. *Ad rõnem.* *Quando facienda purgatio.* *Fluxus colliquatiuus non semper est in principio.* *Auic. numerat Agaricũ inter remedia cordialia.* *Semper purgãtibus admiscẽda quę resistunt putredini.* *Fugiẽda humida medicamenta & crassa, vt est cassia.* *Materia peccans fere sẽper est biliosa in pestiferis.* *Syrupus.* *Electuariũ.* *Linimẽtum pro corde.*

Hic igitur erit modus & purgandi in principio, & alterandi in febribus pestiferis, sed cum inter præcipua morborum magnorum remedia adnumeretur sanguinis missio, controuertitur an sanguinis missio conueniat, & quo tẽpore. Hæc quæstio multos Medicos diu fatigauit, & adhuc fatigat, ita quod hinc & inde sint argumenta, sed quia non est nobis conterendum tempus in rebus longis, dicam potissimas rationes, & meam sententiam explicabo. Duæ sunt opiniones potissimæ, vna est eorum qui sanguinem mittendum volunt; altera eorum qui negant nec aliud remedium adhibent quam antidotos, quam opinionem mordicus defendere conatus est Fuchsius doctissimus. Rationes eorum qui volunt mittendum sanguinem sunt hæ potissimum. Est sententia Gal. ex Hipp. vbi morbus est magnus, & vires constant, mittendum esse sanguinem, sed in pestiferis a principio vires constant, morbus magnus est, igitur mittendus sanguis, quod morbus sit magnus probant illustrissima Gal. auctoritate, qui 4. meth. 6. vbi explanasset, & declarasset morbum magnum requirere missionem sanguinis, inquit tripliciter dici morbũ magnũ, vel propter vehementiam affectus, vel propter nobilitatem partis, vel propter morbi κακοήθειαν seu prauitatem, In pestiferis cor est valde affectum, magna est prauitas, ergo est morbus magnus, ergo cõuenit sanguinis missio. Alia est auctoritas Gal. 14. meth. 15. vbi dicit, in omnibus putridis saluberrimũ esse sanguinem mittere, febris pestifera in humoribus, quia de hac est mentio, est putrida, ergo cõuenit sãguinis missio, adhæc 1. epid. 3. tex. 26. in Crit. miratur, cur nõ sit facta mẽtio sang. in Crit. Paulus & Aetius ex Ruffo clarissime docẽt, quod vbi sanguis abũdat, mittẽdus sit in pestiferis; pręterea Auenzoar lib. 3. tr. 3. c. 1. scribit se curasse iuuenẽ laborãtẽ inflãmatione pestifera primo secta vena, deinde purgato corpore; inflammatio pestifera nil aliud est, quã febris pestifera, ergo magnus hic vir uidetur voluisse mittendum sanguinem. Præterea Auic. cuius doctrinam profitemur prima. 4. tr. 4. c. 4. scribit, summã curationis pestiferarum esse exsiccationẽ, quæ exsiccatio si materia peccans fuerit cum sanguine perficitur sectione venæ. Hæ sunt auctoritates, & rõnes potiores eorum, qui existimant mittendum sanguinem. Ex altera parte qui negat mittendũ sanguinẽ, & ipsi multis impelluntur rõnibus. Vna est quod in febre pestilenti semper vel vires sunt debiles, vel sunt futuræ debiles, quod nõ debeat mitti sanguis qñ vel vires sunt debiles, vel futurę debiles, probatur auctoritatibus, & rationibus. Rõnibus quia pestiferæ omnitut

An sanguinis missio cõueniat. *Rationes eorum qui volunt mittendum sanguinem.* *In omnibus putridis saluberrimũ est mittere sanguinem.* *Auic. ait, summam curationis pestiferarũ esse exsiccationem.*

tut

tur ab aere venenato, aere venenato continuo reficiuntur spiritus, si cōtinuo reficiuntur spiritus, ergo cōtinuo fiunt venenati, ergo necessario virtus debilitatur: Auctoritatibus, quia Gal. in lib. de cibis boni & mali succi 1. quod in ea peste qñ Medici adhiberent sectionem venæ omnes periclitabantur, dicit Gal. consueuisse in huiusmodi morbis vires concidere. Alia rō horū est quod in pestiferis febrib. cor est veluti veneno affectū, sed in veneno non licet mittere sanguinē, ergo nec in pestiferis, ꝙ non liceat mittere sanguinem oēs fere affirmarunt, sed est ēt rō, quia missio sanguinis trahit venenum quod aliqua parte latet in venis, vbi venenum in venas propagatum est, prorsus malum irremedicabile reddit. Tertium argumentum illorum est ex auctoritate, dicunt. n. Rhazem auctorē grauissimum nunquā in curanda febre pestifera meminisse purgationis, aut venæ sectionis, sed meminisse solum antidotorum, quod quidem indicium euidens est, hunc virum grauissimum respuisse istud remedij genus: immo vero addūt isti, Gal. non solum non meminisse sectionis venæ in pestiferis, verum etiā nec ipsarum tetigisse curationē, eo quod existimauit huiusmodi morbi genus non curari methodo, & rōne, sed curari duntaxat remedijs per experientiam inuentis, sed potius, vt dicemus, solis alexipharmacis. Audiuistis quæ sit aliorum in hac difficili consideratione sententia, nūc audite meam: pro qua explicanda duo ante vos statuo, vnū est quod in principio febriū pestiferarū semper mittēdus est sanguis, modo vires cōstēt & modo quicquā aliud nō impediat, rō huius est, quia in principio morb. est magnus, ergo mittendus est sanguis, in principio cor nōdum est venenatū, nondū adest fluxus colliquatiuus, ideo non sequitur quod vires statim debeant esse debiles, immo vt dixi cū qualitas praua sit posita in materia multa quæ putrescit, si mittatur sanguis, clarū est qd minuit fomes, imminuto fomite primo retrænatur calor febrilis, deinde efficitur quo minus putredo propagetur per totū corpus. nam Gal. 4. met. c. mox citato, vbi consuluit semper mittendū sanguinem in morbo magno, atqui in viribus constantibus, clarū est quod loquatur de viribus præsentibus, loquitur de viribus cōiunctis prauitati, quia dicit esse triplicē morbum magnum, si igitur Gal. in morbo magno ex prauitate consuluit mittendum sanguinē, modo vires constent, clarū est quod poterat suspicari eas propter prauitatem fieri debiles, attamen nō est suspicatus, quia misso sanguine viribus constantibus aufertur occasio propagationis mali quēadmodum imminutionis virium. Debetis tñ in mittendo sanguine in principio perpetuo duas obseruare conditiones, vna est, vt semper aliqua adsit plenitudo in corpore, tū quia Auic. Paulus & Aetius qui hanc sectam secuti sunt adhibent hanc conditionē, tum quia si remedium hoc venæ sectio propriè tollat plenitudinem, procul dubio absente plenitudine si experiamur istud remediū esset periclitari sine multo fructu, quod Medici facere non debent, quia in ipsis & minimis ipsorum erratis collocata est salus ægri. Alia conditio seruanda, vt non mittatur sanguis in magnis æstibus, & iure illud addidi, quia istæ febres solent contingere sub æstibus magnis. habetis pro confirmanda hac sententia duo luculentissima Gal. testimonia, 4. de acutis 39. vbi dicit Gal. ēt quod vires constent, ēt quod morbus sit magnus, non esse tñ mittendum sanguinem, vbi aer est extreme calidus, quæ est rō, quia hoc tempore habitus corporum nostrorum sunt maxime relati, ita quod qualibet vel minima exagitatione, & inanitione adhuc magis resoluuntur, & prosternuntur. Aliud Gal. testimonium est 1. ad Glauc. 14. vbi scribit, Medicos sæpe errare quod mittunt sanguinem sub caniculæ temporibus calidis. Adnectit tertium, omnes illos interijsse in ea constitutione qñ scripsit librum illum quibus fluxus fuerat sanguis in summis caloribus. Alterum quod statuo pro mea sententia est, quod si non vocemini in principio ad laborantes febre pestifera, nunquam per sectam venam dēt mitti sanguis, atq; hoc confirmo clarissima Gal. auctoritate tertio epid. com. 3. text. 26. in casu Critonis; Crito ille relatus ab Hipp. obiit 3. die, quærit Gal. cur Hipp. non meminerit sectionis venæ in hoc casu adeo magno, dicit Gal. ideo hoc fecisse Hipp. quia a principio vocatus non fuit, quasi velit dicere, quod si Hipp. a principio vocatus fuisset, etiam quod materia illa esset valde praua, vt testatur Galen. nihilominus misisset sanguinem, sed non misit quia vocatus fuit tardo. Cum igitur non sit mittendus sanguis per sectam venam, quærit aliquis a me quod auxilium adhibendum erit ad tollendam plenitudinem si adsit, & ad reuocandum humores, & reuellendum? Dico quod vbi non potest secari vena aliqua ratione, & adsit necessitas mittendi sanguinis, necessitas dico quā vobis imponit plenitudo, recurrēdum est ad ea quæ solent vicaria esse sectionis venæ. solent inquam id paulo minus efficere quam sectio venæ, quid est illud? Sūt cucurbitulæ, quæ vbi non possit secari vena, optima sunt præsidia secundum omnes Medicos.

Rationes eorum qui negant mittendum sanguinem.

Solutio dubij pro qua duo præsupponuntur.

Duæ conditiones obseruādæ in mittēdo sanguine.

Alia conditio.

Duo Gal. testimonia qd in magnis æstibus nō sit mittendus sanguis.

Alterū præsuppositum. Nō est mittendus sanguis nisi in principio.

Cum non liceat secare venam quid agendum.

Cum itaque sanguis per sectam venam aliquo modo mitti impeditur, loco sectionis venæ cucurbitulæ vsurpandæ, de quibus videndum quo in loco, & quando apponi debeant, & quantum sanguinis mittendum. De loco est controuersia, quia plures practici apponūt dorso, & spatulis, sunt alij qui potius cruribus; quam spatulis apponendas putāt. Qui cruribus apponunt sua argumenta habent. Vnū est eorum argumentum, quod cum aliquod viscus affectum est, quam longissime fluxus materiæ ab ea parte est retrahendus, sed in peste cor nobilissima pars afficitur, ea propter in pestifera febre a longissimis partibus est retrahendum, longissima sunt crura, igitur a cruribus, præterea vbi in pestiferis adest plenitudo necessario tollenda est, & quia vires in affectu pestifero sunt infirmæ, ēt rō virium habenda est, quæ cum ita sint, scarificatio crurum plenitudinem tollit, viribus non ita nocet, ita quod potius crura scarificanda per cucurbitulas, quam aliæ partes, quod hæc sanguinis extractio plenitudinem leuet probatur auctoritatibus Galeni Orib. & Auicennæ. Gal. 4. de tuēda sanitate decimo scribit, quod vbi adest plenitudo in corpore minuenda est vel per sectam venam, vel per scarificationem crurum: præterea Oribas. in libro

Cōtrouersia de loco cucurbitularum.

Argumēta eorū qui cruribus apponunt.

de cucurbit. & scarification. ca. 19 20. scribit, scarificationem crurum plenitudinem tollere. Auicen. ēt docet per scarificata crura fieri sanguinis abundantis minutionem; quamuis illi non solum conficti sunt sua dogmata adstruere, verū etiā damnare volunt eos, qui cucurbitulas scapulis apponunt, ad hoc damnandum mouentur his rationibus, primum, quia cucurbitulæ dorso applicatæ operantur proxime cordi, si operantur proxime cordi ergo attrahunt ad cor, attrahere ad cor in omnib. quidem malū, sed in pestiferis periculosum præterea dicunt isti, Gal. 13. meth. c. 19. docet, loco inflammato nunquā apponendas cucurbitulas, nisi prius totū corpus sit euacuatum, igitur pari rōne regioni cordis affectæ non sunt apponendæ cucurbitulæ in pleno existēte corpore, quare in principio in pestiferis nunquam conueniunt solæ cucurbitulæ dorso. adhæc Gal. lib. de sect. venæ c. 19. scribit, dolores capitis incipientes leuari cucurbitulis affixis ceruici atque scarificatis, sed dicit Gal. non esse scarificandum, nisi prius euacuato corpore, si igitur Gal. non vult capiti scarificationes adhibendas nisi totum sit euacuatum, neque ēt partibus cordi vicinis licebit adhibere cucurbitulas nisi prius euacuato toto. Postremo Gal. lib. artis medic. c. 95. manifeste docet, nunquā per cucurbitulas a parte ulla affecta esse euacuandum, nisi prius vniuersū corpus fuerit exinanitum, ex quibus omnib. locis Gal. colligunt, in pestiferis loco sectionis venę nunquam apponendas cucurbitulas spatulis vel dorso. Ego vero cum hactenus mihi videre nō licuerit scriptores medicinæ antiquos in febribus adhibuisse scarificationes crurum tanquam remedium febrium, non possum adduci, vt horum consilium cōmendem, & eo minus cōmendo, quia isti in omnibus febribus putridis vbi suspicantur prauitatem cucurbitulas scarificatas adhibent; ēt ne gratis ab his recedere videar quinq; pro mea sententia confirmanda in medium statuo. Vnum est non parum differre curationem pestiferæ, & curationem putridæ. Alterū est a scarificatis cruribus tolli quidem plenitudinem non quidem omnem, sed solum mediocrem. Tertium quod vbi plenitudo non oritur ex retentis mensibus, vel hæmorrhoidibus potius debemus vti cucurbitulis in spatulis quam in cruribus, sicuti vbi retenti sunt menses, vel hæmorrhoides potius per crura mittēdus est sanguis, quam aliunde. Quartum est, Oribasij auctoritatē cui summam fidē adhibent, nequaquam ipsis fauere. Quintum, & postremū errare istos qui putantes idem esse apud veteres scarificationes, & cucurbitulas scarificatas pro scarificationib. vtūtur cucurbitulis. Hæc sunt quinq; q̃ postquā meis rationibus firmauero erit etiam satisfactū rationibus aliorum; primum quod differat curatio pestiferarum, & putridarum, iā, nisi fallor bis vobis demonstraui, & ex Gal. & rōne, quare in hoc adstruendo non diutius immorabor. Secundum probatur rōne & auctoritate, ratione quia crura habent quidem venas latas, sed nō propinquas venis primariis, vt habēt partes superiores, ea propter fieri non pōt, vt æque tollatur sanguinis multitudo, vt tollitur per partes superiores: auctoritate idē probatur, quia Gal. 2. de acutis. tex. 10. scribit, internam cubiti venam omnium maxime corpus exinanire, ita quod magis tollitur plenitudo per sectionem venæ internæ cubiti quam crurum, immo vero Oriba. eo in loco, quem isti amplectuntur, dicit, manifeste scarificationes crurum non omnem tollere plenitudinē, sed mediocrem, vt magna plenitudo tollitur venæ sectione. Auicen. quoque loquens de scarificatis cruribus dicit hanc scarificationem esse proximā minutioni quod significat minus agere quā sectio venæ. Sed dicens, quid igitur ad Gal. 4 de ratione vict. 10. dico Gal. verba semper intelligēda secundum leges quas ipse tradit in locis propriis Gal. in lib. de rōne curandi per sect. venæ docet ad tollendam plenitudinem ex retentis menstruis, vel hæmorrhoidibus mittendum per scarificata crura, igitur vbi Gal. docet scarificata crura tollere plenitudinem, intelligendum est, q̃ potissimum tollunt eam plenitudinem, quæ oritur ex retentione menstruorum, vel hæmorrhoidum. Tertium quod constituo probatur hoc modo. conuenire magis cucurbitulas spatulis, quam cruribus. In adhibendis cucurbitulis in febre pestifera triplex dēt esse scopus Medici, vnus vt euacuetur plenitudo, alter vt attrahatur a corde. Tertius vt quā citissime plenitudo tollatur, & fiat attractio. Expendamus modo quænam euacuatio hęc tria magis prestet, an a spatulis, an a cruribus, quod euacuatio plenitudinis magis fiat a cucurbitulis spatulis affixis, quam cruribus habetis testimonium Auice. Quarta primi doct. 5. c. 2. vbi scribit, cucurbitulas applicatas spatulis vicem gerere basilicę, de scarificatione crurum dicit, quod sit proxima minutioni, quęso quid est magis vicem gerere basilicę vel proximum esse minutioni? procul dubio vicē gerere basilicę est id agere, quod agit basilica, proximum esse minutioni est prope facere, quod facit minutio. Quod etiam cucurbitulę dorso adhibitę trahāt a corde prēter rationem est, etiam auctoritas Gal. aduersus Archigenē inquit, quod si ut deperdita memoria adhibentur cucurbitulæ thoraci, id bonum non est, quia, inquit, si conlaboraret intemperie frigida, & sicca pniciosissimum esset remedium, rō est, quia cucurbitulę thoraci applicatę trahunt humiditates a corde, quod porro quam citissime trahatur, nemo est tam bardus qui non etiā hoc fateatur, immo nil est magis periculosum in venenis quam regioni cordis adhibere cucurbitulas magnas. Iam vero crura scarificata tollunt plenitudinem, sed minus vt intellexistis trahunt a corde, sed neque adeo efficaciter neque ita cito, vt adhibitę dorso præterquam quod cucurbitulæ applicatæ cruribus sunt valde dolorificæ, vt Albucasis, & Rhazes docuerunt, adeo vt aliquando syncopē inducant. Quid igitur dicemus ad auctoritates, nam auctoritas Gal. videtur persuadere, quod cucurbitulæ non sunt applicandæ, quia trahunt ad cor, dico me mirari quo modo possemus imaginari cucurbitulas attrahere ad cor, dicit Gal. 13. meth. c. 19 & sæpiūs quod cucurbitulæ sunt strenuum remedium ad extrahendam materiam a profundis partibus, immo vero subiungit propter hoc ipsas inuentas esse, si trahunt a profundis partibus, ergo nō trahūt ad profunda. Sed

dimittamus

Rationes quibus damnātur scarificatio cucurbitulas scapulis apponunt.

Secunda ratio.

Pro contraria sententia adstruenda quinque præsupposita.

Probatio præsuppositi.

Responsio ad Gal. 4. de vict. ratione acu. da.

Probatio

Triplex scopus Medici in adhibendis cucurbit. in febre pestifera.

Quod euacuatio plenitudinis magis fiat a cucurbit. scapulis affixis quam cruribus.

Trahunt a corde.

Trahūt quā citissime.

Cucurbitulę cruribus adhibitæ sunt valde dolorificæ.

dimittamus hæc, vt respondeamus auctoritatibus, dico quod apponimus cucurbitulas, vel vt euacuemus solum, vel vt etiam attrahamus, si euacuamus, procul dubio non possunt cucurbitulæ apponi vlli loco nisi prius euacuatũ sit totũ corpus, q̃ est rõ? quia quantũ euacuatur a loco affecto tantundem, & plus attrahitur ex ambitu, & profundis partibus ad partem affectam; si vero volumus adhibere cucurbitulas rõne attractionis, vel volumus trahere a profundis, vel ab extimis, vel a profundis simul, & extimis; si sit consiliũ trahere ab extimis partibus, dico neq; hoc agendum esse, nisi prius euacuato toto, eo quia si ab extima parte trahere conemur procul dubio trahemus ad ipsam a profundis, & a toto ambitu, nisi prius vniuersum corpus fuerit exinanitum, si vero sit animus trahere & a profundis, & ab extimis, dico neque hoc agendum esse, nisi prius euacuato toto, quia si trahamus a profundis trahemus tãtũ ad extima, unde nõ assequemur intentum, hac ratione ductus Gal. vt ego existimo parti inflammatæ extima non vult adhibere cucurbitulas, nisi prius euacuato toto, similiter dolenti capiti non volt adhibere cucurbitulas, nisi prius toto purgato, quia cum sit trahendum ab extimis & internis, trahit ad locum affectum, & eo magis, quia vt docet Hippoc. in lib. de locis in homine, caput veluti ventosa superposita corpori trahit ab vniuerso ad sese, vnde si fiat etiam attractio per cucurbitulas nõ minuta plenitudine, tanta maior fit attractio. si vero sit trahendum a partib. solum profundis, dico quod possumus etiam applicare cucurbitulas existente plenitudine, quæ est rõ? quia modo trahamus a profundis etsi trahamus ad extima bonum est, & eo magis q̃n fit citissime, & quando simul plenitudo tollitur: vnde cucurbitulæ dorso applicatæ trahunt a corde tollunt simul plenitudinem, & ab vniuerso corpore materias prauas ad cutem vocant, cuius rei illud est indicium quod post adhibitas cucurbitulas dorso febribus prauis fere semper inficitur dorsum maculis, quæ est rõ? quia trahitur ad eam partem, ad cutẽ a corde, & vniuerso corpore. sed dicetis Gal. 1. meth. c. 17. scribit laborante pulmone inflammatione vtilem esse cucurbitulam, modo prius euacuatum sit vniuersum quoniam nisi præcesserit euacuatio fit attractio ad pulmonem, quod etiam videtur de corde dicendum esse: adhæc nonne Auic. scribit cucurbitulas scapulis adhibitas facere tremorẽ cordis. præterea nonne Auic. dicit scarificata crura putrefacere sanguinem? Respondeo ad Gal. locum illum intelligendum esse de magna plenitudine, in qua nos & cõmendamus præ cæteris sectionem venæ, secus aũt est de mediocri plenitudine, in qua nos probamus cucurbitulas eo quod tunc a corde trahunt non ad cor, simulque plenitudinem mediocrem tolliũt. Ad Auic. respondeo, quod cucurbitulæ, si applicentur frequenter, & cum multo igne procul dubio possunt facere tremorem cordis, quia calefaciunt vehementer cor, cor calefactum inducit tremorem, si autem, vt debent prudenter, parce, & cum pauco igne adhibeantur multum abest, vt faciant tremorẽ, immo vero scribit Rhazes cucurbitulas spatulis adhibitas cõferre tremori cordis cum calore, & repletione. De purificatione sanguinis dico, quod dupliciter purificatur sanguis, vel quando pars fæculenta, & terrestris ab eo aufertur, vt dicimus lienem purificare sanguinem, quia exugit humorem terrestrem, & fæculentum, & dicimus purificari sanguinem, quando qualitas praua a sanguine aufertur, si sano modo accipiamus nequaquam hoc cõferũt crura scarificata, si accipiamus primo modo dico, quod crura scarificata purificãt sanguinem, quia natura, vt repleat locos illos exinanitos sanguinem illum grauiorem mittit deorsum, atque ita deputat sanguinem a parte crassa & fæculenta, & propter hoc Auic. 7. 4. vbi tractat de scabie docet scabiei fædæ auferendæ valide auxiliari cucurbitulas cruribus adhibitas: iam vero in febribus pestiferis requiritur potius purificatio sanguinis secundo modo quam primo accepto. Quartũ quod proposui de Oribas. quod. s. non faueat his demonstro, quia Oribasius eo in loco non loquitur ex se, sed solum vtitur Apollonij verbis, non suis, quare Oribasius non fauet. Sed dicetis apud Aetium lib. 3. c. 25 leguntur ea verba ex Gal. dico deprauatum esse illũ locũ, nam in cõtextu meo antiquissimo manu scripto non sunt ea verba ex Gal. deinde si conferatis verba Aetij & Apollonij apud Oribasium plane eadem sunt, vt falsum sit ea capta esse ex Galen. Apollonius vero non fuit is Medicus cuius solam auctoritatem tanti debeamus facere in re tanti momẽti, præsertim quando neque Hipp. neque Gal. neque quisquam alius aperte consentit. Sed concedamus his, Apollonium fuisse virum maximum. dico neque etiam Apollonium ijs fauere. Nam vt videre potestis, tria dicit Apollonius c. 19. & 20. vnum est quod vnam pertundi singulis annis est inutile, quia nimis spiritus exhauriuntur, & idcirco præstat scarificare crura interdũ. Alterum quod dicit est. scarificationes crurum nequaquam tollere magnam plenitudinem sed mediocrem. Tertium in affectibus magnis, & periculosis potius sectionem venæ conuenire.

Cucurbitulas non trahere ad cor, sed a profundis ad extima.

Apponũtur cucurbitulæ vel attractionis, vel euacuationis gratia.

Attractio fit trib. modis.

Si solum a partibus profundis trahere velimus, fieri id põt non euacuato prius corpore.

Cucurbitula scapulis affixa, quomodo tremorẽ cordis inducãt.

Q̃uo intelligẽdus Aui. dum dicit de crur. scarificata purificare sanguinem.

Apollonius nõ eius fuit auctoritatis, ut ei stare debeamus.

Apollonius non fauet aduersarijs, quæ tria dicit.

Ex ijs trib. quæ mõstrauimus Apolloniũ eo in loco dicere necessario mihi videtur colligendũ esse quod in febrib. pestiferis, quæ sunt magnæ, & periculosæ affectiones, non cõuenire scarificationem crurum, sed potius venæ sectionem, neque etiam cõuenire vbi est magna plenitudo, sed solummodo in plenitudine moderata, & potius ad præseruationẽ, quam ad curationem, sed dicet statim aliquis vestrum quo ergo dicit Apollo. se a peste beneficio eius remedij liberatum esse, quin etiã omnes eos quod eo fuerunt vsi fuisse liberatos? Duo respondeo, vnũ est quod Apol. non dicit se a peste liberatum esse, sed quod cum pestis, eum tetigisse liberatum fuit, quasi velit dicere se propter suspicionem pestis, eo remedio fuisse vsum, atque etiam fuisse liberatum. Alterum quod respondeo est, aliud esse mederi in peste, aliud mederi in febrib. pestiferis sine peste. vbi pestis adest vere semper magnopere vires periclitãtur, eo quod vitiatur aer, qui continuo attrahitur, vires etiam continuo labefactantur, & idcirco cum sit habenda maxima virium ratio, præstat hoc in casu plenitudinem tollere scarificatione, quam secta vena, eo quia minus vires

Q̃uo dicat Apollonius se beneficio sectionis neq; a peste fuisse liberatum.

deiiciuntur

deijciuntur a scarificatione quam a sectione venę, Colligatis igitur breuiter in febribus pestiferis conuenire potius cucurbitulas spatulis appositas quam cruribus, eo quia magis plenitudo tollitur, magis trahitur a corde, & citius ipsum venenum a corde reuellitur. Quantum quod fuit tuerim in hac materia erat eos vehementer errare, qui existimates se veterum Medicorum sequaces esse, loco scarificationū veterū vtuntur cucurbitulis, quod aūt errent facile demonstrari pōt, nam qui prudētiar versantur in scriptis antiquorū, animaduertere possunt haec tria diuersa esse apud antiquos, scilicet cucurbitulas leues, cucurbitulas scarificatas, & scarificationes. Cucurbitulæ leues sunt, quas solūmodo ad attrahendum vsurpantur; quæ scilicet sine scarificatione, & solo igne adhibentur cucurbitulæ scarificatæ sunt illæ, quę adhibentur gratia attractionis, & gratia euacuationis: nam harum cucurbitularum duplex fuit vsus apud antiquos interdum partem prius scarificabant, deinde cucurbitulas apponebant, interdum nō scarificabant, sed hirudines opponebāt, & ablatis hirudinibus apponebant cucurbitulas, hoc genus remedij inuenietis non raro apud Medicos, sed clarissime apud Aretæum 2. de acutis cap. de affect. hepatis, & hoc faciebant antiqui in illis, qui moleste ferebāt scarificationes, & in corporibus in quib. aliquod imminebat periculum scarificationes vero solum adhibebātur ad euacuandam partem, etsi non semper ad solum euacuationem, adhibebantur tñ plerumque, & adhibebātur in partibus gāgrenatis sugillatis, in partibus veneno infectis, & in diuersis casibus. Et vt bene intelligatis quid fuerint scarificationes, nihil aliud erant, quam vulnuscula copiosa profunde partibus inflictā ita quod & profunditate vulnerum, & copia, euacuabatur magna sanguinis copia. Itaq; magnopere differt inter cucurbitulas scarificatas, & scarificationes, nam in scarificationibus non adhibebantur semper cucurbitulæ, sed raro, præterea in scarificatione profunda fiebant vulnera ita vt magna sanguinis copia extraheretur. In cucorbitulis nequaquam ita fiebant profunda vulnera. Et quod hoc sit verum, quæso vbicunque vobis occurrerit legere scarificatas partes apud aliquos auctores, semper animus vester inclinabit rem esse sicuti dico. Sed ne videar meis studijs vos velle deducere, legatis apud Oribas. in 7 Collect. vbi loquitur de scarificat. & cucurbit. ex Antillo, videbitis manifeste Antilum Medicum grauissimum, ita definire scarificationes, videbitis ēt alio in capite loqui de cucurbitulis, alio de scarificationibus, & non solum hoc videre est apud Oribas. verumetiam apud Gal. in eo libello qui gręce impressus est de cucurbit. & scarificationibus. Cęlius Aurelianus lib. 5. Tardarum passionum c. 3. loquens de scarificationum generibus monstrat alias esse cum cucorbitulis, alias cum hirudinibus, alias sine vllis harū rerum, atque postremas ceteris præfert. Quæso modo iudicetis vos, an cucurbitulæ quas apponunt, sint scarificationes veterū, nam vt dixi, & vt dicit Apollonius faciliter a scarificationibus exibat magna copia, quia nequaquam in cucurbitulis istorum euenire conspicitur, immo ęgri ab istis miserrime tractantur, nec 6. vel 7. ℥. trahunt, adeo fit magno ægrotum cruciatu extra[illegible] vis possit libera sanguinis. Hæc dixi ex mea sententia, quam & permitto, & cupio etiam a vobis expendi propter salutem ægrorum. Tempus mittendi sanguinis est, vt statim ac vocemini ad febres humorales immisso prius clystere extrahatis sanguinem, vel per sectā venam sicuta videbitur, uel per cucurbitulas, atq; solūmodo vna vice, non repetitis vicibus, nam cum vires in principio sint validæ, & semper periclitentur ne deteriores euadant operæ pretium est, maturare in detrahendo sanguine, deinde expurgare, ita quod vbi sanguinem miseritis, quam primū offerendum est aliquod brodium, cui incocta sint aliqua medicamenta cordialia, soleo ego pręcipere ut paretur brodium, & eo coquatur acetosa, pimpinella, scordium, atque offeratur statim post missum sanguinē. hoc facto deinde alterādi & coquēdi sunt humores eo pacto quo vobis antea præscripsi, sed quia materia valde praua est, vt dixi, atq; celerrime venenum suum distribuit, ideirco præstat statim vt remedijs veneno aduersantibus: atque hæc remedia sepissime mutare, ita vt modo vnam confectionem, modo aliam administratis, in beatis, dicebat elegantissimus Celsus lib. 3. c. 2. quod ubi remedia non respondent, non debemus tam facere auctorem remediorum quanti ægrum ipsum, sed experiri aliud atque aliud, sic tamen vt in acutis morbis cito mutetur; ideirco modo exhibeatis bolum ar. modo theriacam, modo diascordion celebratissimum apud Fracastorium, modo gemmas, modo smaragdum in puluerem reductum, modo puluerem vnicornu, modo pulu. ossis de corde cerui, modo vnum ex ijs medicamētis quæ pene infinita numeramus apud scriptores. Sed debetis de bolo ar. illud adnotare, quod quæcunque febris sit, modo sis pestifera bolus ar. semper propinanda est cum vino, hanc sententiam habetis a Gal. præceptam 9. de simp. c. de terra lamia, vbi scribit, dari bolum ar. ijs, qui non febricitant vino temperato, ijs qui vel multum, uel parum febricitant dari vino valde lymphato efficacissimo, est ratio, quia bolus ar. viscida est, tenax ita, vt p difficulter ad cor peruenire queat, vnde necessarium est vt habeat vehiculum quo ducatur, vt est vinum [illegible] fuerūt aliqui qui existimarunt in ea peste ideirca nullos fuisse seruatos, qui bolum iubebant, quia cum necessario acciperent vinum a uino offendebantur, sed Gal. satis refutauit horum ineptiam qui dixit fuisse sepultos a bolo ar. eos solos qui deplorati erant.

Vbi vera pestis adest, p̄stat scarificatione quā venæ sectio neutri.

Differunt apud veteres cucurbitulæ leues scarificatę, & scarificationes Cucurbitulæ cum hirudinibus.

Vsus scarificationis.

Scarificatio quid.

Tēpus mittēdi sanguinis.

Sāguis vnica vice sit detrahēdus.

Misso sanguine statim offerendū est aliquod brodium.

Statim utendum esse alexiphar. & sæpius mutādum.

Bolus arm. semper propināda cum vino.

De theriaca, quoniam eius memini, multæ sunt excitatæ quęstiones inter varios, & præstantissimos Medicos, ita vt demptus sit nobis labor amplius hanc rem discutiendi, dicam solum sententiam meam quam potestis habere ex ijs, quæ hactenus determinata sunt scilicet in curādis pestiferis febribus duas potissimum esse Medici intentiones, vnam ad putrescentem materiam, & calorem putredinalem, alteram ad putredinis gradum, seu proprietatem interno ad proprietatem, vt dixi, est multo maior, quam sit intentio ad materiam putridam, eo quod hæc

proprie-

proprietas, iste gradus est ille, qui cito iugulat. Quæ cum ita sint, clarũ est, quod huic proprietati non adhibentur remedia inuenta ratione, sed solum inuenta experimentis quia sicut gradus ille est nobis incognitus, ita etiam incognita est ratio eorum remediorum, quæ occurrũt huic proprietati, unde uanum est mea sententia quęrere, an theriaca propter caliditatem moderatã conueniat, uel non conueniat, expertum est profuisse in pestiferis febribus, ratio huius non est habenda neque ex qualitatibus manifestis theriacę, neq; ex qualitatibus medicamentorum cõponentium, sed ea proprietate suæ formæ, ut Auic. cuius proprietatis gratia incognito quodã modo succurrit pesti, & febribus pestiferis, quapropter consilium meum est, ut sæpissime mutẽtur huiusmodi antidoti, ita ut uno die detis bo ũ, altero theriacã, altero aliquid aliud, & quod uidebitis cõtulisse huic insistatis, nam dixi uarias species uariis remediis fuisse debellatas, aliam bolo, aliam urina, aliam theriaca, aliam musica, aliam uino, aliam, pil. Rufi, & quomodo putatis hæc remedia inuenta esse? certe non alia ratione quam experientia quoniam ut dicit Celsus aliud, atq; aliud experiebantur, & quod uidebãt profecisse, huic insistebãt, idem ẽt dico de aliis remedijs extrinsecis, ut de inunctionibus circa cor, de odoramẽtis & de omni genere remediorum tam intrinsecorum quam extrinsecorũ. Ex remedijs, quę ego in vsu habeo est syrupus quidam de scordio, & pilo odotata, quo etia syrupo hoc tempore utor in muliere laborante peticulis, nam scordium quam uehementer aduersetur omnibus putrefacientibus docuit Galen. 1. de antidotis, docent etiam omnes, ita quod mirifica est ipsi facultas, & occulta aduersus ingentes putredines, qua ratione ductus ego confeci syrupum, atque etiam scordio ipso utor sępe, est syrupus huiusmodi ℞. fol. nymphęę, sonchi, borag. acetosæ, pimpinellæ an. p. ſ. florũ rof. borrag. citri an. p. sem. citri acetosę an. ʒ. v. fiat decoctio s. a in aqua hordei ad tertias, deinde ℞. dictę dec. lib ij. succi scordij depurati lib. ij. sacch. fini lib. iij. decoquãtur omnia s. a. & in fine addãtur musci gr. a. m, & fiat syrupus. huius syr. dosis est ab ℥. j. ℥. ij. & capitur vel in brodio simplici paruæ pullæ, vel in brodio alterato, vel in aqua borrag. vel acetosæ.

Remedia ꝓ peste curanda experientia inuenta.

Syrupus de scordio.

Pilis.

Pila qua ego vtor in his febribus vt. s. detineatur prope puluinar vel in manu ægri est. ℞ ligni aloes santalor. omnium, scordii an. ʒ j. cinnamomi, nucis muscara an. ʒ ij. galbani, ladãi an. ʒ ij. olei florum arantiorum. q. s. pul. fiat pasta detineatur dixi lapis Bezabar apud multos est in magna existimatione, & accipitur lapidis huius ℈. s. in uino, vel in aqua. pro magnitudine febris huiusmodi puluerem ego commendo, quia multa experientia attestatur eius facultatem. Sed de cornu vnicornis quod etiam commendat, non sum adeo tutus, quoniam quatuor genera aĩaliũ habentium vnũ cornu referuntur ab Arist. & Aeliano. s. Minoceros, Rhinoceros, Orix, & Asinus Indicus. De cornu solo Asini Indici scriptum est ab Aeliano, quod Indorũ Reges vterentur hoc cornu pro poculo, quia existimabant sese immunes fore epilepsia, & a venenis, adeo quod solum cornu Asini Indici põt ea veterum scriptis commendari in peste, sed cornu quod ostendunt Principes nostri caret omnibus notis, quas illi tradit Aelianus, ita quod ego parum fidei habeo huic remedio. Febrib. pestiferis, & prauis varia copulantur symptomatum genera, sed quod videtur creberrime omnium vagari, & quod etiam diu Medicos torsit, & totquet, est exanthematum genus illud quod appellat vulgus peticulas, de quibus dubitatum fuit, an veteribus fuerint notę. quę dubitatio mihi prorsus inutilis videtur. quoniam non est dubitandum, quin peticulæ sit quædam exanthematum species, & differt ab exanthematib. relatis a veteribus nisi figura, eo quod non videntur veteres hanc figuram descripsisse excepto vno Rhaze q plus 400. annis ante nos vixit, & qui, vt alias, dixi vobis, descripsit hæc exanthemata similia punctturis pulicum vnde forsan nomen nostrum formatum est peticulare, nisi etiam velimus dicere ab Hippocr. 2. & 5. epid fuisse simile quoddam genus exanthematum descriptum. vbi scribit in febribus æstiuis circa septimam, & octauam diem factas esse asperitates quaidã in cute similes puncturis pulicum, quanquam inter has efflorẽscentias Hip. pocr. & nostras peticulas illud uidetur interesse, quod illæ erant cum asperitate, nostrę peticulę sunt sine vlla asperitate. Sed vtcumque sit hęc exanthemata nihil aliud sunt, quam eruptiones quędam prauorum humorum ad cutem factę a natura profundas expurgante, etenim scribit Gale 6. epid. com. a. tex. 30. quod natura dum conatur expurgare alias corporis partes a prauis humoribus alterum genus duorum humorum inuenit, vel subtiles, vel crassos. vbi subtiles inuenit attenuat eos magis, atque ita per occultos cutis, & corporis meatus dissipat: vbi autem inuenit humores crassos, & lentos eos ad cutim deponit, vbi deinde depositi uaria efficiunt exanthemata si materia sit calida fiunt exanthemata arcta, & angusta, si materia fuerit frigida, fiunt lata exanthemata, si materia fuerit minus uiscida, fiunt pustulę quę sunt neque admodũ latę, neque eleuatę, quales sunt nostrę peticulę.

Lapis Bezabar.

An cornu unicornis in peste consentaneũ sit remedium.

Aelianus solũ cornu Asini Indici scribit venenis repugnare.

Peticulę.

Peticula qđ

Cum ergo in febre pestifera huiusmodi exanthemata appareãt, quęritur inter Medicos quidnam sit agendum, numquid necessarium sit auxiliari naturæ motui, an vero sit potius vniuersũ opus naturę dimittendum, nam in alia euratione fere eadem est curatio febris pestiferę cum peticulis, & sine peticulis. Sunt qui existimant nullo modo auxiliandum esse naturæ hac impulsitatione, quod natura vbi recte operatur, debemus illi opem ferre si debiliter operetur, vbi nõ recte sed coacte operetur, non debemus ei cooperari quia sicuti in reliquis actionibus malum est cooperari peccantibus, sic perniciosissimum est cooperari naturæ male operanti. Alij per contrariã viam incedẽtes in ea fuerunt opinione quod optimũ sit auxiliari naturę. atq; horũ alij credunt purgantib. medicamentis id agendum esse: nonnulli malunt hoc agi debere sectione venę plurimi putant hoc agẽdum esse cucurbitularum administratione: & inter hos postremos fuit

etiam

etiam dissensio, quia aliqui id agendum putant cum multis cucurbitulis, alii vero cum paucis, ita quod inter practicantes Medicos, magna hactenus extitit dissensio de remediis adhibendis in febre pestifera, in qua apparent peticulæ. Quid ego sentiam accipite, nam hæc exanthemata, quæ peticulæ vocantur, aut apparent statim in principio febris, aut apparent in morbi ꝓgressu si a principio apparent, aut adest plenitudo insignis, aut mediocris, si adsit plenitudo insignis, omnino secāda est vena, eo quia plenitudinis accommodatū remediū est sectio venæ, qa plenitudine diminuta, natura se facilius exonerat a residuo humorū peccātiū, si adsit nō insignis plenitudo, sed solum mediocris, non est secanda vena, sed cucurbitulę adhibendæ, neq; periculum quemadmorum decreui vt per cucurbitulas trahatur materia ad cor, tum quia non adest insignis plenitudo, tum quia, vt intellexistis, cucurbitulæ attrahunt a corde, quo fit vt per oppositionem cucurbitularum in mediocri plenitudine duo bona acquiramus, vnū quod euacuatur mediocris plenitudo; alterū quod attrahitur, & deflectitur impetus naturę a partibus interioribus ad exteriores, si nulla adsit plenitudo, sed solū cacochymia, dico dūi quod in hoc casu necessariū est exhibere medicamentum purgatorium, rō est quia si in principio tanta est cacochymia quę stimulat naturam ad sui expulsionem ante tēpus, profecto nisi adimatur hæc cacochymia medicamentis purgantibus, periculum est, ne in progressu sub ipsa vinciatur natura. Si appareant peticulę in progressu morbi diligenter considerandum est, an vlla sit facta euacuatio, vel a natura, vel ab arte, aut ēt si fiat aliqua euacuatio a natura. Si sit facta aliqua euacuatio a natura, vel ab arte nihil aliud tentandū est duplici ratione, tum quia cū progressus sit morbus suspicandū est, vires nō admodum esse firmas, tum quia cum facta sit euacuatio, licet ēt non fuerit sufficiēs tñ si repeteretur, periculum esset, ne ex ꝓgressu morbi, & ingeminatis purgationibus vires magis deprimerentur, quid igitur agēdum in hoc casu? frictionibus leuibus agendum, atque ēt inunctionibus, vt est illa, quæ dicitur inūctio Aetij, hoc.n.modo fit. ℞. Nitri ʒ.ii.ol.chamom. ℥.ii.aquæ chamem. ʒ.iiii. M. fricatur enim cutis, deinde manibus inunctis vniuersum corpus iterum fricatur, & inūgitur. Hæc inunctio aperit meatus, deterget cutem, atque ēt prauos humores dissipat: si nulla facta sit euacuatio neque ab arte, neq; a natura existente aliqua plenitudine vtendum est cucurbitulis, sicuti existente cacochymia vtendum est medicamentis, ita tñ vt vtraque parcius agantur, quam ageretur si morbus esset in principio, post ēt vtēdum est frictionibus & inunctionibus, quæ possint prauos humores in cute existētes dissipare. Sed dicet statim aliquis vestrum, quomodo fieri pōt vt purgationes apparentibus exanthematibus conueniant. scribit enim Hipp.6.epid.com.2.tex.30. Simoni illi cui apparuerant papulæ latæ nunquam cōtulisse vomitum, si igitur nō conferebat vomitus, neque ēt videtur conferre purgatio: præterea clarū est quod peticulæ fiant per expulsionem humorū ab intimis ad extima, si mittatur sanguis, vel si purgetur, procul dubio est motus ab extimis ad intima, dicebat aūt Hip. optimum esse vt erysipelas ab intimis ad extima exeat, sicuti pniciosum est, quod ab extimis ad intima, ex quo omnino perniciosum videtur facere hunc motum natura contrarium, qui est ab extimis ad intimas partes, huic respondeo, primum aliud esse secare venam, & expurgare, aliud vomere; nam per vomitum, nisi sit concitatissimus nunquam expurgantur ea, quæ sunt in alto, sed solummodo per pharmaca, quapropter non valet, Simoni non contulit vomitus, ergo nō cōfert purgatio: pręterea possumus dicere, forsan Simonem illum non extitisse cacochymicum, sed potius plethoricum. & propterea ipsi non contulisse vomitum, quia potius cōuenisset remediū quod mediocrem plenitudinem exinaniuisset. Ad aliud vero respondeo id quod scribit Gal. in com. loci Hipp. nuperrime citati scilicet ea, quæ semel deposita sunt in cute a natura, non posse p medicamenta expurgantia euacuari, quia longior est ductus quam vt possit ope medicamētorum humores in cute existētes euacuare id quod manifestissime apparet in corporibus scabiosis, in quibus quantumcunque purgentur, nunquam per medicamenta euacuātur humores in cute existentes, quid ergo emolumenti præstant hæc medicamenta? maximum sane. s. quod illi humores qui ad cutē delaberentur alio deflectuntur per vias latiores, quare dicendum est. nō valere quod ope medicamentorum, vel sectionis venæ possint trahi a cute ad intima ea, quæ sunt in ipsa, nā Gal. eo in loco aperte fatetur, se nequaquā negare, ꝙ apparētib. exāthematib. sit euacuādū quando. s. corpus plenū, vel cacochymum est, inquit materiam in cute existentem nō alio auxilio euacuari, nisi per fomenta, & alia quæ extrinsecus apposita dissipant immo vero statuere videtur Gal. manifeste quod apparentibus si adsit plenitudo necesse sit euacuare, vel per sanguinis missionem, vel per medicamenta, quia vt dixi, si expedit, poteritis & vos modo sanguinem mittere, modo purgare, modo cucurbitulas apponere, & deinde semper vt materia, quæ in cute est, euacuetur agere vel inunctionibus, vel frictionibus, vel vtrisque simul, semper autē calefacientibus, dico semper calefacientibus, quia fieri non potest, vt materia quæ est in cute altetius ope exinaniatur, quam caloris beneficio, ex quo vbi ægri huiusmodi exāthematib. pleni sunt, custodiendi sunt calidi: & ego soleo iubere vt rubra integumēta semper habeāt supra corpora, & tecta maneant, immo meminime legisse apud Cęlium Aurelianum, sed non recordor loci, quod etiam inspicere pannos rubros confert, quia res rubrę similitudine quādam alliciunt magis sanguinem putridum, ad exteriores partes.

Vna cum his exāthematibus rarissimū est, quin & aliqua alia symptomata copulentur, quæ symptomata, vt deliria, vigiliæ, & similia sunt iis remediis debellanda, quæ monstrauimus in theoria nostra de symptomat. morborum, atque ab debellanda huiusmodi symptomata, sed potissimum deliria, inter cetera remedia solent adhibere cauteria, vesicatoria, de quibus dubitatur

tatur

tatur inter Medicos an conueniant, quia sunt aliqui qui vtuntur, sunt etiam qui damnant, illi qui damnant adducuntur duobus potissimum argumentis. Vnum est quod vt intellexistis, huiusmodi periculis, & febribus pestiferis iungitur calor præter naturam insignis, sed vesicatoria sunt vt plurimũ calida in quarto gradu, igitur dicunt illi si applicemus vesicatoria calor præter naturam augetur, febres fiunt valentiores. Aliud argumentum est quod sępe post vesicatoria solent remanere vlcera curatu difficillima, & contumacia, quæ eodem debemus auersari in his febribus. Sed mea sententia res hunc in modum definienda est, quod scilicet vesicatoria non adhibenda sint, neque conueniant ratione febris, nam nemo est tam stupidæ mentis, qui velit ipsi febri non deberi hoc remedii genus, sed adhibentur ratione symptomatum, quæ quando vrgent magnopere curationem ad se trahunt. Sunt autem hæc symptomata duum generũ, vnum est quando humores praui ad caput, & ad viscera præcipitantur, quo in casu nisi omni ingenio reuocemus impetum horum humorum, procul dubio iugulantur ægri, quia vbi humores feruntur ad præcipua membra, vel vapores, omnino cõuenit hoc remedium, dicebat enim Orib. ex Gal. 8. Collect. cap. 19. inter remedia reuulsoria non minimum esse quando medicamenta acria artubus apponuntur, quod si maxime reuellendum est, igitur conueniunt ea medicamenta acria, quæ illud præstant, sic & Archigenes vir grauissimus apud Gal. 6. de medicamentis local. c. 4. in iis qui vehementer excruciantur propter flatus extendentes ventriculum, laudat spongiam acerrimo aceto maceratam, atque brachiis & pedibus applicatam, vsquequo phlyctenæ fiunt, & ratio consilii Archigenis nulla alia erat, deflecteret cursus vaporum & humorum a ventriculo ad partes extimas, imo Galen. in 1. de humor. ut & notat Rabbi Moyses in Apho. scribit, vbi humores ad caput, aut ventrem feruntur, medicinas mordicatiuas manibus & pedibus applicatas in diuersum trahere.

Alterum symptoma copulatum periculis, & febribus pestiferis, in quo præcipue conueniũt vesicatoria, mea sententia est. quando interiora ardent & exteriora frigent, sic enim Ruffus Ephesius apud Aetium lib. 5. cap. 95. in curatione pestis maxime commendant, vt vbi extrema frigent & interiora vruntur, vbi deliria sunt, vbi vigiliæ, vbi adest fluxus colliquatiuus, omni ingenio & arte calefiant extrema, & auocetur calor ab internis partibus ad externas. Quod si consilium Ruffi optimum est, vt omni ingenio prouocetur calor ab intimis ad extima, procul dubio maxime commendanda sunt cauteria, quæ scilicet possint vehementer attrahere. Cauteria, seu vesicantia appellata apponuntur vtrisque brachiis paulo supra carpum, vel metacarpum, & vtrisque cruribus in parte interna paulo supra malleolum. Solent autem fieri ex cantharidibus, & ex flammula vocata, nam flammula est medicamentum quod vesicam facile afficit, propter suam acrimoniam & caliditatem accipitur vero vel trita, vel incisa. Cantharides modo miscentur fermento, modo ceræ, modo caricis, & ego magis commendo cantharidas quam flammulam, propterea quod a Diosc. & a Gal. immo ab Hipp. cantharides etiam commendantur aduersus venena, quocirca hoc habemus, vbi cauterium facimus ex cantharidibus, quod præter excitationem vesicarum, & exulcerationem etiam veneno repugnamus. Forma cauterii hæc erit ℞ Cãth. præparat. ʒ iii. caricarum, vel ferment. ℥ s. aceti modicum, misce, & fiat pasta. figura vesicatorii modo sit orbicularis, modo oualis ita vt magnitudinem monetæ, quæ Marcellus vocatur, aut nihil, aut parum excedat. Postquam vesicæ sunt excitæ, rumpuntur vt aqua exeat, tum per vnam uel alteram diem butyrum cum brassicę folio superponitur, mox ne consolidetur ulcus, & ut fiat maior attractio apponitur ceratum sacrum, aut cerinum. Sique dolor magnopere uexet, prædicti cerati loco, aut linimentum simplex, aut unguentum rosaceum tantisper illinitur, donec dolor sit mitigatus, quo finito iterum ceratum apponitur, usque quo uel sponte solidentur ulcera. Atque hic est modus, hæc medendi ratio in febribus pestiferis. Vbi igitur habuistis quid sit agendum circa sanguinis missionem, & circa alia remedia in periculis, superest ut reliquias febris curetis, ut aliæ curantur, ut concoquatis humores, ut repugnetis uenenis, & ubi apparet coctio expurgetis humores propriis remediis Atque hic est finis Dei gratia nostrarum lectionum, in quibus si quicquam uobis profui, immortales gratias debetis Immortali Deo, qui me, ut pro uobis laborarem, seruauit incolumem. Valete.

Forma cauterii seu vesicatorii vulgo dicti. Figura.

Suffragante DEI Opt. Max. gratia ad legem Serenissimi Domini Veneti correxit M. Matthias Coldiz Alemanus, labore & anno eundem finem sortientibus.

VENETIIS APVD IVNTAS

M. DC. XVII.

INDEX LIBROR.
ET CAPITV.

De Affectibus Capitis
LIBER I

INDEX LIBROR ET CAPITV

De Affectibus Capitis LIBER I

De Oris, et Medij Ventris, hoc est Thoracis et partium in eo contentarum affectibus.

LIBER II.

De Infimi Ventris partiumque ad eum pertinentium affectibus.

LIBER III.

De Vitijs Articulorum, et Lue Venerea.

LIBER IIII.

De morbo Gallico

LIBER V.